image not available

37
31 B
9

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM HONORATI TOURNELY

Continuatio, ſive Tractatus

DE UNIVERSA

THEOLOGIA MORALI

TOMUS QUINTUS,

UBI AGITUR

I. De Confirmatione.

II. De Eucharistia ut Sacramento: necnon De Sacrificio Missæ.

VENETIIS,

Apud Nicolaum Pezzana.

M DCC LI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM HONORATI TOURNELY

Continuatio, ſive Tractatus

DE UNIVERSA

THEOLOGIA MORALI

TOMUS QUINTUS,

UBI AGITUR

I. De Confirmatione.

II. De Eucharistia ut Sacramento: necnon De Sacrificio Missæ.

VENETIIS,
Apud Nicolaum Pezzana.

M DCC LI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM, ARTICULORUM, ET QUÆSTIONUM.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

CAPUT I. *De nomine & eſſentia Confirmationis.* Pag. 1
CONCLUSIO I. *Novatiani, Vualdenſes, VViclefitæ & Huſſitæ, Confirmationem e Sacramentorum numero non expunxerunt.* 2
CONCLUSIO II. *Confirmatio verum eſt novæ legis Sacramentum.* 5
CAPUT II. *De inſtitutione Confirmationis.* 22
CONCLUSIO I. *Chriſtus eſſentiales Confirmationis ritus immediate inſtituit; nec tamen inſtituit omnes quibuſcum eadem hodie confertur.* ibid.
CONCLUSIO II: *Certo definiri non poteſt, quo tempore inſtituta ſit Confirmatio. Probabilius tamen, ſi quid hic probabile, eam medio Reſurrectionem inter & Pentecoſten tempore fuiſſe inſtitutam.* 24
CAPUT III. *De materia Confirmationis.* 26
ARTICULUS I. *De materia proxima.* ibid.
CONCLUSIO. *Impoſitio manus & unctio ſunt adæquata & eſſentialis materia Confirmationis.* 27
ARTICULUS II. *De materia remota Confirmationis.* 45
CONCLUSIO I. *Ad ſubſtantiam Confirmationis requiritur oleum ex olivis expreſſum.* 46
CONCLUSIO II. *Oleo prædicto balſamum addi neceſſe eſt, an neceſſitate Sacramenti ambigitur: probabilius quod non.* ibid.
CONCLUSIO III. *Ut licite adminiſtretur Confirmatio, requiritur, ſaltem de jure ordinario, Chriſma benedictum, & quidem ab Epiſcopo; an ut valide, necdum ſatis liquet.* 53
CONCLUSIO IV. *Unctio Chriſmatis debet fieri in fronte, idque ad modum crucis: poſterius neceſſarium eſſe neceſſitate Sacramenti non probatur efficaciter; major eſt difficultas de priori.* 58
CAPUT IV. *De forma Confirmationis.* 60
CONCLUSIO. *Oratio quæ præcedit unctionem, & verba quæ eamdem unctionem comitantur, ſunt apud Latinos, ſicut & apud Græcos totalis & adæquata Confirmationis forma.* 61
CAPUT V. *De Miniſtro Confirmationis.* 72
CONCLUSIO I. *Solus Epiſcopus ex inſtitutione divina ordinarius eſt Confirmationis Miniſter. Eſt de fide contra Photium, VViclefum, Calvinum, Lutherum, qui poſteriores, etſi Confirmationem derident, eam tamen Epiſcopis reſervari indigne ferunt.* ibid.
CONCLUSIO II. *Poſſunt ſimplices Presbyteri ex delegatione adminiſtrare Confirmationis Sacramentum, cujus proinde Miniſtri ſunt extraordinarii.* 85
APPENDIX. *De Confirmatione ab Hæreticis data.* 95
CAPUT VI. *De ſubjecto Confirmationis.* 105
CONCLUSIO I. *Solus & omnis homo baptizatus eſt ſubjectum capax Confirmationis.* ibid.
CONCLUSIO II. *Circa ætatem qua ſuſcipienda ſit Confirmatio, nulla eſt definitio quæ univerſim obliget.* 106
CONCLUSIO III. *Ad licitam & fructuoſam Confirmationis receptionem quædam neceſſaria ſunt ex parte corporis, quædam ex parte animæ; neceſſaria, inquam, vel ex decentia, vel ſtricto jure.* 107
CAPUT VII. *De effectibus Confirmationis.* 109
ARTICULUS I. *An Confirmatio gratiam pariat.* 110
CONCLUSIO I. *Confirmatio gratiam ſanctificantem producit, non quidem primam, ſaltem per ſe, ſed ſecundam.* ibid.
CONCLUSIO II. *Gratia Confirmationis propria, eſt gratia perficiens & corroborans animam ad finem intrepide confitendam contra univerſos ejuſdem fidei hoſtes.* 111
CONCLUSIO III. *Unctio Confirmatoria non ſuppletur per unctionem verticalem.* 112
CONCLUSIO IV. *Gratia Confirmationis non eſt habitus ab habitu baptiſmalis gratiæ ſpecifice diſtinctus; ſed ſolum ejuſdem habitus intenſio, cum jure ad gratias actuales quibus Confirmationis effectus obtineri poſſit.* 116

a 2 CON-

CONCLUSIO V. *Uberior eſt gratia quæ per Confirmationem tribuitur, quam quæ per Baptiſmum; major tamen aliquo ſenſu efficacia Baptiſmi, quam Confirmationis.* ibid
ARTICULUS II. *An Confirmatio characterem imprimat,* 117.
CONCLUSIO I. *Confirmatio characterem imprimit,* ibid.
CONCLUSIO II. *Character Confirmationis, Baptiſmi characterem præſupponit,* 120
CAPUT VIII. *De proprietatibus Confirmationis,* 121
CONCLUSIO I. *Confirmatio non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii.* 122
CONCLUSIO II. *Confirmatio in re vel in voto graviter neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, tum Eccleſiaſtici, tum etiam Divini.* ibid.
CONCLUSIO III. *Præceptum Confirmationis, quatenus divinum eſt, obligat tempore perſecutionis, gravioriſve contra fidem tentationis, & in præſenti mortis periculo,* 124
CONCLUSIO IV. *Præceptum Confirmationis quatenus Eccleſiaſticum obligat 1. cum Epiſcopus dare paratus eſt, nec juſtam differendi rationem habet baptizatus; 2 & 3. cum imminet ſacri Virginem velaminis, vel Tonſuræ Clericalis receptio,* 125
CAPUT IX. *De Ceremoniis Confirmationis,* ibd.

TRACTATUS DE EUCHARISTIA, 130

Pars Prima.

DE *Euchariſtia ut Sacramento,* 131
CAPUT I. *De natura Euchariſtiæ,* ibid.
ARTICULUS I. *An Euchariſtia ſit Sacramentum,* ibid.
CONCLUSIO I. *Euchariſtia verum eſt Sacramentum,* ibid.
CONCLUSIO II. *Euchariſtia prout eſt ſignum gratiæ ſanctificantis, nec in ſolo Chriſti corpore, nec in ſpeciebus ſolis conſiſtit, ſed in corpore & ſpeciebus, ſeu in ſpeciebus prout eis ſubjacet corpus Chriſti* 134
CONCLUSIO III. *Neque conſecratio, neque ſumptio Sacramenti ad intrinſecum Euchariſtiæ conſtitutivum pertinent.* 136
CONCLUSIO IV. *Euchariſtia phyſice ſeu materialiter ſpectata duplex eſt ſpecie Sacramentum, ſpectata vero moraliter, ſeu in ratione convivii ſpiritualis, unum eſt ſpecifice Sacramentum,* 139
CONCLUSIO V. *Euchariſtiæ Sacramentum in eſſe permanenti ſpectatum multiplicatur numerice, prout multiplicantur ſpecies conſecratæ: ſpectatum vero in ratione eduli ſpiritualis multiplicatur numerice, prout moraliter multiplicantur refectiones.* 140
ARTICULUS II. *De præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia,* 143
SECTIO I. *An realis Præſentia probari poſſit ex verbis Promiſſionis.* 147
CONCLUSIO. *Præſentia realis ſolide probatur ex verbis Promiſſionis Joan. 6.* 149
SECTIO II. *An Præſentia realis ex verbis inſtitutionis probari queat.* 160
CONCLUSIO *Realis Præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia efficaciter probatur ex verbis Inſtitutionis.* 161
SECTIO III. *An Præſentia realis probetur ex iis Apoſtoli locis, ubi fit mentio de Euchariſtiæ uſu,* 181
CONCLUSIO. *Præſentia realis ex utroque Pauli textu ſolide confirmatur,* ibid.
SECTIO IV. *An Præſentia realis probetur ex Traditione,* 183
CONCLUSIO I. *Patres ſeculi I. ſi qui de Euchariſtia ſermonem habuere, Præſentiam realem admiſerunt,* ibid.
CONCLUSIO II. *Patres ſeculi II. realem Præſentiam tenuere,* 184
CONCLUSIO III. *Præcipui Patres ſeculi III. realitatem corporis, & ſanguinis Chriſti agnovere,* 191
CONCLUSIO IV. *Idem cum deceſſoribus ſuis ſenſere præcipui Patres ſeculi IV.* 204
CONCLUSIO V. *Realem Præſentiam admiſere ſeculo V. Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus & Theodoretus,* 217
CONCLUSIO VI. *Patres ſeculi VI. ceterique ad Paſchaſium Præſentiam realem docuere,* 249
SECTIO V. *An Euchariſtiæ veritas probari poſſit via præſcriptionis,* 267
CONCLUSIO. *Euchariſtiæ veritas ex præſcriptione demonſtrari poteſt,* ibid.
SECTIO VI. *An fides realis Præſentiæ ex omnium Eccleſiarum conſenſu evinci poſſit,* 276
CONCLUSIO. *Fides realis Præſentiæ ex omnium Eccleſiarum conſenſu demonſtratur,* ibid.
SECTIO VII. *An realis Præſentia miraculis probari poſſit,* 282
SECTIO VIII. *An realis Præſentia philoſophicis argumentis impugnari poſſit,* 291
CONCLUSIO. *Præſentia realis nulla invicta ratione impugnari poteſt,* ibid.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX. *De ſpeciebus Euchariſticis*, 300

Breve Opuſculum quo Geometrice demonſtratur poſſibilitas Præſentiæ realis in Euchariſtia, in principiis Carthesii, 305

Confutatur, 308

ARTICULUS III. *De modo Præſentiæ realis*, 314

CONCLUSIO. *Admittenda eſt tranſubſtantiatio, ſeu totius ſubſtantiæ panis & vini in Chriſti corporis, & ſanguinis ſubſtantiam converſio*, 315

ARTICULUS IV. *Expenduntur difficultates variæ circa dogma Catholicum*, 325

CAPUT II. *De Inſtitutione Euchariſtiæ*, 338

CONCLUSIO I *Feſti Judæorum dies a ſolis occaſu inchoabant, in occaſu diei ſequentis deſituri*, 341

CONCLUSIO II. *Profeſti Judæorum dies non a veſpera, ſed a media nocte incipiebant, ut apud nos hodie*, ibid.

CONCLUSIO III. *Paſcha Judaicum ſecundum legem exeunte luna* 14. *menſis Niſan celebrari debuit: proinque reiiciendum Aloiſii Legionenſis ſyſtema*, 343

CONCLUSIO IV. *Feſtorum translatio, ne biduo continenti celebrarentur feſta duo, nullius in præſenti cauſa momenti eſſe poteſt; ideoque rejicienda Pauli Purgenſis opinio.* 347

CONCLUSIO V. *Opinio quæ duplicem menſi Neomeniam aſcribit, & proin menſis uniuſcujuſque diem geminat, rejicienda eſt, tum Bucherii, tum & Harduini ſenſu*, 349

ARTICULUS VI. *Rejicienda etiam Ferrandi opinio*, 350

CONCLUSIO VII *Paſcha conſtructo jam templo, nonniſi Jeroſolymis immolari poterat: an autem in templo, & Sacerdotum miniſterio immolari deberet incertum eſt, & ad poſtremum Chriſti paſcha prorſus inutile*, 351

CONCLUSIO VIII. *Chriſtus pridie mortis legalem agni paſchalis Cœnam fecit, idque pro certo tenendum*, 353

CAPUT III. *De Materia Euchariſtiæ*, 366

ARTICULUS I. *De Materia ex qua fit corpus Chriſti*, 367

CONCLUSIO I. *Panis, iſque triticeus, neceſſaria eſt Euchariſtiæ materia.* ib.

CONCLUSIO II. *Valet conſecratio, ſeu fiat in azymo pane, ſeu in fermentato: haud tamen utraque ex æquo omnibus licita eſt*, 370

CONCLUSIO III. *Rejicienda videtur opinio S Thomæ.* 372

CONCLUSIO IV. *Frequentior fuit ab Eccleſiæ primordiis in Eccleſia Latina, præcipue vero Romana, azymi panis quam fermentati uſus ad conſecrationem*, 373

CONCLUSIO V. *Nulla firma ratione probari poteſt Orientales Eccleſias ab Apoſtolorum ævo fermentatum conſecraſſe. Veri tamen ſimile videtur uſum hunc apud eas ante finem ſeculi VI. invaluiſſe*, 378

ARTICULUS II. *De materia Calicis*, 379

SECTIO I. *An materia Calicis ſit vinum, &c.* ibid.

CONCLUSIO I. *Vinum neceſſaria eſt calicis materia*, ibid.

CONCLUSIO II. *Vino conſecrando aquam admiſceri neceſſum eſt, non tamen neceſſitate Sacramenti*, 381

SECTIO II. *An & quatenus aqua convertatur in ſanguinem Chriſti.* 398

CONCLUSIO I. *Aqua non convertitur in aquam quæ de Chriſti latere fluxit*, ibid.

CONCLUSIO II. *Aqua non manet aqua in calice, ſed in ſanguinem convertitur.* ibid.

CONCLUSIO III. *Aqua haud mediante ſui in vinum converſione ſed immediate convertitur in ſanguinem*, 399

CAPUT IV *De Forma Euchariſtiæ*, 405

ARTICULUS I. *An & quibus verbis conſecraverit Chriſtus*, 406

CONCLUSIO. *Chriſtus ſolo quidem nutu conſecrare potuit, at non aliter conſecravit de facto, quam per verba Evangelica.* 407

ARTICULUS II. *De Forma Panis conſecrandi*, 410

CONCLUSIO I. *Ad Euchariſtiæ conſecrationem certa verba requiruntur, neque hæc requiruntur concionatoria*, 412

CONCLUSIO II. *Conſecratio ſolis Chriſti verbis peragitur: unde invocatio haud neceſſaria eſt neceſſitate Sacramenti. Eſt contra Græcos, eorumque vindicem Brunium*, 415

CONCLUSIO III. *Sola iſta voces:* Hoc eſt corpus meum, *ſunt conſecrationis panis*, 429

ARTICULUS III *De Forma conſecrandi Calicis*, 430

CONCLUSIO I. *Verba:* Hic eſt ſanguis meus, *vel*, Hic eſt calix ſanguinis mei, *formam calicis adæquate perficiunt.* ibid.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM,

CONCLUSIO II. *Forma qua utuntur Latini, prorſus legitima eſt.* 436

CAPUT V. *De Miniſtro Euchariſtiæ,* ibid.

ARTICULUS I. *De Miniſtro Conſecrationis,* ibid.

CONCLUSIO I. *Soli Epiſcopi & Sacerdotes Euchariſtiæ conſecrandæ facultatem habent,* 437

CONCLUSIO II. *Nullo certo antiquitatis monumento probari poteſt Diaconos ſibi olim jus Euchariſtiam conſecrandi arrogaſſe,* 445

ARTICULUS II. *De Miniſtro Diſpenſationis,* 449

CONCLUSIO I. *Epiſcopus & Presbyter ſoli ſunt jure divino ordinarii Euchariſtiæ diſpenſandæ Miniſtri,* ibid.

CONCLUSIO II. *Diaconi ex inſtitutione ſua, proinque ex jure divino ſunt Euchariſtiæ diſpenſandæ Miniſtri, non tamen ſine commiſſione Epiſcopi vel Sacerdotis: unde ſunt Miniſtri extraordinarii.* 449

CONCLUSIO III. *Nemo Clericus Diacono minor ſynaxim uſquam in Eccleſia diſpenſavit: ſæpe tamen Clericis minoribus, imo & Laicis tradita eſt ad alios deferenda,* 452

CONCLUSIO IV. *Moris olim fuit ut Laici Euchariſtiam reciperent manu, ſibique tum in Eccleſia, tum privatim impertirentur. Verum alia nunc ubique fere inolevit conſuetudo: inde id jam illicitum in quocumque caſu, niſi accedat Eccleſiæ, vel Rom. Pontificis diſpenſatio,* ibid.

CAPUT VI. *De ſubjecto Euchariſtiæ,* 462

ARTICULUS I. *Qui capaces ſint Euchariſtiæ recipiendæ,* 463

CONCLUSIO I. *Dari abſolute poteſt, diuque data fuit infantibus Euchariſtia: ne autem hodieque detur, obſtat præſens & ſagax Eccleſiæ diſciplina,* 464

CONCLUSIO II. *Energumeni, ſeu a dæmone vere poſſeſſi, Euchariſtiæ conſpectu jure antiquo privati erant; variavit tamen ea de re diſciplina; unde iis ſi Clericorum monitis ſedulo parebant, quandoque dabatur Euchariſtia; alicubi nihilominus non niſi urgente mortis periculo,* 465

CONCLUSIO III. *Perpetuo amentium eadem eſt quæ infantium conditio: unde his Euchariſtia abſolute dari poſſet ſecluſa Eccleſiæ prohibitione. Semifatuis vero, ſeu debilem habentibus rationis uſum, porrigi debet, tum in articulo mortis, ſi nihil timeatur incommodi; tum & in Paſchate, ſi certo quodam pietatis, & reverentiæ ſenſu erga hoc Sacramentum afficiantur,* 466

CONCLUSIO IV. *Amentibus qui lucida habent intervalla, horum tempore tribui poteſt Euchariſtia: qui vero a rationis uſu in amentiam vel phreneſim incidere, Euchariſtia in articulo mortis, niſi obſtet privata lex, refici poſſunt, ſi vel laudabilem vitam duxerint, vel gravia pœnitentiæ ſigna dederint, nullumque ſubſit irreverentiæ, ut* vomitus vel exputionis *periculum,* 468

CONCLUSIO V. *Mutis & ſurdis a nativitate conferri poteſt Euchariſtia, non in articulo mortis tantum, ſed & tempore Paſchali, ſi & in his aliqua deprehendatur hujus Sacramenti cognitio & peccata ſua nutibus exprimant,* 468

CONCLUSIO VI. *Peccatori occulto ſi publice petat, negari non debet Euchariſtia ſecus ſi privatim & abſque teſtibus; notorio autem, etiam ſola, modo vera notorietate facti, quocumque modo petat, omnino deneganda eſt,* 469

ARTICULUS II. *De diſpoſitionibus ex parte corporis,* 472

SECTIO I. *De Jejunio.* ibid.

CONCLUSIO I. *Jejunii Euchariſtici neceſſitas non eſt de jure Divino, bene tamen de jure Apoſtolico, quandoque tamen minus accurate obſervato,* ibid.

CONCLUSIO II. *Severa jejunii naturalis ſeu Euchariſtici lex exigit ut a media nocte diei illius, quo quis vel Euchariſtiam conficere vult, vel recipere, nihil omnino ſumpſerit, ſive per modum cibi & potus, ſive per modum medicinæ, aut rei cujuſvis, quæ conſueto more digeri poſſit,* 473

SECTIO II. *De munditia corporis, &c.* 488

CONCLUSIO I. *Lepra, ſanguinis fluxus, menſtrua infirmitas, & alia id genus, quæ ſine patientis culpa eveniunt, per ſe non prohibent ab Euchariſtia,* 488

CONCLUSIO II. *Nocturna illuſio, tum in ſe, tum in cauſa inculpabilis, non obſtat per ſe communioni; obſtare tamen poteſt ex congruitate & decoro,* 489

CONCLUSIO III. *Optandum ſummopere, ut qui ad ſacram Menſam accedere intendunt, aliquot antea diebus ab actu conjugali abſtineant, &c.* 490

ARTICULUS III. *De diſpoſitionibus ex parte animæ,* 492

CONCLUSIO I. *Ut quis ad Euchariſtiam digne accedat, debet innocentiam baptiſmalem vel conſervaſſe, vel ſincera pœnitentia reparaſſe,* ibid.

CON-

CONCLUSIO II. *Antiqui Patres paſſim & ordinarie nemini certorum criminum reo, niſi gravis pœnitentia laboribus perfuncto Euchariſtiam concedebant,* 493
CONCLUSIO III. *Pœnitentia ſumpta pro ſatisfactione ſacramentali, non debet neceſſario ſacræ communioni ab iis præmitti, qui lethale peccatum admiſerint, &c.* 494
CONCLUSIO IV. *Qui peccati lethalis ſibi conſcius eſt, regulariter ante confiteri debet, quam vel Miſſam celebret, vel ad Euchariſtiam accedat.* 498
CONCLUSIO V. *Poteſt homo juſtus aliquando utiliter vel communionem differre, vel ea privari ad tempus, ut venialia quædam delicta ſalubri pœnitentia eluat,* 509
ARTICULUS IV. *De peccato eorum qui male diſpoſiti ad Euchariſtiam accedunt,* 511
CONCLUSIO I. *Immanis peccati reus eſt, qui mortalis culpæ conſcius ad Euchariſtiam accedit,* ibid.
CONCLUSIO II. *Indigna Euchariſtiæ ſuſceptio eſt quidem ſacrilegium grave, non tamen ceteris quibuſcumque peccatis gravius,* 514
CAPUT VII. *De proprietatibus Euchariſtiæ,* 516
ARTICULUS I. *De permanentia & cultu corporis Chriſti in Euchariſtia,* ibid.
CONCLUSIO I. *Sacramentum Euchariſtiæ eſt aliquid extra uſum permanens,* 517
CONCLUSIO II. *Cultus Euchariſtiæ ab Eccleſia Catholica præſtitus nihil non habet pii & laudandi.* 521
ARTICULUS II. *De neceſſitate Euchariſtiæ.* 526
SECTIO I. *An Euchariſtia infantibus neceſſaria ſit,* ibid.
CONCLUSIO. *Nemini, ac proinde nec infantibus Euchariſtia neceſſaria eſt neceſſitate medii, ſeu in re, ſeu etiam in voto proprie dicto.* 528
SECTIO II. *An neceſſaria ſit Euchariſtia neceſſitate præcepti, & qualis,* 539
CONCLUSIO I. *Euchariſtiæ perceptio neceſſaria eſt neceſſitate præcepti divini.* ib.
CONCLUSIO II. *Euchariſtiæ receptio eſt etiam neceſſaria neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici,* 544
SECTIO III. *An quotidiana, vel frequens Euchariſtiæ receptio neceſſaria ſit, & quibus conſulenda,* 545
CONCLUSIO I. *Laudabilior eſt frequens Euchariſtiæ uſus, quam rarior,* 546
CONCLUSIO II. *Non eſt tamen abſolute neceſſaria ad ſalutem communio quotidiana, aut frequentiſſima,* 547
CONCLUSIO III. *Ut quis frequenter & frequentiſſime communicet, non ſufficit ut a peccato mortifero immunis ſit,* 555
CONCLUSIO IV. *Etſi certa pro omnibus lege definiri non poteſt, an communio frequentior eſſe debeat, an rarior, &c.* 563
SECTIO IV. *De Communione ſub una vel duplici ſpecie,* 574
CONCLUSIO I. *Calicis uſus ceteris extra Sacerdotes fidelibus ſubtrahi potuit,* 576
Objectiones primi generis, 588
Objectiones ſecundi generis, 598
CONCLUSIO II. *Uſus calicis gravibus de cauſis ſubtractus eſt,* 610
CONCLUSIO III. *Poteſt abſolute Eccleſia calicis uſum reſtituere Laicis: non decet tamen ut reſtituat,* 612
CONCLUSIO IV. *Non major ex duplici ſpecie capitur fructus, quam ex una: neque, ſi major reipſa caperetur, ideo opus eſſet, aut expediret, ut utraque ſpecies reciperetur ab omnibus,* 613
CAPUT VIII. *De effectibus Euchariſtiæ.* 617
CONCLUSIO I. *Euchariſtia per ſe, & directe non remittit peccatum mortale, nec proinde primam gratiam producit, ſed ſupponit,* 618
CONCLUSIO II. *Non improbabile eſt per Euchariſtiam remitti peccatum mortale, tum ei qui ejus citra gravem culpam ſibi conſcius non eſt; tum & ei qui licet ejus ſibi conſcius ſit, juſta ad communionem neceſſitate urgente: neque interim eam qua ſola peccatum deleri poteſt, contritionem habet,* 622
CONCLUSIO III. *Euchariſtia directe, per ſe & ex opere operato venialia remittit,* 628
CONCLUSIO IV. *Euchariſtia, prout etiam Sacramentum, pœnam peccatis debitam non remittit,* directe ex vi Sacramenti; *remittit tamen ex conſequenti &* ex quadam concomitantia, 633
CONCLUSIO V. *Euchariſtia a futuris peccatis præſervat,* 634
CONLUSIO VI. *Euchariſtia non in anima ſolum operatur, ſed & in corpore.* 635
CONCLUSIO VII. *Euchariſtia non prodeſt aliis ex opere operato,* 636
CONCLUSIO VIII. *Euchariſtia effectum ſuum non parit, ſeu cum ore tantum excepta eſt, ſeu cum tranſit per guttur, ſed in inſtanti completæ manducationis, id eſt, cum ex gutture trajecta eſt ad ſtomachum,* 637

PARS

Digitized by Google

INDEX CAPITUM, &c.

PARS SECUNDA. *De Sacrificio Miſſæ*, 646

CAPUT I. *De Sacrificio in genere*, ibid.

ARTICULUS I. *Quid ſit Sacrificium*, ibid.

ARTICULUS II. *Quotuplex ſit Sacrificium*, 647

ARTICULUS III. *De neceſſitate Sacrificii*, 649

CAPUT II. *An aliquod ſit in nova Lege Sacrificium*, 651

CAPUT III. *In quo ſita ſit Sacrificii Miſſæ eſſentia*, 683

ARTICULUS I. *Expenditur Anglicanum ſiſtema*, ibid.

ARTICULUS II. *Expenduntur variæ Catholicorum opiniones circa conſtitutivum Sacrificii*, 703

SECTIO I. *Quid ſit Sacrificii materia*, ibid.

SECTIO II. *Quid ſit Forma Sacrificii*, 708

SECTIO III. *An ad eſſentiam Sacrificii requiratur utriuſque ſpeciei conſecratio*, 723

CAPUT IV. *Quale ſit Sacrificium Miſſæ*, 727

CAPUT V. *Quomodo effectus ſuos, præſtet Sacrificium Miſſæ*, 736

CAPUT VI. *De valore Sacrificii*. 743

CAPUT VII. *De Miniſtris Sacrificii*, 748

CAPUT VIII. *De Sacrificii ſubjecto*, 751

ARTICULUS I. *An Sacrificium Miſſæ pro vivis omnibus offeratur*, ibid.

ARTICULUS II. *An & pro quibus defunctis offerri poſſit Sacrificium Miſſæ*, 754

CAPUT IX. *De obligationibus Sacerdotis & Populi relative ad Sacrificium*, 763

ARTICULUS I. *De obligationibus Populi*, ibid.

ARTICULUS II. *De Sacerdotum obligationibus*, 767

SECTIO I. *An & quando Sacerdos celebrare teneatur*, ibid.

SECTIO II. *An pluries in die, vel ſemper celebrare liceat*, 775

SECTIO III. *De Miſſis privatis; ubi & de iis quæ ſiccæ dicuntur*, 779

SECTIO IV. *De ſtipendio Miſſarum*, 784

SECTIO V. *De hora Sacrificii*, 793

SECTIO VI. *De loco Sacrificii*, 796

SECTIO VII. *De Altari, Mappis, &c.* 803

SECTIO VIII. *De immediata ad Sacrificium præparatione*, 810

SECTIO X. *De ipſo Sacrificii Ritu*, 825

CAPUT X. *De ſingulis Miſſæ cæremoniis & partibus*, 843

ARTICULUS I. *De ritibus qui Miſſam præcedunt*, 844

ARTICULUS II. *De Miſſæ cæremoniis, quæ in actione conſiſtunt*. 849

ARTICULUS III. *De Ritibus qui in verbis conſiſtunt*, 853

FINIS INDICIS.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. Fr. Paolo Tommaſo Manuelli* Inquiſitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Continuatio Prælectionum Theologicarum Honorati Tournely, de Confirmatione, de Euchariſtia, & Sacrificio Miſſæ*, non v'eſſer coſ'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a Niccolò Pezzana, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 2. Gennaro 1750. M. V.

{ Z. *Alviſe Mocenigo* 2°. *Rifor.*

{ *Zuanne Querini Kav. Rifor.*

Regiſtrato in Libro a Carte 38. al Num. 406.

Michiel Angelo Marino Segret.

adì 14. Gen. 1750. M. V. Regiſt. nel Mag. Eccel degli Eſecutori contro la Beſtemia.

Alviſe Legrenzi Segret. contro la Beſtemia.

TRA.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

BRevem & operoſum de Confirmatione Tractatum abſolvemus Capitibus novem : primum erit de nomine & eſſentia Confirmationis ; ſecundum de ipſius inſtitutione ; tertium de materia ; quartum de forma ; quintum de Miniſtro ; ſextum de ſubjecto ; ſeptimum de effectibus ; octavum de proprietatibus ; nonum de cæremoniis.

CAPUT PRIMUM.

De nomine & eſſentia Confirmationis.

COnfirmatio ſic dicta, quia Chriſti milites *adverſus omnes carnis, & mundi, & diaboli impetus* confirmat atque corroborat, multis apud Scriptores Eccleſiaſticos nominibus deſignatur; præcipue autem Impoſitionis manuum, Conſignationis, Unctionis, Chriſmatis ſancti, Perfectionis, &c. quæ ſingula quid exprimant ex dicendis innoteſcet. *Catech. Trid. 2. p. n. 17.*

Confirmatio definitur a Catholicis, Sacramentum a Chriſto inſtitutum, quo baptizatis datur Spiritus S. ad fidem Chriſti conſtanter & intrepide profitendam.

Sed hic jam a limine objicit ſe difficultas multiplex, 1. nempe an Confirmatio ſit veri nominis Sacramentum ; 2. an eadem ſit a Chriſto inſtituta. Primum expendemus præſenti Capite, alterum ſequenti.

Confirmationem non ex Sacramentorum duntaxat, ſed & ex piorum rituum albo expunxerunt Calviniſtæ & Lutherani. Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 19. & in Antidoto ad Can. 1. Seſſ. 7. Concilii Trid. oleum confirmationis appellat *oleum pollutum diaboli mendacio ; abortivam Sacramenti larvam, & ritum inter exitiales ſatanæ præſtigias recenſendum ;* etſi Confirmationem, *prout olim erat in uſu*, a ſe rejici negat. VVollebius Lib. 1. Compendii Theologiæ Chriſtianæ cap. 22. Confirmationem vult *Pag. 114.*

Digitized by Google

verius dici *Papæ excrementum*, *quam Sacramentum*. Idem eſt Lutheranorum ſenſus: *Mirum*, ait Lutherus Lib. de Captiv. Babylon. *quid illis in mentem venerit*, *quod Sacramentum Confirmationis fecerunt ex manuum impoſitione*.

Mitius hoc in puncto, etſi non catholice, ſentiunt Anglicani: ſic enim loquitur Hammondus Theologiæ Profeſſor Oxonienſis in Commentario de Confirmatione, Oxoniæ edito an. *1661*. *De Confirmationis* Præfat. §. 7. *venerando in Eccleſia ritu .... ſemel dixerim*, *poſt fidem ipſam*, *geminaque* Baptiſmi & S. Cœnæ *Sacramenta*, *nihil eſſe quod ad perenne ejuſdem Chriſti obſequium*, *ad ſinceram Evangelicæ legis obedientiam fortius obliget*; *nihil a cujus diligenti & prudenti adminiſtratione*, *auctiores Reipublicæ Chriſtianæ fruges ſperari poſſint*. Quod ſubinde in toto Operis decurſu demonſtrat adverſus Samuelem Mareſium, & Joannem Dallæum, utrumque inſigniter Calviniſtam. Hammondo concinit Guilielmus VVake, Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſic ille in Catechiſmo gallice reddito an. 1719. Pag. 371. part. 6. ſect. 52. q. 4. *Quelles ſont les principales raiſons*, *qui déterminèrent l'Egliſe Anglicane à retenir la Confirmation?* R. *On pourroit en alleguer pluſieurs*, *en voici quatre qui nous paroiſſent les plus importantes*: 1. *c'eſt une cérémonie apoſtolique*; 2. *elle eſt tres-raiſonnable en elle même*; 3. *elle peut être fort utile aux perſonnes confirmées*; 4. *elle peut être d'une grande édification pour l'Egliſe en général*. In hoc tamen a Catholicis diſcrepant Anglicani, quod Confirmationem negent eſſe Sacramentum ſtricte ſumptum; utpote quam *a Chriſto ipſo exerte inſtitutam* negant: de quo adi Hammondum cap. 2. ſect. 2. n. 4. pag. mihi 33.

Sunt qui Novatianos, Valdenſes, Lolardos ſeu VViclefitas, Calvinianorum errori præluſiſſe velint. Ita præſertim Calviniſta Dallæus, quo nemo acrius Catholicum de Confirmatione dogma ſubruere molitus eſt. Poſſent ii quidem omnes Calviniſtis, id eſt, novatores novatoribus dimitti, citra fidei præjudicium. Sed ut eo, quantulumcumque eſt, ſolamine priventur Pſeudoreformati, ſit

Conclusio I. Novatiani, Valdenſes, VViclefitæ & Huſſitæ, Confirmationem e Sacramentorum numero non expunxerunt.

Prob. 1. pars; quia Philaſtrius, Epiphanius, Auguſtinus & Damaſcenus in Libris quos *de hæreſibus* ſcripſere, referunt prolixe Novatianorum dogmata, quæ etiam S. Pacianus Barcinonenſis refellit acerrime: atqui ne unus quidem horumce Patrum ſubindicat Confirmationem e Sacramentorum albo expunctam fuiſſe a Novatianis.

Neque eſt quod objiciatur id Theodoreti Lib. 3. hæret. fab. cap. de Novato, ſeu potius de Novatiano: *Novatiani Pœnitentiam a ſuo conventu arcent penitus*, & *iis*, *qui ab ipſis tinguntur*, *ſacrum chriſma non præbent*: *quocirca eos etiam qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur*, *benedicti Patres ungi juſſerunt*, nimirum in Concilio Laodic. Can. 7. & Conſtantinopolit. I. Can. 7.

Nam 1. aliud eſt non dare ſanctum chriſma, aliud ejus exiſtentiam inficiari. Certe Novatianus cum e morbo convaluiſſet, chriſmatis receptionem omiſit; *neque* enim *ab Epiſcopo conſignatus eſt*, ut conſtat ex Ep. Cornelii Papæ ad Fabium Antioch. atqui tamen fatetur Theodoretus ipſe Novatianum bene ſenſiſſe de Confirmatione; tantumque diſcipulos ejus erroris accuſat; ergo fieri potuit ut Novatiani ad exemplum Magiſtri

ſui

ſui omitterent Confirmationem, nec tamen eam negarent eſse Sacramentum. Et vero non defuere poſtremo ævo Caſuiſtæ, qui licet Confirmationem pro ritu ſacro haberent, negabant tamen fideles ad ejus receptionem jure divino teneri.

2. haud credi poteſt intima Novatianorum dogmata magis Theodoreto, quam Epiphanio, aliiſque ſupra citatis cognita fuiſſe; ergo cum ſeduli illi errorum exploratores nihil in Novatianis redarguerint circa Confirmationis ſubſtantiam, pluſquam veriſimile eſt, iſtos hoc in puncto non deliquiſse. Quanquam dici poteſt fuiſse fortaſſis aliquos, qui a Catholicis vexati eo quod Sacramenti hujus ſuſceptionem parvi facerent, eo tandem progreſſi ſint tempore Theodoreti, ut impugnarent divinam ejus inſtitutionem.

Prob. 2. pars de Valdenſibus. Horum enim fides certius quam ex ipſorum fidei profeſſione haberi nequit: atqui in illa fidei profeſſione, quam ad Vladislaum Hungariæ Regem miſerunt, ſic loquuntur: *Sacramenta ſeptenario incluſa numero, Eccleſiæ Chriſti utilia eſſe pandimus*. Tum poſt apertam Baptiſmi profeſſionem, *primi*, ut ajunt, *Sacramenti*, ſic de Confirmatione proſequuutur: *Fide ex divinis Scripturis ſumpta, profitemur temporibus Apoſtolorum iſtud obſervatum fuiſſe*, &c.

Confirm. quia Petrus de Valle-Cernail, Monachus Ciſtercienſis, & Alanus Coætanæus Scriptor, narrant quidem Albigenſes ſenſiſse *nullam eſſe virtutem Sacramenti Confirmationis*, quia, inquiebant, *non legitur in Libris novi Teſtamenti eſſe inſtituta vel a Chriſto, vel a Diſcipulis ejus*: at ubi Valdenſium dogmata referunt, nihil iis imputant ſimile. Quin & errorem hunc a ſe ablegant Valdenſes in Oratione excuſatoria, quam ad prædictum Regem tranſmiſere; ubi totidem verbis negant ſe conſcios ullatenus eſse criminationum, quibus etiam circa Eccleſiæ Sacramenta culpantur.

Objiciuntur plura: 1. Reynerus, qui ex hæretico primum acerrimus, in Ordine S. Dominici, hæreticorum malleus evaſit; is autem in ſuo contra Valdenſes Libro, ſic habet cap. 5. *Item Sacramentum Confirmationis reprobant: mirantur etiam quare ſolis Epiſcopis liceat confirmare*; 2. Philchdorphius juxta quem Valdenſes explodunt *conſecrationes Epiſcoporum* ∴ *chriſmatis & olei unctionis* ∴ *dicentes illas res taliter conſecratas, nihil omnino ſingularis ſanctitatis ex illis verbis percipere, licet verba in ſe ſancta ſint & bona*; 3. Æneas Silvius apud quem cap. 35. Hiſtor. Bohem. inter alios errores & hunc Valdenſes habent, quod velint *Confirmationem, quam chriſmate Pontifices inducunt, & Extremam Unctionem inter Eccleſiæ Sacramenta minime contineri*; 4. inter articulos, quorum diſtincta profeſſio exigebatur a Valdenſibus ad Eccleſiam reverſis, unus iſte erat, *Confirmationem ab Epiſcopo factam, id eſt, impoſitionem manuum ſanctam & venerande accipiendam eſſe cenſemus*; ut patet ex Innocentio III. Lib. 2. Regeſti cap. 13. Epiſt. 78. atqui nulla eſse potuit hujus Confeſſionis exigendæ ratio, niſi quod perſuaſum erat Valdenſes idem circa Confirmationem ſentire cum Albigenſibus; ergo.

Tom 25. Bibliot PP. p. 255

Baluz. T. 2. pag. 459.

R. ad 1. in priori Reyneri editione, quæ ad vetuſtum codicem facta eſt, non legi verba hæc: *Sacramentum Confirmationis reprobant*, ſed ſolum ſequentia, *Mirantur etiam*, &c. quæ male cohærent cum præcedentibus

 protit

Digitized by Google

prout objecta ſunt. Ut quid enim Valdenſes ægre tuliſſent Confirmationem a ſolis Epiſcopis dari, ſi eam nec a Presbyteris, utpote pernicioſam Paparum adinventionem, dari poſſe credidiſsent. Unde admiſſa lectione quæ objecta eſt,

R. 2. diſt. ant. ex Reynero, Valdenſes Confirmationem reprobant, quantum ad aliquid, C. quantum ad ſubſtantiam, N. Itaque duo reprobabant Valdenſes in Confirmatione, 1. quod a ſolis Epiſcopis daretur; 2. quod daretur cum chriſmate, cujus benedictionem ad nihil inſervire opinabantur; unde in Confeſſione fidei præcitata, meminerunt quidem orationis & impoſitionis manuum, ſed de chriſmate altum ſilent. At non ideo ipſam Sacramenti ſubſtantiam carpebant; neque id magis ex objectis Reyneri verbis colligi poteſt, quam ex his ejuſdem verbis: *Valdenſes omnia Sacramenta Eccleſiæ damnant*, colligi poſſit eos nec Baptiſmum nec S. Cœnam admiſiſſe: quemadmodum igitur ex his poſterioribus verbis infert ſolum Dallæus, nullum fuiſse Sacramentum cujus adminiſtratio, prout a Catholicis fiebat, non improbaretur a Valdenſibus, ſic & idem inferre debet, cum agitur de Confirmatione.

R. ad 2. inde ſolum ſequi, quod fatemur, benedictionem chriſmatis diſplicuiſse Valdenſibus, non autem ab iis rejectam fuiſſe rem ipſam Confirmationis. Et vero ibidem dicuntur Valdenſes rejeciſse conſecrationem *aquæ baptiſmalis*: quis porro inde deducat rejectum ab iis fuiſse Baptiſma?

R. ad 3. non dicit Æneas Silvius rejectam fuiſse a Valdenſibus Confirmationem ſimpliciter, ſed Confirmationem, *quam chriſmate Pontificii inducunt*: quod eſt re ſervata modum improbare: ut ferme faciunt Græcanici illi, qui Euchariſtiam in ſolo fermentato pane confici poſse exiſtimant; & quos negatæ Euchariſtiæ nemo redarguerit.

R. ad 4. neg. min. ab iis enim qui Confirmationem ab Epiſcopis ſolis conferri vix ferre poterant, merito poſtulatum eſt ut Confirmationem *ab Epiſcopo factam, venerande accipiendam eſſe* declararent. Sic enim corrigebatur gravis circa Miniſtrum error, etſi nihil circa rei ſubſtantiam, ſaltem directe, corrigendum eſſet.

Prob. 3. pars de VViclefitis, 1. quia inter articulos VViclefi a Concilio Conſtantienſi damnatos, unus eſt tantum, nempe 28. in quo de Confirmatione agatur; iſque ſic habet: *Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum conſecratio reſervantur Papæ & Epiſcopis, propter cupiditatem lucri temporalis & honoris*: atqui articulus iſte improbat quidem Miniſtrum Confirmationis, non autem ipſam Sacramenti veritatem, niſi indirecte; 2. quia VVillelmus VVidefortus, ſeu VVildefortius, qui VViclefi doctrinam nervoſe exagitavit, id unum arguit in VViclefo, quod vellet *collationem Sacramenti Confirmationis non eſſe Epiſcopis reſervatam* ∴ *unde*, inquit, *& ponit* VViclefus, *Epiſcopum & Presbyterum idem eſſe & non differre ſecundum poteſtatem ſacramentalem*; 3. quia damnata Conſtantiæ VViclefi doctrina, in Trialogo ejus tota continebatur: atqui nihil in eo Libro legere eſt, quod veritatem Sacramenti Confirmationis impugnet; 4. quia ex Ænea Silvio ubi ſupra, idem erat circa Confirmationem VViclefi ſenſus, qui VValdenſium: ii porro, ex dictis, Confirmationem habebant pro Sacramento; ergo errarunt Thomas Valdenſis

& qui,

Digitized by Google

& qui, ut Eſtius, auctoritate ejus decepti ſunt, cum Confirmationis veritatem a VViclefitis impugnatam eſſe ſcripſerunt.

Prob. 4. pars de Huſſitis, ſeu Thaboritis: Scilicet enim teſte Ænea Silvio, docebat Joannes Hus, *in Libris VViclefi omnem veritatem contineri*; unde inter ejuſdem Huſſii articulos a Concilio Conſtantienſi reprobatos Seſs. 15. is erat num. 25. *Condemnatio 45. articulorum Joannis VViclefi per Doctores facta, eſt irrationabilis, & iniqua, & male facta*: atqui, ut mox probatum eſt, VViclefus circa ſubſtantiam Confirmationis non errabat; ergo nec errabant Huſſitæ, qui nihil niſi verum in ejus Libris deprehendebant.

At, inquies, ſcribit idem Æneas Silvius Epiſt. ad Cardinalem Carvajal, Thaboritas *de Confirmatione, & Extrema-Unctione nihil ſentire*; ergo.

R. id ab Æn. Silvio ſcriptum, ut ſignificaret Thaboritas contempſiſſe Confirmationem, non in ſe, ſed prout ex chriſmate conſecrato, atque ab Epiſcopis, tanquam qui ſoli eam conferre poſſent, in Eccleſia Romana adminiſtrabatur. De his paulo plura videris apud Sambovium, & VVitaſſii Continuatorem, utrumque in Tract. de Confirmatione.

CONCLUSIO II. Confirmatio verum eſt novæ legis Sacramentum.

Prob. 1. Illud habendum eſt pro Sacramento, quod ne procaciores quidem hæretici ante Calvinum & Lutherum ex albo Sacramentorum tollere auſi ſunt: atqui hæretici vel procaciores, demptis Albigenſibus *, hominum ſceleſtiſſimis, & vere Manichæis, Confirmationem ex albo Sacramentorum tollere auſi non ſunt ante Calvinum & Lutherum, ut patet ex præcedenti Concluſione; ergo.

Prob. 2. ex Scripturis, quæ, quidquid contra ſentiant Alenſis, Bonaventura, & alii quidam, validum præbent argumentum. Itaque Act. 8. v. 14. & 15. ſic legitur: *Cum audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei*, ſcilicet a Philippo Diacono, qui jam Samaritanos baptizaverat, *miſerunt ad eos Petrum & Joannem: qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*. & cap. 19. v. 6. *Cum Paulus impoſuiſſet manus* duodecim diſcipulis recens baptizatis, *venit Spiritus S. ſuper eos, & loquebantur linguis & prophetabant*. Unde ſic: Ut ex citato textu indubie colligatur, Confirmationem verum eſſe novæ legis Sacramentum, duo ſufficiunt, 1. ut ritus de quo hic mentio eſt, verum ſit Sacramentum; 2. ut ritus ille ſit ipſamet Confirmatio: atqui, &c.

Prob. 1. pars. Ad Sacramentum juxta Adverſarios, præcipue vero Calvinum Lib. 4. Inſtitut. cap. 19. §. 5. & Kemnitium 2. part. Examinis pag. 276. ſufficit ſignum ſenſibile, a Chriſto inſtitutum permanenter, & gratiæ productivum: atqui ritus de quo Act. 8. habet hæc tria.

1. quidem eſt ſignum ſenſibile; cum conſiſtat in rebus & verbis: *Orabant*, en verba: *Imponebant manus*, en res ſeu materia, qua ſignificatur divina protectio, juxta id Iſaiæ 49. *In umbra manus ſuæ protexit me*.

2. eſt ſignum a Chriſto inſtitutum. Siquidem ritus gratiæ certo

* Vid. Boſſuet, Lib. 11. Hiſtor. Variationum.

Digitized by Google

& infallibiliter productivus a mera hominis inſtitutione non pendet : atqui ritus de quo agitur Act. 8. eſt certo & infallibiliter productivus gratiæ . Si licet enim bona fide & coram Deo ponderentur verba hæc : *Imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*, quis manuum impoſitionem non animadvertat illico cauſam eſſe gratiæ ſubſequentis ? quis a ſimili ſubſequentem gratiam non perſpiciat effectum eſſe impoſitionis manuum ? Certe ut ex his verbis , quæ ſenſum verſus 38. capitis 1. Act. exhibent : Baptizabant eos, & accipiebant *donum Spiritus ſancti*, merito infertur Baptiſmum certo gratiam peperiſſe, ſic & in propoſito.

Confirm. 1. Vel impoſitio manuum de qua ſermo eſt Act. 8. fuit ritus a Chriſto inſtitutus, vel ritus fuit libere inſtitutus ab Apoſtolis, quaſi quædam appendix Baptiſmi, prout Adverſariis placet: atqui poſtremum hoc dici non poteſt . Utique enim illius eſt adhibere cœremonias Sacramenti alicujus appendices , cujus eſt conferre Sacramentum : atqui tamen Philippus Diaconus, qui Samaritanis contulerat Baptiſmi Sacramentum , nequaquam habebat jus eiſdem manus imponendi ; cum ad hanc manuum impoſitionem mitti oportuerit Apoſtolos Petrum & Joannem ; ergo manuum impoſitio de qua Act. 8. perperam dicitur cœremonia quædam Baptiſmi appendix.

Confirm. 2. Sacramentorum cœremoniæ nec ſunt, nec fingi poſſunt Sacramentis ipſis efficaciores : atqui manuum impoſitio de qua Act. 8. exhibetur tanquam aliquid efficacius ipſo Baptiſmo. Exhibetur enim ut conferens certam Spiritus ſancti plenitudinem , quæ per ipſum Baptiſmum collata non fuerat ; ergo .

3. idem ſignum a Chriſto inſtitutum eſt permanenter. Ille enim ritus non obiter , & pro ſolis Apoſtolorum temporibus, ſed in perpetuum inſtitutus eſt , quem Patres priorum Eccleſiæ ſæculorum conſtanter obſervavere ; quæ enim libere & ad tempus inſtituta ſunt , nec ubique , nec ſemper eadem fide obſervantur , ut patet de lotione pedum , &c. atqui ritum manus imponendi baptizatis conſtanter obſervavere Patres priorum Eccleſiæ ſeculorum . Minorem probabunt ſelecta quædam ex iiſdem Patribus loca .

Tertullianus Lib. de reſurrect. carnis cap. 8. *Caro abluitur , ut anima emaculetur . Caro ungitur , ut anima conſecretur . Caro ſignatur , ut & anima muniatur . Caro manus impoſitione adumbratur , ut & anima ſpiritu illuminetur . Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.* Hic Confirmationi , quæ juxta morem temporis illius ſimul cum Euchariſtia conferebatur recens baptizatis, eadem ſanctificandi vis tribuitur quæ Baptiſmo ipſi & Euchariſtiæ : atqui nequaquam fieri id poſſet , niſi Confirmatio in perpetuum inſtituta fuiſſet, ſicut & ipſe Baptiſmus atque Euchariſtia . Unde enim reſcirent primævi illi Patres uncta , ſignata , & adumbrata carne conſecrari ac muniri animam, ſi ritus illi haud permanenter , ſed tranſitorie & pro ſolis Eccleſiæ incunabulis inſtituti fuiſſent ? Profecto quod non niſi ad tempus inſtitutum eſt, non niſi ad tempus effectum ſuum ſortiri debet : imo periculoſe ac ſuperſtitioſe poſt tempus illud uſurpatur , quia contra Domini voluntatem uſurpatur , prout hodie inſultando exprobrant Calviniani .

S. Cyprianus Carthaginenſis Antiſtes Epiſt. 7. ad Januarium : *Ungi quoque*

Digitized by Google

quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei & habere in ſe gratiam Dei poſſit. & Epiſt. 73. ad Jubajanum, poſtquam dixit Petrum Samaritanis a Philippo baptizatis Spiritum ſanctum per impoſitionem manus & unctionem contuliſſe, ſubjungit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram* Epiſcoporum *orationem ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur*. Dic, amabo, an cæremonia pro ſolis Apoſtolorum temporibus inſtituta Spiritum ſanctum contuliſſet tempore Cypriani, qui anno 258. id eſt poſt ſæculi tertii medium Martyr occubuit? Dic an Cyprianus, ceterique Antiſtites per orationem manuum impoſitioni conjunctam intenderent conferre gratias gratis datas, puta prophetiæ & linguarum, quæ tot antea annis deſierant? Dic demum, an *neceſſe* ſit ritum plane liberum, quin & jam pollutum diaboli mendacio, ut ſupra blaſphemabat Calvinus, circa baptizatos exerceri: atqui tamen ex S. Cypriano *ungi neceſſe eſt eum* omnem *qui baptizatus ſit*, &c. ergo.

Hinc obiter colliges falſum eſſe quod ſcribit Dallæus, nempe Patres & præcipue Cyprianum Epiſt. 54. & 56. eoſdem Baptiſmo & Euchariſtiæ tribuere effectus, quos tribuimus nos Confirmationi, nimirum animæ munimen, robur & perfectionem. Siquidem Patres gratiam baptiſmalem exhibent ut gratiam regenerationis, filiationis & innovationis, quæ Chriſtiani primitiis convenit; gratiam Euchariſtiæ, ut ſolidum perſonæ jam provectæ cibum; gratiam vero Confirmationis, ut gratiam roboris, ſpecialiſque contra omnes mundi & dæmonum impetus virtutis atque efficaciæ.

S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos ſic ſectæ hujus quempiam loquentem inducit: *An neſcis Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis poſtea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus ſanctus? Exigis ubi ſcriptum ſit: in Actibus Apoſtolorum*. Atque *etiamſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius Orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret*. Ad hæc quid S. Doctor? Rem totam ultro concedit: *Non quidem*, inquit, *abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus ſancti manus impoſiturus excurrat*, &c. Vides ut in Orbe toto *longe* excurrant Epiſcopi ad imponendas manus iis qui recens baptizati ſunt: atqui præter Calvinum nemo credet ſic in Orbe toto deliraſſe Epiſcopos, ut longe excurrerent pro ritu nullius momenti, quin & exitiales inter ſatanæ præſtigias recenſendo; ergo ſtat manuum impoſitionem jam a prioribus Eccleſiæ ſæculis habitam fuiſſe pro ritu gravi & ubique præcepto. Alios Patres appellabimus in decurſu. Itaque

Prob. 2. pars, nimirum quod is manus imponendæ ritus ſit ipſa Confirmatio. Vel enim ritus ille erat Confirmatio, vel Baptiſmus, vel Euchariſtia, &c. atqui 1. non erat Baptiſmus, tum quia jam ante baptizatis applicabatur, tum quia Philippus Baptiſmum miniſtrabat, nec tamen eum de quo agimus ritum adminiſtrare poterat, ut patet ex ſacro Textu, & ex adductis Patrum teſtimoniis; 2. neque etiam erat Euchariſtia, quæ manuum impoſitione non ſuſcipitur. Non Ordinatio, neque enim

quibuſcumque manus imponebantur, ii conſecrabantur in Sacerdotes; alioqui Samaria tota conſtitiſſet Sacerdotibus, & ad Sacerdotium admiſſæ fuiſſent etiam feminæ, quæ & ipſæ manuum impoſitionis participes erant. Adde quod præter Baptiſmum & Euchariſtiam nullum agnoſcant Sacramentum Novatores; ergo.

Prob. 3. ex Conciliis. Eliberitanum quod ad an. 305. referri ſolet * ſic habet Can. 38. *Si quis in neceſſitate infirmitatis baptizatus ſupervixerit, ad Epiſcopum perducatur, ut per manus impoſitionem perfici poſſit.* & Can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem, ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizavit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Unde ſic: Perficere hominem jam ope Baptiſmi juſtificatum, eſt eumdem perfectum efficere Chriſtianum per gratiam, quæ novas vires plenumque robur ſuppeditet: atqui hoc præſtat impoſitio manus, nec præſtare poteſt ſi ſit inanis ritus, non autem Sacramentum; ergo.

Concilium Laodicenum quarto ſæculo habitum ** hæc habet Can. 48. juxta verſionem Gentiani Herveti: *Oportet eos qui illuminantur*, ſeu, ut vertit Dionyſius Exiguus, *qui baptizantur, poſt Baptiſmum inungi ſupercæleſti chriſmate, & eſſe regni Chriſti participes.* En duæ ſacri chriſmatis proprietates, prima quod neceſſarium ſit & præceptum, *Oportet;* ſecunda quod baptizatos *cæleſtis regni participes* efficiat: neutrum porro de futili & pernicioſo ritu dici poteſt; neutrum de ritu cui certo annexa non ſit gratia; neutrum de ritu qui non ſit veri nominis Sacramentum; ergo.

Hiſpalenſe II. an. 619. recenſens cap. 7. ea quæ *Presbyteris probibentur in Eccleſiaſticis Sacramentis*, ait *Nec* licere ipſis *per impoſitionem manus fidelibus baptizatis, vel converſis ex hæreſi Paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontes ſignare ∴ quia Pontificatus apicem non habent.* Hic tria habes, 1. manus impoſitionem Eccleſiaſticis Sacramentis annumerari; 2. eam tantæ eſſe virtutis ut iis etiam qui convertuntur ab hæreſi Paracletum Spiritum tradat; 3. & eam tantæ eſſe dignitatis ut a Sacerdotibus, tametſi Baptiſmi Miniſtris, effici non poſſit: atqui hæc totidem ſunt veri Sacramenti characteres; merito igitur Tridentina Synodus Seſs. 7. Can. 1. ſic ſanxit: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otioſam eſſe cæremoniam, & non potius verum & proprium Sacramentum; aut olim nibil aliud fuiſſe quam Catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, anathema ſit.*

Vid. Continuat. VVitaſ. p. 57. Prob. 4. ex Patribus. Agmen ducet Tertullianus: ſic ille Lib. de Bapt. cap. 7. *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione ∴ in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit, quomodo & ipſius Baptiſmi carnalis actus, quod in aqua mergimur; ſpiritalis effectus, quod delictis liberamur. Debinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum ſanctum.*

* Joannes Morinus Lib. 9. de Pœnit. exiſtimat Synodum Illiberitanam ante habitam eſſe quam oriretur perſecutio Daciana, quæ cœpit an. 250. Ferdinandus Mendoza Lib. Comment. in Concilium Illiberitanum multis nititur evincere coactum fuiſſe illud ante perſecutionem Diocletiani, nec potuiſſe illud cogi poſt an. 300. Baronius idem conſignat an. 305. epocham hanc ſequimur, non quia certam prorſus, ſed quia communiorem.

** Laodicenam Synodum adſcribit Baronius an. 320. ſub Silveſtro. Alii an. 357. vel 367. ſub Liberio &c.

ſtum. & Lib. de reſurrect. c. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur*, &c. ubi ſupra. Ubi ſtrictim quidem, ſed appoſite, triplex exprimitur Sacramentum, Baptiſmi quo abluimur, Euchariſtiæ qua reficimur, & Confirmationis, cui Tertullianus eos effectus tribuit, quos Confirmationis proprios eſſe ſemper agnoverunt Catholici, nimirum conſecrationem animæ, munimen ejus & illuminationem.

Confirm. Illa unctio verum eſt Sacramentum, quæ ſignum eſt practicum gratiæ ſanctificantis: atqui talis eſt unctio de qua ſermonem habet Tertullianus in utroque textu proxime laudato; cum per eam æque dicatur anima proficere, muniri ac illuminari, ac dicitur per ablutionem emaculari, & ſaginari per Euchariſtiam. Et vero quis niſi ſincere Catholicus eos liberæ cęremoniæ effectus adſcribere auſit, quos huic unctioni tribuit Tertullianus. Certe ſi unctionem ſpectavit ut meram Baptiſmi appendicem, quia ipſam Baptiſmo ſubjunxit, pari jure Euchariſtiam prout puram Baptiſmi appendicem habuiſſe dicendus erit, quia ipſam eidem Baptiſmo ſubjunxit.

At, inquies, Tertullianus Lib. de Bapt. cap.10. unctionem hanc inter Baptiſmi cæremonias numerat, facta enim & Baptiſmi & unctionis deſcriptione, ſic tamdem totum complectitur: *Diximus, quantum mediocritati noſtræ licuit, de univerſis quæ Baptiſmi religionem ſtruunt.*

R. ut ſæpius, eam fuiſſe Tertullianei temporis praxim, ut baptizatis ſtatim conferretur unctio. Hæc proin non inepte ad Baptiſmi religionem ſeu celebrationem referebatur, quia in eadem celebritate conferri ſolebat. At non ideo pertinebat ad ſubſtantiam Baptiſmi, neque ad eam pertinere dicta eſt a Tertulliano. Imo unctionem quidpiam fuiſſe a Baptiſmo ſubſtantialiter diverſum indicant citata Tertulliani verba. Utrumque enim, Baptiſmum dico & Confirmationem, ſecum invicem comparat, non ut Sacramentum cum cæremonia, ſed ut Sacramentum cum Sacramento, ſeu ſi mavis, ut ſignum cui ſuus reſpondet effectus, cum ſigno cui effectus alter correſpondet. *Baptiſmi*, inquit, *carnalis actus eſt, quod in aqua mergimur: Carnalis currit unctio*. En duplex ſignum, ſeu duplex materia. *Spiritalis Baptiſmi effectus eſt, quod a peccato liberamur: unctio ſpiritualiter proficit, advocans Spiritum ſanctum*, &c. En alter & alter Baptiſmi & unctionis effectus. Unde ſic: Si Confirmatio pertineret ad Baptiſmum ut ſimplex ejus cæremonia, non haberet diſtinctum effectum gratiæ. Baptiſmus enim cum omnibus ſuis cæremoniis unicum ſpiritalem effectum parit, nec diſparem quis a Sacramento & Sacramenti cæremonia effectum expectabit: atqui ex Tertulliano unctio ſuum habet effectum a Baptiſmi effectu diſtinctum; ergo.

Auctor anonymus, qui adverſus Cyprianum ſcripſit, quemque & Africanum, & Epiſcopum, & vel ſupparem Cypriano, vel a Cypriani ætate parum diſtantem conjicere eſt, ſic loquitur apud Cyprianum in editione Rigaltii ann. 1649. *Per manus impoſitionem Epiſcopi datur unicuique credenti Spiritus ſanctus, ſicut Apoſtoli circa Samaritanos poſt Philippi Baptiſma manum eis imponendo fecerunt.* Docet ſubinde Baptiſmum & impoſitionem manus non ſic connexa ſecum & adunata eſſe, ut ſeparari a ſe invicem non poſſint, quod & probat tum exemplo eorum *qui poſt Baptiſma ſine impoſitione manus Epiſcopi de ſæculo exeunt, &*

tamen

tamen pro perfectis ſeu veris *fidelibus habentur;* tum exemplo Æthiopis Eunuchi, cui poſtquam a Philippo baptizatus fuit, *non eſt* tamen *impoſita manus ab Epiſcopo ut Spiritum ſanctum reciperet*. Subdit demum pluribus interjectis, *Baptiſmum aquæ, quo quis baptizatus eſt in nomine Domini noſtri J. C. minus eſſe; Baptiſma vero Spiritus, quo quis in Spiritu ſancto per manus impoſitionem Epiſcopi baptizatus eſt, majus eſſe*. Hic tota ſe prodit Eccleſiæ Catholicæ fides. Juxta nos ſcilicet Confirmatio eſt 1. ſignum quo confertur Spiritus ſanctus; 2. eſt ſignum a ſigno Baptiſmatis diſtinctum & ſeparabile; 3. eſt ſignum eo ſenſu majus & præſtantius ſigno baptiſmali, quod plenior in hoc quam in iſto gratia conferatur: atqui hæc omnia docet Auctor, qui malum Cypriani de rebaptizandis Hæreticis ſyſtema impugnavit; ergo.

S. Cyrillus Jeroſolymitanorum Epiſcopus ſcripſit indubie Catecheſes quæ nomine ipſius circumferuntur; cum & eas laudet S. Hieronymus in Catalogo de Scriptoribus Eccleſiaſt. & nihil objecerit Kemnitius, unde earum genuina ſinceritas in dubium vocari poſſit. Harum porro Catecheſeon prima & ſecunda differunt de Baptiſmo, tertia tota eſt de Confirmatione, quarta & quinta de Euchariſtia, quæ tria ſimul neophytis juxta temporis hujus morem conferebantur, ſic porro loquitur Catecheſi tertia: *Chriſti* ſeu uncti *facti eſtis, poſtquam ſancti Spiritus imaginem*, chriſma ſcilicet, *recepiſtis* ..... *Vobis, poſtquam ex aquis ſacri lavacri aſcendiſtis datum eſt chriſma, quod imaginem gerit illius, quo unctus eſt Chriſtus; hoc autem eſt Spiritus ſanctus* .... *Chriſtus ſpiritali oleo exultationis unctus eſt* .... *vos vero uncti eſtis unguento, facti participes & conſortes Chriſti*, & rurſus: *Quemadmodum panis Euchariſtiæ poſt ſancti Spiritus invocationem non amplius eſt panis communis, ſed eſt corpus Chriſti; ſic & ſanctum hoc unguentum non amplius eſt unguentum nudum, poſtquam jam conſecratum eſt, ſed eſt chriſma Chriſti, quod adventu Spiritus ſancti per ipſius divinitatem energiam habet; quo frons & alii ſenſus hic ſymbolice inunguntur; & corpus quidem iſto viſibili unguento perungitur, anima vero ſancto ac vivifico Spiritu ſanctificatur*. Unde ſic: Quod inter Sacramenta recenſetur, & Sacramentorum effectus miraculoſe parit, id indubie habendum eſt pro Sacramento: atqui Confirmatio & recenſetur inter Sacramenta a S. Cyrillo, ut patet ex ſolo Catecheſeon Ordine, & ex eodem S. Cyrillo Sacramentorum effectus miraculoſe parit. Parit quidem, cum homines faciat participes Chriſti, & Chriſtos, animamque ſancto & vivifico Spiritu ſanctificet. Parit vero per miraculum, ei nimirum ſimile quo panis Euchariſtiæ factus corpus Chriſti animam nutrit & vivificat; ergo.

Contin. VVitaſ. p. 291. S. Ambroſius qui an. 397. diem clauſit extremam, in Libro de initiandis, quem contra Coccum & Dallæum eſſe genuinum Ambroſii fœtum clamant tum Codices omnes manuſcripti, tum editiones omnes ne una quidem dempta, tum Doctiſſimi quique heterodoxi, ut Blondellus, Voſſius, Albertinus, tum orthodoxi omnes, tum & identitas dictionis, ſic habet cap. 7. *Repete quia accepiſti ſignaculum ſpiritale, Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilii atque virtutis, Spiritum cognitionis atque pietatis, Spiritum ſancti timoris; & ſerva quod accepiſti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo, ſicut Apoſtolica lectione didiciſti*. Quæro quibus verbis diſertius delineari poſſit Sacramen-

mentum; his forte quæ habet idem, vel quivis alius Auctor * Librorum de Sacramentis. Poſt Baptiſmum *veniſti ad Sacerdotem : quid tibi dixit : Deus, inquit, Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto, conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te ungat in vitam æternam*. Quæ quidem materiam, formam, & proprios Sacramenti effectus apertiſſime exhibent. *Lib. 2. cap. 7.*

S. Joannes Chryſoſtomus qui an. 407. denatus eſt, Homil. 18. in Acta Apoſt. *Philippus*, inquit, *unus ex ſeptem* Diaconis *erat .... ideo & baptizans Spiritum ſanctum non dabat, neque enim facultatem habebat. Hoc enim donum ſolorum Apoſtolorum erat ..... Igitur hoc erat in Apoſtolis ſingulare : unde & Præcipuos*, ſeu Epiſcopos, *& non alios videmus hoc facere*. Dabant ergo Epiſcopi, Chryſoſtomi tempore, Spiritum ſanctum, ſicut & eum dederunt Apoſtoli orando & manus imponendo: atqui non dabant eum tunc temporis ſub viſibili forma, puta cum dono prophetiæ & linguarum; ergo ſupereſt ut eum darent largiendo ſigni exterioris ope gratiam ſanctificantem: porro ſignum exterius cujus ope conſtanter producitur gratia ſanctificans eſt neceſſario Sacramentum.

S. Auguſtinus Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 104. *In hoc*, inquit, *unguento Sacramentum Chriſmatis vultis interpretari; quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum Sacro-ſanctum eſt ſicut ipſe Baptiſmus*. Tract. 3. in Epiſt. 1. S. Joannis: *Unctio ſpiritalis ipſe Spiritus ſanctus eſt, cujus Sacramentum eſt in unctione viſibili*, &, ut gemina plura omittam, in Pſal. 141. *Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus; quædam, ſicut noſti, ore accipimus*, nempe Euchariſtiam, *quædam per totum corpus*, ſcilicet Baptiſmum per immerſionem Auguſtini ævo dari ſolitum; *quædam in fronte per ſignum Crucis*, puta Confirmationem. In his teſtibus habes Sacramenti nomen, naturam & effectus. Ceteros Patres, quos de ſæculo in ſæculum dabit erudite prolixus VVitaſſii continuator, omitto, tum quia horum plerique recurrent in Operis decurſu; tum quia primævos Patres confidentius objiciunt Calviniani; tum quia ſi credita eſt prioribus ſæculi Confirmatio, perpetuo credi debuit in ea Eccleſia, quæ victrix portarum inferi nullas patitur fidei vices. Unde

Prob. 4. argumento præſcriptionis, quod in gravibus præſertim materiis feliciter urgetur contra Novatores. Si ex Chriſti & Apoſtolorum doctrina Confirmatio non ſit verum novæ legis Sacramentum, neceſſe eſt ut opinio quæ Confirmationem tranſvertit in Sacramentum, poſt Chriſti mortem ſuum habuerit initium & in Eccleſiam invecta fuerit: atqui hoc dici non poteſt. Nova enim doctrina in re tam gravi non potuit induci in Eccleſiam, quin & Doctores ſemper antiquitatis tenaciſſimi, & viri pii, qui a teneris, ut ajunt, unguibus rudimenta fidei edocentur, & ipſa Catholicorum Concilia contradixerint; id enim perpetuo contigit, ubi primum novitates ſuas ſeminare moliti ſunt heterodoxi: atqui tamen nullibi vel leviſſimum contradictionis hujus veſtigium deprehendi poteſt. An ergo Eccleſiæ Paſtores univerſi, an qui ejuſdem columnæ ſunt Doctores, dum inimicus homo bono grano zizania ſuperſeminaret, tam

altum

* Sex de Sacramentis Libros Ambroſii fœtum eſſe negant Blondellus, Riverus, Dallæus, aliique, paucioribus exceptis, Calviniſtæ. Eoſdem Ambroſio tribuunt Gerard. Joan. Voſſius, Bellarminus, & cum eo Catholici paucis demptis, quos inter Cardinalis Bona. His adhæret VVitaſſii continuator Tom. 2. ad calcem; quem conſule.

altum dormierunt, ut nemo de ſervanda fidei integritate, nemo de propulſando errore fuerit ſollicitus. Id certe quam inſulſum ſit, quam facto impoſſibile ceteri præter Hæreticos ſentient; ergo fides de Sacramento Confirmationis ipſiſſima eſt Apoſtolorum fides.

Atque hinc Confirmationem Sacramentis annumerarunt, tum Libri Rituales Occidentalium, tum & Græcorum Euchologia, tum & quicumque de Officiis Eccleſiaſticis ſcripſere. Patet id ex Sacramentario S. Gregorii, ex Ordine Romano, qui nono ſęculo antiquior eſt, ex Valafrido Strabone, ex Amalario, Rabano Mauro, Alcuino & ſimilibus.

Obj. 1. contra probationem e Scripturis deſumptam: Ad Sacramentum verum tria requiruntur, nimirum promiſſio gratiæ ſanctificantis, ſymbolum exterius, verbi ſcilicet ad elementum accedentis, & mandatum illud ſymbolum uſurpandi: atqui nec tria hæc, nec ex tribus ullum aſſignari poteſt in præſenti; ergo. Ita Calvinus Lib. 4. Inſtit. c. 19. §. 3.

R. neg. min. quoad omnes partes. Et quidem quantum attinet ad promiſſionem gratiæ, dico eam ſatis contineri tum in ipſo facto Apoſtolorum, qui gratiam baptizatis omnibus conferebant per manuum impoſitionem, tum in Traditione Patrum, quibus ſemper perſuaſum fuit gratiam roborantem omni ævo per Confirmationis ritum collatam fuiſſe. Ubi enim effectus aliquis naturæ vires tranſcendens ſigno alicui, quod de ſe nullam cum eodem effectu connexionem habet, certo & conſtanter alligatur, ibi divinam inſtitutionem, ideoque & divinam promiſſionem intervenire neceſſum eſt: atqui ex Apoſtolorum facto & unanimi veteris Eccleſiæ ſenſu liquet certo & conſtanter alligatam fuiſſe manuum impoſitioni collationem gratiæ ſanctificantis; ergo ex iiſdem facto & ſenſu liquet neceſſum eſſe, ut hic interceſſerit divina promiſſio, & divina inſtitutio.

Neque tamen hic deeſt promiſſio Chriſti etiam explicita. Sic enim loquitur Salvator Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis:* atqui hic manifeſte promittitur & gratia ſuperaddita gratiæ regeneranti, qua jam inſtructi erant Apoſtoli, & gratia fidelibus quotquot Eccleſiam ingreſſuri erant concedenda, non autem ſolis Apoſtolis, qui *in æternum* manſuri non erant; ac proin gratia a gratiis gratuitis diſtincta, cum iſtæ una cum Apoſtolorum temporibus ut plurimum evanuerint; ergo.

Quod ſpectat ad ſymbolum exterius, mirum quod illud non animadverterit Calvinus in impoſitione manuum conjuncta orationi, ideſt, certa verborum formula. Horum enim aliud eſt vere verbum, aliud elementi ſeu ſigni ſenſibilis rationem habet,

Denique nec deeſt Dei Mandatum; tum quia ubi eſt inſtitutio rei in æternum manſuræ, hic neceſſario ſubeſt ejuſdem exercendæ mandatum; tum quia Apoſtolorum & primævæ Eccleſiæ praxis divinum mandatum evidenter indicat; neque enim Apoſtoli aut piiſſimi quique Patres ritum aliquando peractu difficilem (puta ratione itineris quod e Jeroſolyma in Samariam Petro & Joanni decurrendum fuit) conſtanter obſervaſſent, niſi fuiſſet id ſuprema auctoritate mandatum.

Inſt. 1. Promiſſio Chriſti apud Joan. 14. eam reſpicit gratiam; quam in nova lege dandam prænuntiaverunt Prophetæ, & quæ de facto ab A-

poſtolis extra Baptiſmum collata eſt: atqui gratia a Prophetis prænuntiata, & ab Apoſtolis collata extra Baptiſmum, non erat niſi gratia miraculorum, quæ gratia gratis data nuncupatur. Minor patet ex cap.2. Act. ubi Petrus naturam gratiæ, qua in diebus Pentecoſtes repleti ſunt Apoſtoli, his antiqui Prophetæ verbis exponit v. 16. *Hoc eſt quod dictum eſt per Prophetam Joel: Et erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus, Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt*, &c. Atque id paſſim indicat Liber Actuum, ubi, quibus impoſitæ leguntur ab Apoſtolis manus, ii confeſtim exhibentur ut prophetantes & loquentes linguis. Ita ferme Dallæus Tractat. de Confirmat. Lib. 1. cap. 9.

R. ad 1. neg. min. etſi enim gratia miraculorum juxta Prophetarum oracula, & promiſſionem Chriſti * iis paſſim collata fuerit quibus imponebantur manus ab Apoſtolis, conſtat tamen & iis quoque inditam fuiſſe gratiæ ſanctificantis copiam. Et id quidem probatur 1. quia ii quibus imponebantur manus Spiritum ſanctum recipere dicebantur, ut patet ex cap.8. Act. ſed qui gratias ſolum gratis datas accipit, non dicitur accipere Spiritum ſanctum. Siquidem Spiritus ſanctus non poteſt eſſe in peccatoribus ex Sap. 1. v. 5. atqui tamen gratiæ gratis datæ non raro peccatoribus inexiſtunt ex Matth. 7. v. 22. ergo. 2. quia ſolæ gratiæ gratis datæ non faciunt hominem in fidei confeſſione robuſtiorem: at vero gratia ſeu recepta ab Apoſtolis in die Pentecoſtes, ſeu ab iiſdem collata Fidelibus, eoſdem adeo firmos effecit in fidei confeſſione, ut qui antea coram famula trepidabant, nihil jam vel a Principibus Synagogæ, vel ab ipſis Cæſaribus formidaverint; 3. quia Spiritus ſanctus per manuum impoſitionem omnibus rite diſpoſitis conferebatur, ut patet ex Act.8. & 19. atqui gratiæ gratis datæ non conferebantur omnibus; *Numquid*, enim, ajebat S. Paulus I. Cor. 12. v. 39. *omnes habent gratiam curationum? Numquid omnes linguis loquuntur?* 4. demum quia id per manus impoſitionem dari debuit quod promiſerat Chriſtus Apoſtolis, aliiſque qui in ipſum credituri erant: atqui Chriſtus iis gratiam roborantem, & in fidei ac veritatis teſtificatione confirmantem promiſerat Joan. 14. 15. & 16. ergo hanc, non vero gratiam pure exteriorem largiri debuit. Ergo duplex fuit manuum impoſitionis effectus, ſenſibilis alter *ad commendationem rudis fidei & Eccleſiæ primordia dilatanda*, & is fide jam dilatata ceſſare debuit; alter interior ad robur & munimen adverſus tentationes, & is, teſte Chriſto, manebit *in æternum*.

* *Marci ult. cap.*

Becan de Confirm.

Auguſt. L. 3. de Bapt. c. 16.

Quod ſi objicias hinc ſequi nos jam eamdem cum Apoſtolis Confirmationem non habere; quandóquidem ipſi gratias gratis datas conferrent, quod nunc hiſtriones noſtri (ſic Epiſcopos verecunde ſalutat Calvinus) præſtare ſe non poſſe confitentur. Reponam haud neceſſum eſſe ut perpetuo ſubſiſtat quidquid fuit ab initio. Sic initio Eccleſiæ qui credebant in Chriſtum, dæmonia ejiciebant, & linguis novis loquebantur, Marci 16. v. 17. nunc autem ceſſavit is fidei effectus; neque tamen alia eſt hodie quoad ſubſtantiam fides, quam initio fuerit. Sic etiam initio Eccleſiæ puniebantur peccatores viſibilibus pœnis, ut patet de Anania & Saphyra Act. 5. de Elyma Mago Act. 13. de indignis Euchariſtiæ receptoribus I. Cor. 11. quæ hodie non ſubſiſtunt.

Inſt. 2.

Inſt. 2. Samaritani per impoſitionem manuum Petri & Joannis id acceperunt, quo hactenus caruerant: atqui non caruerant Spiritu ſancto prout importat gratiam ſanctificantem. Samaritani enim per Baptiſmum regenerati erant, ac proinde jam erant Chriſti: ſed qui ſunt Chriſti, Spiritum Chriſti habent ac proinde gratiam ſanctificantem; ergo neceſſum eſt ut aliquid ab ipſa diverſum receperint; & id quidem aliud eſſe non poteſt a gratia miraculorum.

R. 1. retorq. fideles & Apoſtoli in participatione Euchariſtiæ eam tantum recipiebant gratiam, qua carebant prius: atqui non carebant gratia ſanctificante; ergo non recipiebant gratiam ſanctificantem. Egregia ſane Dallæi principia e quibus tam egregiæ ſcaturiunt concluſiones.

R. 2. diſt. min. non carebant gratia ſanctificante ſimpliciter & quoad ſubſtantiam, C. quoad gradum & perfectionem, N. Sicut enim majoris ubertas gratiæ per Euchariſtiam communicanda erat, ut ſpiritaliter nutrirentur, ſic & major eis gratiæ copia per manuum impoſitionem conferenda erat, ut fidem contra carnis illecebras & mundi poteſtates tueri poſſent. Sic Apoſtoli licet ante Domini Aſcenſionem Spiritu ſancto donati eſſent, indigebant nova *virtute ex alto*, ut Magiſtro ſuo *teſtes* eſſent *in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*. Luc. ult. & Act. 1.

Inſt. 3. Samaritani per Baptiſmum receperant veniam peccatorum, jus adoptionis atque hæreditatis, & Spiritum conſolatorem: ſed qui hæc recepere, gratiam habent confirmantem, ſeu, ut loquimur, gratiam quoad gradum; cum iſthæc omnia Chriſtiani militis animum ſtrenue confirment; ergo.

R. 1. ſubſumo & retorqueo: ſed qui hæc recepere gratiam habent animæ nutricem; cum animam potentius nutrire nihil poſſit quam Spiritus conſolator; ergo non eſt cur Euchariſtiam recipiant.

R. 2. neg. min. ſicut enim ad nutriendam animam plura requiruntur, quam quæ habet objectio, unde Euchariſtiam inſtitui decuit; ſic, ut in decurſu innoteſcet, ad roborandam animam contra procellas a Paganis, ab Hæreticis, ab univerſis Poteſtatibus fidei fidelibuſque imminentes, plura ſecundum ſupernæ miſericordiæ divitias requirebantur, quam quæ eadem exprimit objectio.

Inſt. 4. Gratia qua indigebant Samaritani, ejus erat naturæ ut a Philippo Diacono, eximiæ ſanctitatis viro, conferri non poſſet; ergo gratia hæc erat neceſſario gratia miraculorum, non gratiæ ſanctificantis augmentum. Cur enim, qui, ut Baptiſmi Miniſter, gratiæ ſubſtantiam conferebat, ejuſdem gratiæ augmentum conferre non potuiſſet.

Confirm. ex S. Chryſoſtomo; ſic ille Homil. 18. in Acta. *Quomodo Spiritum ſanctum illi Samaritani non acceperant? Spiritum acceperant remiſſionis, Spiritum autem ſignorum nondum receperant*. Et vero eo uſque evidens erat Spiritum miraculorum per manuum impoſitionem conferri, ut Simon magus oblata pecunia facultatem par, cui vellet, donum impertiendi comparare voluerit: utique porro haud ſollicitus fuiſſet Simon de gratia pure inviſibili.

R ad 1. neg. conſequentiam. Ad 2. ut Philippus, qui quatenus Baptiſmi Miniſter gratiam regenerantem conferebat, gratiam confirmantem

con-

cònferre non poſſet, ſufficit ut Deus Epiſcopos ſolos, vel ad ſummum Sacerdotes, gratiæ confirmantis Miniſtros efficere potuerit, & de facto fecerit: atqui res ita ſe habet. De poteſtate ne Dallæus ambiget; de facto diſputabimus imposterum.

Ad confirmationem petitam e teſtu Chryſoſtomi, dico S. Doctorem ita facultatem patrandi miracula exprimere, ut non neget habitualem gratiam; imo hanc ab Apoſtolis collatam fuiſſe docet evidenter his quæ continuo addit verbis: *Virtutem quidem ſeptem illi Diſcipuli acceperant faciendi ſigna, non autem dandi aliis Spiritum ſanctum. Igitur hoc erat in Apoſtolis ſingulare, unde & Præcipuos & non alios videmus hoc facere*. Ex quibus ſic in forma diſputo: Præcipui, ideſt, Epiſcopi Spiritum ſanctum tempore Chryſoſtomi conferebant, uti eum olim Apoſtoli contulerunt: atqui Chryſoſtomi tempore jam non conferebant Epiſcopi Spiritum ſignorum, cum tunc pene deſiiſſent ſigna; ergo Spiritus quem conferebant Apoſtoli erat præcipue & primario gratia ſanctificans; ergo eam non excludit textus Chryſoſtomi, ſed præcipue includit. Ideo autem S. Doctor diſerte magis Spiritum ſignorum exprimit, quia & primævis iis temporibus ſignum erat acceptæ intus gratiæ ſanctificantis; & aliunde animadvertebatur facilius, utpote qui ſenſibus perciperetur.

Quod ſpectat ad factum Simonis, nihil inde contra nos, qui non negamus collatam fuiſſe Samaritanis gratiam virtutum, prout tunc temporis fiebat non raro; ſed tantum contendimus huic annexam fuiſſe gratiam roborantem, ut præcipuum impoſitionis manus effectum. Ludit ergo, prout in hac materia conſtanter ſolet Dallæus, cum duo hæc disjungit: agimus nos ſerio, qui utrumque, cum Scriptura & Traditione, conjungimus.

Inſt. 5. Gratia ſacramentalis confertur virtute ſigni exterioris & certi: atqui gratia Samaritanis collata, quam hodiedum in Eccleſia Catholica conferri credimus, 1. non conferebatur virtute ſigni exterioris, ſed ſolum conſequenter ad Apoſtolorum orationem. Unde S. Auguſtinus Lib. 15. de Trin. cap. 25. *Orabant* Apoſtoli, inquit, *ut Spiritus ſanctus veniret in eos quibus manus imponebant, non ipſi eum dabant*; 2. nec conferebatur virtute ſigni certi; cum Apoſtoli ſolum imponerent manus baptizatis, Apoſtolorum vero ſucceſſores rejectæ huic impoſitioni Chriſmationem ſubſtituerint. Unde ulterius ſequitur Confirmationem, tametſi gratis ſupponeretur aliquando habuiſſe vim juſtificandi, nunc ab ea prorſus excidiſſe; ergo.

R. ad 1. neg. min. pro prima parte, quam male probat Antonius de Dominis ex objecto Auguſtini teſtu. Totus ſiquidem eſt eo loci S. Doctor ut hinc Chriſti divinitatem demonſtret, quod idem Chriſtus miſerit & dederit Spiritum ſanctum: *Quomodo enim*, inquit, *Deus non eſt qui dat Spiritum ſanctum? imo quantus Deus eſt qui dat Deum: neque enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum ſanctum: orabant quippe*, &c. ut in object. ergo ex objecto teſtu colligi quidem poteſt Apoſtolos non dediſſe Spiritum ſanctum vi ſuprema, prout eum dabat Chriſtus: at inde colligi neutiquam poteſt eoſdem non niſi ex opere operantis, & per ſolam precum quas fundebant dignitatem, largitos fuiſſe gratiam Spiritus ſancti. Nec fingi quidquam poteſt ab Auguſtini ſenſu alienum magis. Si-

qui-

quidem S. Doctor Lib.5. de Bapt. cap.20. Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam & Pœnitentiam pro veris habet Sacramentis, quæque ab impiis etiam collata Miniſtris valida ſint: atqui tamen eorumdem Sacramentorum formas habet ut deprecatorias, ac proinde ut ſitas in orationibus. *Quomodo*, ait, *exaudit* Deus *Miniſtrum homicidam deprecantem vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur ...... quomodo dat homicida Spiritum ſanctum?* ergo ſtat & Miniſtros egere oratione ut gratiam conferant, & orationi huic reſpondere gratiam ex opere operato, non autem ex opere operantis, cum opus Miniſtri homicidæ nihil boni mereri poſſit.

Confirm. 1. quia Patres formam Euchariſtiæ ſæpius vocant *invocationem Spiritus ſancti;* & tamen forma hæc effectum ſuum vi ſibi a Chriſto indita parit, non autem ipſius invocationis merito; 2. quia ſi in Apoſtolorum oratione ſola orationis ſanctitas Spiritum ſanctum dediſſet, haud neceſſum fuiſſet ut Petrus & Joannes ad Samaritanos ipſi excurrerent. An non enim orare poterant pro abſentibus? an efficacior oratio apud Samariam fuſa quam Jeroſolymis. Atque hinc obiter convellitur quod ait Calvinus, nihil aliud circa eos quibus imponebantur manus actum eſſe, quam ut ii Deo offerrentur & commendarentur. Quaſi vero abſens ab abſente offerri Deo & commendari non poſſit!

Aliam objectionis partem quæ ſpectat Confirmationis materiam expendemus cap. 3.

Obj.2. contra Traditionem: Ut ex Patribus nihil colligi poſſit in gratiam Confirmationis noſtræ, duo ſufficiunt, 1. ut de ea altum ſiluerint antiqui Doctores non pauci; 2. ut qui de ea diſſeruiſſe creduntur, quoſdam ei tribuerint characteres, qui cum Romanæ Eccleſiæ doctrina compati non poſſunt: atqui utrumque conſtat. Primum quidem, quia de Confirmatione nihil tradiderunt Clemens, Juſtinus, Athenagoras, Theophilus, Tatianus, & Irenæus, qui vel omnes vel plerique Baptiſmi & Euchariſtiæ luculentiſſime meminerunt. Secundum haud minus indu-

Vitaſ. p.223. bium eſt. Docet enim Eccleſia Romana Confirmationem oleo & chriſmate perfici, docet inſuper valere eamdem tametſi collatam ab Hæreticis, docet conſequenter iterari eam non poſſe: atqui ex adverſo pugnant Patres antiqui. Quidam enim, nec pauci, eo uſque Romanæ Eccleſiæ o-

Ibid.pag. 170. leum & balſamum ignorabant, ut de ſola manuum impoſitione, nuſquam autem de oleo loquantur: ita Patres Illiberitani. Quidam Confirmationem datam ab Hæreticis flocci faciendam opinabantur; ita non Cyprianus modo cum Provincialibus ſuis, quod mirum non eſſet, ſed & qui ei adverſabantur Epiſcopi, ut anonymus Scriptor quem citavimus ſupra, & diſerte Siricius Papa Epiſt. I. cap. 1. Quidam ulterius progreſſi Confirmationem etiam apud Catholicos iterari poſſe exiſtimabant. Ita Auguſtinus Lib. 3. de Bapt. cap. 16. ubi ait: *Manus autem impoſitio, non, ſicut Baptiſmus, repeti non poteſt*, ergo.

R. neg. maj. pro prima parte, Minorem vero generaliter intellectam (ut intelligi debet, cum argumentandum eſt ex Traditione, quæ non ex uno aut altero Patre, ſed ex moraliter unanimi Patrum conſenſu repetenda eſt) nego quoad omnes partes.

Negandæ quoad primam partem Majoris ratio hæc eſt, quod ex aliquot Pa-

Digitized by Google

Patrum ſilentio certi nihil concludi poſſit, præſertim cum alii Patres diſerte loquuntur, ii vero qui ſilent, nec integri ad nos pervenere, nec eum, ſcribendo, finem ſibi propoſuere qui exigeret ut de omnibus Chriſti Sacramentis differerent: atqui res ſic ſe habent in præſenti materia: 1. enim dum tacent Patres aliqui, alii aperte clamant in gratiam Catholici Dogmatis, ut ex probationibus noſtris, aliiſque quæ in immenſum congeri potuiſſent liquido conſtat; 2. haud integra pervenere ad nos Opera Patrum, qui Confirmationem ſilentio prætериiſſe dicuntur. Una; juxta eruditos plures, ſupereſt Clementis ad Corinthios Epiſtola, quæ genuina ſit; hæc autem e lacero Codice Oxonienſi edita eſt a Patricio Junio, qui & lacunas ſupra ducentas ſexaginta explevit, & exeſas vetuſtate litteras ſupplevit ut plurimum divinando, & integrum folium, quod quatuor impreſſi Codicis in quarto minori folia conſtituit, deeſſe in exemplari ſuo confeſſus eſt. Idem dicendum de Irenæo, qui teſtibus Euſebio Lib. 5. Hiſtor. cap. 26. & Hieronymo Lib. de Scriptorib. Eccleſiaſtic. plura ſcripſit quæ jam tum exciderant. Unde vero augurabitur Dallæus in illis, quæ deſunt utriuſque Patris Operibus, nihil dictum de Confirmatione. Adde Clementem nihil tradidiſſe de Baptiſmo & Euchariſtia, & in ipſo ſicut & in Irenæo eſſe nonnulla quæ Confirmationem non obſcure indigitent. De quo, ne diutius immoremur, adi VVitaſſii continuatorem pag. 61. & 78. &c. 3. nec exigebat eorumdem Patrum ſcopus ut omnia Eccleſiæ Sacramenta pervolverent. Ex his enim aliqui diviſos fideles ad pacem hortabantur, ut S. Clemens, & pax illa ſuaderi poterat abſque ulla Confirmationis mentione; cum ne eum quidem in ſcopum meminerit ſanctus Pontifex Baptiſmi & Euchariſtiæ, quæ tamen ſunt unitatis & charitatis Sacramenta. Alii Chriſtianam Religionem ab Infidelium opprobriis vindicabant, ut Juſtinus, Athenagoras, Theophylus, &c. & his ſatis erat, ut Paganiſmi tela retunderent, quæ forſitan multiplicaſſent, ſi omnia profanis oculis ſubjeciſſent Religionis noſtræ myſteria; ergo ex horumce Patrum ſilentio nihil concludi poteſt. Tatianum tamen fœdum fœdi Encratitarum ſyſtematis parentem Dallæo, ſi volet, dimittemus.

Quod ſpectat ad Minorem ejuſdem argumenti, nutat hæc ex omni parte. Nam 1. ex eo quod Patres aliqui Confirmationem expreſſerint ſolo impoſitionis manuum vocabulo, non magis inferri poteſt negatam ab eis fuiſſe unctionem, quam ex eo quod alii eam unctionis nomine expreſſerint, inferri poſſit negatam ab iis fuiſſe manuum impoſitionem; aut utramque nunc negari a Catholicis, quia Sacramentum hoc ſolo Confirmationis nomine exprimunt nulla facta unctionis aut impoſitionis manuum mentione: atqui, &c. ergo, &c. 2. etſi jam pridem ubique conſtat valere Baptiſma rite collatum ab Hæreticis, hactenus, tamen ſalva unitate diſputatur an Confirmatio ab iiſdem Hæreticis rite detur; 3. loquitur Auguſtinus de impoſitione manus reconciliatoria, non autem de confirmatoria: ipſe ſibi interpres eſt S. Doctor ibid. Lib. 5. c. 23. his verbis: *Manus correctis Hæreticis imponitur, ne illos extra culpam fuiſſe judicetur*. Quis autem neget reconciliatoriam hanc manus impoſitionem iterari poſſe; cum, ut ait S. Doctor, nihil ea ſit aliud quam ſimplex oratio. Poſtremæ ex duæ ſolutionis partes eluceſcent ex dicendis in decurſu.

Obj. 3. Si Confirmatio verum ſit Sacramentum, debuit quoquoverſum

Digitized by Google

diffuſa eſt Chriſtiana Religio & eo diffundi: atqui non ita eſt. Ritus enim ceteris præter Eccleſiam Latinam Eccleſiis ignotus, haud diffuſus eſt, ubicumque diffuſa eſt Religio: atqui ... Prob. min. Ritus Eccleſiis Græcæ, Armenicæ, Æthiopicæ ſeu Abyſſinæ, & Chaldaicæ, quæ per Arabiam, Meſopotamiam, Syriam, Perſidem, ipſamque Ægyptum diffuſæ ſunt, omnino ignotus, ceteris præter Latinam Eccleſiis ignotus cenſeri debet: atqui Ritus Confirmationis 1. ignotus eſt Eccleſiæ Græcæ. Ibi enim unctio eſt mera Baptiſmi cæremonia; unde Baptiſmi & unctionis unum eſt in Euchologiis Officium, unus & is titulus: *Ordo Baptiſmatis*. Deinde unctio hæc apud Græcos & a ſimplicibus Presbyteris confertur, & iis confertur omnibus, qui a quacumque hæreſi redeunt; quod non competit Confirmationi noſtræ, quæ & a ſolis Epiſcopis adminiſtrari poteſt, & denuo Hæreticis reſipiſcentibus non confertur. Adde quod Græci neminem niſi chriſmatum ad ſacram Menſam admittunt; ergo neceſſe eſt ut chriſmationem habeant ut appendicem Baptiſmi, cum nemo rite baptizatus, niſi infans ſit, aut gravis peccati reus, a Menſa Domini excludi poſſit; 2. idem ritus plane ignotus eſt ſeu Armenis, ut teſtatur Guido Carmelita; ſeu Æthiopibus, ut in Itinerario ſuo Alvares Monachus Hiſpanus, &c. ergo,

R. ad 1. 2. & 3. neg. min. & dico Confirmationem in omnibus quæ objiciuntur Eccleſiis haberi pro Sacramento.

Conſtat id 1. de Eccleſia Græca, ſeu *veteri*, cujus fidem exhibent allati ſupra textus ex Concilio Laodiceno, ex S. Cyrillo Jeroſolymitano, ex S. Chryſoſtomo, quibus addi poſſent Clemens Alexandrinus apud Euſebium Lib. 3. Hiſtor. Eccl. c.23. Origenes Hom.8. in cap.12. & 13. Levit. Gregorius Nazianz. Orat. in ſanctum Bapt. Theodoretus in Cant. Cantic. ſeu *nova*, quæ 1. nec Latinis litem ullam circa ſeptem Sacramenta intulit in Concilio Florentino, nec a Latinis ullam hac in parte litem ſuſtinuit; quæ 2. hæreticam Cyrilli Lucaris opinionem duo tantum admittentis Sacramenta reprobavit in Synodo apud Conſtantinopolim habita an. 1638. quæ 3. nullum habuit magni, parvive nominis Scriptorem, a quo Confirmatio Sacramentis annumerata non fuerit. Sic Simeon Theſſalonicenſis Archiepiſcopus in Opere ſatis prolixo de Sacramentis, *Septem*, inquit, *ſunt Eccleſiæ Sacramenta* ..., *nimirum Baptiſmus*, *Chriſma*, *Communio*, &c. Sic Jeremias Patriarcha Cap. in ſua adverſus Auguſtanam Confeſſionem Cenſura Lib.1. c. 7. ubi ſic: *Myſteria ſeptem ſunt*, *videlicet Baptiſma*, *Chriſma divini unguenti*, *ſacroſancta Communio*, &c. atque id tamdem agnovere Lutherani VVittembergenſes in priori reſponſo ad reſponſum ejuſdem Jeremiæ, ubi ſic loquuntur: *Sacramenta ſeptem numerant Græcorum Eccleſiæ*. Et non ita pridem Anglus Scriptor * Hiſtoriæ Eccleſiarum Græcæ & Armenæ, ubi ſic in Præfat. *Les Orientaux deteſtent cette Confeſſion, que l'on pretend avoir ete ecrite par Cyrille Patriarche de Conſtantinople, & qui fut refutee en l'an 1631. par Matthieu Carionil Archeveque d'Iconium. Elle s'accorde a tous egars avec la doctrine & la diſciple de Calvin.* Ergo hic, ut alibi toties, *ſalutem ex inimicis noſtris*.

V. Tom. preced. p. 27.

V. Witaſ. p. 485.

Nec nocent argutiæ Dallæi. Unde

Ad

* Hiſtoire de l'Egliſe Grecque & de l'Egliſe Armeniene par M. le Chevalier Ricaut, 2. edit. Amſterdam 1710.

Ad 1. chriſma ſub eodem ac Baptiſmus Officio continetur, quia poſt Baptiſmum, & quaſi una cum ipſo conferri ſolet; non quia idem ſit cum ipſo Sacramentum. Et vero chriſma ut materiam ſic & ſpecialem habet in Euchologio formam qua invocatur ſeptiformis Spiritus ad robur. Deinde non confertur niſi poſt perfectam & abſolutam adminiſtrationem Baptiſmi. Denique Epiſcopus chriſmatis unctionem miniſtraturus, mutat & locum, & veſtes, quibus, dum baptizaret, indutus erat.

Ad 2. & 3. eſto errent Græci circa Miniſtrum & initerabilitatem Confirmationis, an continuo Sacramenti veritatem abnegare dicentur? nequaquam profecto. Errant utique Calviniani circa neceſſitatem & effectus Baptiſmatis, nec tamen Baptiſmatis ſubſtantiam inficiari perhibentur. Verum rectane ſit, an ſecus Græcorum fides; circa utrumque caput quod objectum eſt, expendemus in decurſu.

Ad 3. excludi ab Euchariſtia poſſunt, qui antiquam Eccleſiæ ſuæ praxim dedignantur; ea eſt autem antiquitus Eccleſiæ Græcæ praxis, ut ad Euchariſtiam accedat nemo niſi unctus chriſmate, quod etiam in Eccleſia Romana ſervatur quoad Ordines; ergo qui legi huic deſunt, a ſacra Menſa poſſunt excludi. Et vero an non vere juſtificatus eſt qui Baptiſmum recepit, nondum recepta unctione? ut quid ergo ob puræ cæremoniæ defectum, in ſyſtemate Dallæi, a ſacra ſynaxi excluditur.

Conſtat 2. vigere Confirmationem apud Armenos: 1. enim nec S.Gregorius VII. qui an. 1180. errores, quos ab Armenis rejici volebat, ſigillatim recenſet; nec Cardinalis de Vitriaco, qui ejuſdem Gentis errores atque abuſus enumerat, Armenos violatæ circa Confirmationem fidei incuſat; 2. Uſcanus, natione Armenus, & S. Sergii in majori Armenia Epiſcopus, cum Amſtelodami verſaretur an. 1667. & inter alia interrogatus eſſet, *Annon Armeni Chriſtiani damnent eorum ſententiam, qui negant per chriſmatis unctionem & manus impoſitionem conferri baptizatis Spiritum ſanctum, tamquam per proprie dictum Sacramentum;* reſpondit die 21. Februarii ejuſdem anni. *Damnant, quamvis apud ipſos adminiſtratio iſtius Sacramenti ſit infrequens, propter varios motus & tempeſtates, quibus Eccleſia* hæc *fuit jactata;* * 3. Jacobus Armenorum omnium Patriarcha Conſultus a Carolo Olier, Marchione de Nointel Chriſtianiſſimi Regis apud Turcarum Imperatorem Legato, quæ eſſet ipſius, ceterorumque Armenorum ſententia circa Calviniſticas novemdecim propoſitiones, e quibus erat hęc num.14. *In Eccleſia non ſunt ſeptem, ſed duo tantum Sacramenta*, reſpondit an. 1669. *Hanc eſſe doctrinam a D. N. J. C. receptam, a ſanctis Apoſtolis traditam, a ſacris Conciliis confirmatam, & a ſe ipſo, ſuaque univerſali Eccleſia ſemper creditam, non modo ſeptem eſſe Sacramenta, ſed etiam*, &c. idem eidem eodemque anno reſpondit Archiepiſcopus Armenorum Conſtantinopolitanorum; uterque porro reſponſionem ſuam ſubſcribi curavit, iſte ab Archiepiſcopis duobus, ille ab Archiepiſcopo Hametenſi, ab Epiſcopo alio, aliiſque Eccleſiaſticis tribus, qui commiſſas ſibi Diœceſes regebant.

Neque contra tot indubiæ fidei monumenta virium quidquam habere poſſet narratio Guidonis Carmelitæ: quamquam is non de omnibus, ſed

* Extat integra Uſcani reſponſio ad calcem Tom. 1. Perpetuitatis Fidei de Myſterio Euchariſtiæ, una cum teſtimonio Nicolai Spadarii & Decreto Concilii Cyprii paulo infra citandis.

de quibuſdam tantum Armenis loquitur; a quibus etiam Confirmationem rejici credidit, quia hanc raro vidit conferri, prout raro conferri ſupra docebat Uſcanus.

Conſtat 3. Æthiopes & Chaldæos Confirmationis veritatem non inficiari; idemque dicendum de Arabibus, Syris, Ægyptiis, &c. Siquidem Nicolaus Spadarius in Enchiridio, quod Holmiæ an. 1667. conſcriptum eſt, expreſſe tradit, *Ruſſos*, *Moſcovitas*, *Moldavos*, *VVallachos*, *Georgianos*, *Mingrelos*, *Circaſas*, *Arabes*, *& alios ſexcentos* ſeptem admittere Sacramenta. *Quæ omnia*, inquit, *præter Ordinem & Confirmationem a Sacerdote conferuntur. Hinc omnes, qui hæc ſeptem Sacramenta non agnoſcunt, Eccleſia Orientalis tamquam hæreticos cenſet & anathematizat*. Idem expreſſiſſime docet Concilium in Metropoli Cypriæ Inſulæ coactum an. 1668. ubi poſt aſſertam Confirmationi ſuam Sacramenti dignitatem: *Hæc* eſt, inquit, *Orthodoxa Eccleſiæ Orientalis fides. Hanc ceteræ quoque Nationes nobis ritu & communione conjunctæ profitentur, imprimis ampliſſimum Moſchorum imperium, Rurſorum longe lateque ſparſorum populi, itemque Bulgariæ, Serviæ, ſuperioris & inferioris Myſiæ, tum Epirotæ, Arabes, Ægyptii, & ne ceteras Aſiæ & Europæ gentes enumeremus, quicumque ſeptimam œcumenicam Synodum acceperunt & venerantur*. Quid contra hæc auctoritas Alvaris, & quorumdam Calvinianæ factionis Scriptorum? hi profecto qua fronte tranſubſtantiationem ab Orientalibus Eccleſiis rejici publicarunt, poſſunt & eadem ſpargere ignotam eſſe prædictis populis Confirmationem.

Neque tamen horumce populorum error, ſi quis in præſenti negotio foret, grave inferret præjudicium Fidei: quandoquidem compertum ſit e Schiſmate prodire hæreſes, nec diu ſervari intactam fidem ab iis qui unitatis vinculum fregere.

Obj. 4. ſi unctio verum eſſet Sacramentum, non poſſet ea ſuppleri per unctionem quam Sacerdos adhibet in Baptiſmo, ſicque moreretur non confirmatus, qui moreretur a ſolo Sacerdote unctus: atqui falſum id eſſe docent unanimi calculo Auctores ſæculi noni. Sic Rabanus Maurus Alcuini diſcipulus & ex Abbate Fuldenſi Moguntinus Archiepiſcopus Lib. 1. de Inſtit. Clericorum c. 28. *Legimus & in geſtis Patrum*, inquit, *quod Silveſter Papa in Eccleſia Romana conſtituerit, ut ſicut poteſtas & privilegium apud ſolum Epiſcopum conſtat, quod ſacrum chriſma ipſe conficiat, & baptizatum per manus impoſitionem cum ipſo chriſmate conſignet ..... ita Presbyter eodem chriſmate liniat baptizatum levatum ex aqua propter occaſionem tranſitus mortis .... ideoque neceſſarium eſt, ut ſtatim ſuccurratur Baptizato cum chriſmatis unctione, ut Spiritus ſancti participationem accipiens, alienus a Chriſto non exiſtat*. Ubi idem baptiſmali unctioni tribuitur effectus, qui confirmatoriæ. Idem docet VValafridus Strabo Abbas divitis Augiæ, qui an. 849. diem clauſit.

R. ad 1. neg. min. ad 2. non dicit Rabanus unctionem a Presbytero dari, ne quis moriatur non confirmatus, ſed ne quis moriatur alienus a Chriſto; quia nempe credidit Rabanus unctionem eſſe baptizatis neceſſariam neceſſitate medii, eo quod animæ mundentur quidem a peccatis in Baptiſmo, ſed Spiritum ſanctum non accipiant niſi in unctione verticali; quæ ſingularis eſt, & rejicienda Scriptoris hujus opinio. Ceterum Confirmationem Rabano verum fuiſſe Sacramentum indubie conſtat ex objecto

Libro.

Libro. Ibi enim Confirmatio & Sacramentum vocatur, & univerſa veri Sacramenti ſigna habet, & gratiam ſibi ſpecialiter reſpondentem, gratiam ſcilicet *viroris*, gratiam qua roboratur homo *ad prædicandum aliis id quod ipſe conſecutus eſt*, gratiam qua *ſanctificatio Spiritus adhibetur ad gloriam*, ſicut in Baptiſmo peccatorum remiſſio datur *ad veniam;* gratiam quæ a ſolo Epiſcopo conferri poteſt; gratiam quæ confertur per unctionem non in vertice, quæ fit a Presbyteris, ſed in fronte, quæ reſervata eſt Epiſcopis, &c. *Adi Contin. VVittaſ. Tom. 1. pag. 406. & ſeq.*

Quod ad VValafridum ſpectat, docet is quidem unctionem baptiſmalem adhibendam eſſe, ut aliquo pacto ſuppleat unctionem confirmatoriam, quæ ab Epiſcopo propter imminens baptizato periculum mortis adhiberi non poſſit: ſed neque cum Rabano docet unctionem baptiſmalem neceſſariam eſſe ut quis particeps fiat Spiritus ſancti, neque cum Dallæo eamdem unctionem vi propria efficere id quod præſtat unctio Confirmatoria. Sic qui tempore S.Ludovici exiſtimarunt Confeſſionis ſacramentalis defectum ſuppleri poſſe per Confeſſionem laico factam, nullius circa ipſum Pœnitentiæ ſacramentum erroris poſtulati fuere.

Obj. 5. cum Sacramenta ſint quid præcipuum in Religione, ac velut Eccleſiæ fundamenta, nihil notius ac certius eſſe debet, quam ritus quo eadem perfici, Miniſtri a quibus confici, ac demum effectus qui inde produci debent: atqui univerſa hæc in Eccleſia Romana prorſus incerta ſunt. Cum ibi de materia, de Miniſtro, ac de effectibus Confirmationis ſummo animorum æſtu diſputetur, ut ex dicendis nimium patebit; ergo.

R. 1. neg. maj. quæ ſi vera eſt, Calviniſtæ & Lutherani ſeu ſimul aut diviſim ſumpti, ne Baptiſmi quidem Sacramentum habere dicendi ſunt, & multo minus Euchariſtiæ. Apud eos ſiquidem diſputatur 1. de materia, quam alii nobiſcum reponunt in aqua, alii, ut Lutherus, in vino aut lacte, vel ut Beza in quocumque liquore ad abluendum idoneo; 2. de forma, ad quam docet Lutherus ſatis eſſe ut quis baptizet *in nomine Domini*, Brentius in confeſſionem Trinitatis emiſſam a Cathecumeno, Calvinus *in nomine Patris, & Filii*, &c. 3. de Miniſtro quem ab Eccleſia ad Baptiſmi collationem ſpecialiter deputatum eſſe vult Calvinus, unde datum a muliere vel quocumque alio, etiam in caſu neceſſitatis, Baptiſmum rejicit; aliis ejuſdem ſectæ reclamantibus, qui idcirco parvulos in neceſſitate domi baptizant; 4. de operatione Miniſtri, quæ ſi ludicra eſt & mimica rejicitur a Calvino, dum admittitur a Luthero; 5. de effectu Baptiſmi, quo remitti quidem, at minime deleri peccata cenſent Calvinus & Lutherus, deleri vero & tolli contendit Kemnitius; 6. de neceſſitate ejuſdem Sacramenti, quam negant cum Calvino Zuvinglius & alii, aſtruunt vero non ſolum Anglicani omnes, ſed & Philippus Melanchton, Petrus Martyr, & Martinus Bucerus, qui docent petendum ab hæretico Baptiſma, ſi aliter haberi non poſſit. Haud minores ſunt apud eoſdem de Euchariſtia controverſiæ, ut alibi oſtendemus.

R. 2. diſt. min. univerſa hæc ſunt incerta ſpeculative, C. practice, N. quantumcumque enim credat Epiſcopus benedictionem chiſmatis ipſumve chriſma ad Confirmationis veritatem minime requiri, numquam tamen eadem omittet, aut ſi omiſerit incaute, caute ſupplere conabitur: unde, Deo providente, ſpeculativa ejus opinio nihil cuipiam inferet detrimenti,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA. VITTORIO EMANUELE

Aliud eſt de Novatoribus; hi enim cum pro nutu ſecent & reſecent, ſi quem baptizaverint in vino, non rebaptizabunt in aqua.

Habert. Hic obiter annotandum cum Pariſienſi Theologo, cavendum iis qui adverſus heterodoxos decertant, ut eas effugiant Scholæ diſceptationes, e quibus argumentari ſolent Novatores, quaſi difficultates ex accidentalibus petitæ rerum eſſentias perimant. Hærendum igitur Scripturæ & Traditioni, quæ tam perſpicue demonſtrant Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem conferri, ut adverſarii nonniſi aranearum telas contra opponant. Methodum hanc ſecutus eſt Boſſuetus Meldenſis in Expoſitione fidei ubique Gentium commendata. Sic ille: *Cum impoſitio manuum a ſanctis Apoſtolis adhibita ad confirmandos Fideles ..... pro principali effectu habeat deſcenſum interiorem Spiritus ſancti, non debuit rejici ab adverſariis*, &c.

CAPUT SECUNDUM.

De Inſtitutione Confirmationis.

EXplanaturi Confirmationis cauſas exordium ducimus ab efficiente primaria, ſeu inſtitutrice, cujus examen iis quæ præcedenti Capite dicta ſunt, lucis quidpiam afferre poteſt. Duo igitur expendemus in præſenti, 1. an Confirmatio a Chriſto inſtituta fuerit; 2. ſi ſic, quo tempore. Circa utrumque porro ſcinduntur Scholæ Magiſtri, quorum opiniones ad quatuor reduci poſſunt.

1. enim ſunt, qui totum id quocum perficitur Confirmatio eidem & eſſentiale & a Chriſto ſpecifice inſtitutum eſſe contendant.

2. alii id quidem omne quicum perficitur Confirmatio eidem eſſentiale eſſe credunt, ſed hujus partem, nimirum manus impoſitionem, cum forma ipſi correſpondente a Chriſto, aliam vero partem, unctionem ſcilicet, ab Eccleſia inſtitutam eſſe cenſent. Ita Patres Concilii Moguntini an. 1649. cap. 17. & 18. eaque opinio Contenſonio videtur probabilis.

3. alii nihil eorum ex quibus perficitur Confirmatio a Chriſto inſtitutum eſſe opinantur, ſed vel ab Eccleſia ſola, vel partim ab Apoſtolis, partim ab Eccleſia juxta poteſtatem ipſi inditam a Chriſto. Primum tenet Alenſis, ſecundum tuetur Cardinalis de Vitriaco, qui Sacramentum hoc ratione manuum impoſitionis refert ad Apoſtolos, ad Eccleſiam vero ratione unctionis.

4. alii quidquid eſſentiale eſt Confirmationi ab ipſo Chriſto inſtitutum eſſe docent, ſed non id omne quocum eadem confertur, ad ejus ſubſtantiam pertinere putant. Placet hæc præ ceteris; unde ſit

CONCLUSIO I. Chriſtus eſſentiales Confirmationis ritus immediate inſtituit; nec tamen inſtituit omnes quibuſcum eadem hodie confertur. Secunda pars probabitur in decurſu. Itaque

Prob. 1. pars. Si Chriſtus omnia novæ legis Sacramenta quantum ad eſſentiales ipſorum ritus inſtituerit, profecto & Confirmationem: atqui ex dictis in Tract. de Sacramentis in genere Chriſtus, &c.

Prob. 2. vel Confirmatio ab ipſo Chriſto inſtituta eſt, vel ab Apoſtolis, vel demum ab Eccleſia per poteſtatem ſibi conceſſam a Chriſto: atqui nullum ex his verum eſt præter primum. Non ſecundum cum enim Sacra-

men-

Digitized by Google

mentum ſit res qua gravior nulla fingi poteſt, dubio procul Apoſtoli circa ipſius inſtitutionem eo ſe geſſiſſent modo, quo geſſerunt ſe circa res, quæ tametſi graves, minoris erant momenti, puta electionem Mathiæ in locum Proditoris, inſtitutionem Diaconorum, legalium ſuppreſſionem; neque qui de geſtis in triplici hac occaſione erudiri nos voluit Spiritus ſanctus, quid in Confirmationis inſtitutione geſtum ſit prorſus latere voluiſſet: atqui ne vocula quidem eſt in Actis Apoſtolorum, ceteriſve Scripturis, unde colligi poſſit Apoſtolos ad Confirmationis inſtitutionem eorum quidpiam feciſſe, quod fecerunt ad electionem Mathiæ, &c. Hic preces, deliberatio, Apoſtolorum conſenſus: illic horum nihil; ſed quaſi res jam ſuperne definita ſit, illico quibuſcumque baptizatis imponuntur manus, itaque Spiritum ſanctum recipiunt; ergo ſtat Confirmationem non fuiſſe ab Apoſtolis inſtitutam, ſed ex prævia inſtitutione frequentatam.

Quod ſi ita eſt, multominus adſcribenda erit Eccleſiæ inſtitutio ejuſdem Sacramenti, prout fecit Halenſis. Et vero, ſi ut fingit ille, Confirmatio in Concilio Meldenſi, id eſt poſt ſex aut ſeptem ab ortu Eccleſiæ ſæcula inſtitui potuerit, poterunt etiamnum nova inſtitui Sacramenta; unde enim habet Alenſis poteſtatem inſtitutionis, quam a Chriſto ſupponit Eccleſiæ conceſſam, una cum ſeptimo ſæculo expiraſſe: atqui quod poſſit hodieque Eccleſia Sacramenta inſtituere novum eſt & inauditum; ergo.

Quæres quam mereatur notam opinio Halenſis.

R. 1. eam eſſe falſam, tum quia ſupponit Confirmationem inſtitutam eſſe in Concilio Meldenſi, ubi nulla extat mentio hujus inſtitutionis. Duo enim tantum extant hujuſce Concilii Canones, qui de Confirmatione diſſerant, nimirum 45. quo ſtatuitur, ut Epiſcopi nihil accipiant a Presbyteris pro chriſmatis confectione; & 46. qui præcipit ut iidem Presbyteri novum ſingulis annis feria quinta Cœnæ Domini chriſma accipiant: atqui uterque is Canon Confirmationem ſupponit inſtitutam, non autem inſtituit de facto; ergo. Tum quia etſi Eccleſia poteſtatem accepiſſet Sacramenta inſtituendi, non tamen privata Eccleſia; alias tot ſaltem materialiter extitiſſent Sacramenta quot Diœceſes.

R. 2. eamdem eſſe temerariam, quia a communi Doctorum Eccleſiæ ſenſu gratis recedit.

R. 3. ipſam inſuper hæreſi favere, tum quia grave Catholicis eripit argumentum, quod ipſi ex Scriptura & priorum ſæculorum traditione contra Novatores urgent; tum quia iiſdem Novatoribus exhibendo creatum ſeptimo Eccleſiæ ſæculo Sacramentum, magis eos ab ejus fide deterret.

An autem eadem opinio Hæretica ſit, controvertitur. Negant alii, ut VVitaſſii continuator, 1. quia nullam ei notam hæreſeos affinxit S. Thomas, qui oppoſitam ſententiam non tuetur niſi ut probabilem, quod & fecit Durandus; 2. quia Tridentina Synodus expreſſe cavit ne definiret omnia legis novæ Sacramenta a Chriſto immediate fuiſſe inſtituta, ut nullam Theologorum aliter ſentientium opinioni cenſuram inureret: unde Dominicus Soto, qui Seſſ. 13. Concilii interfuerat, diſerte agnoſcit in 4. diſt. 1. q. 5. a. 2. opinionem eorum, qui Confirmationem & Unctionem proprio Chriſti ore inſtitutas fuiſſe negant, hæreticam non eſſe; quod & tradit Eſtius ead. diſt. 1. §. 16. 3. quia Concilium Vaurenſe ex Provinciis tribus, Narbonenſi, Toloſana, & Auxitana an. 1368. collectum, etſi cap. *T. 2. p. 9.*

B 4 *De*

Digitized by Google

De fide Catholica, &c. expreſſe docet quod Chriſtus *omnia Sacramenta novæ legis per ſemetipſum immediate inſtituit*, non tamen id docet velut articulum fidei, ut ex capitis lectione patet, ubi traduntur multa quæ ad fidem non pertinent; & aliunde privata Synodus articulos fidei condere non poteſt; ergo.

His adhærebo momentis, quod benigniorem in partem propendeant, non quod indubia ſint. Aliud enim eſt aſſerere Confirmationem ab Eccleſia temporibus Apoſtolicis ex commiſſione Chriſti fuiſſe inſtitutam; aliud tueri, nullum in Scriptura aut priorum quinque ſeculorum Traditione extare Confirmationis monumentum. Aſſeratur prius, nihil inde periclitatur fides; aſſeratur poſterius, quid ſentiendum de ea fide, quæ per quingentos annos toti Eccleſiæ incognita fuit, & a privata Synodo exordium habet?

CONCLUSIO II. Certo definiri non poteſt, quo tempore inſtituta ſit Confirmatio. Probabilius tamen, ſi quid hic probabile, eam medio Reſurrectionem inter & Pentecoſtem tempore fuiſſe inſtitutam.

Prob. 1. pars, 1. quia certo non definitur, quod neque ex Scriptura neque ex Traditione certo conſtat: atqui quo præciſe tempore inſtituta ſit Confirmatio, non conſtat certo ex Scriptura, ut ſtatim liquebit, neque ex Traditione, quæ inſtitutionem ubique, nullibi vero inſtitutionis tempus exhibet.

Henno p. 324. Objiciunt quidem aliqui cum Henno Epiſtolam Fabiani, quæ cap. 2. docet chriſma in die Cœnæ inſtitutum eſſe a Chriſto: Verum pace ejuſdem Theologi dictum ſit, Epiſtolam hanc pro ſuppoſititia & octavo circiter ſeculo fabricata habent eruditi omnes, ut & alias Decretales quæ ſummorum Pontificum Urbani, Euſebii, Melchiadis, Damaſi I. Joannis III. & aliorum qui Siricium præceſſerunt, nomine circumferuntur. Ita Joannes Bona Cardinalis, Petrus de Marca, & alii nunc paſſim, 1. ob verborum ſordes a ſæculi II. quo pleræque ſcriptæ dicuntur, nitore & elegantia alienas; 2. ob ſimilitudinem ſtyli qui par in omnibus Epiſtolis occurrit, itaut uno eodemque calamo ſcriptæ videantur; 3. ob frequentiſſimum uſum vulgatæ Scripturarum verſionis; unde eas poſt Jeronymi ætatem confictas fuiſſe neceſſum eſt; 4. ob ſilentium, tum Euſebii, qui Pontificum Epiſtolas ſuo loco & ordine recenſet; tum Hieronymi, quem in exquirendis ubicumque veterum inſtrumentis vigilem, diuque commoratum Romæ tanti pretii monumenta non effugiſſent ſaltem omnia, & qui horum nec in Catalogo de Scriptoribus Eccleſiaſticis, nec alibi uſpiam meminit; tum & præcipue Innocentii, Leonis, Gelaſii, aliorumque Pontificum, qui etſi Prædeceſſorum ſuorum Epiſtolas laudant frequenter, præfatas ubique ſilent; 5. quia, uti omnium primus obſervavit Antonius Archiepiſcopus Tarraconenſis in notis ad Capitula Hadriani, ipſa legum imperatoriarum verba, & quæ ſub Aniani nomine extant ad Codicem Theodoſianum Scholia, iis in Epiſtolis uſurpantur, tametſi qui eas ſcripſiſſe ſupponuntur Pontifices, duobus, tribuſve ſæculis Codicis Theodoſiani editionem præceſſerint; 6. denique Blondellus, eruditus Calviniſta in Opere cui titulus: *Pſeudo-Iſidorus & Turrianus vapulantes*, accurate demonſtravit prædictas Epiſtolas, meram eſſe ſi pauca dempſeris, compilationem Auctorum qui ante ſcripſerunt. Unde contra eumdem Blondellum colliges eaſdem Epiſtolas, etſi non habent vim primævæ antiquitatis, valere tamen ut ſcripta eorum e quibus conteſtæ ſunt.

Adde

Adde in iis reperiri multa, quæ Epiſcopi Romani, Galli, Germani ſua fecerint approbando; & quæ proinde vim legis habent, non quidem ut decreta a Clemente, Anacleto, Evariſto, Pio, Teleſphoro, Fabiano, &c. condita, ſed ut jura a poſterioribus Principibus data. Statutum enim a Principe probatum & permulgatum, jam habet vim legis, etiamſi Principis anteceſſori falſo attributum fuerit. Sane profana teſtimonia utcumque canonizantur ab Apoſtolis, cum ab iis citantur. Verum ut unde digreſſi ſumus, illud revertamur.

Prob. 2. ex confutatione præcipuarum, quæ circa præſentem materiam prodierunt, opinionum. Scilicet enim Confirmatio vel inſtituta eſt, cum Chriſtus parvulis manus impoſuit, Matth. 19. vel cum Apoſtolis Spiritum ſanctum promiſit, Joan. 16. vel cum ultimum Paſcha manducavit; vel cum inſufflavit in Apoſtolos, & inſufflando dixit: *Accipite Spiritum ſanctum*, Joan. 20. vel ipſo Pentecoſtes die, quo Apoſtoli pleno numine roborati ſunt & confirmati, Act. 2. vel demum medio reſurrectionem inter & Pentecoſtem tempore; primum tenent S. Thomas in 4. diſt. 7. q. 1. art. 1. quæſt. 1. ad 1. Aureolus, & Concilium Senonenſe ſeu Pariſienſe an. 1528. ſecundum, idem S. Thomas 3. p. q. 72. art. 1. ad 1. & Dominicus Soto; tertium Catechiſmus Romanus, Suarez, &c. quartum & quintum Scotus: atqui ex his opinionibus nulla eſt, dempta forte ultima, quæ probabili nitatur motivo.

Non prima, tum quia parvuli quibus a Chriſto impoſitæ ſunt manus, necdum baptizati erant, adeoque nec erant Confirmationis capaces; tum quia cum manus impoſitio alia fuerit ad reconciliationem pœnitentium, alia ad Miniſtrorum Ordinationem, alia ad impertiendam ſanitatem infirmis, alia ad benedictionem, alia demum ad robur animæ, probari nequit, poſtremi hujus ordinis fuiſſe eam quæ facta eſt ſuper parvulos, hancque ſanitatis & benedictionis fuiſse cenſent Hieronymus & Anſelmus; tum quia mirum eſſet, quod ante confirmati eſſent infantes, quam Paſtores Eccleſiæ primarii.

Non ſecunda: quia promiſſio Spiritus confirmantis non magis eſt Confirmationis inſtitutio, quam promiſſio carnis vitam æternam daturæ ſit inſtitutio Euchariſtiæ: atqui, &c.

Non tertia: hæc enim ſola Fabiani & Cypriani auctoritate nititur, prioris quidem in citata Epiſtola, poſterioris vero in Tract. de Operibus Cardinalibus: porro utrumque opus apocriphum eſt juxta eruditos, nec antiquum ſatis ut de re antiquiſſima fidem faciat.

Non tertia: Chriſti enim in Apoſtolos inſufflatio non eo vergebat ut confirmarentur in fide, ſed ut peccata remittere valerent, prout indicant hæc quæ uno contextu ſequuntur verba: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c.

Non quarta; tum quia Apoſtoli die Pentecoſtes Confirmationis effectum receperunt ſine Sacramento, cum ad iſtud forma quædam requiratur; tum quia Chriſtus, dum adhuc verſaretur in terris, Eccleſiæ ſuæ fundamenta ponere debuit, ideoque & Sacramenta inſtituere. Itaque

Prob. 2. pars, 1. quia ex modo dictis nullum aliud aſſignari poteſt tempus, quo Confirmatio inſtituta fuerit; 2. quia Confirmationem eo præſertim tempore inſtitui decebat, quo baptizati jam & conſecrati Apoſtoli Sacramentum

tum hoc congrue adminiſtrare poterant, & proxime adminiſtraturi erant ad roborandos Fideles contra fremitus Gentium, & Judæorum conatus; 3. quia ex Act. 1. Chriſtus per illud tempus, cum Apoſtolis ſuis loquebatur *de Regno Dei*, id eſt, juxta Gregorii magni expoſitionem, de Eccleſia ædificanda & adminiſtranda: ad hanc porro ædificationem & adminiſtrationem pertinent in primis Sacramenta; ergo quæ necdum inſtituta erant, tunc temporis inſtituta fuere. Atque id utcumque inſinuant hæc S. Leonis verba Serm. 1. de Aſcenſione: *Hi dies, qui inter Reſurrectionem Aſcenſionemque fluxerunt, non otioſo tranſiere decurſu, ſed magna in eis confirmata ſunt Sacramenta, magna revelata Myſteria.*

CAPUT TERTIUM.

De materia Confirmationis.

NOt. 1. materiam Confirmationis, ut & alterius cujuslibet Sacramenti duplicem eſſe debere, remotam ſcilicet & proximam, prout diximus in Tract. de Sacram. in genere.

Not. 2. Epiſcopum, cui adminiſtranda incumbit Confirmatio, plura facere aut recitare, quæ pro materia vel forma Confirmationis haberi poſſint; 1. enim *junctis ante pectus manibus dicit:* „ Spiritus ſanctus ſuperveniat in vos, & virtus Altiſſimi cuſtodiat vos a peccatis. *Deinde ſignans ſe manu dextra a fronte ad pectus ſigno Crucis, dicit:* „ Adjutorium „ noſtrum in nomine Domini... Domine exaudi orationem meam... „ Dominus vobiſcum. *Tunc extenſis verſus confirmandos manibus, dicit:* „ Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos „ famulos tuos ex aqua & Spiritu ſancto; quique dediſti eis remiſſionem „ omnium peccatorum; emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum ſanctum Paraclitum de cœlis, R. Amen. Spiritum ſapientiæ & intellectus. „ R. Amen. Spiritum conſilii & fortitudinis. R. Amen. Spiritum ſcientiæ & pietatis. R. Amen. Adimple eos ſpiritu timoris tui, & conſigna „ eos ſigno cru✠cis Chriſti, in vitam propitiatus æternam. Per eumdem D. N. J. C. Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate „ Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula, &c. dein *Pontifex... ſummitate pollicis dextræ manus chriſmate intincta dicit:* „ Signo te ſigno cru✠cis: „ & confirmo te chriſmate ſalutis. In nomine Patris ✠ & Filii ✠ &c. *Deinde leviter* confirmatum *in maxilla cædit, dicens:* Pax tecum. Quoniam vero in præſenti caſu nihil circa materiam remotam ſtatui poteſt, niſi ante de proxima conventum ſit, ab iſta ducemus exordium.

ARTICULUS PRIMUS.

De materia proxima.

OMiſſis probris Novatorum, qui totum id unde conſtat Confirmatio pro *ridiculo*, *magico* & *blaſphemo* habent, varias abeunt in partes

Scho-

Scholaſtici : 1. enim contendunt aliqui ſolam manus impoſitionem eſſe materiam eſſentialem Sacramenti, unctionem vero non. Neque hi, ut prima fronte videretur, conſentiunt inter ſe. Quidam enim per manus impoſitionem, quam Confirmationi eſſentialem putant, eam intelligunt, quæ fit *extenſis verſus confirmandos manibus*, dum recitatur oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus*, &c. quæ proin chriſmatis unctionem præcedit: ita Sirmondus. Quidam econtra eam intelligunt impoſitionem, quæ frontis unctioni conjungitur (neque enim frons ungi poteſt, quin ei manus imponatur.) Quidam alterutram nihil definiendo. Neque minus dividuntur iidem circa unctionem; alii enim ipſam habent ut conditionem *ſine qua non*, quo fere modo Theologi docere ſolent Matrimonii ſolemnitatem eſſe conditionem ſine qua non valet matrimonium; alii eam habent pro parte integrante, qualis eſt ſatisfactio in Pœnitentia; alii pro cæremonia pure accidentali, quæ nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis inſtituta fuerit.

2. exiſtimant plures ſolam unctionem eſſe neceſſariam Confirmationis materiam; quam quidem ex his aliqui cenſent impoſitioni manuum fuiſſe ſubſtitutam; aliqui vero putant ſemper quidem adjunctam fuiſse impoſitioni manuum, ſed ut ritum eſſentialem accidentali.

3. utramque alii ſententiam conciliant, & impoſitionem manus, ſimulque chriſmationem volunt eſſe integram & adæquatam Sacramenti materiam, ita ut ex hac vel illa diviſim ſumptis nullum exurgat Sacramentum. Et hi quoque duas in claſſes dividi poſſunt, quarum alia ad unctionis eſsentiam requirit oleum balſamo miſtum & ab Epiſcopo benedictum; alia miſtionem hanc & benedictionem negat ad Sacramenti eſſentiam pertinere. His obiter præmiſſis quæ fuſe evolvit Tournely, fuſius vero VVitaſſii continuator, ſit

CONCLUSIO I. Impoſitio manus & unctio ſunt adæquata & eſſentialis materia Confirmationis.

Prob. ea eſsentialis eſt Sacramenti alicujus materia, cujus applicatione gratiam roborantem conferri docet conſtans priorum duodecim Eccleſiæ ſæculorum praxis, cui nihil deinceps detrahi potuit: atqui roborantem gratiam manus & unctionis applicatione conferri docet, &c. Tres ſunt minoris partes ſeorſim probandæ.

Prob. itaque 1. pars de impoſitione manus. Et quidem primi ſæculi praxim atteſtantur citata ſuperius Act. Apoſtolorum capita 8. & 19. in quibus de Confirmatione agi probavimus, tum ex ipſo contextu; tum ex ſententia Patrum; tum ex eo quod alioqui Confirmationis exiſtentia non poſſet e Scripturis evinci contra recentiores Hæreticos, cui incommodo, quantum poſsunt, obviam ire debent Catholici.

Pro ſecundo ſæculo pugnant e Latinis Tertullianus *, e Græcis S. Irenæus, qui Lib. 4. adverſus Hæreſes c. 38. docet *Apoſtolos per manus impoſitionem dediſſe Spiritum ſanctum;* & ibid. Lib. 1. c. 18. poſtquam retulit varios modos quibus Valentiniani & Gnoſtici baptizabant & inungebant opobalſamo; eos quidem reprehendit quod ungerent ſolo balſamo, vel oleo & aqua ſimul permiſtis, ſed nullibi arguit præciſe eo quod ungerent, ſicut nullibi arguit præciſe quod baptizarent: ac proinde ut Baptiſmi ſubſtantiam, ſic & Confirmationis ſubſtantiam approbat, quam proinde partim in impoſitione manuum juxta Apoſtolorum praxim, partim

* *Supra pag. 6.*

partim in unctione legitime facta reponit. *Vid. VVitaſſ. Tom.* 1. *p.* 79. *&c.*

*Sup.p.7. Pro tertio ſæculo e Latinis Cyprianus Epiſt. 79. ad Jubajanum *, cui apertiſſime conſentiunt Epiſcopi 86. qui cum eodem Cypriano interfuerunt tertio ejus Concilio apud Carthaginem habito an. 256. E Græcis vero plures ex iis qui prædictæ Cypriani Synodo intererant, præcipue vero Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, inſignis, teſte apud Euſebium Dionyſio Alexandrino, Origenis diſcipulus, & eo ſolum infelix, quod nimio æſtu S. Stephanum exagitavit. Hæc ille in Epiſt. ad Cyprianum inter Cyprianicas num. 75. *Omnis poteſtas a gratia in Eccleſia conſtituta eſt, ubi præſident Majores natu, qui & baptizandi, & manus imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem.* Hic Confirmatio, quæ Baptiſmum ſequitur, Ordinationemque præcedit, & utrique comparatur, ſimpliciter deſignatur per impoſitionem manus, utique quia nuſquam ſine ipſa conferebatur.

Pro quarto ſæculo e Latinis præter Illiberitanos Patres qui dubiæ ſunt *Sup.p.8. in nota. ætatis *, Patres Arelatenſis Concilii I. an. 314. ubi ſic Can. 6. *De his qui in infirmitate credere volunt, placuit eis debere manum imponi;* utique *ſi fuerit eorum ex aliqua parte honeſta vita*, prout ſanxerat Illiberitana Synodus Can. 39. cujus Spiritum hic ſequitur Synodus Arelatenſis. Porro iſtam manus impoſitionem vere confirmatoriam fuiſſe credimus contra Binium & Sirmundum cum Albaſpinæo, non vero baptiſmalem; tum quia nullibi exprimitur Baptiſmus nomine impoſitionis manuum; tum quia nemo iis temporibus dubitabat, aut dubitare poterat an Gentiles qui Baptiſmum expetunt, baptizandi eſſent cum conſuetis Eccleſiæ cæremoniis; poterat vero dubitari an iiſdem ſacra Confirmatione donandi eſſent; & donandos definiunt Patres, modo tamen *vita eorum* prius *ex aliqua parte honeſta fuerit;* quæ poſterior conditio nuſquam requiſita fuit, nt Gentili in extremis baptiſmum poſtulanti idem Baptiſmus conferretur. E Græcis vero præ-

* Sup. p. 11. ter Chryſoſtomum ſupra *, qui docet Spiritum ſanctum nunc ab Epiſcopis conferri, prout olim conferebatur ab Apoſtolis, ac proinde per impoſitionem manuum, pugnant pro nobis Nicæni Præſules, qui Can. 8. ſanciunt *Catharos*, ſeu Novatianos *ad Eccleſiam redeuntes recipiendos eſſe per manus impoſitionem:* atqui ea manus impoſitio non erat ordinatoria, uti Gratiano in cap. 8. C. 1. q. 7. & Morino 3. p. c. 7. num. 14. & 15. de Ordine viſum eſt; ſed confirmatoria; tum quia nuſquam auditum eſt Novatianos ad Eccleſiam redeuntes, iterum ordinatos fuiſſe; auditum vero ſæpius eoſdem confirmatos fuiſse, quia ad exemplum Magiſtri ſui Confirmationem ſæpe negligerent *; tum quia Innocentius I. Epiſt. 1. cap. 8. alludens ad citatam Concilii Nicæni legem hæc loquitur: *Venientes a Novatianis vel Montenſibus per manus impoſitionem ſuſcipiantur; quia quamvis ab Hæreticis, tamen in Chriſti nomine ſunt baptizati;* ubi eadem eſt ratio Novatianorum quæ Montenſium ſeu Donatiſtarum: porro Donatiſtæ non recipiebantur per ordinatoriam manus impoſitionem; tum denique quia Siricius Papa in Ep. ad Himerium Tarraconenſem c. 2. *Arianos*, inquit, *cum Novatianis, aliiſque Hæreticis, ſicut in Synodo * Conſtitutum*

(margin: *Sup.p.3.)

* Synodum hanc de Nicæna interpretantur VVitaſſii Continuator Tom. 1. p. 237. & alii paſſim; de Arelatenſi I, Tournely p. 603. Nota præſentis Concluſionis probationes plurimum pendere ab appendice de valore Confirmationis ab Hæreticis datæ, quæ idcirco jam nunc conſulenda eſt.

Digitized by Google

ſtitutum eſt, PER INVOCATIONEM *ſolam* (idest, ſecluſam a Baptiſmo, quem etiam in hæreſi rite datum valere judicamus) SEPTIFORMIS SPIRITUS, *Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum Conventui ſociamus ; quod etiam totus Oriens, Occidenſque cuſtodit*. Unde ſic: impoſitio manuum de qua loquitur Nicæna Synodus, ea eſt juxta Siricium, per quam invocatur ſeptiformis Spiritus; ergo eadem impoſitio eſt neceſſario confirmatoria.

Pro quinto ſæculo decertant e Latinis Hieronymus & Auguſtinus jam* laudati; * e Græcis vero Theodoretus in cap. 6. Epiſt. ad Hebræos, ubi sic: *Qui crediderunt ..... per manum ſacerdotalem Spiritus gratiam accipiunt*. Concinit Gennadius, qui an. 458. Eccleſiæ Cp. Archiepiſcopus inauguratus eſt; is enim in prædictum Paulinæ Epiſtolæ locum, *Vult autem* Apoſtolus, inquit, *dicere, ut ..... credentes baptizentur, baptizati autem ſe ipſos ſubjiciant impoſitioni manuum Sacerdotum ad participationem Spiritus*, & infra: *Vigila: neque enim licitum eſt, ut ſi ſegniter vivas, rurſum baptizeris, & per manuum impoſitionem accipias Spiritus ſancti ſuperventionem*. *Sup. 7. & 12.

Pro ſexto ſæculo e Latinis S. Gregorius. Sic ille in Sacramentario, ubi Confirmationis ritum deſcribit: *Levata manu* Epiſcopus *ſuper capita omnium dicit, Omnipotens ſempiterne Deus ... emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum*, &c. Dictitat quidem Dallæus Opus illud, ut ſolent Libri Rituales, additis pluribus, forte & detractis quibuſdam interpolatum fuiſſe: Sed quis gratis loquenti fidem habeat? certe præfata verba habet manuſcriptus Codex Hugonis Menardi annis & eo amplius octingentis vetuſtior, cui conſentiunt ceteri quotquot ſuperſunt vetuſti magis & melioris notæ Codices MSS. Præſto eſt eodem ſæculo e Græcis Eulogius, qui an. 581. Alexandrinæ Eccleſiæ præfuit. Is porro ſic loquitur apud Photium in Bibliotheca Cod. 289. *Oportet accedentes ad Chriſtum ...... redemptionem priorum peccatorum per Baptiſmum accipere .... Deinde progreſſione facta dignos reddi adventu Spiritus ſancti, qui per impoſitionem manuum Apoſtolorum fiebat*, & infra: *Non poteſtis fundamentum fidei iterum accipere, nec Baptiſma ſecundum, nec manuum impoſitionem*. Ecce hic manuum impoſitione, tamquam ritu a Baptiſmatis celebratione diverſo idem confertur Spiritus, qui olim per Apoſtolicam manuum impoſitionem conferebatur.

Pro ſeptimo ſæculo noſtrum eſt apud Latinos Concilium Hiſpalenſe an. 619. coactum, quo ſancitur non licere Presbyteris *per impoſitionem manus fidelibus baptizatis, vel converſis ex hæreſi, Paraclitum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare ...... quia Pontificatus apicem non habent*: ubi ad infuſionem Spiritus Paracleti pari concurrunt gradu & unctio chriſmatis, & manus impoſitio. Græcorum vices ſupplebit hoc ſæculo Iſidorus Hiſpalenſis, quem Patres Toletanæ Synodi VIII. *Doctorem egregium, & noviſſimum Eccleſiæ decus appellant*. Is porro Lib. 2. de Officiis Eccleſiaſt. cap. 26. ſic habet: *Poſt Baptiſmum per Epiſcopos datur Spiritus ſanctus cum manuum impoſitione: hoc in Actibus Apoſtolorum feciſſe meminimus Apoſtolos*.

Pro octavo ſæculo ſatis fuerit adduxiſſe Ordinem Romanum, quo Latinæ Eccleſiæ praxis continetur. Sic ibi cap. de ordine in nocte & die Sabbati ſancti: *Pontifex veniens ad infantes* jam ante baptizatos ...... *impoſita manu ſuper capita eorum, dicit orationem ſuper eos, cum invocatione ſeptiformis*

Spiri-

Digitized by Google

Spiritus S. Oratione impleta .... Pontifex tincto pollice in chriſmate faciat crucem in frontibus ſingulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris, &c. ubi nihil eſt cur manus impoſitio minus pertineat ad ſubſtantiam Confirmationis, quam ipſa unctio.

Pro nono ſæculo ſuffragium dabit inter Latinos Jeſſe Ambianenſis, qui Noviomenſi 814. Concilio interfuit. Is in Epiſt. de Baptiſmo: *Poſt hæc*, inquit, *confirmat Epiſcopus in fronte de chriſmate; ideoque manus impoſitio fit, ut per benedictionem advocatus & invitatus Spiritus ſanctus, ſuper eos deſcendat, juxta exemplum Apoſtolorum*, *Act.* 8. Inter Græcos, Photius qui an. 858. creatus eſt Cp. Patriarcha. Ille porro apud Oecumenium in cap. 6. Epiſt. ad Hebræos, *impoſitionem manuum* de qua loquitur Apoſtolus ibid. v. 2. idem eſſe declarat ac *recipere Spiritum ſanctum*.

Pro ſæculo decimo, Scriptorum, ſaltem circa præſentem materiam, quæ ad nos pervenerint, minime feraci, unum proferemus Oecumenium, qui & Photii ſenſum adoptat, & hæc repetit, quæ ſupra laudavimus Gennadii verba: *Neque enim, ſi ſegniter vivas, licitum eſt, ut .... per manuum impoſitionem accipias Spiritus ſancti ſuperventionem*. Jam

Prob. 2. pars de unctione: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica auctoritate traditum rectiſſime creditur*, ex Auguſtino Lib. de Bapt. c. 24. atqui prioribus decem æræ chriſtianæ ſæculis tenuit Eccleſia Confirmationem unctione perfici. Prob. min. ſelectis aliquot veterum teſtimoniis; & quidem e Latinis docent id aperte Tertullianus, juxta quem *caro ungitur, carnaliter currit unctio;* Cyprianus, juxta quem baptizatos *ungi neceſſe eſt, ut habere in ſe gratiam Dei poſſint;* Optatus Milevitanus, qui Lib. 7. contra Donatiſtas tradit, quod *oleum animum innovat*, & *ſedem Spiritui ſancto parat, ut illic libenter inhabitare dignetur*. Pacianus Barcinonenſis, qui Serm. ad Fideles: *Lavacro*, inquit, *peccata purgantur, chriſmate Spiritus ſanctus ſuperfunditur: utraque vero iſta manu & ore Antiſtitis impetramus*. Ambroſius, quo teſte *Sacerdos baptizatum ungit in vitam æternam*. Auguſtinus paſſim ubi ſupra. Gregorius magnus, qui in expoſitione cap. 1. Cantic. *Balſamum cum oleo*, inquit, *Pontificali benedictione chriſma efficitur, quo dona Spiritus ſancti exprimuntur*. Concilium Hiſpalenſe II. ſecundum quod *impoſitione manuum & chriſmate Paraclitus Spiritus traditur*. Beda Commentar. in c. 22. Luc. ubi *omnes in morte* Domini *baptizatos, altiſſimo ſancti Spiritus chriſmate confirmandos* tradit. Jeſſe Ambianenſis ſupra laudatus; & ex iis plerique qui de rebus Eccleſiaſticis tractarunt, ut Amalarius Fortunatus ex Alcuini diſcipulo Epiſcopus Trevirenſis, &c.

E Græcis idem aſtruunt Patres tum Laodiceni, qui Phrigiæ Eccleſiæ praxim indicant; tum qui Concilio Cp. I. interfuere an. 381. ibi enim Can. 7. jubetur ungi hæreticos ad Eccleſiam redeuntes *ſancto chriſmate* ad *frontem & oculos, & nares, & os & aures;* & ſignando dici, *Signaculum doni Spiritus ſancti*. Subſcribunt Cyrillus Jeroſolymitanus; Theodoretus, qui Lib. 4. in Cant. ait Baptizatos *velut ſigillum quoddam regium* ſuſcipere *ſpiritalis unguenti chriſma, recipientes gratiam inviſibilem ſanctiſſimi Spiritus unguento tamquam in typo*. Cyrillus Alexandrinus Comment. in Joel, ubi ſic: *Data eſt nobis ſeu pluvia, aqua vivens ſacri Baptiſmatis .... Acceſſit item uſus olei, qui per ſacrum Baptiſma in Chriſto juſtificatis ad conſummationem confert*.

fert. Job Monachus apud Photium Cod. 222. *Primo*, inquit, *nunc baptizamur; inde pretioſo ſanguine dignamur*. Maximus, Abbas Cp. qui pro defenſa contra Monothelitas fidei veritate martyr occubuit an.657. in Scholiis ad cap. 2. Lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia, ſic habet; *Deſcendit* Epiſcopus *ad eum qui converſus eſt* & baptizatus .... *ungit & obſignat* ... eximium *unguentum & homines in ſuavitate monet*, &c. in cap. 4. *Perficit omnia divinum unguentum cum effunditur, quemadmodum ſumptio ſancti corporis & ſanguinis*. In idem conſpirant *antiquiſſima*, poſt Goarium loquor, *antiqua, & recentia Græcorum Euchologia*, quæ ubi Confirmationis ritum deſcribunt, chriſmationi præmittunt orationem, qua Miniſter a Deo petit, ut per unguentum gratiam conferat Neophyto; huic autem chriſmatis applicationi reſpondent hæc verba: *Signaculum doni Spiritus ſancti*. *Amen*.

Ex quibus ſic iterum paucis: Si unctio non niſi integrans aut accidentalis ſit Confirmationis materia, fieri non potuit ut tota Traditio de ea locuta fuerit tamquam de manuum impoſitione, quam adverſarii ſolam eſſe materiam eſſentialem contendunt: atqui tamen tota Traditio de unctione prout de impoſitione manuum locuta eſt; nec ullum inter utriuſque efficaciam ex eadem Traditione diſcrimen aſſignari poteſt. Tribuitur manuum impoſitioni quod ſeptiformem Spiritum conferat, quod baptizatos perficiat, quod a ſolis Epiſcopis fieri poſſit, &c. idem ubique tribuitur unctioni; ergo periculoſum eſt ne quæ conjunxit Deus, disjungat homo. Jam

Prob. 3. pars primæ minoris. Ut materiæ, quæ prioribus decem Eccleſiæ ſæculis ad Confirmationis eſſentiam pertinebat, detrahi nihil potuerit, unum ſatis eſt, nimirum ut Eccleſia nihil poſſit in materiam & formam Sacramentorum: atqui res ita ſe habet, ut alibi probatum eſt; ergo.

Obj. contra 1. partem, 1. ſi manuum impoſitio ſit Confirmationi eſſentialis, vel ea quæ unctionem præcedit, vel ea quæ unctioni annexa videtur, vel utraque ſimul: atqui ex his nullum eſt quod dici poſſit.

Non 1. ſiquidem nulla eſt apud Græcos manus impoſitio unctioni prævia, ut conſtat tum ex eruditorum conſenſu, tum ex antiquiſſimis quibuſque & novis eorumdem Euchologiis, ubi poſt recitatam ſine ulla impoſitione orationem, qua Sacerdos Deum deprecatur, ut *Signaculum doni ſancti Spiritus, & ſancti Corporis & pretioſi Sanguinis Chriſti ſui communionem* confirmando *largiatur*, *ungit* idem Sacerdos *baptizatum ſancto unguento*, *ſignum crucis faciens in fronte, oculis, naribus, ore, auribus, pectore, manibus & pedibus dicens*, *Signaculum doni Spiritus ſancti*, *Amen*: atqui tamen valet confirmatio apud Græcos; tum quia eorum de ſeptennario Sacramentorum numero fidem Calvinianis & Lutheranis conſtanter objecere Catholici Doctores; tum quia Eccleſia Romana Græcos in ſchiſmate confirmatos nuſquam denuo confirmavit, cum reverſi ſunt ad unitatem, imo neque cum initiari voluere ſacris Ordinibus: quod tamen non omiſiſſet, ſi dubiam habuiſſet eorum Confirmationem; quandoquidem hæc juxta ſacros Canones ipſi etiam Tonſuræ præmittenda ſit; tum quia Florentini Patres nihil Græcis circa materiam & formam Confirmationis objecere, tametſi ab iis quæſierint, cur apud ipſos Neophyti a ſimplicibus Presbyteris confirmarentur.

Non 2. tum quia ſi quæ requireretur manus impoſitio, ea certe de qua

qua locuti ſunt Patres: atqui Patres de impoſitione ab unctionis actu diſtincta locuti ſunt. Sic, ut ceteros, omittam, Tertullianus, *Caro ungitur ..... Caro ſignatur .... Caro manus impoſitione adumbratur*. Tum quia, ut ſcite contra Aurelium arguit Sirmundus in Antirrhetico 2. nihil ridiculum magis quam *impoſitionem manus in frontis unctione quærere*. Ecquis, Vit taſ. 1. 570. niſi preſſus ſyſtematis neceſſitate, dixerit, hominem qui alium ungit, eidem manus imponere, præſertim ſi in fronte ungat, non in vertice? Certe manus impoſitio quam præſcripſere Patres, ab iiſdem vocatur *Capitis adumbratio*, *manus extenſio*, *elevatio*, *expanſio*, quæ verba ſpecialem & diſtinctam manus impoſitionem deſignant.

Non 3. quia ſic quoque nutaret confirmatio Græcorum, apud quos ne una quidem eſt, nedum duplex fingi queat, impoſitio manus; ergo.

Reſpondent 1. aliqui neg. min. pro prima parte, & dicunt impoſitionem primam, eam ſcilicet quæ unctionis actionem præcedit, eſſe Confirmationi eſſentialem; quia Patres & Concilia de unctione & impoſitione tamquam de actibus plene diſtinctis ſermonem habuiſſe videntur.

Nec eſt, quod objiciatur Græcorum praxis, 1. quia Græci Doctores quos appellavimus, adeo inter confirmandum utebantur explicita, ſi ita loqui licebit, manus impoſitione, ut vel unctionis ipſius non meminerint, vel eam exprimant ut actionem ab impoſitione diverſam, qua de re vide ſuperius Teſtimonium Firmiliani; 2. quia etiamnum extant tria Græcorum Euchologia, quorum priora duo nongentorum annorum canitie veneranda ſunt, ut cum Morino loquar, poſtremum annis ſexcentis antiquius eſt: in iis porro ubi ſermo eſt de adminiſtranda hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus Confirmatione, is ſancitur ritus: *Sacerdos manus habens ſuper caput hæretici converſi fundit orationem, qua invocat Spiritus ſancti adventum* „ Deus Salvator noſter, &c. dignare illum ſigillo divini „ unguenti, & adventu Spiritus ſancti, *poſthæc ungit eum Sacerdos unguento, ſicut Neophytos, eamdemque formulam ſuper eo recitat:* ubi impoſitionem, ſi quæ eſt annexa unctioni, præcedit alia manus impoſitio.

Sed quid ad recentiores Græcos quorum praxis Florentiæ approbata eſt. Reponit Sambovius, eos in oratione unctioni prævia adhibere manus impoſitionem ex antiqua conſuetudine, licet in recentioribus Euchologiis jam non expreſſa. Et vero *quid aliud eſt manus impoſitio, quam oratio ſuper hominem*, ait Auguſtinus Lib. 3. de Bapt. c. 16.

Hæc ſolutio, ſi qua parte hodiernam Græcorum praxim ſpectat, vera non eſt, optandum ut vera fiat; quod quantum ad Græcos qui in Catholicis Regionibus degunt, Romanorum Pontificum monita facile præſtabunt. Etſi enim, prout mox apparebit, ſapienter defendi poteſt impoſitionem ab unctionis actu diſtinctam haud requiri ad Sacramenti valorem; eſt tamen ea tantæ in utraque Eccleſia antiquitatis, & tam crebro ubique Gentium inculcata, ut qui eam deeſſe viderit, nonnihil patiatur, & quaſi invitus pro Sacramenti ſubſtantia formidet; præſertim cum argutiæ Theologicæ, quæ identidem fallunt, nec efficere valent ut quæ juxta Chriſti inſtitutionem eſſentialis eſt materia, fiat accidentalis, tanto malo mederi non poſſint.

Habert p. 285. Atque hinc obiter colliges cum Pariſienſi Doctore ſummopere curandum in magno chriſmandorum concurſu, ne quis unctione donetur, niſi

niſi prævia illi de qua loquimur, manuum impoſitioni fuerit ſubjectus: Idque ſi verum eſt in eorum ſententia, qui impoſitionem hanc pro ritu accidentali habent (cum ex uſu & præcepto Eccleſiæ, quod in Sacramentorum ritu incaute omiſſum eſt, caute ſuppleri debeat, ut patet in Baptiſmi cæremoniis, quæ in neceſſitatis caſu prætermiſſæ ſunt) quanto magis verum erit in opinione tot magni nominis Theologorum, qui iſtam hanc impoſitionem habent pro eſſentiali. Quapropter qui Epiſcopo a mane ad veſperam quandoque Confirmanti adſunt, ſatagere debent, ut, cum recitanda eſt prima oratio, cui manuum impoſitio annexa eſt, jam præſentes ſint animo & corpore, quotquot illico ungendi ſunt; ceteri autem qui e vicinis Parochiis confluunt, extra Eccleſiam foribus occluſis commorentur, donec finita ab initio ad finem priori cæremonia, nova in ipſorum gratiam a principio inchoetur. Sed ut ad propoſitum revertamur,

R. 2. neg. maj. ad ſenſum objectionis: quia prima impoſitio non ſic neceſſaria eſt ut non poſſit ſufficere ſecunda, nec ſecunda ſic requiritur, ut ſi prima ſolum poſita fuerit, periclitetur Sacramentum. Unde valeret Confirmatio poſt recitatam cum impoſitione ſibi annexa orationem, etiamſi, quod forte non contigit hactenus, Epiſcopus ungeret ſine impoſitione manus, puta ope inſtrumenti cujus applicatio non poſſet moraliter cenſeri impoſitio manus. A contrario valet Confirmatio apud Græcos, etſi forte primam impoſitionem omittant, quia ſecundam adhibent. Quapropter nihilo plus ſolida eſt propoſita objectio, quam quæ, cum olim trina immerſione conferebatur Baptiſmus, propoſita eſset in hunc modum: Si ad Baptiſmum requiratur immerſio, vel prima quæ fit cum enuntiatur nomen Patris; vel ſecunda, quæ fit cum profertur nomen Filii, &c. ſicut enim non hæc vel illa excluſive, ſed una ex tribus neceſsaria erat, ſic & in præſenti. Quare porro, quia quemadmodum immerſionem, quæ forſitan ab initio triplex fuit, contrahere potuit Eccleſia, & ad unam, imo ad aſperſionem vel infuſionem redigere, quoniam ſic adhuc verificatur illud Chriſti: *Baptizate*; ſic & impoſitionem, quæ forte ab initio gemina erat, in unam potuit contrahere, quia & ſic ſtat illud Traditionis, *Manum imponite*.

Nec nocent quæ contra opponit doctiſſimus Sirmundus. Non 1. quod e Patribus petitum eſt; quia Eccleſiæ Doctores, cum de bina loquuntur impoſitione, non magis binam requirunt ad ſubſtantiam Confirmationis, quam trinam immerſionem ad ſubſtantiam Baptiſmi, cum de trina ſermonem habent: atqui hoc non; ergo nec illud. Et vero Patres ſæpe ſæpius de ſola unctione, tamquam neceſsaria Confirmationis materia loquuntur; ergo docent ſufficere eidem annexam manus impoſitionem.

Non 2. quod enim ut abſurdum & ridiculum explodere nititur Sirmundus, hoc & Scripturæ, & graviſſimis Doctoribus congruit. Sic Bellarminus ubi de Confirmatione cap. 2. *ipſa unctio & ſignatio, cum manu fiat*, pollice ſcilicet, ut manus capiti apertius imponi poſſit, *manus impoſitio rectiſſime dicitur, ut docet Hugo. Unde etiam Marci 7. cum poſtulaſſent quidam ut Dominus manus imponeret lunatico, ille id fecit, nam digito tetigit linguam & aures ejus.* Sic Beda in Pſalm. 26. *Illa unctio quæ per manus impoſitionem ab Epiſcopis fit, & vulgo Confirmatio dicitur.* Sic Carolus magnus Lib. 7. Capitularium, *Ne quis a Chorepiſcopis per manus impoſitionem conſignari vel confirmari velit*,

Sic Rabanus Lib. 1. de Inſtit. Clericor. c. 28. *Epiſcopus baptizatum per manus impoſitionem cum ipſo chriſmate conſignat*. Sic, ut Ratramnum, Ivonem Carnutenſem, Amalarium, & alios ejuſdem momenti complures omittam, Innocentius III. in Lib. Decretal. tit. 4. cap. *quanto: Sacramentum Confirmationis chriſmando renatos ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre:* quod & probatum eſt a Gregorio X. ut conſtat ex Michaelis Paleologi Epiſtola ad eumdem Pontificem in Concilio Lugdunenſi II. relata.

Quod dicit Sirmundus, ne unctioni quidem verticali inditum eſſe nomen impoſitionis manuum, quod plus illa mereretur quam unctio frontalis, falſum eſt, & tametſi verum ſupponeretur, nihil concluderet. Falſum eſt quidem, quia ex Hugone Victorino Lib. 2. de Sacram. part. 7. c. 3. *Silveſter Papa conſtituit, ut baptizatum Presbyter in vertice chriſmate liniat propter occaſionem tranſitus mortis, ne forte propter abſentiam Epiſcopi .... ſine manus impoſitione baptizatum ab hac vita migrare contingat*. Ubi unctio verticalis vocatur manuum impoſitio. Idem iiſdem fere verbis habet Rupertus Abbas Lib. 5. de divinis Officiis cap. 26. ubi autem eſt impoſitio manus, ibi eſt ejuſdem manus extenſio, expanſio, & capitis adumbratio. Deinde nihil mirum ſi verticalis unctio nullibi vocetur impoſitio manuum: quia in unctione baptiſmali, ſicut & in extrema unctione, ſola unctionis ratio conſiderata eſt, non autem manus impoſitio, quæ ſemper habita eſt ut aliquid concomitans, non ut aliquid eſſentiale. Ecquis Baptiſmum per manus impoſitionem dari dixerit, eo quod ſine manus impoſitione ablui non poſſit caput infantis.

Ex dictis liquet duas forte, & unam ad minus apud Græcos eſſe manus impoſitionem, eamque ſatis eſſe ad Confirmationis ſubſtantiam. Atque hinc haud ſatis ſcio qua ratione Tournelyum cum Tournelyo conciliem. Is enim p. 475. ſe hinc a Sirmundi opinione revocari ait, *quod vix cum illa ſtare ac defendi poſſit veritas Sacramenti Confirmationis apud Græcos poſteriores, quos certum eſt*, inquit, *nullam habere manus impoſitionem confirmatoriam diſtinctam ab unctione chriſmatis:* & tamen pag. 477. ſic loquitur: *Nos manus impoſitionem, quæ ab initio ritus ab Epiſcopo fit, & tempore diſtincta eſt ab unctione, ad ſubſtantiam Confirmationis pertinere arbitramur*, quæ eſt Sirmundi opinio.

Verum ſeu hic cohæreat ſibi, vel non, Doctor celeberrimus, merito addit, 1. poſtulare Sacramenti reverentiam & ſecuritatem ut utraque impoſitio rite obſervetur, prout fit in Eccleſia Latina; 2. haud definitum eſſe utramque impoſitionem requiri ad validitatem Confirmationis, cum ſilente Eccleſia & Doctores doctoribus, & privata Concilia privatis Conciliis, Bituricenſe v. g. an. 1584. can. 3. de Confirmatione, Moguntino an. 1549. cap. 17. & 18. adverſentur.

Obj. 2. in utraque Eccleſia Confirmatio per ſolam unctionem quarto & quinto ſæculo collata fuit; ergo & per eamdem ſolam unctionem tribus prioribus ſæculis collata fuit. Conſequentia evidens eſt ex citata Auguſtini regula Lib. 4. de Bapt. cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime traditur*. Itaque

* Sup. p. 10. Prob. ant. 1. ex S. Cyrillo qui Catech. 3. hæc habet: *Vobis poſtquam ex aquis ſacri lavacri aſcendiſtis, datum eſt chriſma*, &c. ut ſupra; * 2. ex Auguſti-

Digitized by Google

guſtino Lib. 5. de Baptiſmo cap. 20. ubi ſic: *Si .... per peccatorem Sacramenta non celebrantur* valide, *quomodo exaudit* Deus *homicidam deprecantem vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam;* ubi Confirmatio non minus unctione olei perfici ſupponitur, quam Baptiſmus per infuſionem aquæ. Ita Simmonet pag. 448.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. conſeq. non enim magis ex eo quod Patres multi de ſola unctione loquantur, colligi poteſt excluſam ab iis fuiſſe manus impoſitionem, quam ex eo quod Patres alii pares numero, niſi plures, ſolius impoſitionis manuum meminerint, colligi poſſit excluſam ab iis fuiſſe unctionem: atqui poſtremum hoc non dicent adverſarii; ergo nec eſt cur primum aſſerant. Stet igitur Confirmationem prioribus ſæculis ungendo datam eſſe, verum ſtet ſimul eam impoſitione manuum, & quidem duplici, ſed quæ ad unam redigi potuerit, fuiſſe collatam.

Inſt. Patres qui Confirmationem manuum impoſitione tradi docuerunt, per impoſitionem hanc nihil aliud intellexere quam unctionem ipſam; ergo ex eorum teſtimoniis nihil concludi poteſt in gratiam aſſertionis noſtræ. Prob. ant. ex Theodoreto, qui impoſitionem de qua ſermo eſt in octavo Canone Concilii Nicæni interpretatur de unctione; ſic enim Lib. 3. Hæretic. fabular. cap. de Novato ſeu potius de Novatiano loquitur: *Eos qui ex hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur, benedicti Patres* Concilii Nicæni *ungi juſſerunt*. Quis porro notiorem ſibi quam Theodoreto Concilii Nicæni ſenſum imaginetur? quidni vero ſic explicentur textus omnes, qui cum de Confirmatione agitur, impoſitionis manuum meminerint.

R. ad 1. neg. ant. non enim magis Patres unctionem deſignaſſe cenſendi ſunt, cum meminerunt impoſitionis manuum, quam impoſitionem manuum, cum meminerunt unctionis.

Neque contrarium probat textus Theodoreti, cum is dici poſſit non alludere ad Canonem 8. Concilii Nicæni, prout gratis fingunt adverſari, ſed ad Canonem VII. Concilii generalis II. ubi præcipitur ut Novatiani, qui Magiſtri ſui exemplo Confirmationem lubenter omittebant, ſignentur, ſive ungantur ſancto chriſmate ſub hac forma: *Signaculum doni Spiritus ſancti*. Ita fatetur Auctor Diſſertationum nuper editarum ſub nomine Dugueti, qui manuum impoſitionem nec Confirmationis, nec alterius cujuſvis Sacramenti materiam eſſe poſſe contendit; quem conſule diſſert. 31.

Deinde dato quod alludat Theodoretus ad Canonem Concilii Nicæni, quid tum, niſi unum iſtud; Confirmationem quandoque per impoſitionem, quandoque per unctionem fuiſſe deſignatam, quia adeo utroque ritu perficiebatur, ut qui unum appellaret, alterum indicare cenſeretur.

Obj. 4. ea ſola admitti debet Confirmationis materia, quam admiſere Romani Pontifices & Concilia: atqui unctionem ſolam .... Prob. min. 1. ex Innocentio III. qui cap. unic. *De ſacra unct.* §. 3. hæc loquitur: *Per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus ſanctus ad augmentum datur & robur: unde cum ceteras unctiones ſimplex Sacerdos vel Presbyter valeat exhibere, hanc non niſi ſummus Sacerdos, ideſt Epiſcopus debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum Vicarii ſunt Epiſcopi, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant.* Ubi cum frontis chriſmatio ſit illud per quod datur Spiritus ſanctus, conſequens eſt eam ſolam eſſe Confirmationis materiam. Idem docet Innocentius IV. Epiſt. 10.

Digitized by Google

Lab. T. 11. pag. 676. cap. 4. ubi ſic: *Soli Apoſtoli, quorum vices gerunt Epiſcopi, per manus impoſitionem, quam Confirmatio, vel frontis chriſmatio repræſentat, Spiritum S. tribuiſſe leguntur.*

2. ex Eugenio IV. in Decreto ſeu Inſtructione Armenis data, ubi ſic: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto ..... loco autem illius manus impoſitionis* de qua Act 8. *datur in Eccleſia Confirmatio*. Ecce hic aſſignat Eugenius chriſmationem in materiam Confirmationis: Quis porro tantum Pontificem adeo male Armenis conſuluiſſe credat, ut iis in re Sacramentali vel materiam ſolum accidentalem, vel partialem duntaxat & inadæquatam propoſuerit.

3. ex Concilio Tridentino Seſſ. 7. Can. 2. ubi non fit mentio niſi chriſmatis. En ejus verba: *Si quis dixerit injurioſos eſſe Spiritui ſancto eos qui ſacro Confirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt, anathema ſit.*

4. ex Synodo Moguntina an. 1549. quæ cap. 18. *Eccleſiarum Rectoribus injungit, ut diligenter populum inſtruant, cur hoc Sacramentum ab initio ſola manuum impoſitione exhibitum, mox ſub ipſis temporibus Apoſtolorum ex eorum traditione, adhibita chriſmatis unctione cœperit conferri.* Idem docet orthodoxa Confeſſio Eccleſiæ Orientalis an. 1662. a Nectario Jeroſolymitano & quatuor Sedibus Apoſtolicis approbata, quam vide apud Martene Tom. 1. de Antiq. Eccl. Ritib. p. 244. ergo.

R. ad 1. neg. min. neque enim medii & infimi temporis Patres & Concilia aliam admiſerunt aut admittere potuerunt Confirmationis materiam, quam quæ ab eorum Anteceſſoribus tradita eſt: atqui ex dictis liquido patet & ipſam manus impoſitionem ab iſtis habitam fuiſſe pro materia inadæquata Confirmationis; ergo. Nec nocent quæ contra opponuntur.

Bellarm. cap. 9 Non 1. prætermiſſa enim prima ſolutione Bellarmini, qui citatos Innocentii III. & Eugenii IV. textus expendens ſic loquitur: *Non omnia quæ habentur in Decretis aut Conciliis ad fidem pertinent, ſed ſolum ea quæ definiuntur: hoc autem de quo agimus, non definitur, ſed tantum obiter dicitur ad rem explicandum:* R. & melius cum eodem Bellarmino, Innocentium non opponere ritum ritui, ſeu chriſmationem impoſitioni manuum, quaſi hæc nunc ſubſtituta ſit in alterius locum, ſed opponere nomen nomini, adeo ut unum hoc dicere velit, nempe Sacramentum quod prioribus ſæculis vocabatur impoſitio manuum, poſterioribus donatum fuiſſe nomine Chriſmationis aut Confirmationis. Hunc porro eſſe Innocentii ſenſum patet ex cap. *Quanto*, *De conſuetudine*, &c. ubi ſic loquitur idem Pontifex: *Sacramentum Confirmationis ..... chriſmando renatos ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre;* ubi non minus impoſitione manuum, quam chriſmatione conferri dicitur *Sacramentum Confirmationis*.

Quod ſpectat ad Innocentii IV. Epiſtolam, Verbum *repræſentat*, non ſumitur in ea excluſive, ſed potius incluſive, itaut ſenſus ſit impoſitionem manus *præſentem ſiſti* per chriſmationem; quod indubium eſt, cum chriſmatio impoſitionem manus complectatur.

Non 2. ibi ſiquidem non loquitur Eugenius, niſi de materia remota, quam in chriſmate, & merito quidem reponit: at non ideo negat impoſitionem manus eſſe proximam Confirmationis materiam, imo id ex uſu com-

communi ſupponit, cum chriſma debeat applicari confirmandis, & vix aliter quam per manus impoſitionem applicari queat. Ceterum quis Eugeniani Decreti uſus eſſe poſſit in materia Sacramentorum paulo fuſius expendam in Tractatu de Ordine, ubi plus faceſſit difficultatis. Interim conſule VVitaſſ. Tom. 1. p. 520. 529. 561. & ſeq.

Non 3. hic enim ferit Tridentina Synodus Novatores, qui Catholicos, virtutis aliquid ſancto Chriſmati attribuentes, velut injurioſos Spiritui ſancto inſectabantur: id autem non facimus nos, qui & omnes Scholæ Theologos, dum ſiſtunt intra fidei metas, profunde veneramur, & chriſmationem pro partiali Confirmationis materia habemus. Imo nec id faciunt qui unctionem Eccleſiaſtica ſolum lege præceptum opinantur: ii enim nullam nobis inurunt notam, neque nos in gentem Spiritui ſancto injurioſam traducunt; ergo liberi ſumus omnes ab anathemate Tridentino. Certe ſacra Synodus, prout obſervavimus pluries, Scholæ Controverſias dirimere nuſquam intendit.

Non 4. licet enim Moguntina Synodus & citata Græcorum Confeſſio doceant juxta Scholaſticorum quorumdam opinionem, Sacramentum Confirmationis ſola manus impoſitione ab Apoſtolis fuiſſe collatum; haud tamen docent illud exinde ſola chriſmatis unctione fuiſſe collatum ſine manus impoſitione; quandoquidem ubi eſt unctio, ibi moraliter ſit & impoſitio. Imo cum invariabilis ſit Sacramentorum materia, poterit quis cum Sirmundo ſic diſcurrere. Eadem eſt nunc materia Confirmationis, quæ fuit ab initio: atqui ex Synodo Moguntina Confirmatio per manus impoſitionem tradebatur ab initio; ergo quæ eidem ſuperaddita eſt unctio, non eſt niſi materia accidentalis. Videant ergo adverſarii, ne ſibi nobiſque noceant; dum ſibi ſolis prodeſſe volunt.

Quod ſi quis excluſam a Patribus Moguntinis impoſitionem contendat, iiſdem opponemus privatas paris auctoritatis Synodos, quales ſunt Colonienſis an. 1536. quæ part. 7. cap. 8. ſic loquitur: *Omnes Fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt Baptiſmum accipere debent;* Remenſis an. 1583. cap. de Confirmat. ubi ſic: *Quamvis unuſquiſque per Baptiſmum Catalogo Fidelium ſit adſcriptus, ad diaboli tamen, carnis, mundique tentationes .... ſuperandas non niſi per impoſitionem manuum Epiſcopi plus roboris & gratiæ recipit;* Narbonenſis an. 1609. cap. 15. *Sanctorum Patrum inſtitutionibus conſtat* .... nobis *per impoſitionem manuum Epiſcopi robur atque fortitudinem* (*in hoc* Confirmationis *Sacramento*) *dari*. Subſcribunt Rituales Libri quidam, ut Metenſis, ab Henrico Carolo du Cambout editus, qui altum ſilet de unctione tamquam materia Confirmationis. An ex eo laudem mereatur expendent alii. Non deerunt qui credant ab hujuſmodi Operibus reſecandum, quidquid non nihil patietur dubii.

Obj. 5. cum Edmundo Simmonet pag. 451. Pontificale Romanum juſſu Clementis VIII. editum, orationem extenſis manibus recitatam, ritum eſſe mere accidentalem, adeoque unctionem ſolam ad Confirmationis veritatem pertinere evidenter demonſtrat. Sic enim pergit: *Pontifex ſtans cum mitra illos confirmat per ordinem .... & ſummitate pollicis*, &c. ut ſupra. Unde ſic: ſi manus impoſitio ab unctione chriſmatis diſtincta, eſt tota vel partialis materia Confirmationis, certe tunc Pontifex confirmat, vel incipit confirmare cum extendit manus verſus confirmandos, & dicit orationem *Omnipotens*,

&c. atqui conſequens evidenter falſum eſt ex Pontificali. Nam, ut ex textu apparet, tunc tantum incipit confirmare, & de facto confirmat, quando chriſmate frontem ungendo in modum crucis dicit, *Signo te*, &c. ergo, &c.

R. hanc objectionem ab erudito Theologo non proponi niſi adverſus eos, qui cum Sirmundo, Sambovio, Tournelyo & ſimilibus impoſitionem orationi annexam habent pro materia Confirmationis; quam opinionem non tuemur. Neque tamen iis Doctoribus arduum erit extricare ſe ab eadem objectione. Ad id nempe ſufficiet, ut vocem *confirmandi* qua utitur Pontificale, idem eſſe dicant cum voce ungendi: atque hoc illi, nec imprudenter, dicere poſſunt. Siquidem S. Gregorius magnus in Sacramentario, ubi Confirmationis adminiſtrandæ ritum deſcribit: *Pontifex*, inquit, *veniens ad infantes .... levata manu ſua ſuper capita omnium dicit, Omnipotens*, &c. *Et interrogantibus Diaconis nomina ſingulorum Pontifex tincto pollice in chriſmate facit crucem in fronte*, &c. Ubi quod Clemens VIII. confirmationem vocat, idipſum eſt quod S. Gregorius his exprimit verbis: *Tincto pollice facit crucem.*

Obj. 6. ſi neceſſaria ſit impoſitio manus, vel utriuſque, vel unius; ſi unius, vel dextræ, vel ſiniſtræ: atqui nihil horum dici poteſt; ergo.

R. neg. min. ad 1. dico ſatis eſſe ut una manus imponatur, quia Scriptura & Patres plurali vel ſingulari numero promiſcue utuntur. Scriptura quidem Act. 8. ibi enim v. 17. ſic loquitur: *Tunc imponebant manus ſuper illos*, & v. 18. *Cum vidiſſet Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus*, &c. Patres vero ut patet ex textibus eorum ſupra & ſæpius adductis.

Ad 2. dico nihil eſſe in Traditione vel Scriptura unde colligi queat hac potius quam illa manu utendum. Quin, ut ex eo quod Apoſtoli nonnumquam quinque hominum millia ſimul baptizarunt, haud temere conjicitur eos aliquando baptizaſſe per aſperſionem, ſic & ex eo quod parem numerum ſimul confirmaverint, fors inferri poſſit eos duobus ſimul impoſuiſſe manus, lævam alteri, alteri dextram. Ut ut eſt, dextera utendum ex præſcripto Romani Pontificalis.

Cur autem in Confirmatione adhibeatur impoſitio manus, ratio multiplex afferri ſolet; prima, quod hac impoſitione ſignificetur & quaſi invitetur deſcenſus Spiritus ſancti; unde etiam Sacerdos antequam conſecret, ſuper oblata; Confeſſarius vero antequam abſolvat, ſuper pœnitentem manus imponit. Atque hinc Tertullianus: *Caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima illuminetur*. Secunda, quod impoſitio hæc apprime deſignet protectricem Dei manum, qua confirmandus adverſus omnes diaboli inſidias roborari debet: eſt enim id proprium Spiritus ſancti ut virtute ſua obumbret, ſecundum id Angeli ad B.Virginem: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*.

Jam cum iis qui unctionem ad Confirmationis ſubſtantiam pertinere inficiantur;

Obj. 1. eadem nunc eſt Confirmationis materia, quæ fuit tempore Apoſtolorum: atqui Apoſtolorum tempore ſola manuum impoſitio erat materia Confirmationis, non autem unctio, cujus ne veſtigium quidem eſt, ſeu Act. 8. vel 19. ubi de Confirmatione ſermo eſt, ſeu alibi uſpiam; ergo,

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondent aliqui neg. maj. & hi duas abeunt in partes; alii nempe Confirmationis ſicut & Ordinis materiam, in genere ſolum determinatam eſſe rati, unctionem impoſitioni manuum ſubſtitutam putant, & male: Alii cum SS. Thoma & Bonaventura rem Sacramenti ſeu gratiam ab Apoſtolis traditam cenſent, non vero Sacramentum ipſum: quod minus placet, 1. quia alioqui nihil eſt in Scriptura, unde Confirmationis Sacramentum probari poſſit, quod ex dictis falſum eſt, & Novatoribus favet; 2. quia Cyprianus aliique Patres ſuperius adducti id ætate ſua ab Epiſcopis factitatum eſſe docent, quod ab Apoſtolis priori ævo factum erat; ergo vel ab Apoſtolis conferebatur Sacramentum, vel quod ab Epiſcopis conferebatur, Sacramentum non erat; 3. quia Concilium Pariſienſe, vulgo Senonenſe an. 1528. hæc habet: *Sacramentum Confirmationis Chriſtus inſtituit, quod ex Actis Apoſtolorum ..... a primitiva quondam Eccleſia legimus obſervatum*. Quibus conſonat id Synodi Moguntinæ an. 1549 c. 17. *Sacramentum Confirmationis ex inſtitutione Chriſti & Apoſtolorum praxi, Eccleſiæ relictum eſſe ..... Actus ipſorum ſatis teſtantur:* ubi habes non modo rem Sacramenti, ſed & Sacramentum ipſum ab Apoſtolis collatum fuiſſe.

Reſpondent alii, unctionem ſemper quidem fuiſſe materiam Confirmationis ex Chriſti inſtitutione, ſed aliquandiu prætermiſſam ex ejuſdem Chriſti diſpenſatione; qua ratione forma Baptiſmi ſemper fuit, *Baptizo te in nomine Patris*, &c. tametſi aliquando baptizarunt Apoſtoli in ſolo Chriſti nomine. Ita citata mox Synodus, & cum Eſtio alii plures. Hæc reſponſio nihil habet admodum abſurdi, ſed & nihil habet quod ſolide probari poſſit. Vide quæ dixi de Bapt. Tom. 7. p. 558.

R. 3. ad 1. neg. min. ad 2. 1. neg. ant. ſiquidem Apoſtolus II. Cor. 1. v. 21. & 22. ſic loquitur: *Qui confirmat nos in Chriſto, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*. Joannes vero Epiſt. 1. c. 2. *Sed vos unctionem habetis a Sancto*, &c. & rurſus ibid. v. 27. *Et vos unctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis:* atqui hæc loca, etſi adverſus Calvinianos, qui cavillandi occaſionem undecumque arripiunt, urgeri non debent; adverſus Catholicos, qui Patres venerantur, non incongrue adhiberi poſſunt. Ea enim non de interiori tantum unctione quæ fit per gratiam, ſed & de externa quæ fieret per Sacramentum, interpretati ſunt Doctores non pauci, ut Cyrillus Jeroſolymitanus, Ambroſius, Auguſtinus, Theodoretus, Primaſius & Anſelmus; ergo non abſurde loquitur, qui unctionem confirmatoriam, e Scripturis erui poſſe contendit.

R. 2. neg. conſeq. ut enim ex Scripturæ ſilentio nihil inferri poſſit contra neceſſitatem unctionis, duo ſufficiunt, 1. ut Scriptura multa omittat quæ tamen certiſſime facta ſunt; 2. ut Scripturæ ſilentium in præſenti negotio, traditionis voce abunde compenſetur: atqui utrumque conſtat. Primum aperte docet & probat Auguſtinus * exemplo Eunuchi, quem S. Lucas narrat Act. 8. baptizatum fuiſſe a Philippo, ſtatim ut reſpondit, *Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*. An igitur fidem ſolam in Chriſtum ab Eunucho exegit Philippus? neutiquam profecto; ergo ut cum Auguſtino loquar, *intelligi voluit* ſacer Scriptor *impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis brevitatis gratia, tamen ſerie Traditionis ſcimus implenda*. Sic quoque Paulus ait ad Titum 3. nos ſalvari per lavacrum regenerationis, & nihil dicit de

* *Lib. de fid. & oper. c. 9.*

verbo, & tamen dubio procul intellexit lavacrum cum verbo, quod & ipſe alibi expreſſit, Epheſ. 5. Secundum non minus evidens eſt, quod ut probem ſic progredior: Eccleſia cum Latina, tum Græca tertio & quarto ſæculo confirmabat per unctionem, ut patet ex citatis Tertulliani, Cypriani, Cyrilli Jeroſ. & aliorum teſtimoniis; ergo & ſecundo ac primo ſæculo per unctionem confirmaverat, juxta citatam Auguſtini regulam, merito ad Apoſtolos referri, *quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum* deprehenditur.

Confirm. Unctio juxta uſitatam Traditionis vocem confert gratiam: atqui id non niſi a Chriſti inſtitutione habet; ergo unctio a Chriſto inſtituta eſt; ergo vel ea uſi ſunt Apoſtoli quando confirmarunt, vel ab ejus uſu ea Chriſti diſpenſatione abſtinuerunt; utique enim inſtitutionem Chriſti prætergredi noluere: atqui diſpenſatio hæc gratis fingitur, cum omni ſeu in Scriptura, ſeu in Traditione careat fundamento. Ajunt quidem aliqui Apoſtolos opum inopes non potuiſſe eam habere olei vel balſami copiam, quæ ad ungendas tot Neophytorum myriades ſufficeret. Sed perperam: qui enim ex delato ad ſe *agrorum & domorum* pretio ſatis habebant, ut egenos quotquot erant fideles nutrirent; quo pacto eo redacti ſupponentur, ut quæ ad Sacramentorum ſubſtantiam neceſſaria erant, comparare non potuerint? *Act 4. v. 34.*

Inſt. Conſtat Diaconorum conſecrationem ſine unctione fieri, eo quod nulla cum de eorum conſecratione agitur, unctionis mentio fiat in Scripturis; ergo a pari conſtare debet, &c.

R. neg. ant. id enim conſtat quia ad ſilentium Scripturæ, accedit ſilentium Traditionis.

An 385. Obj. 2. Siricius Papa Epiſt. 1. ad Himerium cap. 1. ſic loquitur; *Arianos cum Novatianis aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, Epiſcopalis manus impoſitione, Catholicorum conventui ſociamus. Quod etiam totus Oriens, Occidenſque cuſtodit.* Unde ſic, loquitur eo loci Siricius de Confirmatione: atqui ea tunc temporis toto in Orbe non niſi per manus impoſitionem conferebatur; ergo tunc temporis impoſitio manuum ſola erat Confirmationis materia.

R. neg. min. & dico Siricium loqui non de impoſitione ſicca, ſed de impoſitione quæ annexam haberet unctionem. Siquidem de ea impoſitione loquitur Siricius, quam *totus Oriens Occidenſque* cuſtodiebat: atqui ſicca manuum impoſitio non ſervabatur in Oriente toto vel Occidente, cum agebatur de ſociandis Catholicorum conventui hæreticis; cum nuper, id eſt tribus antequam ſcriberet Siricius annis, declaraſſent Patres Concilii generalis II. ſe recipere *Arianos, Macedonianos & Novatianos .... ſignatos, ſive unctos ſancto chriſmate;* quæ quidem declaratio haud ignota erat Siricio, imo & quam in prædicta Epiſtola citare creditur a pluribus, licet hæc ejus verba, *ſicut eſt in Synodo conſtitutum*, non pauci referant ad Concilium Nicænum; ergo. Et vero an eo uſque in Traditionis ſcientia rudis erat Siricius, ut neſciret pari apud Patres eſſe loco unctionem & impoſitionem, & ab his utrumque perinde commendari?

Inſt. 1. Eſto unctio ubique recepta eſſet tempore Siricii, nihil inde profecto, niſi conſtet eam ut quid Sacramento eſſentiale receptam fuiſſe: atqui non conſtat id, ſed contrarium. Quod enim receptum eſt ut eſſentiale Sacramento, omni tempore & loco receptum eſt: atqui non ita eſt de unctione.

Digitized by Google

ne. Prob. min. ex diſerto textu Gregorii Magni, qui Lib.4. Epiſt.61. ad Quirinum hæc ſcribit: *Arianos per impoſitionem manus Occidens, per unctionem vero ſancti chriſmatis ad ingreſſum Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ Oriens reformat;* ergo Gregorii tempore unctio non habebatur in Occidentali Eccleſia ut quid Sacramento eſſentiale. Quod enim eſſentiale eſt Sacramento non omittitur: porro omittebatur chriſmatio in Occidente tempore Gregorii Magni; alias non ſtaret oppoſitio quam ſtatuit ſanctus Pontifex praxim inter Orientis & Occidentis; ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. ante omnia certum eſt Confirmationem Gregorii Magni tempore per chriſmationem una cum impoſitione manus collatam fuiſſe in Eccleſia Occidentali, præcipue vero in Romana. De Romana conſtat ex ipſo Gregorio, qui in expoſitione cap. 1. Cantic. ad hæc verba: *Botrus Cypri*, &c. ſic loquitur: *Balſamum cum oleo, Pontificali benedictione Chriſma efficitur, quo dona ſancti Spiritus exprimuntur*. Conſtat & de pluribus extra Romanam Eccleſiis, etiam quoad hæreticos ad veram fidem redeuntes. Sic enim loquitur Iſidorus Hiſpalenſis Gregorii Papæ amicus Lib.2. de divinis Officiis c.24. *Hæretici .... chriſmate & manus impoſitione purgandi ſunt*. Sic etiam Gregorius Turonenſis Gregorio Magno æqualis & amicus, Lib.2.c.13. Hiſtor. Francor. *Lanthildis Clodovæi Soror in hæreſim Arianorum dilapſa fuerat; confeſſa æqualem Filium Patri & Spiritum chriſmata eſt:* quod & alibi pluries docet. Sic Recaredus Rex in oratione quam habuit ad Concilium Toletanum an.589. in quo cum Gothorum Gente Arianiſmum ejuravit, ait Gentem hanc *deterſo antiquo errore, per unctionem ſacroſancti Chriſmatis*, & * *manus impoſitionem Paraclitum intra Dei Eccleſiam Spiritum* percepiſſe; ergo non is eſſe potuit Gregorii Magni ſenſus, Confirmationem in Occidente per ſiccam manus impoſitionem conferri.

Quis igitur, inquies, hujuſce Pontificis ſenſus? de hoc, ut in ambiguis contingit, non una eſt omnium opinio. Cenſent itaque non pauci impoſitionem manuum, quæ erga hæreticos in Occidentali Eccleſia adhibebatur, non fuiſſe confirmatoriam, ſed reconciliatoriam tantum, unde, inquiunt, Gregorii Magni ſenſus eſt, Arianos ad unitatem redeuntes recipi ab Orientalibus per Confirmationem, ab Occidentalibus vero per impoſitionem manuum pure reconciliatoriam, quæ vel idem erat cum Pœnitentiæ Sacramento, vel quidam reconciliandi ritus ei ſimilis quo etiamnum utuntur plures Eccleſiæ feria v. majoris hebdomadæ.

Verum hæc reſponſio male congruit cum his, quæ proxime ſequuntur S. Gregorii verbis: *Monophyſitas vero & alios ex ſola vera confeſſione recipit; quia ſanctum Baptiſma, quod ſunt apud hæreticos conſecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impoſitionem manus Spiritum ſanctum acceperint, vel iſti propter profeſſionem veræ fidei, ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ viſceribus fuerint uniti*. Cur enim Monophyſitæ per manus impoſitionem recepti non fuiſſent ſicut Ariani, ſi hæc impoſitio mera fuiſſet reconciliationis cæremonia. Itaque

Reſp. cum illuſtr. Petro de Marca in notis ad Canonem 28. Concilii Claromontani, impoſitionem manuum de qua loquitur S. Gregorius, non

* Textus habet *vel*, verum particula hæc apud Auctores ſæculorum VI. VII. & VIII. copulativa eſt, non disjunctiva. Sic Gregorius Turon. Lib. 1. miracul. cap.11. *Hujus beatæ Virginis reliquias cum ſanctorum Apoſtolorum* vel *B.Martini quidam vice exhibebam*.

non excludere unctionem, ſicut hæc viciſſim non excludit impoſitionem manuum: unde hic nulla eſt oppoſitio rei, ſed nominis ſolum, quatenus ritus quicum recipiebantur hæretici, apud Occidentales ſexto ſæculo vocabatur impoſitio manus, unctio veto apud Occidentales. Neque id gratis dictum: 1. enim S. Gregorius manuum impoſitionem Occidentis, & chriſmationem Orientis æqualiter opponit: atqui chriſmatio Orientis non excludebat manuum impoſitionem, ut patet tum ex Can. 8. Concilii Nicæni ſupra laudato, tum ex aliis qui ſupra citati ſunt Græcis Patribus; ergo nec manus impoſitio Occidentis excludit unctionem; 2. quia fieri nequit ut Gregorius Magnus, vir profundæ eruditionis, totique Eccleſiæ intentus, ignoraverit id quod in Eccleſia Latina cui proxime præerat, obſervabatur. Ignoraſſet porro in adverſariorum ſyſtemate; quandoquidem Occidenti affingeret praxim, veræ Occidentis praxi penitus oppoſitam, ut ex citatis Iſidori, Gregorii Turonenſis & Recaredi textibus liquet; 3. quia ſecum pugnaret Gregorius Magnus, ut qui quam uno in loco admiſit chriſmationem, in alio rejiceret, ſola manuum impoſitione contentus; ergo.

Inſt. 2. Probat quidem noſtra hæc reſponſio annexam fuiſſe manuum impoſitioni chriſmationem etiam in Occidente; at non probat, quod capitale eſt, hanc eidem annexam fuiſſe ut partem Sacramenti: unde ſic ulterius: Non magis ex eo quod Occidentalis Eccleſia chriſmationem conjunxerit impoſitioni manuum, ſequitur illam pertinere ad ſubſtantiam Confirmationis, quam ex eo quod eadem Eccleſia vino conſecrando aquam conjunxerit, ſequitur aquam pertinere ad ſubſtantiam Euchariſtiæ; atqui ex eo, &c. ergo.

R. neg. maj. eadem quippe Traditio, quæ aquam vino in Calice miſcendam eſſe docet, docet ſimul hanc neceſſariam non eſſe neceſſitate Sacramenti; cum ſemper ratam habuerit conſecrationem in ſolo vino factam: contra vero Traditio quæ unctionem adhibendam docet, docet ſimul eam pertinere ad veritatem Sacramenti; quandoquidem unctioni huic eos tribuat effectus, qui non niſi veræ & propriæ Sacramenti materiæ tribui poſſunt.

Inſt. 3. Traditio non plures unctioni quæ in Confirmatione adhibetur, tribuit effectus, quam tribuat unctioni quæ adhibetur in Baptiſmo: per hanc enim Neophytos renovari & conſecrari docet, ut videre eſt apud Tertullian. Lib. de Bapt. cap. 7. Cyrillum Jeroſ. Catech. 2. & alios: atqui tamen nemo hinc infert unctionem verticalem pertinere ad ſubſtantiam Baptiſmi; ergo nec ex eo quod, &c.

R. neg. maj. ſi quidem ex ſanctis Doctoribus qui de Confirmationis Sacramento ſcripſere, alii unctionem Apoſtolicæ manuum impoſitioni æquiparant, ut Innocentius I. Iſidorus Hiſpalenſis, V. Beda, &c. alii eidem adeo tribuunt vim conferendi S. Spiritus, ut ea prætermiſſa negent Spiritum S. conferri poſſe, ut Cornelius Papa & Pacianus; alii eam conceptis terminis vocant Sacramentum, ut Dionyſius vulgo Areopagita, Auguſtinus, Concilium Toletanum IV. alii eamdem cum Baptiſmo & Euchariſtia comparant, ut Cyprianus, Optatus, Cyrillus Alexandrinus; alii eam ab ipſo Chriſto inſtitutam eſſe docent, ut Concilium Bituricenſe, a Reginaldo de Beaune ex univerſa Metropoli congregatum an. 1584.

&

Digitized by Google

& a Sixto V. poſtquam is Acta ejus *examinavit, atque ubi oportuit, emendavit*, approbatum die 5. Octob. an.1585. atqui nihil horum docuit Traditio de unctione verticali, ſed ad ſummum quoſdam ei tribuit effectus ex opere operantis, ſicut & aliis ſacramentalibus; ergo longum eſt ex traditione diſcrimen inter utramque ſpeciem unctionis.

Obj. 3. famoſum Canonem 2. Concilii prioris Arauſicani, qui ſic habet: *Nullum Miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate unquam debere progredi; quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem qui in Baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos*, ideſt Epiſcopus, *commonebitur. Nam inter quoslibet chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt. Non ut præjudicans quidquam dico, ſed ut* NON *neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*. Ex quibus ſic arguit Sirmundus: Si chriſmatio in fronte eſſet neceſſaria ad ſubſtantiam Confirmationis, neceſſum foret ut qui a Presbytero chriſmatus eſt in Baptiſmate, rurſum chriſmaretur ab Epiſcopo in Confirmatione; & ſic neceſſaria haberetur repetita chriſmatio: atqui tempore Arauſicani Concilii neceſſum non erat ut chriſmatus a Miniſtro in Baptiſmate denuo chriſmaretur ab Epiſcopo. Sanxerant enim hujus Concilii Patres ut *ſemel* tantum chriſmarentur Neophyti; unde, juxta ipſos *neceſſaria non* erat *rechriſmatio*; ergo. *An. 441.*

Cenſent quidem Rigaltius & Dallæus, iſte Calviniſta, Catholicus ille, poſtrema hæc verba, *Nam inter quoslibet*, & cetera ad finem, non eſſe Arauſicani Concilii, ſed eidem a recentiore quopiam aſsuta. Verum utriuſque momenta, quæ fuſe expendit & refellit eruditus VVitaſſii Continuator, haud tanti ſunt ut prævalere poſſint innumeris optimæ notæ Codicibus, quos legere Gratianus, Merlinus, Surius, Crabbus, Binius, Labbæus, quique omnes, dempto forſitan Juſtelli Codice, prædictam habent clauſulam, *Nam inter quoslibet*. Alia igitur quærenda ſolutio in re de qua acriter conflixerunt Sirmundus, & Petrus Aurelius, quem plures cum Tournelyo Sancyranum Abbatem, ipſomet * & veritate renitentibus, imaginantur. Itaque ut paucis contraham, quæ nimio ſermone ab aliis dicta ſunt, *P. 587. & ſeq.*

R. 1. particulam *Non* demendam eſſe ex objecto textu, legendumque, *Ut neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*, ſeu *recriſmatio*, ut ferunt alii Codices. Ratio eſt 1. quod ei adhærendum ſit lectioni, quæ pluribus ſe tuetur & præſtantioris notæ Codicibus: talis porro eſt lectio quæ particulam *non*, reſecat. Congruit enim lectio hæc Codicibus omnibus, queis uſi ſunt Merlinus, Crabbus, Surius, Binius, Fronto Ducæus, Antonius Auguſtinus, Gratianus, Gratianique correctores, item Codicibus Vaticano, Thuano, &c. cum econtra citati in contrarium a Sirmundo Codices, & pauciores ſint numero, & vetuſtate impares; 2. quia particula *non* indubie habetur in primo textus membro, ubi ſic legunt Codices omnes MSS. & impreſſi: *De eo autem qui in Baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, chriſmatus* NON *fuerit, Sacerdos commonebitur;* ergo ſi Sacerdos ſeu Epiſcopus commoneri debet, & quidem commoneri quod omiſsa fuerit chriſmatio baptiſmatis, indubium eſt eum non alio fine commoneri

* Joannes du Verger de Haurane Abbas S. Cigiranni, vulgo Abbas Sancyranus, confeſſus eſt ſe Libri cui nomen *Petrus Aurelius* Auctorem non eſſe; idque pro indubio habebat D. Duguet.

neri quam ut illam ſuppleat; ergo neceſſaria eſt repetita chriſmatio; prior quidem in Baptiſmo, eaque verticalis; poſterior in Confirmatione, eaque in fronte facienda.

Confirm. unctio quæ omiſſa erat ob neceſſitatis caſum, fieri poterat & debebat ab ordinariis Baptiſmi Miniſtris, Presbyteris ſcilicet & Diaconibus, qui idcirco jubentur nuſquam progredi ſine chriſmate: atqui, quantumvis reclamet Sirmundus, unctio quæ ab ordinariis Baptiſmi Miniſtris facienda erat, erat verticalis, non frontalis; cum poſtrema hæc ad ſolos pertineret Epiſcopos ex Innocentio I. in Epiſt. ad Decentium, * & ex Gelaſio in Epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ, qui ambo eodem vivebant ſæculo quo coacta eſt Arauſicana Synodus; ergo unctio quæ ſupplenda erat ab Epiſcopo, erat verticalis; ergo cum aliunde certum ſit, prout patebit ex dicendis art. ſeq. unctionem frontis ſemper, aut ad minus Arauſicani Concilii tempore fuiſſe in uſu, conſtat quoque neceſſariam fuiſſe repetitam chriſmationem, in Baptiſmo aliam, aliam in Confirmatione.

Neque tamen placet nobis Gloſſa, quam prædicto Canoni alligavit Aurelius; hæc enim non tam Commentarius eſt, quam ſingularum ferme Canonis vocum inverſio, ut totidem verbis ait Dugnetus Diſſert.31. pag.539. & ex parte probat VVitaſſii Continuator Tom.1. p.706. & 707. Is ergo eſt vexati Canonis ſenſus: „ Nullus Miniſtrorum, qui baptizan-„ di officium receperunt, ſine chriſmate progredi debet; quia placuit, „ ſeu conſtitutum eſt a nobis, ut chriſmatio una, verticalis nimirum, „ adhiberetur in Baptiſmo. Quod ſi cui chriſmatio hæc prima ex aliqua „ cauſa defuerit, Epiſcopus Confirmationem daturus, de ea omiſſione „ admonebitur, ut eam ſuppleat, Neophytum in vertice ungendo ex eo-„ dem Chriſmate, quo ipſum poſtea uncturus eſt in fronte; quod facile „ poteſt, quia chriſma quod utrique inſervit unctioni, una eademque „ benedictione conſecratum eſt. Neque vero prima hæc unctio vertica-„ lis ullum frontali Confirmationis unctioni præjudicium infert; cum „ prior poſterioris locum non teneat, & neceſſe ſit ut qui prima vice in „ vertice unctus eſt, adhuc ungatur in fronte. En genuinum Arauſicani Canonis ſenſum, qui nec abſoni quidquam habet, nec aſſertioni noſtræ præjudicat, ſed multum opitulatur.

R. 2. permiſſa Sirmondo lectione ſua, nihil hinc ab eo contra nos colligi poſſe. Priora enim hæc verba, *Non ut præjudicans quidquam* (ſeu, ut melius in plurali numero legit & refert Gratianus, *Non præjudicantes quidquam hoc dicimus*) hunc habent ſenſum, quod verticalis unctio, quæ ex Eccleſiæ legibus & praxi ſuppletur, haud noceat unctioni alteri, quæ in fronte facienda eſt, dum adminiſtratur Confirmatio: alia vero iſthæc verba, quibus præcipue innititur Sirmondus, *Non ut neceſſaria habeatur rechriſmatio*, eo unice tendunt ut ſciant Miniſtri, præcipi quidem ut ſuppleatur unctio verticalis quæ in Baptiſmate omiſſa fuerit, ſed eam tamen non eſſe neceſſariam ut valeat Confirmationis Sacramentum.

Inſt. Non receſſit Arauſicana Synodus a praxi primitivæ Eccleſiæ: atqui juxta praxim hanc unica erat Chriſmatio, eaque Confirmationi prævia,

* En Innocentii verba: „ Presbyteris, ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo ba-„ ptizent, chriſmate baptizatos ungere licet .... non tamen frontem ex eodem oleo ſi-„ gnare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cum tradunt Spiritum ſanctum.

via, & proinde Baptiſmi appendix. Prob. min. ex Tertulliano lib. de Bapt. c.7. & 8. ſimul junctis. Cap. 7. ſic loquitur: *Exinde egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione;* cap. vero 8. ſic proſequitur: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum S.* Ubi unctio Baptiſmum ſequitur, & pręcedit Confirmationem, quę proin ſicca manus impoſitione conferebatur; ergo.

R. ad 1. neg. min. quæ toti adverſatur Traditioni, in qua unctionem, vel potius unctiones * in Baptiſmo ante & poſt ablutionem factas, ſequitur unctio alia, eaque & in fronte & a ſolis Epiſcopis facienda.

Ad Tertullianum, dato quod unctio de qua loquitur cap. 7. ea ſit quæ poſt ablutionem fit in Baptiſmo, nego excluſam ab eo unctionem quæ fit in Confirmatione. Hanc enim exprimunt citata toties hæc ejus verba ex lib. de reſurr. carnis cap. 8. *Caro ſignatur, ut & anima muniatur.* Ecquis probare poſſit eam non exprimi his quæ immediate præcedunt verbis: *Caro ungitur, ut anima conſecretur;* quæ licet a nonnullis de verticali unctione intelligantur, a pluribus tamen intelliguntur de Confirmatoria.

Obj. 4. Materia Sacramento eſſentialis eadem eſſe debet ſpecie in utraque Eccleſia: atqui Chriſmatio non eſt hujuſcemodi. Latini enim Chriſma ſuum ex oleo & balſamo minime decoctis conficiunt; Græci vero Chriſma ſuum, vel potius unguentum, quo Neophytorum frontem deliniunt, ex 35. aromatum, ſeu fragrantium herbarum ſpeciebus, cum oleo & vini quantitate non modica ſimul concoctis, componunt; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. Dico Chriſma Græcorum penes ſubſtantiam a Chriſmate Latinorum non differre. Siquidem varia inter aromata ex quibus cum oleo Chriſma ſuum conficiunt Græci, primas tenet balſamum, cujus ſicut & olei natura per aliorum aromatum admiſtionem non corrumpitur. Unde Arcudius l.2.c.5. *Materia,* inquit, *hujus Sacramenti* Confirmationis, *etiam ſecundum Gręcos eſt oleum & balſamum ... ſed iſtis immiſcentur alia multa aromatum genera.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia remota Confirmationis.

QUæ hic moveri poteſt diſceptatio, tota verſatur circa materiam unctionis, ejuſque applicandæ modum: quæ duo ut plenius innoteſcant,

Not. 1. Chriſma (quæ vox græce unguentum ſignificat) in Eccleſia Latina ex ſolis oleo & balſamo, Feria v. Hebdomadæ ſanctæ ab Epiſcopo benedictis confici. Cum econtra apud Græcos e variis aromatibus concoctis exurgat, ut ſtatim dicebamus.

Not. 2. Chriſma illud in utraque Eccleſia in modum Crucis applicari, fronti quidem ſoli apud Latinos; apud Græcos autem non fronti tantum, ſed & auribus, oculis, naribus, ori etiam & pectori, quin & certis in Provinciis, manibus inſuper & pedibus. Jam quot verba & ritus, tot hic exurgunt quæſtiones, 1. quali utendum oleo ad validitatem Confirmationis; 2. an eidem balſamum admiſceri neceſſe ſit; 3. an utrumque ab Epiſcopo conſecratum eſſe oporteat; 4. an fronti applicandum; 5. an neceſſario per modum Crucis. Pro ſolutione. Sit

CON-

* „ Chriſtiani omnes unguntur bis ante Baptiſmum oleo benedicto, primum in pectore, „ deinde inter ſcapulas; & bis poſt Baptiſmum, ſcilicet Chriſmate Sancto, primum in „ vertice, demum in fronte. *Innocent. III.* cap. unic. De Sacra unctione.

Conclusio I. Ad ſubſtantiam Confirmationis requiritur oleum ex olivis expreſſum.

Prob. 1. ex praxi Eccleſiæ, quæ prædicto oleo ſemper uſa eſt, nec uſquam legitur diſpenſaſſe, ut in iis etiam Regionibus ubi oliveta deſunt, uti liceret oleo ex nucibus, amigdaliſve aut ſimilibus expreſſo.

Prob. 2. quia ad unctionem Confirmatoriam requiritur oleum ſimpliciter & proprie dictum, ſicut ad Euchariſtiam requiritur panis ſimpliciter & proprie dictus: atqui oleum expreſſum ex olivis, unum eſt quod proprie & ſimpliciter olei nomine donari poſſit, ſicut panis ex tritico unus eſt qui ſimpliciter panis nuncupari mereatur; ergo. Atque hinc Ratramnus in Opere quod juſſu Gallicanorum Præſulum edidit an. 868. adverſus Orientales Photii partibus addictos, qui Latinis objecerant capitula decem, quorum erat illud numero quintum, *Latini Chriſma ex aqua fluminis conficiunt*, Ratramnus, inquam, ut calumniam impudentem retundat, *Non ipſum Chriſma*, ait lib. 4. c. 7. *de fonte conficiunt* Latini, *ſed ex ſucco balſami vel olivæ liquore: quod fit non ſolum a Græcis, verum ab univerſis Chriſti Eccleſiis:* ubi, quod ſæpius ea ætate uſurpabatur, particula *vel*, copulative ſumitur, non disjunctive. Hinc etiam dum Gregorius VII. uti abſurdam reprobabat praxim Armenorum, quos, certo aut incerto rumore audiverat butyrum adhibere loco balſami; eoſdem in *Dialogo* ſuo inſectabatur Theorianus, quod oleo ex olivis, oleum ex certis oleribus expreſſum ſubſtituerent.

Supra p. 41.

Conclusio II. Oleo prædicto balſamum addi neceſſe eſt, an neceſſitate Sacramenti ambigitur: probabilius quod non.

Prob. 1. pars, ut oleo balſamum miſceri oporteat, ſufficit ut miſtionem hanc, etſi forte a Chriſto præcepta non eſt, præcipere potuerit Eccleſia, & de facto præceperit: atqui Eccleſia 1. potuit miſtionem hanc, etſi alias a Chriſto minime præceptam imperare; tum quia non major ad id requiritur auctoritas, quam ad miſcendam vino conſecrando aquam; tum quia balſami admiſtio nihil mutat in materia Sacramenti, ſicut nec aquæ admiſtio in calice: porro ex Trid. Seſſ. 21. c. 2. *Hanc poteſtatem perpetuo* habuit Eccleſia, *ut ſalva* Sacramentorum *ſubſtantia ea ſtatueret, quæ .... magis expedire judicaret.* 2. id de facto præcepit Eccleſia, ut patet ex univerſali ejus praxi, eaque Romæ perantiqua. Sic enim habente ſæculo VI. loquebatur S. Gregorius Magnus in cap. 1. Cant. Cant. *In Engaddi balſamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione Chriſma efficitur, quo dona S. Spiritus exprimuntur;* qui textus, etſi deeſt in codice Caroli V. Francorum Regis, extat in codicibus duobus Sanvictorinis, quorum alter ſub initium XI. ſæculi exaratus eſt. Idem habet Ordo Romanus, *oleum cum balſamo* miſceri præcipiens. Conſonant Ratramnus ubi ſupra, Amalarius Fortunatus lib. 1. De Eccleſ. Offic. cap. 12. his verbis: *Non ſolum oleum ſed & balſamum conſecratur*, & alii quorum aliquot deinceps appellabimus.

Prob. 2. pars, quia indubium non eſt quod ſalva fide utramque in partem agitatur: atqui hodiedum ſalva fide diſputatur, ſitne balſamum de ſubſtantia Confirmationis. Si enim affirmant viri graves, ut Alenſis, SS. Thomas & Bonaventura, ex adverſo pugnant tot magni nominis Doctores, ut teſte Valentia 3. p. diſp. 5. q. 1. punct. 2. contraria opinio nequa-

Digitized by Google

quaquam communis dici poſſit; ita inter ceteros Payva Andradius, Theologus Tridentinus, Cajetanus, Domin. Soto, Navarrus, Eſtius, aliique paſſim recentiores, ut Juenin, VVitaſſii continuator, Tournelyus, &c.

Prob. 3. pars, 1. Quia opinio affirmans nullo vere gravi momento innititur, ut ex objectionum ſolutione patebit.

2. Quia materia eſſentialis Sacramenti ſic nota debet eſſe omnibus, ut vera ab adulterina ſecerni facile poſſit, prout patet in aqua, vino & pane; alioqui ſemper ſubeſſet locus verendi, ne quæ adulterina eſt, in locum genuinæ uſurpata eſſet: atqui verum balſamum ab adulterino ſecerni facile non poteſt, ne a peritis quidem, ut refert Plinius lib. hiſt. natur. cap. 15. imo ſunt qui verum balſamum nullibi ferme his temporibus reperiri putent. Hæc ratio elidi poteſt.

3. Et melius: ut materia quæpiam ſit eſſentialis Sacramento duo neceſſaria ſunt, 1. ut inſtituta fuerit a Chriſto, 2. ut inſtituta fuerit tamquam eſſentialis: atqui neutrum de balſamo fundate & probabiliter dici poteſt. Non 1. materia enim inſtituta a Chriſto, jam ab Eccleſiæ incunabulis ubique Gentium adhibita fuiſſet, proindeque de ipſa non ſecus ac de oleo locuti eſsent Patres, qui tot tamque præclara de Confirmatione locuti ſunt; certe ſi poſtquam ſemel uſum balſami commendavere Romani Pontifices ſexti aut ſeptimi ſæculi, poſteriores quique Scriptores de ipſo quantum pene de oleo ſecuti ſunt, quanto plus locuti eſsent Patres priorum temporum, qui ex profeſso de Confirmatione ſcripſerunt, ſi divinam ipſius originem didiciſsent? atqui nullum extat balſami veſtigium certum prioribus quinque Eccleſiæ ſæculis. Primus omnium diſerte de eo meminit Gregorius Magnus in textu ſuperius citato, eoque non indubiæ prorſus fidei; ergo. 2. multo minus probari poteſt balſamum inſtitutum eſse tamquam aliquid Sacramento noſtro eſsentiale; tum quia ubi deeſt ſubſtantia inſtitutionis, deeſt a fortiori inſtitutionis modus; tum quia ex Cypriano Epiſt. 68. ad Cœcilium, aqua ex inſtitutione Chriſti neceſsario miſcenda eſt vino in Calice: atqui tamen aqua ad validam Calicis conſecrationem neceſsaria non eſt neceſſitate Sacramenti; ergo.

Addunt alii 1. Apoſtolos fuiſse egenos nimium, quam ut pretio compararent liquoris cariſſimi copiam, quanta confirmandis in Oriente & Occidente fidelibus neceſsaria erat: ita Juenin. 2. Materiam Sacramenti obviam & communem eſse debere; tale porro non eſse balſamum, quod rariſſimum eſse conſtat. Verum hæc parum urgent.

Non 1. quia quod Apoſtolorum penuria præſtare non poterat, abunde ſupplebat fidelium munificentia.

Non 2. Si præciſe ſumatur: quia etſi rarum eſt balſamum Syriacum, non tamen Indicum, quod, ſive perfectum ſit, ſive imperfectum, ab Indiarum Epiſcopis, proindeque & ab aliis adhiberi poſse declaravit Pius IV. teſte Henriquez lib. 3. De Confirm. cap. 2. & merito, cum Chriſtus non magis in conficiendo Chriſmate Syriaci balſami uſum, quam in conficienda Euchariſtia uſum vini Judaici præſcripſerit. Neque vero antequam ex Indiis in Europam delatum eſset balſamum, ob balſami defectum defuiſse Confirmatio legitur, ſeu quia modica ejus quantitas oleo miſcetur a Latinis, ſeu quia non deeſt Deus Eccleſiæ ſuæ in neceſſariis; unde de balſamo frequenter loquitur Gregorius Turonenſis tamquam de

re

Digitized by Google

re quæ his in partibus non deficeret. Hæc qui reponent adverſarii, ægre confutabuntur.

Eſt & aliud quod contra ipſos vibrari poſſit telum: an feliciori ſucceſſu, judicabit lector, cui nihil diſſimulare velimus. Sic itaque diſputant plures e noſtris. Conſultus Innocentius III. *An permitti debeat miniſtrare, qui ſine impoſitione manuum fuerit ad Subdiaconatus Ordinem aſſumptus; & utrum Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non Chriſmate, ſed oleo delin tus*, Reſpondet cap. *Paſtoralis* 1. *De Sacramentis non iterand. nihil eſſe iterandum, ſed caute ſupplendum id quod incaute fuerit omiſſum*: atqui ſi balſamum eſſet de ſubſtantia Sacramenti, non ſatis fuiſſet illud ſupplere, ſed iteranda fuiſſet tota unctio, totaque forma, adeoque & totum Sacramentum; quia ubi defuit pars eſſentialis, ibi nihil collatum eſt, proindeque totum iterari debet; ergo.

V.Tom.2. p. 262. Confirm. 1. quia Sacramentum Confirmationis eſt totum conſtans partibus quæ ſibi cohærere debent: atqui in adverſariorum opinione nec materia prima, olei nimirum, cohæreret materiæ ſecundæ, ſeu balſamo, nec huic cohæreret forma. Quæ enim connexio balſami cum oleo tres ante menſes applicato? quæ connexio formæ dum applicaretur oleum pronunriatæ, cum balſamo quod hodie tantum applicatur?

Confirm. 2. quia eodem modo judicat Innocentius III. de ſupplenda balſami unctione, quo judicat de ſupplenda, quæ in ordinatione Subdiaconi prætermiſſa erat, manuum impoſirione: atqui hanc pro eſſentiali non habebat Innocentius III. ergo nec illam.

Reponunt Yſambertus, Henno, Simonnet & alii plures, mentem Innocentii eſſe ut totum ſuppleatur, quia defectu Chriſmatis totum irritum fuit; neque, inquiunt, eſt id iterare quod factum eſt, quia ex Gloſsa in prædictum caput, non dicitur iterari, quod prius non niſi invalide factum eſt. Et verò, ait idem Simonnet, ſi præceperit Innocentius ut ſuppleretur unctio ſolius balſami, vel præcepit utendum balſamo benedicto, vel non benedicto; porro utrumque totius Eccleſiæ conſuetudini repugnat; cum ea nec balſamo minime benedicto utatur, nec balſamum ſeorſim ab oleo benedicat.

Fatendum ſolutionem hanc vel ex ipſo intuitu videri violentam; cum ex ipſa voces iſtæ, *nihil eſt iterandum*, idem ſibi velint ac *totum eſt iterandum*. Certe particula adverſativa *ſed*, quando refertur ad omiſsam in collatione Subdiaconatus manuum impoſitionem, de ejus tantum ſupplemento, non de totius ordinationis iteratione intelligitur; ergo & cum ad omiſsam balſami unctionem ſpectat, de ea tantum ſupplenda intelligi debet.

Sed quo utetur balſamo Epiſcopus, ut id ſuppleat quod incaute omiſit? utetur balſamo quod hunc in finem conſecraverit. Eſt id quidem in Eccleſia rarum; ſed quia in Eccleſia rarum eſt ut loco chriſmatis adhibeatur ſimplex oleum infirmorum, prout ei contigerat qui Innocentium conſuluit.

Facilius & forte melius reſpondeant adverſarii, quod in pari ferme caſu reſpondet Bellarminus lib. de Sacram. Ordinis cap. 9. nimirum ex Innocentii definitione tantum ſequi cæremonias Confirmationis, licet eſſentiales, poſse dividi, & dari diverſo tempore, ſuamque habere vim quo-

Digitized by Google

quocumque tempore dentur. Neque tunc, ait Arcudius lib. de Ordine c 6. neceſſarium foret ut denuo pronuntiaretur forma, quia jam prolata fuiſſet cum aliqua debita & convenienti materia, ideſt cum oleo.

Ut ut eſt, haud multum inniti velim prædicto Innocentii III. Decreto, quia Yſamberti ſolutio, etſi admodum contorta videtur, a pluribus magnæ notæ Theologis admittitur in Tractatu de Ordine, ubi explicanda ſunt duo ejuſdem Innocentii & Gregorii IX. Decreta, quorum aliud habetur in cap. unic. *De ſacra unctione*, aliud in cap. *Presbyter*, *De Sacram. non iterandis*.

Nunc quam nervoſe fieri poterit, alterius partis momenta proponemus, ut quibus noſtra opinio, ſi noſtra eſt, non placuerit, oppoſitam ſcienter amplecti valeant. Itaque

Obj. 1. Chriſma eſt eſſentialis Confirmationis materia: atqui Chriſma eſt compoſitum ex oleo & balſamo, uti ſupra docebant S. Gregorius, Ordo Romanus, Amalarius & alii quibus ſuſcribit Innocentius III. cit. cap. *De ſacra unctione*, his verbis: *Conficitur Chriſma, quod ex oleo fit & balſamo*, &c. ergo.

R. diſt. min. eſt compoſitum ex oleo & balſamo ex inſtitutione Eccleſiæ, eaque prioribus ſæculis ignota, C. ex inſtitutione Chriſti, ſaltem prout præceptiva, N. itaque ſuum eſſet, nec tamen invictum objectioni propoſitæ robur, ſi probari certo poſſet Chriſma ante Gregorii Magni tempus ex oleo & balſamo conſtitiſſe, prout exinde factum eſt. Verum longe aliter ſe res habent; cum econtra certo certius ſit chriſmatis nomen a Patribus inditum fuiſſe ei etiam unctioni quæ ex oleo puro fieret. Patet id 1. ex S. Juſtino in Dialogo contra Triphonem, ubi ſic: *Omne Chriſma ſive olei, ſive ſtactes*, ſeu mirrhæ, *ſive aliarum ex unguentorum compoſitione unctionum, Chriſti fuiſſe oſtendimus*. 2. Ex Auguſtino, qui lib. 17. de Civit. Dei, cap. 10. ſic loquitur: *In veteri teſtamento Reges, Chriſti vocabantur, chriſmate illo myſtice conſecrati;* ubi purum, quo Judaici Reges ungebantur, oleum, chriſmatis nomine donatur. 3. Ex Innocentio I. qui Epiſt. ad Decentium Cap. 8. Unctionis extremæ materiam, quæ purum eſt ac ſimplex oleum, vocat *oleum Chriſmatis*. At dubium omne tollunt, ſimulque Chriſmatis ſignificationem indicant hæc S. Optati verba lib. 7. ſub finem: *oleum nominant illum* liquorem *qui ex nomine Chriſti conditur: quod Chriſma poſtquam conditum eſt nominatur*. Ubi vides oleum non ex alterius liquoris admiſtione, ſed ex ſola benedictione Chriſma nominari.

Inſt. 1. Ex laudata S. Auguſtini Regula lib. 4. de Bapt. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed* (adeoque) *ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur:* atqui ſexto labente ſæculo Eccleſia tota balſamo utebatur in Confirmatione, ut patet ex citato S. Gregorii textu; neque id ab aliquo inſtitutum erat Concilio; cum nullum allegari poſſit; ergo id ſemper, ac proinde quinto, quarto, & ſuperioribus retro ſæculis retentum erat; ergo rurſus rectiſſime creditur iſtud nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum. Ita Simonnet.

R. 1. Tranſeat totum: quid inde? nihil prorſus, niſi probetur id quod auctoritate Apoſtolica traditum eſt, eſſe de ſubſtantia Sacramenti: atqui id probari nequit; cum ex Cypriano miſtio aquæ in Calice,

 non

non ſit tantum Apoſtolicæ traditionis, ſed & inſtitutionis divinæ, nec tamen a Catholicorum quopiam exiſtimetur Sacramento neceſſaria.

R. 2. neg. min. Et quis hunc ferat diſcurſum: Loquitur S. Gregorius de balſamo in Confirmatione; ergo uſus balſami tota in Eccleſia vigebat tempore S. Gregorii. Idem pene eſt ac ſi dixeris: Loquitur S. Dionyſius, qui Simonnero eſt Areopagita, de Chriſmate tanquam de compoſito ex pluribus materiis ſuave olentibus; ergo Chriſma toto in Orbe ex iiſdem materiis conſtabat, quæ proin hodieque ſunt materia Confirmationis. Id ſi quis in gratiam Orientalium objiceret, quid regereret adverſarius? hoc unum, non ubique vigere id quod alicubi obſervatur; Traditionem non ex uno aut altero Patre, etiam antiquo eſſe repetendam; haud futurum fuiſſe ut ceteri Eccleſiæ Doctores hanc aromatum miſtionem ſiluiſſent, ſi ubique fuiſſet in uſu; ac multo minus, ſi in uſu fuiſſet tanquam eſſentialis materia Sacramenti. Quod aliis diceret ille, id ſibi dictum putet.

C. 4. de Eccl. Hie. rarch.

Etſi vero nihil Auguſtini regulæ detractum velim, cenſeo tamen plus eam prodeſſe potuiſſe quo tempore ſcribebat S. Doctor, quam nunc prodeſſe poſſit: quia tunc longe pauciora celebrata erant Concilia; & ſparſi quoquoverſum eorumdem Canones (hi ſaltem qui potiores erant, ut ſunt qui ad Sacramenta pertinent) nemini diu ignoti eſſe poterant: unde eruditi quique reſcire poterant quid a Conciliis inſtitutum eſſet, vel non. At temporum lapſu conſtat geminata eſſe Concilia, & cum his Canones: hi porro & nova multa in iis quæ ſunt diſciplinæ immutare potuerunt, & deinceps excidere, adeo ut multi nunc in Eccleſia ſint uſus, qui nec Conciliis inſtituti videantur, nec tamen ad Apoſtolicam auctoritatem referri poſſint. Sic ut exemplum ab ipſa Confirmationis materia petamus, in Latina Eccleſia moris eſt ut confirmatus levi alapa cædatur: atqui hæc praxis neque ad Apoſtolos referri valet, nec tamen ab ullo Concilio inſtituta legitur: cum ignotam ſibi eſſe ejus originem fateantur eruditiores, ut VVitaſſii continuator tom. 2. p. 517. ergo.

Inſt. 2. Reſponſionis noſtræ ſumma eſt, inſtitutionem balſami ad Apoſtolos referri non poſſe, quia de balſamo ſiluerint Patres Gregorio Magno antiquiores: Atqui falſa eſt iſta & imperita ſuppoſitio. Prob. min. 1. ex S. Cyrillo Jeroſol. cathech. 3. ubi ait eos qui confirmantur, ungi *ut divinum recipientes unguentum*, dicant: *Chriſti gratus eſt odor Dei in his qui ſalvantur*. Ubi voces eæ, *gratus odor*, manifeſte alludunt ad fragrantiam balſami, quod cum nulla deinceps Synodo inſtitutum oſtendi poſſit, jam tunc præcipuum erat inter aromata quæ Græci Antiſtites oleo Confirmatorio admiſcebant. 2. Ex Conciliis Cartaginenſi II. can. 3. & Carthag. III. can. 36. & Epiſt. 88. S. Leonis Magni, ubi prohibetur ne Presbyteri Chriſma conficiant: at vero Chriſma conficere quid aliud eſt quam unguentum ex pluribus liquoribus conficere, 3. ex citato S. Gregorii textu, juxta quem ex balſamo *cum oleo Chriſma efficitur*, *quo dona Sancti Spiritus exprimuntur*: atqui quod balſamum cum oleo exprimat dona Spiritus ſancti non ab hominum, ſed a Dei ſolius inſtitutione habere poteſt; ergo.

R. Lugendam fore Eccleſiæ ſortem, ſi Sacramentorum ſuorum materiam nonniſi conjecturalibus id genus motivis fulcire poſſet. Itaque

Ad 1. neg. min. ad 1. 2. quidquid hic ſupponunt adverſarii, gratis ſup-

ſupponunt. Gratis affirmant balſamum inter aromata, ad quorum fragrantiam alludere dicitur Cyrillus, primas tenuiſse. Gratis contendunt, illud, ſi ut fieri poteſt, primas reipſa tenuit, neceſsarium magis fuiſse ad validitatem ſacramenti, quam cetera aromata, quæ fors ſemper admiſsa ſunt a Græcis, nuſquam forte a Latinis. Gratis denique ſubindicant, quod tamen neceſsum foret, balſamum in omnibus Eccleſiis oleo admiſtum fuiſse, prout fortaſſis jam a Cyrilli tempore admiſcebatur in Eccleſia Jeroſolymitana.

Ad 2. 2. neg. min. quæ & ipſa gratis aſseritur. Dico itaque: conficere Chriſma, idem eſt ac ipſum benedicere, ſicut conficere Euchariſtiam, idem eſt ac panem & vinum conſecrare. Unde contrarium probabunt adverſarii? Aſsertum noſtrum probabimus nos ex conſtanti Doctorum loquela, imo ex Patribus, qui aliquando de ſolius olei confectione loquuntur. Sic enim habet S. Optatus lib. 7. ſub finem: *Oleum antequam a nobis conficiatur*, ideſt conſecretur *tale eſt quale natum eſt: confectum vero ſuavitatem ex nomine Chriſti* accipit.

Ad 3. 2. neg. min. tum quia quæ Græci oleo & balſamo immiſcent aromata, exprimunt etiam dona S. Spiritus, nec id tamen habent ab inſtitutione divina; tum quia omnes vel pene omnes ſacri Eccleſiæ ritus, ut cerei, thus & ſimilia, ad exprimendum charitatis vel orationis ardorem inſtituti fuere; neque tamen idcirco a Chriſto vel Apoſtolis inſtituti dicuntur; tum denique quia quæ indubie a Chriſto inſtituta eſſent, non illico probarentur ad Sacramenti ſubſtantiam pertinere.

Obj. 2. Decretum Eugenii IV. §. 2. ubi dicitur: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ.* Unde ſic: illud eſt neceſsarium neceſſitate Sacramenti, quod eſt ſimpliciter materia Sacramenti; ut patet ex inductione per aliud quodvis Sacramentum facta: atqui ex Eugenio IV. Chriſma confectum ex balſamo non minus quam ex oleo, eſt ſimpliciter materia Confirmationis, ſicut aqua Baptiſmi, oleum Unctionis-extremæ. Unde S. Thomas in 4. diſt. 7. q. 1. art. 2. in recto ait: *Materia Confirmationis eſt oleum balſamatum*; ergo.

Confirm. quia ſicut Scripturæ, ita & Conciliorum verba in proprio & naturali ſenſu intelligenda ſunt, quoties nihil inde ſuboritur incommodi: atqui quod Eugenii verba proprie intelligantur, nihil habet abſurdi; ergo. Ita Henno hic q. 3. concl. 2. & Maratius diſp. 2. pag. 212. qui tamen, neſcio an ſui oblitus, an retorſionem minime veritus, cum ſibi in Tract. de Ordine objeciſset Decretum Florentinum, quod prætermiſsa manuum impoſitione ſolam inſtrumentorum traditionem aſſignat in materiam Ordinum; placide reſpondet, *Concilium Florentinum non ſuſcepiſſe ex profeſſo declarandam accurate ſingulorum Ordinum materiam & formam totalem ac integram.*

R. 1. neg. min. Non enim magis colligi poteſt balſamum eſse eſsentialem Confirmationis materiam, ex eo quod ex oleo & balſamo Chriſma conficiendum eſse doceat Eugenius; quam ex eo quod Euchariſtiæ conſecrationem referendo, ea omnia verba referat quæ in Eccleſia Latina proferri ſolent, concludi poſſit omnia hæc ad formam conſecrationis pertinere: atqui poſterius non dicent adverſarii; ergo nec eſt quod prius aſſeverent. Lab. t. 13. p. 111.

R. 2. diſt. min. ex Eugenio proponente id quod tutius eſt in praxi; & a quo cavendum erat ne Armeni recederent, C. ex Eugenio ſtricte definiente, N. itaque propoſuit, & ſapienter Armenis propoſuit Eugenius praxim Romanæ Eccleſiæ; præſertim cum ii jam pridem erroris hac in parte accuſarentur: ſed nihil præciſe ex inſtructione ejus qua tali inferri poteſt, unde conſtet hoc perinde ac iſtud eſſe hujus vel illius Sacramenti materiam. Alioqui enim & Tridentini Patres, ut alibi ſolent, & Catholici quotquot ſunt Theologi, verba ejus uti ſtrictam fidei regulam amplexi eſſent; neque ab ea quis latum unguem aberraſſet, quin ſtatim reclamaſſet Eccleſia, prout in tanti momenti materiis reclamare conſuevit: atqui tamen neque de balſamo quidquam ſtatuere Tridentini Patres, nec ullam fidei legem hac in parte propoſitam eſſe crediderunt Theologi qui poſt Eugenii tempora vixere; ergo non immerito dixit Morinus lib. 8. de Pœnit. cap. 17. *Florentinos Patres* * *Armenis ſolum proponere quæ ſpecialia erant in Sacramentariis Latinis, ut eos ad ea amplexanda invitarent; ut autem amplecterentur non juſſiſſe.*

Quod ſpectat ad S. Thomam, magna quidem eſt ejus in Theologicis auctoritas; verum ſi ab ea recedere potuerunt præſtantes ejus diſcipuli, ut Cajetanus, Soto &c. quidni & nobis idem conceſſum ſit. Certe non una quovis tempore fuit S. Doctoris opinio de præſenti controverſia; cum lect. 1. in cap. 6. ad Hebræos, adeo ſolam manuum impoſitionem afferat tanquam materiam Confirmationis, ut ne verbum quidem habeat de unctione.

Ad Confirm. neg. min. quod enim Romanus Pontifex eam nobis Sacramenti materiam tradat, quæ nullum alicujus roboris fundamentum habet in tota priorum ſæculorum Traditione, id grave, quin &, ſi ſapio, graviſſimum eſt inconveniens: atqui ſi Eugenius &c.

Obj. 3. Epiſt. 2. Fabiani ad Orientales, ubi dicitur Chriſtum inſtituiſſe, ut Apoſtoli die Cœnæ Chriſma conficerent *ex oleo & balſamo*. Verum alibi *V. ſupra pag. 24. & 25.* probavimus Epiſtolas Rom. Pontificum qui Siricii tempora præceſſere, ab eruditis omnibus explodi ut adulterinas, ſi quædam exceperis fragmenta a Veteribus conſervata, ut Clementis Epiſt. ad Corinthios &c.

Obj. 4. Celebre factum quod refert Gregorius Turonenſis lib. 1. de gloria Martyrum; cum enim profanus idolorum Sacerdos, ob Chriſtiani alicujus præſentiam ſolita incantamenta perficere non poſſet, his ille Julianum apoſtatam verbis compellavit: *Require, Imperator ſacratiſſime, quis adeſt ablutus, ac balſamo unctus, & abſcedat.* Quo ſermone commotus Princeps: *Quis eſt hic*, inquit, *numinibus noſtris contrarius ...... qui frontem chriſmatis inſcriptione ſignatam ferat;* ergo tempore Juliani, adeoque & pluſquam duobus ante S. Gregorium ſæculis, balſamum pars erat Chriſmatis.

Et

* Quod dicitur ſub finem Concilii Florentini, Decretum pro unione Armenorum datum *Florentiæ in publica ſeſſione Synodali ſolemniter in Eccleſia majori celebrata*, de ſolis Occidentalibus Epiſcopis intelligi debet. Jam enim diſſoluta erat Synodus, ejuſque Decreta a Græcis ſubſcripta, cum Armeni Florentiam advenere: imo jam diſceſſerant & ad ſua reverſi erant Græci, cum Eugenii decretum X. Kalendas Decembris an. 1439. latum & promulgatum fuit. Hinc teſte Salmeron t. 9. Tract. 13. p. 87. prodiit Romæ exeunte ſæculo 16. Græca Florentini Concilii editio, quæ nihil habet ſeu de Armenorum adventu, ſeu de doctrina ipſis tradita: *quod certe*, ait vir ille Doctiſſimus, *factum non fuiſſet, ſi illorum adventus & doctrina illis tradita ad ipſam Synodum ſpectaſſet tanquam ejus pars.* Ita Tournely abbreviator in appendice de Conciliis, quem adi pag. 315. & ſequent.

Et vero diſerte id teſtatur S. Cyprianus in Serm. de unctione Chriſmatis, ubi *mixti oleo balſami unctionem divinitus inſtitutam eſſe docet*.

R. ad 1. Gregorium Turonenſem Pſeudoſacerdoti commodaſſe verba, quæ ſuo tempore erant in uſu: porro ejuſdem Gregorii tempore in uſu erat ut oleo balſamum admiſceretur, & ex utroque fieret Chriſma. At non ideo mixtio hæc, Juliani ſæculo, ubique obſervabatur, & multominus obſervabatur ut neceſſaria Confirmationis materia. Unde Prudentius ex quo hiſtoriam hanc deprompſit Gregorius Turonenſis, de ſolo Chriſmate loquitur, de balſamo neutiquam.

Ad 2. Conſtat apud eruditos Sermonem de unctioné non eſſe S. Cypriani, ſed vel Arnoldi Bonæ Vallis, vel alterius, qui non ante octavum ſæculum vixerit, & qui divinam balſami inſtitutionem haurire potuerit ex pſeudo Fabiani Epiſtola. Spurias enim decretales circa medium ſæculi VIII. editas eſſe probant non infirmæ rationes. De duplice hoc capite ad VVitaſſii continuatorem tom. 2. in appendice p. 112. & 125.

CONCLUSIO III. Ut licite adminiſtretur Confirmatio, requiritur, ſaltem de jure ordinario, Chriſma benedictum, & quidem ab Epiſcopo; an ut valide, necdum ſatis liquet.

Prob. 1. pars de benedictione ſimpliciter. Illud ad legitimam Sacramenti collationem merito dicitur requiri, quo ſemper & in quocumque caſu uſa eſt Eccleſia; hinc enim v. g. non abſolute requiritur aqua benedicta ad Baptiſmum, quia ſemper in urgenti caſu datus eſt Baptiſmus cum aqua communi: atqui Chriſmate benedicto ſemper &c. Prob. min. 1. ex Tertulliano lib. de Bapt. *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione:* quæ verba ſi unctioni verticali applicarentur, a fortiori locum haberent in Confirmatoria. 2. Ex Cypriano Epiſt. 70. ubi ait *Euchariſtia, & unde baptizati unguntur oleo, in altari ſanctificantur*, 3. ex S. Baſilio lib. de Spiritu ſancto: *Conſecramus*, inquit, *aquam baptiſmatis & oleum unctionis. Ex quibus Scriptis? Nonne a tacita ſecretaque traditione*. 4. ut alios plures omittam ex Auguſtino Tract. 118. in Joan. in fine, ubi ſic: *Quid eſt .... ſignum Chriſti, niſi Crux Chriſti? quod ſignum niſi adhibeatur, ſive ipſi aquæ ex qua regenerantur Credentes, ſive oleo quo chriſmate unguntur, ſive ſacrificio quo aluntur, nihil horum rite perficitur*. Habeant ergo Lutherani & Calviniſtæ conſecrationem chriſmatis ut incantamentum; gloriabimur nos ſanctiorum Eccleſiæ Doctorum magiam renovare.

Confirm. quod præceptum eſt omnibus Græcorum Euchologiis & Latinorum Pontificalibus, illud utique ad legitimam Confirmationis adminiſtrationem requiritur: atqui uſus chriſmatis benedicti præcipitur &c.

Prob. 2. pars, de benedictione Epiſcopali, 1. ex Concilio Carthaginenſi II. an. 390. ubi ſic legere eſt Can. 3. *Chriſmatis confectio & puellarum conſecratio a Presbyteris non fiant*, quod jam a præcedentibus Conciliis ſtatutum fuiſſe aſſeruit eod. Can. Numidius, vel, ut habent vulgatæ editiones, Fortunatus Epiſcopus. 2. ex Concilio Carthag. III. an. 397. ubi nonnulla circa Virginum conſecrationem inducta eſt mutatio, nulla autem circa chriſmatis benedictionem. Sic ergo habet Canon 36. *Ut Presbyter inconſulto Epiſcopo Virgines non conſecret: chriſma vero nunquam conficiat*. 3. ex Concilio Toletano I. an. 400. Can. 10. ubi hæc habes: *Quamvis pene ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo nemo Chriſma conficiat; tamen quia in aliqui-*

Digitized by Google

bus locis vel Provinciis Presbyteri dicuntur chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium niſi Epiſcopum Chriſma facere. 4. ex Innocentio I. Epiſt. ad Decentium: *Presbyteris*, inquit, *Chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum*. Idem tradunt innumera pene Concilia, ut Valenſe I. an. 442. Can. 3. Bracarenſe II. an. 563. Can. 13. Hiſpalenſe II. an.619. Can.2. &c. Congruunt, & doctrinam noſtram mirifice commendant iſthæc Eugeniani Decreti verba: *Legitur tamen, aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili & admodum urgente cauſa, ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*. Ubi percipere eſt Chriſmatis conſecrationem inſigniter propriam eſſe Epiſcoporum, cum iis etiam Presbyteris interdicta ſit, quibus in neceſſitatis caſu conceſſa eſt ipſius Confirmationis adminiſtrandæ facultas. Et, ne dubii quidpiam ſuperſit de Eccleſiæ etiam Orientalis praxi, Clemens VIII. Conſtitutione 38. quæ inſtructionem ſuper Græcorum ritibus continet, ita ſcribit: *Chriſma autem quod nonniſi ab Epiſcopo, etiam juxta eorum ritum, confici poteſt &c.*

Prob. 3. pars, nempe Epiſcopi benedictionem neceſſariam eſſe ſaltem de jure ordinario: quod enim ſimplicibus Presbyteris conſtanter prohibetur, illud ad minimum de jure ordinario pertinet ad ſolos Epiſcopos: atqui, ex textibus modo adductis, Chriſmatis confectio ſimplicibus Presbyteris conſtanter prohibetur; ergo. Sed de his paucula quædam deinceps.

Prob. 4. pars. Quia ut probetur Pontificiam Chriſmatis benedictionem neceſſariam eſſe neceſſitate Sacramenti, probandum eſt & benedictionem hanc a Chriſto inſtitutam eſſe, & inſtitutam eſſe ut quid futuro Sacramento eſſentiale: ſed quidquid ſit de priori membro, poſterius non probatur invicte. 1. quia Patrum alii, ut Cyprianus, cenſent a Chriſto inſtitutum eſſe ut aqua vino conſecrando admiſceretur; & tamen miſtio hæc ſolius præcepti, non autem Sacramenti neceſſitate neceſſaria eſt; 2. quia alii, ut Auguſtinus, de benedictione Chriſmatis, quicum ungendi ſunt fideles, perinde loquuntur ac de benedictione aquæ per quam regenerandi ſunt Catechumeni; & tamen conſtat aquæ benedictionem requiri tantum ut Baptiſmus ſolemnis *rite* ſeu licite perficiatur, non ut valide 3. quia Concilium Toletanum I. ita prohibuit ne deinceps Presbyteri Chriſma conficerent, ut nullatenus irritam declaraverit ejuſdem Chriſmatis conſecrationem, quæ ab iis antea facta erat: atqui ſi crediditſet Pontificiam conſecrationem ad Sacramenti eſſentiam pertinere, declarare id debuiſſet, & providere ut confirmati Chriſmate per ſimplicem Presbyterum benedicto, iterum confirmarentur, ne tanti Sacramenti fructu carerent in perpetuum; 4. Demum quia hodiedum, tacente Eccleſia, diviſi ſunt ea de re Theologi, aliis cum S. Thoma & Petro Lombardo benedictionem Epiſcopi requirentibus ad veritatem Sacramenti; aliis ex adverſo contendentibus benedictionem hanc non eſſe neceſſariam niſi neceſſitate præcepti, ſeu divini, ut volunt Eſtius, Soto &c. ſeu Eccleſiaſtici tantum, ut placet Juenino pag. mihi 106. Tournelyo p. 499. &c.

Objiciuntur non pauca, & 1. Decretum Eugenii, ubi materia Confirmationis reponitur in oleo & balſamo per Epiſcopum benedicto. 2. Canones & Decreta, quæ Chriſmatis conſecrationem reſervant Epiſcopis, dum etiam Confirmationis adminiſtrationem graves ob cauſas indulgent Presbyteris;

hujus

hujus enim diſcriminis ratio conveniens afferri nulla poteſt, niſi quod Epiſcopalis benedictio ex inſtitutione Chriſti requiritur ad confectionem veri Chriſmatis, ſine quo Sacramentum valide conferri nequit. 3. Auctoritas S. Cyrilli Jeroſol. Cathec. 3. ubi ſic: *Quemadmodum panis Euchariſtiæ poſt S. Spiritus invocationem non amplius eſt panis communis, ſed eſt Corpus Chriſti; ſic & ſanctum hoc unguentum, non amplius eſt unguentum nudum, poſtquam jam conſecratum eſt, ſed eſt Chriſma Chriſti, quod Spiritus ſancti per ipſius divinitatem energiam habet, qua .... corpus quidem viſibili unguento perungitur, anima vero ſancto ac vivifico Spiritu ſanctificatur:* ubi non minus neceſſaria eſt conſecratio Chriſmatis, adhoc ut energiam habeat vivificandæ per Spiritum ſanctum animæ, quam neceſſaria ſit panis conſecratio, ut animam ſpiritualiter nutrire poſſit. 4. Adductus ſupra textus Optati, juxta quem oleum non niſi a benedictione habet ut ſit Chriſma. Unde ſic. Ad validitatem Confirmationis requiritur Chriſma: atqui ex S. Optato, deficiente benedictione deficit Chriſma & ſolum manet oleum; ergo. 5. Capitula Eccleſiaſtica Caroli Magni, quæ a Labbæo tom. 7. Concil. ad an. 801. referuntur, ubi tit. 4. cap. 2. & 4. præcipitur, 1. *Ut nullus Chorepiſcopus per manus impoſitionem Spiritum ſanctum tradere, aut Sacerdotes vel Levitas, aut Subdiaconos ſacrare, aut ſanctum Chriſma conficere præſumat.* 2. *Ut qui a Chorepiſcopis ſunt ordinati, vel confirmati ...... pro confirmatis, vel ſacratis minime habeantur;* ac proinde denuo confirmandi ſint ut & ordinandi; quod quidem, inquiunt, citra iteratæ Confirmationis, vel Ordinationis periculum fiet, quia *quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum;* ergo Chriſmatis conſecratio & neceſſaria eſt, & ab Epiſcopo fieri debet.

En quæ validiora detegere potui alterius partis munimenta: Habeant, per me licet, probabilitatem ſuam: ſed an illico vim ſtatuendis fidei articulis parem habere dicenda ſunt? certe vix unum eſt, quod ſufficienter ſolvi non poſſit.

Ad 1. itaque, eadem eſt reſponſio quæ ad primam præcedentis Concluſionis objectionem.

Ad 2. Aliud eſt Chriſmatis benedictionem factam a Presbytero irritam eſſe, aliud irritum eſſe Sacramentum ſine chriſmate benedicto collatum. Primum ſancire potuit Eccleſia, ſicut aliquando ſanxit ne Virgines a Presbyteris conſecrarentur: ſecundum a ſola pendet inſtitutione Chriſti, qui non modo præceperit ut benediceretur Chriſma, prout præcepiſſe ſatis evidenter docet Dionyſius vulgo Areopagita, lib. de Eccl. Hier. cap. 5. ſed & præceperit ut ſublata iſthac benedictione tolleretur Sacramentum: porro irritantem hanc legem a Chriſto poſitam ſupponunt, non autem probant adverſarii.

Ad 3. 1. Eſto ita ſenſerit Cyrillus, & cum eo tres quatuorve Eccleſiæ Doctores; an inde exurget probatio, quæ ad condendum fidei articulum ſufficiat.

2. Neg. min. duplici de cauſa, 1. quia non dicit Cyrillus Chriſma habere vim ſacramentaliter ſanctificandi a conſecratione, ſed *ab adventu Spiritus ſancti*, qui utique non in ipſum Chriſma illabitur, ſed in animam, dum *corpus viſibili unguento perungitur:* unde Cyrilli comparatio, quæ ceteroqui non eſt nimium urgenda, ſicut nec ceteræ comparationes, probat qui-

dem Chriſma ex profano ſacrum quid fieri per benedictionem, ſed non probat benedictionem hanc eſſe neceſſariam ad ſubſecuturi Sacramenti validitatem. 2. Quia conceſſo, quod negare non intendimus, Chriſma ex conſecratione vim habere ſanctificandi, non ſtatim ſequitur, neque id dicit Cyrillus, hac ſecluſa vi Chriſma jam ad nihil valere in ipſo Sacramenti uſu. Scilicet enim non benedicitur aqua baptiſmalis, niſi ut vim habeat ſuo modo ſanctificandi, ut patet ex precibus, quæ benedictionem ejus concomitantur: nec tamen aquæ benedictio eſſentialis eſt baptiſmati.

Ad 4. neg. maj. ad ſenſum objectionis: etſi enim dicit S. Optatus oleum, poſtquam conſecratum eſt, vocari Chriſma, non tamen dicit ſine chriſmate ſic ſumpto, ideſt minime benedicto, non poſſe perfici Sacramentum.

Ad 5. neg. conſeq. ab hac enim propoſitione, *invalida eſt ſeu Chriſmatis conſecratio, ſeu Confirmationis adminiſtratio a Chorepiſcopis facta, & utraque iterari debet;* nulla eſt ad iſtam illatio, *Epiſcopus ſi confirmet cum Chriſmate per Chorepiſcopum benedicto, invalide confirmat:* poſterius iſtud non dicunt, ſed prius tantum objecta Capitularium verba, & tamen utrumque dicere deberent, ut ex iis quidpiam poſſet extundi; ergo.

Quæres an non ergo deputari poſſit ſimplex Sacerdos ad conſecrandum Chriſma.

R. 1. Id ſevere prohibitum eſſe a pluribus Conciliis, de quibus ſupra p. 98. Unde Montanus Toletanus Archipræſul circa an. 500. Epiſt. 1. & 2. *Quidam Presbyteri*, Placentini potiſſimum ſede vacante, *auſu temerario .... cunctis ab initio fidei ſæculis inuſitato .... niſi tantum Pontificibus debitum jus conſecrationis Chriſmæ, neſcio quo tipho, an dementia dicam? indubitanter adſumunt: quod quam ſacrilegum ſit piiſſimam tuam conſcientiam latere non credo:* quæ verba (etſi forte aſperiora ſunt, & tanquam *cunctis ab initio fidei ſæculis inuſitatum* exhibent, id quod Montanus ex propriis Eccleſiæ ſuæ Actis diſcere potuerat olim factum, non quidem cum approbatione, ſed tamen ſine grandi vituperio) grande ſcelus indicant.

R. 2. Eugenium ipſum IV. qui in decreto ad Armenos viſus erat dicere, conceſſam aliquando meris Sacerdotibus confirmandi facultatem, ea lege ut *Chriſmate per Epiſcopum confecto* uterentur, Chriſmatis tamen conficiendi licentiam feciſſe ſimplicibus Religioſis. Sic enim habet Bulla, quam in Annalibus Minorum ad an. Chriſti 1444. nu. 45. ex Vaticano folio 285. refert VVadingus: *Sacræ Religionis Inquiſitori Fratri Fabiano de Bacchia, Ordinis Minorum, in partibus Septentrionalibus Moldaviæ, VValachiæ, Bulgariæ,* &c. *Concedimus facultatem ...... ut omnes & ſinguli Fratres ...... poſſint Euchariſtiæ, Baptiſmatis, Chriſmatis, ſeu Confirmationis, Extremæ Unctionis, & reliqua Sacramenta miniſtrare. Capellas quoque, altaria, nec non Calices, & paramenta Eccleſiaſtica, Oleum ſanctum & Chriſma benedicere & conficere* &c.

Concinit Franciſcus Haroldus in Epitome Annalium Minorum ad an. 1346. nu. 46. ubi hæc habet in terminis: *Poteſt* ex privilegio Guardianus montis Sion *Confirmationis Sacramentum, Pontificalibus indutus conferre, & ipſum Chriſma conficere.*

Accedit, quæ hoc in puncto diſpenſandi poteſtatem probat ratio multiplex. 1. Enim priora Concilia eodem modo Sacerdotibus prohibuerant vela-

velamen Virginum, & templorum conſecrationem, quo benedictionem Chriſmatis: atqui tamen prius utrumque ſimplicibus Presbyteris committi poteſt; ergo & poſterius.

2. Cui majus committi poteſt, poteſt & minus, præſertim cum minus ordinatur ad majus, ut medium ad finem; niſi abſolute repugnet divina inſtitutio, ex qua fit ut Diaconi olim diſpenſaverint Sanguinem Chriſti, quem nuſquam conſecrare potuerunt, nec poſſent, etiamſi minus eſſet conſecrare, quam diſpenſare: atqui ſimplici Presbytero committi poteſt facultas dandæ Confirmationis; ergo & Chriſmatis conficiendi; cum probari non poſſit hic abſolute reniti divinam inſtitutionem.

Nec dicas, ex poteſtate circa finem nihil colligi pro poteſtate circa medium, niſi cum medium abſolute neceſſarium eſt ad finem; quod non contingit in præſenti caſu, quandoquidem ſi ſemper haberi non poſſint Epiſcopi qui confirment, ſemper haberi poteſt Chriſma ab Epiſcopis conſecratum. Contra enim eſt, ait ſcite Henno, quod rarum non ſit, ut Chriſma, dum ad loca remotiſſima, & ob incolarum idolatriam periculoſa transfertur, vel pereat, vel capiatur, vel deficiat; quo caſu, ut indulta confirmandi poteſtas efficax ſit, debet & adeſſe materiæ conſecrandæ poteſtas. Et vero, pergit idem Theologus, mirum eſſet, quod Chriſtus, qui ne Eccleſiæ ſuæ deeſſet in ſpiritualibus, permiſit ut aliquando de Vicarii ſui licentia poſſet ſimplex Sacerdos confirmare, non permiſiſſet, ut, eadem accedente, Chriſma conficeret; cum Sacramentum Confirmationis, ſæviente, ut non ita pridem apud Japoniam, perſecutionis rabie, & neceſſarium eſſe queat, & tunc deficere Chriſma ab Epiſcopo benedictum. *Henno t. 7. p. 332.*

3. Poteſt ſummus Pontifex in caſu neceſſitatis diſpenſare in iis, quæ ſibi divino jure prohibita non ſunt, prout alibi probavimus: atqui nullibi divino jure cautum eſt, ne ſummus Pontifex Sacerdoti tribuat conficiendi Chriſmatis poteſtatem. Eatenus enim eſſet id Rom. Pontifici prohibitum, quatenus divinum jus poteſtatem hanc reſervaret Epiſcopis: atqui hæc ratio non concludit. Siquidem ipſius Confirmationis adminiſtrandæ poteſtas divino jure pertinet ad Epiſcopos, nimirum ut ad Miniſtros ordinarios: atqui ea tamen puris Sacerdotibus committi poteſt; ergo.

4. Addi forte poſſit, quod ſicut in caſu neceſſitatis etiam non omnimodæ, ſatius eſt adultum, qui ad Deum per contritionem recurrere poſſet, baptizare cum materia dubia; ſic & forte ſatius ſit, ut quis in Regionibus idololatriæ deditis, ubi graviſſima imminent abnegandæ fidei pericula, confirmetur cum materia dubia, quam ut remaneat non confirmatus. Sic enim conditio ejus longe melior fieri poteſt, non autem deterior; neque plus timendum Miniſtro Confirmationis dubiæ, quam dubii Baptiſmatis.

Objiciuntur tria, 1. quod Eugenius IV. cum de materia Confirmationis loquitur, non dicit eam eſſe Chriſma *ordinarie* benedictum ab Epiſcopo, tametſi loquens de Miniſtro, dicat eum *ordinarie* eſſe Epiſcopum; quæ ſubindicant dari quidem extraordinarium Confirmationis, non tamen conficiendi Chriſmatis Miniſtrum. 2. Quod permiſerit Gregorius III. Indiarum Miſſionariis ut confirmarent, non autem ut conficerent Chriſma: atqui

atqui nihil eſt cur in uno diſpenſaverit non in alio, niſi quia unum poterat, non aliud. 3. Quod ſi Sacerdos ex Pontificia diſpenſatione Chriſma conficere poſſit, poterit & ſine illa valide; ſicut Diaconus qui ex commiſſione baptizare licite poteſt, ſine ea valide baptizat; atqui falſum conſequens. Verum hæc facile diluuntur; unde

Ad 1. qui unum dicit, poteſt aliud prudenter tacere, præſertim cum iſtud & dubium eſt, & dictu inutile: de Armenis enim idem erat quod modo dicam de Indis.

Ad 2. Sufficiens erat in Indiis Epiſcoporum numerus, ut ab iis Chriſma haberi poſſet, etſi non erat ſufficiens ut Neophytos omnes confirmaret: ergo par erat ut denegata Miſſionariis Chriſmatis conficiendi poteſtate, non denegaretur iiſdem confirmari poteſtas.

Ad 3. Non ideo valide baptizat Diaconus ſine commiſſione, quia ex eadem licite baptizat, ſed quia omnis & quilibet homo ex inſtitutione Chriſti valide baptizare poteſt.

Quin & cenſent aliqui cum Ledeſma 3. p. q. 73. art. 3. & VVitaſſii continuatore tom. 1. pag. 770. prædictam Chriſmatis conficiendi poteſtatem a quolibet Epiſcopo cuilibet Diœceſano ſuo Sacerdoti demandari poſſe; 1. quia quæ leges Chriſmatis confectionem Epiſcopo reſervarunt, eidem pari jure, ut plurimum reſervabant velamen virginum, & altarium conſecrationem: atqui tamen quoad poſteriora duo diſpenſare poterant Epiſcopi; ergo & quoad prius. 2. quia olim Epiſcopi & Synodi Provinciales Presbyteris commiſerunt poteſtatem confirmandi: ergo & hodieque benedicendi Chriſmatis licentiam impertiri poſſunt. 3. quia poteſt in Diœceſi ſua Epiſcopus quidquid Canonibus vel conſtanti uſu reſervatum non eſt ſummis Pontificibus: atqui Chriſmatis benedictio, neque ſummo Pontifici reſervata eſt a Canonibus, qui nuſpiam ea de re locuti ſunt; neque uſu, qui ſi proprie loqui velis, nullus invaluit in præſenti caſu; ergo.

Mihi opinio iſthæc admodum difficilis videtur, ne quid ultra dicam; tum quia ad minus æquum eſt, ut in rebus tanti momenti, quæ Sacramentorum valorem proxime tangunt, conſulatur Romana Sedes; tam quia ſi vix quiſquam hac in parte invaluit uſus, ideſt, ſi vix ſummi Pontifices hoc in caſu diſpenſare auſi ſint; quantominus id audere poterunt Epiſcopi. Certe longe aliter ſenſere Patres antiqui de Virginum velamine, ac de conſecratione Chriſmatis; cum prius quandoque, nec raro Sacerdotibus permiſerint; poſterioris vero nulla ſuppetant exempla, niſi forte in citata Eugenii Bulla, cujus fides ſit penes VVadingum.

Conclusio IV. Unctio Chriſmatis debet fieri in fronte, idque ad modum crucis: poſterius neceſſarium eſſe neceſſitate Sacramenti non probatur efficaciter; major eſt difficultas de priori. Quatuor ſunt partes.

Prob. 1. pars 1. ex Patribus, qui aperte docent unctionem in fronte fieri. Sic Tertullianus lib. de præſcript. cap. 40. de diabolo, quem ait *ipſas quoque res divinorum Sacramentorum in idolorum myſteriis æmulari, Tingit & ipſe*, inquit, *quoſdam utique credentes ſuos & fideles; ſignat & in frontibus milites ſuos;* ubi evidenter alluditur ad Sacramenta Baptiſmi & Confirmationis, quæ proinde per actionem fronti impreſſam conferebatur. Cyrillus Catech. 3. *Ac primum quidem*, inquit, *fronti illinitur Chriſma*

ma Chriſti. Innocentius I. citata ad Decentium Epiſtola, ubi, *Presbyteris*, ait, *Chriſmate baptizatos ungere licet .... non tamen frontem ex eodem oleo ſignare* &c. Idem tradunt Auguſtinus in Pſalm. 140. Gregorius Magnus in Sacrament. & alii, quos in re perſpicua prolixius recenſere ſuperfluum fuerit.

2. Ex Conciliis, e quibus duo tantum referam, Hiſpalenſe II. ubi ſic: Presbyteris *nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontem ſignare* licet. Et Florentinum, ſi tamen eo nomine donari poteſt Eugenii decretum. Sic iſtud: *Ideo in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat* &c.

Prob. 2. pars, ex citatis modo textibus, ubi juxta diuturnam, nec recentem Eccleſiæ praxim, ſignare, idem eſt ac ungere in modum Crucis.

Prob. 3. pars, quia nec ſatis probatur Chriſmatis unctionem ab omni ævo factam fuiſſe in modum Crucis; nec ſi probari id poſſet, continuo aſtrueretur neceſsarium neceſſitate Sacramenti. Primum hinc conjicio, quod vox *Signandi* ſolam quandoque unctionem exprimat. Sic Patres Concilii Cap. 1. Can. 7. Recipimus, inquiunt, Arianos, Macedonianos &c. *Signatos, ſive unctos primum ſancto Chriſmate, & frontem, & oculos, & nares* &c. Ubi ſignare, nihil aliud eſt quam ungere: ungi porro quis poteſt, abſque eo quod ungatur per modum Crucis. Imo ſignandi nomen in allato Tertulliani textu ſignum Crucis excludere videtur. An enim diabolus, cui exoſum eſt ſignum Crucis, ſignum illud in militum ſuorum fronte efformaſset? Secundum non minus, imo longe magis evidens eſt. Licet enim probabiliſſimum ſit Chriſtianos, qui, ut ait Tertullianus lib. de corona militis, *ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia frontem ſignaculo Crucis* terebant, ſignum adeo ſibimet familiare non neglexiſse in collatione Sacramenti, haud tamen colligi poteſt ipſum ad ſubſtantiam Sacramenti pertinere, niſi ſimul probetur & a Chriſto inſtitutum, & inſtitutum ut quid Sacramento eſsentiale. Id autem minus probari poteſt, quam vel balſami, vel benedictionis Pontificiæ neceſſitas: utramque porro ex dictis dubiam eſse pene indubium eſt.

Prob. 4. pars, quia ſi ad ſubſtantiam Confirmationis certo requiratur aliqua manus impoſitio, nec certo requiratur impoſitio quæ fit manibus verſus confirmandos extenſis; ſupereſt ut ad Sacramenti validitatem neceſsaria ſtatuatur ſaltem ea, per quam admota fronti manu frons eadem ungitur: atqui ex probatis ſupra, conſtat 1. aliquam manus impoſitionem ad ſubſtantiam Confirmationis requiri; conſtat 2. non certo requiri eam, quæ apud Latinos fit manibus verſus confirmandos extenſis; quandoquidem hæc a pluribus creditur deeſse apud recentiores Græcos, qui tamen valide confirmant; ergo ſupereſt &c. Unde, ait poſt Suarem Mœratius diſp. 2. Sect. 5. Si Epiſcopus intermedio quopiam inſtrumento, non ipſa manu frontem ungeret, tolleretur Sacramentum, quia tolleretur manus impoſitio.

Nec refert quod etiam tunc verificaretur forma hæc, *ſigno te* &c. 1. quia ea etiam verificaretur, etiamſi quis in ſolo pedis digito ungeretur; & tamen nemo eſt qui unctionem hanc ſufficere incunctanter pronuntiet. 2. quia neceſse non eſt ut formæ verba ſignificent totam materiam;

imo

imo forma Baptiſmi, *Ego te baptizo*, ſeu *abluo*, non magis aquam, quam alium liquorem ablutioni idoneum exprimit; ergo de iis quæ ad materiam neceſſaria ſunt, non ex ſola forma judicandum, ſed ex verbo Dei ſcripto, vel non ſcripto.

Ceterum, ait idem Mæratius, ad ſubſtantiam Sacramenti nihil referre arbitror, utrum Epiſcopus ungat dextra potius manu quam ſiniſtra, aut pollice potius quam alio digito: qui tamen læva uteretur vel indice, peccaret contra Eccleſiæ legem.

Obj. contra concluſionem: non magis ex eo quod unctio frontis ab antiquioribus Eccleſiæ Patribus commendata ſit, aſtrui poteſt qualiſcumque ejus neceſſitas, quam ex eo quod ab iiſdem commendata ſit unctio narium, aurium &c. hanc quoque neceſſariam eſſe inferri poſſit: atqui ex eo &c.

R. neg. min. Diſparitas eſt quod unctio frontis ubique & ſemper admiſſa fuerit; non autem unctiones aliæ, quæ in Eccleſia Latina, præſertim vero Romana, Eccleſiarum omnium matre & magiſtra prætermiſſæ ſunt, aut ſemper habitæ pro accidentalibus.

Etſi in iis quæ hactenus operoſe diſputata ſunt, genuinam ſuam Confirmationis materiam aſſerere conati ſumus, quia tamen cogitationes mortalium incertæ ſunt, nec ſemper labori reſpondet ſucceſſus, operæ pretium erit admonere, ut caute recipiantur ea omnia quæ ad Sacramenti materiam pertinere contendunt variarum opinionum Theologi. Unde qui abſens fuerit dum prima fieret impoſitio, quive deprehenderet unctum ſe fuiſſe oleo ſine balſamo, vel utroque ſed non benedicto, vel benedicto quidem, ſed medio inſtrumento non autem manu &c. debet qua data occaſione recurrere ad Epiſcopum, qui omiſſa caute ſuppleat, vel, quod tutius fuerit, ritum totum iteret ſaltem ſub tacita conditione. Et vero tametſi probabilius videtur nobis, materiam Sacramentorum in ſpecie determinatam eſſe a Chriſto, non eſt id tamen adeo inconcuſſum, ut nihil prorſus vereri practice debeat, qui nobiſcum huic Sententiæ adhæret. Male ergo quis dicat, Certum mihi eſt cum Sirmondo, primam manus impoſitionem fuiſſe ab initio adæquatam Confirmationis materiam; ergo bene an male unctus ſim, nihil intereſt &c.

De Chriſmatis ritibus loquemur ubi de Sacramenti noſtri cæremoniis.

CAPUT QUARTUM.

De forma Confirmatione.

Confirmationis forma in verbis quibuſdam ab Epiſcopo prolatis neceſſario reponenda eſt. Hæc porro verba non eadem omnino ſunt apud Græcos, quæ in Eccleſia Latina. Totum iſtius ritum expreſſimus ſupra, juvat & illius ritum hic exſcribere ex hodierno Græcorum Euchologio, ubi ſic legere eſt. Supra p. 26.

„ Poſtquam recens Baptizatus indutus fuerit, adjicit Sacerdos oratio- „ nem hanc: *Dominum precemur: Benedictus es Domine Deus, qui & hunc recens illuminatum ſervum tuum, per aquam regenerare voluiſti: ipſe, Domine*

Rex

Rex omnium benigne , ſignaculum doni ſancti & omnipotentis , & adorandi tui Spiritus , & ſancti Corporis & pretioſi Sanguinis Chriſti tui communionem ei largire : in ſanctitate tua cuſtodi illum , in vera fide confirma , & a maligno & omnibus ejus aſtutiis illum erue , & ſalutari tuo timore in puritate & juſtitia animam illius cuſtodi, ut in omni verbo & opere tibi placitus filius & hæres evadat regni Cœlorum (quæ ſequuntur , dicuntur exclamando) *quia tu es Deus noſter , Deus miſerendi & ſalvandi , tibi gloriam rependimus , Patri , & Filio , & ſancto Spiritui : nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum . Amen.* Et oratione hac terminata Baptizatum ſancto unguento ungit , Crucis „ ſignum faciens in fronte, & in oculis, & in manibus, & in utraque „ aure dicens : " *Signaculum doni Spiritus ſancti . Amen.*

Ex his patet eſſe in utroque ritu 1. orationem unctioni prçviam, quç apud Latinos conjuncta eſt generali manuum extenſioni, non item apud Græcos , ſaltem recentiores ; 2. verba , quæ unctionem comitentur , & utrobique abſoluta ſint , hçc nempe apud Græcos , *Signaculum doni Spiritus ſancti* , ubi juxta linguæ genium ſubauditur , *Ecce* , vel *Tibi datur :* Iſthçc vero apud Latinos : *Signo te ſigno Crucis , & confirmo te Chriſmate ſalutis : In nomine Patris &c.* Jam quçritur ex quibus eorum conſtet forma Confirmationis : nec una eſt ea de re Theologorum opinio .

1. Itaque ſunt qui Sacramenti hujus formam in his tantum reponant verbis: *Signo te ſigno Crucis* &c. Sic ii communiter, quibus ſola Chriſmatis unctio creditur eſſentialis eſſe Confirmationis materia . Ex his porro alii ſingula hçc verba volunt eſſe de neceſſitate Sacramenti ; alii quçdam ſolum , de quibus etiam tot pene ſunt diſceptationes, quot in forma voculç.

2. Sunt qui Confirmationis formam collocent in ſola oratione quam profert Epiſcopus, cum Neophytis univerſis manus imponens , Spiritum ſanctum ad robur invocat . Ita Sirmondus, Morinus, Sambovius, aliiſque qui ejuſdem Sacramenti materiam in ſola prima manuum impoſitione conſtituunt , & unctionem nonniſi pro materia integrante aut accidentali habent .

3. Nec deſunt qui Sacramenti hujus , ſicut & Ordinis materiam & formam in genere tantum a Chriſto determinatas eſſe rati , cenſent impoſitionem manuum, eique annexam orationem ad ſeptimum uſque vel octavum ſeculum fuiſſe Confirmationis materiam & formam : his ſucceſſiſſe extunc , ſic volente , ut velle potuit , Eccleſia , impoſitioni quidem manuum unctionem Chriſmatis , orationi vero prædictæ formulam , *Signo te* &c. Commodam opinionem , niſi plus inveheret difficultatis, quam elevare poſſit.

4. Demum exiſtimant alii plures & orationem primæ manuum impoſitioni annexam , & indicativa hæc verba : *Signo te* &c. adæquatam eſſe Confirmationis materiam , adeo ut ſublata alterutra careat Sacramentum aliquo eſſentiali . Ita vulgo Theologi, qui & manus impoſitionem initio fieri ſolitam , & unctionem partiales & eſſentiales Sacramenti noſtri materias eſſe opinantur . Quanquam eorum nonnulli , licet duplicem hanc materiam eſſentialiter requiri exiſtiment , ſolam tamen orationem toti cæremoniæ præviam , pro eſſentiali materia aſſignant . Ita Jueninus. Sit jam

Conclusio. Oratio quæ præcedit unctionem , & verba quæ eamdem unctio-

unctionem comitantur, ſunt apud Latinos, ſicut & apud Græcos totalis & adæquata Confirmationis forma.

Prob. 1. pars de oratione unctioni prævia. Illud pro eſſentiali forma haberi debet, quod ab Apoſtolis accepit Eccleſia, quodque conſtanti & non interrupto uſu in Confirmatione adhibuit ut collativum Spiritus ad robur: atqui talis eſt oratio unctioni prævia.

1. quidem hanc uſurparunt Apoſtoli: ſiquidem Act. 8. *Oraverunt pro ipſis*, ait Sacer contextus, *ut acciperent Spiritum ſanctum: Tunc imponebant ſuper eos manus & accipiebant Spiritum ſanctum*: atqui hic orationis nomine non indicativus ſermo, ſed deprecatorius intelligi omnino debet; tum quia id ſonat orationis nomen; tum quia, ajunt aliqui, non minus ex citatis verbis colligi debet ſermonem ab Apoſtolis uſurpatum fuiſſe deprecativum, quam ex his S. Jacobi verbis: *Orent ſuper eum*.∴ *oratio fidei alleviabit infirmum*, colligi debeat formam unctionis extremæ eſſe deprecativam: atqui poſtremum hoc ex Jacobi verbis colligunt & colligere debent Theologi; ergo & a pari &c. Hæc tamen probatio non caret difficultate, ut alibi videbimus.

2. Orationem hanc perpetuo uſu adhibuit Eccleſia ut collativam Spiritus ſancti. Patet id ex citatis jam ab initio textibus, quorum aliquot, ſed paucos brevitatis gratia, revocare placet. Sic Cyprianus Epiſt. 73. ad Jabajan. *Qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ offeruntur, ut* PER *noſtram orationem ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur*. Sic Ambroſius Lib. 3. de Sacram. cap. 2. *Poſt fontem*, ſeu Baptiſmum, *ſupereſt ut perfectio fiat* per Confirmationem, QUANDO AD INVOCATIONEM *Spiritus ſanctus infunditur*. Sic S. Leo Epiſt. 129. alias 79. cap. 7. *Qui Baptiſmum ab Hæreticis acceperunt*.∴ *ſola invocatione Spiritus ſancti per impoſitionem manuum confirmandi ſunt*. His aliiſque qui geminari poſſent textibus, * eadem orationi tribuitur efficacia, quæ impoſitioni manuum: atqui hanc eſſentialem eſſe multo probabilius eſt, ex dictis; ergo & illam eſſe eſſentialem oportet.

Confirm. 1. ex Sacramentario S. Gregorii Magni, ubi cum deſcribitur ritus Confirmationis, refertur oratio ab Epiſcopo recitanda his verbis: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu ſancto, emitte, in eos ſeptiformem Spiritum tuum* &c. Tum vero, pergit Sacramentarium, *interrogantibus Diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex tincto pollice in Chriſmate facit crucem in fronte unius, ſimiliter per omnes ſingillatim; quibus expletis juſſi incipiunt Lætaniam ternam;* ubi oratio adeo formæ rationem habet, ut pene ſola videretur eſſentialis, niſi gravia ſuppeterent in contrarium momenta, de quibus ſtatim.

Confirm. 2. ex omnibus fere Libris Ritualibus, Pontificalibus, & Sacramentariis, quæ magno numero referunt Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii, Goarius in Notis ad Euchologium Græcorum, Martenius tom. 1. de de antiq. Eccleſiæ ritibus, pag. 249. & ſeq. ubi diſerta fit orationis mentio. Num ergo ſuppreſſo eſſentiali ſemper id expreſſum eſt quod erat accidentale. Ne vero hinc a contrario arguas, formu-

* Vide ſupra Tertullianum lib. de Bapt. C. 8. Siricium Epiſt. 1. ad Himerium, Hieronymum in Dialogo adverſus Luciferianos &c.

Digitized by Google

formulam *Signo te*, utpote in iis monumentis perpetuo tacitam eſſe pure accidentalem,

Prob. 2. pars. Ut verba quę apud Græcos & Latinos unctionem comitantur, haberi debeant pro forma Confirmationis, duo ſufficiunt juxta adverſarios, 1. ut legitime judicetur eadem vel ęquivalentia ab Apoſtolis ad nos uſque deſcendiſſe; 2. ut contrarium ex priorum Patrum ſilentio deduci non poſſit; huic enim potiſſimum ſilentio innituntur Jueninus, & alii: atqui...

1. Judicatur, nec temere judicatur, prędicta verba ab Apoſtolis ad nos uſque deſcendiſſe. Ad probationem minoris ſuppono, quod indubium eſt, verba hæc vel ſimilia tum apud Latinos, tum apud Gręcos octavo Eccleſię ſęculo in uſu fuiſſe. De Latinis patet ex Ordine Romano, quem ſęculi hujus fœtum eſſe liquet & ex Amalario, qui Ordinem Romanum citat in Lib. de Eccleſiaſticis Officiis ad an. 830. ſcripto; & ex Moguntina Synodo an. 813. coacta, quæ ejuſdem Romani Ordinis meminit. In hoc porro ſic habet cap. de ordine in nocte & die Sabbati ſancti: *Pontifex veniens ad infantes, &c.* ut ſup. p. 38. de Gręcis vero idem liquet tum ex Euchologiis Crypto Ferratenſi, & Barberino S. Marci, quod ultimum a Morino, x. ab aliis VIII. ſęculum antiquitate ſuperare creditur; tum ex Concilio CP. I. an. 381. ubi hodierna Gręcorum forma totidem verbis exhibetur Can. 7. His in anteceſſum miſſis ſic progredior: Verba unctioni annexa, apud Latinos VIII. ſęculo erant ſaltem partialis forma Confirmationis; verba item Latinorum verbis affinia, erant apud Gręcos quarto jam ſæculo forma ejuſdem Sacramenti; ergo & eadem verba, utpote quę nec ullo a Pontifice, nec ab ullo Concilio inſtituta legantur, Sacramenti hujus forma erant ſuperioribus ſęculis, juxta citatam Auguſtini regulam, quę ad Apoſtolos refert quidquid ubique frequentatum, a nullo legitur inſtitutum Concilio. Ecquis Epiſcopus alio ritu quempiam confirmare auſus eſſet, quam quo vel ipſe fuerat confirmatus, vel alios viderat confirmari?

Witaſ. p 831. & 838.

Sup. p. 30.

2. Nec quidquam in contrarium ex priorum Patrum ſilentio colligi poteſt. Tum quia Patribus, pręſertim Latinis, de quibus hic gravior eſt quęſtio, ſupra modum curæ erat & religioni ne Sacramentorum verba ſeu formas propalarent, prout non ita pridem ex profeſſo probavit R. P. Merlin, & apertiſſime demonſtrat id Innocentii I. Epiſt. 1. ad Decentium c. 3. & 8. ubi de Confirmatione & morientium unctione loquens: *Verba*, inquit, *dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere;* quibus conſonat iſtud antiqui Auctoris Lib. de Eccl. Hierarchia cap. 7. *Precationes, quæ in myſteriis* ſeu Sacramentis *adhibentur, nefas eſt ſcripto interpretari, &c ∴ ex adyto in publicum efferre: ſed quemadmodum a Majoribus noſtris traditum accepimus, cum ea doctrina, quæ foras exire non debet, hauſeris ∴ ad ſummam eorum ſcientiam deducere;* tum quia non magis ex ſilentio Patrum concludi poteſt verba hæc, *Confirmo te* &c. haud pertinere ad ſubſtantiam Confirmationis, quam ex eo quod apud ipſos totis quinque prioribus ſęculis, imo & toto fere ſęculo ſexto, altum fuerit ſilentium de hac Baptiſmi forma, *Ego baptizo te in nomine Patris* &c. colligi poſſit nullum ejuſdem formulæ uſum fuiſſe in Eccleſia ante ſęculum ſextum: atqui poſtremum hoc non colliget Jueninus; ſed

hinc

hinc formulæ hujus antiquitatem probabit, quod illam totidem *conceptam verbis referat Gregorius in ſuo Sacramentario, nec eam quaſi recens eſſet, imperet, ſed tanquam ritum apud Latinos uſu communi receptam deſcribat ; & eam quoque legere ſit in Ordine Romano, qui paulo poſt Gregorium in lucem prodiit ;* ergo negativa argumenta, quæ contra propoſitam Confirmationis formam idem Auctor inculcat, nullius ſunt ponderis ; ergo iterum, ſicut, legitime quis hunc in modum diſcurrit : *Sexto ad finem vergente ſæculo, Eccleſia Romana hanc in Baptiſmo adhibebat formulam,* Ego te Baptizo; *ergo & eam quarto ſæculo, & proinde tertio & ſuperioribus adhibuerat ;* ſic a pari in præſenti materia &c.

Confirm. 1. ex Eugenio IV. qui in decreto ad Armenos eamdem formam tradit ; etſi enim dici poteſt eum non totam tradidiſſe formam, ſicut aliquando tradidit nonnulla quæ ad formam abſolute neceſſaria non ſunt ; attamen durum eſt ut nonniſi integrantem vel accidentalem formam tradidiſse dicatur, omiſſa penitus eſsentiali.

Confirm. 2. ex Sixto V. qui Bituricenſe an. 1584. Concilium approbavit anno ſequenti. In hoc autem Concilio eadem admittitur forma quam admiſit Eugenius.

Confirm. 3. ex conſenſu plerorumque Doctorum ; qui ſæculis 13. 14. 15. & 16. formam hanc eſsentialem eſse tradiderunt. Quod enim per quatuor ſæcula in Eccleſia creditum eſt, ſi minus ad fidem pertinet, ut in præſenti opinatur Suarez, ſaltem probabiliſſimum haberi debet.

Hæc tamen momenta ſuam habent difficultatem : primum quidem, ut patebit ex dicendis in Tract. de Ordine ; cetera vero, quia nec privatæ Synodi, nec multo minus ſcholæ Theologi articulos fidei condere valent; nec Sixtus V. quidquam definire voluit in re quam ne ipſa quidem Generalis Tridentina Synodus definire tentavit.

Obj. contra I. partem 1. Incommodum Eugenii Decretum, ubi tota Confirmationis forma in iis conſtituitur verbis : *Signo te ſigno Crucis* &c. citra ullam orationis mentionem ; ergo hæc non eſt eſſentialis. Ita ferme Meratius diſp. 3. ſect. 1. & Simonnet, qui Juenium cum ſequacibus ſuis hac auctoritate opprimi contendit tom. 7. p. 479.

R. neg. conſeq. Sicut enim materia Sacerdotii, non in ſola inſtrumentorum traditione reponenda eſt, etſi hujus ſolius meminerit Eugenii Decretum, quod moram hic facere non debet, quia ut loquitur Mœratius ipſe, *non ſuſcepit Eugenius ex profeſſo declarandam ſingulorum Ordinum materiam & formam totalem ac integram, ut nec reipſa declaravit :* Sic & Confirmationis forma non in iis ſolum verbis locanda eſt, quæ unctionem comitantur ; quia probari nequit Eugenium ex profeſso ſuſcepiſse declarandam ſingulorum Sacramentorum formam totalem & integram.

Merat. de Ord. pag. 692. &c.

Cur vero unam præ alia formam deſignaverit ſummus ille Pontifex, malumus fateri nobis incompertum eſse, quam meras cum Bellarmino cap. 9. de Ordine conjecturas afferre.

Obj. 2. Oratio unctioni prævia apud Græcos multa habet, quæ veræ Sacramenti formæ repugnent : 1. enim diu ante unctionem profertur. *Ea enim finita,* ait Euchologium a P. Martene relatum, *ornatu Baptiſmatis exuitur Patriarcha, & in veſtiario aſſumit eum qui Miſſis inſervit : tum vadit ad S. Petrum, & Cantore dicente,* Quotquot in Chriſto baptizati

eſtis

eſtis &c. *unguento ſancto Baptizatos ungit* &c. Porro oratio quæ formę locum haberet, quæ proin materiæ ſaltem moraliter præſens eſſe deberet, ab ea nec loco, nec potiſſimum tanta temporis intercapedine disjungeretur. Adde quod hæc baptiſmalis ornatus depoſitio, novique & ſolemnioris aſſumptio, diverſitatem actionum & officiorum ſignificet; 2. Sacerdos per hanc orationem eodem modo Deum precatur, ut Neophyto tribuat & *Signaculum doni Spiritus ſancti*, & *Corporis ac Sanguinis Chriſti Communionem*; eo igitur modo ſe habet oratio hæc ad Confirmationem, quoad Communionem Euchariſticam: atqui ad hanc mere accidentalis eſt & præparatoria; ergo & ad illam; 3. quia idem Sacerdos per hanc orationem invocat Deum, ut Neophyto largiatur ſignaculum Spiritus ſancti, ideſt Chriſmatis unctionem: atqui Sacerdos per formam eſſentialem non precatur Deum ut materiam vel Sacramentum adminiſtret, ſed tantum ut conferat effectum Sacramenti; 4. demum & validius, quia oratio hæc prætermittitur, cum baptizandus eſt & confirmandus quis morti proximus, ut conſtat ex Euchologio apud eumdem Martenium, tom. 1. pag. 229. ergo.

R. ad 1. neg. ant. & ante omnia animadverto Eccleſiæ alicujus mentem, non ex quibuſcumque ejus Ritualibus aut officiorum libris, etſi forſitan vetuſtis repetendam eſſe. Certe tom. 2. hujuſce operis exhibuimus manuſcriptum Miſſæ Canonem, qui primo intuitu exprimere videatur, fuſas olim fuiſſe preces pro reproborum ex inferis liberatione. Quis autem tuto inde colligat veterem Eccleſiam olim oraſſe pro damnatis? Quod de prædicto Manuſcripto dicimus, quidni de veteribus quibuſdam Euchologiis dicatur, ea ſcilicet non omnium fortaſſis, ſed quarumdam duntaxat Orientis Eccleſiarum fidem repræſentare. Certe fatentur qui Euchologia hæc objiciunt, in iis contineri nonnulla, quæ hodiernæ Græcorum praxi adverſentur; idque indubium eſt quoad temporis diſtantiam qua orationis prædictæ recitatio ab unctione disjungebatur. Ut ut eſt, quæ peritum VVitaſſii continuatorem movent argumenta, haud videntur nobis omni exceptione majora.

Non 1. Tum quia licet oratio in una pronuntietur Eccleſia, & in altera fiat unctio poſt aliquantum temporis, una tamen poteſt eſſe moralis actio ad unum & idem Sacramentum pertinens. Certe apud nos, cum magna eſt Confirmandorum multitudo, oratio, quam Epiſcopi plures ad Sacramenti valorem pertinere credunt, horæ unius ſpatio unctionem eorum qui poſtremi confirmantur pręcedere poteſt; tum quia, ut diximus, ex unius alteriuſve Euchologii ritu non poteſt Eccleſiarum omnium praxis colligi.

Ex hac ſecunda reſponſione convellitur objectio ex ornamentorum mutatione deſumpta: hæc enim nec apud hodiernos Græcos viget, nec olim ubique viguiſſe oſtendi poteſt, & forte emendata eſt, quia ceterarum Eccleſiarum praxi repugnaret: interim nihil mirum quod Sacerdos, qui Miſſam proxime celebraturus erat, exuto Baptiſmatis ornatu, ornatum Miſſis inſervientem indueret.

Non 2. quia quæ ad unum Sacramentum accidentalis eſt oratio, ad aliud eſſentialiter habere ſe poteſt; quatenus poteſt & a Chriſto præſcripta, & ab Apoſtolis frequentata eſſe, ſecundum aliquam ſui partem, non ſecundum aliam. An ſi in Eccleſia Latina ſanciretur hodie, ut accepta Confirmatione reciperetur ex continenti Euchariſtia, & hac occaſione orationi per

quam invocatur ſeptiformis Spiritus, adderetur quidpiam ad ſacram Communionem relativum, continuo concluderetur totam orationem in Occidente toto haberi ut pure præparatorium? Non credo.

Non 3. quia hæc orationis pars de interiori divini Spiritus ſignaculo intelligi poteſt & debet; adeo ut is ſit ſenſus: Cui exterius unctionis ſignaculum imprimetur a nobis, ei tu, Domine, interius Spiritus ſancti ſignaculum imprimito. Hic vero quid tenue, quid majeſtate religionis indignum.

Non 4. tum quia Ritualis unius auctoritas tanti non eſt ut propterea ab aliis diſcedendum ſit; tum quia in urgenti caſu ſatius eſt dubium tentare Sacramentum, quam nullum; tum quia forte viſum eſt Auctoribus Ritualis iſtius, orationem, quæ tunc Baptiſmo & unctioni præmittenda eſt, & quæ ſic habet: *Gratiam redemptionis ei largire*, ſupplere fuſiorem aliam quæ propter inſtans mortis periculum recitari non poteſt orationem; tum denique quia paucula hæc verba, *Gratiam redemptionis*, forte initium erant orationis, brevioris quidem ſolito, ſed longioris ea quam modo retulimus, quæque ex alio Rituali repetenda erat.

Obj. 3. In eo non conſiſtit forma Confirmationis, quo prætermiſſo, reliquis vero poſitis, habetur tota Confirmationis eſſentia; atqui prætermiſſa oratione .... prob. min. Ad eſſentiam confirmationis ſufficit unctio ad ſignificationem Sacramentalem ſufficienter determinata, adeoque elevata ad eſſe Sacramenti: atqui unctio per hæc verba, *Signaculum* &c. apud Græcos, & *Signo te* &c. apud Latinos, ſufficienter elevatur ad eſſe Sacramenti: non enim eſt cur unctio minus per citata verba elevetur ad eſſe Sacramenti, quam aqua in Baptiſmo per iſthæc, *Baptizatur ſervus Chriſti* &c. vel, *Ego te baptizo* &c. atqui ...... ergo.

Confirm. quia ex aliis Sacramentis in uſu conſiſtentibus nullum eſt, in quo formæ prolatio materiæ remotæ uſum ſeu applicationem præcedat; ſed ubique comitatur: atqui præcederet indubie oratio, quæ juxta nos partialis formæ rationem haberet; ergo.

R. formam Sacramentorum non ex hujuſmodi difficultatum minutiis petendam eſſe, ſed ex Scriptura vel traditione: quapropter ad 1. & 2. neg. min. & dico unctionem non determinari ad eſſe Sacramentale niſi eo ordine & ritu quem præſcripſerit Chriſtus; ex dictis autem conſtare, Chriſtum voluiſſe ut unctionem præcedat oratio.

Quod objicitur, ſeu ex aqua in Baptiſmo, ſeu ex Sacramentis aliis in uſu conſiſtentibus, nullius eſt momenti; quia in materia Sacramentorum tota facti ratio, eſt voluntas facientis. Ceterum ſi vigeat, ut hodiedum vigere putant aliqui, apud Græcos impoſitio manuum, ſicut viget apud Latinos, nulla forma materiam præcedet, ſed duplici materiæ partiali, partialis duplex forma reſpondebit.

Inſt. Ut ex Patribus colligi non poſſit, orationem ex Chriſti inſtituto præviam unctioni eſſe debere, ſufficit, ut apud Patres, orationis nomen non deprecatoriam formam indicet, ſed abſolutam, qualis eſt iſta: *Signo te* &c. atqui apud Patres ..... Siquidem abſolutæ ſunt ex omnium confeſſio formæ Baptiſmatis & Euchariſtiæ: atqui eæ tamen a Patribus deprecatoriæ vocitantur. Sic S. Cyrillus Jeroſ. Catech. 3. *Panis Euchariſtiæ poſt ſancti Spiritus invocationem, non amplius eſt panis communis, ſed eſt Corpus Chriſti;* ubi

ver-

verba conſecrationis, quæ profecto abſoluta ſunt, *Invocatio S. Spiritus* nuncupantur. Sic Auguſtinus lib. 5. de Bapt. cap. 20. *Quomodo exaudit* Deus *homicidam deprecantem vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum* Confirmationis, *vel ſuper Euchariſtiam;* ubi deprecari dicitur Sacerdos, qui Baptiſmi vel Euchariſtiæ formam recitat: ergo.

R. neg. min. aliud enim eſt unum, aliumve Patrem, formas abſolutas per deprecatoria verba expreſſiſſe, aliud hunc loquendi modum ita vulgatum fuiſſe apud Patres, ut quoties de Oratione ſacramentali locuti ſunt, toties de abſoluta forma intelligendi veniant. Poſtremum hoc nec probant nec probare poſſunt adverſarii; cum præcipue alluſerint Patres ad caput 3. Act. Apoſt. cujus verba orationis proprie dictæ ſenſu tota intellexit antiquitas. Certe ſi valeat propoſita objectio, nec ex Scriptura, nec ex Traditione oſtendi poterit, legitimam eſſe praxim Eccleſiæ, quæ deprecatoriam in Unctione-extrema formam uſurpat. Continuo enim reponetur Orationis nomen improprie ſumi a Patribus, idque ex Cyrillo, & Auguſtino conſtare.

Ceterum an Cyrilli & Auguſtini verba, prout etiam Euchariſtiæ conſecrationem reſpiciunt, ſenſu duntaxat abſoluto accipienda ſint, gravis eſt quæſtio alibi pertractanda. Adde quod Auguſtini textus de precibus ſuper Sacramentorum materiam fundi ſolitis, non autem de ipſa Sacramentorum confectione intelligi poſſit: cum eo ſic intellecto ſtet S. Doctoris contra Donatiſtas intentum.

Obj. 4. cum Spalatenſi Apoſtata: Forma Sacramentorum, juxta Pontificios, agit ex opere operato: atqui oratio ſolum agit ex opere operantis; ergo oratio non poteſt eſſe forma.

R. diſt. min. oratio humana agit ſolum ex opere operantis, C. oratio Sacramentalis, N. ſtupendum ſi Chriſtus eamdem certæ orationi vim annectere non potuiſſet, quam abſolutis verbis alligavit.

Obj. contra II. part. 1. Verba, quæ ante VIII. ſæculum non fuerunt in uſu, & quæ ex quo in uſu fuere, ſemper habita ſunt pro accidentalibus, non poſſunt aſſignari in formam Confirmationis: atqui verba hæc *Signo te* &c. vel *Signaculum* &c. non fuerunt in uſu &c. Prob. min. pro prima parte. Ideo, juxta nos, balſamum non fuit in uſu, per priora quinque Eccleſiæ ſæcula, quia nullum ejus apud hujus temporis Patres extat veſtigium: atqui pariter nullum eſt veſtigium formulæ hujus, *Signo te*, &c. quæ primum apparet in Ordine Romano. Neque vero de ea tantum ſiluere Patres, ſed eam excluſere: 1. enim Sacramentarium S. Gregorii omnia accurate explicans, etiam minima, quæ ad Sacramentum pertinent, excludit quod non includit: atqui nec verba hæc, *Signo te*, nec quidpiam his æquivalens includit; ergo cenſendum eſt excludere; 2. Sanctus Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 26. *Nullus*, inquit, *Diſcipulorum Chriſti dedit Spiritum ſanctum: orabant ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant: quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia:* atqui per hæc verba: *Signo te*, non orant Epiſcopi ut veniat Spiritus ſanctus, imo ſic loquuntur quaſi eumdem Spiritum donent; ergo. 3. Verba, *Signo te*, æquivalent his Græcorum verbis, *Signaculum* &c. atqui hæc verba non poſſunt eſſe forma Confirmationis. Ex Conceſſis enim curæ erat Patribus, ut Sacramentorum formas minime propalarent: atqui forma, *Signaculum* &c. propalatur & expreſſe traditur a Pa-

Supra p. 47.

E 2 tribus

tribus Concilii Conſtantinopolitani I. ergo, 4. forma Confirmationis debet eſſe deprecatoria, ſecundum id Act. 3. *Orabant ut acciperent Spiritum ſanctum:* atqui verba hæc *Signo te*, vel *Signaculum*, indicativa ſunt, non deprecatoria; ergo. Jam

Probatur prima minor pro ſecunda parte. Verba, quæ pro eſſentialibus habita fuiſſent, ubique eadem fuiſſent ſaltem quoad ſubſtantiam: atqui indicativa verba de quibus loquimur, non ubique eadem fuere, ex quo quidam horum uſus eſſe cœpit. Si quidem ex Epiſcopis alii dicebant: *Signum Chriſti in vitam æternam*, ut habet Sacramentarium vetuſtiſſimum a Petavio editum; alii tantum, *In nomine Patris, & Filii* &c. quæ ſola verba referuntur, tum ab Alcuino in lib. de divinis Officiis; tum ab Amalario Fortunato, qui ex Alcuini diſcipulo Eccleſiæ Trevirenſis Epiſcopus factus eſt. Sic ille in Opere de Eccleſiaſt. Officiis, quod circa an. 830. fecit publici juris, loquitur cap. 27. *Dicit Romanus Libellus, de quo ſæpe commemoravimus: Oratione expleta facit* Pontifex *Crucem cum pollice ex Chriſmate in ſingulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris &c. Pax tibi: & cum Spiritu tuo.* Unde ad minus dubium eſt an Ordinis Romani formula, in omnibus ejuſdem exemplaribus legeretur; cum eam non omiſerit Amalarius, niſi quia non legerit: alii demum dicebant, *Signat te Deus ſigillo fidei ſuæ in conſignatione fidei; In nomine Patris &c. Pax tibi &c.* ut habet Toloſanum Sacramentarium, quod Morinus Ordini Romano coætaneum putat; Alii aliud; unde Alenſis p. 4. q. 9. *Hujus Sacramenti*, inquit, *ſecundum conſuetudines diverſarum Eccleſiarum diverſæ ſunt formæ verborum*, &c. Adi VVitaſſ. tom. 1. pag. 806.

His adde, eos qui formulam, *Signo te*, nobiſcum admittunt, tot tamque diverſas inire vias, ut vix eorum tres vel quatuor conſentiant inter ſe, quæ pars ejus ſit, vel non, eſſentialis.

Objectionem hanc, non cæſam minutim, ut fere ſolemus, ſed ſuis fulcitam præſidiis referre placuit, ne quid diſſimulatum videretur. Jam expendendum, an ut facile proponi, ſic & facile ſolvi poſſit. Itaque

R. ad 1. neg. min. pro utraque parte. Ad 2. 1. neg. maj. non enim ideo præciſe negavimus balſamum pertinere ad ſubſtantiam Confirmationis, quia nulla ejus mentio facta fuerit prioribus quinque Eccleſiæ ſæculis; ſed quia nulla facta ſit ejus mentio, cum tam facile eſſet de eo loqui, quam de oleo, cujus Patres perpetuo meminere. Ut ergo Patrum ſilentium de forma Confirmationis tuto objicere poſſint adverſarii, neceſſum eſt ut probent, Sacramentorum formam non minus a Sanctis Doctoribus, quam materiam propandi potuiſſe. Id autem pro Eccleſia Latina nuſquam probabunt, cum directe obſiſtat lex ſilentii, quam indubie a Deceſſoribus ſuis acceperat Innocentius I. & quam ad Succeſſores tranſmiſit ſervandam, donec oppreſſa idololatria nihil jam haberet religio quod vereri poſſet.

Confirm. 1. Oratio quæ in Sacramentario S. Gregorii Magni recitanda praſcribitur, in Libris eo antiquioribus non comparet: quis autem, niſi temere, hinc conjiciat orationem hanc a S. Gregorio adinventam fuiſſe, & a nemine prius iiſdem terminis emiſſam?

Confirm. 2. Conſtat Epiſcopos una cum manuum impoſitione aliquam recitaſſe orationem, eamque in nullo eorum Opere reperiri. Quis porro inde concludat, nullam apud eos in uſu fuiſſe orationem fixam & determinatam?

Quis

Quis putet tot extitiſſe orandi modos, quot erant Capita? imo unumquemque Epiſcopum toties alia uſum fuiſſe oratione, quoties Confirmationem dabat? Quemadmodum igitur oratio hæc a prioribus Epiſcopis ad poſteriores, iiſdem quoad ſubſtantiam verbis tradi potuit & debuit, donec hanc evulgari poſſe credidit S. Gregorius, ita & forma hæc, *Signo te*, vel alia æquivalens orali traditione de ſæculo ad ſæculum deſcendiſſe merito præſumitur.

Confirm. 3. quia ſi paulo vividius urgeantur negativa Juenini argumenta, periculum eſt ne & ipſa Baptiſmi forma ſubvertatur. Primus enim omnium Gregorius Magnus exeunte ſexto ſæculo ſcripſit, hanc in iſtis conſiſtere verbis: *Ego baptizo te* &c. Quis vero hanc pro notu tunc temporis fictam eſſe, & antea ignotam, niſi ſomniando, effutire auſit?

Confirm. 4. ex his, quæ forte hactenus non ſatis ponderata ſunt Sacramentarii Gregoriani verbis: finita oratione, *Omnipotens ſempiterne Deus* &c. INTERROGANTIBUS DIACONIBUS NOMINA SINGULORUM, *Pontifex tincto pollice in Chriſma, facit Crucem in fronte unius* &c. Quorſum, amabo, interrogabant Diaconi nomina ſingulorum, qui ungendi erant, niſi quia unctionem comitabantur verba aliqua, quibus præmittebatur nomen confirmandi? An ut quis ungi queat ſine ſermone, neceſſum eſt ut ante ſciatur nomen ejus? neutiquam profecto; ergo jam tunc fiebat id quod apertius declarant Mſſ. Codices antiqui, & inter alios Rituale in Collegio Foxenſi aſſervatum, ubi ſic habetur: *Oratione completa faciat Crucem in fronte ſingulorum cum pollice de Chriſmate, ita dicendo: Joannes, vel quovis alio nomine, Signo te ſigno Crucis* &c.

2. Neg. min. ſiquidem verba hæc, *Signo te*, idem ſunt quoad ſenſum cum verbis, *Signaculum* &c. quibus utuntur Græci: atqui verba iſthæc erant in uſu Concilii II. generalis tempore, imo & antea; cum proponantur, non ut novum quid, ſed ut forma pronuntiari conſueta; ergo.

Quod additum eſt in objectione, nimirum verba quæ unctionem comitantur, non tacita modo, ſed & a Patribus excluſa fuiſſe, falſum eſt, nec ſufficienter difficultatibus quatuor adductis probatur. Unde

Ad primam neg. maj. ut quæ falſo ſupponat S. Gregorium minima quæque ad Confirmationem ſpectantia explicare. Qui enim textum ejus legerit, ſtatim inquiret quo fine Diaconi Confirmandorum nomina ſigillatim interrogarent: nec aliam facti hujus rationem deprehendet, niſi quod nomen hoc pronunciaturus erat Epiſcopus cum verbis quæ tradere noluit ſanctus Pontifex, ſicut nec tradere voluerat Innocentius I.

Si quærat aliquis cur S. Gregorius, qui deprecatoriam formam edidit, ſuppreſſerit formam indicativam, quæ juxta nos erat in uſu: Quæram ergo cur Patres Conſtantinopolitani deprecatoriam formam ſuppreſſerint, eamque ediderint ſolam, quæ indicativa eſt. Interim, ſi conjectare licet, reponam formas indicativas majori cura celandas fuiſſe quam deprecatorias: hæ ſi quidem nihil habent niſi orationem ſenſus plenam, quæ nullam ſuperſtitibus idololatris offenſionis anſam præbere poterant: illæ vero, ſi Proteſtantibus magicum quid & incantatorium ſapere viſæ ſunt, pares in Gentilium mentibus idæas parere potuiſſent. En quod verebantur Pontifices Romani. Id quidem minime veriti ſunt Conſtantinopolitani Patres, ſive quia in Oriente, ubi jura dabat Theodoſius Magnus, ubique triumphator, muſſitare non auderet idololatria; ſive quia hic jam

non niſi imperitos haberet defenſores, qui Chriſtianorum ſcripta legere aut ſaltem minutius vellicare non ſatagerent.

Ad 2. neg. min. in ſenſu Auguſtini. Sanctus enim Doctor formas etiam abſolutas habet pro deprecatoriis, quia non niſi a Chriſto tacite invocato vim ſuam habent, ejuſdemque Chriſti nomine proferuntur. Et vero Baptiſmi forma ubique habetur pro indicativa, & tamen cenſent plerique eam ab Auguſtino deprecatoriam vocari in textu ſupra citato ex cap. 20. Libri 5. de Bapt. Ut ut eſt, objecta Auguſtini ratiocinatio, ſi ad corticem ſumatur, probabit nullam ullius eſſe Sacramenti formam, quæ abſoluta ſit: quod a nemine admitti poteſt.

Ad 1. 3. neg. min. ad 2. erat quidem ſumma Latinis Patribus cūra, ne Sacramentorum formas evulgarent, ſed probari non poteſt legem hanc ſemper viguiſſe apud Græcos. Eam quidem expreſſe tradit Dionyſius vulgo Areopagita: verum ut inde quidpiam colligatur, tria imprimis probanda ſunt, 1. Opera quæ ſub Dionyſii nomine circumferuntur, eſſe Areopagitæ; * 2. eadem hæc opera Conſtantinopolitanis Patribus nota fuiſſe; 3. eoſdem credidiſſe prohibitum toti Concilio ſub finem quarti ſæculi, id quod ſibi naſcente Eccleſia, & undecumque ſeu a Judæis, ſeu a Gentilibus impetita, prohibitum crediderat Dionyſius: atqui hæc difficile probatum iri confidimus; ergo.

Ad 4. diſt. forma Confirmationis debet eſſe deprecatoria, ſecundum aliquid ſui, C. ſecundum ſe totam, N. hæc itaque objectio eos tantum ferit, qui adæquatam Confirmationis formam in verbis unctionem concomitantibus reponunt. Quamquam & hi, nec ſtolide prorſus reſpondent Sacramentorum formas, tametſi exterius indicative enuntiantur, ſenſu tamen & intentione eſſe deprecatorias: & id ſatis docet Auguſtinus, cum ipſam *manus impoſitionem* vocat *orationem ſuper hominem*: Si enim impoſitio manus dici poteſt oratio, quia & Chriſti nomine exercetur, & quam ab homine virtutem habere nequit, totam habet a numine tacite invocato, quidni & forma quævis aliquo ſenſu oratio nuncupari valeat?

Lib. 3. de Bapt, c 16.

Jam ut ſatisfiat argumento in probationem alterius membri adducto, R. neg. min. & dico Eccleſiæ praxim, ſi ſecluſo Doctorum ſenſu expendatur, non ex octo aut decem Mſſ. æſtimandam eſſe, ſed ex longe majori eorum numero: atqui multo plures ſunt ſeu Rituales, ſeu Pontificales Libri, qui formulæ noſtræ mentionem faciant, quam qui omittant; ergo.

Confirm. 1. non magis ex quorumdam Ritualium ſilentio argui poteſt contra formam, *Signo te* &c. quam inferri poſſit, vel Confirmationem ſine manuum impoſitione collatam fuiſſe, vel Baptiſmum & Euchariſtiam ſine quacumque forma confecta olim fuiſſe, ex eo quod in quibuſdam & quidem vetuſtiſſimis codicibus, a Mabillonio & Martenio repræſentatis, altum ſit ſilentium ſeu de impoſitione manus, ubi de Confirmatione ſermo eſt,* ſeu de forma Baptiſmi & Conſecrationis: atqui ex hujuſmodi ſilentio inferri nequit &c. ergo.

Con-

* De Auctore horumce Librorum adi appendicem quæ extat ad calcem tomi 2. continuationis VVitaſſii; ubi gravia pro Dionyſio Areopagita militant argumenta; & D. Remigium Ceillier in hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſt. qui contra pugnat.

Digitized by Google

Confirm. 2. quia Alcuinus & Amalarius Trevirenſis (ſi tamen horumce Scriptorum prior ſit Alcuinus, poſterior vero Trevirenſis Eccleſiæ Epiſcopus *) quam afferunt formulam, excerptam dicunt ex Ordine Romano, ergo vel lapſi ſunt memoria, vel mendoſo uſi ſunt Codice, vel ipſi deinceps interpolati ſunt; cum in omnibus, quæ ad noſtra tempora devenere, Ordinis Romani Codicibus legatur unctionis formula cum verbis *Confirmo te in nomine Patris*, quæ apud utrumque deſunt.

Quod ad Alenſem ſpectat, non negamus diverſas Eccleſias diverſis uſas eſſe verbis, ſed quæ in idem reciderent: ſic enim pergit Alenſis: *Habet quædam Eccleſia hanc formam:* Confirmo te ſigno Crucis, & Chriſmate ſanctificationis, in nomine Patris &c. *Alia iſtam*, Confirmo, & conſigno te ſigno Crucis, & Chriſmate ſanctificationis, in nomine Patris &c. Quis vero hæc penes ſenſum convenire non animadvertat?

Quod additur, incertum eſſe apud Theologos, quæ prædictæ formulæ verba ſint de rigoroſa neceſſitate Sacramenti, nullius eſt ponderis: cum pari ratione de aliorum Sacramentorum formis diſputari poſſit, & revera diſputetur. Tria paucis ſtatuimus, 1. nihil unquam omittendum, ſupplendum vero quod incaute omiſſum fuerit;

2. explicitam Trinitatis mentionem non eſſe neceſſariam; quia deeſt hæc in Græcorum forma, quæ tamen hinc a Latinis approbata videtur, quod ab his minime reprehenſa fuerit. Fingere enim vel Græcos cum Romanis dicere *in nomine Patris* &c. vel apud eos nullum eſſe Confirmationis Sacramentum, & abſurdum eſt, & injurioſum tum primævæ Græcorum, tum & hodiernæ Latinorum Eccleſiæ.

3. cum Mæratio contra Suarem perinde eſſe ad Sacramenti valorem, ſeu dicat Miniſter: *Signo te ſigno Crucis & Chriſmate ſalutis, in nomine* &c. ſeu dicat, *Confirmo te ſigno Crucis, & Chriſmate ſalutis* &c. utraque enim hæc formula nec penes ſenſum a Græca differre videtur, nec male Miniſtri actionem & Sacramenti effectum exprimit: quin & nobis ſufficere videtur hæc quam exhibet citatus toties Ordo Romanus formula: *Confirmo te in nomine Patris* &c. quia hæc olim ſola in uſu fuiſſe videtur. Quod enim dicunt aliqui mutilam hanc eſſe, ſicut mutilam eſſe conſtat formam, quam referunt Alcuinus & Amalarius, gratis dicitur. Certe qui utriuſque hujus ignoti Auctoris formam cum ceteris, quæ in Eccleſia ſeu Latina ſeu Græca vigent, Sacramentorum formis comparaverit, haud difficile ſuſpicabitur eidem quidpiam deeſſe. Verum non ita eſt de Ordinis Romani forma, quæ & actionem Miniſtri, & actionis hujus effectum ſatis exprimere videtur. Minus utique dicunt verba hæc, *Ego te Baptizo*, quam iſta, *Ego te confirmo*. Iſthæc, quæ, Deo dante, in praxi inutilia ſunt, ſi cui diſplicent, adeat citatum Mæratium diſp. 3. ſect. 1. 2. & 3. eique adhæreat. Abſit id nos ægre feramus. *Mer. p. 222.*

* Auctorem Libri de divinis Officiis non eſſe Alcuinum probat continuator VVitaſſii tom. 2. p. 127. Amalarium vero, qui quatuor de Eccleſiaſticis Officiis libros ſcripſit, non Epiſcopum Trevirenſem, ſed Metenſis Eccleſiæ Diaconum contendit poſt alios Simonnet, ob auctoritatem Ademarii Monachi in Chronico.

CAPUT QUINTUM.

De Miniſtro Confirmationis.

MInifter Sacramenti duplex ſecernitur, ordinarius alter, alter extraordinarius. Miniſter ordinarius ille eſt, qui ex ſua ordinatione ſeu charactere habet completam Sacramenti valide conferendi poteſtatem, ſeu poteſtas illa ſuperiori auctoritate ligari poſſit, ut in Pœnitentia reſpectu ipſius etiam Epiſcopi ligari poteſt; ſeu non poſſit. Miniſter extraordinarius is dicitur, qui virtute Ordinis ſui habet aliquam Sacramenti conficiendi poteſtatem, ſed quæ niſi per commiſſionem ab auctoritate legitima datam compleatur, non poteſt exerceri, vel licite ut in ſolemni Baptiſmo reſpectu Diaconi, vel valide: quod an locum habeat in Confirmatione jam expendendum cum reliquis ad hanc materiam ſpectantibus.

Triplicem porro ea de re ſententiam diſtinguit Arcudius in *concordia*, lib. 2. cap. 10. quadruplicem nos perſpicuitatis cauſa.

Prima eorum eſt, qui Confirmationis adminiſtrationem adeo divina lege Epiſcopis reſervatam eſſe volunt, ut eam Presbyteris impertire ne extraordinarie quidem poſſit ſummus Pontifex: ita apud Bellarminum hic cap. 12. S. Bonaventura, Durandus, & Adrianus in 4. diſt. 7.

Secunda eorum eſt, qui ex adverſo prorſus ſentiunt Confirmationem a Presbyteris ſimplicibus proprio jure, ac proin tam licite, quam valide conferri: ita Græci, non omnes quidem, ſed plures auctore Photio Cp. Patriarcha, inſigni Græcanici ſchiſmatis promotore.

Tertia eorum eſt, qui Confirmationem a Presbyteris proprio marte datam valere quidem, ſed ſine peccato propter Eccleſiæ prohibitionem dari non poſſe exiſtimant, niſi accedat ejuſdem Eccleſiæ diſpenſatio. Ita Richardus Radulphus, ſeu Rodulphus, Hibernus doctor, ex Academiæ Oxonienſis Cancellario Lichfeldenſis Archidiaconus, ex Archidiacono Archiepiſcopus Armachanus, quo poſtremo ſolum nomine indigitatur a Theologis: vir hodiedum ambigui nominis: impudens & impius, ſi Soto credas: ſuſpectus & de hæreſi notatus, ſi penes Joannem de Raguſio Dominicanum ſit fides; VVicleſianæ circa Confirmationis Miniſtrum hæreſeos parens, ſi Thomam VValdenſem audieris: aliunde vero doctrina & pietate inſignis, quemque ob patrata poſt mortem miracula Sanctis adſcribere voluerit Bonifacius IX. ſi fidem habere voles VVadingho & Spondano ad an. 1357.

Obiit ad an. 1359.

Quarta ſtatuit datam a Presbyteris Confirmationem, nec licitam eſſe nec validam ſine Eccleſiæ licentia, hac autem poſita & validam eſſe & licitam. Sit

CONCLUSIO I. Solus Epiſcopus ex inſtitutione divina ordinarius eſt Confirmationis Miniſter. Eſt de fide contra Photium, VVicleſum, Calvinum, Lutherum, qui poſteriores, etſi Confirmationem derident, eam tamen Epiſcopis reſervari indigne ferunt.

Probant 1. Juenin, Tournelyus, & alii plures ex cap. 8. Act. ubi Petrus & Joannes Jeroſolymis mittuntur Samariam, ut eos quos baptizaverat Philippus, per orationem & manuum impoſitionem Confirment: atqui, ajunt, nulla facti hujus ratio reddi poteſt, niſi quod confirmationis collatio ſolis reſervata erat Epiſcopis; ergo.

Verum ut probatio hæc valeret, neceſſum foret ut vel Philippus fuiſſet Sacer-

Sacerdos, vel Apoſtoli jam ordinaſſent Sacerdotes; quid enim mirum ſi Apoſtoli per ſe ipſos facere coacti ſint, id quod per Sacerdotes qui deerant, facere non potuerunt: porro Philippus Diaconus erat; non Presbyter; conſtitutos vero jam tum fuiſſe Sacerdotes, nullo poteſt argumento evinci, ut fatetur Mæratius; ait quidem Simmonet, 72. diſcipulos jam tum fuiſſe Sacerdotes, ſed unde id habet; ergo prima hæc probatio per ſe ſolam non eſt efficax.

Erit vero ſi jungatur, ſeu cum Act. 19. ubi Paulus eos qui ab aliis baptizati erant, per ſemetipſum confirmat, quo tempore non deerant Presbyteri, ut patet ex Act. 15. v. 2. * ſeu potiſſimum cum Traditione, quæ licet doceat Apoſtolos multa feciſſe ut Sacerdotes, non autem ut Epiſcopos, conſtanter docet eoſdem qua Epiſcopos, non qua Sacerdotes, Confirmationem dediſſe. Quapropter

Prob. 2. ex ſelectis aliquot veterum textibus, juxta temporum ſeriem referendis. Cornelius Papa in Epiſt. ad Fabium Antioch. apud Euſebium lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. c.43. de Novato qui propter ægritudinem in lecto baptizatus fuerat, conqueritur; quod *neque, poſtquam liberatus eſt a morbo, reliqua percepit, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent; neque ab Epiſcopo conſignatus eſt*: non dicit ſimpliciter, *neque conſignatus eſt*, ſed, *neque ab Epiſcopo conſignatus eſt*: quorſum porro, niſi quia ſolius erat Epiſcopi conſignare?

Cyprianus Epiſt. 73. adducto Act.8. teſtimonio, pergit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur*: atqui eo loci, ut ſæpius apud Cyprianum, Præpoſiti ſunt Epiſcopi; tum quia ſimpliciter & ſine additamento vocantur *Præpoſiti Eccleſiæ*, quod ſolis Epiſcopis competit, præſertim in ſtylo Cypriani; tum quia Præpoſiti, de quibus S. Martyr, æquiparantur Petro & Joanni, qui ſane Epiſcopi erant; tum quia & loquitur Cyprianus de Præpoſitis ſibi dignitate æqualibus, ut indicant hæc quæ proxime ſequuntur verba, *& per noſtram Orationem ..... Spiritum ſanctum conſequantur*. Quod ſi particulam *Et* disjunctivo ſenſu intelligere præfracte velis, is exurget ſenſus: *Presbyteri offerant Neophytos, ut hi per noſtram* Epiſcoporum *orationem confirmentur*.

Anonymus Cypriani impugnator ait *per manus impoſitionem Epiſcopi Spiritum ſanctum conſueſſe præſtari*: neque patitur ut dicat quis *non Epiſcopum*, ideſt, Presbyterum, vel Diaconum *largiri Spiritum*, præterquam in Baptiſmate.

Concilium Illiberitanum can. 77. *Epiſcopus eos per benedictionem*, ſeu, ut dicitur can. 38. *per manus impoſitionem, perficere debebit*.

S. Chryſoſtomus in cap. 8. Act. *Hoc erat in Apoſtolis ſingulare*, quod manus imponendo Spiritum ſanctum largirentur: *unde & Præcipuos & non alios videmus hoc facere*.

Hieronymus in Dialog. adverſus Luciferianos, *Non abnuo*, inquit, *hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurrat*.

Inno-

* Vide Gallicam diſſertationem de judicibus fidei, auctore Doctiſ. viro Cougne.

Innocentius I. Epiſt. ad Decentium: *Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent, vel Spiritum ſanctum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa Lectio Actuum Apoſtolorum* cap. 8.

Auguſtinus Lib. 15. de Trinit. *Quem* Apoſtolorum *morem in ſuis Præpoſitis etiamnum ſervat Eccleſia*.

Concilium Arelatenſe III. circa an. 455. coactum, præcipit ut Monachi Lyrinenſes, *ſi Neophyti fuerint, non niſi ab Epiſcopo Forojulienſi confirmentur*.

Gelaſius I. Epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniæ: *Presbyteros*, inquit, *ultra modum ſuum tendere prohibemus, nec Epiſcopali faſtigio debita, ſibimet audacter aſſumere: non conficiendi Chriſmatis, non conſignationis Pontificalis adhibendæ ſibimet arripere facultatem*.

Concilium Hiſpalenſe II. an. 619. cap. 7. *Non licet* Presbyteris *per impoſitionem manus fidelibus baptizatis, vel converſis ex hæreſi, Paraclitum Spiritum tradere, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontem ſignare, quia Pontificatus apicem non habent*.

Concilium Germanicum I. Ratisbonæ habitum an. 742. *Quandocumque*, ait can. 3. *jure Canonico Epiſcopus circumierit Parochiam ad confirmandos populos, Presbyter ſemper paratus ſit ad ſuſcipiendum Epiſcopum* &c.

Denique, ut plures ſeu Synodos, ſeu Eccleſiæ Doctores omittam, alioqui in longum ituros, Concilium Pariſienſe VI. an. 829. celebratum, lib. 1. cap. 27. hæc loquitur: *Quod ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus* Epiſcopis *proprii ſit officii tradere Spiritum ſanctum*, proindeque quod *quidam Chorepiſcopi ultra modum ſuum progredientes* male id tentent, *Liber Actuum Apoſtolorum docet, in quo legitur:* Cum Apollo eſſet &c. Act. 19. &c.

Ex his omnibus Romanorum Pontificum, Conciliorum, Patrumque textibus ſic diſputo: Ut Epiſcopi, ſoli ſint & ordinarii Confirmationis Miniſtri, unum ſufficit, nempe ut ejus adminiſtratio Presbyteris quibuſcumque rite & ſecundum divinam conſtitutionem interdicta ſit: atqui Confirmationis adminiſtratio .... Quod enim ab Eccleſia ubique diſperſa omni tempore & loco interdictum eſt, illud nonniſi ſapienter, & ſecundum divinam ordinationem interdictum cenſeri poteſt: atqui ex adductis ſupra Rom. Pontificum, Conciliorum, & utriuſque Eccleſiæ Patrum teſtimoniis patet Confirmationis adminiſtrationem, ab Eccleſia &c. ergo.

Merito igitur, eaque nobis ultima erit probatio, merito Synodus Tridentina ſeſſ. 7. can. 3. de Confirmatione, ait: *Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum, non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit*. Præiverat Eugenius IV. in Decreto pro Armenis, ubi ſic: *Confirmationis ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus*.

Accedit ratio congrua duplex: prima, quod Confirmatio eſt complementum quoddam, quædam & perfectio Baptiſmi; ut videre eſt in modo loquendi Patrum & Conciliorum: atqui perficere pertinet ad Epiſcopos, quorum ordo eſt & vocatur *Perficientium*. Secunda, quod per Confirmationem adſcribitur quis militiæ Chriſti ſicut per Baptiſmum adſcribitur ejuſdem familiæ: atqui adſcribere hominem militiæ non pertinet niſi ad Duces & belli Præfectos; ergo.

Obj. 1. Ananias Saulo ſeu Paulo manus impoſuit, ut impleretur Spiritu

Digitized by Google

ritu ſancto Act. 9. v. 17. atqui tamen Ananias Epiſcopus non erat; ergo ut quis per impoſitionem manus largiatur Spiritum S. neceſſe non eſt ut ſit Epiſcopus.

R. 1. incertam eſſe Ananiæ conditionem; Auguſtinus, forte omnium unus, ſubindicat Lib. 2. qq. Evangelic. cap. 40. eum fuiſſe Epiſcopum: plerique vero interpretes nequidem eum habent pro Presbytero, quod multo probabilius videtur. Ut ut eſt, ſi Epiſcopus fuit Ananias, nihil probant adverſarii; ſi nequidem Sacerdos fuit, plus probant quam velint. Dempta enim Gloſſa quæ in cap. *Manus*, diſt. 5. *De Conſecr.* laicis, modo confirmati eſſent, confirmandi officium committi poſſe docuit, nemo eſt qui eo uſque deſipuerit.

R. 2. diſt. maj. Ananias Saulo impoſuit manus, ut impleretur Spiritu S. per Baptiſmum, vel poſt Baptiſmum, C. ut impleretur .... vi ipſius manuum Ananiæ impoſitionis, N. Paulus enim necdum baptizatus erat, ut patet ex contextu: atqui homo necdum baptizatus non poterat confirmari; ergo impoſitio manuum de qua loquitur ſacer textus, non erat confirmatoria, ſed partim viſus & ſanitatis collativa (ſecundum id Marci 16. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*) partim ad Baptiſmum præparatoria. Utrumque docet hiſtoria converſionis S. Pauli Act. cap. 9. & cap. 22. En ejus concordia: * *Introivit* Ananias *in domum Sauli, & imponens ei manus, dixit:* * *Saule frater reſpice .... & nunc quid moraris? exurge & baptizare, & ablue peccata tua*. Qua ratione, quæſo, per manus impoſitionem confirmatus fuerat, qui necdum abluerat peccata ſua? ergo impoſitio manus Ananiæ tantum erat præparatoria ad Baptiſmum, vi cujus, vel potius poſt quem Spiritu ſancto replendus erat Saulus, ſeu ut alii fideles per alicujus Apoſtoli Miniſterium, ſeu, ut pluribus placet & forte melius, non ab hominibus, neque ab homine, ſed per ipſius Chriſti operationem, prout aliis Apoſtolis contigerat in diebus Pentecoſtes.

* *Act. 9.*
* *Act. 22.*

Inſt. Paulus, ſi ab homine gratiam confirmantem recepit, recepit utique ut Timotheus: atqui Timotheus gratiam hanc recepit per impoſitionem manuum Preſbyterii, I. Timot. cap. 4. ergo.

R. neg. min. & dico neque hic agi de gratia Confirmationis, ſed de gratia Ordinationis; neque per Presbyterium aliud intelligi quam conventum Epiſcoporum. Sed de his alibi.

Obj. 2. Synodus Illiberitana in vulgari editione ſic habet can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, eos per benedictionem*, confirmatoriam ſcilicet, *perficere debebit*; ergo Diaconus ipſe, nedum Epiſcopus ſolus, eſt Confirmationis Miniſter, prout de Clericis etiam inferioribus ſentiunt Panormitanus, & alii apud VVitaſ. pag. 129.

R. objectam prædicti Canonis lectionem mancam eſſe & decurtatam, legendumque cum Buchardo, Garzia, Binnio, Mendoza, Albaſpineo & Labbeo, *Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit*: atque lectionem hanc patet eſſe genuinam, tum ex Can. 38. ubi qui a Laico in neceſſitate baptizatus eſt, *ad Epiſcopum* perduci jubetur, *ut per manus impoſitionem perfici poſſit*; tum ex ipſa objecti Canonis ſerie, ubi ſic; *Quod ſi ante de ſæculo receſſerit, quam potuerit perfici, ſub fide qua quis crediderit poterit*

terit eſſe juſtus; ergo Canon loquitur de iis, qui a Diacono baptizati excedebant e vivis antequam ad Miniſtrum Confirmationis deduci poſsent; ergo Miniſter ille alius erat a Diacono.

Obj. 3. In vita Silveſtri ſic habetur: *Silveſter privilegium Epiſcopis contulit, ut baptizatum conſignent propter hæreticam ſuaſionem;* ergo ante hujus Pontificis conſtitutionem privilegium confirmandi Presbyteris cum Epiſcopo commune erat.

Idem colligere eſt ex brevi Epilogo Concilii Romæ an. 325. habiti ſub eodem Pontifice.

R. neg. ant. Si quidem Pontificale Pſeudo-Damaſi unde petitur objectio, haud forte octavo ſæculo antiquius eſt, proindeque de re ſub initium IV. ſæculi conſtituta fidem certam facere nequit. Et vero ſi conſtituerit Silveſter ut Epiſcopus ſolus confirmaret, cur ergo longe ante Silveſtrum jus confirmandi ſolis Epiſcopis tribuunt Cornelius, Cyprianus, Firmilianus &c.? cur Innocentius I. qui Sedis ſuæ ſtatuta melius noverat quam Auctor Pontificalis, morem ex quo confirmant Epiſcopi ſoli non ex Silveſtri Decreto, ſed ex Apoſtolica Traditione repetit? cur antiqui quotquot ſunt Auctores poteſtatem confirmandi ſolis inhærere Pontificibus probant ex Act. cap. 8. & 19. Apage Dallæi nugas.

Idem & merito dixeris tum de brevi Epilogo, tum de Concilio Romæ habito an. 325. utrumque enim pro adulterina Iſidori Mercatoris merce habent & habere debent eruditi. De Epilogo patet 1. quia in eo aſſeritur Photinum in Nicœna & Romana Synodis, quæ eodem tempore habitæ ſupponuntur, fuiſſe damnatum; & tamen nonniſi longo poſt tempore damnatum fuiſſe Photinum liquet ex Actis Sirmienſis Concilii; 2. quia ibidem definitur *ſummum Præſulem*, ideſt Pontificem Romanum, ab aliis Epiſcopis judicari non poſſe, *quoniam ſcriptum eſt, Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum:* atqui nec appellatio ſummi Præſulis quarto ſæculo propria erat Epiſcopi Romani; cum eam cuilibet Epiſcopo ſæculo VII. conceſsam fuiſse manifeſtum ſit ex Can. 7. Concilii II. Hiſpal. an. 619. nec unquam Romani Præſules ceteros Epiſcopos habuere pro diſcipulis, ſed ſemper pro fratribus; 3. quia in eo ſit mentio Presbyrerorum & Diaconorum Cardinalium, quorum inſtitutio æræ eſt multo poſterioris; 4. quia fingit idem Epilogus Conſtantinum menſe Majo Romæ fuiſse; quem tamen Nicææ tunc temporis fuiſse indubium eſt.

Atque hinc convellitur ipſa Romana Synodus an. 325. nam 1. utrique ejus ſeſſioni ſubſcribunt Conſtantinus & mater ejus Helena: atqui nec Conciliis ſubſcribunt feminæ etiam Principes, niſi forte in Anglia; nec qui Nicææ verſabatur Conſtantinus, Romæ ſubſcribere poterat; 2. eidem Synodo interfuiſse dicuntur Epiſcopi ex urbe Roma & vicinis partibus, centum triginta novem, e Græcia vero 132. quis porro credat Silveſtrum e Græcia coegiſse Epiſcopos 132. quo præſertim tempore habebatur œcumenica Nicæna Synodus; 3. quia idem Concilium ineptis & puerilibus ratiunculis decreta ſua munit; Sic cap. 5. prohibet ne Presbyter Chriſma conficiat, *quia Chriſtus a Chriſmate* vocatur: bellam rationem! ſic cap. 16. vetat, idemque habetur in Epilogo, *ne Clericus propter ſuam cauſam quamlibet, intret in Curiam, quoniam omnis Curia a cruore dicitur:* Lepidam ætymologiæ ſpeciem! quaſi vero Curiæ nomen a cruore non a cura deduca-

ducatur; 4. quia ibid. cap. 1. Conſtantinus *dicitur a Silveſtro baptizatus & a lepra mundatus;* quod utrumque vapulat ab eruditis, & repugnat Euſebio lib. 4. vitæ Conſtant. c. 62. Ambroſio, Hieronymo, Theodoreto, aliiſque quos plures dabunt Cabaſſut. in Notit. Concil. Nat. Alexander &c.

Inſt. 1. Genuina ſunt dubio procul Acta Hiſpalenſis Concilii II. an. 619. atqui ibidem ſtatuitur, ut & in Pontificali Damaſi, Confirmationem non reſervari Epiſcopis niſi ex Eccleſiaſtica conſtitutione, ſeu hæc a Silveſtro, ſeu ab alio prodierit. Prob. min. ex his cap. 7. verbis: *Quædam novellis & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint* Presbyteri..... *ſiquidem nec licere eis.... per manus impoſitionem fidelibus baptizatis, vel converſis ab hæreſi Paracletum Spiritum dare, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontem ſignare*. Unde ſic: Quod ad Epiſcopos non pertinet niſi ex novellis Eccleſiæ legibus, id utique iiſdem vi humanæ, non autem divinæ inſtitutionis reſervatum eſt: atqui ex Concilio Hiſpalenſi &c.

R. 1. cum domin. Soto juris tantum eſſe quod Epiſcopus ſibi ſoli Confirmationem reſervet; eſſe tamen juris divini quod Epiſcopus jus habeat Confirmationem ſibi reſervandi, vel eam permittendi Presbyteris: quo fere modo juris eſt divini quod Papa irregularitates decernere poſſit; quod autem eas hic & nunc inſtituat, vel ſolus, vel aliis poteſtatem ſuam impertiendo, juris eſt Eccleſiaſtici.

R. 2. Id quod prohibetur Eccleſiaſtica lege poſſe jam prohibitum eſſe divina. Sic paulo poſt Concilium Jeroſolimit. dici poterat, fornicationem novella lege prohiberi, nec ideo tamen negatum fuiſſet prohibitam hanc ab initio fuiſſe lege divina & naturali. Sic Platina dicit a Silveſtro inſtitutum fuiſſe, *quod unius viri unica eſſet uxor;* & tamen id jam a Chriſto fuerat conſtitutum.

R. 3. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. atqui Confirmatio pertinet ad Epiſcopos ex novellis legibus, id eſt ex legibus a Chriſto latis in lege nova, C. id eſt ex legibus pure humanis, N. ſolutionis veritas ex objecti textus ſerie manifeſta evadet. Sic ibi: *Quædam novellis & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint, ſicut Presbyterorum & Diaconorum.... conſecratio.* Infra vero poſt relata in objectione verba: *In divinis Litteris præcipiente Domino, ſolus Moyſes erexit altare, ſolus ipſe unxit* &c. *Quamvis* igitur *cum Epiſcopis plurima* Presbyteris *Miniſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam novellis*, vel ut habet vulgata editio: *Quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novellis &c.* ut ſupra. Hic duo habes, 1. novellas regulas dici per oppoſitionem ad regulas, quæ in *divinis Literis* datæ ſunt Moyſi; ergo quemadmodum iſtæ in veteri, ſic illæ in Novo Teſtamento continentur; 2. Novellas regulas, quæ prohibuerunt ne Presbyteri fidelibus baptizatis manus imponerent, ipſiſſimas eas eſſe, quæ iiſdem prohibuerunt ne Diaconos & Presbyteros conſecrarent: atqui non aliæ quam Novi ipſius Teſtamenti regulæ poſtremum hoc prohibuerunt; ergo. Hinc pondera Synodum non dixiſſe, *Novellis Eccleſiæ*, vel *Novellis Eccleſiaſticis*, ſed *Novellis & Eccleſiaſticis regulis*. Si quis tamen enixe velit, novellas regulas idem eſſe cum Eccleſiaſticis

R. 4. neg. min. Si quidem novellæ ex regulæ divinam inſtitutionem non

non excludunt, ſed includunt. Iſtæ enim, ut legenti patet, ſunt Innocentii I. & Leonis Epiſtolæ; eæ vero confirmandi jus Presbyteris abdicant, quia *Pontificalem apicem non habent;* quod autem Pontificatus apex non ſit penes Presbyteros pendet ab inſtitutione divina.

Obj. 3. Hieronymus dial. adverſus Luciferianos c. 4. *Non quidem abnuo*, inquit, *hanc eſſe Eccleſiæ conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurrat. Sed quale eſt ut* LEGES ECCLESIÆ *ad hæreſim transferas .... &* MULTIS *in locis id factitatum reperimus, ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legem neceſſitatis*. Ex iis ſic: Quod ex conſuetudine & legibus Eccleſiæ pendet, in ordinationem divinam refundi non poteſt: atqui quod Epiſcopus manum imponat iis qui baptizati ſunt a Presbyteris &c.

R. diſt. min. quod Epiſcopus ſolus baptizatis manum imponat, pendet a conſuetudine & legibus Eccleſiæ, quatenus poſſet Eccleſia permittere Presbyteris ut manus imponerent baptizatis, de quo concl. ſeq. C. quatenus parem ea de re, ſibique omnino communem cum Epiſcopis potentiam habent Presbyteri, N. vel ſi mavis, aliter diſt. pendet ab Eccleſiæ legibus iiſque in Divino verbo fundatis, C. a puris Eccleſiæ Legibus, N.

Itaque pendet quidem ab Eccleſia, ut non teneatur Epiſcopus ad eos qui longe a Sede ſua diſtant, excurrere ad imponendam recens baptizatis manum: quia poſſet ea abſolute propter difficultatis obicem munus illud ſimplici Presbytero committere: ſed non ideo credendum eſt Presbyterum habere parem in re præſenti cum Epiſcopo potentiam, itaut concedere poſſit Eccleſia, ut Presbyter quilibet, ordinarius ſit Sacramenti Miniſter. Obſtat enim, teſte Hieronymo, divina auctoritas. Unde continenter S. Doctor: *Diſce hanc obſervationem*, ſeu morem quo Epiſcopus ſolus manum imponit, *ex ea auctoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit.*

Inſt. 1. atqui quod Epiſcopus ſolus confirmet, a pura Eccleſiæ diſciplina pendet juxta Hieronymum, non a diſpoſitione divina; ergo.

Prob. ſubſ. Quod a Deo conſtitutum eſt, non in multis tantum locis factitatur, ſed ubique locorum: atqui ex S. Doctore, non ubique, ſed tantum *multis in locis* invaluerat mos ut Epiſcopi ſoli manus imponerent.

R. cum Tournelyo, Hieronymum vel ſumere vocem *multis* pro *omnibus*, vel eos tacite carpere Præſules, qui ex oſcitantia, ut aliquando fit, remotiora Diœceſeon ſuarum loca non inviſebant baptizatis manum impoſituri.

Inſt. 2. Si Epiſcopus ſolus ubique locorum ex ordinatione divina manus imponeret, jam impoſitio hæc ad eum magis pertineret propter legem neceſſitatis, quam propter honorem Sacerdotii: atqui econtra quod Epiſcopus ſolus manum imponat, magis ex Hieronymo fit propter *honorem Sacerdotii* &c.

R. neg. maj. ſtat enim & manus impoſitionem ex divina lege quadantenus propriam dici Epiſcoporum, & id tamen ſic fuiſſe conſtitutum magis ad honorem Sacerdotii, quam propter legem neceſſitatis. Quare vero? 1. quia Chriſtus, qui inſtituere poterat ut Presbyteri paſſim confirma-

firmarent, ſicut paſſim baptizant, voluit, ut honoraret Epiſcopos, inſtituere ut ii ſoli ordinarie confirmarent; 2. quia Confirmatio non eſt abſolute ad ſalutem neceſſaria; ergo qui eam inſtituit Chriſtus ut a ſolis Epiſcopis ordinarie conferendam, magis aliquo ſenſu reſpexit *honorem Sacerdotii* quam *legem neceſſitatis*. Poſteriorem hunc ſenſum ab Hieronymi mente alienum non eſſe indicant hæc, quæ ſequuntur, ipſius verba: *Si ad Epiſcopi tantum imprecationem Spiritus ſanctus defluit, lugendi ſunt, qui in remotioribus locis per Presbyteros baptizati, ante dormierunt quam ab Epiſcopis inviſerentur*. Priori expoſitioni favent hæc ibid. verba S. Doctoris: *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam, & ab hominibus* (ſupra homines) *eminens detur poteſtas, tot in Eccleſia efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes*.

Inſt. 3. ex Hieronymo Epiſt. 101. alias 84 ad Evagrium, *Quid facit, excepta Ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat*? atqui poſita noſtra reſponſione quædam præter Ordinationem faceret Epiſcopus; quæ non faceret Presbyter; ergo.

R. diſt. maj. quid facit ... & hæc Hieronymi propoſitio morali quodam ſenſu intelligenda eſt, C. & intelligi debet in rigore metaphyſico, atque ad vivum reſecari, N. Retundit ea in Epiſtola S. Doctor ſuperbiam Diaconorum, qui temerario faſtu æquabant ſe Sacerdotibus. Id ut præſtet, totus eſt in commendanda Sacerdotum dignitate, nec multum ſollicitus ea enumerare in quibus ſunt Epiſcopis inferiores. Quapropter vocula, *Quid facit* &c. hunc in ore hominis ſubirati habet ſenſum: Audetis vos, Diaconi, exæquare Sacerdotibus, an ergo neſcitis id eos pene poſſe quod Epiſcopi. Ecquid tam magnum, excepta Ordinatione, facit Epiſcopus, quod non faciat Presbyter. Baptizat Epiſcopus, ligat, ſolvit, conſecrat, hæc facit Presbyter: quin & ambo manus baptizatis imponunt, ille quidem ut ordinarius Miniſter, iſte ut extraordinarius. De his plura apud VVitaſſ.

Obj. 4. Plura Concilia Presbyteris confirmandi licentiam attribuunt, aut ratam habent Confirmationem ab iis datam, aut demum eam prohibent veluti rem priusquam prohiberetur legitime aut ſaltem valide factam. Sic 1. Synodus Toletana I. an. 400. Can. 20. *Placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum Chriſma facere*; ergo antea licebat Presbyteris Hiſpanis Chriſma conficere; quanto autem magis, ait Dallæus, eo uti ad unctionem frontis. Idem pro Africa ſanxerunt Synodi II. & III. Carthaginenſis, illa an. 390. Can. 3. hæc an. 397. Can. 36.

Sic 2. Synodus Regienſis an. 439. Can. 5. *Viſum eſt omni Presbytero ..... facultatem benedictionis aperire ...... in Eccleſia quoque in qua ordinatus fuerit, conſecrandi Virginem, ſicut confirmandi Neophytum jus habebit*. Quid diſertius?

Sic 3. Synodus Arauſicana I. an. 441. Can. 1. quo decernitur, *hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi deſit Epiſcopus a Presbyteris cum Chriſmate & benedictione conſignari, ſi ii Catholici eſſe deſiderant*. Idem permittit Epaonenſis Synodus ſub an. 517. Can. 16.

Sic 4. Synodus Vaſenſis I. an. 442. præcipit *ut Presbyteri, vel Miniſtri*, ideſt Diaconi, *a ſuis propriis Epiſcopis per annos ſingulos Chriſma petant, appropinquante ſolemnitate Paſchali: quia optimum eſt ut ipſe ſuſcipiat, qui eo in tradendo uſurus eſt*: porro utuntur Chriſmate qui frontem ſignant.

Sic

Digitized by Google

Sic 5. Synodus Bracarenſis an. 572. *Presbyter præſente Epiſcopo non ſignet infantes, niſi forte ab Epiſcopo fuerit illi præceptum;* ergo abſente Epiſcopo infantes *ſignabant Presbyteri ex Officio.*

Sic 6. ut alias omittam plures; Synodus Barcinonenſis an. 599. Can. 2. *Statutum eſt, ut cum Chriſma Presbyteris Diæceſanis pro Neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.*

R. ad 1. data non conceſsa prima parte, quæ tantum probaret Presbyteros ex Eccleſiæ venia & precario jure Confirmationem aliquando miniſtrare, neg. 2. & 3. partem; quæ nullum in allegatis Conciliis fundamentum habent. Unde

Sup.p.55. Ad 1. conceſso cum pluribus contra non paucos, ob rationes ſuperius allatas, Patres Toletanos ratam habuiſse eam, quæ hactenus a Presbyteris facta erat, Chriſmatis benedictionem, nego hinc ſequi hactenus Presbyteris licitum fuiſse Chriſmate uti ad Confirmationem; tum quia pari jure concludi poſset Epiſcopos a Presbyteris aliquando ex Chriſmate conſecrari potuiſse; tum quia falſo ſupponit Dallæus plus eſse conficere Chriſma, quam ex eo Confirmationem adminiſtrare: quandoquidem prius circa materiam ſolam verſatur, poſterius vero materiæ adjungit formam, quæ longe plus virtutis habet; tum quia nullum eſt debilius in re Sacramentaria argumentum, quam quod a pari vel a fortiori deducitur; quia hic tota facti ratio eſt ſuprema facientis voluntas.

Eadem eſt ad Carthaginenſes Synodos reſponſio, niſi dicere malis, quod & de Toletana dicunt non pauci, utrobique frænum injici præſumptioni eorum, qui jus conficiendi Chriſmatis temere ſibi arrogaverant.

Ad 2. haud digna eſt reſponſio difficultas mala fide propoſita. Talis porro eſt quæ petitur e Synodo Regienſi. Is enim cui in poſtrema Canonis parte permittitur Neophyti Confirmatio, non idem eſt cui in priori parte eſt *benedictionis facultas*, ſed Epiſcopus quidam a Sede ſua ejectus, Armentarius nomine cui in una tantum Parochia: modo tamen abſens ſit Epiſcopus, miſericorditer indulgetur *jus conſecrandi Virginem, ſicut & Neophytum confirmandi.*

Ad 3. ex eo quod *in diſcrimine mortis* hæreticos conſignare potuerint ſimplices Presbyteri, unum ſequitur, nempe Sacerdotem extraordinarium eſse poſse Confirmationis Miniſtrum. Interim an conſignatio de qua loquitur Arauſicana Synodus, veri nominis Sacramentum eſset, ambigunt Doctores; de quo infra,

Ad 4. legitima foret conſecratio, ſi Chriſma ad ſolam frontis unctionem inſerviret: ſed quia inſervit etiam ad baptiſmalis aquæ conſecrationem, & ad unctionem verticis, quæ olim in *ſolemnitate Paſchali* fiebant, mirum ſi quod tam facile de iſtis duobus intelligi poteſt, ad aliud contra Traditionis fidem detorqueri poſſit: Et vero prædictus canon laudatur tum a Montano Toletano Archipræſule, tum a Vvormatienſi Concilio an. 868. ubi ſyllabatim recitabatur: atqui tamen & Montanus & Patres Vvormatienſes frontis unctionem Presbyteris interdictam omnino eſse palam & aperte docebant, ille quidem in Epiſt. ad Palentinos ſcripta circa an. 530. hi vero C. 34. ergo.

Ad 5. agitur eo loci de verticis, non autem de frontis conſignatione: prima enim antiquitus ne a Presbyteris quidem fiebat ſine Epiſcopi venia,

nia,

nia, ſecundum id Hieronymi Dialog. adverſus Lucifer. *Sine Epiſcopi juſſione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habet baptizandi. Vide tom. 4. pag.* 331.

Ad 6. duplex eſt reſponſio, 1. *Confirmandi* verbum hic ſumi latius pro unctione verticali; quo ſenſu & ipſa Euchariſtiæ adminiſtratio quandoque Confirmationis nomine donatur: & ita Canonem hunc interpretatur VValafridus Strabo, Monachus & Abbas Divitis Augiæ, qui an. 849. diem clauſit; 2. Canonis ſenſum eſſe, ut nihil accipiatur pro Chriſmate quo Neophyti, non quidem a Presbytero; neque enim id dicit Concilium, ſed ab Epiſcopo, qui tunc temporis Chriſma ſecum non deferebat, confirmandi erunt. Alterutrius ſolutionis neceſſitatem probat Hiſpanicarum ætatis illius Eccleſiarum praxis. Siquidem & Montanus Toletanus, & Iſidorus Hiſpalenſis, quorum prior an. 530. poſterior ipſo Barcinonenſis Synodi tempore florebat, ac demum Hiſpalenſis II. Synodus, quæ an. 619. ideſt viginti poſt Barcinonenſem annis coacta eſt, frontis Chriſmationem expreſſiſſime reſervant Epiſcopis, quia ita exigunt & conſuetudo Eccleſiaſtica, & Apoſtolica Traditio, & fidei Doctrina, quæ Presbyteris *Pontificatus apicem* denegat. Quis porro tria hæc fundamenta Barcinonenſi Synodo ignota fuiſſe putet? aut cujus ipſa foret pretii, ſi hæc ignoraſſet?

Non objicimus nobis ſermonem Auguſtini V. *inter Carthuſianos*, ubi contra hiſtoriæ Apoſtolicæ fidem dicitur Philippus Samaritanis impoſuiſſe manum. Siquidem ſermonem hunc vel ex hoc ipſo corruptum eſſe liquet, præſertim cum ibidem paulo poſt negetur Philippum vel Samaritanis, vel Eunucho Candacis Reginæ manus impoſuiſſe. *Baptizavit*, ait Auguſtinus, *nec manus impoſuit.*

Obj. 5. Gregorius Magnus cum an. 593. ad Januarium Calaritanum apud Sardos Epiſcopum ſic ſcripſiſſet: *Presbyteri baptizatos infantes ſignare ſacro in fronte Chriſmate non præſumant: ſed Presbyteri baptizatos tangant in pectore, ut Epiſcopi poſtmodum tangere debeant in fronte*, Iiſque verbis bilem moviſſet Calaritanis Sacerdotibus; ut eorum leniret animos anno ſequenti, Decretum ſuum refigens ſic reſcripſit: *Pervenit quoque ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Presbyteros Chriſmate tangere in fronte eos qui baptizati ſunt, prohibuimus: Et nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus; ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant, concedimus.* Hic tria habes, 1. permiſiſſe S. Gregorium ut Sardi Presbyteri Confirmationem darent; 2. id ab ipſo antea prohibitum fuiſſe, non quia adverſum verbo Dei ſcripto vel tradito, quod indubie allegaſſet ſanctus Pontifex, ut quam primo tulerat legem, hanc tueretur, & Sardinenſium ſuperbiam potentius infrigeret, ſed quia contrarium *Eccleſiæ ſuæ* uſui; 3. & proin id ceterarum Eccleſiarum praxi contrarium non fuiſſe; neque enim Romanæ duntaxat, ſed & ceterarum Eccleſiarum conſuetudinem Sardis objeciſſet doctus & ſagax Pontifex; ergo & habes confirmandi poteſtatem ſolis Epiſcopis jure divino non reſervari.

Lib. 3. Epiſt. 9.

Ibid. Ep. 26.

R. conceſſa prima antecedentis parte propter rationes in concluſione ſequenti evolvendas, nego ſecundam & tertiam, utramque pari

de cauſa, nempe quod qui Eccleſiæ ſuæ uſum commendat, non idcirco negat uſum hunc & Scriptura niti & traditione; neque qui Romanæ ſolius Eccleſiæ praxim exhibet, ideo ſupponit adverſam huic eſſe aliarum Eccleſiarum conſuetudinem. Quare porro? quia vir egregie peritus, qualem fuiſſe Gregorium cordatus nemo diffitebitur, nec Deceſſorum ſuorum Statuta, quæ ut accepit, ſic debet ad poſteros tranſmittere; nec Conciliorum quæ in vicinis ſibi Regionibus coguntur, decreta ignorat. Atqui Statuta Pontificum qui ante Gregorium vixerant, factam Presbyteris chriſmandi prohibitionem, non a ſimplici Eccleſiæ alicujus uſu, ſed & a conſtanti traditione, atque Apoſtolorum praxi repetebant; iidemque & iiſdem de cauſis ſanciebant diverſa, quæ ante Gregorii tempus, & ipſius tempore celebrabantur Concilia, uti ſuperius probatum eſt; ergo.

V. Supra p. 73 & 74.

Quorſum igitur, inquies, ſolius Eccleſiæ Romanæ praxim adducit Gregorius? Quorſum? quia in re ad Sacramenta graviter ſpectante, non alia eſt hujus Eccleſiæ praxis, quam quæ fuit ab initio. Quorſum rurſus? quia Eccleſiæ huic, ut ceterarum matri, obſequi ſolent Eccleſiæ aliæ, præſertim Occidentales. Quorſum denique? quia feris & pene diſciplinæ impatientibus Sardiniæ Presbyteris indulgendum erat: neque mortalium mitiſſimo Gregorio e re videbatur, ut plena obruerentur luce, qui lucis ſcintillam ferre non poterant. Sed de his rurſum infra & uberius.

Obj. 6. ex Beda in titulum Pſalmi 26. *Illa unctio, quæ per manus impoſitionem ab Epiſcopis, quaſi alia a duabus prædictis*, olei nempe, quæ baptiſmum præcedit & Chriſmatis quæ ſubſequitur, *& vulgo Confirmatio dicitur, eadem eſt cum ſecunda*, nempe verticali, *propter arrogantiam tamen non conceſſa eſt ſingulis Sacerdotibus, ſicut & multa alia:* atqui Sacerdotes ordinarii ſunt unctionis verticalis Miniſtri, neque hæc iis niſi Eccleſiaſtica lege prohiberi poſſet; ergo & ordinarii ſunt unctionis frontalis Miniſtri; eaque ipſis humano tantum jure ob arrogantiæ periculum prohibita eſt.

Aurel. Orthod. p. 1. c. 7.

R. 1. cum Aurelio & aliis pluribus, locum hunc eſſe corruptum, utpote cujus pars prior ſenſum imperfectum generet, poſterior vero prout a Sirmondo & Dallæo intelligitur, ſenſum exhibeat doctrinæ a Beda pluribus in locis traditæ contrarium. Si enim Beda unctionem frontis habeat ut Baptiſmi cæremoniam, non alio quam Eccleſiaſtico jure reſervatam Epiſcopis, non eſt cur eam alibi repetat ex cap. 8. Act. cur ex iiſdem Actis colligat *ſolis eam Pontificibus deberi*, cur velit per eam dari Spiritum S. ab Epiſcopis, quando Parochias ſuas viſitando, Confirmationem largiuntur: atqui tamen tria hæc facit Beda, primum quidem & ſecundum in cap. 8. Act. Apoſt. tertium vero cap. 29. vitæ Cuthberti Epiſcopi Lindisfarnenſis; ergo lacerum eſſe oportet textum in quo contrarium docere traditur. Neque tamen ſolutionis cujuſcumque expers eſt textus Bedæ prout ſupereſt. Unde

R. 2. diſt. unctio Confirmatoria eadem eſt cum verticali ratione materiæ, C. ratione effectus, N. illa enim non iſta Spiritus ſancti plenitudinem & robur confert; unde provide ordinariam ejus adminiſtrationem Presbyteris, ne ex tam inſigni miniſterio ſuperbirent, negatam voluit Chriſtus.

Objicit 7. Dallæus Græcos Patres, quos quia jam ultra vota creſcit

Tra-

Tractatus, ſtrictim & leviter perſtringam. Pugnant itaque contra nos 1. Firmilianus, juxta quem Ep. 75. ad & apud Cyprianum: *Majores natu*, ideſt Presbyteri, *baptizandi & manum imponendi poſſident poteſtatem*; 2. Ambroſiaſter, Latinus quidem Scriptor, ſed qui de Alexandrina Eccleſia ſic loquitur in cap. 4. ad Epheſ. *Apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus*. Idem habet Auctor qq. in vetus & novum Teſtamentum, niſi quod pro *conſignant*, ait, *conſecrant*; 3. Auctor Conſtit. Apoſt. quas multi IV. ſæculo ſcriptas cenſent, ubi ſic lib. 7. c. 23. *Unges prius oleo ſancto, deinde baptizabis aqua, poſtremo ſignabis unguento Chriſmatis*, quæ conſtitutio *Epiſcopum & Presbyterum ſpectat*; 4. Chryſoſtomus Hom. 11. in. Cap. 1. ad Timoth. *inter Epiſcopum & Presbyterum intereſt ferme nihil .... ſola quippe Ordinatione ſuperiores* Presbyteris *ſunt* Epiſcopi: *atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur*. Conſonant Theophylactus & OEcumenius; 5. Photius in Epiſt. Encyclica, ubi Nicolaum Papam, & Antiſtites ab eo in Bulgariam miſſos ſic exagitat: *An talem quis inſaniam fando unquam audivit .... ut ſemel unguento ſacro delibutos rurſus inungerent?* ergo recepta & univerſalis in Oriente erat conſuetudo, ut Presbyteri *eos, qui ſacro Baptiſmate initiantur, unguento ſanctificarent*; idem ibid. 6. Gabriel Philadelphienſis, qui idem ſentit cum Photio; 7. Praxis hodierna Orientalis Eccleſiæ, in qua Græci Præſules raro, Presbyteri frequenter confirmant, idque ab antiquo & ante Photianum ſchiſma; ergo. Verum hæc levi negotio excuti poſſunt. Unde paucis

Ad 1. Sic habet Firmilianus: *In Eccleſia præſident Majores natu, qui & baptizandi & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem*: ſed qui in Eccleſia *præſident & ordinandi poſſident poteſtatem*, ſoli ſunt Epiſcopi; ergo.

Ad 2. dico 1. Auctorem hunc, quem Dallæus Hilarium Luciferianum fuiſſe putat, alii & melius, hominem Aeriana & Pelagiana tinctum fuligine, vix plus mereri fidei in his quæ de Alexandrina Eccleſia tradit, quam cum vel Presbyteros divino jure pares facit Epiſcopis, vel initio Eccleſiæ omnibus, etiam Laicis, baptizandi & concionandi promiſcuum jus fuiſſe ſcribit. Dico 2. ex eo id ſaltem ſequi, neminem Presbyterum tunc temporis in Occidente toto conſignaſſe. An enim Latinus Scriptor ſolius Alexandrinæ Eccleſiæ morem, tacita quam præ oculis habebat, Eccleſiæ ſuæ praxi, appellaſſet? Dico 3. dato Ambroſiaſtrum tanti eſſe pretii, quam nullius eſt, ex eo nihil certi concludi poſſe. Conſignant Ægyptii Sacerdotes, bene, ſed an ſacramentaliter? ſed an ordinario jure? ſed an uſu approbato &c. Eadem eſt ad Auctorem quæſtionum reſponſio; quia is idem eſt cum Ambroſiaſtro: ubique eadem imperitia, dictio eadem, eædem hæreſes. Cenſent tamen eruditi quidam poſteriorem textum de conſecratione Ordinandorum loqui: quod Aerii Diſcipulum mire ſapit, & errorem dat pejorem priori.

Ad 3. ait quidem Auctor conſtitutionum, Epiſcopum & Presbyterum ungere oleo, baptizare aqua, poſtremo ſignare unguento Chriſmatis, ſed non ait tria hæc ab utroque fieri: imo id diſerte negat lib. 3. c. 16. ad quem in objecto loco remittit, & in quo quid Presbyteris & Epiſcopis commune ſit, quid uniuſcujuſque proprium enucleate determinat.

Ad 4. vox *ordinatione* in textu Chryſoſtomi vel paſſive ſumitur, pro

F 2 ipſius

ipſius Epiſcopi ordinatione, ut intelligunt quidam cum Montano Toletano, vel active, pro ea quam habet alios ordinandi poteſtate. Si 1. ſenſus eſt Epiſcopum præ Sacerdotibus nihil habere quam conſecrationem ſibi propriam, & proinde quæ ab eadem conſecratione profluunt, ut poteſtatem confirmandi, Sacerdotes inaugurandi &c. Si 2. ſenſus erit, poſſe, dempta Ordinatione, Presbyterum quidquid poteſt Epiſcopus, non tamen in eodem gradu, aut jure æque ordinario. Unde Epiſcopus qua talis, ſolvere & ligare poteſt in interiori & exteriori foro, non Presbyter qua talis. Epiſcopus item jure proprio confirmat, id quidem poteſt Presbyter, ſed ex delegatione. Neque ficta eſt hæc & pro nutu adinventa ſolutio, cum ætate Chryſoſtomi nemo Presbyter confirmaret, ut tradit ipſe S. Doctor Homil. 18. in Acta, ſup. pag. 73.

Ad 5. non magis forſitan hac in parte audiri meretur Photius, vir pari ad ſcientiam impudentia, quam cum Latinis exprobrat, *quod abominentur nuptias, quod Chriſma ex aqua fluminis conficiant, quod agnum in Paſcha more Judæorum ſuper altare pariter cum Dominico corpore benedicant.*

Nec dicas circa hæc decipi potuiſſe Photium, non circa Eccleſiæ Græcæ praxim. Neque enim deceptum fuiſſe Photium, ſed res inflando decipere voluiſſe ſuſpicamur. An enim quia Latinos redarguit, quod Spiritum S. a Patre Filioque procedere doceant, idcirco exiſtimabimus aliam tunc temporis fuiſſe totius Orientalis Eccleſiæ fidem? quid non audere potuit vir crimini devotus, qui conciliabulum ſuum mille circiter Epiſcoporum ſubſcriptionibus communiit, etſi nonniſi viginti ad unum Præſules ſceleris ſui conſcios habere potuiſſet! Ut ut eſt, de Græcorum Confirmatione loquemur in decurſu.

Ad 6. noſter eſt, quem utpote ſchiſmaticum Dallæi eſſe non indignaremur, Gabriel Philadelphienſis Archiepiſcopus. Is enim Chriſmationem præcipue & primario ad Epiſcopos pertinere docet, a quibus permiſſa ſit Presbyteris, *ne quis baptizatorum ejuſmodi gratia privaretur.*

Ad 7. hanc Græcorum Sacerdotum praxim improbarunt ſæculo IX. Nicolaus I. univerſaque Occidentalis Eccleſia, & ſæculo XII. Innocentius III. & Innocentius IV. Quid vero ex praxi reprobata colligi poteſt?

At, inquies, Adrianus II. in Epiſt. ad Ignatium, legitimum CP. Patriarcham, explicans quibus de cauſis juſſiſſet Nicolaus I. iterari Confirmationes a Græcis Presbyteris in Bulgaria traditas, ait id factum, tum quia Græci nihil in Bulgariam poteſtatis haberent; tum quia iidem propter Photianum cui adhærebant ſchiſma, ab omni Ordinum ſuorum uſu eſſent ſuſpenſi: atqui non recurriſſet Adrianus ad extrinſeca hæc momenta, ſi Confirmationem intrinſece & ex natura rei Presbyteris interdictam credidiſſet; ergo.

Cap. 4. de Conſuetud. Confirm. ex Innocentio III. Epiſt. ad Lucium apud Conſtantinopolim legatum, ubi ſic: *Diſcretioni tuæ mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud CP. conſtitutis diſtricte prohibeas, ne talia de cetero ſua temeritate præſumant:* ubi quod in Latinis tantum Presbyteris redarguitur, eo ipſo in Græcis Presbyteris cenſetur approbatum.

℟. ad 1. neg. min. qui enim unam, alteramve cauſam affert, non ideo negat ceteras. Idcirco autem quantum opinor, juriſdictionis defectum, & Photianorum ſuſpenſionem præ ceteris urget Adrianus, quia neutra

hæc

Digitized by Google

hæc cauſa Græcorum animos commovere poterat, quos forſitan eo turbarum tempore commoviſſet juris divini allegatio, præſertim cum jam apud eorum aliquos & forte plures, invaluiſſet conſuetudo infantes Græcis Presbyteris tradere confirmandos, ut ex encyclica Photii Epiſtola, tametſi aliunde onerata mendaciis, colligere eſt.

Ad confirmat. dico 1. vocem *Latinis* deeſſe in antiquis editionibus Epiſtolæ Innocentii. Dico 2. eadem reſtituta voce, ut reſtituenda videtur, prohiberi Latinis Confirmationem, quia iis minime permiſſa eſſet, eamdem vero vel tolerari in Græcis, pacis cauſa, prout in Sardinia tolerata erat a S. Gregorio, vel approbari, quia iiſdem aliquando tandem permiſſa eſſet. Sed de his rurſus infra.

Obj. 3. momenta quædam Theologica: I. Qui plus facit, poteſt facere minus: atqui Sacerdos panem conſecrat, quod longe majus eſt; ergo. II. Confirmatio eſt cuſtodia ſanctitatis in Baptiſmo collatæ a Presbytero; ſed qui ſanctificationem dedit, ejuſdem cuſtodiendæ jus habere debet: III. Si ſoli Epiſcopi confirmare valeant, valor Sacramentorum pendebit a dignitate Miniſtri: atqui falſum conſequens & in Donatiſtis reprobatum. IV. Presbyteri ſuccedunt Apoſtolis, ſicut Epiſcopi; ergo ut & illi confirmare poſsunt.

R. ad 1. neg. maj. quia in his ſola inſtitutoris Chriſti voluntas ſpectari debet: porro non voluit Chriſtus ut qui plus poteſt, minus poſset præſertim in genere diverſo.

Ad 2. neg. min. tum ob rationem mox adductam; tum quia Laicus qui in grandi mortis periculo baptizavit, poſset itidem in gravi fidei negandæ periculo confirmare.

Ad 3. diſt. maj. pendebit a dignitate Eccleſiaſtica, ſeu a certo gradu Miniſtri dempto tamen Baptiſmo, & forte Matrimonio, C. a dignitate Morali, ideſt a fide vel probitate, N. id autem poſtremum duntaxat reprobatum eſt in Donatiſtis.

Ad 4. notand. cum Bellarmino Apoſtolos fuiſse, 1. primos Chriſtianos; 2. primos Sacerdotes; 3. primos ſummos Sacerdotes; 4. Summos Sacerdotes non in uno tantum loco, etiamſi unum ſpecialiter regerent, ſed ubique, quia ubique baptizare poterant, ordinare, leges ferre, &c. 5. eoſdem ſummam hanc toto in orbe poteſtatem, uno dempto Petro, non habuiſse ut ordinariam, ſed tantum ut privilegium perſonale, cui nemo ſuccederet, præterquam qui ſuccederent Petro; 6. tria priora in omnibus Apoſtolis ordinaria fuiſse, & in iis proinde ſuccedi poſse Apoſtolis omnibus. His præmiſſis,

R. diſt. Presbyteri ſuccedunt Apoſtolis ut Chriſtianis & Sacerdotibus, C. ut ſummis Sacerdotibus, N. porro Apoſtolos non ut Sacerdotes, ſed ut Summos Sacerdotes manus impoſuiſse probant quæcumque ſupra congeſſimus argumenta.

Conclusio II. Poſsunt ſimplices Presbyteri ex delegatione adminiſtrare Confirmationis Sacramentum, cujus proinde Miniſtri ſunt extraordinarii. Ita S. Thomas hic qu. 72. a. 11. & cum eo plerique Scholæ & Canonum Doctores.

Prob. 1. ex adductis ſupra Hieronymi & Chryſoſtomi textibus, ubi dempta Ordinatione poteſt Presbyter quidquid & Epiſcopus. Si enim

res ita ſit, neceſſum eſt ut Presbyter confirmare poſſit: atqui id non poteſt jure ordinario, ex probatis; ergo ſupereſt &c.

Prob. 2. ex Conciliis Arauſicano I. Can. 1. ſupra p. 146. & Epaonenſi Can. 16. ubi ſic: *Presbyteros propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus, deſperatis decumbentibus hæreticis, ſi converſionem ſubitam petant, Chriſmate permittimus ſubvenire. Quod omnes converſuri, ſi ſani ſunt ab Epiſcopo noverint expetendum*. Ecce hic permittit utraque Synodus, ut Presbyter abſente Epiſcopo, & urgente neceſſitatis caſu cum Chriſmate & benedictione hæreticos reſipiſcentes conſignet: atqui conſignatio hæc videtur ipſiſſima eſſe Confirmatio; tum quia ſi pura quædam eſſet cœremonia, non erat cur Presbyteris tam difficile concederetur, & in ſolo neceſſitatis caſu; tum quia ubi eſt unctio Chriſmatis cum benedictione, & utrumque *propter ſalutem animarum* datur, ibi eſt materia, forma & effectus Sacramenti: atqui &c. tum quia ſi hujuſmodi textus de unctione ad pœnitentiam, non autem de Confirmatoria intellexeris, grave eſt periculum ne ut difficultatem unam declines, in aliam graviorem proruas, & Novatoribus des anſam (in rei tamen veritate futilem) non paucos textus, quibus Sacramentalis dignitas Confirmationi aſſeritur, de pura cœremonia interpretandi. De gravi difficultate quæ ex probatione noſtra exurgit, loquemur in Appendice.

Prob. 3. ex Gregorio Magno, qui quod ante negaverat Calaritanis Presbyteris concedit tandem Epiſt. 26. nimirum, *ut ibi Epiſcopi deſunt, etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant:* ſic una dempta Pariſienſi editione an. 1533. quæ *baptizandos* habet pro *baptizatos*, legunt editiones ceteræ poſt Gratianum, Alenſem & S. Thomam, quod & aperte poſtulat ſenſus ejuſdem Epiſtolæ, ſi conferatur cum Ep. nona, quam ſupra citavimus. Inde vero ſic: Vel eo loci permittit Gregorius Magnus Calaritanis Presbyteris Confirmationis adminiſtrationem, vel, ut quibuſ-
S. Thom. in 4. diſt. 7. qu. 3. dam ætate S. Thomæ videbatur, *aliquid Sacramentale, ſimile illi Sacramento, ſicut alicui porrigitur panis benedictus loco Euchariſtiæ:* atqui poſtremum hoc, licet ab Adriano VI. & a Petro de Marca admiſſum ſit, reipſa tamen admitti non poteſt. Enim vero id Epiſtola 26. permittit S. Pontifex, quod anno præcedente prohibuerat Epiſt. nona: atqui quod Epiſt. nona prohibuerat, ipſiſſima erat Confirmatio. Id utique ſibi adeo volunt hæc verba: *Ne Presbyteri baptizatos infantes ſignare ſacro Chriſmate in frontibus præſumant .... ſed Epiſcopi* eos ungant *in fronte*, ut ſi una hæc ad nos deveniſſet Epiſtola, non etiam vigeſima ſexta, nemini hactenus contrarium veniſſet in mentem; ergo.

Prob. 4. ex Eugenii decreto, quod poſtquam dixit, *ſolum Epiſcopum ordinarium eſſe Confirmationis Miniſtrum*, ſic pergit: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & urgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum;* quibus verbis inter alia indicatur factum S. Gregorii, & dubio procul approbatur.

Sup. pag. 57. Prob. 5. quia reipſa hoc in puncto diſpenſarunt Pontifices multi, maximam partem pietate & ſcientia conſpicui. Imprimis vero Eugenius IV. in Bulla quam ex Archivo Vaticano deſcripſit VVadingus, Nicolaus IV. Urbanus V. Leo X. referente Palavicino, Lib. 9. Hiſtoriæ Concilii Trid,

cap. 7,

cap. 7. unde Arcudius Lib. 2. cap. 15. *Ludovicus Fonſeca*, inquit, *Societatis J. Presbyter, cum ex Braſilio Romam ad Generalem Conventum fuiſſet ...... affirmabat ſe ſolitum eſſe in illis partibus hoc Sacramentum adminiſtrare, ibique hujus auctoritatis conceſſæ aſſervari diploma Pontificis*. Quis vero tot Pontifices, terminos a Patribus ſuis poſitos tranſiliiſſe putet? Non ego quidem; ſed reponerem paucis, conceſſum id a Pontificibus, quia cum urget neceſſitas, qualis urget in Neophytis Indiarum, quibus crebro mors, & immaniores morte cruciatus impendent, ſatius eſt dubium a dubio Miniſtro adminiſtrari Sacramentum, quam nullum. Hæc tamen ſolutio nec pro Calaritanis Presbyteris, nec ſemper pro Indicis Regionibus valeret.

Prob. 6. Si Presbyter, extraordinarius Confirmationis Miniſter eſſe nequit, non valet Confirmatio apud Græcos; cum ibi pene ſemper confirment Presbyteri, rariſſime Præſules: atqui tamen valet: 1. quia Græcos in hæreſi confirmatos, denuo, cum ad fidem redeunt, non confirmat Eccleſia Romana; 2. quia Florentina Synodus totum Græcos inter & Latinos diſſidium revocavit ad quinque capita, I. de Proceſſione S. Spiritus a Patre & Filio, II. de Azymis & fermentatis, III. de Purgatorio, IV. de viſione Dei ante futurum judicium conceſſa, V. de primatu & auctoritate ſummi Pontificis, & ubi de his conventum eſt, Latini & Græci *ſacris veſtibus induti, ſe ſe mutuis amplexibus conſalutarunt*; ergo, quæ indubie Latinis Patribus nota erat Græcorum Presbyterorum praxis, ab iis improbata non eſt, ut eſſentialiter mala, cum ne tunc quidem iis objecta ullatenus fuerit; 3. quia poſt abſolutam Synodum, ut quam optimam poſſet ſtabilire diſciplinam, hanc de facto induceret, Eugenius IV. Græcis propoſuit quæſtiunculas quindecim, quarum erat hæc numero ſexta: *Quare Epiſcopi non inungunt Chriſmate, ſed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus ſit datum: Quæ a Latinis objecta Dorothæus Mitylenenſis Epiſcopus canonice omnia legitimeque diſſolvit, præterquam duo de quibus Papa ſignificavit Imperatori, cur ſcilicet Matrimonia dirimantur, & Patriarcha Conſtantinopolitanus in ipſo Concilio non eligatur:* atqui non potuit Dorothæus Eugenio in præſenti capite facere ſatis, niſi tria hæc aſſerendo, 1. Confirmationem legitimis de cauſis ſimplici Sacerdoti committi poſſe; 2. vigere eas cauſas in Græcia; 3. Græcos Sacerdotes, non ut ordinarios, ſed ut Epiſcoporum Vicarios ſe ſe hoc in puncto gerere: cum autem *nihil habuerint* Latini *quod* his *objicerent*, &, *ab Orthodoxis Orthodoxi* habiti ſint Græci, prout adverſus Marci Epheſini Epiſtolam teſtatur Gregorius Protoſyncellus, qui tanquam Alexandrini Patriarchæ Legatus Florentino interfuerat Concilio, perſpicuum eſt probatam fuiſſe a Sum. Pontifice & Occidentali Eccleſia Græcorum Sacerdotum Confirmationem. *Tom. 13. Concil. p. 513.*

Obj. 1. Opinio quæ graviſſimis impugnatur momentis, & fulcitur leviſſimis; procul amandari debet: atqui talis eſt opinio noſtra.

Prob. minor pro I. parte. Opinio, quæ pro valido habet id quod Concilia, Pontifices Romani, aliique Patres judicarunt irritum ex defectu poteſtatis, graviſſimis impugnatur momentis: atqui opinio noſtra &c.

De Conciliis res patet ex Synodis Illiberitana, Arelatenſi III. Hiſpalenſi II. Pariſienſi VI. ubi Confirmandi munus *haud licere Presbyteris*, ſed *ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus* competere declaratur.

De Pontificibus Romanis liquet 1. ex Nicolao I. qui Confirmatio-

nem a Græcis Sacerdotibus datam, prorſus irritam declaravit in Epiſt. 70. ad Hincmarum, unde & Bulgaros ab iis Confirmatos denuo confirmari voluit: quam Nicolai praxim ſcriptis ſuis tuiti ſunt Hincmarus Remenſis, Æneas Pariſienſis, Odo Bellovacenſis, & Ratramnus Corbejenſis Cœnobita.

2. ex Innocentio III. qui in Epiſt. ad Lucium, Vicarium ſuum apud CP. & refertur cap. 4. *De Conſuet.* hæc habet: *Pervenit ad audientiam noſtram, quod quidam ſimplices Sacerdotes apud Conſtantinopolim ea Sacramenta præſumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apoſtolorum tempore fuerunt ſolis Pontificibus reſervata, ut eſt Sacramentum Confirmationis .... ad excuſandas excuſationes in peccatis ſolam conſuetudinem prætendentes .... Mandamus quatenus omnibus Presbyteris diſtricte prohibeas, ne talia de cetero ſua temeritate præſumant; quæ licet non ſint a fidelibus contemnenda, tutius tamen eſt ea ſine periculo ex neceſſitate, quæ legem non habet, omittere, quam ut ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate quæ lege damnatur, non ſine gravi periculo, inaniter conferantur: cum umbra quædam oſtendatur in opere, veritas autem non ſubeat in effectu.* Hic irritam declarat Innocentius Confirmationem a Presbyteris in ipſo etiam, qui maxime favorabilis eſt, neceſſitatis caſu adminiſtratam: atqui Confirmatio hæc ex natura rei, non ex delegationis defectu irrita erat. Si enim, ut docuimus tom. III. ubi de Legibus, conſuetudo vim legis habet, habet a fortiori vim taciti conſenſus & diſpenſationis Apoſtolicæ: porro Sacerdotes prædicti tuebantur ſe conſuetudine; idque perperam & inique, ut docet Innocentius ibid.

3. ex Innocentio IV. qui in Epiſt. ad Epiſcopum Tuſculanum ſanxit ut in Cypro Inſula *Epiſcopi ſoli conſignent Chriſmate in frontibus baptizatos; quoniam ſoli Apoſtoli, quorum vices gerunt Epiſcopi ...... Spiritum S. tribuiſſe leguntur.*

4. ex Clemente VIII. qui in conſtitutione in Græcorum inſtructionem edita, præcipit ut ſub conditione iteretur Sacramentum Confirmationis, quando dubitari probabiliter poteſt, an fuerit ab Epiſcopo datum.

Quod ad Patres attinet, ſufficit vel levi oculo inſpici textus eorum, quos in ſuperiori Concluſione adduximus.

R. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. diſt. Concilia & Patres declarant, Confirmationem reſervari Epiſcopis, ut Miniſtris ordinariis, & jure proprio agentibus, C. reſervari Epiſcopis, itaut ejuſdem adminiſtrandæ facultas, non poſſit ab iiſdem delegari Presbyteris, N. qui enim facultatem hanc quandoque Presbyteris impertiere, haud crediderunt eam ſibi incommutabiliter eſſe propriam; ſed ea lege ſibi conceſſam a Chriſto, ut hanc aliquando partiri poſſent cum Presbyteris: atqui ex probatis &c.

Nec obſunt quæ in contrarium urgentur Nicolai I. Innocentii III. & aliorum Decreta.

Non I. eo enim ipſo quod delegari ab Epiſcopo debet ſimplex Sacerdos ut valide confirmet, neceſſum eſt ut Confirmationes citra legitimam delegationem datæ ſe ipſis corruant: atqui Photiani-Presbyteri de quibus conqueritur Nicolaus I. Bulgaros confirmaverant citra legitimam delegationem; cum & nullum in Bulgaria jus haberet Photius, nec ibi proin quempiam delegare poſſet; & idem Photius, utpote jam depoſitus, nullam etiam in Conſtantinopolitana Diœceſi Juriſdictionem ſerva-

ſervaret, nec ex conſequenti ullam Presbyteris, & multominus Presbyteris, qui ſecum excommunicati erant, ubivis largiri valeret; ergo non minus irrita fuit Confirmatio data Bulgaris, quam quæ iis data fuiſſet abſolutio in tribunali Pœnitentiæ.

Non 2. vel enim Decretum Innocentii III. ſpectat ſolum Presbyteros Latinos, ut expreſſe habent hodiernæ quæcumque editiones, ad melioris fidei codices adornatæ, imo & vetuſtior decretalium collectio apud Antonium Auguſtinum; & hinc probabiliſſimum efficitur, quod Latini ea ætate plures Conſtantinopoli regerent Eccleſias; tuncque Decretum nobis in probationem vergit, quia tacite approbat in Græcis, quod ſolum a Latinis contra Eccleſiæ ſuæ morem fieri prohibet: vel, quod gratis dicetur, Græcos perinde ac Latinos reſpicit; tuncque ex eo ſolum ſequitur, conſuetudinem *quam ſolam* prætendebunt iidem Presbyteri non ſufficere ut quis confirmandi jus ſibi arroget: quod mirum non eſt, cum conſuetudo, ſicut & præſcriptio, tametſi multa poteſt, non omnia tamen. Et vero ſi, quando ſolum agitur de præſcriptione adverſus Canonicas Leges, requiritur *ſcientia & patientia Papæ*, ut diximus tom. I. quanto plus vel Papæ, vel numeroſæ ſaltem Eccleſiæ requiretur conſenſus, cum agitur de re divinæ inſtitutioni contraria: porro cum Presbyteri Conſtantinopolitani ſola ſe conſuetudine tuerentur, haud immerito judicabat Pontifex iis deeſſe approbationem, quæ in rebus tanti momenti non tacita tantum, ſed & formalis eſſe debere judicatur a pluribus.

Confirm. Reprobat Innocentius prædictas Confirmationes, quia earum Miniſtri in *ſola* nitebantur *conſuetudine;* ergo non reprobaſſet, ſi majori quopiam præſidio, legitima videlicet diſpenſatione, innixi fuiſſent, aut innixos crediſiſſet Innocentius. Certe ut ſapienter obſervatum eſt ab Arcudio, non alia de cauſa Romani Pontifices hanc Græcorum conſuetudinem tam graviter improbarunt, quam quia *exiſtimarent Presbyteros auctoritate propria illud munus uſurpaſſe* (& inter confirmandum uti Chriſmate non ab Epiſcopis benedicto) ut hinc liquet quod *in hujuſmodi Decretis ſæpe invenitur hoc verbum*, Ne præſumant, *præſumptio autem nullam facultatem conceſſam ſupponit, quam tamen illi obtinuerant, & longiſſimo uſu ſtabilierant*.

Non 3. licet enim, ut æquum eſt, præcipiat Innocentius IV. Confirmationem a ſolis Epiſcopis miniſtrari, eam tamen quæ hactenus a Presbyteris data erat, non declarat irritam. An autem Decretum ejus apud Cyprios promulgatum fuerit incertum eſt; probabile quod non, ob ſummam difficultatem, qua olim intellecta Gregorius Magnus parem, quam pro Sardis tulerat legem revocavit: Ita fere Arcudius.

Ad 4. jam pridem reſpondit Arcudius inſtructionem Clementis VIII. dirigi *ad Latinos Epiſcopos, quorum in Diœceſibus Græci, vel Albanenſes Græco ritu viventes degunt;* non ad alios, *quod Pontifex optime ſciret in Græcia valde difficile fore ut hæc Conſtitutio acceptaretur*. Voluit ergo, tantumque voluit Pontifex, ut denuo, non ſimpliciter, ſed ſub conditione confirmarentur Latini, qui forte a Græcis Presbyteris aut dubiam aut nullam in eos Juriſdictionem habentibus confirmati eſſent.

Objectionem e Patribus petitam eadem dilues ſolutione, qua petitam e Conciliis.

Inſt.

Inſt. Presbyteri quorum Confirmationem irritam declaravit Nicolaus I. ejuſdem erant cum ipſo Photio conditionis: atqui ſi Photius ipſe, tametſi depoſitus, in Bulgaria quantumvis ſibi minime ſubjecta confirmaſſet, dubio procul valuiſſent Confirmationes ab eo datæ; ergo & valere debuiſſent quæ datæ erant a Photianis Presbyteris, ſi Presbyteri ad id delegari potuiſſent; ergo iterum quod non valuerint, inde repetendum quod Presbyter hujuſce delegationis incapax ſit.

R. 1. non deeſſe quibus dubia videatur Confirmatio ab iis data qui nullam in recipientes juriſdictionem habent; quia, inquiunt, ad hujus Sacramenti valorem non ſufficit Ordo ſolus, ſed & requiritur juriſdictio. Sed quia hæc iſta opinio procul rejici ſolet a Theologis, qui de Confirmatione, ut de Ordinatione, ſeu ab extraneis, ſeu ab Epiſcopo depoſito præſtita currunt.

R. 2. neg. maj. diſparitas eſt quod Epiſcopus ex divina inſtitutione completam habet ut ordinandi ſic & confirmandi poteſtatem, quæ ab omni prorſus juriſdictione independens eſt; contra vero Sacerdos incompletam tantum confirmandi poteſtatem, quam Canonica delegatione perfici neceſſe eſt: atqui delegatio hæc nec ab Epiſcopo depoſito, nec a non depoſito in aliena Diœceſi committi poteſt; ergo ſtat valere id quod fit ab Epiſcopo, etſi non valeat quod in pari caſu fit a ſimplici Presbytero.

In Epiſcopo igitur nec ſufficit juriſdictio ſine Ordine, unde Epiſcopus necdum conſecratus, tametſi juriſdictionem habet, confirmare non poteſt; nec requiritur juriſdictio cum Ordine; unde cenſura denunciata percuſſus, ſacrilege quidem ſed valide confirmat. At in Presbytero requiritur & Ordo, unde Diaconus deputari non poteſt, & ſimul juriſdictio, quæ non magis a depoſito, aut in aliena Diœceſi committi poteſt quoad Confirmationem, quam quoad Pœnitentiæ adminiſtrationem. Cur autem res ita ſit, occurrit non ratio, ſed auctoritas, quæ in rebus a ſola Dei voluntate ſuſpenſis nec a pari, nec a fortiori diſcurrere permittit.

Obj. 2. ſeu inſtabis probando ſecundam primæ minoris partem. Præcipua opinionis noſtræ argumenta deſumuntur ex facto Gregorii Magni in cauſa Sardorum, ex Eugenii IV. Decreto, ac demum ex Græcorum praxi: atqui ex his nullum eſt alicujus roboris momentum.

Non 1. factum Gregorii: ut enim quidpiam inde colligi poſſit, tria forent neceſſaria, nempe 1. ut certum eſſet S. Gregorium reipſa Sardis confirmandi licentiam conceſſiſſe; 2. id eum feciſſe non ſolum tolerando, ut olim indulſit Moyſes libellum repudii ad duritiam cordis, ſed approbando; 3. & illum in ſua hac approbatione nihil deliquiſſe: atqui nullum ex his conſtat. Quin econtra certum videtur in eo Gregorii loco non agi de ipſa Confirmatione, tum quia ſi hujus conferendæ licentiam Galaritanis largiri cœpiſſet, Confirmationes ab iis hactenus datas habuiſſet pro irritis, & irritas declaraſſet, ne tanto Sacramento privarentur qui ipſum invalide receperant; quod ne inſinuavit quidem; tum quia licentia confirmandi, ſi dari poſſet Presbyteris, non poſſet niſi gravibus de cauſis: nullas porro tales habebat Gregorius. An enim tumultuoſi Sardorum clamores, & quod paſſi erant ſcandalum, acceptum utique, non datum, ſufficiens erat cedendi ratio? imo fuiſſet obnitendi; ergo conſtat 1. Gregorium non loqui de Confirmatione; ſed de ritu quodam

pure

pure cæremoniali, quem, cum ante fieret in pectore, permittit Gregorius fieri in fronte; & ita ſentit eruditiſſimus P. de Marca in not. ad Canonem 28. Concilii Claromontani, licet aliunde Confirmationem Presbyteris committi poſſe exiſtimet.

2. Dato quod Gregorius de ipſa Confirmatione loquatur, quidni dicam loqui eum tolerando, non approbando, ſecundum id ejuſdem Gregorii apud Bedam lib. I. Hiſtoriæ Anglicanæ, cap. 27. *In hoc tempore ſancta Eccleſia quædam per fervorem corrigit, quædam per manſuetudinem tolerat, quædam per conſiderationem diſſimulat, & ſæpe .... diſſimulando compeſcit.*

3. demum nihil vetat quin Gregorium hoc in puncto deliquiſſe opinemur. *Si ſolus Epiſcopus eſt Confirmationis Miniſter, neſcio*, ait Durandus in 4. diſt. 7. qu. 4. num. 20. *cur non poſſit dici, quod Gregorius, cum fuerit homo & non Deus, potuerit errare*. Idem ait Major in 4. ead. diſt. ubi Gregorium Petro quem reprehendit Paulus, comparat: utrique concinit Adrianus VI. in idem Sentent. art. 3. Ceteras primæ minoris partes probabimus in decurſu.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. antec. ad 3. neg. min. pro triplici ipſius parte: & quidem 1. loqui Gregorium de Confirmatione evincit Epiſtolæ textus, in quo agitur de frontis conſignatione, eaque Epiſcopis reſervata. Ii enim ſunt characteres Confirmationis; nec ullibi reperire eſt conſignationem hujuſmodi, quæ ſecundum conſtantem Eccleſiæ Romanæ uſum a ſolo Epiſcopo in fronte recens baptizati fieret, & non eſſet Confirmatio: Quod enim ait Aurelius, energumenos aliquando Chriſmate unctos fuiſſe in fronte, nihil ad rem facit; quandoquidem unctio hæc & rara erat, & non fiebat niſi ſuper energumenos; & non ab Epiſcopo tantum, ſed & *a Presbytero, vel* etiam *a ceteris Clericis*, de auctoritate tamen Epiſcopi, fieri poterat, ut docet Innocentius I. in Epiſt. ad Decentium. Et vero is adeo eſt ſenſus Gregorii, ut e ducentis, qui Epiſtolam ejus legerunt, vix octo aut decem ſint, qui eum aliter intellexerint, etſi plures aliter intelligere maluiſſent. Sane eum de unctione Confirmatoria interpretati ſunt Alenſis, Sancti Thomas & Bonaventura, Durandus, Adrianus, Aureolus, Scotus, Gabriel, Major, Soto, Bellarminus &c.

Nec nocet quod Gregorius Confirmationes hactenus datas a Sardis non declaraverit irritas; tum quia ediſcere potuit conſuetudinem Sardorum ab auctoritate probabili incepiſſe; tum quia credere potuit ſatius eſſe haud turbari multitudinem pro Sacramento, quod abſolute neceſſarium non eſt ad ſalutem, quam vel populos, qui ſibi in re gravi illuſum judicaſſent, armare contra Sacerdotes, vel Sacerdotibus moroſi ingenii anſam fremitus, forteque & defectionis præbere. Et vero longe major eſt Baptiſmi neceſſitas quam Confirmationis: atqui tamen anceps aliquando fuit S. Dionyſius Alexandrinus, vir profundæ eruditionis, an denuo baptizari oporteret ſenem quemdam, qui plenum blaſphemiæ Baptiſmum extra Eccleſiam receperat, uti diximus tomo 4. pag. 49. ergo & in præſenti negotio hærere potuit S. Gregorius.

Ex modo dictis colligere eſt non defuiſse Gregorio graviſſimas cauſas id permittendi Sardis Presbyteris, quod ſi tuliſset temporum & ingeniorum ratio, prohibere voluiſset.

2. Non

2. Non nego Gregorium id quod conceſſit Sardis Presbyteris, quaſi invitum & ad duritiam cordis conceſſiſſe; ſed tandem conceſſit, ut Moyſes repudii libellum, quem in foro etiam conſcientiæ valuiſſe ſuo loco probabimus. Ceterum ſicut non effeciſſet ſummæ S. Gregorii manſuetudo, ut Diaconis permitteret Euchariſtiæ conſecrationem, ſic nec effeciſſet ut Presbyteris Confirmationem permitteret, ſi non magis hujus conficiendæ capaces fuiſſent, quam Euchariſtiæ conficiendæ Diaconi.

3. peccati, quod indubie graviſſimum fuiſſet, & quod nuſquam reparatum fuiſſe legitur, Pontificem ſanctiſſimum inſimulare, animi eſt ad extrema redacti. Hujus certe delicti labem incurrerunt non modo tot pietate & ſcientia conſpicui Pontifices, qui in pari caſu diſpenſavere, ſed & Patres omnes Florentini, qui cum Græcis ejuſdem culpæ conſciis pacem inierunt. Quid tum vero? niſi id Apoſtoli: *Digni ſunt morte non ſolum qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus:* porro, ait appoſite Theologus Pariſienſis, nunquam eo adducar ut Concilia œcumenica, & altæ pietatis Pontifices errori manifeſto, divinæque contrario inſtitutioni faviſſe, & favendo graviter deliquiſſe credam. Certe qui Durandi opinioni ſubſcripſerat Adrianus, adepto ſummo Pontificatu ſententiam mutaſſe, & ſimplicibus Presbyteris confirmandi facultatem tradidiſſe legitur. Atque etiamſi id non feciſſet, quod credunt aliqui (quia diplomatis ejuſdem exemplar quod Hiſpali aſſervatur, vitioſum eſt in data, & ab aliis tribuitur Leoni X.) id tamen fecerunt alii ejuſdem cum ipſo meriti & dignitatis.

Habert.

Witaſ. t. 2 p. 156.

Inſt. Florentinum Decretum cui ſummopere innitimur, manifeſtam involvit contradictionem; ergo nihil ex eo poteſt inferri.

Prob. ant. Decretum illud duo docet, & unum facit. Docet enim 1. Presbyterum non eſſe niſi Miniſtrum extraordinarium Confirmationis; 2. eumdem nonniſi *ex urgente admodum cauſa* ad id poſſe deputari; & tamen juxta nos, Confirmationem a Græcis Presbyteris datam approbat: atqui in his obvia eſt & evidens contradictio. Si quidem Presbyteri, non ut extraordinarii Miniſtri, ſed ut ordinarii confirmant; cum ordinario, imo quotidie confirment, rariſſime Epiſcopi: deinde iidem Presbyteri non majorem habent confirmandi cauſam, quam haberent Presbyteri Latini; cum ut in Occidente, ſic & in Oriente non deſint Epiſcopi; ergo Concilium, ſi hujuſmodi Confirmationes ratas habet, ut volumus, ſibi aperte contradicit.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. data, non autem conceſſa majore, quia, ut ſtatim videbimus, Decretum Eugenii, nec quidquam definit circa Miniſtrum Confirmationis, nec docet urgentem admodum cauſam requiri, ut miniſterium illud ſimplici Presbytero committi poſſit, ſed ſolum declarat illud ex rationabili & urgente admodum cauſa commiſſum fuiſſe ſimplici Presbytero; quæ duo longe diverſa ſunt: R. neg. min. ad 3. neg. maj. pro prima parte. Neque enim dicitur quis ordinarius aut extraordinarius Sacramenti Miniſter, quia Sacramentum hoc ordinarie vel raro adminiſtrat; ſed quia ex inſtitutione divina habet, vel non habet completam & independentem ejus conferendi potentiam. Sic Epiſcopus, etſi raro hodie baptizat, vel confeſſiones excipit, ordinarius eſt utriuſque Sacramenti Miniſter, non autem Diaconus, vel Sacerdos, etſi prior

frequens baptizaret, poſterior vero Confeſſiones quotidie excipiat. Quod additur, Græcos Sacerdotes nullam habere Confirmandi cauſam, quæ vere urgens ſit, eſt extra rem. Si enim ipſi non habent, at graviſſimas habuit Synodus Florentina permittendi ut antiquum gentis ſuæ morem ſequerentur. Quæ enim gravior cauſa, quam gentem totam revocandi ad unitatem, & ſchiſmatis occaſionem præcidendi malevolis. Utique non raro licita eſt diſpenſatio, etſi iis quibus conceditur, eadem uti illicitum ſit. Haud tamen peccati incuſare velim Presbyteros Græcos, quia confirment; tum propter bonam fidem longa ſuffultam conſuetudine; tum quia probabile eſt Epiſcopos Græcos, bonorum inopes, Mahumetanæ ſervituti devinctos, oppreſſos jejuniis, quæ crebra ſervant & aſpera, itaut ne ovo quidem vitam moribundi redimere velint, raro * peragrare Diœceſim ſuam; unde plures Sacramento deſtitutos mori contingeret.

Quæres 1. quis Presbytero confirmandi licentiam impertire poſſit.

R. id poſſe non modo Papam pro Eccleſia, ſi id exigeret ejuſdem Eccleſiæ bonum, ſed & Synodum Provincialem pro territorio Provinciæ, & Epiſcopum pro Diœceſi, niſi conceſſio hæc Rom. Pontifici conſuetudine reſervata eſſet. Ita Theologi & Canoniſtæ plures apud Arcudium Lib. 2. cap. 25. Ratio eſt quia quidquid poteſt Papa in orbe univerſo, demptis iis quæ ad univerſæ Eccleſiæ ſtatum pertinent, id poteſt in Diœceſi ſua Epiſcopus, niſi ſibi id a lege vel a conſuetudine interdictum ſit. Quod ſi Epiſcopus pro Diœceſi Confirmandi munus dare potuit, potuit id Orientalis Eccleſia pro toto Oriente. Hanc equidem conceſſionem revocare potuerunt, & etiamnum poſſent Pontifices Romani, forte & aliquando revocarunt: Verum hanc denuo conceſſerunt Florentini Patres præſide Eugenio; eamque non expediret revocari: fieret id ſiquidem & inutiliter & periculoſe.

Quæres 2. an de fide ſit Sacerdotem eſſe extraordinarium Confirmationis Miniſtrum.

Affirmant Domin. Soto, Baronius, Valentia & alii quidam, tum propter citatum Florentini Concilii Decretum, ubi ſic: *Confirmationis ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus*; & paulo infra: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ...., ſimplicem Sacerdotem ..... hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*; tum propter Tridentinum ſeſſ. 7. can. 3. de Confirm. ubi hæc: *Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum, non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit*: porro ſi de fide ſit ordinarium Confirmationis Miniſtrum eſſe Epiſcopum, pari jure de fide eſt Sacerdotem ejuſdem extraordinarium eſſe Miniſtrum, ſunt enim duo hæc correlata; quorum poſito uno aliud poni neceſſe eſt.

Negant alii longe plures, & opinionem hanc in earum ordine cenſeri volunt, quæ fide ſalva utrinque diſputantur. Quin & non pauci, nec ignobiles, negativam tenent ut veriorem, ita poſt Florentinam ſed ante Tridentinam Synodum Biel, Major, Adrianus VI. necdum Pontifex, Alphonſus a Caſtro &c. & poſt ſeſſionem 7. Tridentinam Ma-

* *Vide Librum cui titulus*: Hiſtoire de l'Egliſe Grecque, & de l'Egliſe Armenienne, par M. le Chevalier Ricaut, chap. 5. *pag. mihi* 174.

Marianus Victor, & Petrus Soto, uterque ejuſdem Concilii Theologus, & iſte quidem Pontificiorum primus, Guil. Eſtius, & Petrus Aurelius. Ratio eſt quoad Eugenii Decretum, tum quod in eo traduntur multa, quæ ad fidem non pertinent, ut jam pluries obſervavimus; tum quod ibidem decernatur Epiſcopum eſſe ordinarium Miniſtrum Conſecrationis qua Presbyteri & Diaconi ordinantur; nec tamen inde quis merito deducat ſimplicem Sacerdotem ejuſdem Conſecrationis Miniſtrum extraordinarium eſſe. Quod ad Tridentinum Concilium attinet, conſtat non eam fuiſſe mentem ipſius, ut quæſtiones inter Scholaſticos libere agitatas dirimeret. Unde dixit quidem, Epiſcopum Sacramenti hujus ordinarium eſſe Miniſtrum, ſed de extraordinario, quem una vocula deſignare poterat, altum ſiluit; ergo nihil eſt in præſenti controverſia, quod vere ſit fidei. Ita, qui in his nemini ſuſpectus erit, doctiſs. Tournely: mihi tamen adeo gravia videntur partis affirmantis momenta, illud potiſſimum, quod ex inita Florentiæ Latinos inter & Græcos concordia deſumitur, ut qui ſecus ſenſerit, vix a temeritatis labe excuſari poſſe videatur.

Quæres 3. quæ presbyteralis Confirmationis initia fuerint, qui progreſſus, an & quis finis.

Reſpondent 1. Confirmationem nec in Græcia ante tempus Chryſoſtomi, nec in Occidente diu ante æram Gregorii Magni commiſſam fuiſſe Presbyteris. De Græcia probant ex Chryſoſtomo, qui hom. 18. in Acta Apoſt. poſtquam dixit, hoc *in Apoſtolis ſingulare* fuiſſe ut darent Spiritum ſanctum, ſic concludit: *Unde & Præcipuos*, ſeu *Coriphæos*, ut ferunt aliæ verſiones, *& non alios videmus hoc facere:* ubi Choriphæorum nomine ii intelliguntur, qui ſucceſſerunt Apoſtolis, ac proinde Epiſcopi, non autem, ut quibuſdam placet, Archidiaconi, qui aliunde nullibi unquam Coriphæorum nomine deſignati ſunt. De Occidente probant eo quod Sardi Presbyteri, omnium primi confirmandi munus arripuiſſe videantur; quod ſi multo ante Gregorium Magnum tempore contigiſſet, nec ignoraſſet, nec diſſimulaſſet Apoſtolica ſedes, ſicut nec diſſimulavit Gregorius Magnus, qui tamen cum irrito conatu obſtiterit conſuetudini, jam eam uſu ſat longo firmatam eſſe oportuit.

Reſpondent 2. uſum hunc viguiſſe primum in Ægypto, iſtinc ſenſim pervaſiſſe Orientem, in quo jam Photii tempore frequens eſſet, inde & diu ante Photium, infeciſſe Gallias, Sardiniam & Hiſpanias. De Ægypto ſuadent ex Ambroſiaſtro, cujus tamen haud magna eſt auctoritas, ſed ubi de facto agitur, eſſe poteſt aliquantula. De Oriente probant ex conviciis & clamoribus Photii, habilis quidem mendacio viri, ſed quem in re ſenſibus obvia, fictionis omnimodæ inſimulare durum eſt. De Galliis patet ex Concilio Arauſicano I. an. 441. De Hiſpaniis, ex Concilio Barcinonenſi II. an. 599. forte & ex Toletano I. an. 400. Can. 20. De Sardinia ex Sardorum querelis adverſus S. Gregorium:

Reſpondent 3. Confirmandi morem hodiedum vigere apud Græcos, quod certum eſt; eumdem vero in Occidente deſiiſſe ſæculo IX. tum quia eo ſæculo conqueſtus eſt Nicolaus I. de Græcis, qui redarguebant *Sanctam Romanam Eccleſiam, imo omnem Eccleſiam, quæ Latina utitur lingua, quoniam Presbyteros Chriſmate linire baptizatorum frontes inhiberet;* quæ

ſunt

ſunt ejuſdem Nicolai verba in Epiſt. ad Hincmarum, & Epiſcopos in regno Caroli Calvi conſtitutos; tum quia eodem ſæculo Græcos ipſos ea de re impetiit Ratramnus Corbejenſis Monachus.

APPENDIX

De Confirmatione ab Hæreticis data.

NEMINI dubium eſt quin Confirmatio valide data imprimat characterem, vi cujus eadem iterari non poſſit: verum an valide detur, quæ ab hæreticis datur Confirmatio, quæſtio eſt graviter controverſa. Dubitandi ratio, hinc quidem, quod ut valet Baptiſma in hæreſi ſuſceptum, ſic & valere debeat Confirmatio recepta in hæreſi; inde autem, quod hæretici foris confirmati reciperentur olim per manus impoſitionem cum Chriſmate, quæ ipſiſſima Confirmatio eſſe videretur. Conſultus olim ea de re Gregorius XIII. a Patribus Rothomagenſis Concilii an.1581. quæſtionem hanc, forte ut nunc parum utilem, intactam prætermiſit. Unde hodiedum duplex eſt opinio circa præſens caput.

Prima negat valere Confirmationem datam & ſuſceptam in hæreſi. Ita ſentiunt apud VVitaſſium Antonius Auguſtinus, Archiepiſcopus Tarraconenſis in Epitome juris Pontificii lib. 23. tit. 8. Joan. Maldonatus tom. 1. de Sacramentis q. 1. & 2. de Confirm. *Si tamen*, ait Simmonnet hic pag. 505. *verus Maldonatus eſt, & non ſuppoſititius*. Sirmondus in Antirrhetico 1. & 2. aliique eruditi viri, quos inter Joannes Morinus lib. 9. de Pœnit. Cap. 11. 12. & 13. qui tamen ab ea opinione deflexit. His impenſe favet VVitaſſius, vel potius VVitaſſii Continuator, licet utramque opinionem ſua ſe probabilitate tueri dicat. En præcipua partis hujus momenta.

Primum deſumitur ex variis Cypriani, ejuſque aſſeclarum textibus in celebri diſſidio de validitate Baptiſmi extra Eccleſiam collati. Sic S.Martyr Epiſt. 74. ad Pompejum: *Si* Stephanus, & qui cum eo ſentiunt Antiſtites, *effectum Baptiſmi majeſtati nominis tribuunt, ut qui in nomine J. C. ubicumque & quomodocumque baptizantur, innovati & ſanctificati judicentur; cur non in ejuſdem Chriſti nomine illic & manus baptizato imponitur*, valide ſcilicet, *ad accipiendum Spiritum ſanctum? Cur eadem ejuſdem majeſtas nominis non prævalet in manus impoſitione, quam valuiſſe contendunt in Baptiſmi ſanctificatione*. Et Epiſt. 73. *Quod autem dicunt quidam* ex adverſariis noſtris, *de eis qui in Samaria baptizati fuerant advenientibus Apoſtolis Petro & Joanne, tantum ſuper eos manum impoſitam eſſe, ut acciperent Spiritum ſanctum, rebaptizatos tamen non eſſe; locum illum, Frater chariſſime, ad præſentem cauſam videmus omnino non pertinere. Illi enim, qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant, & intus in Eccleſia, quæ una eſt .... baptizati erant.* Ex his quid inferebat Cyprianus? id ſemper quod ad Stephanum ſcripſerat Epiſt. 72. nimirum *Hæreticos & Schiſmaticos profanæ Aquæ labe maculatos, quando ad Eccleſiam venerint baptizari oportere: eo quod parum ſit eis manum imponere ad recipiendum Spiritum S. niſi & recipiant Baptiſmum. Tunc*

enim,

enim, inquit, *plane ſanctificari, & filii Dei eſſe poſſunt, ſi Sacramento utroque naſcantur*.

Cypriano concinit Firmilianus, Epiſt. inter Cyprianicas 75. ubi ſic: *Hæretici, ſi ſe ab Eccleſia Dei ſciderint, nihil habere poteſtatis aut gratiæ poſſunt: quando omnis poteſtas & gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi præſident Majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem .... Et quoniam Stephanus, & qui illi conſentiunt, contendunt dimiſſionem peccatorum ..... in hæreticorum Baptiſma poſſe procedere, apud quos etiam ipſi confitentur Spiritum ſanctum non eſſe, conſiderent & intelligant ſpiritalem nativitatem ſine ſpiritu eſſe non poſſe: ſecundum quod B. Paulus Apoſtolus, eos qui ab Joanne baptizati fuerant, priuſquam miſſus eſſet a Domino Spiritus S. baptizavit denuo ſpiritali Baptiſmo, & ſic eis manum impoſuit ut acciperent Spiritum ſanctum ..... niſi his Epiſcopis*, Stephano nempe & ejuſdem ſequacibus, *minor fuit Paulus: ut hi quidem poſſint per ſolam manus impoſitionem venientibus hæreticis dare Spiritum ſanctum, Paulus autem idoneus non fuerit, qui ab Joanne baptizatis Spiritum S. per manus impoſitionem daret, niſi eos prius etiam Eccleſiæ Baptiſmo baptizaſſet*.

Ex iis ſic: Ut Confirmatio ab hæreticis data, prorſus irrita judicetur, duo ſufficiunt, 1. ut impoſitio manuum de qua ſermo eſt in prædictis textibus, ſit ipſum Confirmationis Sacramentum; 2. ut tam apud Cypriani adverſarios, quam apud Cyprianum conſtaret, impoſitionem hanc faciendam eſſe ſuper hæreticos omnes, qui ad Eccleſiam redirent, ac proinde tam ſuper eos qui jam confirmati eſſent, ut eſſe omnes, demptis Novatianis, ſolebant, quam ſuper eos qui forte confirmati non eſſent: atqui utrumque patet ad oculum. Et quidem 1. Cyprianum ejuſque aſſeclas loqui de impoſitione manuum Confirmatoria, res eſt quæ in dubium vocari non poſſit. Enim vero de ea loquuntur impoſitione, quæ eſt *ad accipiendum Spiritum S.* quæ cum Baptiſmo *utrumque eſt Sacramentum*, quo *naſcuntur* homines & *plane ſanctificantur;* quæ non ſit niſi a *Majoribus natu;* quæ illa ipſa eſt quam exercuit B. Paulus erga eos, quibus *denuo* baptizatis *manum impoſuit ut acciperent Spiritum ſanctum:* atqui ii ſunt certi impoſitionis Confirmatoriæ Characteres; ergo.

2. Nec minus evidens eſt, impoſitionem hanc, ex utriuſque partis conſenſu factam fuiſſe ſuper hæreticos omnes qui ad Eccleſiam redirent, ac proinde ſuper eos, qui pro temporis illius more, una cum Baptiſmo Confirmationem receperant. Qui enim manus eodem modo imponebant ac Cyprianus ipſe & Firmilianus; qui ex hujus impoſitionis iteratione concludi nolebant iterandum eſſe Baptiſma; qui ut quocumque tandem modo paritatem ex utroque Sacramento petitam declinarent, recurrebant ad exemplum Petri & Joannis, qui Samaritanis impoſuerant manum, nec tamen eos rebaptizaverant, illi dubio procul hæreticis manum imponebant ſicut & Cyprianus ipſe cum ſuis: atqui Stephanus, aliique ejuſdem partis Epiſcopi hæc præſtabant ex citatis textibus; ergo.

Secundum deſumitur ex Auctore anonymo qui adverſus Cyprianum ſcripſit, quemque & Epiſcopum, & ejuſdem circiter cum Cypriano ævi fuiſſe prudens eſt eruditorum conjectura. Sic ille: *Utriuſque hujus generis homines*, ideſt Judæi & Gentiles, *plene ut oportet credentes, pari modo baptizantur*, nempe Baptiſmo aquæ, & Baptiſmo Spiritus: *Hæretici vero*

jam

jam baptizati aqua in nomine Jeſu Chriſti, tantum in Spiritu ſancto baptizandi ſunt: atqui Baptiſmus in Spiritu ſancto, juxta perpetuam ejuſdem Auctoris phraſim, eſt ipſamet Confirmatio. Minor, quæ vel ex allato textu conſtat; quandoquidem certum ſit Gentiles & Judæos, *plene, ut oportet credentes*, non Baptiſmi tantum ſed & Confirmationis ope admiſſos fuiſſe in Eccleſiam: Minor, inquam, ex gemino ejuſdem Scriptoris textu evinci poteſt. Prior ſic habet: *Non ſolum Petrus .... verum univerſi quoque diſcipuli, poſt* receptum a ſe baptiſma & *reſurrectionem Domini, in Spiritu ſancto ſunt baptizati: ut non immerito hodie quoque credamus homines hæreticos correctos a priſtino errore in Spiritu ſancto poſſe baptizari, qui jam cum aqua* baptizati ſunt *in nomine Domini*. Poſterior ſic eſt: *Cum ſalus noſtra in Baptiſmate Spiritus, quod plerumque cum Baptiſmate aquæ conjunctum eſt, ſit conſtituta*, hæreticis *Pœnitentiam agentibus .... tantummodo Baptiſmate ſpiritali, ideſt manus impoſitione Epiſcopi, & Spiritus ſancti ſubminiſtratione ſubveniri debet*. Hic habes Spiritus Baptiſmum, eum eſſe qui traditur per impoſitionem manus Epiſcopi, cum quo ſubminiſtratur Spiritus ſanctus, cum quo univerſi diſcipuli poſt Domini reſurrectionem baptizati ſunt: atqui Baptiſmus ille non poteſt eſſe aliud a Confirmatione, ergo, ex Anonymo, Confirmatio hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus conferebatur, etſi antea jam confirmati eſſent. Non video, ait laudatus toties VVitaſſii continuator, quid illis duobus argumentis reſponderi poſſit. *VVitaſſii tom. 2. p. 334.*

Tertium deſumitur e Conciliis. Arelatenſe I. ſtatuit Can. 8. ut *ſi ad Eccleſiam aliquis de Afrorum, ſeu Donatiſtarum hæreſi venerit, & in Patre & Filio* &c. *baptizatus eſt, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum ſanctum;* quæ verba de Confirmatione intelligunt Bellarminus & Arcudius. Conſtantinopolitanum I. Can. 7. *Eos qui rectæ fidei adjiciuntur ...... recipimus ſecundum ſubjectam hic conſequentiam & conſuetudinem. Arianos quidem & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos ...... & Apollinariſtas recipimus .... ſignatos ſive unctos primum ſancto Chriſmate & frontem & oculos &c. & eos ſignantes dicimus, ſignaculum doni Spiritus ſancti*. Negat quidem Doctiſs. Tournelyus eo loci ſermonem haberi de Confirmatione: ſed contrarium textus ipſe clamare videtur, ut agnoſcunt Arcudius, P. de Marca & alii. Et quibus veterum teſtimoniis aſtruetur Sacramenti noſtri exiſtentia, ſi hujuſmodi textus ad puram cæremoniam detorqueantur? Idem aſtruunt tum Concilia Arauſicanum I. Can. 1. & Arelatenſe II. Can. 17. quorum in priore *hæretici* omnes, in poſteriori vero Bonoſiaci *cum Chriſmate & manus impoſitione in Eccleſia recipi* jubentur; tum Siricius Epiſt. 4. & Innocentius I. Epiſt. 2. qui eamdem erga hæreticos omnes ad Eccleſiam redeuntes impoſitionem manuum obſervari volunt. Ex iis ſic: Novatiani qui Confirmationem, Magiſtri ſui exemplo, prætermittebant, in Eccleſia recipiebantur per manus impoſitionem Confirmatoriam: atqui alii omnes hæretici, ut Sabbatiani, Apollinariſtæ, Montenſes ſeu Donatiſtæ, de quibus Innocentius I. eodem modo recipiebantur ac Novatiani; etſi horum nulli, præter iſtos, erroris aut negligentiæ circa Confirmationem poſtulati unquam fuerint; ergo hæretici etiam confirmati per novam Confirmationem recipiebantur.

Quartum ſuppeditant S. Leo Epiſt.79. ad Nicetam cap.6. & 7. & Vigilius Epiſt. 2. ad Eutherium: uterque nimirum illud inter hæreticos, qui in Eccleſia, a qua defecerunt, vel extra Eccleſiam fuerunt baptizati, diſcrimen conſtituit, quod priores, cum hæreſim ejurant, per manus impoſitionem in Pœnitentiam, poſteriores vero per manuum impoſitionem in Spiritum ſanctum recipiendi ſint: atqui diſcriminis hujus ratio hæc una reddi poteſt, quod rata haberetur Confirmatio in Eccleſia data, irrita vere quæ a quibuſcumque hæreticis daretur; ergo.

Alios, qui ex Concilio II. Hiſpalenſi, ex Gennadio, ex S. Iſidoro, ex Euchologiis, Regio, Barberino, & Crypto Ferratenſi, congeri poſſent textus prudens omitto, quia omnium idem eſt ſenſus, & vis eadem.

Secunda opinio quæ longe communior eſt in Scholis, & cui adhærere ſolent Pariſienſes Magiſtri, quos e veſtigio ſequi conſuevimus,

Prob. 1. quia ex hæreticis alii baptizati fuerant in Eccleſia ante hæreſim; alii ab initio hæretici extra ipſam: atqui horum nulli denuo confirmabantur, cum redibant ad Eccleſiam. Non priores: ut fatentur univerſi, & luculente indicat id Cypriani Epiſt.72. ad Quintum, ubi hæc: *Nos quoque hodie obſervamus* cum Stephano, *ut quos conſtet hic baptizatos eſſe, & a nobis ad hæreticos tranſiiſſe, ſi poſtmodum .... ad veritatem & matricem redeant, ſatis ſit in pœnitentiam manum imponere*. Non poſteriores, de quibus lis tota. Ii enim, quicumque forent, per impoſitionem manus, non in Spiritum ſanctum, ſed in Pœnitentiam recipiebantur. Patet id de Romana Eccleſia ex celebri Decreto S. Stephani, ubi, *Si quis ergo*, inquit, *a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*. Hoc autem decretum Romani Pontifices amplexi ſunt, teſte Hieronymo in Dial. contra Lucifer. ubi S. Doctor manus in Spiritum ſanctum iis, etiam Arianis, imponendas negat quibus jam impoſitæ ſint. Dixerat Luciferianus: *Ego pœnitentem recipio per manus impoſitionem & invocationem Spiritus ſancti, ſciens ab hæreticis Spiritum ſanctum non poſſe conferri*. Ad hæc quid ſub Orthodoxi nomine Hieronymus? hæc pauca: *Si Arianus Spiritum ſanctum non poteſt dare, ne baptizare quidem poteſt .... aut* igitur *baptizare eum* denuo *debes .... aut ſi*, ut fateris, *eſt baptizatus in Spiritu, deſine ei invocare Spiritum, quem tunc cum baptizaretur, accepit*. Ubi Hieronymus haud magis iterari vult invocationem Spiritus cum impoſitione manus, quam ipſum Baptiſma; quia utique ſicut Ariani baptizando, dant Spiritum ſanctum, *cum Eccleſiæ Baptiſma ſine Spiritu ſancto* eſse non poſſit, quoad characterem ſcilicet; ita & eum pari modo dant, cum manus imponunt. Ibid. c.4. redarguit Luciferianum Hieronymus, quod *Eccleſiæ leges*, quibus ſtatuitur Neophytis in Eccleſia baptizatis ad invocationem ſancti Spiritus manum ab Epiſcopo imponendam eſse, *ad hæreſim transferat*, quaſi & ipſis Arianis ab hæreſi redeuntibus eadem manus imponi debeat; ergo cenſet non debere his manum imponi. Et cap. 8. *Numquid dixit* Angelus, *Rebaptizentur qui in Nicolaitarum fide baptizati ſunt, vel imponatur eis manus .... quin potius, Age, inquit, Pœnitentiam*. Denique cap. 9. agnoſcit cum adverſario ſuo, *a Julio, Malcho, Silveſtro, & ceteris veteribus Epiſcopis Urbis Romæ, ſimiliter in Pœnitentiam omnes hæreticos ſuſceptos*, juxta Stephani Decretum; ergo, quod grave & felix omen, jam conſtat in Eccleſia Romana hæreticos valide baptizatos, per eam duntaxat

xat manuum impoſitionem quæ ad Pœnitentiam foret, receptos fuiſſe: quod & confirmat Innocentius I. Epiſt. 18. ubi ait, *Arianos baptizatos in hæreſi ſuſcipi in Eccleſia per manus impoſitionem ſub imagine Pœnitentiæ*.

Idem de Africana Eccleſia certum eſt ex Auguſtino lib. 5. de Bapt. cap. 20. ubi rationes a Cypriano Epiſt. 70. pro Baptiſmi & Chriſmationis hæreticorum nullitate allegatas refellit. Donatiſtis igitur objicientibus: *Quomodo aquam mundat & ſanctificat* Miniſter *homicida*? *Quomodo benedicunt oleum tenebræ*, ideſt hæretici? Reſpondet S. Doctor. *Si Deus adeſt Sacramentis, & verbis ſuis, per qualeslibet adminiſtrentur, & Sacramenta Dei ubique recta ſunt*. & iterum: *Cur ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ poſſit Deus oleum ſanctificare, & in altari quod hæretici poſuerunt, non poſſit, neſcio*. Ubi valida habentur Sacramenta, ſeu Baptiſmi, ſeu olei, ideſt Confirmationis, quæ *per qualeslibet* etiam hæreticos conferuntur.

Idem tradit S. Doctor Homil. 266. alias 5. inter undecim e Bibliotheca Carthuſiæ majoris deſumptas: ubi Donatiſtam eo Pſalmi 140. verſu, *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*, abutentem ad hæreſim ſuam, ſic perſtringit: *Si tuum eſt* oleum Chriſmatis, *malum eſt*. *Si autem Dei eſt* .... *bonum eſt*. *Cœnum non inquinat ſolis radium, & tu inquinas Dei oleum*?

Præiverat circa an. 370. S. Optatus Millevitanus, vir magni nominis apud Auguſtinum * ſic ille porro lib. 7. exagitat Parmenianum Donatiſtam, eo quod Catholicos dixiſſet eſſe muſcas morituras, *quæ ſacrum oleum corrumperent*. *Numquid nos exterminamus oleum veſtrum*, denuo unguentes quos unxiſtis, quaſi uncti non eſſent? nullatenus; *ſed ſi a vobis ad nos aliquis tranſitum fecerit, ſic a nobis ſervatur, quomodo a vobis dimittitur*. Et infra: *Si nos exterminaremus a vobis confectum oleum, merito nos muſcas morituras appellare poſſetis: ſed dum quod a vobis unctum eſt, tale ſervamus, quale ſuſcipimus, muſcæ morituræ eſſe poſſumus*. Verba hæc, ait VVitaſſius ipſe, non egent expoſitione, aperta ſunt. Optatus datam a Donatiſtis olei unctionem admittit.

*Lib. contra Parmenian.

Idipſum de Gallicana Eccleſia teſtatur Avitus Viennenſis Præſul, qui ſuum Clodovæo Francorum Regi Baptiſmum (an. 496. in Natal. Domini) per Litteras gratulatus eſt. Sic ille conſultus a Stephano Lugdunenſi quo ritu Donatiſta quidam in Eccleſiam admitti deberet, reſpondit Epiſt. 24. *Manus impoſitionem perſonæ de qua ſcribitis, adhibete .... quam conſtat, ſi revera in ſupradicti ſchiſmatis profeſſione verſata eſt, cum Miniſterio Baptiſmatis etiam Chriſmate conſignatam*. Hic Avitus ita Donatiſtæ manum imponi, ad Pœnitentiam nimirum, præcipit, ut nolit eum Chriſmate conſignari, quia utpote Donatiſta jam & Chriſmate conſignatus ſit (ſcilicet Donatiſtæ & ſuos, & noſtros, cum ad ſe tranſirent, ungere nunquam omittebant) atqui non vetuiſſet Avitus ne conſignaretur Donatiſta, niſi quam ille in hæreſi ſuſceperat Confirmationem, habuiſſet ut validam; ergo. Nihil porro dubii eſt quin Avitus, qui reſpondet nihil hæſitans, ſecundum communem, aut certe multo frequentiorem Eccleſiæ Gallicanæ uſum reſponderit. Idemque de Optato & Auguſtino dicendum quoad Eccleſiam Africanam.

Eamdem fuiſſe Orientalis Eccleſiæ praxim ſubindicat Nicæna I. Synodus Can. 8. ubi *Novatianos ad Eccleſiam redeuntes* jubet *recipi per manus*

G 2 *impo-*

Tournel. p. 598. *impoſitionem*, haud dubie Confirmatoriam, ait Tournely, quia teſte Theodoreto lib. 3. Hæret. fab. *Novatiani iis qui ab ipſis tinguntur, ſacrum Chriſma non præbent: quo circa etiam qui ex hac hæreſi Corpori Eccleſiæ conjunguntur, laudatiſſimi Patres inungi præceperunt*. Jam vero, ait idem Theologus, ſi Nicæni Patres Confirmationem ab aliis hæreticis datam habuiſſent pro irrita, cur Novatianos tantum, non etiam ceteros ungi præcepiſſent.

Hæc tamen probatio difficilis eſt, tum in ſe, tum in viri doctiſſimi Tournel. p. 600. a quo proponitur, ſyſtemate. In hoc quidem, quia paulo poſt docet ipſe *non ſatis exploratum eſſe & certum* an Confirmationem apud ſe non haberent Novatiani; quo poſito nec ſatis certa eſſe poteſt probatio, quæ defectum hunc ſupponit. In ſe vero, quia quod in objecto Canone de ſolis Novatianis dixere Nicæni Patres, ad ceteros hæreticos extendi videtur ab aliis Patribus. Sic Siricius in Epiſt. ad Himerium cap. 1. Arianos *cum Novatianis, aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum* (nempe Arelatenſi I. Can. 8. ait Tournely; Nicæna, Can. itid. 8. ait VVitaſſii continuator) *per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, Epiſcopalis manus impoſitione, Catholicorum conventui ſociamus*. Sic S. Leo Epiſt. 129. alias 79. cap. 7. *Qui Baptiſmum ab hæreticis acceperunt ...... ſola invocatione Spiritus ſancti per impoſitionem manuum confirmandi ſunt*. Sic alii textus ſupra citati.

Reponet quidem vir clariſſimus, in Nicæno textu *haud dubie* agi de manus impoſitione Confirmatoria, in aliis vero de impoſitione pure cæremoniali & reconciliatoria: At at vereri eſt, ne dictum id videatur ob ſolam opinionis neceſſitatem. Ecqui enim textus qui de ſola manus impoſitione loquitur, de Confirmatoria *haud dubie* intelligi debet; textus vero qui de eadem impoſitione, una cum invocatione *ſeptiformis Spiritus* mentionem faciunt, de reconciliatoria tantum intelligendi erunt? utique poſtremi Confirmationem diſertius exprimere videntur. Sed de his penes Magiſtros noſtros eſto judicium. Unum animadvertam, quod jam pluries annotari potuit, Tractatum de Confirmatione, id præ ceteris habere ardui, ut quod in una theſi probationem dat, in alia ſæpe fiat objectio.

Prob. 2. ex diverſo diverſos hæreticos recipiendi more. Si quidem teſte Gregorio lib. 9. Epiſt. 71. *Arianos per impoſitionem manus Occidens, per unctionem vero ſancti Chriſmatis ..... Oriens reformat: Monophyſitas vero &c. alios ex ſola vera confeſſione recipit;* idque, ait S. Doctor *ab antiqua Patrum traditione didicimus*. Idem diu poſt Gregorium docebat Theodorus Studita, celeberrimus ille Chriſti defenſor, & ſacrarum imaginum vindex, Tom. 2. qui imperante Michaele Balbo obiit an. 826. Is in Epiſt. ad Naucratium Bibl. PP. p. 739. & 3. p. 161. tres diſtinguit modos quibus hæretici in Eccleſiam recipiantur. *Baptizantur*, inquit, *Marcionitæ, Manichæi &c. inunguntur autem ſacro Chriſmate Tetraditæ, Novatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinariſtæ. Qui vero nec baptizantur, nec unguntur, ſed ſolum propriam & omnem aliam hæreſim anathematizant, Meletiani, Neſtoriani, Eutichianiſtæ & Acephali*. Idem habent antiquiora Theodoro tria Græcorum Euchologia, de quibus paſſim dictum eſt: atqui ſi Confirmatio hæreticorum pro irrita habita eſſet, per eam recepti fuiſſent Monophyſitæ ſicut Ariani, Neſtoriani ſicut Apollinariſtæ &c. ergo.

Reſpon-

Reſpondet vir doctus, unctionem Neſtorianis, aliiſque hæreticis, qui poſt Epheſinam Synodum an. 431. extorti ſunt, adhibitam non fuiſse, quia Eccleſia indulgentiorem ſe erga eos præbere voluit. Scilicet enim unctio hæc ſeu manus impoſitio, quamvis eſset Confirmatoria, erat tamen lugubris in hæreticis, quia non ſolum erat *in Spiritum ſanctum*, ſed & in Pœnitentiam atque *deteſtationem erroris*, ex Hugone Victorino. *Vvitaſſius pag. 351.*

Verum reſponſio hæc minor eſt difficultate. Quis enim credat Eccleſiam, ut neſcio cui hæreticorum ad ſe redeuntium, pudori dicam, an vanitati parceret, permiſiſse ut illi a tanto Sacramento manerent extorres. Deinde haud difficilius eſt pati manuum impoſitionem ad deteſtationem erroris, quam errorem ſuum ejurare & anathematizare: atqui poſtremum hoc facere cogebantur qui redibant ad Eccleſiam, ex Theodoro Studita; ergo non erat cur a priori fierent immunes.

Prob. 3. momentis Theologicis, quæ, ſtrictim proſequar. 1. Nulla eſt ratio cur Eccleſia ratum habuerit Baptiſma collatum ab hæreticis, & eorum Confirmationem reprobaverit. Par enim eſt utriuſque conditio; & congeſta ab Auguſtino momenta ad aſtruendam Baptiſmi validitatem, validitatem aſtruunt Confirmationis.

2. quia alioqui Cyprianus invictum habuiſset argumentum contra Decretum Stephani: & tamen non legimus eo unquam argumento uſos fuiſse, aut Cyprianum contra Stephanum, aut Donatiſtas contra Auguſtinum. Hæc Tournelyus.

3. quia non potuit vetus Eccleſia Confirmationem datam ab hæreticis judicare invalidam, quin erraverit in materia ad fidem pertinente: atqui non potuit Eccleſia errare &c. Minor liquet. Prob. maj. Errat in materia ad fidem ſpectante, qui tenet oppoſitum veritati revelatæ, quamvis non ſufficienter ad credendum propoſitæ: atqui Eccleſia judicando nullam Confirmationem datam ab hæreticis, tenuiſset oppoſitum &c. quod enim nullius Sacramenti, proindeque nec Confirmationis valor pendeat a fide, vel probitate Miniſtri, nunc eſt de fide; ergo quæ contrarium tenuiſset Eccleſia vetus, tenuiſset oppoſitum veritati quæ ad fidem pertinet. Hæc Simonnet, cui tamen ab Articuli limine opinio Maldonati tantum erat inconſulta ſatis, & ad ſummum temeraria.

Etſi his rationibus nihil detractum volo, vereor ne non his cedant adverſarii. Ad 1. dicent grande a veteri Eccleſia conſtitutum fuiſse diſcrimen Baptiſma inter & Confirmationem; cum iſtam hæreticis pleriſque denuo conferri juſserit, illud prohibuerit pene uſque ad ſchiſma. Addent in his totam facti rationem eſse voluntatem facientis.

Ad 2. reponent argumentum quod dicitur a Cypriano minime propoſitum, ab eo reipſa, & ubique ferme propoſitum fuiſse, ut patet ex prima probatione alterius opinionis.

Ad 3. regerent præſentem controverſiam ex iis eſse quæ necdum definitæ ſunt, ſancitum quidem in Tridentino valere Baptiſmum ab hæreticis rite collatum, ſed haud ſancitum rite collatam eſse Confirmationem quæ datur ab hæreticis publicis; eſse de fide *characterem in tribus Sacramentis Baptiſmo, Confirmatione & Ordine imprimi in anima, unde ea iterari non poſſunt;* at Decreti hujus verbis ſatisfacere, qui hoc de Confirmatione ab Epiſcopis Catholicis data intelligit. Quamquam vero reſponſa hæc reſponſis *Vvitaſ. p. 351.*

aliis elidi poſſunt, auctor ſum iis qui communem ſententiam tueri volent, & omnes id velle velim, ut inhæreant potiſſimum Decreto Stephani, & auctoritati S. Auguſtini, quæ ut loquitur Auxilius, *ad inſtar ſolis in tota fulget Eccleſia:* præſertim cum S. Doctor nec Eccleſiæ uſum, quo tempore fervebat Donatiſtarum error, ignoraſſe, nec ab antiqua ejuſdem Eccleſiæ praxi receſſiſſe ſupponi poſſit.

Neque omni exceptione majora ſunt alterius partis momenti. Unde

Ad 1. neg. min. pro ſecunda parte, hæc enim tota innititur auctoritati Cypriani, qui adverſariorum ſuorum mentem male aſſecutus, ut in id genus controverſiis evenit, ab iis dictum ſupponit, quod ipſi nunquam dixerunt. An enim quia a mane uſque ad veſperum confundit Cyprianus characterem Baptiſmi cum gratia quæ a Baptiſmo in bene diſpoſitis profluit, & id a Stephano factum opinabimur, quia id ſupponit Cyprianus? an quia id Sancto Papæ impingit Cyprianus, ut crediderit in hæreſi dari *remiſſam peccatorum*, id a Stephano reipſa creditum ſuſpicabimur? Nequaquam profecto. Quemadmodum igitur in ſuperiori volumine diximus cum Nat. Alexandro, Cyprianum & Firmilianum iratos nihil niſi monſtra vidiſſe, ſic & idem in præſenti, ſalva quæ tantis viris debetur reverentia, repetere non verebimur. Quæ ergo nobis erit de Stephano ſentiendi norma? Hæc una quam ab ipſo ſcriptam tota admiſit Eccleſia: *Nihil innovetur niſi quod traditum eſt, ut manus* converſo hæretico *imponatur in Pœnitentiam*. Quidquid ultra hæc eſt, Stephani non eſt. Repete quæ diximus ubi de celebri utriuſque Martyris controverſia. Sed & hic junge reſponſionem ſequentem.

Ad 2. 1. haud tanta eſt anonymi & ignoti Scriptoris auctoritas, ut ex ejus teſtimonio contra expreſſum Stephani textum metienda ſit Eccleſiæ praxis. Fuerint, qui ignorato, vel male intellecto Stephani decreto, Confirmatoriam manum hæreticis etiam confirmatis imponi voluerint, per me licebit. Sed quid inde? hoc ſolum, nempe hujuſmodi homines male Eccleſiam defendiſſe, & opportunam Cypriano præſtitiſſe triumphandi materiam, uti obſervat Auguſtinus lib. 3. de Bapt. c. 1. verum non inde magis colligi poterit totam iis hoc in puncto conſenſiſſe Eccleſiam, quam ex eo quod eorum aliqui probare voluerint non iterandum eſſe

Sup. pag. 76. & 77. hæreticorum Baptiſma, quia Petrus & Joannes eos qui *in Samaria baptizati fuerant* a Philippo, non rebaptizaverint, colligi poſſit ineptam hanc & ſtolidam ratiocinationem, totius Eccleſiæ calculo fuiſſe probatam. Id autem quis, niſi bardus ipſe & ſtolidus, ſibi in animum inducat.

2. ei tamen Anonymi teſtimonio, eadem, qua mox ceteris, ſolutione poteſt ſatisfieri.

Ad 3. omiſſa ſolutione eorum, qui prædictos textus de pura cæremonia, non autem de Confirmatione interpretantur, diſt. min. alii hæretici recipiebantur ut Novatiani, quando antea vel male, vel nullatenus confirmati erant, C. etiamſi jam confirmati eſſent, N. totum objectionis propoſitæ robur in eo eſt, quod adducti textus generatim & indiſtincte loqui videantur. Si ergo eoſdem textus ab ipſis etiam adverſariis limitandos eſſe probaverim, non eſt cur tantopere in iis confidant. Id autem ſic de-

Vitaſſ. tom. 2. monſtro. Conſtat ex adverſariorum confeſſo eos qui in Eccleſiæ ſinu confirmati fuerant antequam vergerent ad hæreſim (prout innumeris

con-

contigit, qui Athanaſii tempore Arianam hæreſim, quia Imperatoribus charam, amplexi ſunt) nuſquam denuo confirmatos fuiſſe: atqui tamen objecti textus non diſtinguunt inter eos qui in Eccleſia, & eos qui in hæreſi confirmati fuerant; ergo iidem textus, etſi generatim loqui videntur, ſunt nihilominus reſtringendi. Quo autem jure ſibi licitum credent adverſarii eos reſtringere ad hæreticos extra Eccleſiam confirmatos, & nos licitum credimus eoſdem reſtringere ad eos qui nuſquam valide confirmati fuerant.

Nec dicas 1. ex aliis Patrum textibus conſtare, eos qui ab Eccleſia deflexerant ad hæreſim, haud receptos fuiſſe per novam manuum impoſitionem in Spiritum ſanctum: Nam & ego quoque reponam ex aliis textibus conſtare non omnibus hæreticis impoſitam fuiſſe manum in Spiritum ſanctum, ſed eorum plures, quia jam confirmati eſſent, per ſolam veræ fidei confeſſionem, aut, quod in idem recidit, per ſolam hæreſeos ejurationem receptos eſſe; prout indubie liquet ex allatis Gregorii magni, & Theodori Studitæ teſtimoniis.

Nec dicas 2. Confirmationem ſtatim a Baptiſmo tradi conſuetam ab hæreticis perinde ut a Catholicis. Regeram enim 1. id gratis dici, ſatque probabile eſſe horum temporum hæreticos pleroſque haud multum ſollicitos fuiſſe de Confirmatione ſuis Neophytis conferenda. Dicam 2. ſive in Eccleſia, ſive in hæreſi, ſemper plures fuiſſe qui baptizarentur, quam qui confirmarentur; tum quia in mortis diſcrimine baptizabantur Gentiles, non autem confirmabantur, niſi honeſte quoad certum gradum vixiſſent, ut conſtat ex Can. 35. Concilii Illiberitani; tum quia ubi mille ſunt qui baptizent, vir quandoque unus eſt qui confirmet. Et vero hæretici ſatis ſemper temporis habent, ut Catholicos inſectentur, conciliabulis interſint, aulam frequentent; raro ſatis ut munia ſua impleant. Et certe ſi tam frequens fuiſſet apud hæreticos Confirmatio, quam apud Catholicos, non fuiſſet cur Concilia permitterent Presbyteris confirmare hæreticos potius, quam Catholicos; utroſque enim eadem lege includi decuiſſet: atqui tamen Arauſicana I. Synodus ſolos hæreticos ob periculum mortis conſignare permittit Can. 1. ubi ſic: *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, a Presbyteris cum Chriſmate & benedictione conſignari placuit;* ergo Catholici frequenter poſt Baptiſmum confirmabantur, rarius hæretici.

Ad 4. neg. min. ſed ideo eos qui in hæreſi baptizati erant confirmari vult S. Leo, quia horum multi confirmati non eſſent: atque id utcumque ſubindicat S. Doctor Epiſt. 135. alias 37. cap. 2. his verbis: *Quod ſi ab hæreticis baptizatum quempiam fuiſſe conſtiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur, ſed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, ut per Epiſcopalem manus impoſitionem virtutem Spiritus conſequatur.* Ubi voculæ, *quod ibi defuit*, de omnimoda Confirmationis privatione non inepte intelliguntur.

Et vero ſi S. Leo hæreticos etiam confirmatos confirmari voluiſſet, idem pro more ſuo cum ipſo ſenſiſſent ſucceſſores ejus: atqui ii tamen nec Monophyſitas, nec alios plures confirmabant, ut ex Gregorio magno probavimus, & alia docent monumenta; ergo.

Confirm. Eo modo jubet S. Leo confirmari eos qui in hæreſi baptizati

erant, quo prohibet confirmari eos qui baptizati erant in Eccleſia: atqui non omnes prorſus qui in Eccleſia baptizati erant, confirmari vetuit, aut vetare potuit S. Leo: quandoquidem ex iis eſſe poſſent multi, qui nuſquam confirmati eſſent; ergo nec omnes qui in hæreſi baptizati eſſent, confirmari juſſit, ſed eos tantum qui nec a ſuis, nec a noſtris confirmati fuerant.

Materiam hanc ambagibus refertam meditanti, occurrit animo nova quædam ſpecies ſolutionis, quam quia mea eſt, ideoque parvi vel nihili facienda, Lectori ea qua decet animi ſubmiſſione proponam. Fatebar ergo mecum diſputans, impoſitionem manuum ſuper omnes in hæreſi baptizatos aliquando factam fuiſſe; at volebam ſimul eam Sacramentalem fuiſſe quantum ad eos qui necdum confirmati eſſent, quoad alios vero, mere ſed pie cæremonialem, non defectu materiæ, vel formæ, quæ utrobique pares erant, ſed defectu intentionis publico. Quærenti cuipiam idemne numero ritus Sacramentalis eſſe poſſet, & minime Sacramentalis, duplex exemplum, quo id ſuaderetur, mihi deprehendiſſe videbar, aliud quidem in forma abſolutionis, quæ feria V. Majoris Hebdomadæ, & ſæpius in Capitulis Monaſteriorum pronuntiatur ſuper Pœnitentes, eoſve qui culpam ſuam dixere; aliud in unctione, quam ſanis non ſecus ac infirmis applicant Græci. Utraque enim mere cæremonialis eſt, * & tamen prior non diſcrepat eſſentialiter a deprecatoria Græcorum forma. Poſterior vero totum utrobique Extremæ-unctionis ritum exhibet. Quod an ſacrilege fiat, ut placet Arcudio contra Goarium & cui inhæret Tournelyus, non eſt præſentis loci expendere.

At, inquies, juxta imaginationem hanc tam potuiſſet imponi manus hæreticis olim in Eccleſia baptizatis, quam baptizatis in hæreſi: quod tamen non fiebat ex dictis.

Reſponderem 1. multa potuiſſe fieri, quæ facta non ſunt; 2. diſtinctionem inter varias illas hæreticorum ſpecies, factam quidem in Eccleſia Latina, ut conſtat ex S. Cypriano Epiſt. 71. & 74. S. Stephano Epiſt. ad Cyprianum, S. Leone Magno Epiſt. 79. &c. non autem in Eccleſia Græca prioribus ſæculis: cum nullum, quod ſciam, extet diſtinctionis hujus monumentum in primis Græcorum Conciliis; 3. æquius fuiſſe, ut qui reipſa ante defectionem ſuam receperant Spiritum ſanctum, non ſubjicerentur impoſitioni manuum, quam qui nuſquam eum receperant. Hæc propono, non ut in his pedem quis figat, ſed quia ad exercitationem proponi poſſe cenſuerunt pii duo, nec indocti Doctores, quos de hac mea cogitatione interrogavi.

C A-

* De ſecunda melius dixerim eam a pluribus ut a Bellarmino, Goario &c. haberi pro mere cæremoniali. Alii ſiquidem, ut Jueninus, unctionem ſanis datam verum eſſe Sacramentum contendunt: ſed quia id non niſi opinando contendunt, ſtat conjecturæ noſtræ probatio. Sed de hoc capite, ubi de Unctione-extrema.

CAPUT SEXTUM.

De Subjecto Confirmationis.

QUam ardua fuere quæ hactenus diſputata ſunt, tam obvia quæ ſuperſunt tractatu. Hic ſubjectum Confirmationis, ætatem qua, & diſpoſitiones quibuſcum recipienda ſit inveſtigamus.

Conclusio I. Solus & omnis homo baptizatus eſt ſubjectum capax Confirmationis.

Prob. 1. pars, tum quia Baptiſmus eſt ceterorum Sacramentorum janua; tum quia, ait S. Thomas 3. p. q. 72. art. 6. *Se habet Confirmatio ad Baptiſmum, ſicut augmentum ad generationem*: atqui *manifeſtum eſt, quod nullus poteſt promoveri in ætatem perfectam niſi primo fuerit natus;* ergo ſimiliter niſi primo aliquis fuerit baptizatus, non poteſt Sacramentum Confirmationis accipere: proindeque *Si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, ſed oporteret iterato ipſum confirmare poſt Baptiſmum.*

Obj. Act. IV. v. 45. *Adhuc loquente Petro cecidit Spiritus Sanctus ſuper* Cornelium & *omnes qui audiebant verbum;* unde illico loquebantur *linguis &* magnificabant *Deum;* & poſtea *juſſit* Petrus *eos baptizari*, ibid. v. 48. ergo pari ratione poteſt quis confirmari necdum baptizatus.

R. neg. conſeq. Cornelius enim & alii effectum quidem Sacramenti recepere, *quia*, ut bene S. Thomas ibid. *virtus divina non eſt alligata Sacramentis;* at ipſum non recepere Sacramentum. Neque ſi accepiſſent, liceret hinc a pari diſcurrere; quia quæ per miraculum fiunt, ad argumentum, ſeu, ut ajunt, ad conſequentiam trahi non debent.

Ceterum *ſicut nullus conſequitur effectum Baptiſmi ſine Baptiſmi voto, ita nullus, adultus ſcilicet, conſequitur effectum Confirmationis ſine voto ipſius, quod poteſt haberi ante ſuſceptionem Baptiſmi.* Ita S. Thomas.

Prob. 2. pars. Si viatorum aliqui eſſent Confirmationis incapaces, vel pueri, vel perpetuo amentes, vel energumeni: atqui nulli horum incapaces ſunt Confirmationis. Non infantes; tum quia conſtat eos per duodecim ſæcula in utraque Eccleſia Confirmationem recepiſſe cum Baptiſmo, quando aderat Epiſcopus; cum vero abeſſet, prima data occaſione, ut ex Hieronymo didicimus ſupra; tum quia, ut ſolide S. Thomas, *per hoc Sacramentum promovetur homo ſpiritualiter in ætatem perfectam:* atqui anima *tempore juventutis vel pueritiæ* capax eſt ſpiritualis hujus augmenti, *ſicut tempore ſenectutis ſpiritualem nativitatem* per Baptiſmum ∴ *conſequi poteſt;* ergo. Non perpetuo amentes, quia & ipſi non minus creſcere & perfici in gratia poſſunt, quam ſpiritualiter regenerari; & ita docet S. Thomas ibid. art. 8. ad 2. eique inhærent Sotus, Silvius & paſſim Doctores. Non energumeni, poſitis ponendis de quibus infra; tum quia hic vigent rationes hactenus allatæ; tum quia pluribus hiſtoriis fide dignis conſtat, pleroſque ex ipſis hujus ſuſceptione Sacramenti curatos fuiſſe, quod & de puero lunatico refert S. Bernardus in vita S. Malachiæ. *Vid. Baſil. Pontium part. 5. cap. 1. Henricum a S. Ignatio hic n. 75. &c.*

Obj. non magis parvuli Confirmationis capaces fiunt, quam Ordinis, Matrimonii, Pœnitentiæ, & Extremæ-unctionis: atqui &c.

R. neg.

R. neg. maj. diſparitas eſt, quod ex his Sacramentis quædam ſupponunt peccata propria voluntate commiſſa, ut Pœnitentia, & quæ ejus complementum eſt Extrema-unctio; quædam non omnes baptizatos ſpectant, ſed eos ſolum quos Deus ad certum ſtatum vocat. Porro parvuli, qui rationis uſum non habent, nec peccarunt voluntate propria, nec certum ſtatum præ alio eligere valent: At Confirmatio (idemque eſt de Euchariſtia) cum vitam ſpiritalem, quæ in Baptiſmo incipit, perficiat, pro omnibus inſtituta eſt. Eſt tamen ſpecialis difficultas de validitate Ordinationis infanti datæ, de qua alibi.

Conclusio II. Circa ætatem qua ſuſcipienda ſit Confirmatio, nulla eſt definitio, quæ univerſim obliget.

Prob. quia apud Græcos hodiedum datur infantibus Confirmatio juxta antiquum utriuſque Eccleſiæ uſum, idque ſciente & olim approbante ſede Apoſtolica. Apud Latinos autem judicarunt plures Synodi *convenientius & utilius eſſe, ſi infans, ut confirmetur, ſupra ſeptimum ætatis annum progreſſus fuerit, ut ea quæ aguntur intelligat.* Ita Colonienſis an. 1536. Aliæ vetuerunt tantum ne daretur minoribus ſeptennio: ita Mediolanenſis I. Aliæ, ut Narbonenſis an. 1609. eo inclinarunt *ut pueri non admittantur ad hoc Sacramentum, niſi perfectæ ſint ætatis*, &c. Præiverat Catechiſmus Romanus tit. de Confirm. his verbis: *Si duodecimus annus non expectandus videatur, uſque ad ſeptimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit.* In his quiſque gentis ſuæ uſum ſequi debet, ſecundum id Auguſtini Epiſt. 54. alias 118. *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum, & propter eorum inter quos vivitur ſocietatem, ſervandum eſt.* Et Epiſt. 36. alias 86. cap. 2. *In his rebus, in quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta Majorum pro lege tenenda ſunt.*

Utra autem alteri præſtet conſuetudo, vetus an nova, meum non eſt definire. Forte, ut non raro fit, mutuis ſe ſe vincebat titulis. Olim utique plures moriebantur confirmati in infantia, qui nunc non confirmati moriuntur: Porro ex S. Thoma hic art. 8. ad 4. *pueri confirmati decedentes, majorem gloriam conſequuntur, ſicut & hic majorem obtinent gratiam.* At incommodum hoc de quo intemperantius conqueritur Matthæus Galenus Catecheſi 119. compenſant multa: qui enim jam ſatis maturi ad Confirmationem admittuntur, diſcunt quid fides & religio ab his requirant; quæ ſit propoſiti doni virtus & magnitudo; quid pro gratia tanta rependere debeant. Adde quod Baptiſmalium abrenuntiationum memoriam refricent, ſicque majori cum reverentia & devotione, ideoque & uberiori fructu Sacramentum percipiunt, quod alioqui tantæ non eſt neceſſitatis, ut ei cedere debeat reverentia divinis myſteriis debita. Ita *Habert.* & ſolide Pariſ. Theologus. Quibus & addi poſſit, fieri non poſſe ut Epiſcopus pueros omnes confirmet.

Hic obiter notatum velim non ſic olim annexam fuiſſe Baptiſmo Confirmationem adultorum, ut quibus ille, iis & iſta ſemper impenderetur. Contrarium aperte innuit Irenæus lib. 4. adverſus hæreſes, ubi duo hæc Sacramenta in Corinthiis a S. Paulo ſeparata fuiſſe docet. Certe iis qui nonniſi in infirmitate baptizabantur, negabatur Confirmatio, niſi prius Catechumenorum ſtationes decurriſſent, aut ſaltem eximia præmiſiſſent pie-

pietatis indicia. Unde illiberitana Synodus, quæ Can. 45. moribundis omnibus Baptiſmum concedit, negat iis imponendam manum, *niſi fuerit eorum in aliqua parte vita honeſta;* quæ voces plus eo tempore exprimebant, quam nunc ſignificent.

Conclusio III. Ad licitam & fructuoſam Confirmationis receptionem quædam neceſſaria ſunt ex parte corporis, quædam ex parte animæ; neceſſaria, inquam, vel ex decentia, vel ſtricto jure.

Prob. 1. pars, 1. quia admodum expedit ut ſi Confirmatio mane adminiſtretur, ſicut datur a jejuno, ſic & recipiatur a jejunis; quæ conſuetudo duodecimo etiam ſæculo vigebat, & ultra, ſecundum id Concilii Rothomagenſis an. 1072. cap. 7. *Donum Spiritus ſancti non detur niſi jejunis, & a jejunis.* Cui plura ſuccinunt deinceps Concilia, ut Colonienſe an. 1536. part. 7. cap. 9. idque tam rigoroſe olim ſervabatur, ut lactentes etiam infantes ad veſperam uſque jejunarent, quo baptizati Sabbato Sancto, ſerotinis horis Spiritum ſanctum ſuſciperent per manus impoſitionem, prout tradit Ordo Romanus, fœtus VIII. ſæculi.

2. Et id etiam requiritur, ut confirmandi frontem apertam & nitidam habeant, quo unctio ſancta decentius accipiatur. Ita præſcribit Aquenſis Synodus an. 1575. & vulgo Rituales Libri, ut Metenſis pag. 38. Tullenſis pag. 67. &c.

3. Ut tam mares, quam feminæ, & qui erga utroſque Patrinorum officio defungi poſſent, veſte ſimplici & ad modeſtiam compoſita accedant: feminæ item ſint ſine fuco & pigmento, non immoderato capitis aut corporis ornatu decoratæ. Eæ ſiquidem vanitatis artes abigunt columbam, non accerſunt.

4. Et olim præſcriptum, ut Confirmandorum quiſque vittam ſeu faſciolam linteam haberet, qua frons ſacro Chriſmate illita contegeretur. At paſſim hodie poſt unctionem abſtergitur frons a Presbytero.

Prob. 2. pars 1. quia requiritur ſtatus gratiæ, ideoque & præmittenda confeſſio ab iis qui mortaliter deliquerint, prout fuſe probavimus in Tract. de Sacram. in genere. Ratio eſt quia Confirmatio eſt Sacramentum vivorum: atqui ad hujuſmodi Sacramenta requiritur ſtatus gratiæ, qui non poteſt haberi niſi per Pœnitentiam in re vel in voto: hoc autem votum neceſſario includit & contritionem perfectam, quæ difficilis eſt & rara, ac confidentius præſumitur; & ſincerum confitendi deſiderium, quod vix ac ne vix quidem ſincerum in eo eſſe poteſt, qui quam hic & nunc habet Confeſſarii copiam, adhibere negligit; ergo.

2. Cum ex hodierna Eccleſiæ praxi differatur Confirmatio ad ætatem adultam, nec alio fine differatur, quam ut plenior ex ea fructus accreſcat, palam eſt ad condignam Sacramenti hujus perceptionem aliquid ex mente Eccleſiæ ultra gratiæ ſtatum requiri. Eſt vero illud prompta & devota erga donum illud ſingulare animi affectio, quæ ut excitetur, & excitata conſervetur, neceſſum eſt 1. ut Confirmandi habeant cognitionem ſatis explicitam, tum fidei myſteriorum, tum & obligationum quas in Baptiſmo contraxerunt. Quæ enim pro nobis infantibus ſpoponderunt alii in Baptiſmo, hæc nos jam adulti ſponte amplectimur in Confirmatione, & mediante, quam præſtolamur, ſancti Spiritus gratia exequi denuo pollicemur. Unde & gemendum quod initio in Baptiſmate

mate fœderi defuerimus, & inſtaurandi conatus ne deſimus in poſterum.

Neceſsum 2. ut exemplo Apoſtolorum, qui virtutem *ex alto* percepturi, *erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Jeſu*, aliquot, ſi non dies, quod plebeculæ agreſti difficile foret, ſaltem, ſingulis ante diebus, temporis intervalla in oratione, ac myſterii hujus meditatione inſumantur. Mirum utcumque, quod Chriſtus nuſquam plura exegerit ab Apoſtolis, quam cum ad Confirmationem præparandi fuere. Haud ſatis ei fuit, quod *mundi* eſsent, quod per dies 40. de regno Dei, maxime autem de futuro Spiritus illapſu edocti; ſed & voluit, ut medio toto Aſcenſionem inter & Pentecoſtem tempore in cœnaculo incluſi vacarent cœleſtibus. Quidni hæc forma ſit juxta quam fideles ad Confirmationem diſponantur?

Joan. 13.

Neceſsum eſt 3. ut in itinere, quod quandoque e Parochia in Parochiam ubi danda eſt Confirmatio, decurrendum eſt, juventuti quæ quoquoverſum facile movetur, omnis dematur evagandi occaſio. Unde fuerit operæ pretium, ut in via divinis laudibus os ſuum aperiant juvenes, quo Spiritum attrahant. Decantent ergo hymnum *Veni ſancte Spiritus*, alioſve ſimiles, qui vel in Ritualibus præſcribuntur, vel a pio Parocho, teneri & pretioſi Gregis ductore, præſcribentur.

Rit. Tul. p. 68. 4. Et id ubique obſervari velim, quod præſcribit Rituale Tullenſe, & cum eo indubie alia plura, nempe ut cum jam incipit Epiſcopus Sacramentum conferre, ſit e Clericis quidam, qui eum decem circiter paſſibus præcedat, & voce tenui ſatis ut Præſulem non interrumpat, ſatis autem elata ut a Confirmandis audiatur, eoſdem vivida brevique oratione accendat ad fidei, adorationis, dilectioniſque actus, præcipue vero ad renovanda Baptiſmi promiſsa, ſpondendamque eorum deinceps accuratius ſervandorum fidem.

Ex dictis in prima & ſecunda concluſione colliges pro praxi, 1. Confirmandos eſse perpetuo amentes; debent enim confirmari, ſi valide poſſunt, & nihil obeſt. atqui 1. poſsunt valide ex probatis; 2. nihil obeſt, Siquidem contraria conſuetudo, quæ in Eccleſia Latina prohibitionem induxiſse creditur quantum ad Euchariſtiam reſpectu infantium, quibus æquiparantur amentes, haud videtur eam induxiſse quantum ad Confirmationem. Certe docuit experientia multum eſse periculi ſi Euchariſtia parvulis (idem dic de perpetuo amentibus) detur etiam ſub ſola ſpecie vini; nihil vero tale docuit aut docere potuit de Confirmatione; & ideo hanc iis, non illam dari hodiedum licite poſse tradunt Suarez diſp. 35. ſect. 2. Simonnet & alii plures contra Valentiam q. 2. punct. 2. Maratium p. 239.

Colliges 2. idem ſentiendum de amentibus, qui aliquando habuere rationis uſum; cum eadem ſit horum ratio, quæ aliorum: modo tamen ſtatim poſt grave quodpiam peccatum non inciderint in amentiam (tunc enim carerent gratia ſanctificante, quæ neceſsaria eſt ad illud Sacramentum diſpoſitio) & aliquam Sacramenti hujus ſuſcipiendi habuerint intentionem, quæ præſumi poteſt & debet, ubi nulla, dum mentis eſsent ſanæ, in contrarium voluntas apparuit. Si tamen crederentur ab inſania quandoque reverſuri, differenda eſset Confirmatio, ut majori cum decentia & utilitate reciperetur.

Col-

Digitized by Google

Colliges 3. dandam & Confirmationem pueris necdum ſeptennibus, quin & ante ullum rationis uſum, ſi *juſta aliqua cauſa* ſubſit: ita Synodus Aquenſis an. 1585. cui utcumque præiverat Mediolanenſis V. an. 1579. ubi id Mediolanenſis I. *Minori ſeptennio Confirmationis Sacramentum nemini præbeatur*, non inepte emollitum eſt. Eſt autem juſta cauſa, ſi puer illico moriturus credatur, aut eo tranſvehi debeat, ubi vel ægre, vel nullatenus Confirmationem recepturus judicetur. A fortiori adultis in pari caſu poſitis concedi poterit manuum impoſitio, ſecundum id Pariſienſis Concilii, Lib. 1. cap. 33. *Sicut duobus temporibus, Paſcha videlicet & Pentecoſte, Baptiſmus: ita etiam Spiritus S. per impoſitionem manus fidelibus tradatur, exceptis infirmis & morte periclitantibus*. Unde laudant aliqui morem Hiſpaniæ, ubi ultimo afficiendi ſupplicio, confeſſi Euchariſtia & Confirmatione donantur. Neque enim, ad ſolam fidei confeſſionem, ſed & ad invictam in iis quæ a Deo retrahere poſſent, patientiam inſtituta eſt Confirmatio.

Ex dictis in concluſione tertia deduces, graviter allucinari eos e Paſtoribus, qui ſubditos ſuos ad tantum Sacramentum ſatis habiles judicant, cum peccata ſua confeſſi ſunt, & quaſdam, quæ ad rem ſpectant, memoria; non corde, tenent definitiones. An quod tanti Apoſtolis conſtitit donum, tam levi pretio hodie comparabitur? Quædam igitur Parocho ſalutis ovium ſuarum ſtudioſo ante & poſt Confirmationem præſtanda ſunt. Ante, cavebit, ne ſuas de Confirmatione Catecheſes pene differat ad tempus quo Parochiam luſtraturus ſit Epiſcopus; tum quia multis ob urgentia negotia intereſſe non licet; tum quia multitudo eorum quæ paucos intra dies addiſcenda ſunt, mentem obruit; tum quia haud ſatis eſt illuminari intellectum, niſi cor moveatur, & velut imbrem ſitiens herba, ſic ſpiritum inhiet. Poſt Confirmationem vero ſatagendum enixe, 1. ut Confirmati, acceptæ gratiæ memores eamdem animo revolvant. *Cultus enim Dei*, ait S. Auguſtin. lib. de Spir. & lit. cap. 11. *in hoc maxime conſtitutus eſt, ut anima ei non ſit ingrata;* ſeu ut loquitur S. Doctor Serm. 21. de diverſ. cap. 2. *Hoc eſt glorificare Deum, gratias agere Deo*. 2. ut iidem nullum obicem ponant actualibus gratiis, quas, niſi obſit mala cordis affectio, e Sacramentis tempore & loco profluere docuimus tom. 4. p. 203. utique enim Sacramenta, unumquodque ſuos in fines, inſtituta ſunt; ergo qui iis donati ſunt, non inertes manere, ſed ad finem conari perpetuo debent; ergo & perpetuo monendi ſunt, ut non negligant, ſed impendant gratiam quæ in eis fuit per impoſitionem manuum. De his fuſe & pie diſſerentem Habertum conſule. *Habert.*

CAPUT SEPTIMUM.

De Effectibus Confirmationis.

DUo Confirmationi effectus a Catholicis tribui ſolent, prior, quod gratiam tribuat ad robur; poſterior, quod characterem imprimat. Utrumque negant Pſeudoreformati, quos inter Calvinus in Antidoto Concilii Trid. ad can. 2. de Confirm. ſeſſ. 7. ſic petulanter declamat. *Crepent licet* Pontificii, *nihil proficient, negando ſe in Spiritum Dei eſſe contumelioſos, ejus virtutem dum ad putidum oleum referunt*. Sit

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

An Confirmatio gratiam pariat.

EXpendemus 1. an Confirmatio gratiam pariat; 2. qualem: etſi enim a blaſphemia Calviniana abhorrent Catholici, non omnino tamen de natura gratiæ per Confirmationem partæ conveniunt. Alii hunc a baptiſmali gratia quoad habitum diſtingui affirmant, alii eumdem utriuſque habitum eſſe volunt, qui tamen in Confirmatione intendatur. Alii roborantem gratiam ſoli Confirmationi tanquam medio ordinario attribuunt; alii eamdem ſuppleri volunt per unctionem verticalem quæ fit in Baptiſmo. Ita ſentiebant ad an. 1630. Regulares quidam Anglicani, qui ne Ricardo Smithæo Chalcedonenſi Epiſcopo, quem in Angliam cum Ordinarii poteſtate delegaverat an. 1625. Urbanus VIII. ſubjicerentur quoad confeſſiones, muſſitare cœperunt nihil urgente perſecutione opus eſſe Epiſcopo, quia conſtaret *Catholicos Chriſmate unctos in Baptiſmo*, licet *ab Epiſcopo non confirmatos, perfectos eſſe Chriſtianos in ſenſu Patrum*. Sit

CONCLUSIO I. Confirmatio gratiam ſanctificantem producit, non quidem primam, ſaltem per ſe, ſed ſecundam.

Prob. 1. pars, 1. quia Confirmatio dat Spiritum ſanctum, ut evincunt textus a nobis ſupra citati, tum ex Act. 8. tum ex Patribus: atqui per Spiritum ſanctum intelligitur gratia, nec gratia qualiſcumque, ſed plena & abundans; ergo.

2. quia Confirmatio verum eſt novæ legis Sacramentum: atqui id proprium habent novæ legis Sacramenta, ut niſi ponatur obex, gratiam producant, prout diximus tomo præcedenti pag. 198. ergo.

Prob. 2. pars. Gratia prima ea eſt quæ hominem a ſtatu non juſti transfert ad ſtatum juſti, ſeu brevius, quæ peccatorem juſtificat: atqui non eo fine inſtituta eſt Confirmatio ut peccatorem juſtificet, ſed ut homini jam juſto novas addat vires; unde & inter vivorum Sacramenta recenſetur; ergo.

Confirm. Ex Trident. ſeſs. 14. cap. 2. *Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum neceſſarium eſt, ut non regeneratis ipſe Baptiſmus:* atqui ſi Confirmatio per ſe impium juſtificaret, jam non neceſſarium eſſet lapſis omnibus Sacramentum Pœnitentiæ &c. quandoquidem lapſi poſt Baptiſmum & ante Confirmationem, per hanc reconciliari poſſent, ſicut alii per Pœnitentiam; ergo.

Obj. Si Confirmatio non juſtificet per ſe, hæretici ad Eccleſiam redeuntes non debuerunt recipi per ſolam manus impoſitionem: atqui per hanc tamen & ſolam recipiebantur, ut patet ex Can. 7. Concilii CP. I. & aliis, qui ubi de hæreticorum receptione ſermo eſt, ne verbum quidem habent de Confeſſione aut abſolutione ſacramentali; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. conſeq. non enim magis ex eo quod de Pœnitentia hæreticorum ſiluerint Concilia, hanc omiſſam fuiſſe inferri poteſt, quam ex eo quod de privatis eorumdem inſtructionibus ſiluerint, colligi poſſit hæreticos, antequam confirmarentur, inſtructos non fuiſſe de fidei myſteriis, iis potiſſimum quæ hactenus non crediderant: atqui poſterius nemo colliget: ergo nec prius inferendum. Ideo autem de his ſiluerunt Concilia, quia tantum loquebantur de ſolemni hære-

hæreticorum ſuſcipiendorum ritu, non de iis quæ privatim facienda erant, aut receptioni eorum præmittenda.

Dixi, *ſaltem per ſe;* quia exiſtimant plures cum S. Thoma hic q. 72. n. 7. quod *ſi aliquis adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet, vel ſi etiam* peccati hujus conſcientiam habens, *non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat*, ſed bona fide credat ſe contritum, *per gratiam collatam in hoc Sacramento conſequetur remiſſionem peccatorum:* Non quod inſtituta ſit Confirmatio ad juſtificandum peccatorem, ſed quia ex generali Chriſti intentione Sacramenta omnia non fictis, ideſt haud ponentibus obicem, juſtitiam conferunt: qua de opinione mentem noſtram aperiemus in Tractatu ſequenti.

Conclusio II. Gratia Confirmationis propria, eſt gratia perficiens & corroborans animam ad fidem intrepide confitendam contra univerſos ejuſdem fidei hoſtes.

Prob. I. ex Act. 1. v. 8. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos; & eritis mibi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultmum terræ.* Unde ſic: Gratia Sacramenti Confirmationis ea pene ſubſtantiam eſt, quam ſine Sacramento receperunt Apoſtoli in die Pentecoſtes, atqui gratia hæc erat virtutis & roboris; cum per eam Chriſto teſtes eſſe deberent Apoſtoli, & apud Judæos, quibus Chriſti nomen ſcandalum erat, & apud Gentiles, quibus idem Chriſtus erat ſtultitia; ergo.

Prob. 2. in eo conſtituenda eſt Confirmationis gratia, in quo eam conſtituit tota Traditio: atqui Traditio tota gratiam Confirmationis in vi perficiente & roborante collocavit. Sic, ne toties dicta repetam, Concilium Illiberitan. Can. 70. *Epiſcopus eos*, baptizatos, *per benedictionem perficere debebit*. Ambroſius Lib. 3. de Sacram. c. 2. *Poſt fontem ſupereſt ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus ſanctus infunditur*. Tertullianus Lib. de Reſur. carnis c. 8. *Caro ſignatur, ut anima muniatur*. S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 3. *Ut Salvator poſt Baptiſmum & illum Spiritus ſancti adventum egreſſus in prælium devicit adverſarium, ſic & vos poſt ſacrum Baptiſma & Chriſma myſticum induti armis Spiritus ſancti adverſus oppoſitam vobis poteſtatem præliammi*. Eucherius Lugdunenſis Homil. de Pentecoſte. *Forte cogitat ſibi aliquis: Quid mibi prodeſt poſt myſterium Baptiſmatis, myſterium Confirmationis. Attendat charitas veſtra.·.· Spiritus ſanctus .·.· in* Baptiſmi *fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter viſibiles hoſtes & pericula gradiendum eſt, in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam: in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur*. Quibus in locis Confirmationis gratia eſt perficiens, muniens, inſtruens ad pugnam, corroborans in prælio adverſus oppoſitas pote &c.

Obj. 1. Admitti non debet doctrina, quæ gratiæ baptiſmali injuriam facit: atqui noſtra hæc doctrina.·.· Quæ enim doctrina ſupponit Baptiſmum ſine Confirmatione vel nullas, vel nonniſi impares ad finem habere vires, hæc profecto baptiſmali gratiæ injuriam facit: atqui Pontificiorum doctrina id ſupponit. An non enim expreſſe ait Melchiades *C. 3. diſt.* Papa, *ita conjuncta eſſe hæc duo* Baptiſmi & Confirmationis *Sacramenta*, *De* *ut .·.· unum ſine altero rite perfici non poſſit?* An non ideo ſuos confirmat *Conſecr.*

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia Catholica, quia credit eos cum ſola Baptiſmi gratia ad ſalutis portum appullere non poſſe?

R. ad 1. neg. min. Siquidem Catholica Doctrina totum id tribuit Baptiſmo, quod eidem tribuit verbum Dei, nempe quod hominem ex filio iræ faciat filium adoptionis, hæredem Dei, templum ſancti Spiritus &c. porro quæ tot & tantos Baptiſmo effectus tribuit doctrina, eidem contumelioſa eſſe non poteſt.

Ad 2. neg. min. pro prima parte. Nemo enim Catholicus negavit unquam veras per Baptiſmum vires donari. Neque id ex ſuppoſititio Melchiadis textu inferri valet; cum in eo vox *rite perfici*, non ſignificet invalidum eſſe Baptiſma ſi a Confirmatione ſejungatur, ſed dumtaxat conveniens eſſe & Eccleſiæ ritui accommodatum, ut utrumque ſimul conferatur.

Ad 2. ejuſdem minoris partem diſt. ſupponit Catholica Doctrina Baptiſmum non dare vires pares ad finem, ideſt minores dare, quam quæ per Confirmationem Baptiſmo ſuperadditam tribuantur, C. ideſt non dare vires, quæ abſolute ſufficiant ad finem ſalutis, ſecluſo ſcilicet Confirmationis neglectu, N. itaque non negamus eum qui Confirmationem ſine ſua culpa non habuit, quive de ea neglecta dolet, poſſe, ut indubie Martyribus pluribus contigit, mediis etiam in tormentis profiteri fidem, & ſic ſalutem conſequi. Unum hoc volumus, nempe annexas eſſe Confirmationi gratias, quas Baptiſmus per ſe non confert, & quarum ope ſalus certius obtineatur. Hæc autem doctrina non magis baptiſmalis gratiæ dignitati derogat, quam eidem deroget doctrina, quæ acceptam in Baptiſmo gratiam per Euchariſtiæ Sacramentum intendi, miriſque & ineffabilibus modis augeri tradit. Iſtam nobiſcum ſine Baptiſmi præjudicio admittunt Calviniani: ut quid ergo aliam Baptiſmo contumelioſam eſſe mentiuntur?

Inſt. 1. ex Apoſtolo Rom. 16. *Baptizati* ſumus *in Chriſto Jeſu, ut in novitate vitæ ambulemus*. & Galat. 3. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, utique cum donis ſuis, ait Calvinus Lib. 4. inſtit. c. 19. n. 8. ſed qui a Baptiſmo habent, unde in vitæ novitate ambulent; qui in Baptiſmo Chriſtum cum donis ſuis, ideoque & cum fortitudine ſua induerunt, nulla alia indigent gratia; ergo nec indigent Confirmatione.

R. 1. pari jure ex utraque propoſitione inferri; ergo nec indigent Euchariſtia: quod tamen uti blaſphemum horrent Calviniſtæ.

R. 2. diſt. qui a Baptiſmo ſimpliciter & præciſe ſumpto, habent &c. C. qui a Baptiſmo prout jus tribuit ad ceterorum Sacramentorum auxilia, N. itaque baptizari in Chriſto, non eſt ſimpliciter recipere Baptiſmum, ſed inſuper habere jus ad gratias omnes quæ baptizatis neceſſariæ ſunt, & quæ poſt Baptiſmum, ſive in Sacramentis, ſive extra Sacramenta conferuntur. Unde quemadmodum ut baptizati in novitate vitæ ambulent, indigent iidem gratiis actualibus, & Euchariſticis, ita & Confirmatoriis indigere poſſunt. Neque hæ magis quam illæ Baptiſmali excellentiæ derogant.

Inſt. 2. Gratiæ quæ baptizatis ad ambulandum conſtanter in novitate vitæ neceſſariæ forent, eæ ſunt quæ baptizatos inſtruunt *ad pugnam ſpiritualem contra hoſtes fidei*: atqui eæ gratiæ per Euchariſtiam tribuuntur. Prob. min. ex S. Cypriano Epiſt. 54. ad Cornelium, ubi hæc: *Quomodo doce-*

S. Thom. ibid. art. 5.

docemus aut provocamus eos in Confeſſione nominis Chriſti ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus.⸫ *Idoneus eſſe non poteſt ad Martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium; & mens deficit, quam non recepta Euchariſtia erigit & accendit;* ergo.

R. diſt. min. ex gratiæ tribuuntur per Euchariſtiam, ſed non per ſolam, C. per Euchariſtiam ſolam, ſubd. tribuuntur iis qui a Confirmationis gratia excidere, eſto: ceteris, N. ut intelligatur ſolutio, ſciendum eſt Cyprianum eo loci agere de lapſis, qui cum a Baptiſmi & Confirmationis gratia excidiſſent, nihil præter Euchariſtiam, præviamque Euchariſtiæ Pœnitentiam habebant, quo ad prælium armarentur. Verum non ideo negabat S. Martyr Confeſſores ad prælium armari per impoſitionem manuum. Unde enim tanti ejus conatus ut iis etiam qui jam in hæreſi confirmati eſſent, denuo imponerentur manus, niſi quia totam hujus impoſitionis vim agnoverat in Scripturis, ubi homines antea infirmi, in novos viros, quos nihil a charitate Chriſti ſeparare poſſet, mutati leguntur.

Dixi, *eſto*, quia conjici poteſt Confirmationis effectum in lapſis per Pœnitentiam & Euchariſtiam reviviſcere, itaut Martyrum conſtantia his omnibus Sacramentis conjunctim operantibus adſcribi poſſit: Non quod Euchariſtia ſola, aut etiam Baptiſmus, ſat virium non tribuat, ut valeat quis mortem pro Chriſto conſtanter oppetere, prout non inepte docet Domin. Soto in 4. diſt. 7. a. 7. ſed quia auxilia geminare voluit qui dives eſt in miſericordiis, ut certius fiat per plura, quod rarius & difficilius factum eſset per pauciora.

Obj. 2. Si Chriſtianos per Confirmationem perfici oporteat, neceſſum eſt ut baptizati non ſint perfecti Chriſtiani: atqui ſunt tamen. Alioqui imperfecti deceſſiſſent tot Martyres, qui mortem paſſi ſunt, *quando nondum factum erat oleum, quo perfecti Chriſtiani fierent qui nondum erant.* Ita ludicre & impie Calvinus lib. 4. inſtit. c. 19. n. 9.

R. diſt. min. cum Guillelmo Altiſiodorenſi Lib. 3. Tract. 4. cap. 1. baptizati ſunt perfecti Chriſtiani quatenus *habent plenitudinem ſufficientiæ*, C. quaſi habeant *plenitudinem copiæ*, N. itaque fatemur omnes, dari in Baptiſmo plenitudinem gratiæ quæ ad ſalutem ſufficiat; ſed contendimus cum S. Thoma in 4. diſt. 7. q. 1. plenitudinem *gratiæ ad fortiter reſiſtendum* dari in Confirmatione ſaltem in voto: & hæc eſt conſtans Doctrina tum Apoſtolorum, qui non tam feſtinanter Petrum & Joannem miſiſſent ad Samaritanos, ſi Confirmationis gratiam nihil ad Chriſtianiſmum pertinere judicaſſent; tum Eccleſiæ Doctorum, qui conſtanter docuerunt, quod *ei qui ſanctiſſimo divinæ regenerationis Sacramento initiatus eſt, illa unguenti* CONSUMMANS UNCTIO divini Spiritus *illapſum elargitur*. Verba ſunt Auctoris Lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 4. p. 3. §. 11.

Quod addit Calvinus occubuiſſe Martyres innumeros, quo tempore nondum adinventum erat oleum, miſera eſt miſeri novatoris ratiocinatio; tum quia ne Baptiſmum quidem in re ad ſalutem neceſſarium eſſe volumus, cum recipi non poteſt; tum quia a prioribus Eccleſiæ ſæculis verum erat iſtud Tertulliani Lib. de Bapt. *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione;* necnon & iſtud Cypriani: *Ungi quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit*; proindeque raro, ubi aderant Epiſcopi, ſeparabatur Confirmatio a Baptiſmate.

Concluſio III. Unctio confirmatoria non ſuppletur per unctionem verticalem. Eſt contra librum cui titulus: *Apologia pro modo procedendi ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Auctore Daniele a Jeſu*, ideſt per anagramma, *Joanne Fluido*, Anglice *Floide*, Soc. J. & alios qui opinionem ejus tuiti ſunt. De quibus adi Dupin in Hiſtor. Eccleſ. ſæc. XVII.

Prob. 1. ex S. Ambroſio Lib. 3. de Sacram. c. 2. ubi: *Poſt fontem ſupereſt ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus ſanctus infunditur*. Unde ſic: Ætate S. Ambroſii in uſu erat unctio verticalis; quandoquidem hæc a Silveſtro Papa inſtituta creditur ab Hugone Victorino, & aliis paſſim: atqui tamen unctio hæc non dabat Spiritum ſanctum. Si enim dediſſet, haud neceſſum fuiſſet *poſt fontem*, ideſt poſt Baptiſmum, eique annexas cæremonias, ut ad invocationem Sacerdotis fieret perfectio, & infunderetur Spiritus ſanctus: atqui tamen ex Auctore citato ſupererat poſt fontem facienda perfectio &c.

Prob. 2. ex Innocentio I. qui in citata jam ad Decentium Epiſtola, baptiſmalem unctionem Presbyteris permittit, Confirmatoriam vero reſervat Epiſcopis, quibus, inquit, *ſolis debetur, cum tradunt Spiritum Paracletum;* ergo non cenſebat idem Pontifex per Unctionem Presbyteris permiſſam tradi Spiritum ſanctum.

Prob. 3. ex Patribus Silveſtro poſterioribus, qui tradidere omnes, Confirmationem ſuſcipi ad robur, ad augmentum, ad perfectionem: hi enim manifeſte ſupponebant fideles haud conſecutos fuiſſe robur illud, & augmentum per unctionem verticis.

Prob. 4. quia unctio verticalis eſt cæremonia pure Eccleſiaſtica: atqui prorſus abſurdum eſt ut Chriſtianus homo eamdem hujuſmodi cæremoniis fidem habeat, ac Sacramentis, quæ indubie & plenius & certius operantur, quam ritus pure Eccleſiaſtici; ergo.

Prob. 5. Si inſtituta ſit unctio verticalis, ut Confirmationis defectum ſuppleat, hac præſente illam omitti decet. Ad quid enim ſupplementum, cum præſens eſt res quæ ſuppleri dicitur: atqui tamen nuſquam omiſſa eſt unctio verticalis, quia proxime ſubſecutura erat confirmatoria; ergo.

Prob. 6. ex cenſura, quæ variis Anglorum, Hibernorumque Religioſorum propoſitionibus, quarum ſeptem ad hanc materiam pertinent, inuſta eſt die 15. Februarii an. 1631. a ſacra Facultate Pariſienſi, quæque eaſdem propoſitiones notat ut *falſas*, *temerarias*, *communi Patrum ſenſui oppoſitas*, *in contemptum Sacramenti Confirmationis*, *atque in errorem inducentes &c.* Præiverant tum Joan. Franciſcus de Gondiaco, Pariſienſis Archiepiſcopus, qui re cum aliquot e Provincialibus ſuis Epiſcopis, aliiſque viris pietate & doctrina inſignibus communicata, primus omnium juridice condemnavit * Libros duos, quorum prior inſcriptus erat, *Modeſta & brevis diſcuſſio aſſertionum Doctoris Kelliſoni* (*Duacenſis Anglorum Collegii Rectoris*) poſterior, *Apologia pro modo procedendi S. Sedis* &c. Tum illuſt. Galliarum Antiſtites, qui an. 1634. Pariſiis agentes, in Epiſt. ſua Encyclica data die 10. Februarii, ajunt in his duobus Libris *innumeras* legi *propoſitiones falſas*, *præſumptuoſas*, *temerarias*, *antiquiſſimo Parochorum inſtituto contrarias*, *Chriſtianæ plebis ac ſimpliciorum hominum ſaluti pernicioſas*, *non paucas autem erroneas*, *ſchiſmaticas*, *blaſphemas*, *in ſacrum Epiſcoporum Ordinem*, *& in Sacramentum Confirmationis contumelioſas*, *nonnullas etiam aperte hæreticas*.

* *Die 30. Januarii* 1631.

De

De quibus videbis argumentum, Petri Aurelii operibus præfixum auctoritate Cleri Gallicani Pariſiis an. 1646. congregati.

Obj. 1. Confirmatio duo operatur, 1. nempe facit hominem unctum, ſeu perfecte Chriſtianum, quem idcirco perficere dicitur; 2. & ei robur ac vires præbet, tum ad ſervandam Baptiſmi innocentiam, tum ad ſtrenue reſiſtendum hoſtibus fidei: atqui iſthæc omnia præſtat unctio verticalis: 1. Enim hominem facit perfecte Chriſtianum. Id ſiquidem docent S. Cyrillus Catech. 3. ubi ſic: *Hoc accepto Chriſmatis dono merito appellamini Chriſtiani*. Juſtinus Martyr in Lib. quæſtionum & reſponſionum ad Orthodoxos, ubi q. 137. *Ungimur in Baptiſmo ut Chriſti & uncti dicamur*. His, ut ceteros omittam, concinunt Traditionis tenaciſſimi Gerſon, Rabanus Moguntinus, & Ivo Carnotenſis. 2. Eadem unctio dat robur, ſeu ad ſervandam Baptiſmatis innocentiam, ſeu ad ſtrenue præliandum contra hoſtes fidei. Primum docet S. Thomas 3. p. q. 71. a. 3. ad 4. his verbis: *Inunctio quæ fit in vertice operatur conſervationem gratiæ baptiſmalis*. Secundum tradit Innocentius III. tit. *De ſacra Unctione*, ubi ſic: *In vertice baptizatus inungitur, ut ſit paratus petenti de fide rationem reddere;* ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 1. 2. neg. ant. quod male infertur, ſeu ex S. Cyrillo, cum is de unctione frontis, non de unctione verticis loquatur; ſeu ex lib. qq. ad Orthodoxos, cum conſtet hunc non eſſe fœtum Juſtini, ſed Auctoris, qui quarto aut quinto ſæculo ſcripſerit, ea nimirum ætate, qua Paganiſmus *omnino aut fere extinctus eſſet;* ſeu ex Gerſone, qui quantus quantus eſt, ſemper minor erit, quam ut Patribus opponi poſſit, quorum nullus ait fideles ab unctione verticis appellari Chriſtianos, quantominus perfectos Chriſtianos. Adde quod Gerſonius & alii, licet unctioni verticali non parum tribuant, ejus tamen effectum ab unctionis Confirmatoriæ effectu ut primordia a complemento diſtinguunt, ac proinde negant hunc per illum ſuppleri.

Ad 2. 2. diſt. ant. unctio dat robur ad ſervandam Baptiſmi innocentiam, dat, inquam, ut Sacramentale aliquod, C. dat ut aliquid æquivalens Sacramento, N. itaque oleum benedictum inter Sacramentalia recenſeri poteſt, ut diximus tom. 4. pag. 264. porro Sacramentalia non alio inſtituta ſunt fine, quam ut per ea fidelium gratia muniatur, ſaltem quatenus gratiæ ejuſdem *impedimenta tollunt*, prout docet S. Thomas 3. p. q. 70. a. 3. ad 2. Sed non ideo dici poteſt per Sacramentalia ſuppleri vere & adæquate effectum Sacramentorum; tum quia & hunc etiam ſupplere poſſet aqua benedicta, quæ per Eccleſiæ conſecrationem deſtinatur, & quidem expreſſius quam unctio baptiſmalis, ad protegendum hominem, eumque adverſus hominis tentationes roborandum; tum quia diſerte docet S. Thomas loco mox citato, *Sacramentalia non poſſe perficere principalem effectum Sacramentorum, qui eſt gratia remittens culpam, vel ſupplens aliquem hominis defectum*. Et vero quis imperitus adeo ut neſciat, operationem Sacramentalium totam eſſe in piis & actualibus animi motibus, qui vi precum Eccleſiæ impetrantur: atqui pii ſed tranſitorii motus haud ſupplere poſſunt Sacramentorum effectus, qui habituales ſunt, & diuturni, ergo etſi aliquid poſſunt Sacramentalia, non eo uſque tamen ut Sacramentorum effectus ſupplere valeant.

Nihilo gravius eſt quod objiciunt iidem ex Innocentio III. is enim, præterquam explicari poteſt ut modo S. Thomas, non tam cæremonia-

rum Baptiſmi vim, quam omnium, quæ in Baptiſmo, Ordine & Unctione extrema fiunt, unctionum ſignificationem inveſtigari, ſic ille: *In pectore baptizandus inungitur, ut per Spiritus S. donum abjiciat errorem & ignorantiam* ∴ *inter ſcapulas, ut per Spiritus S. gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat. In vertice vero baptizatus inungitur, ut ſit paratus omni petenti de fide reddere rationem, quia per caput intelligitur mens*. Hic quædam obſervari precor, 1. Innocentium minus tribuere efficaciæ unctioni verticali, quam iis quæ fiunt in pectore & ſcapulis; 2. efficaciam unctionis verticalis ab eodem Pontifice non reponi in robore ad profitendam fidem, ſed in illuminatione mentis ex qua de fide ratio reddi poſſit; 3. non magis ex effectu, quem falſo ſupponunt adverſarii unctioni verticis tribui ab Innocentio, ſequi jam ex hoc quaſi otioſam eſſe Confirmationem, quam ex effectu quem iidem fateri debent præviis Baptiſmo unctionibus tribui, ſequatur inutilem eſſe Baptiſmum; 4. unctionem verticalem non aliter operari, quam prædictas ſcapularum & pectoris unctiones, quas in homine necdum baptizato nemo dixerit agere ex opere operato.

Obj. 2. Amalarius lib. 1. de Eccleſ. Officiis c. 27. ſic loquitur: *Si quis ſine hoc Baptiſmate ignis*, nimirum Confirmatione, *migraverit de ſæculo, periculoſum iter arripit. Hoc prævidens Silveſter Papa, quantum potuit, ſubvenit, & propter abſentiam Epiſcoporum, neceſſitate, addidit ut a Presbytero ungeretur*. Idem docent Rupertus, Hugor Victor. Bellarmin. de Bapt. c. 27. ergo inſtituta eſt unctio verticis, ut Confirmationem ſuppleret.

R. diſt. conſ. ut ſuppleret, quantum poteſt, C. ut ſuppleret plene & adæquate, N. Solutio eſt in textu. Fecit ad ſupplendam Confirmationem Silveſter, *quantum potuit*: atqui non potuit homo eumdem puræ cæremoniæ effectum attribuere, quem Sacramentis Chriſtus; ergo nec id fecit. Pie tamen unctionem verticis inſtituit Silveſter, tum quia per eam admonetur homo ſibi feſtinandum ad Confirmationem ſtatim ut poterit; tum quia ſi hanc omiſerit præ negligentia, aliquale ejuſdem recipiendæ votum exhibet, cum a Presbytero verticis unctionem recipit, prout docere videtur Hugo a S. Victore. Ceterum verticalis unctionis per Silveſtrum inſtitutio, ejuſdemque Pontificis intentio deſumuntur ex Pontificali Damaſi, quod Opus apocryphum eſſe probavimus ſupra. De his vide Aurelium, aut VVitaſſii continuatorem.

Conclusio IV. Gratia Confirmationis non eſt habitus ab habitu baptiſmalis gratiæ ſpecifice diſtinctus; ſed ſolum ejuſdem habitus intenſio, cum jure ad gratias actuales quibus Confirmationis effectus obtineri poſſit.

Prob. 1. ex S. Thoma hic q. 72. a. 7. ubi ſic: *Si conſideretur gratia in hoc* Confirmationis *Sacramento collata, quantum ad id quod eſt commune, ſic per hoc Sacramentum non confertur aliqua alia gratia, quam per Baptiſmum, ſed quæ prius inerat, augetur. Si autem conſideretur quantum ad illud ſpeciale quod ſuperadditur*, nimirum actuales gratias, quæ vi Confirmationis dantur; *ſic non eſt ejuſdem ſpeciei cum ipſa*.

Prob. 2. quia quod Confirmatio habitum ab habitu gratiæ baptiſmalis diſtinctum producat, & gratis admittitur & perperam, prout probavimus tom. 4. pag. 204.

Conclusio V. Uberior eſt gratia quæ per Confirmationem tribuitur, quam

quam quæ per Baptiſmum; major tamen aliquo ſenſu efficacia Baptiſmi, quam Confirmationis.

Prob. 1. pars: quia ſe habet gratia confirmans ad regenerantem, ſicut accretio ad generationem: atqui per accretionem plus ſubſtantiæ acquirit homo, quam per generationem; ergo. Hinc Eugenius IV. in Decreto: *Per Baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide.* Hinc S. Thomas, ibid. art. 2. ad 2. ait *Baptiſmum dari ad ſpiritualem vitam ſimpliciter conſequendam: Confirmationis autem Sacramentum ad conſequendam plenitudinem S. Spiritus, cujus eſt multiformis operatio.* Et hanc eſſe conſtantem Patrum Doctrinam evincunt textus paſſim citati.

Prob. 2. pars, ex eod. S. Thoma, qui ibid. art. 11. ad 2. & 3. docet, *Sacramentum Baptiſmi eſſe efficacius, quam hoc* Confirmationis *Sacramentum, quantum ad remotionem mali, eo quod eſt ſpiritualis regeneratio, quæ eſt mutatio de non eſſe in eſſe; hoc autem Sacramentum eſſe efficacius ad proficiendum in bono, quia eſt quoddam ſpirituale augmentum de eſſe imperfecto ad eſſe perfectum.* Quæ verba totam Theſim continent, & ſolide probant.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Confirmatio characterem imprimat.

QUæſtiones eo loci a Theologis tractari conſuetas paucis expediemus, Sit

CONCLUSIO I. Confirmatio characterem imprimit.

Prob. 1. ex iis quæ dicta ſunt tomo præcedenti pag. 243. & ſeq.

Prob. 2. Character eſt nota quædam, ſeu ſigillum quo fideles indelebiliter conſignantur: atqui hæc nota & ſignum per Confirmationem animæ imprimuntur; ergo. Major patet ex tota Traditione: Sic enim Tertullianus lib. de præſcript. docens qua ratione diabolus in idolorum Myſteriis ſacra Chriſtianorum Myſteria æmuletur: *Signat & ille*, inquit, *in fronte milites ſuos*. Sic Cornelius Papa, *Neque*, ait, *Domini ſigillo ab Epiſcopo obſignatus fuit* Novatianus. Sic, ne omnes percurram, Auguſtinus Serm. de Cataclyſmo cap. 1. *Baptizatus es, ſignatus es regio charactere*. Prob. itaque min. 1. ex eodem Auguſtino, & S. Optato Milevitano, qui firmam, adeoque indelebilem in Confirmatione notam imprimi judicarunt, ut eam ne in ipſis quidem hæreticis ad fidem redeuntibus iterari voluerint, prout probavimus ſupra; 2. ex S. Gregorio Magno * Lib. 14. Epiſt. 17. ubi ſic: *Hoc vos rite tenere debetis, quod ab Anteceſſoribus noſtris traditum accepimus; ideſt, ut quoties tam de Baptiſmo aliquorum vel Confirmatione, quam de Eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur.·.·.utrum baptizati vel confirmati, ſive Eccleſiæ conſecratæ ſint, ut baptizentur tales,* vel *confirmentur.·.·.ne talis dubitatio ruina fidelibus ſiat: quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis* Sopra p. 99.

 oſten-

* Epiſtolam hanc ſuppoſititiam eſſe contendit VVitaſſii continuator tom. 2. pag. 122. 1. quia hæc Epiſtola inſcribitur ad Felicem Meſſanæ in Sicilia Epiſcopum, qui obiit an 595. & tamen in ea fit mentio Reſcripti Gregorii ad conſulta S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli, quod reſcriptum nonniſi poſt annum 600. emiſſum eſt ex Baronio & aliis; 2. quia eadem Epiſtola pene tota conſtat ex variis aliorum Gregorii operum laciniis, atque etiam ex verbis Concilii Toletani, quod an. 675. celebratum eſt; 3. quia eadem Epiſtola nuſquam citata eſt a Gregorii ſucceſſoribus, dum etiam definirent res quæ S. Gregorii auctoritate firmius definitæ eſſent.

oſtenditur rite peractum: ſeu ut tam de Confirmatione quam de Baptiſmo habet Synodus Londinenſis an. 1200. cap. 3. *quia non dicitur iteratum, quod non ſcitur eſſe factum*. Ubi ex accepta ab Anteceſſoribus Traditione conſtat, neque Baptiſmum, neque Confirmationem iterari poſſe extra caſum dubii; vel potius neutrum tunc cenſeri iteratum, quia *non monſtratur iteratum, quod rite peractum non oſtenditur*; 3. ex Concilio Toletano VIII. an. 653. cap. 7. *Sanctum Chriſma collatum, & altaris honor avelli nequeunt*; 4. ex Gregorio II. Epiſt. 13. an. 726. *De homine, qui a Pontifice confirmatus fuit, denuo illi talis reiteratio prohibenda eſt*. Idem decernit Concilium Cabillonenſe II. an. 813. can. 27.

Prob. 3. Confirmatio ſecundum aliquam ſui partem perpetua eſt, & ita perpetua, ut etiam poſt mortem perſeveret. Ita luculente docet S. Gregorius Nazianzenus in exhortatione ad ſacrum lavacrum, his verbis: *Hoc viventi tibi maximum eſt teſtamentum (ovis enim, quæ ſigillo inſignita eſt, non facile patet inſidiis; quæ vero ſignata non eſt, facile a furibus capitur) & vita functo res eſt accommoda, quæ ſepulturam comitatur*. Atqui confirmatio neque perpetua eſt quoad actum, cum tranſeat actio qua confertur; neque quoad gratiam ſanctificantem, cum hæc a peccatore deperdatur; ergo ſupereſt ut quoad ſigillum ſeu characterem perpetua ſit, proindeque ut character ejus deleri non poſſit.

Obj. 1. cum recentioribus quibuſdam Græcis apud Arcudium Lib. 2. cap. 18. Synodus œcumenica II. can. 7. Macedonianos & Apollinariſtas recenſet inter hæreticos, qui per Chriſmationem recipiendi ſint: atqui utrique, vel omnes, vel pene omnes jam confirmati fuerant in Eccleſia Catholica; a qua nonniſi pauciſſimis ante Concilium illud annis defecerant; ergo iterandam Confirmationem cenſebant Patres Conſtantinopolitani.

R. diſt. maj. recenſet inter hæreticos, qui per Chriſmationem recipiendi ſint, ſi hanc necdum receperint, C. ſi receperint, N. ita Decretum Synodi hujus interpretatur Siricius Epiſt. 1. ad Hymerium cap. 1. nec mirum eſt quod diſtinctionem hanc non fecerint Patres CP. quia ex recepto Eccleſiæ uſu ſatis intelligebatur, haud eſſe confirmandos qui jam confirmati eſſent. Et vero S. Cyprianus, tribus aut quatuor annis poſt exortam Novatianorum hæreſim interrogatus a Magno, qua ratione recipiendi eſſent iidem hæretici ad Eccleſiam redeuntes, multis contendit eos eſſe rebaptizandos; nec diſtinguit inter eos qui in Eccleſia, vel extra Eccleſiam baptizati eſſent: atqui tamen pro certo habebat Cyprianus haud rebaptizandos eſſe hæreticos, qui ante deſertionem ſuam in Eccleſia baptizati eſſent; ergo ſupponit eam quam non faciebat diſtinctionem, ex communi Eccleſiæ ſenſu faciendam eſſe; ergo & idem ſupponere potuerunt Patres Conſtantinopolitani.

Inſtabis. Nemini notior eſſe potuit mens Concilii Conſtantinopolitani I. quam Methodio Patriarchæ CP. viro paris ad ſanctitatem doctrinæ, quique Chriſti Confeſſor, ſacrarumque imaginum vindex obiit an. 847. atqui Methodius ille Decreto, quod integrum refert Goarius Euchologii pag. 876. præcipit, ut pueri, vel adulti, qui propter tormenta fidem rejecerint, *ſacro unguento ſecundum baptizatorum conſuetudinem* inungantur, *Crucis ſigno expreſſo in fronte, & oculis* &c. dicente Miniſtro: *Signaculum doni Spiritus ſancti*; ergo.

R. 1.

R. 1. neg. maj. quantacumque enim fuerit Methodii ſanctitas & doctrina, major circa CP. Concilii ſenſum habenda eſt fides Siricio, quam illi; tum quia Siricius, qui Damaſo an. 384. defuncto ſucceſſit, coævus erat Patribus CP. tum quia illius erat ſedis Antiſtes, quæ Conciliorum decreta profundius inveſtigat.

R. neg. min. adſcriptum enim Methodio opuſculum, ſi minus adulterinum, at certe adulteratum eſſe invicte probant contra Ooarium Arcudius & Morinus, 1. quia quæ varia ſuperſunt ejus exemplaria, alia ab aliis prorſus diſſident; 2. quia ex conſtanti Eccleſiæ diſciplina ſemper recepti ſunt Apoſtatæ per impoſitionem manuum in Pœnitentiam, nuſquam per eam quæ foret in Spiritum ſanctum; 3. quia Photius, qui Ignatium Methodii ſucceſſorem e ſede CP. dejecit, Latinos redarguens, patulo ore conclamabat: *Talem quis inſaniam unquam audivit, quam iſti mente capti audere non dubitarunt, ut illos qui ſemel Chriſmate uncti ſunt, iterum chriſmarent*? ergo inauditum erat Conſtantinopoli, ut denuo quis confirmaretur; an porro inauditum fuiſſet, ſi factum fuiſſet a Methodio?

Obj. 2. ex Auguſtino Lib. 3. de Bapt. cap. 16. *Manus impoſitio non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt*; ergo. Concinit Canon 2. Concilii Arauſicani, ubi Chriſmatio repetita dicitur.

R. manuum impoſitionem de qua Auguſtinus, cæremonialem eſſe & reconciliatoriam, quæ, ut ait ibid. S. Doctor. *Si non adhiberetur ab hæreſi venienti, tanquam extra omnem culpam eſſe judicaretur*: non autem Confirmatoriam; cum hanc, ne in hæreſi quidem receptam, iterari permiſerit.

Ad Arauſicanum Canonem, vide quæ diximus ſupra p. 43. & ſeq.

Obj. 3. Character duo importat, 1. rationem ſigni diſtinctivi; 2. poteſtatem ad aliquid ſpeciale ordinatam: atqui Confirmatio nec ſignum diſtinctivum exprimit, nec dat poteſtatem &c. 1. Non imprimit ſignum diſtinctivum; neque enim diſtinguit vel fidelem ab infideli, cum id efficiat Baptiſmus, vel fidelem ab alio fideli; cum omnes fideles, qua tales, ad eumdem finem, nempe ad ſanctitatem contra ſalutis hoſtes tuendam ordinentur. 2. Non dat poteſtatem ad aliquid ſpeciale ordinatam. Quæ enim major in homine confirmato poteſtas, quam quæ in homine non confirmato?

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. ant. pro ſecunda parte: Confirmatio ſi quidem confirmatum a non confirmato diſtinguit, tanquam ſpiritualiter provectum ad ætatem virilem, ab eo qui modo ſpiritualiter genitus eſt. Unde confirmatus non tantum deputatur ad pugnandum contra hoſtes viſibiles, quod prælii genus fidelibus univerſis commune eſt, ſed & ad decertandum adverſus hoſtes viſibiles, ſeu perſecutores fidei, quæ pugnæ ſpecies haud rite initur a ſpiritualiter parvulis, niſi Confirmationis operatio a Deo extraordinarie ſuppleatur, prout ſapienter docet Angelus ſcholæ ead. q. 72. art. 5. ad 1.

Atque hinc patet ſolutio ad 2. ut enim ibid. tradit S. Thomas, *Per Sacramentum Confirmationis datur homini poteſtas ſpiritualis ad quaſdam alias actiones ſacras, præter illas ad quas datur ei poteſtas in Baptiſmo. Nam in Baptiſmo accipit homo poteſtatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent ſalutem, prout ſcilicet ſecundum ſe ipſum vivit. Sed in Confirmatione accipit homo poteſtatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam Spiritualem contra hoſtes fidei &c.*

Digitized by Google

Ergo character Confirmationis definiri poteſt, Nota ſupernaturalis & indelebilis, qua Chriſtianus, quaſi miles Chriſti conſignatur ad propugnandam fidem adverſus hoſtes ipſius viſibiles.

Conclusio II. Character Confirmationis, Baptiſmi characterem præſupponit. Ita S. Thomas hic a. 6. & cum eo ceteri Theologi, ſi demas Petrum de Alliaco in 4. q. 4.

Prob. 1. quia Sacramenta & Sacramentorum effectus, ſunt bona quædam, quæ ex inſtitutione Chriſti ſoli Eccleſiæ membris legata ſunt: atqui nemo Eccleſiæ membrum aliter quam per Baptiſmum eſſe poteſt, poſitis rebus ut a Chriſto poſitæ ſunt; ergo.

Prob. 2. quia Confirmatio eſt Sacramentum quo ſpiritualiter proficimus in gratia, Baptiſmus vero Sacramentum, quo ſpiritualiter generamur: atqui prius eſt hominem naſci, quam proficere; ergo. Hinc illud Innocentii III. cap. 3. *De Presbytero non baptizato: cum Baptiſmus ſit fundamentum omnium Sacramentorum, ante ſuſceptionem Baptiſmi non ſuſcipiatur aliud Sacramentum.* Et vero S. Paulus Act. 19. non ante iis, quos ſolo Joannis Baptiſmate tinctos reperit, impoſuit manus, quam eos Chriſti Baptiſmo ablui curaſſet.

Hinc ſi quis, quantumcumque bona fide baptizatum ſe credat, Confirmationem recipiat non baptizatus, neceſſum eſt ut denuo confirmetur. Idem eſt de eo qui minime baptizatus recepiſſet Ordines, ut liquet ex cap. 1. & 3. *De Presbytero non baptizato.*

Objiciuntur tria, 1. quod character Confirmatorius differat ſpecifice a Baptiſmali; uti docent SS. Thomas & Bonaventura, Alenſis & alii paſſim: atqui eorum quæ ſpecifice differunt, unum non neceſſario ſupponit aliud; 2. quod Cornelius necdum baptizatus, reipſa tamen confirmatus fuerit; 3. quod non magis character Confirmationis baptiſmalem prærequirat, quam character Ordinis Confirmatorium: atqui &c. Sed hæc parum urgent. Unde

Ad 1. R. 1. majorem non ab omnibus admitti: Sunt enim qui characterem Confirmatorium Baptiſmali advenire velint, ut gradum intenſionis qualitati præexiſtenti remiſſiori: qua ratione gratia confirmatoria advenit baptiſmali ut perfectius minus perfecto. Neque contrarium invicte probant Suares diſp. 34. de Sacramentis ſect. 1. & Mæratius tom. 3. pag. mihi 72. ex eo quod Baptiſmus & Confirmatio ſint Sacramenta ſpecie diverſiſſima, vel quod per eorum characteres deputetur homo, atque conſecretur ad diverſa ſpecie officia: Quia quemadmodum Sacramenta duo eamdem ſpecie phyſica gratiam parere poſſunt, aliud pleniorem, debiliorem aliud, ſic & unum parere poſſunt characterem, qui per ſecundum Sacramentum intendatur. Rurſus character ille ad duo munia inſervire poſſet, ad unum quidem quatenus imperfectior, ad aliud quatenus per ſecundum Sacramentum adauctus. Utut eſt,

R. 2. neg. min. Baptiſmus enim & Ordo ſpecifice differunt; & tamen is illum ſupponit ex omnium confeſſo.

Ad 2. neg. ant. Cornelius enim accepit quidem Confirmationis effectum, quia *divina virtus non eſt alligata Sacramentis*, ut ait ibid. S. Thom. a. 6. ad 1. at Confirmationem ipſam non accepit. Unde ſicut, accepto licet Baptiſmi effectu, baptizatus eſt Cornelius, ſic probabiliter manuum impoſitionem accepit, aut ſaltem valide & fructuoſe recipere potuit.

Ad 3.

Ad 3. neg. maj. quia etſi ex Eccleſiæ inſtituto nemo licite ordinari poteſt, niſi jam Confirmatus, nullibi tamen traditum eſt invalide ordinari, qui confirmatus non fuerit: at vero expreſse traditum eſt invalide confirmari, qui ante non fuerit baptizatus.

Quæres 1. an iterata Confirmationis adminiſtratio, vel ſuſceptio irregularitatem inducat.

R. neg. quia irregularitas illa equidem contra activam vel paſſivam Baptiſmi iterationem ſancita eſt, nullibi vero contra iterationem Confirmationis: porro, ut centies diximus tom. 2. irregularitas non incurritur niſi in caſibus jure expreſſis.

Quæres 2. an in antiqua Lege fuerit cauſa quæpiam exemplaris Sacramenti Confirmationis, ſeu figura aliqua quæ Sacramentum illud adumbraret, prout tranſitus Jordanis Baptiſmum, & manna Euchariſtiam præfigurarunt.

Negat S. Thomas ead. q. 72. a. 1. ad 2. *Confirmatio enim*, inquit, *quia eſt Sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit habere aliquid reſpondens in veteri Teſtamento; quia nihil ad perfectum adduxit Lex, ut dicitur Hebr. 6.* & id olim ſecuti ſumus.

Aliter tamen ſentiunt Tertullianus, qui lib. de Bapt. ait Confirmationis unctionem deſcendere *de priſtina diſciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium ſolebant, ex quo Aaron a Moyſe unctus eſt*. S. Auguſtinus, qui eam ait ſignificatam fuiſſe per unguentum, quod e capite in barbam Aaron defluebat; Optatus & Iſidorus per unctionem qua Sacerdotes & Reges conſecrabantur.

Nec invicta eſt ratio S. Thomæ, quia haud neceſſe eſt ut figura rei figuratæ plenitudinem contineat: alioqui nec manna inter Euchariſtiæ figuras poſſet computari.

Ex dictis hactenus conſtat legitimam eſſe ut & tritam hanc quoque Sacramenti noſtri definitionem: Confirmatio eſt verum novæ legis Sacramentum, quo baptizatus per manus impoſitionem & unctionem Chriſmatis in fronte, a legitimo Miniſtro ſub certa verborum forma peractas, accipit plenitudinem Spiritus ſancti, vel, ſi mavis, Spiritum ſanctum ad robur.

CAPUT OCTAVUM.

De Proprietatibus Confirmationis.

TRes numerantur Confirmationis proprietates, dignitas, initerabilitas, & neceſſitas.

De priori utraque nullus nobis erit ſermo; cum ex dictis intelligi valeat, 1. Confirmationem, tametſi neceſſariam minus quam Baptiſma, eo tamen quoad gratiæ pondus eſse potiorem; cum gratiam baptiſmalem per eam perfici doceant Patres unanimi conſenſu; quod ſcite paucis exprimit id S. Paciani Ep. 1. ad Sympronian. *Lavacro peccata purgantur, Chriſmate Spiritus ſanctus ſuperfunditur;* 2. in Confirmatione imprimi characterem, qui ut deleri nequit, ſic nec iterari poteſt. Supereſt ergo ut de ejuſdem neceſſitate diſſeramus. Hujus porro neceſſitatis definitione & diviſione *Tom. 4.* repetitis ex Tractatu de Baptiſmo, rem haud ægre abſolvemus. Sit *p. 377.*

CON-

Concluſio I. Confirmatio non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii.

Prob. Illud neceſſarium dicitur neceſſitate medii, quo etiam inculpabiliter omiſſo ſalus obtineri non poteſt: atqui omiſſa inculpabiliter Confirmatione poteſt obtineri ſalus. Quibus enim nihil jam eſt damnationis, ii ſalutem obtinere poſſunt: atqui *nihil eſt* jam *damnationis, iis qui ſunt in Chriſto Jeſu*, ut ſunt omnes per Baptiſmum; ergo. Hinc Concilium Illiberitanum can.77. *Quod ſi ante de ſæculo receſſerit* quis necdum Confirmatus, *ſub fide qua crediderit, poterit eſſe juſtus*.

Et vero, ut bene S. Hieronymus dialog. adverſ. Luciferian. *Si ad Epiſcopi tantum invocationem* in Confirmatione *Spiritus ſanctus defluit, lugendi ſunt, qui in lectulis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati, ante dormierunt quam ab Epiſcopis invenirentur*.

Obj. Qui Confirmationem etiam inculpabiliter omittit, non recipit gratiam Sacramentalem ipſius: atqui gratia hæc ad ſuperandas graves contra fidem pugnas omnino eſt neceſſaria; ergo qui Confirmationem non recipit, caret aliquo ad ſalutem neceſſario.

R. diſt. maj. non recipit gratiam Sacramentalem vi Confirmationis in re ſuſceptæ, C. vi voti ipſius, N. ſicut enim regenerari quis poteſt per votum Baptiſmi, ſic & per Confirmationis votum roborari. Vide S. Thomam, art. 6. ad 1.

Concluſio II. Confirmatio in re vel in voto graviter neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, tum Eccleſiaſtici, tum etiam divini. Ita ſaniores Theologi a quibus male recedit Silvius 3. q. q. 72. a. 8.

Prob. 1. pars: 1. ex S. Cypriano Ep. 70. *Ungi* NECESSE EST *eum qui baptizatus ſit, ut accepto Chriſmate .... eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam poſſit*; 2. ex Concilio Laodiceno can. 48. ubi hæc: OPORTET *eos, qui illuminantur, poſt Baptiſmum inungi ſuper cœleſti Chriſmate*; 3. ex Hieronymo ſupra, qui *hanc* ſui temporis *Eccleſiarum conſuetudinem* fuiſſe teſtatur, *ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem S. Spiritus manum impoſiturus* excurreret; 4. ex Gregorio Magno, vel alio quovis Auctore citatæ ſuperius Epiſtolæ, qui jubet iterari Confirmationem in dubio, *ne*, inquit, *talis dubitatio ruina fidelibus ſit*; 4. ex Petro Damiano qui ſerm. 1. in dedicat. Eccleſiæ hæc loquitur: *Decretales paginæ & SS. Patrum inſtituta* DECERNUNT *non eſſe differendam poſt Baptiſmum Sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor*. Jam vero id quod fieri oportet, quod fieri neceſſe eſt, quod faciendum decernunt Decretales paginæ, quod omiſſum cedit in ruinam, illud merito neceſſarium judicatur. Quod enim ait Mæratius pag. 251. Patres eadem ratione loqui de iis quæ conſilii ſunt, non autem præcepti, & gratis dicitur, cum nullum, idque prudenter, dicti ſui exemplum producat; & periculoſe, quia alioqui pro conſiliis haberi poſſent multa, quæ indubie præcepta ſunt.

Prob. 2. pars. 1. quia Chriſtus Confirmationem inſtituit ut medium per ſe certum & ordinarium, quo perficiatur homo & roboretur, non modo ad fidem coram Tyrannis fortiter profitendam, ſed etiam ad vincendas tentationes contra fidem, quibus adultus quiſque obnoxius eſt: atqui incredibile eſt Chriſtum tantæ efficaciæ medium inſtituiſſe, veluti

rem

rem pene adiaphoram, & ſine gravi intentione ut eo fideles uterentur; ergo.

Prop. 2. adultus jure divino Confirmationis effectum ſibi procurare tenetur: atqui hunc non niſi per Confirmationem in re vel in voto procurare ſibi poteſt. Min. conſtat a ſimili de Baptiſmo, aliiſque Sacramentis. Prob. itaq. maj. Effectus Confirmationis eſt ſpiritualis ætas perfecta, ſeu virilis: atqui virilem hanc ætatem ſibi procurare jure divino tenetur quiſquis adultus eſt: ſicut non baptizatus eodem jure ſpiritualem nativitatem comparare tenetur; ergo. Hæc ratiocinatio utcumque eſt S. Thomæ ibid. a. 8. ubi hæc loquitur: *Per hoc Sacramentum promovetur homo ſpiritualiter, in ætatem perfectam: hoc autem eſt de intentione naturæ, ut omnis qui corporaliter naſcitur, ad perfectam ætatem perveniat*; ergo.

Prob. 3. Ideo Euchariſtiæ perceptio extra periculum mortis neceſſaria judicatur a Theologis ſanioribus, quia hæc ad certum maximi momenti finem inſtituta eſt, nempe in alimentum animæ: atqui pariter inſtituta eſt Confirmatio ad certum maximi momenti finem, nempe ut circumeunti leoni *fortes in fide* reſiſtamus, I. Petr. c. 5. cui profecto facile ſuccumbit, qui inſtituta ad eum finem media negligit. Unde Cornelius Papa in Epiſt. ad Fabium Antioch. obſervat Novatianum a fide defeciſſe, quia Spiritum ſanctum in Confirmatione ſuſcipere neglexerat; ergo.

Prob. 4. quia Pariſienſes Theologi hanc fictitii Danielis a Jeſu propoſitionem: *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, niſi cum commode haberi poteſt; vel (ut alii dicunt) commodiſſime; quando ſine ullo vel minimo prorſus incommodo*, damnarunt ſub his notis: *Iſta propoſitio eſt ſcandaloſa, in maximum Sacramenti Confirmationis contemptum maligno animo propoſita, & in errorem poteſt inducere*.

Objiciuntur nonnulla & 1. gratiam quæ per Confirmationem datur, haberi poſſe per orationem & Euchariſtiam; non referre autem quod propria quædam gratia Confirmationi annexa ſit; quia alioqui eſſet obligatio faciendi omnia ad ſalutem utiliſſima, etſi ad eam minime neceſſaria; quod nemo dicere auſit: ita Mæratius diſp. 9. p. 261. 2. id S. Thomæ ibid. art. 1. ad 3. *Sine Confirmatione poteſt eſſe ſalus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti*. Verum abſit ut eæ argutiæ Chriſtianum virum dimoveant a Sententia tutiori, ſimulque probabiliori. Itaque

Ad 1. neg. ant. intellectum, ut debet, de eo qui Confirmationem, cum poteſt, recipere negligit. Scilicet enim, ut profunde monet S. Thomas eod. art. 1. ad 1. *Per Euchariſtiæ Sacramentum augetur gratia, & perficitur ſpiritualis vita, ad hoc quod homo in ſe ipſo perfectus exiſtat per conjunctionem ad Deum*; idemque eſt ſervata proportione de oratione, aliiſque mediis: At vero *per Sacramentum Confirmationis augetur & perficitur gratia ad perſiſtendum contra exteriores impugnationes inimicorum*. Subſumo: atqui Chriſtianus ſerio ſatagere debet non ſolum ut in ſe ipſo perfectus ſit per conjunctionem ad Deum; verum etiam ut perfectus ſit ad perſiſtendum contra exteriores impugnationes inimicorum: cum ſatagere debeat ne ab interna ad Deum conjunctione per exteriores inimicorum inſidias dejiciatur; ergo cum Deus hanc fortitudinis gratiam regulariter nonniſi per media a ſe inſtituta largiatur, neceſſum eſt ut Confirmatione muniri curet,

ret, qui eadem muniri poteſt; ſecundum id S. Thomæ: *Sicut nullus conſequitur effectum Baptiſmi ſine Baptiſmo, in re vel in voto; ita nullus conſequitur effectum Confirmationis ſine Confirmatione vel voto ipſius*. Art. 6. ad I.

Quod additur, utiliſſima quæque non eſſe de neceſſitate ſalutis, verum eſt de iis quæ conſilii ſunt, & per alia media ſuppleri valent. Sed quis Sacramentum ſic inſtitutum credat, ut ſolius ſit conſilii? Quis gratiam ejus ſponte & libere neglectam per quodlibet medium ſuppleri autumet?

Ergo, inquies, cum Mæratio, neceſſum fore ut adulti omnes in periculo mortis Confirmationem ſuſciperent: atqui aliter cenſet Eccleſia, quæ tunc eam ipſis adminiſtrare in more non habet.

R. neg. ſeq. tum quia impoſſibile eſt ut morituris omnibus adminiſtretur Confirmatio; tum quia ad habendam ipſius gratiam, ſicut & Baptiſmi, ſufficit ſincerum ejus recipiendæ votum, cum vero de ejuſdem neglectu dolore, ſi hactenus culpabiliter omiſſa eſt.

Ad 2. dico cum Silveſtro eum, qui Confirmationem commode recipere poteſt, & ſine rationabili cauſa recipere negligit, ejus contemptorem merito cenſeri: Unde Concilium Senonenſe an. 1524. *Contemni dicitur* Confirmatio, *quando Epiſcopus eſt præſens paratus dare, & perſona hoc ſciens negligit*. An non in pari caſu eleemoſynæ corporeæ vel ſpiritualis contemptor cenſeretur qui eamdem ſibi oblatam recipere non curaret?

Ex his inferes pro praxi, gravis eſſe peccati reos, 1. qui cum Epiſcopi copiam habent, ne paſſum quidem decurrunt, ut ab eo confirmentur. Et hoc peccatum iteratur quoties eadem recurrit occaſio. Unde S. Antoninus 3. p. Summæ tit. 14. cap. 14. §. 1. *Etſi*, inquit, *nunquam occurrat Confeſſio perſecutionis, tenetur homo ſemel in vita confirmari: & ſi poſſit & negligat, licet Sacramentum aliter non contemnat, peccat mortaliter, & damnatur moriens, niſi tunc confirmetur, vel niſi pæniteat, & confiteatur de hoc peccato, quod in ſanitate potuit & neglexit*. Paulo mitior Hugo Victorin. lib. de Sacramentis part. 3. C. 7. ait *timendum eſſe iis qui per negligentiam non ſuſcipiunt manus impoſitionem, ne forte propterea damnentur;* ergo hic ſaltem eſt dubium mortale: porro mortaliter peccat, qui facit quod jure dubitet an ſit mortale; 2. patres, matres, Parochos item, Patrinos, tutores, qui nihil moliuntur ut commiſſam ſibi juventutem ad ſummum illud Chriſti donum diſponant; 3. & magis Epiſcopos, qui ſeptenni quoquo circiter anno, & quandoque ſæpius, ſi id peculiares exigant cauſæ, Diœceſim ſuam non luſtrant, ut hanc potiſſimam officii ſui partem adimpleant. Quæ enim ratio jubet confirmari me ab Epiſcopo, jubet præſto eſſe Epiſcopum, qui me confirmet. Omiſſam ſemel, idque ob probabiles cauſas, puellæ quæ ſerius venerat, Confirmationem, adeo exprobravit ſibi Anſelmus Cantuarienſis Archipræſul, *tantumque exinde concepit cordis dolorem, ut quandiu vitæ præſenti ſuperfuit, pænitudo ipſius facti ab animo ejus non receſſerit*. Ita narrat Edinerus Anſelmi convictor. Mirabilius quidpiam de S. Mauritio Andegavenſi Epiſcopo ſcribit ex Fortunato Surius tom. 5. ad diem 13. Septembris, quem adi, ſi lubet.

Conclusio III. Præceptum Confirmationis, quatenus divinum eſt, obligat tempore perſecutionis, graviorisve contra fidem tentationis: & in præſenti mortis periculo. Ita Tournely, VVitaſs. &c.

Prob.

Prob. pars 1. & 2. quia ſi quandoque urget recipiendi Sacramenti obligatio, tunc certe cum effectus ejuſdem neceſſarius eſt : atqui ſummopere neceſſarius eſt, ſeu cum inſtat perſecutio &c.

Prob. 3. pars : quia ſpiritualis infans tenetur divina lege ad perfectam ætatem progredi, cum hic & nunc vereri poteſt, ne deinceps non poſſit: atqui necdum confirmatus, eſt infans ſpiritualis &c.

Hinc colliges iis qui adulto morituro opem ferunt, curandum eſſe, ut ſi nihil ultra poſſint, ſincerum in eo recipiendæ Confirmationis, aut ſaltem divinæ totius legis ſervandæ votum accendant. Sufficit enim implicitum id votum in Sacramentis quæ neceſſaria non ſunt neceſſitate medii, ait Jueninus diſſert. 3. q. 3. in fine : de quo alibi.

CONCLUSIO IV. Præceptum Confirmationis quatenus Eccleſiaſticum obligat 1. cum Epiſcopus dare paratus eſt, nec juſtam differendi rationem habet baptizatus; 2. & 3. cum imminet ſacri Virginum velaminis, vel tonſuræ Clericalis receptio.

Prob. 1. pars : 1. ex Concilio IV. Mediolanenſi, ubi ſic loquitur cum Coepiſcopis ſuis S. Carolus Borromæus : *Videant* Parochi, *ne quis eorum qui ſibi in curam traditi ſunt*, *illud* Sacramentum *ſuſcipere negligat* ∴. *ſi quis vero neglexerit*, *Canonicis ſubjaceat diſciplinis*. Et in inſtructione Paſtorum : *Parentes quorum negligentia factum eſt* ut liberi eorum non confirmarentur, *ex Libro Pœnitentiali Pœnitentiam olim egiſſe annos tres apparet* ; 2. ex citato ſupra Concilii Senonenſis textu ; 3. quia obligat lex Eccleſiæ, quando impleri non ita difficile poteſt : quod locum habet in præſenti hypotheſi. Unde fideles moralem adhibere debent diligentiam ut reſciant ubi danda ſit Confirmatio, & eo ſe conferant bene diſpoſiti, aut proxime diſponendi : quia ex S. Thoma 2. 2. q. 54. art. 1. *negligentia dicit defectum ſollicitudinis debitæ*.

Quin & tunc ſæpius cum Eccleſiaſtica lege violari poteſt & divina ; ut ſi qui differt, prævideat ſe vel nuſquam deinceps, vel nonniſi longo poſtea tempore, eſſe recepturum.

Prob. 2. pars ex Alcimo Avito, & aliis, quos vide apud Hallerium Lib. de ſacris electionibus pag. 132. num. 26.

Prob. 3. pars ex Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. de reformat. ubi Patres : *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint*. Idem quoad matrimonio jungendos præſcribitur in Synodo Leodienſi, teſte Marchantio Reſol. Paſtor. de Sacram. Tract. 3. cap. 1.

Haud tamen irregularis qui Tonſura donatur priuſquam Confirmatione; quia nullibi iſtud in jure ſancitum eſt.

CAPUT NONUM.

De Cæremoniis Confirmationis.

E Cæremoniis ad Confirmationem ſpectantibus aliæ reſpiciunt Chriſma, aliæ unctionem : ex iſtis vero quædam prædictam unctionem antecedunt, quædam comitantur, quædam ſubſequuntur. De his omnibus quadruplici §. dicendum.

§. I.

§. I.

De Chriſmate nobis hæc ſcitu potiora videntur. 1. Antiquus admodum eſt ritus Chriſmatis per benedictionem conſecrandi, adeo ut in Traditionem Apoſtolicam refundendus videatur, juxta id S. Baſilii Lib. de Spiritu S. cap. 27. *Benedicimus aquam Baptiſmatis, & unctionis oleum. Quibus vero ſcripturis edocti? nonne a ſecreta & ſilente Traditione.*

2. Benedictio hæc olim qualibet cujuſvis temporis die fieri poterat: jam pridem vero huic faciendæ unicam diem, feriam V. in Cœna Domini aſſignavit Eccleſia, ut patet ex Meldenſi Concilio, & ex Zachariæ Epiſt. 12. ad Bonifacium. Hæc porro dies electa eſt, *quia in ipſa fuit Euchariſtiæ Sacramentum inſtitutum, ad quod omnia alia Sacramenta quodam modo ordinantur*. S. Thom. ibid. art. 12. ad 3.

3. Multiplex in ejus benedictione ritus obſervatur: 1. enim funduntur preces, quia juxta Apoſtolum I. Timoth. 4. *Omnis creatura ..... ſanctificatur per verbum Dei & orationem;* 2. fit ſignum Crucis ſuper oleum & balſamum, quia ſine ſigno illo *nihil rite perficitur*, ex Auguſtino ſerm. 181. de temp. & Tract. 118. in Joan. 3. halat aliquoties Epiſcopus ſuper ampullam Chriſmatis, exemplo Chriſti, qui ut S. Spiritum in Apoſtolos illapſum exprimeret, in eos inſufflavit. Unde male & turpiter ritum hunc, quaſi magicum, derident Novatores. Is nempe habetur in Amalario, Ordine Romano, & Sacramentario Gregorii Magni, qui ritus pios noverat, ſuperſtitioſos deteſtabatur; 4. Chriſma jam confectum his Antiſtes & Presbyteri verbis, *Ave ſanctum Chriſma*, ſalutant in ſignum lætitiæ & exultationis, idque non idololatrice vel ridicule, ut garriunt Proteſtantes, ſed exemplo tum S. Andreæ, qui Crucem, uti quid vivens, compellando, ajebat: *Salve Crux pretioſa;* tum Fortunati, qui reſurrectionis diem ſalutabat hoc verſu: *Salve Feſta dies toto venerabilis ævo;* tum D. Paulæ, quæ ubi primum Bethleem conſpexit, ſalutavit tenerrime, ut narrat Hieronymus in Epiſt. de ejus obitu.

4. Chriſma novum quotannis accipiendum eſt a proprio Epiſcopo, non a viciniore, & ſub ſera ſedulo cuſtodiendum. Vetus autem comburi debet, non cuipiam, ſeu in medicinam, ſeu ad diſſolvenda maleficia donari; quod ſevere multis Conciliis prohibitum eſt; ut & prohibitum, ne Epiſcopi, eorumve Miniſtri, pretium ullum pro balſamo ad Chriſmatis confectionem neceſſario exigere præſumant. *Nihil*, ait Concilium Barcinonenſe an. 599. can. 2. *pro liquoris pretio accipiatur, ne gratia Dei pretio Benedictionis affecta ſimonialem interim ementibus vendentibuſque aſſociet.*

§. II.

Ritus, qui unctionem immediate præcedunt, alii Patrinos ſpectant, alii Confirmandos.

Quod ad Patrinos attinet, qualitates eorum & officia tam fuſe deſcripſimus Tractatu præcedenti, cap. 6. ut jam non niſi pauca circa ipſos obſervanda remaneant. Quæ ſi ſcire aves,

R. 1. Cum Rituali Metenſi p. 37. nunc hodie vulgo omitti cæremoniam dandi Patrinos Confirmatis, quæ tamen olim frequens erat, quia

Baptiſmum immediate ſequebatur Confirmatio : nec alius erat Patrinus Baptiſmi & Confirmationis .

2. Ubi eadem cæremonia viget, unum duntaxat pro uno quoque maſculo Patrinum, vel unam pro ſingulis feminis Matrinam adhiberi debere, ex cap. *Non plures*, & cap. *In Cathechiſmo :* diſt. 14. *De Conſecrat.* Ubi nota a S. Carolo ablegari eos, qui 14. ætatis annum nondum attigere; quia necdum communiter Magiſtrorum loco eſſe poſſunt, cum raro ea ætate ſatis ſint eruditi.

3. Confirmationis Patrinum a Patrino Baptiſmi diſtinctum eſſe debere, niſi neceſſitas aliud poſtulet.

4. Patrinum (non ſecus ac Miniſtrum Confirmationis) ſpiritualem contrahere cognationem cum Confirmato, ejuſque Patre & Matre, ex Trid. ſeſs. 24. cap. 2. de reform. Modo tamen Patrinus ipſe ſit, ut ſub gravi eſſe tenetur, confirmatus, quia alioqui nec vere Patrinus eſt, ſecundum id can. 102. diſt. 4. eod. *In Baptiſmate, vel in Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum ipſe qui non eſt baptizatus, vel confirmatus.*

5. Si unus tantum, ut alicubi fit, pro maribus omnibus admittatur ab Epiſcopo Patrinus, eum cum omnibus Confirmandorum matribus affinitatem contracturum eſſe; de quo vide Gibert conſult. VI.

6. *Si quis filiaſtrum ſuum (gallice ſon Beaufils) vel filiaſtram ſuam ante Epiſcopum tenuerit ad Confirmationem, ſeparetur ab uxore ſua ;* ideſt ne debitum exigat. Verba ſunt Concilii Verberienſis an. 756. c. 3.

Nota ſapienter præcipi pleriſque in Ritualibus, ut *Paſtores cathalogum habeant Parochianorum ſuorum, qui Sacramentum Confirmationis ſuſcipiunt : ut innoteſcat, quinam illud Sacramentum receperunt.* Id nempe plura poſt Tridentinum ſanxere Concilia, ut Rothomagenſe an. 1581. Aquenſe an. 1585. Toloſanum an. 1590. Fatendum tamen id longe magis neceſſarium eſſe in Diœceſibus ubi dantur Confirmandis Patrini ; quia hujuſmodi Regiſtrorum ope detegitur quinam ſpirituali affinitate vinciatur. Quamquam & praxis ea ubique inſervire poteſt, ut vitetur Sacramenti iteratio. Vid. Gibert Conſult. 4. de Confirmat.

Quod ſpectat ad Confirmandos, 1. quandoque immutatur nomen eorum, nimirum ſi *turpe, ridiculumve ſit, neque plane conveniens homini Chriſtiano*. Ita præcipit S. Carolus in Concilio Mediolanenſi V. Poteſt quoque ad Confirmandi votum, mutari pium alioqui nomen, vel aliud alii addi, *dum tamen*, ait Synodus Carnotenſis an. 1525. *fraus, & dolus abſint.*

2. Curare debent iidem Confirmandi, *ut non fronte ſordida aut capillis indecenter contexta accedant*. Verba ſunt Aquenſis Synodi an. 1585. *Pridie illius, quo ſuſcipient Sacramentum, caput lavent, aliove modo mundent ; capilloſque ſibi tonderi curent.*

3. Non aliud nunc, cum ſuſceptio Confirmationis divellitur a Baptiſmo, circa Confirmandorum veſtes requiritur, quam ut mundæ ſint ac modeſtæ. Antiquitus tamen poſt ſuſceptum Baptiſma, & ante Confirmationem, veſtibus albis induebantur Neophyti, ſaltem in Eccleſia Latina; prout habent Gregorii Magni Sacramentarium & Ordo Romanus.

§. III.

§. III.

Circa cæremonias quæ Confirmationem comitantur, quinque præſertim occurrunt, nempe tempus, locus, ordo & ſitus, alapa quæ datur ab Epiſcopo, pax Confirmatis data.

Quoad tempus, illud olim idem fuit quod Baptiſmi, quem proxime ſequebatur Confirmatio. Porro ſub Eccleſiæ incunabula, quodlibet tempus, etiam extra caſum neceſſitatis, Baptiſmo idoneum cenſebatur. Dehinc utrumque Paſchatis & Pentecoſtes ſabbatum, aut etiam quibuſdam in locis, Epiphaniæ, vel Natalis Domini feſtivitas, ſolemni Baptiſmo, ubi nullum eſſet periculum in mora, conſecrata ſunt. Ubi autem crevit fidelium numerus, & jam a Baptiſmate diviſa eſt Confirmatio, hæc quavis anni tempeſtate pro Epiſcopi opportunitate collata eſt. Bene tamen S. Carolus, vir antiquæ diſciplinæ zelator, in Concilio Mediol. V. *Hoc Sacramentum Epiſcopus miniſtrare ſtudebit hora tertia potiſſimum* (nobis nona matutina) *quæ ex antiquo ritu hujus Sacramenti hora eſt;* quia nempe hac hora in Apoſtolos deſcendit Spiritus ſanctus. Quamquam apud Græcos, Chryſoſtomi tempore, Baptiſmi & Confirmationis ritus profundæ noctis ſilentio peragi ſolebant. Addit idem S. Carolus, Confirmationem præcipue adminiſtrandam eſſe tempore Pentecoſtes; quod nemo diffitebitur.

De loco idem fere dicendum, quod de Baptiſmi loco dictum eſt, tom. 4. pag. 420. Datur tamen quandoque Confirmatio in locis profanis, ob Confirmandorum multitudinem, quam non capit Eccleſia; item in ipſo ægroti cubiculo propter periculum mortis, ex Auctore Libri de divinis Officiis.

De ordine & ſitu hæc præſcribit Synodus Mediolanenſis V. *Mares in Eccleſia a parte ſua, feminæ ab altera ſint; ſicque ſeparatim diſtincti, genibus flexis, manibus ante pectus junctis, ſuo quiſque ordine pie & religioſe orent; imprimiſque ab omni ſtrepitu, vociferatione & inani confabulatione caveant, ſed ſilentio ſancto utantur: Et quod veteris ritus eſt, primum mares, deinde feminæ confirmentur, niſi aliquando aliter fieri Epiſcopus cenſuerit.*

Poſt Orationem & Unctionem Epiſcopus alapa Confirmatum leviter cædit. Ambigunt eruditi a quo, vel quando inſtituta ſit hæc cæremonia. Qua autem intentione, varii varia reſpondent. Synodus Senonenſis & Carnotenſis infligi eam dicunt, *ut infantes memoriam habeant ſe fuiſſe Confirmatos, ne iterum confirmentur*. Catechiſmus Romanus, *ut meminerit Confirmatus, ſe tanquam fortem athletam paratum eſſe oportere ad omnia adverſa invicto animo pro Chriſti nomine ferenda*. Idem & plenius tradit S. Carolus Borromæus.

Pax ab Epiſcopo datur Confirmato, ut intelligat *ſe gratiæ cæleſtis plenitudinem & pacem, quæ* teſte Apoſtolo, *exuperat omnem ſenſum, conſecutum eſſe:* Ita Catechiſ. Roman.

§. IV.

Ritus Unctionem ſequentes, qui jam pridem pluribus in locis deſiere, ſunt 1. appoſitio lineæ vittæ, qua Confirmati frons circumligatur: ſe-

cun-

cundum id Synodi Trecenſis an. 1400. *Confirmandi bandellos longos & latos ſecum habeant, quos poſt Confirmationem triduo, die ac nocte deferant, tum ne Chriſma poſſit ab aliis tangi*, tum ut meminerint acceptam internæ unctionis gratiam diligenter conſervandam eſſe, juxta illud I. Joan. 2. *Unctionem quam accepiſtis, maneat in vobis*. In hac re, ait hic Bellarminus cap. 13. ſervanda eſt propriæ Eccleſiæ conſuetudo : alicubi enim ad ſeptem dies frontis faſcia conſervatur (*quanto*) nimirum *tempore generaliter ab Eccleſia celebratur adventus Spiritus S. ſuper Apoſtolos*, ait Ordo Romanus) alicubi ad tres, vel minus dies; alicubi ſtatim abſtergitur Chriſma a Sacerdotibus, ut faſcia opus non ſit.

2. Abſtentio lotionis capitis vel frontis per dies ſeptem, vel forte per tempus quo vitta de qua mox, gerebatur, ne ſcilicet ablueretur Chriſma.

3. Ejuſdem vittæ depoſitio. Nempe elapſo ipſius geſtandæ tempore, quod ad duodecimum uſque ſæculum fuit dierum ſeptem, ſæculo XIV. dierum trium, & deinceps non raro horarum duntaxat viginti quatuor, Confirmatus ad Eccleſiam veniebat, ablataque ei a Sacerdote faſciola, mox ejus frons ſale & aqua lavabatur, lotionis aqua fundebatur in piſcinam, & vitta comburebatur, ejuſque cineres in primam quadrageſimæ diem ſervabantur ex Synodis Mediolanenſi V. Bituricenſi an. 1584. & Aquenſi an. 1585.

Digitized by Google

TRACTATUS
DE EUCHARISTIA.

ETſi, quod abſit, ceteræ de rebus Theologicis diſſertationes ceu minimi quidpiam haberi poſſent, magni tamen facienda eſſet quæ circa Euchariſtiam occupatur: Tum quia vix ulla eſt diſputandi materia, quam lubentius arripiant Proteſtantes, & unde, imminuti licet, proſtrati, cæſique ad internecionem, majores ſibi ſpondeant triumphos; tum quia habet campus ille flores, admiſtos quidem ſpinis, ſed tanta odorum, colorumque diverſitate variatos, ut ſuos Critici, ſuos Scripturarum Traditioniſque ſtudioſi, ſuos Methaphyſici haud faſtidioſa manu legere poſſint; tum quia tot abundat opibus Euchariſtia, ut qui eas primula oculi acie inſpexerit, mirabundus illico, vixque ſui compos cum Auguſtino exclamet; *O Sacramentum pietatis! O ſignum unitatis! O vinculum charitatis?* Hæc quam vere, quam citra ullam ampullatæ orationis ſpeciem dicta ſint, indicabunt vel ipſa, quibus Myſterium iſtud indigitari ſolet, vocabula. Itaque

Dicitur 1. *Euchariſtia*, eaque vox, ſeu gratiarum actionem ſignificet, ut interpretantur plures, ſeu bonam gratiam, ut placet Angelico Doctori 3. p. q. 73. a. 4. Sacramento noſtro apprime convenit. Eſt enim *gratiarum actio*, tum ex parte Chriſti, qui ipſum inſtituit *gratias agens;* tum ex parte noſtri, quos *reverenda ac ſalutaria illa Myſteria .... faciunt debitas Deo gratias ſemper exolvere;* ut vere Chryſoſtomus Hom. 26. in cap. 8. Matth. Eſt etiam *bona gratia*, quia *qui manducaverit panem hunc*, atque ex eo gratiarum fontem hauſerit, *vivet in æternum;* eſt autem *gratia Dei*, *vita æterna*, ut dicitur Rom. 6.

Dicitur 2. *Communio*, partim quia ope ipſius *communicamus Chriſto*, atque *de ejus carne & deitate participamus;* partim quia uno páne veſcentes *communicamus ad invicem*, *aliique aliorum membra efficimur:* Ita ibid. S.Thomas ex Damaſceno lib. 4. de fide Orthod. cap. alias 14. nunc 13.

Quæres obiter quotuplex diſtinguatur in jure Communio, & quid ſibi velint Canones, cum aliquem e Clericis a Communione Eccleſiaſtica dejiciunt.

R. ad 1. Triplex ſecernitur Communio, Eccleſiaſtica nimirum, laica

&

& peregrina. Communio Eccleſiaſtica aliquando idem eſt ac participatio Euchariſtiæ, prout a Clericis recipi ſolet, nimirum cum Clericalibus Indumentis, & intra altaris ſepta; aliquando idem eſt ac communicatio cum ceteris fidelibus, qua tandiu fruitur quiſque, donec ab eorum commercio per cenſuras ſejunctus fuerit. Communio laica eſt participatio Euchariſtiæ prout a Laicis recipi conſuevit. Communio peregrina, ea eſt temporalis auxilii ſpecies, quæ fidelibus peregrinis, formatas ſeu commendatitias a proprio Epiſcopo literas habentibus præſtabatur ab Eccleſiis, ad quas, aut per quas iidem fideles iter habebant. Quapropter

R. ad 2. Clerici, vel abſolute & omnimode Eccleſiaſtica Communione privabantur, & tunc cenſebantur excommunicati; vel ad Laicam Communionem reducebantur, & tunc duplici ſubjacebant pœnæ, 1. enim etſi adhuc Euchariſtiam percipere poterant, at non niſi cum Laicis, proinde ſine Orario & extra cancellos; 2. jam tunc non partiebantur cum aliis Miniſtris ſportulam, ſeu eam Eccleſiaſticorum redituum partem, quæ Miniſtris altari inſervientibus impendebatur: unde vel ex patrimonialibus bonis, vel ex aliorum liberalitate, vel propria ex induſtria victum ſibi quæritare compellebantur. Quoniam vero erant ex iis Clericis, qui & bonorum & induſtriæ inopes, fame & inedia extincti fuiſſent, niſi iis ſubventum eſſet ab Eccleſia, a qua depoſiti fuerant; ſinebat ex commiſeratione eadem Eccleſia, ut accumberent menſæ, quæ quotidianum ad victum fidelibus peregrinis apparari ſolebat; unde & peregrinam Communionem habere dicebantur. Ita Cabaſſutius in *Notitia Eccleſiaſt.* diſſert. 15. edit. in fol. pag. 50. alias cap. 6. edit. in 8. an. 1670. pag. 387. Inepte ergo quidam Clericos ad Laicam Communionem ideo redactos fuiſſe volunt, quia jam ſub una ſolum ſpecie communicarent cum Laicis, non ſub duplici, ut antea; tum quia nullibi Communio ſub unica ſpecie in pœnam inflicta eſſe legitur; tum quia Laici ſub bina ſpecie Euchariſtiam percipiebant, quo tempore Clerici depoſiti ad Laicam Communionem redigebantur.

Dicitur 3. a Græcis quidem *Synaxis*, a Latinis autem *Collecta*, ſeu *adunatio*; tum quia conveniebant *in unum* Fideles *Dominicam Cœnam* manducaturi; tum quia *unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* *I Cor. 11.* *Ibid. cap. 10.*

Dicitur 4. *Viaticum*, quia *hic præbet nobis viam illuc*, nimirum ad cœleſtem patriam *perveniendi*: ita S. Thomas ubi ſupra. Sunt quidem & alia Sacramenta, ſalutis ſubſidia, & eo ſenſu viatica; unde Baptiſmus, item & data morientibus abſolutio, nonnumquam viatici nomine donantur: at præ ceteris Euchariſtiæ competunt nomen & ratio viatici, quia nullum ipſa eſt aut eſſe poteſt hujus viæ potentius auxilium.

Dicitur 5. *Metalepſis, ideſt aſſumptio, quia, ut Damaſcenus dicit* ibid. *per hoc Filii deitatem aſſumimus*, & in eum quaſi transformamur. Ita idem S. Thom.

Dicitur 6. *Cœna Dominica*, tum quia eſt commemoratio ſupremæ illius Cœnæ in qua ſuum illud ſummum amoris pignus exhibuit Salvator; tum quia hic Chriſti corpore & ſanguine reficiuntur fideles. Hoc quidem Cœnæ nomen ablegant Catholici quidam, quia eo abutuntur Novatores, ſeu ut Euchariſtiam nonniſi pluribus ſemel diſcumbentibus celebrandam eſſe probent; ſeu ut eam a minime jejunis percipi poſſe evincant: at ſi rejiciendum id omne quo abutuntur Hæretici, prima exulabit Scriptura. Servandum ergo, caute licet, nomen quo uſi ſint Tertullianus,

Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, &c. ſed refellendum ſimul, ut facile poteſt, quidquid hinc contra fidem vel diſciplinam corraſerit veſana Heterodoxorum prurigo.

Dicitur 7. *Paſcha*, tum quia Paſcha noſtrum Chriſtus in Euchariſtiæ ſuo modo immolatur; tum quia hæc inter legales Judaici Paſchatis cibos inſtituta eſt.

Dicitur 8. *Agape*, ſeu dilectio, ſeu quia præſtantiſſimum ſit argumentum ſummæ illius dilectionis, qua Chriſtus ſuos *dilexit in finem*; ſeu quia celebratio ejuſdem iis jungebatur conviviis, quibus initium fecerat mutua primævorum Fidelium charitas.

Dicitur 9. *Liturgia*: etſi enim eo nomine intelligitur Officium quodcumque publicum, at præcipue apud Chriſtianos ea intelligitur ſacri Officii pars in qua Euchariſtia celebratur.

Dicitur 10. *Eulogia* ſeu benedictio, quia nempe Myſterium iſtud per benedictionem ſeu conſecrationem a Chriſto certa verba proferente confectum fuerit, & nunc etiam a Presbyteris eadem verba proferentibus perficiatur. Hic tamen obſervandum eſt Eulogiarum nomen non raro in Canonibus attribui iis panum a Fidelibus oblatorum particulis, quæ benedictæ quidem, ſed haud ſacramentaliter conſecratæ, ab Epiſcopis quoquoverſum mittebantur, ſeu in ſignum Communionis, ſeu ut aliquale Euchariſtiæ ſupplementum in iis qui ad ſacram Synaxim accedere non potuiſſent. De iſtis intelligendum id Laodicænæ Synodi Can. 15. *Ne ſancta inſtar Eulogiarum in feſto Paſchæ in alias Parochias tranſmittantur*: cujus Decreti ratio eſt, quod inutiles ſint Eulogiæ, ad repræſentandum Chriſti Sacramentum inſtitutæ, cum recipitur ipſiſſimum illud corpus, prout in feſto Paſchæ a Fidelibus omnibus recipiebatur. De iiſdem a fortiori intelligendus venit Canon quintus Concilii Catthaginenſis III. quo Catechumenis permittitur quidem ſalis prægustatio, ſed prohibetur Eulogiarum uſus: neque enim uſquam permiſſa eſt Catechumenis Euchariſtiæ perceptio. Unde Auguſtinus Lib. 1. de peccat. merit. cap. 26. *Quod accipiunt* Catechumeni, *quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen & ſanctius quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt*, latiori ſenſu ſcilicet. De his adi Cabaſſutium ſupra diſſert. II. p. 43. alias cap. 38. p. 198.

Dicitur 11. *Panis*, *panis Angelorum*, *panis Dominicus*, *panis ſuperſubſtantialis*, *panis quotidianus*, *panis ſanctus vitæ æternæ*, quia mentem digne ſuſcipientis alit, fovet & ineffabiliter ſuſtentat. Unde etiam vocatur *divina alimonia*, *cæleſte convivium*, &c.

Dicitur 12. *Sacrificium*, *in quantum ſcilicet*, ait ibid. S. Thomas, *eſt commemorativum Dominicæ Paſſionis*.

Dicitur denique, ut plures alias ejuſdem appellationes omittam, *Sacramentum pacis & unitatis*: unde intelligimus, ait Catechiſmus Concilii Trid. *quia indigni ſunt Chriſtiano nomine, qui inimicitias exercent; odiaque, diſſidia & diſcordias, ut teterrimas Fidelium peſtes omnino exterminandas eſſe; cum præſertim quotidiano Religionis noſtræ ſacrificio nihil nos ſtudioſius ſervare quam pacem & charitatem profiteamur*.

En potiſſima Sacramenti hujuſce nomina, quæ talem ejus ideam ingerunt, ut jam a limine ſtupear mens, intercludantur ſenſus, deficiat vox, non hominis duntaxat, ſed & Angelorum. Quoniam vero loqui jube-

jubemur, & dicendi vires præbet, qui ad dicendum invitare dignatus eſt, jam nunc incumbimus operi; & ut ſingulas inenarrabilis Myſterii partes, quantum ſinit humani obtutus infirmitas, expendamus, præſentem Tractatum duas in partes dividemus, quarum prior Euchariſtiam in ratione Sacramenti, eamdem poſterior ſub ratione Sacrificii contemplabitur.

PARS PRIMA.

DE EUCHARISTIA UT SACRAMENTO.

QUam in explanandis Baptiſmi, Confirmationiſque Tractatibus tenui methodum, hanc in præſenti ſequar. Expendam igitur primo in quo ſita ſit Euchariſtiæ natura: tum diſcuſſa inſtitutione cauſas ordine quamque ſuo proſequar; agam ſubinde de Miniſtro, de ſubjecto, &c.

CAPUT PRIMUM.

De natura Euchariſtiæ.

EUchariſtia definitur apud Catholicos: Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini ad ſpiritualem Fidelium alimoniam a Chriſto ipſo inſtitutum, per modum alicujus permanentis.

Quoniam vero, Deo ſic in peccatorum noſtrorum vindictam permittente, vix ulla, ſi quæpiam eſt, hujus definitionis vocula, quam intactam reliquerit hæreſis, idcirco nec ulla erit quam vindicare non enitamur.

ARTICULUS PRIMUS.

An Euchariſtia ſit Sacramentum.

NEgarunt Archontici, qui teſtibus Epiphanio hær. 34. & Theodoreto Lib. 1. hæret. fabul. cap. 12. & 13. Scripturam & Sacramenta quæcumque rejiciebant; 2. Gundulphani, ſic dicti ab Italo quodam, nomine Gundulpho; ii enim & Baptiſmum & Altaris Sacramentum reſpuebant, ut liquet ex Synodo Atrebatenſi an. 1025. cujus Acta videris tom.3. Spicilegii; 3. negant & hodie Sociniani, quos inter VVolkelius Lib. 4. de vera Religione cap. 22. *Euchariſtia*, inquit, *Sacramentum non eſt, quia nec ullam nobis gratiam donat, nec obſignat; ſed jam donatæ obligationem adumbrat.* Contrarium tenent Chriſtiani ceteri, etſi alii ab aliis diſſentiant in pluribus, quorum leviora quædam in hoc Articulo proſequemur. Sit

Conclusio I. Euchariſtia verum eſt Sacramentum.

Prob. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile a Chriſto permanenter inſtitutum, annexam habens promiſſionem gratiæ, ejuſdemque per tale ſignum recipiendæ mandatum: atqui hæc omnia Euchariſtiæ conveniunt. Et quidem 1. in ea occurrit ſignum ſenſibile, panis nempe & vinum, vel potius utriuſque

que ſpecies, ſecundum id Apoſtoli I. Cor. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis*, &c. 2. eſt & ſignum ſenſibile inſtitutum a Chriſto: *Ego enim*, ait Apoſtolus I. Cor. 11. *accepi a Domino .... quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit, & dixit, Accipite & manducate: Hoc eſt corpus meum*, &c. 3. annexam habet gratiæ promiſſionem, ſecundum id Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum;* 4. nec deeſt grave mandatum tale ſignum talem ad gratiam inſumendi: ibidem quippe ait Chriſtus: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis .... non habebitis vitam æternam*. Unde 5. inſtituta eſt permanenter; tum quia ope ipſius vitam habituri ſunt quicumque ejuſdem uſque ad conſummationem ſæculi participes eſſe poterunt; tum quia inſtituta eſt in memoriam paſſionis Chriſti, ſecundum illud: *Hoc facite in meam commemorationem:* porro memoriam hanc uſque ad finem mundi renovandam eſſe quis inficietur?

Conclusio II. Euchariſtia prout eſt ſignum gratiæ ſanctificantis, nec in ſolo Chriſti corpore, nec in ſpeciebus ſolis conſiſtit, ſed in corpore & ſpeciebus, ſeu in ſpeciebus prout eis ſubjacet corpus Chriſti.

Prob. 1. pars, 1. quia Euchariſtia, ſicut & quodlibet aliud Sacramentum, eſt neceſſario inviſibilis gratiæ ſignum viſibile: atqui hanc viſibilis ſigni rationem habere non poteſt a ſolo Chriſti corpore; cum corpus Chriſti non ſit in Euchariſtia modo viſibili; ergo neceſſe eſt, ut hanc ſigni viſibilis rationem habeat a ſpeciebus, non quas connotet tantum, ut aliquibus placet, ſed quas includat; cum Sacramento eſſentiale ſit, ut non quidem per omnes ſui partes, ſed per aliquas ſaltem ſenſibile ſit, ac proinde non per aliquid pure ſibi extrinſecum.

Prob. 2. ex Tridentino, quod Seſs. 13. Can. 1. definit *in Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem D. N. J. C.* atqui ſi Sacramentum Euchariſtiæ ex ſolo Chriſti corpore conſtaret, jam male diceretur in eo contineri corpus & ſanguinem Chriſti. Eſſet enim id dicere, corpus Chriſti in Chriſti corpore contineri, quod abſurdum eſt; ergo.

Prob. 2. pars, quia de Sacramento Euchariſtiæ dicitur, quod ſit ſuperſubſtantialis animæ cibus, quod latriæ cultu adorandum ſit, &c. atqui nullum ex his de ſolis ſpeciebus dici poteſt; ergo.

Prob. 3. pars, 1. quia ſi nec ſpecies, nec corpus diviſim ſumpta Euchariſtiam conſtituunt, neceſſum eſt eam ex utriſque conjunctim exurgere; 2. quia in Can. *Hoc eſt*, diſt. 2. *De Conſecr.* ſic habetur: *Hoc modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium ſcilicet Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri J. C. carne & ſanguine, Sacramento & re Sacramenti .... ſicut perſona Chriſti conſtat & conficitur ex Deo & homine*. Unde ſic: Euchariſtia ex ſpeciebus panis & vini, atque ex corpore Chriſti conſtituitur, ſicut Chriſti perſona ex Deo & homine: atqui perſona Chriſti ex Deo & homine intrinſece conſtituitur; cum Chriſtus ſit Deus & homo intrinſece; ergo pariter Euchariſtia intrinſece conſtituitur ex ſpeciebus & corpore Chriſti.

Dixi in Concluſione, *Euchariſtia, prout eſt ſignum gratiæ ſanctificantis:* quia Euchariſtia, ſi ſpectetur prout eſt ſignum gratiæ ſubſtantialis, ſeu ſubſiſtentis, ideſt corporis Chriſti, quod per externas ſpecies ſignificatur,

Digitized by Google

tur, in ipſis ſpeciebus adæquate conſiſtit: quandoquidem ſolæ ſpecies ſunt ſignum corporis Chriſti; nec idem illud corpus, utpote inviſibile, ſui ſignum viſibile eſſe poteſt.

Obj. 1. cum iis qui ſpecies a ratione Sacramenti conſtitutiva excludunt: Quælibet pars intrinſeca Sacramenti gratiam producit ex opere operato: atqui ſpecies gratiam non producunt, ſed ſolum Chriſti corpus, cui uni animam nutrire competit; ergo.

R. 1. majorem etſi veram in aliis Sacramentis, negari poſſe cum agitur de Euchariſtia, quia cum hæc ipſum gratiæ Auctorem ſubſtantialiter contineat, nullo præter ipſum indiget gratiæ principio. Et vero deſtructis per miraculum ſpeciebus, & percepto tamen Chriſti corpore, non minor quam cum ſpeciebus perciperetur gratia.

R. 2. neg. min. tam enim poſſunt ſpecies gratiam operari, & eſſe non quidem ſubſtantialiter, ſed inſtrumentaliter animæ cibus, quam gratiam operari poſſit aqua in Baptiſmo: atqui, &c. Et id docet S. Thomas qu. 73. art. 5. ad 2.

Obj. 2. Sacramentum Euchariſtiæ per conſecrationem recipit eſſe ſuum: atqui ſpecies per conſecrationem ſuum eſſe non recipiunt; non enim fiunt, ſed remanent; ergo.

R. neg. min. ſpecies enim Euchariſticæ non tantum ſunt accidentia, ſed accidentia quibus ſubeſt corpus Chriſti: id autem habent ex conſecratione.

Obj. 3. cum Goneto & aliis, qui corpus Chriſti intrinſecam Sacramenti partem eſſe negant: Quod eſt res & Sacramentum ſimul, non poteſt tanquam pars intrinſeca pertinere ad eſſentiam ejus quod eſt duntaxat Sacramentum: atqui corpus Chriſti prout ſubjacet ſpeciebus eſt res & Sacramentum. Minor patet, quia corpus Chriſti prout ſuppoſitum ſpeciebus, ſignificat gratiam cibantem, & a ſpeciebus ſignificatur. Prob. itaque major: 1. ex paritate Baptiſmi, cujus intrinſecam compoſitionem non ingreditur character, quia idem character eſt res & Sacramentum; 2. quia res Sacramenti, eſt effectus Sacramenti: atqui effectus Sacramenti, ut qui Sacramentum conſtitutum ſupponat, ipſum conſtituere non poteſt; ergo.

R. 1. ut intelligatur cujus pretii ſit objectio propoſita, ſufficere ut conſulantur quæ diximus Tom. IV. pag. 249.

R. 2. ad 1. neg. maj. Contritio enim, juxta Thomiſtas, eſt res & Sacramentum in Pœnitentia: atqui tamen, juxta eoſdem, contritio eſt pars intrinſeca Sacramenti; ergo. Ratio ulterior eſt, quia id quod eſt res & Sacramentum, poteſt eſſe gratiæ productivum, & aliquo modo ſenſibile, quod ſufficit ut ſit pars intrinſeca Sacramenti.

Ad 1. 2. neg. parit. quia nempe character ita eſt Sacramentum in Baptiſmo ut gratiam non producat, quam tamen certiſſime producit corpus Chriſti in Euchariſtia. Imo, ut dicam quod res eſt, vix concipitur quomodo character ſit Sacramentum.

Ad 2. 2. neg. maj. generaliter intellectam: Tunc enim duntaxat id quod Theologis rem Sacramenti vocare placuit, eſt Sacramenti effectus, quando ponitur vi materiæ & formæ, ut earum vi ponitur character: atqui corpus Chriſti non ponitur in Euchariſtia vi ſpecierum (ſicut nec in pœnitentia contritio vi confeſſionis) ſed ponitur per ſe & propter ſe, vi verborum conſecrationis; ergo etſi idem ſacroſanctum Corpus vocari poteſt

I 4 res

Digitized by Google

res & Sacramentum, haud tamen pro ſpecierum effectu haberi poteſt. Unde prima minor ſic diſtingui poteſt: Corpus Chriſti eſt res & Sacramentum, ideſt, ſignificatur per ſpecies, & ſimul cum iis ponitur vi conſecrationis, C. ideſt, eſt res per ſpecies producta, & quæ ad eas conſequatur ut character ad Baptiſmum, N.

Obj. 4. Frangitur Sacramentum, juxta id S. Thomæ: *Fracto demum Sacramento;* atqui non frangitur corpus Chriſti; ergo corpus Chriſti non pertinet in recto ad Sacramentum.

R. diſt. maj. frangitur Sacramentum, ſecundum aliquid ſui, ſpecies nimirum, C. ſecundum id totum quod importat, N. Sic etiam adoratur Sacramentum latriæ cultu, nec ſecundum ſe totum ſic adoratur. Quamquam & corpus Chriſti aliquo, nec improprio ſenſu frangibile dici poteſt, ut patebit in Appendice de Accidentibus.

Obj. 5. Ex Tridentino corpus & ſanguis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento continentur; unde & Euchariſtia vocatur Sacramentum corporis Chriſti: ſed quod continetur in Sacramento non eſt ipſum Sacramentum; ergo.

R. diſt. maj. corpus & ſanguis Chriſti continentur in Euchariſtia, ut partes in toto, C. ut quid extrinſecum toti, N. ſic corpus continetur in homine, & tamen eſt pars homini eſſentialis.

Nec obeſt, ſed favet id quod urgent alii ex eod. Trid. Chriſtum nempe *in ultima Cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini ſpeciebus* inſtituiſſe. Neque enim id dictum eſt, ut tota Sacramenti eſſentia in ſpeciebus reponeretur, cum has Scholæ ſubtilitates non curaverit Concilium; ſed 1. ut intelligeretur Sacramentum ſub duplici ſpecie inſtitutum eſſe; 2. ſub eadem utraque ſpecie latitare & involvi verum Chriſti corpus, omni veneratione digniſſimum.

CONCLUSIO III. Ergo neque conſecratio, neque ſumptio Sacramenti ad intrinſecum Euchariſtiæ conſtitutivum pertinent.

Sequitur ex dictis: ſi enim poſitis ſpeciebus & corpore intelligitur adæquate Sacramentum, nihil eſt cur ad ejus eſſentiam pertinere dicantur ſeu verba conſecratoria, ſeu uſus vel ſumptio Sacramenti. Nihilominus majoris expoſitionis gratia

Suar. diſp. 42. ſect. 2. Prob. 1. pars contra Suarem, 1. quia nulla cauſa efficiens poteſt eſſe pars eſſentialis effectus ſui; cum cauſa efficiens qua talis, ſit effectui extrinſeca, id autem quod eſt pars eſſentialis rei, ſit eidem rei maxime intrinſecum: atqui verba conſecratoria ſunt cauſa efficiens Euchariſtiæ; ſunt enim id vi cujus fit corpus Chriſti, illud quod antea panis erat; ergo.

2. quia Euchariſtia adæquate conſiſtit in re permanenti: atqui ſi verba conſecratoria ad ejus eſſentiam pertinerent, jam non conſiſteret ea adæquate in re permanenti; cum verba hæc ſint quid maxime tranſiens; ergo.

3. quia Tridentina Synodus totum Euchariſtiæ Sacramentum agnoſcit in eo quod per vias publicas honorifice circumgeſtatur, quod aſſervatur in ſacrario, quod denique populis ad latriæ cultum exhibetur: atqui horum nihil eſt quod verbis conſecratoriis conveniat; ergo totum Sacramentum ſine iis ſubſiſtit.

4. quia ſi Deus per ſe ipſum immediate & ſine verbis ullis panem

&

Digitized by Google

& vinum converteret in corpus & ſanguinem Chriſti, idem eſſet quod nunc eſt Sacramentum: atqui tamen nulla tunc intercesſiſſet conſecratio: ergo. Ita Mæratius diſp. 2. ſect. 4.

Prob. 2. pars contra Gabrielem in 4. diſt. 8. q. 1. a. 3. dub. 2. Prob. inquam, 1. quia Euchariſtia a Sacerdote, utpote unico ejuſdem Miniſtro, tota perficitur: atqui ſi uſus ſeu ſumptio Euchariſtiæ pertineret ad ejus eſſentiam, non perficeretur tota a Sacerdote, ſed plerumque a Fidelibus, etiam feminis; 2. quia Euchariſtia inſtituta eſt tanquam ſpiritualis animæ cibus: atqui cibus ſtat integer ante ſumptionem; & hæc licet ſit conditio ſine qua non prodeſt cibus, non eſt tamen pars cibi intrinſece completiva; 3. quia Euchariſtia ſecundum ſe totam eſt quid permanens, ut paulo ante dicebamus, & fuſiori ſtylo dicemus alibi: atqui ſumptio non eſt quid permanens; ergo.

Obj. 1. Forma Sacramenti eſt pars ejuſdem intrinſeca: atqui ex Decreto Eugeni IV. *forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris;* ergo verba, &c.

R. 1. diſt. maj. forma Sacramenti in actione tranſeunte poſiti, eſt pars ejuſdem eſſentialis, C. forma Sacramenti eſſe permanens habentis, Subd. eſt pars ejuſdem ſpectati in fieri, C. ſpectati in facto eſſe, N. itaque in Baptiſmo v. g. qui in actione tranſeunte conſiſtit, verba ſunt & forma & pars eſſentialis, quia ex iis una cum ablutione exurgit totum illud quod eſt gratiæ regenerantis productivum. Rurſus in Euchariſtia ſpectata in fieri verba rationem formæ habent, ut alibi dicemus. Verum aliud eſt de Euchariſtia prout habet eſſe permanens: ſic enim debet ipſa conſtitui per aliquid fixi; porro conſecrationis verba non ſunt aliquid fixi, ſed illico tranſeuntis.

R. 2. aliter diſt. min. forma Euchariſtiæ ſunt verba Salvatoris, quatenus per eadem verba conficitur Euchariſtia, C. quatenus eadem verba cum corpore & ſpeciebus ingrediuntur totum Euchariſticum, N. Solutio eſt in textu; ſic enim habet Eugenius: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum: nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur;* ergo verba ſe habent ad Sacramentum ſicut cauſa ejus efficiens: atqui cauſa efficiens rei non poteſt eſſe ejuſdem rei forma intrinſeca, ſed extrinſeca tantum; ergo.

Inſt. ex Eugenio ibid. Sacramenta novæ Legis conſtant rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma; ergo ſicut res intrinſece pertinent ad Sacramentum tanquam materia, ſic & verba tanquam forma.

R. neg. ant. nam ait quidem Eugenius Sacramenta perfici rebus, &c. ſed non ait ea conſtare rebus, &c. hæc autem duo diſcrepant, quia primum abſtrahit a conſtitutivo intrinſeco, quod diſerte exprimit ſecundum. Non nego Sacramenta in actione tranſeunte poſita, conſtare intrinſece rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma; nego tantum ex Eugenii Decreto colligi poſſe, Euchariſtiam in facto eſſe conſtare verbis. Et vero ait Eugenius, panem & vinum eſſe materiam Sacramenti, ſicut verba conſecratoria formam eſſe dicit: atqui tamen fide conſtat panem & vinum non eſſe de conſtitutivo intrinſeco Euchariſtiæ; cum fide conſtet utrumque in corpus & ſanguinem Chriſti converti; ergo. Atque hinc inferes materiæ

& for-

& formæ nomina vel latius ſumi in Decreto Eugenii, vel ſi proprie, non reſpicere niſi Euchariſtiam in fieri.

Obj. 2. Id per quod ſpecies ſignificant corpus & ſanguinem Chriſti, non minus intrinſecum eſt Euchariſtiæ quam ipſæ ſpecies : atqui ſpecies nonniſi per verba conſecratoria ſignificant ∴ De ſe enim potius panem ſignificant quam corpus Chriſti ; ergo.

R. diſt. min. ſpecies ſignificant corpus Chriſti per verba conſecrationis, tanquam per cauſam ejuſdem corporis efficientem, C. tanquam per aliquid ipſis ſpeciebus vel corpori intrinſece inhærens, N. Verba enim quæ tranſeunt, nec ſpeciebus nec corpori inhærere poſſunt.

Inſt. 1. Verba conſecrationis tranſeunt quidem phyſice cum proferuntur, at permanent moraliter : atqui moralis hæc præſentia ſufficit ut eadem verba rei permanentis pars intrinſeca eſſe poſſint. Siquidem conſenſus, hodie datus matrimonio poſt quindecim dies per procuratorem contrahendo, non permanet niſi moraliter : atqui tamen conſenſus ille eſt futuri matrimonii pars intrinſeca ; ergo quod moraliter tantum permanet, poteſt eſſe pars rei intrinſeca.

R. 1. neg. maj. id enim moraliter ſubſiſtere dicitur, quod pro præſenti habet prudens hominum æſtimatio, ut patet in ipſo quod allatum eſt matrimonii exemplo : atqui conſecrationis verba poſtquam prolata ſunt, nec prudenter nec imprudenter æſtimantur præſentia, ſeu continuo a Sacerdote prolata; ergo nec phyſice, nec habitualiter & moraliter ſubſiſtunt.

R. 2. neg. min. Euchariſtia enim eſt res proprie ac ſimpliciter permanens, ac proinde exiſtens phyſice ſecundum omnes ſui partes : atqui quod moraliter tantum exiſtit, non eſt aptum ad conſtituendam partem intrinſecam rei ſecundum ſe totam phyſice ; ergo.

Inſt. 2. Ratio entis conſecrati eſt Euchariſtiæ maxime intrinſeca : atqui ratio conſecrati eſſentialiter importat verba conſecratoria ; ergo.

R. neg. min. Ens enim conſecratum connotat quidem id per quod conſecratum eſt, ſicut effectus connotat cauſam ; at non magis illud includit, quam effectus cauſam.

Ne ad hujuſmodi tricas ſæpius redire cogamur, paucis hic expendam an Euchariſtia unum ſit vel multiplex Sacramentum. Repetendum ex Philoſophis, unitatem eſſe vel *genericam*, quæ eſt indiviſio in plura genera ; & talis eſt unitas animalis reſpectu hominis & bruti, quia ambo conveniunt in ratione animalis; vel *ſpecificam*, quæ eſt indiviſio in plures ſpecies ; & talis eſt unitas Petri & Pauli, quia ambo in una ſpecie ſeu natura conveniunt; vel *numericam*, quæ eſt indiviſio in plura individua, & ſic Tullius eſt unus. Jam ut propoſitam quæſtionem, quæ, ut plurimum ſimiles aliæ, pene tota de nomine eſt, expediamus, ſit

Conclusio IV. Euchariſtia phyſice ſeu materialiter ſpectata duplex eſt ſpecie Sacramentum, ſpectata vero moraliter, ſeu in ratione convivii ſpiritualis, unum eſt ſpecifice Sacramentum.

Prob. 1. pars, quia ubi ſunt diverſa ſpecie ſigna, in quorum unoquoque totum continetur Sacramentum, ibi plura ſunt Sacramenta : atqui in Euchariſtia phyſice ſpectata ∴ ſignum enim panis ſpecifice differt a ſigno vini : atqui utrumque ſeorſim totum continet Sacramentum. Alioqui qui ſub uno panis ſigno communicat, non reciperet totum Sacra-

cra-

cramentum, quod repugnat Tridentino Seſſione 21. cap. 3. ergo.

Prob. 2. pars: Euchariſtia ſpectata moraliter, ſeu in ordine ad animam cujus eſt refectio, verum eſt convivium ſpirituale: atqui convivium illud vero ſenſu unicum eſt. Tam enim unicum eſt, quam unicum ſit terrenum convivium etſi conſtans cibo & potu: atqui, &c. Et vero ſi aliquo ſenſu unicum fuerit *grande* illud *convivium* quod fecit Aſſuerus *diebus* 180. quanto magis unicum dici poteſt Euchariſtiæ convivium?

Confirmatur utraque pars, quia Euchariſtia quandoque plurali numero exprimitur, ut canit Eccleſia: *Purificent nos Sacramenta quæ ſumpſimus:* quandoque ſingulari, ut cum ſimpliciter dicitur, *Sacramentum corporis Chriſti:* atqui diverſæ hujus locutionis una hæc afferri ratio poteſt, quod Euchariſtia ſit quid unum & multiplex ſub diverſo reſpectu; ergo.

Obj. contra 1. part. Illa Sacramenta non ſunt ſpecie diverſa, quæ ſunt ſignum practicum ejuſdem effectus ſacramentalis: atqui corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ſunt ſignum practicum ejuſdem effectus ſacramentalis; nimirum ejuſdem gratiæ animam ſpiritualiter reficientis; ergo.

R. neg. maj. cum enim Euchariſtia materialiter conſideratur, non habetur ratio effectus, ſed ſigni: atqui ſignum duplex eſt: unde poſſet negari minor; ſpecies enim panis & vini prout continent corpus, non ſunt ſignum, ſed ſigna.

Obj. contra 2. part. Ubi ſunt diverſa gratiæ ſigna; quorum unicuique ſeorſim convenit tota ratio Sacramenti, ibi ſunt plura ſpecifice Sacramenta: atqui ex dictis in prima probatione, &c.

R. 1. neg. maj. propter rationem rationi mox allatæ contrariam: nempe vero cum Euchariſtia ſpectatur moraliter, non habetur ratio ſigni, ſed effectus per ſignum producendi: atqui effectus per utramque panis & vini ſpeciem producendus, non eſt diverſus ſed idem. Unde

R. 2. diſt. maj. ubi ſunt diverſa ſigna gratiæ diverſæ, & ad diverſum finem ordinatæ, ut in Baptiſmo & Confirmatione, ibi, &c. C. ubi ſunt diverſa ſigna gratiæ ejuſdem, N. Porro ſpecies panis & vini ad eumdem ordinantur finem, nempe ad ſpiritualem animæ refectionem, quæ in eo differt a corporali, quod in illa potus & cibus ſint unum & idem, ſecundum id Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*. Appoſite & breviter pro more S. Thomas hic art. 2. *Quia ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrunt, ſcilicet ſpiritualis cibus & ſpiritualis potus, ſecundum illud Joan. 6. Caro mea vere eſt cibus*, &c. *hoc Sacramentum multa quidem eſt materialiter, ſed unum formaliter & perfective*. Quapropter eſt quidem ſignum duplex, ſed unum ſignificatum: porro ut Sacramentum moraliter ſpectatum multiplicaretur, deberet tota Sacramenti ratio utrique ejus ſigno competere tam ex parte ſignificati, quam ex parte ſigni.

Inſt. Si ex gemina ſpecie unicum conficiatur Sacramentum, qui unam tantum ſpeciem recipit, mutilum recipit Sacramentum, prout inſultando Catholicis exprobrant Novatores: atqui abſurdum conſequens.

R. neg. maj. ibi enim mutilum non recipitur Sacramentum, ubi quidquid in duplici ſigno continetur, continetur in uno tam ratione rei, quam ratione effectus: atqui ſub ſpecie panis continetur quidquid ſub eadem ſpecie, & ſpecie vini continetur, idque tam quoad effectum, nempe

gra-

gratiam, quam quoad rem, nimirum corpus & ſanguinem Chriſti; ergo etſi qui ſpeciem unam recipit, minus recipiat ratione ſigni, haud minus recipit ratione rei ſignificatæ.

Neque tamen ſuperflua ſunt duo ſigna, ſeu duæ Euchariſtiæ ſpecies; quia etſi unaquæque practice totum id efficiat quod duæ; duæ tamen ſpeculative ſignificant id quod una non ſignificat, nempe 1. in paſſione Chriſti ſanguinem a corpore ſeparatum eſſe; 2. geminam ineſſe Euchariſtiæ vim, aliam qua animam confortat, ſicut panis corpus; aliam qua concupiſcentiæ ardorem temperat, ſicut potus refrigerat viſcera; tametſi utrumque ſpecies una efficiat; cum econtra nutriat quidem panis terrenus, ſed ſitim non extinguat.

Obj. 2. Ubi duplex eſt materia, duplex & forma; ibi duplex eſt Sacramentum: atqui in Euchariſtia, &c.

R. 1. diſt. maj. ubi duplex eſt ∴ ibi duplex eſt Sacramentum phyſice & materialiter, C formaliter & perfective, N. Ut enim Sacramentum multiplicetur perfective, neceſſum eſt ut gratias, ſi non quoad ſubſtantiam, ſaltem quoad gradum & jura ſibi annexa diſtinctas producat: id autem non facit Euchariſtia etiamſi ſub duplici ſpecie ſumatur.

R. 2. diſt. min. duplex eſt forma in Euchariſtia ſpectata in fieri, C. in facto eſſe, N. Euchariſtia in fieri aliam quidem habet formam qua corpus; aliam qua ſanguis Chriſti efficiantur. Verum eadem Euchariſtia prout eſt quid permanens, unicam habet formam, nempe corpus & ſanguinem Chriſti; ergo cum ex conceſſis unicum ſit formaliter Sacramentum, ubi forma eſt unica, neceſſum eſt Euchariſtiam ſub hoc reſpectu unum ſpecie eſſe Sacramentum.

An autem idem Sacramentum ſit numero multiplex, nova eſt Scholaſticorum quæſtio, quam paucis licebit, delibanda. His enim inhærere minutiis, eos, meo quidem judicio, imitari eſt, qui in maris littore viles conchas pari ordine habent cum unionibus. Sit

Conclusio V. Euchariſtiæ Sacramentum in eſſe permanenti ſpectatum multiplicatur numerice, prout multiplicantur ſpecies conſecratæ; ſpectatum vero in ratione edulii ſpiritualis multiplicatur numerice, prout moraliter multiplicantur refectiones. Ita vulgo Theologi contra Suarem, qui hic diſp. 39. ſect. 4. contendit univerſas panis ac vini ſpecies, quæ fuerunt, ſunt & erunt in toto Orbe unicum eſſe numero Sacramentum, propter unitatem numericam corporis Chriſti.

Prob. 1. pars, 1. quia tunc non inepte multiplicari dicitur Sacramentum, cum multiplicantur ſigna ſacramentalia: atqui hæc numerice multiplicantur, cum multiplicantur ſpecies conſecratæ; ergo. 2. quia vix concipitur hoſtiam Pariſiis exiſtentem ſub modica ſpecie, eamdem numero eſſe cum ea quæ Romæ extat ſub ſpecie majori; 3. quia quælibet ſpecies ſeorſim ſpectata, totum eſt Sacramentum; ergo ubi plures ſunt numero ſpecies, ibi plura dici poſſunt Sacramenta.

Prob. 2. pars, 1. quia Euchariſtia in ratione alimenti ſpiritualis habet ſe quoad numerum, ſicut convivium terreſtre: atqui iſtud numerice multiplicatur, prout multiplicantur refectiones, alias non. Si quis enim ex eodem pane in prandio & in cœna veſcatur, duplex numero edulium ſumpſiſſe dicetur; contra vero ſi panes duos eadem in cœna comedat, dicetur

dicetur moraliter unum numero edulium ſumpſiſſe; ergo pariter, ſi quis plures ſimul hoſtias recipiat, unum numero Sacramentum ſumpſiſſe dicetur; ſi hodie unam ejuſdem hoſtiæ partem, aliam cras recipiat, duo recepiſse Sacramenta cenſebitur.

Confirm. Permittit Eccleſia ut quis plures eodem temporis articulo ſpecies conſecratas ſumat, ut cum quis purificat ſanctam pixidem; prohibet vero eadem Eccleſia, ne quis diverſis ejuſdem diei horis duas ejuſdem ſpeciei conſecratæ particulas ſumat: atqui nulla rei hujus ratio afferri poteſt, niſi quod unicum in primo caſu Sacramentum admittit, quia unica eſt refectio; in ſecundo duplex ob refectionum diſcontinuitatem; ergo.

Prob. 2. Multiplicantur numero Sacramenta, cum multiplicantur ſigna practica integræ refectionis animæ; contra vero unicum eſt Sacramentum, cum unicum eſt ſignum practicum refectionis ſpiritualis: atqui multiplicantur ſigna practica integræ refectionis, cum multiplicantur eædem refectiones; non multiplicantur vero ejuſdem integræ refectionis ſigna, ubi una tantum refectio eſt; quia ex ſignis etſi phyſice pluribus exurgit morale convivium, ubi plura non plus præſtant quam unum; ergo.

Obj. contra 1. part. 1. Ad multiplicationem compoſiti non ſufficit multiplicatio unius partis, ſed requiritur multiplicatio partium omnium: atqui in Euchariſtia non multiplicantur partes omnes, unde exurgit totum Euchariſticum. Non enim multiplicantur corpus & ſanguis; ergo.

R. neg. maj. ſicut enim in divinis multiplicantur perſonæ, licet non multiplicetur natura, ſic in Euchariſtia multiplicari poteſt Sacramentum, etſi ſpecies ſolæ multiplicentur, non vero corpus & ſanguis. Et vero id quod præcipue conſtituit Sacramentum in eſſe Sacramenti eſt ratio ſigni ſenſibilis; ergo cum multiplicantur ſigna ſenſibilia, non male dicitur multiplicari Sacramentum.

Inſt. 1. Non vere & proprie multiplicatur ſignum, niſi cum multiplicatur ſignificatum: atqui iſtud non multiplicatur in Euchariſtia; ergo nec illud.

R. neg. maj. quæ falſa eſt etiam in humanis, ubi inſignia duo unum & idem venale vinum ſignificare poſſunt. Adde quod ſpecies panis & vini non ſolum Chriſti corpus ſignificent, ſed & gratiam ſacramentalem; hæc autem indubie multiplicari poteſt.

Inſt. 2. Non multiplicatur ratio hominis, niſi multiplicetur ſubſiſtentia; ergo nec multiplicatur ratio ſigni, niſi multiplicetur ſignificatum. Prob. ant. ſi verbum hypoſtatice aſſumeret plures humanitates, haud tamen eſset homo multiplex, ſed unus; ergo.

R. vel antecedens falſum eſse, vel ideo verum, quia in denominatione hominis præcipue attenditur ſubſiſtentia ſeu hypoſtaſis, quæ proinde ſi una eſt, quidquid per eam terminatur, una perſona eſſe intelligitur: at vero in denominatione Sacramenti primario inſpicitur ratio ſigni ſenſibilis, proindeque cum hæc multiplicatur, non inepte dicitur multiplicari Sacramentum; præſertim cum etiam multiplicatur gratia, quæ per ſignum illud ſignificatur. Vide Mærat. diſp. 3. ſect. 2.

Inſt. 3. Si una eademque panis ſubſtantia eſſet ſub diverſis accidentibus, idem & unus eſſet numero panis; ergo cum idem ſit Chriſtus ſub diverſis ſpeciebus, idem eſſe debet numero Sacramentum.

R. neg. conſeq. diſparitas eſt quia denominatio panis petitur a ſola

panis

Digitized by Google

panis ſubſtantia, quæ numero una eſt; at vero denominatio Sacramenti in Euchariſtia non petitur a ſolo Chriſti corpore, ſed potiſſimum a ſigno viſibili inviſibilis gratiæ; ergo cum ſignum illud, ſeu ſpecies numerice multiplicatur, merito dicitur Sacramentum multiplicari.

Obj. 2. ex Apoſt. I. Cor. 10. Euchariſtia *unus* eſt *panis*: ſed ubi unus eſt panis, non eſt multiplex Sacramentum; ergo.

Confirm. ex cap. 53. *De Conſecr.* diſt. 2. ubi ſic legere eſt: *Sicut quod ubique offertur, unum eſt corpus, ita & unum ſacrificium*; ergo & unum Sacramentum, cum eadem ſit ratio.

R. ad 1. vel Apoſtolus panis nomine intellexit ſolum corpus Chriſti, vel ſimul conſecratas panis ſpecies ſub quibus ſumitur. Si 1. probari ex eo non poterit Euchariſtiæ Sacramentum eſſe unicum numero; quia corpus Chriſti ſolitarie ſumptum non eſt Sacramentum Euchariſtiæ. Si 2. panis ille eſt unus non numero, ſed ſpecie, quod ſufficit ut *unum corpus multi* ſimus *omnes*, *qui de uno* illo *pane participamus*.

R. ad 2. diſt. ant. unum eſt quod ubique offertur ſacrificium, unum, inquam, ratione tum principalis offerentis, tum rei oblatæ, C. unum ratione oblationis, N. Sicut ergo multiplicatur ritus & oblatio, itaut oblatio a Joanne facta, non ſit eadem numero quæ fit a Philemone, ſic & Sacramentum multiplicari poteſt, quia multiplicantur tum ſigna ſacramentalia, tum & gratia quæ per eadem producitur.

Obj. 3. Si pro ſpecierum diverſitate multiplicetur Sacramentum, poterunt Sacramenta centum ex eadem hoſtia fieri ſine conſecratione; puta ſi hoſtia hæc in centum partes dividatur: abſurdum conſequens; ergo.

R. neg. ſeq. maj. non enim fit per diviſionem partium, id quod erat ante ipſam: porro ante diviſionem tot erant Sacramenta, quot poſt ipſam: hæc tamen unum dicebantur, quia unaquæque formula ſpectatur per modum totius cujuſdam: porro ratio totius rationem diſtinctionis quaſi naturaliter arcet a mente.

Obj. contra 2. part. cum Mæratio ibid. ſect. 3. quod ante ſumptionem unum eſt vel multiplex, non habet unitatem aut diverſitatem numericam a ſumptione: atqui Euchariſtia antequam ſumatur, eſt una vel multiplex. Siquidem antequam ſumatur, jam conſtituta eſt in eſſe ſuo ſingulari & individuo: ſed quod conſtitutum eſt in eſſe ſuo ſingulari, jam habet unitatem ſuam, vel diverſitatem, &c.

R. ad 1. diſt. min. Euchariſtia antequam ſumatur, una eſt vel multiplex in eſſe ſuo phyſico, C. in eſſe morali, N. Eſſe enim morale, prout hic ſumitur a nobis, eſt eſſe, ut ita loquar, conviviale, eſſe animam reficiens: nihil mirum porro ſi eſſe reficiens ſuam a refectione unitatem deſumat.

Ad 2. eadem eſt diſtinctio. Quod conſtitutum eſt in eſſe ſuo, jam unitatem ſuam habet in eo genere in quo conſtitutum eſt, ac proinde phyſicam, cum conſtitutum eſt phyſice; ſed non ideo in alio quocumque genere unum eſt vel multiplex: quis enim unam vel multiplicem cœnam concipiat, ubi nulla eſt refectio.

In hoc Articulo ſuppoſuimus multoties realem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam: an factum ſit id legitime oſtendet ſequens Articulus.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS SECUNDUS.

De præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia.

REalem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam negarunt 1. quotquot negarunt veram ab eo carnem aſſumptam fuiſſe, ut primo Eccleſiæ ſæculo Simoniani, Menandriani, aliive quos in textu infra referendo indigitat S. Ignatius Martyr; & qui circa an. 277. exorti dicuntur Manichæi.

2. Meſſaliani IV. ſæculo: ii enim, cum teſte Theodoreto Lib. 4. cap. 11. *nec prodeſſe quidquam, nec nocere eſcam divinam* contenderent, mirum ſi hanc ex Chriſti corpore & ſanguine confici crediderint.

3. Neſtoriani V. ſæculo: ii nimirum, cum unionem hypoſtaticam negarent, negarunt conſequenter in Euchariſtia recipi carnem Verbi divini; quod & ipſis exprobrat S. Cyrillus Alexandrinus in defenſione anathematiſmi II. ab Alexandrina Synodo editi. Aliud tamen eſt negare præſentiam corporis Verbi, aliud præſentiam realem carnis Chriſti; nec qui primum ex ſyſtematis ſui neceſſitate fecerunt Neſtoriani, ſecundum feciſſe oſtenduntur.

4. ſunt qui Iconoclaſtas circa præſens punctum erroris poſtulent, quià in quodam Concilio apud Conſtantinopolim habito an. 754. quod illi falſo Synodum VII. nuncupabant, dixerunt, unicam tantum eſſe Chriſti imaginem ab ipſo Chriſto inſtitutam, nempe *Euchariſtiæ panem*. Verum etſi hæc locutio Patribus Concilii Nicæni II. diſplicuit, partim quia *nullus ſanctorum Apoſtolorum, aut illuſtrium Patrum incruentum ſacrificium dixit imaginem corporis* Chriſti; partim quia periculum erat, ne iſtud imaginis nomen in ſenſu realitatis excluſivo ab incautis aliquibus ſumeretur; conſtat Iconomachos illos Præſules, Euchariſticum panem habuiſſe, non pro vacua, ſed pro plena imagine, quæ Chriſti divinitatem & humanitatem complecteretur, ut infra videbimus.

5. Joannes Scotus Erigena, ideſt Hibernus, qui an. 884. occubuiſſe fertur. Is in Libro de Euchariſtia, quem, teſte in ſuis ad Ricardum Litteris Berengario, juſſu Caroli Calvi exaraverat, *toto niſu, totaque intentione* perſuadere ſatagebat, *hoc quod in altari conſecratur, neque vere corpus, neque vere Chriſti ſanguinem eſſe;* ſed omnia hic SPECIE geri, NON REI VERITATE: ita refert Aſcelinus in Epiſt. ad eumdem Berengarium: Scoti Librum proſcripſere Synodus Vercellenſis an. 1050. Pariſienſis ſub idem tempus, & Romana an. 1059. ubi & ab ipſo Berengario flammis ultricibus traditus eſt. Exiſtimat Cellotius S. J. Theologus, erraſſe quidem Scotum circa Euchariſtiam, ſed incertum eſſe quodnam fuerit erroris ejuſdem caput.

6. Berengarius patria Turonenſis, & Andegavenſis Eccleſiæ Archidiaconus, qui quopiam favente Brunone Epiſcopo Andegavenſi, nullum non movit lapidem ut aſtrueret *corpus Domini non tam corpus eſſe, quam umbram & figuram corporis Domini* *, idcirco tanquam primus Sacramentario-

rum

* Ita Durandus Leodienſis Epiſcopus in Epiſt. quam ſub initium hæreſeos Berengarianæ, ideſt an. 1035. ſcripſit contra Brunonem & Berengarium. Plura id genus Scripta videris Tom. 18. Bibliothecæ Patrum Edit. Lugdun. Non deſunt tamen qui tranſubſtantiationem ſolam, non præſentiam realem a Berengario negatam contendant, quam in partem propendere videtur VVitaſſius Tom. 1. p. 433. & ſeq. Quanquam cum eodem Doctore dici poteſt, Berengarium, quod invariabiliter ſolent Novatores, parum ſibi conſtitiſſe, idemque aliquando ſenſiſſe quod nunc Lutherani, idem rurſus aliquando quod Calviniſtæ.

rum parens haberi conſuevit. Damnatus fuit ille pluribus in Conciliis, potiſſimum autem in Romano & in Vercellenſi an. 1050. quibus præfuit Leo IX. in Pariſienſi ſub idem tempus, cui, ſicut & Vercellenſi, licet ad utrumque invitatus, parere noluit: in Turonenſi an. 1055. cui nomine Victoris II. præſedit Hildebrandus, tunc Eccleſiæ Romanæ Subdiaconus. Hic qui præſens erat Berengarius, *propriam hæreſim*, quam non potuit defendere, *anathematizavit*, *& communem ſanctæ Eccleſiæ fidem de veritate corporis & ſanguinis ſe deinceps ſervaturum ſub juramento promiſit*: ita referunt Anonymus, qui an. 1088. quo mortuus eſt Berengarius, ſcribebat, Guitmundus & Lanfrancus, quos vide Tom. 9. Concil. pag. 1050. 1081. &c.

Oblitus paulo poſt juramenti ſui Berengarius rediit ad hæreſim: ſed Romam a Nicolao II. evocatus, & in Concilio Epiſcoporum 113. cui præerat ſummus ipſe Pontifex an. 1059. auditus, confutatus, convictus denuo ejuravit errorem, & in conſpectu Synodi totius, perverſi dogmatis Libros propria manu combuſſit. Sed heu! quam difficile eſt hæreſeon artifices ſerio reſipiſcere. *Berengarius*, verba ſunt Anonymi citati, *more ſuo ad proprium vomitum redire non timuit, & ultra omnes hæreticos, Romanos Pontifices & ſanctam Romanam Eccleſiam verbis & ſcriptis blaſphemare præſumpſit. Nempe* dignus Lutheri, atque utinam ſolius, præcurſor, *S. Leonem Papam, non Pontificem, ſed Pompificem, & Pulpificem appellavit; ſanctam Romanam Eccleſiam, vanitatis Concilium & Eccleſiam malignantium; Romanam Sedem, non Apoſtolicam, ſed Sedem ſatanæ, dictis & ſcriptis non timuit appellare*.

Tantis furoribus patientiam & Synodos ſuas oppoſuit Eccleſia. Habitum Romæ an. 1079. ſub S. Gregorio VII. Concilium. Hic Berengarius *coram ſummo Pontifice, & Epiſcopis atque Abbatibus centum quinquaginta erraſſe ſe confitens, veniamque poſtulans*, Catholicam *emiſit fidei profeſſionem*. An ei ſteterit tandem aliquando, quæſtio eſt inter eruditos agitata. Suum in obitu fuiſſe Berengarium, contendit Jacobus Baſnagios in Gallica ſua Eccleſiæ Hiſtoria, Tom. 2. Lib. 24. cap. 2. pag. mihi 1399. Longe aliud ſentit vir clariſſimus Franciſcus de Roie, Anteceſſor Andegavenſis in Libello, de hæreſi & pœnitentia Berengarii. Certe auctoritas Bertoldi, Conſtantienſis ad Rhenum Presbyteri, & qui extra Galliam ſcripſit, nullius eſt momenti ſi comparetur cum teſtimoniis Clarii, Hildeberti Cœnomanenſis, Bultridi Dolenſis, Necrologii quoque Andegavenſis, ubi Catholicus obiiſſe vel dicitur, vel ſupponitur Berengarius. Idem ſcribit Guielmus Malmeſmurienſis, qui licet Anglus, ideoque extraneus, ea quæ ad Berengarium pertinent curioſe & accurate perſcrutatus videtur. Is Lib. 3. de rebus Anglicis, ſic de Berengario loquitur: *Quin & ipſe die Epiphaniorum moriens, gemituque producto, recordatus quot miſeros quondam adoleſcens primo erroris calore ſecta ſua infecerit: Hodie, inquit, in die apparitionis ſuæ apparebit mibi Dominus meus Jeſus Chriſtus, propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad pœnam*. Atque hæc utinam digne ponderent quicumque Novatores. Vide *Vetera Analecta* J. Mabilloni p. 513. atque ejus Præfationem in Acta SS. pag. 47.

7. Petrobuſiani & Henriciani, ſic dicti, priores a Petro de Bruis, poſteriores ab Henrico ejuſdem Petri diſcipulo, an. 1126. duo docuere, 1. Chriſtum in ultima Cœna proprium ſuum corpus, propriumque ſanguinem ſub panis & vini ſpeciebus dediſſe Diſcipulis ſuis; 2. nihil jam tale fieri

Digitized by Google

fieri in Eccleſia, imo Euchariſtiæ Sacramentum *nihil eſſe*, *neque Deo offerri debere*: ita refert Petrus Cluniacenſis in Epiſtola ad Archiepiſcopum Ebrodunenſem. Infauſtam hæreſim, quam ſub an. 1146. Toloſanis propinabat Henricus idem, vir ex Monacho Apoſtata, feliciter ſcriptis & miraculis exagitavit S. Bernardus.

8. Idem quoad Euchariſtiam cum Petrobuſianis ſenſere Albigenſes, ſi tamen ii non unam, ſed duplicem ſectam conſtituunt. Iſtos omnes nefariis impii Manichæiſmi ſordibus inquinatos fuiſſe ſolide probat, qui nihil non probat ſolide, Illuſt. Boſſuetus in immortali Opere Variationum, Tom. 2. Lib. XI. & ii ſunt Calviniſtarum prædeceſſores.

Sunt qui VValdenſes ſeu Pauperes de Lugduno, idem de Euchariſtia cum Albigenſibus ſenſiſſe autument; ſed perperam, ut in eodem Libro probat Boſſuetus, quem vide a num. 71. Et vero Reynerus, qui VValdenſes bene noverat, & ex profeſſo ſcriptis impetiit, id unum de iis loquitur: *Item de Sacramento Euchariſtiæ dicunt, quod Sacerdotes in mortali non poſſint conficere; item dicunt quod tranſubſtantiatio non fiat in manu indigne conficientis, ſed in ore digne ſumentis, & quod confici poſſit in menſa communi.* Ait quidem Ebrardus Bethunenſis, VValdonis diſcipulos, *Sacræ Cœnæ myſteria neſcientes, panis benedictionem a Deo nobis collatam flocci pendere.* Verum his tantum vult Ebrardus, contemptam a VValdenſibus fuiſſe Euchariſtiam, quam conſecrarent improbi Sacerdotes: reipſa enim *ſacræ Cœnæ myſteria* neſciunt, qui cum Donatiſtis efficaciam Sacramentorum a Miniſtri probitate pendere opinantur; & multo magis, qui quod auſi non erant Donatiſtæ, quæ a malis Miniſtris non conficiuntur Sacramenta, a bonis Laicis confici poſſe volunt, ut VValdenſes. Hunc eſſe citati Auctoris ſenſum probant hæc ejus verba: *Sed quaſdam evaſiones prætendunt ∴ dicentes, quia Sacerdos immundus mundam non poteſt facere hoſtiam, juxta illud ∴ Coinquinatis & infidelibus nihil mundum.*

Sanam Euchariſtiæ fidem ſervabant an. 1495. VValdenſes in Sabaudiæ montibus poſiti. Eorum enim quidam nomine *Quoti*, juridice interrogatus an *a Barbatis*, ſeu a VValdenſium Paſtoribus, *doctus fuiſſet corporalem Chriſti præſentiam in Euchariſtia*, reſpondit ſe *a Barbatis doctum fuiſſe, quod cum Sacerdos profert verba conſecrationis, conſecret Chriſti corpus, fiatque vera mutatio panis in verum Chriſti corpus*. Ab avita illa fide receſſerunt VValdenſes Sabaudi ann. 1536. agente Farello Miniſtro Genevenſi.

An Calvinianis præluſerit VViclefus controvertitur; nec mirum, cum, ut obſervat eodem loco Boſſuetus, num. 156. alicubi realem præſentiam, alicubi ſolam tranſubſtantiationem impugnare videatur. At per nos licebit eo glorientur Calviniani prædeceſſore, qui impia quæque commentus, Deum induxit quem merito rejiciant Athæi, quia & ineluctabili agendi neceſſitate rapiatur, & peccati approbator ſit. Hinc VViclefum inſectantur ſagaciores hæretici, quos inter conſule Melancthonem in Præfat. ad Mycon. & Laroquium juniorem in ſuis contra Varillaum accuſationibus, pag. 73. Utut eſt de intimo VViclefi circa præſentiam realem dogmate, conſtat Joannem Hus, VViclefi diſcipulum, & diſcipulum Huſſii Hieronymum a Praga, idem cum Eccleſia Romana quoad præſentiam Chriſti in Sacramento ſenſiſſe: idque ex æquo demonſtrarunt uterque

Laroquius; pater quidem in Hiſtoria Euchariſtiæ 2. part. cap. 19. p. 484. filius vero in prædicto contra Varillaum Opere p. 148.

9. Sub initium ſæculi XVI. acre præſentiæ reali bellum indixere Andræas Carloſtadius * Archidiaconus VVitembergenſis, & Huldricus Zvvinglius Paſtor Tigurinus, uterque an. 1524. His paulo poſt ſocium ſe fecit Joannes Oecolampadius, vir politioris literaturæ, teneræ olim pietatis, & Birgitanam Religionem ætate jam matura ſatis, eo amplexus tempore, quo Reformationis ſuæ fundamenta jaciebat Lutherus, ideſt an. 1517. ſed eo uſque poſtquam reformationem amplexus eſt, ſui diſſimilis, ut in eo jam nihil niſi fucum & malas artes deprehenderet Eraſmus, quicum multa ipſi interceſſerat neceſſitudo. Novatores prædictos e veſtigio ſecutus eſt an. 1530. Bucerus Dominicanæ Religionis deſertor. Is novum ſectæ ſuæ Evangelium apud Argentoratenſes prædicare cœpit, dum idem apud Baſileenſes prædicabat Oecolampadius. Horum omnium genium & indolem qui noſſe volet, adeat præcitatum Boſſueti Opus Lib. 1. & 2. Unum addam, videlicet Zvvinglio, ut realem præſentiam ſubverteret laboranti, aſtitiſſe in ſomnis *neſcio quem*, *ater*, inquit, *an albus fuerit*, *nihil memini*, *qui moneret*, *eum locum Exodi* 12. *arripere*, Eſt enim phaſe, ideſt tranſitus Domini, *ubi verbum*, Eſt, *accipitur pro* Significat: ita narrat Zvvinglius ipſe in Libro de ſubſidio Euchariſtico. At monitum illud atri ſpiritus eſſe, non albi, liquebit ex dicendis.

10. Calvinus a Bucero, quem Argentorati junior Magiſtrum audiit, ſuam de Euchariſtia doctrinam hauſit, ſed & hauſit ambiguum illud locutionis genus, quo juvante præſentiam realem adſtruere ſimul & deſtruere videaris. Sic ille in cap. 26. Matth. *Vere in Cœna datur nobis corpus Chriſti*, *ut ſit animabus noſtris in cibum ſalutarem*. Lib. 4. Inſtit. c. 17. §. 32. *In ſacra Cœna jubet me* Chriſtus, *ſub ſymbolis panis ac vini corpus ac ſanguinem ſuum ſumere: nihil dubito quin & ipſe vere porrigat*, *& ego recipiam*. Ibid. §. 7. *Etſi incredibile videatur in tanta locorum diſtantia penetrare ad nos Chriſti carnem*, *ut nobis ſit in cibum*, *meminerimus quantum ſupra ſenſus omnes noſtros emineat arcana Spiritus ſancti virtus*, *& quam ſtultum ſit ejus immenſitatem modo noſtro velle metiri*. *Quod ergo mens noſtra non comprehendit*, *concipiat fides*, *ſpiritum vere unire quæ locis disjuncta ſunt*. Et rurſus, cit. §. 32. *De modo ſi quis me interroget*, *fateri non pudebit ſublimius eſſe arcanum*, *quam ut vel meo ingenio comprehendi*, *vel enarrari verbis queat*.

Verum hæc quæ ad Catholicorum dogma propius accedere videntur; aliud nihil ſunt quam phalerata ingenii ad fucos nati dicta. *Ingenue fateor*, ait Calvinus ibid. §. 17. *miſturam carnis Chriſti cum anima noſtra*, *vel transfuſionem*, *qualis ab ipſis*, Catholicis, *docetur*, *me repudiare*, *quia nobis ſufficit Chriſtum e carnis ſubſtantia vitam in animas noſtras inſpirare; imo propriam vitam in nos diffundere*, *quamvis in nos non ingrediatur Chriſti caro*. Et iterum: *Hanc*, *non aliam eſſe*, *quam fidei manducationem fatemur*, *ut nulla alia fingi poteſt*. En ergo, ajunt ex noſtris aliqui, ſed an be-

* „Carloſtadius, homo ferus, ſine ingenio, ſine doctrina, ſine ſenſu communi, in quo „nullum unquam humanitatis officium animadverti potuit: *ita Philip. Melancthon in Epiſt. ad Fredericum*. „Carloſtadius vir fallacis ſpiritus, cui nihil boni ſuberat, habens „ſpiritum ſeditioſum, atque avidum cædis: *ita Lutherus ipſe in Epiſt. ad Argentin. & alibi*.

bene *, en ſumma illa Calviniani Sacramenti incomprehenſibilitas: en, quod ut aſſequi poſſis, meminiſſe debes, quantum ſupra ſenſus tuos emineat arcana virtus Spiritus ſancti: en quod ſtultum ſit humano conceptu velle metiri: Chriſtus e cœlo, ubi ſedet, in animas noſtras vitam inſpirat, cum panem & vinum in Cœna recipimus. Proh grande miraculum! Aliud nobis exhibent Patres Tridentini Seſſ. 13. Can. 1. ubi definiunt in Euchariſtia totum Chriſtum contineri, *vere*, non per figuram; *realiter*, non objective tantum per fidem; *ſubſtantialiter*, nec proinde ſolum per virtutem a Chriſto diffuſam. Id porro quam legitime ſancitum ſit ut oſtendamus, præſentem Articulum partiemur in varias Sectiones, quarum unaquæque tritas apud Catholicos dogmatis noſtri probationes expendet & confirmabit.

SECTIO PRIMA.

An realis præſentia probari poſſit ex verbis Promiſſionis.

Extat celebris ea Chriſti promiſſio apud Joannem ſexto capite, cujus hæc eſt ſumma. Paſcit Chriſtus in deſerto panibus quinque hordeaceis, & piſcibus duobus, quinque circiter hominum millia; & poſt hæc tranſit in Capharnaum: Eo convolat multitudo populi, non tam Chriſti amore, quam quia ab ipſo ſaturata fuerat, ſeque deinceps ſperabat pari modo ſaturandam. Carnalem hunc proprii commodi intuitum ut arceat Salvator, multitudinis animos erigit ad inquiſitionem ſolidioris cibi: *Operamini*, inquit v. 17. *non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis*. Quærunt Judæi quid ſibi facto opus ſit ut operentur opera Dei. Reſpondet Jeſus v. 29. *Hoc eſſe opus Dei, ut credant in eum quem miſit ille*. v. 30. *Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum ut videamus, & credamus tibi? quid operaris?* v. 31. *Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis manducare*. Ideſt, interprete Auguſtino Tract. 25. in Joan. longe plura fecit Moyſes, quam tu feceris; cum per annos quadraginta in deſerto pane mirabili & quaſi Angelico paverit ſexcenta hominum millia; nec tamen exegit ut ſibi tanquam Meſſiæ crederetur. Quid ergo exigis tu, qui tantum hordeaceis panibus, idque ſemel, longe minorem hominum copiam paveris? Reſpondit Jeſus v. 32. *Amen, amen dico vobis: Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*. v. 33. *Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo* ∴ v. 35. *Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet unquam* ∴ v. 41. *Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis vivus*,

* Legantur & ponderentur hæc Pelliſſonii verba in Tract. de Euchariſtia, p. 25. „ Calvin & ceux qui le ſuivent.... ne reconnoiſſent nulle préſence réelle du corps en l'Euchariſtie, mais ils reconnoiſſent une manducation réelle & très-réelle de la ſubſtance „ du corps: c'eſt ainſi qu'ils nomment l'opération que fait ſur nos ames, non le S. Eſprit „ ſeulement (c'eſt une opinion que Calvin rejette) mais auſſi la vertu vivifiante attachée „ à la ſubſtance du corps de notre Seigneur. *Et infra pag.* 30 „ Le plus habile de tous les „ Miniſtres du dernier tems, mais le plus artificieux, feu M. Claude, nous a avoué plus „ d'une fois à nous meme en particulier, lorſque nous doutions... qu'il ne croyoit pas „ l'opinion de Calvin, & la trouvoit auſſi difficile à concevoir & a défendre que celle de „ l'Egliſe Romaine. „

qui de cælo deſcendi : v. 42. *& dicebant ; Nonne hic eſt Jeſus filius Joſeph* .:. *Quomodo ergo dicit hic : Quia de cælo deſcendi.* v. 43. *Reſpondit ergo Jeſus, & dixit eis : Nolite murmurare in invicem*.:. v. 48. *Ego ſum panis vitæ.* v. 49. *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt.* v. 50. *Hic eſt panis de cælo deſcendens, ut ſi quis ex eo manducaverit, non moriatur.* v. 51. *Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi.* v. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* v. 53. *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* v. 54. *Dixit ergo eis Jeſus : Amen, amen dico vobis : Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* v. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam ; & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* v. 56. *Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* v. 57. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo* .:. v. 60. *Hæc dixit* Jeſus *in Synagoga docens, in Capharnaum.* v. 61. *Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt : Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* v. 62. *Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli ejus, dixit eis : Hoc vos ſcandalizat?* v. 63. *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius.* v. 64. *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*.:. v. 67. *Ex hoc multi Diſcipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant*, &c. Textum hunc, ut qui ſæpe ob oculos habendus ſit, referendum duxi.

Quæritur qua de manducatione loquatur Chriſtus v. 52. & deinceps ; an de ſpirituali, quæ fiat per fidem, an de reali quæ fiat ore. Pro ſpirituali certant Calviniſtæ, quos inter Mareſius, *Si non manducaveritis carnem meam*, ideſt, inquit, *Si non credideritis in me, qui corpus meum morti traditurus ſum, non habebitis vitam in vobis.*

Interpretationem hanc amplexi ſunt Catholici quidam cum Gabriele, Nicolao de Cuſa, Cajetano, Tappero, Heſſelio, & Janſenio Gandavenſi, ut Huſſitis & Lutheranis ex v. 54. Communionem ſub utraque ſpecie probare conantibus os obſtruerent : verum, ait hic Maldonatus, *minime profecto utilem atque fidelem in hac re operam Eccleſiæ navaverunt, quod contra Scripturæ ſenſum, contra Patrum omnium interpretationem, contra tacitum, imo minime tacitum, ſed ſatis ſuperque explicatum conſenſum Eccleſiæ dixerint atque contenderint hoc loco de Sacramento non agi. Quod, ut benigniſſime dicam, eſt temerarium, gravioribuſque condemnarem verbis, niſi compertum haberem, homines* illos *bene Catholicos, errore magis animi, quam vitio in hæreticorum ſententiam impegiſſe.*

Etſi autem cenſura hæc haud videtur acrior, conſtat tamen Synodum Tridentinam, quæ in probandis fidei dogmatibus cauto admodum gradu ſemper proceſſit, ſic verba ſua circa ſextum Joannis caput temperaſſe, ut ſanxerit quidem non poſſe ex eo colligi neceſſitatem Communionis ſub utraque ſpecie, ſed non ſanxerit ex eo realitatem invicte probari ; de quo adi Palavicinum Lib. 17. Hiſtor. Trid. cap. 11. unde ſunt
Tom. 3. pag. 63. hodieque, qui cum Suare in 3. part. q. 75. art. 1. & Eſtio in 4. diſt. 1. §. 1. cenſeant minus efficaciter ex verbis promiſſionis, quam ex verbis inſtitutionis in gratiam realis præſentiæ diſputari. Sit

CON-

by Google

Concluſio. Præſentia realis ſolide probatur ex verbis promiſſionis Joann. 6.

Prob. 1. Chriſtus indubie dedit id quod promiſit; *Eſt* enim *Deus verax*, Rom. 3. atqui Chriſtus promiſit Joan. 6. ſe carnem ſuam vere & ſubſtantialiter manducandam daturum eſſe. Vel enim id promiſit Chriſtus, vel metaphorice ſolum locutus eſt de ſpirituali ſui ipſius per fidem manducatione: atqui poſtremum hoc dici non poteſt.

Prob. min. 1. quia in metaphoris certa eſt proportio inter nomen metaphoricum, & rem nomine illo expreſſam: Sic Chriſtum inter & oſtium, vineam, leonem & agnum certa quædam eſt affinitas; quia per Chriſtum intratur, & vivitur, ipſeque vicit ut leo, & quaſi agnus coram tondente ſe non aperuit os ſuum: atqui inter habere fidem, & carnem manducare nulla prorſus eſt proportio, affinitas nulla.

2. quia metaphoræ explicantur, non autem probantur, & multo minus juramento confirmantur: atqui probavit Chriſtus, & jurejurando aſſeruit carnem ſuam futuram eſſe hominis panem; ergo quod caro Chriſti ſit panis & cibus non poteſt metaphorice intelligi.

3. quia voces metaphoricæ ſemel & obiter tantum efferuntur: atqui Chriſtus non ſemel, non obiter, ſed pluries eodem in capite dixit carnem ſuam eſſe cibum; ergo non dixit id metaphorice.

4. quia loquitur Chriſtus de alimenti genere novo & deinceps præſtando a ſe; ut demonſtrant verba hæc: *Panis quem ego dabo*, &c. & hæc rurſus: *Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem*, quem ego daturus ſum, *vivet in æternum:* atqui ſi ſermonem haberet Chriſtus de ſpirituali tantum manducatione, nec novi quidpiam, nec quidpiam deinceps ſolum præſtandi annuntiaret. Cum enim hæc loquebatur Salvator, non deerant ex Apoſtolis & Diſcipulis, qui in ipſum crederent, adeoque & in Calviniano ſenſu carnem ejus manducarent ſpiritualiter. Imo hanc iſto ſenſu manducaverant Judæi ſub antiqua Lege: *Omnes enim*, ait Apoſtolus I. Cor. 10. v. 3. *eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & eumdem potum ſpiritalem biberunt! bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus*. Atque hinc

5. Pollicetur Chriſtus aliquid longe præſtantius manna: atqui ſi polliceatur duntaxat panem communem, qui ſpiritualiter edendus ſit, jam nihil ſpondet quod manna præſtantius ſit, imo quod mannæ non cedat. Tum quia hæc pluebat e cœlis, ubi Angelorum manu, juxta Scripturæ phraſim, præparata erat; & omnem, pro nutu manducantium, ſaporis dulcediniſque guſtum induebat; tum quia ſi de ſpirituali effectu agitur, eadem eſſe poretat mannæ efficacia, quæ panis a Chriſto metaphorice dandi; quandoquidem, juxta Calvinum, veteres *parem* ſuis in Sacramentis *Chriſti gratiam nobiſcum perceperint;* de quo vide quæ diximus Tom. IV. pag. 227.

Confirm. Judæis miraculum mannæ e cœlo depluentis objicientibus reſpondet Chriſtus, daturum ſe panem de cœlo verum, adeoque promittit miraculum majus miraculo mannæ: atqui, ait hic Bellarminus cap. 6. nullum eſt miraculum in pane communi ſignificante corpus Chriſti; neque etiam in manducatione ſeu apprehenſione Chriſti per fidem; ergo.

6. Spondet eo loci Chriſtus duo quædam, quorum aliud habere ſe

debeat per modum cibi, aliud per modum potus: atqui ſi de uſu tantum ſpirituali loqueretur, inanis foret ea cibi potuſque diſtinctio; cum in uſu ſpirituali nihil cibum inter & potum ſubſit diſcriminis.

7. Conſtat non tantum Judæos, ſed & plures ex Chriſti diſcipulis offenſos fuiſſe, quod is carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum in potum promitteret: v. 53. *Litigabant Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* v. 61. *Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* v. 67. *Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retrorſum*, &c. ergo conſtat Diſcipulos ipſos verba Chriſti intellexiſſe, non metaphorico ſpiritualis manducationis ſenſu, qui novi nihil, nihil ſtupendi efferret, ſed ipſo veræ manducationis ſenſu, qui animos audientium novitate ſua, ſua & incomprehenſibilitate turbaverit: atqui poſtrema hæc intelligendi ratio vera erat: 1. quia alioqui obſtare debuiſset, & de facto pro ſumma ſua bonitate obſtitiſset Chriſtus, ne verba ſua in ſenſu tam alieno a veritate acciperentur: neque qui parabolas multo faciliores conceptu expoſuit, parabolam manducationis hujus exponere omiſiſſet. Sane quidquid ſubortum erat ſcandali, una hac voce elevatum fuiſset: Pergite in me credere: qui credit, is carnem meam hac ſua fide manducat, ſicut & ſanguinem bibit; 2. & magis, quia nedum hanc Diſcipulorum opinationem removerit Chriſtus, quin & difficultatem ex ipſa in eorum animis natam aggravavit; *Hoc*, inquit, *vos ſcandalizat*, nec concipere poteſtis quid futurum ſit ut carnem meam vobis præbeam in cibum; quid *ergo* cogitabitis deinceps, cum *videritis Filium hominis aſcendentem* in cœlum *ubi erat prius*? Quod enim vivens in terris homo hominis alterius in terris poſiti carnem manducare poſſit, concipi utcumque poteſt; quod autem hominis in cœlum reverſi caro manducari queat in terris, longe difficilius eſt intellectu. Unde ſic: Manducatio de qua loquitur Chriſtus difficilior futura erat poſt ejuſdem Chriſti aſcenſionem, quam antea: atqui ſi manducatio hæc eſset tantum ſpiritualis & per fidem, haud utique difficilior eſset poſt aſcenſionem quam ante; quia tam facile eſt credere in Chriſtum poſt aſcenſionem, quam erat, dum ille in terris exinanitus, & ſub forma ſervi converſaretur; ergo. Ita Bellarminus ad mentem S. Chryſoſtomi.

8. Incredibile eſt Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam, quin dignitatem ipſius, fructum ex ea capiendum, ejuſque percipiendæ neceſſitatem commendaret; prout fecit tum reſpectu Baptiſmi Joan. 3. tum reſpectu Pœnitentiæ Matth. 16. & 18. atqui id nullibi fecit, ſi non fecit in eo quem expendimus textu. Siquidem in ipſa Cœnæ inſtitutione rem tantum tradit, vim autem ejus vel nullatenus, vel obſcure admodum tradit. Rurſum in eadem inſtitutione nihil eſt quod recipiendæ a ſimplicibus Fidelibus Euchariſtiæ neceſſitatem adſtruat. Hæc enim verba: *Accipite & manducate... Bibite ex eo omnes;* hæc rurſus: *Hoc facite in meam commemorationem*, ſecluſa Traditione, quam abjiciunt Proteſtantes, ad eos tantum qui præſentes erant, nimirum Sacerdotes, pertinent; ergo.

9. nec concipi facile poteſt Joannem Apoſtolum, qui ubique totus eſt in commendanda Chriſti dilectione, ne verbum quidem de potiſſimo ejuſdem Chriſti amoris monumento habuiſſe; quod etſi expreſſum a Matthæo, Marcus & Lucas prætermittere auſi non fuerunt: atqui ſi

textus

textus noſter ad Euchariſtiam non ſpectet, nullibi de ea verbum habuit Diſcipulus charitatis; ergo.

Nec dicas, S. Evangeliſtam ea ſolum narranda ſuſcepiſſe, quæ ab aliis Evangeliſtis omiſsa fuerant, prout monet S. Hieronymus. Id enim etſi utcumque moraliter verum eſt, non tamen omnimode. Sic Præcurſoris Baptiſmum non ſilet Joannes, etſi eum narraverint alii Evangeliſtæ. Sic cap. 6. repetit miraculum quo Chriſtus quinque hominum millia ſatiavit, quia inde nata eſt occaſio Sermonis Chriſti ad Capharnaitas. Sic cap. 12. ubi multa ab aliis prætermiſſa refert, refert & quæ iidem ſcripſerant de unguenti effuſione, & ſolemni Chriſti in urbem Jeroſolymam ingreſſu; ergo nec ſiluiſſet Sacramentum amoris, niſi de eo ſat dixiſſet in eo quod expendimus capite: præſertim cum cap. 13. ubi ultimam Cœnam deſcribit, varia referat quæ ſponte ad Euchariſtiæ inſtitutionem deducunt, quale eſt iſtud in primis: *Sciens* Jeſus, *quia omnia dedit ei pater in manus...ſurgit a Cœna*: quo enim magnifica hæc divinæ omnipotentiæ commendatio? an ad ſolam pedum lotionem? non credo; ergo ad Euchariſtiam de qua nihil deinceps, quia ſatis cap. 6.

10. Quoties Chriſtus magni quidpiam & inſoliti perpetraturus erat in gratiam Eccleſiæ ſuæ, nuſquam omiſit Diſcipulos ſuos ad id antea præparare, ut facilius crederent impletum, id quod noverant implendum; ſecundum id ejuſdem Chriſti Joan. 14. *Et nunc dixi vobis priuſquam fiat, ut cum factum fuerit credatis*. Sic Joan. 3. v. 5. prænuntiat inſtitutionem Baptiſmi, Matth. 20. v. 19. crucifixionem ſuam, Joan. 16. v. eod. aſcenſionem in cœlum, Joan. 14. v. 16. emiſſionem Spiritus Paracleti; ergo e re Chriſti fuit ut Diſcipulos ſuos de futura tanti Sacramenti inſtitutione præmoneret: atqui id nullibi fecit, ſi non fecit in citato Joannis textu; ergo.

11. Si verba hæc, *Niſi manducaveritis*, citra vim ad metaphoricum ſenſum flecti queant a Calviniſta, poterunt quoque verba hæc, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. a Sociniano & Quakerio metaphorice explicari, nimirum de interiori per Spiritum ſanctum ablutione. Reponet quidem Calvinianus, didiciſse ſe a Spiritu ſancto, priora verba ſpirituali, poſteriora vero literali ſenſu accipienda eſse: At regeret, nec regerendo mendacii convinci poterit Socinianus, ſe ab eodem Spiritu didiciſse, utrobique nihil exhiberi præter metaphoram. Reponet Calvinianus abſurdum eſse, ut Chriſti caro ubicumque terrarum manducetur: At replicabit Quakerius abſurdum eſſe ut æterna hominis ſalus ab aliquot aquæ guttis dependeat; prout ab hujus ſectæ viro ſibi reſponſum eſse ſcribit Auctor Epiſtolarum Philoſophicarum; ergo par erit utriuſque ratio. De his adi, quem utplurimum ſecuti ſumus, Maldutium diſsert. 15. in v. 27. capitis 6. Joan. tom. 2.

Prob. 2. quia ſicubi ambigua eſt Scriptura, hanc eo neceſsum eſt exponi ſenſu, quem tradidere ſancti Eccleſiæ Doctores, utique quia ſibi traditum ab Apoſtolis, ſicut Apoſtolis traditum a Chriſto: atqui ſanctæ Eccleſiæ Doctores citata Joannis verba literali ſenſu interpretati ſunt, eumque nobis tradidere.

Prob. min. ex ſelectis aliquot eorum textibus. S. Hilarius Lib. 8. de Trinit. n. 13. *Ipſe* Chriſtus *ait*, *Caro mea vere eſt eſca, & ſanguis meus vere eſt potus*... *de veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus*:

K 4 S. Cy-

S. Cyrillus Alexandrinus, vel potius Patres Alexandrini Concilii, in Epiſtola ad Neſtorium, quæ anno ſequenti 431. lecta & approbata eſt a Concilio generali Epheſino Act. 5. *Confitemur incruentum in Eccleſia ſacrificium nos celebrare ∴ utpote participes ſacræ carnis, & pretioſi ſanguinis Chriſti effectos ∴ Quamvis enim dicat Joan. 6. Niſi manducaveritis carnem & biberitis*, &c. *nequiquam communem carnem ∴ exiſtimare debemus, ſed vere illius propriam, qui noſtri cauſa Filius hominis factus & appellatus eſt*. S. Auguſtinus Tract. 27. in hunc locum: *O Domine, Magiſter bone! quomodo caro non prodeſt quidquam, cum tu dixeris, Niſi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam?* Epiphanius Diaconus Act. 6. Concilii Nicæni II. an. 787. *Nullus aliquando ∴ Apoſtolorum aut illuſtrium Patrum noſtrorum, incruentum noſtrum ſacrificium ∴ dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt a Domino ſic dicere vel confiteri, ſed audiunt Evangelice dicentem eum, Niſi manducaveritis carnem*, &c. Ceteros, ne prolixior fiam, omitto, ut Origenem Hom. 7. & 16. in Num. Cyprianum Lib. 1. contra Judæos, Athanaſium, Baſilium, Ambroſium, alioſque complures quos citat Bellarminus hic Lib. 1. cap. 5.

Confirm. quia viguit ad duodecimum uſque ſæculum pluribus in Eccleſiis conſuetudo Euchariſtiam dandi infantibus, uti dicemus ſuo loco: atqui conſuetudo hæc non alio nixa erat fundamento, quam his Chriſti verbis Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. prout diſerte docent Auguſtinus Lib. 1. de peccat. merit. cap. 20. Innocentius I. in Epiſt. ad Patres Concilii Milevitani, apud Auguſtinum 182. Gelaſius, &c. ergo prædicta Joannis verba ubique paſſim de Euchariſtia intelligebantur; ergo rurſum poterat, citra avitæ fidei diſpendium, Synodus Tridentina definire eadem verba literali ſenſu accipienda eſſe. Sed *licet*, ait Bellarminus ubi ſupra, *iſta Concilia*, Epheſinum, Nicænum II. & Tridentinum, *non condiderint Decretum aliquod de hac re*, ſeu quia aliunde ſtat integerrime Euchariſtiæ fides, ſeu, ut de Tridentino conſtat, ne pauculis aliter ſentientibus præjudicium fieret; *tamen ſatis apparet quid ſenſerint omnes Epiſcopi trium generalium Conciliorum, & proinde omnis Eccleſia quam illi repræſentabant. Adde quod in die feſto Venerabilis Sacramenti Evangelica lectio proponitur ab Eccleſia ex cap. 6. Joan. Adde* iterum *quod Romanus Catechiſmus, qui omnibus Paſtoribus communis eſſe debet, adducit teſtimonia ex hoc capite, cum de Sacramento Euchariſtiæ tractat: quæ argumenta ex præſentis Eccleſiæ teſtimonio, licet ab Hæreticis contemnantur, tamen Catholicis maxima eſſe debent*. Adde demum Patres Tridentinos Seſſ. 13. cap. 2. & Seſſ. 21. cap. 1. multa ex prædicto capite adduxiſſe teſtimonia, quæ tametſi compatiuntur cum ſpirituali ſenſu, plus tamen ſenſum literalem includunt, quam excludant.

Obj. 1. Ut ex adducto Joannis textu quidpiam colligi queat, duo ſunt neceſſaria, 1. ut in eo agatur de Euchariſtia; 2. ut agatur de Euchariſtia tanquam vere & ſubſtantialiter continente corpus & ſanguinem Chriſti: atqui neutrum dici poteſt; ergo.

R. neg. min. ubi enim agitur de manducatione, non metaphorica, ſed reali, & quæ ad ipſam Chriſti carnem terminetur, ibi neceſſario agitur de Euchariſtia, prout Chriſti corpus & ſanguinem vere ac ſubſtantialiter continente: atqui ex probatis in allato Joannis textu agitur de manducatione

Digitized by Google

tione haud metaphorica, ſed reali. Nimirum de manducatione, quæ ſit miraculum inſigne, & manna præſtantius; de manducatione, quæ poſt Aſcenſionem creditu difficilior ſit; de manducatione, quæ humanæ intelligentiæ viribus durus ſit ſermo, & impoſſibilis audiri; ergo.

Inſt. prob. 1. part. min. Manducatio quæ in ſola per fidem apprehenſione conſiſtit, non eſt Euchariſtica: hæc enim ſymbola exteriora neceſſario requirit. Atqui manducatio de qua loquitur Chriſtus Joan. 6. in ſola per fidem apprehenſione conſiſtit. Prob. min. manducatio de qua loquitur Chriſtus, tres habet characteres: 1. enim dat *vitam æternam*, v. 55. 2. ita dat vitam, ut hæc citra illam a nemine obtineri poſſit, ſecundum id ibid. v. 54. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis*; 3. dat vitam independenter ab inſtitutione Euchariſtiæ; dabat enim vitam quo tempore loquebatur Chriſtus, ut indicat tum id dictum in præſenti: *Qui manducat hunc panem*, &c. tum & expreſſius iſtud: *Niſi manducaveritis*, &c. tunc porro necdum inſtituta erat Euchariſtia: Atqui manducatio triplici hoc charactere veſtita, eſt neceſſario ſpiritualis, ſeu in apprehenſione fidei poſita. Siquidem manducatio Euchariſtica & oralis, neque dat certo vitam, cum multi Euchariſtiam recipiendo, judicium ſibi manducent; neque neceſſaria eſt ad vitam, cum & pueri, & adulti plures citra Euchariſtiæ ſubſidium vitam æternam obtineant; Laici vero, juxta Catholicos, vitam ex unica ſpecie percipiant, tametſi geminæ uſum requirit Chriſtus in citato verſu, ſi ibidem ſermo ſit de Euchariſtia; neque independenter ab Euchariſtiæ inſtitutione vitam largiri poteſt, uti per ſe patet; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 1. 2. diſt. manducatio de qua loquitur Chriſtus, dat & certo dat vitam poſitis conditionibus ponendis, C. ſecus, N. Quemadmodum igitur non omnis qui petit, accipit, nec quicumque invocat nomen Domini, ſalvus eſt, licet generatim ſcriptum ſit: *Qui petit, accipit*, & *Quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*; ſic nec omnis qui cœleſtem, de quo Chriſtus loquitur, panem manducat, vitam habet; quia ſicut ad petitionis & invocationis effectum requiruntur pietas & perſeverantia ex aliis Scripturæ textibus, ſic ad effectum panis cœleſtis certæ requiruntur magni momenti diſpoſitiones, præſertim autem ut *probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*, I. Cor. 11. v. 28. Atque id admittere debent ii ex adverſariis, qui non eo uſque cum Calvino delirant, ut juſtitiam putent eſſe inamiſſibilem. Hi enim fateri debent innumeros eſſe, qui Chriſtum per fidem manducent, nec tamen vitam æternam habeant. Potuit tamen, & utcumque debuit Chriſtus abſolute dicere: *Qui manducat meam carnem ...... habet vitam æternam*, ut conſtaret panem hunc, quantum eſt de ſe, & ſublatis obicibus, vitam æternam largiri.

Ad 2. 2. neg. maj. nihil eſt enim, ut ſuo loco videbimus, in textu Chriſti unde inferri queat panem de quo ibidem ſermo eſt, vel pueris omnino neceſſarium eſſe, vel adultis neceſſarium ſub utraque ſpecie. Et vero dicant adverſarii, an ſpiritualis ſua per fidem manducatio, utique actualis (de ea enim loqui Chriſtum patet ex contextu) neceſſaria ſit infantibus. Si aſſerant, rideri merentur, non confutari. Si negent; ergo neceſſum eſt ut Chriſti textum reſtringant. Quod autem poſſunt, quidni & nos poſſimus?

Ad

Ad 3. 2. neg. ant. ejuſque probationem. In hoc enim verſus 57. textu: *Qui manducat meam carnem*, ſupplendum eſt iſtud verſus 52. quam *ego dabo;* proindeque uterque textus pari modo reſpicit futurum, non præſens: cum actu manducari non poſſit, quod in futuro duntaxat dandum ſit.

Nec nocet textus ille: *Niſi manducaveritis*, &c. non enim magis actualem manducandæ Chriſti carnis neceſſitatem probabat pro Judæis, quam id Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. actualem Baptiſmi ſuſcipiendi neceſſitatem probaverat pro Nicodemo & aliis. Quemadmodum igitur qui poſt dictum iſtud: *Niſi quis renatus fuerit*, mortui ſunt, cœleſte regnum ingredi potuerunt ſine Baptiſmo; ſic & qui poſt dictum iſtud: *Niſi manducaveritis*, migrarunt e vita, potuerunt citra Euchariſtiam vivere in æternum.

At, inquies, ideo, juxta nos, manducatio de qua loquitur Chriſtus, literali, non autem ſpirituali & metaphorico ſenſu intelligenda eſt, quia exprimitur per verbum futuri temporis: *Panis quem ego dabo*, &c. atqui hæc ratio nulla eſt. Siquidem manducatio de qua ſermo eſt ante verſum 51. aut 52. metaphorice & ſpiritualiter intelligi debet, ex Catholicorum omnium confeſſo: atqui tamen eadem manducatio non niſi per futurum exprimitur, v. 27. *Operamini ..... cibum ...... quem Filius hominis dabit vobis;* ergo.

Confirm. 1. cibus & panis, proindeque & manducatio ad utrumque relativa, in ejuſdem orationis contextu debent eodem ſenſu proferri & accipi; alioqui præberetur Auditoribus occaſio errandi: atqui cibus & panis in cunctis ante verſum 51. textibus ſumuntur metaphorice, nimirum pro fide in Chriſtum incarnatum; ergo.

Confirm. 2. ex v. 57. qui ſic habet: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*. Unde ſic: Manducatio ejuſdem eſt ſpeciei cum manſione quæ ipſam conſequitur: atqui manſio hæc non eſt corporea, ſed ſpiritualis duntaxat; ergo & ipſa manducatio.

Confirm. 3. quia in obſcuris ei inhærendum eſt expoſitioni, quæ facilior eſt & magis obvia: atqui talis eſt expoſitio, quæ totum caput 6. Joannis ſpiritualiter intelligit, non autem literaliter & de orali manducatione. Scilicet enim literalis hæc interpretatio verba Chriſti reſtringit ad eos ſolum qui poſt inſtitutam Euchariſtiam vixere, item ad adultos, qui carnem Chriſti digne manducant, idque non actu ſemper, ſed pluries in voto: atqui reſtrictiones illæ quæ plenæ ſunt ambagum, locum non habent, ſi Chriſti verba de ſpirituali tantum per fidem manducatione intelligantur; ergo ſpiritualis hæc interpretatio literali expoſitioni præferenda eſt. Ita Albertinus.

R. ad 1. neg. maj. non enim ex ſola temporis futuri deſignatione colligitur manducatio oralis & realis, ſed 1. ex aliis etiam quæ congeſſimus argumentis, quæque tanti ſunt ut nullis cavillis infringi poſſint; 2. ex Traditione contra quam ſolidi nihil objici poſſe paulo poſt evincemus; 3. quod propius objectionem tangit, ex deſignatione futuri, non ſimpliciter, ſed iis in circumſtantiis, quæ præſentis temporis deſignationem exigerent, ſi Chriſtus de ſola per fidem manducatione loqueretur. Ad quid enim futurum iſtud: *Panis quem ego dabo*, ſi ſermo ſit de re jam data, non tantum Diſcipulis quos Chriſtus alloquebatur, & qui in

ipſum

ipſum credebant jam pridem, ſed & antiquis, qui in eumdem Chriſtum crediderant, Judæis?

Nec obeſt, ſed multum favet, quod Chriſtus v. 27. loquatur de cibo ſpirituali, & tamen loquatur in futuro: neque enim loquitur de re jam data, ſed ſolum de danda. Siquidem Capharnaitæ, cum occaſione panum quos Dominus multiplicaverat, eumdem quærerent ut denuo ſaturarentur, ipſe pro more ſuo mentes eorum ad ſublimiorem panem erigit; quemadmodum Joan. 4. mulierem Samaritanam, cum qua loquebatur de aqua materiali, excitat ad quærendam fidem nomine aquæ deſignatam; & Joan. 11. Martham de temporali vita ſollicite loquentem, ad vitæ æternæ intuitum adducit. Sic ergo Capharnaitis materialem panem quærentibus proponit ſpiritualem panem, nempe ſe ipſum per fidem apprehendendum: *Operamini*, inquit, *non cibum*, *qui perit*, *ſed quem Filius hominis dabit vobis*, dabit, inquam, ſi in eum credatis: tunc enim guſtabitis quam ſuavis ſit panis ille vivus, qui de cœlo deſcendit; quemque, licet poſitum in medio veſtrum, necdum tamen poſſediſtis. Sicut ergo in verſu 27. vox, *dabit*, futurum indicat, ſic & vox, *dabo* in verſu 52. itaut utrobique promittatur aliquid dandum deinceps, fides quidem in v. 27. ejuſdem vero fidei remuneratio, nimirum manducatio corporis Chriſti in v. 52. *Habert.*

Ad 1. confirmat. neg. maj. neque enim inſolitum eſt in Scripturis ut eadem vox in eodem contextu diverſimode intelligenda ſit; idque ſine ullo fidelium periculo, quia diverſitas ſenſuum ex antecedentibus & conſequentibus deprehendi poteſt. Quemadmodum igitur nemo non videt vocem *bibere*, nunc naturali, nunc metaphorico ſenſu ſumi apud Joan. 4. Sic nemo eſt, qui audito Chriſti ſermone Joan. 6. non videat panem & cibum hic ſumi: 1. pro pane materiali, quo ſatiati erant in deſerto Judæi; 2. pro ſpirituali alimento quo reficiuntur qui *credunt in eum quem miſit* Deus, ideſt in Chriſtum tanquam in Meſſiam; 3. pro præſtantiori pane, cujus futura donatio ſit ejuſdem in Chriſtum fidei remuneratio, quique non metaphorice tantum ſed *vere cibus ſit*. Primum & ſecundum ſenſum, tametſi in eodem contextu, admittunt Calviniſtæ; ad tertium vero exclamant: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* hæc autem quæ in Capharnaita reprobata eſt exclamatio, abſit ut in Calviniſta non improbetur.

Ad 2. confirm. 1. neg. maj. ſicut enim corporalis ablutio ſpiritualem effectum parit in Baptiſmate, ſic & manducatio oralis manſionem pure ſpiritualem parere poſſet.

2. neg. min. Chriſti enim in anima manſio partim ſpiritualis eſt, partim corporea, ſpiritualis ratione gratiæ, corporea propter corpus Chriſti corpori noſtro vere & ſubſtantialiter unitum. Hinc conſtans Patrum doctrina, Fideles per Euchariſticam Communionem Chriſto concorporales effici; de quibus infra.

Ad 3. confirm. neg. maj. quæ ſi vera eſt, tollenda erit cum Socinianis, ſive perſonarum pluralitas in divinis, ſive in inferno æternitas pœnarum: utrumque enim difficilius eſt oppoſito, minuſque humanæ intelligentiæ obvium. Itaque ea ſolum divini textus expoſitio tenenda eſt, quæ per Eccleſiæ judicium magis congruit cum littera. Et id ſi uſpiam verum

verum eſt, certe in præſenti loco. In eo enim duri quidpiam agnoverunt Diſcipuli, idque non emendavit Chriſtus quoad ſubſtantiam, ſed aggravavit, ut ſupra diximus prob. 7.

Dices: Non magis ex eo quod Chriſtus non reclamaverit contra Diſcipulos, qui ſermonem ejus pro duro habuerunt, ſequitur hunc reipſa habuiſſe aliquid duri, quam ex eo quod non reclamaverit contra Capharnaitas, qui Chriſti carnem fruſtatim conciſam comedi oportere credebant, ſequitur ejuſdem Chriſti carnem reipſa, fatente Chriſto, fruſtatim comedendam fuiſſe: atqui ex non reclamatione Chriſti poſterius nemo colliget; ergo nec prius inde colligi poteſt.

R. 1. neg. maj. Chriſtus enim juxta ſolitas providentiæ ſuæ leges plura in Diſcipulorum, quam in aliorum gratiam, præſtare conſueverat. *Vobis*, ajebat Matth. 13. v. 11. Marc. 4. v. 11. & Luc. 3. v. 10. *datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum*, *illis autem non eſt datum*, &c. ergo generatim loquendo mirum non eſſet ſi Capharnaitas cæcitati ſuæ dimiſiſſet, prout alibi Phariſæos: aliud eſt de Diſcipulis, quibus, ne a vero aberrarent, multa, eo de quo agimus ſermone faciliora, exponebat. Et vero Capharnaitæ non credebant in Chriſtum tanquam in Meſſiam, ut patet ex v. 30. ad quid ergo manducationis Euchariſticæ modum iis exponere, qui nec prima fidei haberent primordia?

R. 2. probationem qua utimur in præſenti, non tam deſumi ex eo quod Chriſtus non reclamaverit contra modum manducationis, quem forſitan concepere Diſcipuli, quam quod ſubſtantiam cogitationis eorum, ſeu manducationis realis confirmaverit, prout inſinuavimus eadem probat. 7.

R. 3. neg. min. Chriſtus enim craſſiorem ſanguinolentæ ſui manducationis ideam abegit, tum verbo, tum opere. Verbo quidem hic & nunc, cum dixit: *Caro non prodeſt quidquam*, de quo ſtatim. Opere autem, cum ſe ſub panis & vini ſpeciebus comedendum dedit in ultima Cœna. Hinc enim patebat corpus ejus, vere quidem, ſed non fruſtatim comedendum eſſe, eoſque qui ſecus ſenſiſſent ex ſola judicii præcipitantia erraviſſe. Jam

Inſt. probando 2. part. primæ minoris. Manducatio quæ ipſam Chriſti carnem attingeret, prodeſſet non ſolum ratione ſpiritus, ſed & ratione corporis: atqui manducatio de qua Chriſtus, prodeſt tantum ratione ſpiritus & fidei, nullatenus autem ratione carnis. Minor totidem verbis traditur a Chriſto v. 64. *Spiritus eſt qui vivificat*, *caro non prodeſt quidquam*. *Verba*, *quæ ego locutus ſum vobis*, *ſpiritus & vita ſunt*.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. cum Maldonato hic part. 2. q. 2. §. 3. Caro non prodeſt quidquam, ideſt carnale ingenium divina myſteria non aſſequitur, proindeque errant Capharnaitæ, qui verba mea conceptu ſuo metiri volunt, C. caro ſumpta pro corpore Filii hominis non prodeſt quidquam, Subd. Caro ſejuncta a ſpiritu vivificante, prout in opinione Capharnaitarum contigiſſet, C. ſecus, N. Itaque, ait Maldonatus, certiſſima eſt regula, non habens ullam exceptionem: Quotieſcumque in ſacris Litteris nomen carnis opponitur nomini ſpiritus, aut alteri idem valenti, accipi illud non pro natura ſeu ſubſtantia carnis, ſed pro infirmitate & culpa, quæ naſcitur ex humana carne, ut cum dicitur Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Jona*, *quia caro & ſanguis non revelavit tibi*; & Matth. 26. *Spiritus promptus eſt*, *caro autem infirma*. Iſtud igitur: *Caro non prodeſt*

quid-

quidquam, non de ipſa Chriſti carne intelligendum eſt, ſed de carnali Capharnaitarum ingenio, quo dum Chriſti verba ſcrutari nitebantur, abſurda abſurdis cumulabant. Atque ita locum hunc exponunt Tertullianus, Origenes, Cyrillus Jeroſol. atque, ut alios quos apud * Muſſipontanum Doctorem videris, Chryſoſtomus Homil. 46. in Joan. ubi hæc habet: *Quomodo ait* Chriſtus *Caro non prodeſt quidquam? Non de ſua carne dicit, abſit; ſed de his qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur*, ut accipiebant Capharnaitæ. Quo in textu notanda vox, *Abſit*, quia nonniſi falſo dici poſſit Chriſti carnem non prodeſſe, cum indubie profuerit crucifixa, & pari jure prodeſſe poſſit ſacramentaliter manducata. *Maldon.

Quod ſi objecta verba prorſus velit quis interpretari de Chriſti carne, ſenſus erit eam non prodeſſe, ſi a ſpiritu vivificante ſejungatur, & tractetur ut alimentum commune. Audiatur ea de re Auguſtinus Tract. 27. in Joan. *Quid eſt*, inquit, *caro non prodeſt quidquam? ſed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. Proinde ſic dictum eſt, Caro non prodeſt quidquam, quomodo dictum eſt, Scientia inflat. Jam ergo debemus odiſſe ſcientiam? abſit. Et quid eſt, Scientia inflat, ſola, ſine charitate. Ideo adjunxit, Charitas vero ædificat. Adde ergo ſcientiæ charitatem, & utilis erit ſcientia, non per ſe, ſed per charitatem. Sic etiam nunc, Caro non prodeſt quidquam, ſed ſola caro: accedat ſpiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimum. Nam ſi caro nihil prodeſſet, verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis.*

Confirm. quia ſi Chriſtus per hæc verba, *Caro non prodeſt quidquam*, realem qua offenſi fuerant Judæi manducationem rejicit, non erat cur ab eo recederent Diſcipuli ejus, & multo minus cur metuendum eſſet, ne ipſi etiam Apoſtoli a Chriſto deficerent: atqui tamen *ex hoc*, ideſt, ſtatim ac prolata ſunt hæc verba: *Caro non prodeſt quidquam*, &c. *multi diſcipulorum ejus abierunt retro*, &c.

Obj. 2. Sancti Patres tertiam citati capitis partem exponunt, alii de verbo Dei, *quo alimur & inebriamur*, ut S. Clemens Alexand. Lib. 1. Pædag. Origenes in Lib. Num. & Baſilius Epiſt. 141. Alii de Scriptura ſacra, ut S. Hieronymus in Pſal. 147. Alii de Baptiſmate, in quo infantes Chriſto incorporantur, ut Innocentius I. Epiſt. ad Patres Concilii Milevitani; ergo cum Scriptura ad mentem Patrum explicanda ſit, conſequens eſt prædicta verba de Chriſti carne explicanda non eſſe.

R. neg. conſeq. aliud enim eſt Chriſti verba myſtico ſenſu interpretari, aliud literalem realis manducationis ſenſum ab iis excludere. Primum hic, ut alibi ſæpius, fecere ſancti Patres; de ſecundo ne ſomniarunt quidem, ſed econtra. Siquidem S. Baſilius Lib. 1. de Bapt. c. 3. ut & in Regulis Reg. 21. verba hæc: *Niſi manducaveritis, &c.* de recipiendæ Euchariſtiæ præcepto interpretatur. Origenes utrumque ſenſum, litteralem & ſpiritualem connectit in objecto loco: *Bibimus*, inquit, *ſanguinem Chriſti, & ritu Sacramentorum, & cum ſermonem ejus accipimus.* Sanctus Innocentius vult parvulos, qui poſt Baptiſmum, ſed nondum percepta, ut tunc moris erat, Euchariſtia decedunt, non privari æterna vita, quia Chriſti carnem manducaverint, in voto, prout alibi oſtendemus: at Sacramentum carnis Chriſti nullatenus confundit cum Baptiſmi

Sacra-

Digitized by Google

Sacramento; alias non nobis tantum adverſaretur, ſed & Novatoribus, qui Euchariſtiam & Baptiſmum duo eſſe Sacramenta merito contendunt.

Fatemur tamen Patres in concionibus myſticum ſenſum libentius ſectatos fuiſſe quam litteralem; tum quia Latini præſertim amabant allegorias, ut norunt omnes; tum quia loquebantur coram Catechumenis, quibus ſumma Religionis myſteria reſerare periculoſum fuiſſet. Rationem hanc prodit Auguſtinus, qui nobis hic, ut alibi non ſemel, præcipuum eſt difficultatis caput. Sic ille Tract. 11. in Joan. ad hæc verba: *Jeſus non ſe credebat eis*. Catechumeni *jam credunt in nomine Chriſti, ſed Jeſus non ſe credit eis .... ſi dixerimus Catechumeno, Credis in Chriſtum? reſpondet, Credo, & ſignat ſe .... Interrogemus eum: Manducas carnem Filii hominis, & bibis ſanguinem Filii hominis: neſcit quid dicimus, quia Jeſus non ſe credidit ei*.

Inſt. Idem de ceteris Patribus eſto judicium, ac de Auguſtino: atqui is ſic explicat Chriſti verba, ut realis manducationis ſenſum ab iis prorſus excludat. Sic enim loquitur Tract. 25. in Joan. *Hoc eſt manducare cibum qui non perit*, nempe credere in Chriſtum. *Ut quid ergo paras dentes & ventrem? Crede, & manducaſti*. Et Tract. 26. ad id v. 50. *Hic eſt Panis de cælo deſcendens*, &c. *Quod*, inquit, *pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad viſibile Sacramentum: qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non premit dente*. Unde ſic: Manducatio realis pertinet ad viſibile Sacramentum, nec intus tantum fit, ſed foris & dente: atqui manducatio de qua Chriſtus, non eſt hujuſmodi juxta Auguſtinum; ergo.

R. ad 1. data majore, quæ falſo ſubinſinuat Traditionem totam a privati unius Doctoris auctoritate pendere, neg. min. ad 2. nego etiam min. & dico cum Bellarmino hic capite 7. & Card. Perronio in examine textuum Auguſtini c. 11. verba iſta: *Ut quid paras dentes*, &c. iſthæc quoque: *Credere in eum, hoc eſt manducare* cibum qui non perit, dicta eſſe ab Auguſtino, non de Sacramento, ſed de fide in Chriſtum incarnatum habenda, eaque non ad Chriſtianos dirigi, ſed ad Judæos, qui pridie multiplicatis panibus ſatiati, iiſdem de novo ſatiari peroptabant. Et vero necdum, cum hæc ſcriberet Auguſtinus, pervenerat ad locum Evangelii, ubi agitur de Sacramento. Atque hinc Albertinus locum hunc, licet a Pleſſæo Mornæo, aliiſque Sacramentariis millies objectum, in erroris ſui patrocinium adducere auſus non eſt, etſi, qui nihil non audet, auſus ſit Claudius.

„ Illud autem: *Qui manducat corde, non qui premit dente*, dixit quidem „ Auguſtinus cum de Sacramento loqueretur, non ut excluderet Sacramentalem eſum, ſed ut ſignificaret finem Sacramenti hujus eſſe, alere „ animam, non corpus, licet per inſtrumentum corporis ſumatur. Vere „ enim reficitur hoc cibo, qui manducat corde, non qui premit dente, „ nimirum ſolo: non enim excludit corporalem eſum, cum ibidem dicat Judam comediſſe ſolo corpore; ſed ſolum anteponit ſpiritualem „ manducationem corporali, quod illa ſine iſta proſit, iſta ſine illa non „ proſit, ſed obſit. Similis locus eſt Oſee 6. *Miſericordiam volo, non ſacrificium*: non enim Dominus reſpuit ſacrificia, ſed non vult illa, ſi abſque miſericordia ſint. Quod autem hæc Bellarmini ſolutio ſit prorſus ad mentem Auguſtini demonſtrant hæc ſancti Doctoris verba, Tract. 26. in Joan.

Digitized by Google

in Joan. *Nos accipimus viſibilem cibum: ſed aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur? unde dicit Apoſtolus, Judicium ſibi manducat & bibit*, & infra: *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere: ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti; ſed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere Sacramenta*. Ergo, juxta Auguſtinum, manducatio Chriſti duplex eſt, alia qua Sacramentum ſimpliciter premitur dente, alia quæ fit intus & corde. Prior adeo realis eſt, adeo per ſe ſubſiſtens ut a poſteriori non raro divellatur.

Inſt. 2. Auguſtinus Lib. 3. de Doctr. Chriſtian. capite 16. hanc intelligendæ Scripturæ regulam ſtatuit: *Si præceptiva locutio eſt, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non eſt figurata: ſi autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata eſt:* atqui, pergit S. Doctor, iſtud Chriſti, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. *facinus vel flagitium videtur jubere; figura eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit*. Subſumo: atqui is S. Auguſtini diſcurſus realem & oralem carnis Chriſti manducationem excludit. Ubi enim non remanet niſi manducatio figurata, ſeu admonitio in memoriam revocandi, quod Chriſti caro pro nobis crucifixa & vulnerata ſit, ibi tollitur realis quæcumque & oralis manducatio: atqui poſito Auguſtini diſcurſu, manet tantum figurata manducatio, &c.

R. ad 1. diſt. min. Auguſtini diſcurſus excludit realem manducationem ſenſu Capharnaitarum, C. ſenſu Sacramentali, N. eam enim ſolum manducationem excludit Auguſtinus, quæ facinus importaret: atqui facinus quidem importat manducatio Capharnaitica, per quam caro Chriſti in fruſta immaniter concideretur, prout fit apud Antropophagos; non vero ea per quam caro Chriſti ſumitur inviſibiliter & ſine ulla ſui læſione, ergo.

Ad 2. neg. min. ait quidem Auguſtinus, *Figura eſt*, ſed non ait, *Figura tantum eſt*. Porro poteſt quid eſſe figura, nec eſſe duntaxat figura. Sic teſte Apoſtolo Galat. 4. v. 22. duo Abrahæ filii, quorum alter fuit *de ancilla*, alter *de libera*, *per allegoriam* ſignificabant duo Teſtamenta, nec tamen meræ fuerunt figuræ, quibus nulla ineſſet realitas. Sic quoque teſte Auguſtino eod. Lib. 3. cap. 12. *Unctio, qua mulier unxit pedes Chriſti, & matrimonium quod Oſeas contraxit cum muliere fornicaria, figuræ erant rerum aliarum*, atque interim ſuam dubio procul habebant realitatem. Pari ergo ratione in his Chriſti verbis, *Niſi manducaveritis*, eſt, juxta S.Doctorem, aliquid quod figurate ſeu non literaliter accipiendum ſit, quia ſi juxta vim verborum, & vulgarem manducandæ carnis rationem intelligatur, facinus ſonat, nempe cruentam Carnis Domini comeſtionem. Verum excluſa hac, quæ occideret, littera, ſervant prædicta verba realitatem ſuam, quam licet eo loci non expreſſerit Auguſtinus, haud tamen excluſit, ſed econtra, ut patebit ex infra citandis ejuſdem Auguſtini textibus.

Et

Et vero non magis Auguſtinus eo quod prædicta Chriſti verba figurate quadantenus intellexerit, quamcumque ab iis realitatem excluſiſſe cenſendus eſt, quam S.Bernardus, qui eadem etiam figurate intellexit Serm. 30. in Pſalm. *Qui habitat*, ubi ſic loquitur: *Quid eſt manducare* Chriſti *carnem, & bibere ſanguinem, niſi communicare paſſionibus ejus, & eam converſationem imitari, quam geſſit in carne?* atqui tamen non ideo diffitentur Calviniſtæ Bernardum ſibi adverſari; ergo.

Inſt. 3. Auguſtinus in Pſalm. 98. inducit Chriſtum diſcipulos dicentes, *Durus eſt hic ſermo*, ſic edocentem: *Spiritus eſt qui vivificat .... ſpiritualiter intelligite quod locutus ſum. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, nec bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent ..... Sacramentum aliquod vobis commendavi: ſpiritualiter intellectum vivificabit vos, & ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inviſibiliter intelligi*. Ex iis ſic in forma: Manducatio ſacramentalis qualem admittunt Catholici, importat uſum tum corporis quod exhibebat Chriſtus, tum ſanguinis, quem fudere qui ipſum affixerunt cruci: atqui Auguſtinus hanc etiam manducationis ſpeciem procul abigit; ergo.

Neque ſic ſoli Auguſtino viſum eſt. Capharnaitas enim reprehendit Tertullianus, eo quod exiſtimaſſent carnem Chriſti vere eſſe manducandam. *Durum*, inquit Lib. de reſur. carnis cap. 37. *& intolerabilem exiſtimarunt ſermonem ejus, quaſi vere carnem illis edendam determinaſſet*. Similia ſcribit Origenes Hom. 7. in Levitic. *Si*, inquit, *ſecundum litteram ſequaris hoc quod dictum eſt, Niſi manducaveritis, &c. occidit hæc littera*.

R. neg. min. & dico Auguſtinum excludere cruentum & carnalem corporis & ſanguinis Chriſti uſum, non autem ſacramentalem eum quem admittimus, & qui ipſam Chriſti ſubſtantiam vere & realiter attingat. Utrumque patet ex objecto textu. Primum diſerte dant hæc S. Doctoris verba: *Acceperunt* Capharnaitæ *illud ſtulte, carnaliter illud cogitaverunt, putaverunt quod præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis, & dixerunt, Durus eſt hic ſermo*. En carnalem Chriſti eſum quem rejicit Auguſtinus. Quod autem non minus Calvinianos perſtringat, quam Capharnaitas demonſtrant alia hæc ejus verba, quæ deinceps ponderabimus: *De carne Mariæ carnem accepit* Chriſtus, *& quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem carnem illam manducat, niſi prius adoraverit*. Verum de Auguſtino fuſius deinceps, uti de Tertulliano & Origene, quos interim obiter dicam, non alium in Capharnaitis ſenſum reprehendiſſe quam carnalem.

SECTIO SECUNDA.

An præſentia realis ex verbis inſtitutionis probari queat.

INſtitutionis verba apud Matth. 26. v. eod. Marcum 14. v. 22. Lucam 22. v. 19. & Paulum I. Corint. 11. v. 24. ſunt iſthæc: *Accipite, hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus*. Quæritur quo hæc ſenſu accipienda ſint, contendunt Catholici, quod ſimpliciter & proprie, ac proin de vera ac ſubſtantiali corporis & ſanguinis Chriſti præſentia. At Pſeudore formati eo uſque circa paucula hæc verba diviſi ſunt, ut jam

ab

Google

ab an. 1577. ducentæ numerarentur eorum expoſitiones, vel depravationes. Ex his duæ ſunt quæ plus mereantur attentionis, ſi minus ratione ſui, at ſaltem ratione circumſtantiarum.

Prima ea eſt qua Andreas Carloſtadius contendit *hoc*, idem eſſe quod *hic*, itaut Chriſtus ſine ullo ad id quod diſcipulis porrigebat reſpectu, ſe ſolum tanquam menſæ aſſidentem exprimere voluerit, dicendo nempe, *hic eſt*, ſeu, *hic ſedet corpus meum*. Ceterum ne ſtupenda hæc interpretatio poſſit vocari in dubium, aſſeruit Carloſtadius in Lib. Baſileæ edito an. 1524. ſe ipſam ex Patris Cœleſtis revelatione didiciſſe: unde Carloſtadii impugnator Lutherus Librum ſuum inſcripſit *contra cœleſtes Prophetas*.

Secunda eſt Zvvinglii, qui in Sermone Chriſti verbum *eſt* tropice intelligi vult pro *ſignificat*. Neque etiam expoſitioni huic defuit ſua, quæcumque ea eſt, revelatio. Scribit enim Zvvinglius in Lib. de ſubſidio Euchariſtiæ, *ſe biduo diſputaſſe in Senatu Tigurino contra Miſſam & Euchariſtiam, nec tamen, reſiſtente ſibi Scriba quodam*, ſeu urbis Secretario, *fidem facere potuiſſe*, Eſt, *accipi pro*, ſignificat; *ſed tandem nocte ſequenti dormienti ſibi adſtitiſſe neſcio quem* (*ater*, inquit, *an albus fuerit*, *nihil memini*) *qui moneret*, *eum locum Exodi* 12. *arriperet*, Eſt enim phaſe, ideſt tranſitus Domini; *ubi verbum*, Eſt, *accipitur pro*, ſignificat. Sed de his conſule Bellarminum hic Lib. 1. c. 8. & Boſſuetium Lib. 2. Hiſtor. Variat. num. 7. & 27. At nefas fuerit præterire lepidum id & graphicum Lutheri, Serm. de Euchar. *Doctor Carloſtadius ex his ſacroſanctis vocabulis:* Hoc eſt corpus meum, *miſere diſtorquet pronomen*, Hoc. *Zvvinglius autem verbum ſubſtantivum*, Eſt, *macerat. OEcolampadius nomen*, Corpus, *torturæ ſubjicit. Alii totum textum excarnificant, & invertunt vocabulum* Hoc, *ex primo in poſteriorem locum deturbantes, & dicunt:* Accipite, comedite: corpus meum quod pro vobis datur, eſt Hoc. *Alii dimidiam partem textus crucifigunt*, & vocem Hoc, *in medium collocant, & inquiunt:* Accipite, comedite, quod pro vobis datur, Hoc eſt corpus meum. *Alii ſic obtruncant:* Hoc eſt corpus meum ad mei commemorationem; *ideſt, Corpus meum hic non debet adeſſe reipſa, ſed tantum commemoratio mei corporis, ut textus ſonet:* Accipite, comedite, hoc eſt corporis mei commemoratio, quod pro vobis datur. Sit

Conclusio. Realis præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia efficaciter probatur ex verbis Inſtitutionis.

Prob. quia verba inſtitutionis proprie & litteraliter intellecta, præſentiam realem aperte indicant: atqui eadem verba proprie & litteraliter intelligi debent, non metaphorice & figurate, uti accipiuntur a Zvvinglianis, Calvinianis, &c. Ut enim verba Inſtitutionis figurativo hoc Novatorum ſenſu accipi non debeant, ſufficiunt duo, 1. ut ſenſus ille metaphoricus immane quantum abſtruſus ſit & obſcurus; 2. ut abſtruſus ille & obſcurus ſenſus a Chriſti verbis procul eſſe debeat: atqui utrumque conſtat.

Primum quidem Ille enim ſenſus abſtruſus eſt & difficilis, qui nemini aut pene nemini ſe offert; qui ſtatim ac proponitur cuipiam ſanæ & piæ mentis illico rejicitur; qui demum nec iis probari poteſt, qui hunc admittere enixe peroptarent: atqui talis eſt figuratus adverſariorum ſenſus: 1. nemini ſe offert; cum nec Græci, nec Latini, licet alioqui & quæritandis allegoriis intenti eſſent, & verba Chriſti quotidie legerent & interpretarentur, ad Scotum uſque Erigenam, ſenſum hunc fuerint ſubodorati. Certe te-

ſtatur Zvvinglius ſe, cum jam defeciſſet a Catholicis, ſenſum hunc per annos quatuor quæſiiſſe, nec reperiſſe niſi in Hunnii Epiſtola, quæ argumentum hoc pertractabat; 2. ſenſus ille ſtatim ac proponitur, illico rejicitur a quocumque piæ & ſanæ mentis. Cum, ſtatim ut ex eodem Scoto Berengarius, & ex utroque Calviniani ſenſus metaphorici ſyſtema ediderunt, adverſantem ſibi undecumque in Oriente & in Occidente Eccleſiam ſenſerint; 3. demum nec iis probatur, qui in eum toto mentis impetu propendebant; quod manifeſtum eſt exemplo Lutheri, qui cum, ut Papam ageret in rabiem, ſenſum hunc adoptare ardenter exoptaret, veritate tamen & evidentia ſuperatus, nuſquam eo venire potuit ut ipſum amplecteretur; ergo ſtat 1. ſenſum hunc abſtruſum eſſe & difficilem, nedum planus & obvius cenſeri poſſit.

Secundum non minus evidens eſt. Obſcurus enim & difficilis ſenſus ab iis procul verbis abeſſe debet, quæ omnium apertiſſima eſſe poſtulant, tum materia de qua ſermo eſt, tum perſonæ quas alloquebatur Chriſtus, tum & circumſtantiæ loci & temporis in quibus loquebatur: atqui verba Chriſti apertiſſima eſſe poſtulabant.

* Lib. 1, cap. 9. 1. materia de qua ſermonem habebat Chriſtus. Ut enim ſolide obſervat Bellarminus * quem hic e veſtigio ſequemur, materia de qua hic ſermo erat, ſeu res quæ tunc temporis gerebatur, erat Sacramentum, Teſtamentum, lex & dogma, imo & unum e præcipuis Chriſtianiſmi dogmatis, ut fatentur adverſarii: atqui hæc omnia claris & apertis locutionibus declarari debuerunt, adeoque vel propriis, vel figuratis, quæ per evidentiam aut explicationem propriis æquivalerent. Conſtat enim 1. ex omnium ſeu veteris, ſeu novæ legis Sacramentorum inſtitutione, Sacramenta nulla niſi propriis & naturalibus verbis inſtituta fuiſse, ut patet ex Geneſ.17. ubi circumciſio, ex Exodi 12. ubi Agnus Paſchalis, ex toto Levitico, ubi multiplex Sacrificiorum genus, ac demum ex Matthæi & Marci ultimo, ac Joan.3. ubi Baptiſmus inſtituitur, aut promulgatur. Quod ſi quæpiam alicubi occurrat figura, ut cum apud Lucam cap.22. v.10. græce dicitur: *Hic calix .... qui pro vobis fundetur;* hæc tam obvia eſt, tam aperta, ut nemo etiam hebes per eam decipi poſſit; nemo qui ſtatim non intelligat, ibi continens pro re contenta, vas ſcilicet pro ſanguine incluſo in vaſe uſurpati. Sic quoque vox *renaſcendi* qua utitur Chriſtus Joan. 3. metaphorica eſt, ſed præterquam pertinet hæc ad effectum Sacramenti, non autem ad ſubſtantiam ejus, liquet eamdem vocem ſtatim explicari per adjuncta, *Ex aqua & Spiritu ſancto*, quæ craſſiorem Nicodemi ſenſum excludunt. Quis ergo credat Chriſtum in inſtituendo primario Religionis noſtræ Sacramento, tam ambigue, tam obſcure loqui voluiſse, ut ambigi merito poſſit panemne an corpus ſuum Diſcipulis ſuis dare intenderit.

Conſtat 2. ipſam Teſtamenti conditionem exigere, ut illud verbis, quantum fieri poteſt, propriis & perſpicuis condatur; tum ne hæredibus detur occaſio litigandi; tum ne extrema teſtatoris voluntas haud ſatis intelligatur. Atque hanc terminorum in teſtamentis perſpicuitatem commendant leges, * & ad amuſſim obſervant quicumque ſapiunt. Sic Exodi 24. ubi inſtituitur Teſtamentum vetus, nihil eſt quod non propriiſſimis verbis explicetur, ut & apud Apoſtolum Hebr.9. v.19. videre eſt. Sic Jacob Geneſ.49. etſi variis, cum prophetat, utitur figuris, prout exigit conditio prophetiæ, ver-

* Leg. 3. ff. De Legatis.

verbis tamen utitur clariſſimis ubi teſtamentum ſuum condit v. 29. Eamdem dictionis ſimplicitatem reperire eſt in teſtamentis David III. Reg. 2. Tobiæ ſenioris Tob. 4. Matathiæ Lib. I. Machab. c. 21. ergo extra omnem veri ſpeciem eſt Chriſtum Dominum, in quo erant *theſauri omnes ſapientiæ Dei*, aliis quam propriis perſpicuiſque verbis condidiſſe teſtamentum ſuum, in quo de ſingulari æternæ hæreditatis medio agitur; niſi forte, ait Bellarminus, deceat ut vetus Teſtamentum, quod figura erat & umbra, claris & propriis vocibus proponatur, teſtamentum autem novum figuratis & typicis locutionibus obſcuretur. Sane ſi Zvvinglianorum cuipiam legata eſſet teſtamento domus, eamque hæredes defuncti non de domo ipſa, ſed de tabella domum figurante interpretarentur, quam & ſolam dare vellent, proculdubio legatarius Dei hominumque fidem invocaret, ſibique ſimul & teſtatori, quod ejus verba non acciperentur in proprio ſenſu, injuriam fieri vociferaretur: atque hi conqueſtus eo viderentur æquiores, quo plus magnificentiæ præferret teſtator: quis porro magnificentior quam Dominus Deus noſter? Utique, ajebat Franciſcus I. Galliarum Rex, ditior eſt & liberalior, quam ut purum purum panem Infantibus ſuis reliquerit ad victum.

Conſtat 3. legem ſeu præceptum claris & propriis verbis enuntiari oportere, ne aliud pro alio obſervetur; ergo cum verba hæc: *Accipite, comedite corpus meum*, legem contineant, neceſſum eſt ut ea proprie & clare expreſſa ſint; prout etiam exprimuntur, non ſolum omnia Decalogi præcepta, ſed & alia etiam quibus certi ritus in veteri lege inſtituuntur. Nec eſt quod dicatur, verba hæc, *Accipite, comedite, hoc facite*, in quibus lex poſita eſt, eſſe propria. Requiritur enim inſuper ut proprie & aperte ſignificetur id quod eſt accipiendum, edendumve aut faciendum: longe enim aliter accipiendum eſt fruſtum panis, aliter corpus Chriſti.

Conſtat demum 4. dogma, etſi forſan non ſemper verbis clariſſimis proponatur, nuſquam ſaltem iis exprimi, quæ proprio & naturali ſenſu uſurpata eum errorem inducant, ex quo creator ſubſtituatur in locum creaturæ; ergo in primis poſtulat materia de qua loquitur Chriſtus, ut aperta ſint verba quibus de ea locutus eſt.

2. Idem exigebant tum conditio perſonarum quas alloquebatur Salvator, tum circumſtantia temporis in quo loquebatur. Scilicet loquebatur amantiſſimus Pater ad Filios, quibus *datum* erat *noſſe myſteria regni cælorum*, qui proin noſſe debebant naturam Sacramenti cujus mox participes futuri erant, & aliis deinceps annuntiaturi. Loquebatur inſuper quo tempore tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, atque ideo quo tempore impleri, ſi uſquam, debebat promiſſum iſtud apud Joan. c. 16. *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis*. Demum loquebatur, ut qui *dilexiſſet ſuos, in finem eos* diligere intelligeretur: atqui nulla eſt ex his circumſtantiis, quæ a verbis Chriſti obſcuram, ambiguam & tropicam locutionem non excludat; ut vel minimum attendenti patet; ergo. *Matt. 13.*

Confirm. 1. quia ſupponi non poteſt Chriſtum in occaſione graviſſimi momenti locutum fuiſſe contra receptas ſermonis leges, adeo ut vel non intelligeretur, vel periculoſe intelligeretur: atqui ſi per *Hoc eſt corpus meum*, intellexerit Chriſtus, *Hic panis eſt ſignum corporis mei*, indubie locutus fuit contra receptas ſermonis leges, &c. Ad probationem minoris ſuppono

pono ex ſignis alia eſſe, quæ quidpiam ſignificent ex natura rei, ut fumus ignem, & Regis ſtatua Regem; alia quæ ſolum ſignificent ex hominum inſtituto, ut ſi quis in nemore revolvens orationem, quam coram Imperii Principibus habiturus ſit, Imperatorem ſibi per quercum ceteris præcelſiorem repræſentet. His obiter ſuppoſitis, ſic progredior: Ille contra ſolitas ſermonis leges loquitur, qui humanum corpus ſignificat per aliquid, quod neque ex natura rei, nec ex inſtitutione quæ ſub auditoris conceptum cadat, idem corpus ſignificare idoneum ſit: atqui in hypotheſi Calviniana Chriſtus corpus ſuum ſignificabat per aliquid hujuſmodi, nimirum per panem. Panis enim, neque ex natura rei ſignum eſt humani corporis, ut liquet; neque ex inſtitutione libera ejuſdem corporis figura reputari poteſt ſine prævia figurantis monitione: atqui nulla in cunctis retro ſermonibus Chriſti præceſſerat monitio, quæ Apoſtolorum mentes inclinaret ad credendum ejuſdem Chriſti corpus per panem ſignificari; ergo ſi inſtitutionis verba figurate intelligenda fuerint, tam inepte, tam contra ſolitas ſermonis leges locutus eſt, quam qui ſine monitione ulla diceret; *Hæc quercus* eſt *Imperator*. Imo inepte magis, magiſque periculoſe locutus eſſet Chriſtus: quia qui diceret, *Hæc quercus* eſt *Imperator*, vel delirare intelligeretur, vel ſub obſcuris & impoſſibilibus neſcio quid myſterii involvere: at vero in Chriſti verbis nec delirum quid ſuſpicari erat, propter ſummam ejus ſapientiam, nec obſcurum quidpiam propter circumſtantias & promiſſa de quibus ſtatim, nec impoſſibile aliquid, propter notam iis ad quos loquebatur ejus omnipotentiam.

Confirm. 2. quia Spiritus ſanctus ita Evangeliſtarum calamum rexit, ut ſi quid ab uno minus aperte dictum ſit in ordine ad fidem, illud ab altero apertius expoſitum fuerit, juxta hanc, quam alibi ſcrutabimur, Auguſtini regulam Lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 6. & 9. *Nihil eſt obſcure dictum in Scripturis quod ſpectet ad fidem & mores, quod non planiſſime dictum ſit in aliis locis*. Sic ut plura omittam quæ videris apud Bellarminum, quod ſæpius dicitur Joſeph pater Chriſti, apud Lucam explicatur de putativo patre, *ut putabatur filius Joſeph*. Sic quod dixerat Chriſtus cavendum *a fermento Phariſæorum*, exponitur *de hypocriſi*, Matth. 16. & Luc. 12. Sic & iſtud, *Solvite templum hoc*, explicuit Evangeliſta de ipſo corpore Domini: atqui omnes qui de Euchariſtiæ inſtitutione locuti ſunt, Matthæus, Marcus, Lucas & Paulus, eodem plane modo Chriſti verba reddidere; ergo eadem non alieno, non figurato, ſed naturali ſenſu & intellexerunt ipſi, & ab aliis intelligi voluerunt: unde ſic reapſe ab omnibus deinceps fuere intellecta, uti videbimus in decurſu. Quapropter

Confirm. 3. Si Chriſti verba alieno & detorto ſenſu explicanda eſſent, id indubie admonuiſſent qui eadem ex profeſſo interpretati ſunt: atqui contra inſtitere ii omnes, ut verba hæc ſimpliciter, & prout ſonant, intelligerentur; & eo uſque inſtitere, ut qui a plano eo & naturali ſenſu propter adjunctas ipſi difficultates receſſerunt, tanquam avitæ fidei deſertores inſecuti fuerint; prout paulo poſt oſtenſuri ſumus; ergo, cum germanus Scripturæ ſenſus non aliunde melius haberi poſſit, quam ex communi omnium, atque eorum præſertim qui pietate & doctrina pollent, in ipſum conſpiratione, pro certo tenendum eſt verba Chriſti non alieno, non detorto, ſed obvio & naturali ſenſu intelligenda eſſe.

Con-

Confirm. 4. quia potuit Chriſtus panem convertere in corpus ſuum, & vinum in ſanguinem; tum quia *non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*, Luc. 1. v. 37. tum quia nihilo difficilius eſt Omnipotenti ſubſtantiam panis in ſubſtantiam proprii corporis convertere, quam aquam mutare in vinum, aut mundum educere e nihilo: atqui ſi potuit, jam feciſſe dicendus eſt. Enimvero feciſſe dicendus eſt, qui expreſſioribus verbis aperire non potuit ſe feciſſe: atqui non potuit Chriſtus expreſſioribus verbis, &c.

Et vero quo jure verba inſtitutionis exponet Calviniſta de corpore metaphorico, eo & potiori jure verba hæc, *Ego & Pater unum ſumus*, exponet Socinianus de unitate metaphorica: atqui tamen iſtam hanc Sociniani expoſitionem ut blaſphemam ablegabat olim Calvinianus; ergo & ſuam eodem titulo abjicere debet. Minor conſtat: niſi quod diſrupti hodie & incerti ubi pedem figant, Novatores, Socinianiſmum ut aliquid indifferens tolerare coguntur, prout aliquando, ſi dederit Deus, probabimus cum Iſaac Papino. Prob. itaq. major. tum quia verba hæc, *Ego & Pater unum ſumus*, utcumque explicari videntur per iſta, *Pater major me eſt;* tum quia, quemadmodum Calvinianus præſentiam Chriſti realem in terris, ejuſdem ad cœlos aſcenſioni repugnare imaginatur, ſic & Socinianus unitatem naturæ perſonarum Trinitati directe adverſam eſſe fingit; ergo par ad minus utrobique ratio.

Confirm. 5. quia verba Scripturæ naturali, proprio & obvio ſenſu debent exponi, quoties hæc eorum expoſitio nihil habet quod bonis moribus, fideive & aliis ejuſdem Scripturæ verbis clarioribus adverſetur: atqui quod inſtitutionis verba naturali & obvio ſenſu intelligantur, nihil habet quod adverſetur bonis moribus, &c. ergo.

Major conſtat, tum ex auctoritate S. Auguſtini, qui eam expreſſe tradit Lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, c. 1. tum quia cum verba inſtituta ſint ad aliquid determinate ſignificandum, haud dubium eſt quin Spiritus ſanctus illa uſurpaverit in eo ſenſu, quem habent ex hominum inſtituto, ne alias non tam doceret per Scripturas, quam deciperet; tum quia, ſi cuique id quod ſibi durum aut incomprehenſibile videtur, ad tropos & metaphoras convertere licebit, nutabunt omnia fidei & morum dogmata. Sic iſtud, *Deus erat verbum*, meram, quæ aliis perfectior ſit, creaturam exhibebit. Sic & iſtud, *Baptizantes eos*, idem erit ac, ſubjicientes fidei, quæ conſcientias abluit; & ita de ceteris. Itaque

Prob. min. & quidem 1. conſtat voces illas, *Hoc eſt corpus meum*, ex hominum inſtituto ſignificare rem quam demonſtrant, nempe corpus Chriſti; ſicut & iſtæ, *Hoc eſt aurum*, ſignificant rem quæ præſens eſt, aurum eſſe, non aliud quodlibet.

2. nec minus certum eſt, voces eaſdem proprio & naturali ſenſu intellectas, nihil habere quod pietati & bonis moribus adverſetur, uno verbo quod ſcelus & flagitium redoleat. Imo quid ſumma Dei charitate & omnipotentia dignius, quam ut in finem præſens iis aſſiſtat, quos in finem diligit; quam ut hodieque, ſed ſacramentali & ſpirituali modo, intret ſub tectum hominis, uti olim deſcendebat in domum Centurionis. Hinc quidem plerumque exponitur mitiſſimus Salvator impiorum contumeliis: ſed id non magis abſurdum eſt apud eos qui Incarnationis fidem contra Gentiles & Socinianos tenent, quam abſurdum fuerit eumdem per novem menſes delituiſſe

 in

in utero Virginis, faſciis infantilibus ligatum, expoſitum furori Judaico, pro fatuo habitum & exceptum ab Herode, eo uſque exinanitum, ut vermis, leproſi, noviſſimique hominum formam gereret, illuſum & maledictum in cruce, &c. atqui has Chriſti demiſſiones admittunt, & adorant Calviniani; ergo pari ratione, &c.

3. demum nec quidpiam habet naturalis idem ſenſus, quod fidei, aut aliis Scripturæ textibus contradicat. Nullum enim hactenus protulere, aut deinceps proferent Novatores, in quo Scriptura, vel clarius, vel æque clare neget quod his affirmat propoſitionibus: *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis meus;* quas quidem propoſitiones a S. Matthæo primum relatas alii Evangeliſtæ & S. Paulus, diverſis licet in Regionibus, occaſionibus & temporibus ſemper iiſdem terminis reddidere. Ecquis populorum Rectores adeo in eorum deceptionem conſpiraſſe putet, ut illos Euchariſtiam alieno corporis Chriſti nomine, nuſquam autem proprio figuræ vocabulo expreſſiſſe contendat? Ita & ſolide Habertus.

Ob. 1. Panis nonniſi per figuram dici poteſt corpus Chriſti: atqui in iſta propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, pronomen demonſtrativum *Hoc*, ſolum panem demonſtrat. Vel enim demonſtrat panem ipſum, vel aliquid diſtinctum a pane: atqui hoc non. Neque enim demonſtrat vel corpus Chriſti, vel ſpecies. Non corpus Chriſti, quia prolata ſolum voce, *Hoc*, nondum erat, juxta nos, corpus Chriſti. Non ſpecies, tum quia ſpecies non ſunt corpus Chriſti; tum quia ubi ſunt ſolæ ſpecies, ibi jam facta eſt interioris ſubſtantiæ converſio: hæc vero juxta Catholicos, non fit niſi jam prolata tota propoſitione; ergo ſupereſt ut demonſtret panem.

Confirm. Chriſtus per pronomen *Hoc*, id demonſtrabat, quod acceperat, quod tenebat manu, quod deinceps benedixit, quod fregit, deditque Diſcipulis ſuis, dicens: *Accipite & comedite*, &c. atqui quod acceperat Chriſtus, quod tenebat manu, &c. purus purus panis erat: unde ab Apoſtolo I. Corint. 10. & 11. vocatur ſimpliciter panis: *Quicumque manducaverit panem hunc*, &c. ergo.

R. 1. diſt. min. in propoſitione Chriſti pronomen *Hoc* demonſtrat panem, ſed qui vi propoſitionis ipſius convertendus ſit in corpus Chriſti, C. panem, qui remanſurus ſit panis, N. Ut intelligatur ſolutio, ſupponendum eſt propoſitiones duplicis eſſe generis, alias quidem ſpeculativas, quæ objectum ſuum ſupponunt, non autem faciunt, qualis eſt iſta, *Sol lucet;* alias vero practicas ſeu operativas, quæ id faciunt quod ſignificant, ut iſta: *Fiat lux:* Poſtremæ iſtæ, niſi aliter conſtituerit Deus, non operantur niſi cum complete prolatæ ſunt: unde in iis res quæ in aliam vertenda eſt, priorem ſuam naturam & denominationem ſervat, donec tota propoſitio abſoluta fuerit, tuncque excidit ab utraque, & ut diverſam naturam induit, ſic & diverſam ſortitur denominationem. Cum ergo propoſitio iſta: *Hoc eſt corpus meum*, ſit practica, pronomen, *Hoc*, aliud ſignificat cum pronuntiatur, aliud poſtquam finita eſt propoſitio, nempe primo panem, & in fine corpus Chriſti: unde hic occurrit propoſitio virtualiter duplex, nempe: *Hoc quod in præſenti eſt panis, eſt nunc corpus meum*.

R. 2. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. Non deſunt qui contendant pronomen, *Hoc*, in propoſitione Chriſti demonſtrare ipſum Chriſti corpus, quod jam occulta ejuſdem Chriſti voluntate, vel benedictione conſecratum erat, adeo ut verba iſthæc: *Hoc eſt corpus meum*, mere ſpeculativa fuerint, utpote

pote

pote quæ corpus Chriſti ſuppoſuerint factum, non autem fecerint. Ita ſenſere Innocentius III. necdum Summus Pontifex, in Opere *De Myſterio Altaris Lib.4. cap.6.* Durandus *Lib.4. de divinis Officiis, cap. 4. n.* 15. Odo Cameracenſis in Canon. *Benedixit;* Catharinus in peculiari ea de re Libello, quem ipſo Tridentini Concilii tempore conſcripſit, & alii non ignobiles, quos non ita pridem ſecutus eſt eruditus Analyſis Evangelicæ Auctor Maldutius, * ubi notat hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, ſic debere verti gallice: *Prenez, mangez, car c'eſt mon corps:* non autem, *car ceci eſt mon corps*. Neque enim, ait, vox *hoc* eſt ſubſtantivum, ſed adjectivum relativum, ut patet ex propoſitione ſequenti in qua non dicitur, *Hoc*, ſed *Hic eſt ſanguis meus*. Sunt enim hæ propoſitiones reciprocæ, in quibus proinde ſubjectum de ſe ipſo prædicatur, ſed modo clariori, ut cum dicitur, *Hic eſt hæres: Hic eſt omnium Dominus;* vel, *Ego ipſe ſum*, prout ad Apoſtolos phantaſmæ aquis inambulans ſuſpicantes dixit Chriſtus. Hæc expoſitio, ait VVitaſſius p. 67. tom. 2. omnes omnino tricas expedit, quas hic nectunt hæretici; & licet ab aliquibus arguatur temeritatis, eo quod adverſatur vulgari placito Theologorum; cum tamen ab Eccleſia proſcripta non ſit, haud eam amplecti vereremur, ſi nulla nobis alia ad explicandam difficultatem via ſuppeteret. Quoniam vero nec ſolutio hæc expers eſt difficultatis, nec eo uſque urgent Novatorum cavillationes,

* *Diſſ.*31.

R. vocem, *Hoc*, neque panem, neque ſpecies ſimpliciter, neque corpus Chriſti, neque ſubſtantiam ullam diſtincte & determinate demonſtrare, ſed confuſe & indeterminate ſubſtantiam præſentem. Ratio eſt, quia, ut nunc ſupponimus contra mox relatam Innocentii III opinionem, propoſitio Chriſti eſt practica, ſeu efficiens ut res Apoſtolis danda, ſit aliquid quod antea non erat: atqui in his propoſitionibus pronomen, *Hoc*, non niſi confuſam & indeterminatam ſignificationem habere poteſt; quia convenire debet rei & mutandæ & mutatæ. Sic ſi Deus lutum initio mundi in hominem compingens, dixiſſet, *Hoc eſt homo:* aut vertens uxorem Loth in ſtatuam ſalis, vel aquam in vinum, dixiſſet, *Hoc eſt ſal*, vel, *Hoc eſt vinum*, pronomen *Hoc*, nec præciſe & diſtincte lutum ſubſiſtens ſignificaſſet, cum lutum non ſit homo; neque hominem, cum pronuntiato ſimpliciter pronomine, *Hoc*, necdum eſſet homo; ergo idem pronomen confuſe & veluti vage rem præſentem ſignificaſſet; aut ſi quid aliud, aſſignent Calviniani, quodque illi reſponderint, & nos in facto Euchariſtiæ reſpondebimus.

Confirm. quia, ut arguit Bellarminus ibid. cap. 10. vox *Hoc*, in propoſitione Chriſti, vel adjective accipitur, vel ſubſtantive. Si adjective, debet congruere cum ſubſtantivo, adeoque non poteſt demonſtrare panem; cum panis ſit generis maſculini tam græce, quam latine. Si vero accipiatur ſubſtantive, jam inepta eſt, & a communi locutione abhorrens propoſitio Chriſti. Sicut enim non dixerit quis demonſtrato fratre ſuo, qui jam cognitus ſit, *Hoc eſt frater meus*, bene vero: *Hic eſt frater meus;* ſic nec recte dixiſſet Chriſtus, demonſtrato pane cognito, qua tali, *Hoc eſt corpus meum*. Ratio eſt, quia cum ſubjectum, quando audientibus notum eſt in particulari, debeat eſſe notius prædicato, non debet efferri per nomen univerſale; ſed tunc ſolum per nomen univerſale efferri debet, cum non eſt notum niſi in univerſali. V. g. vident aliqui longe neſcio quid, ſed

non diſcernunt quid ſit, arborne, an lapis, an homo; ego autem video hominem eſſe: Dicam ceteris: *Illud eſt homo*, non autem, *Ille eſt homo*. At ſi videant eſſe hominem, ſed non diſcernant quis ſit, Petrus, an Paulus; non dicam, *Illud eſt Petrus*, quia jam ſciunt eſſe hominem, ſed dicam: *Ille eſt Petrus*. Cum ergo Diſcipuli panem viderent, & panem eſſe ſcirent, abſurda fuiſſet locutio, ſi de illo pane Dominus dixiſſet, *Hoc eſt corpus meum*, cum dicere debuiſſet: *Hic panis eſt corpus meum*. Fieri igitur non poteſt, ut illud, *Hoc*, demonſtret panem tanquam ſubjectum fixum propoſitionis.

Et vero, ſi pronomen, *Hoc*, in conſecratione panis demonſtraret panem, ita etiam in conſecratione vini, *Hic*, ſive *Hoc* græce, demonſtraret vinum; quod quidem concedunt adverſarii: atqui falſum conſequens. Sic enim habet Græcus textus apud Lucam cap. 22. *Hoc eſt poculum .... in meo ſanguine, quod pro vobis funditur;* ubi, *quod pro vobis funditur*, non refertur ad id, *in ſanguine meo*, ſed ad poculum ſeu calicem. Jam vero calix ſeu vas, ſecundum ſe non potuit effundi pro nobis, ut per ſe liquet; neque etiam vinum pro nobis effuſum eſt; ergo calix quem verbis illis demonſtravit Chriſtus, non fuit calix vini, ſed ſanguinis. Ad hæc quid Beza? unum hoc, Lucæ textum in omnibus omnino Codicibus corruptum eſſe. Id vero unde habet? ex ſola reſpondendi impoſſibilitate. Hactenus Bellarminus, & ex parte Mæratius diſp. 6. ſect. 4.

Neque tamen ſi dixiſſet Chriſtus: *Hic panis eſt corpus meum*, nutaret fides realitatis; quia cum panis remanens panis non poſſit eſſe corpus Chriſti, dubio procul intellexiſſent Apoſtoli factam eſſe unius in aliud converſionem. Sic cum dixit Chriſtus Joan. 11. *Lazare veni foras*, & Petrus Act. 9. *Thabita ſurge*, nemo fuit qui non conceperit ſurrecturum eſſe non id quod erat initio verborum, nempe cadaver, ſed id quod fuit in fine, nimirum corpus vivens.

Non nego verba iſta: *Panis eſt corpus meum*, habitura quidpiam improprii & metaphorici; ſed contendo metaphoram hanc non futuram ex iis, quæ excluſa realitate ſolam figuram exhibent. Sic metaphorica erat hæc Chriſti locutio: *Cæci vident, ſurdi audiunt*, neque tamen viſus, audituſve realitatem excludebat.

Ad confirm. diſt. maj. Chriſtus per pronomen *Hoc*, id demonſtrabat quod acceperat, &c. demonſtrabat, inquam, per modum alicujus tranſitorii, ſeu in aliud convertendi, C. per modum rei in eſſe ſuo permanentis, N. Hæc ſolutio ab ipſis Novatoribus admittenda eſt: ſi enim ut panem Euchariſticum, merum eſſe panem, non autem ſacramentale quid oſtendam, ſic diſputem: *Chriſtus non dedit Diſcipulis niſi id quod acceperat: atqui nonniſi communem panem, non autem qui gratiæ productivus eſſet, acceperat; ergo nonniſi communem panem dedit Diſcipulis*, indubie reſpondebunt, id quod primo panis fuit communis, panem ſacramentalem evaſiſſe. Ultra progredimur Catholici præviis Scriptura & Traditione, idque quod initio merus panis erat, in fine corpus Chriſti fuiſſe contendimus: unde rurſus voculam, *Hoc*, confuſi quidpiam & indeterminati ſignificaſſe arbitramur; quia ſic exprimit terminum *a quo* fit mutatio, ut neceſſario connotet terminum *in quem* fit eadem mutatio: quod autem utrumque terminum connotat, nonniſi completa penitus propoſitione fixam & determinatam ſignificationem habere poteſt. Atque id in ipſis etiam ſpeculativis

pro-

Digitized by Google

propoſitionibus locum habet : Qui enim conſpecto eminus objecto quod primo neſciatur lapis an homo ſit, dicit, *Hoc eſt homo*, aliam per *Hoc* ſuum idæam ingerit, quam qui dicit, *Hic eſt Petrus*.

Ad id quod additur ex Apoſtolo I. Corint. 10. & 11. dico Euchariſtiam tres ob cauſas appellari panem, 1. quia ex pane in ipſam converſo facta eſt : hac enim de cauſa Exodi 7. ſerpens a Moyſe productus appellatur virga, quia ex virga in eum converſa factus erat ; 2. & præcipue, quia eſt cibus hominis ; generatim autem Hebraica phraſi cibus omnis nomine panis exprimitur : unde Pſalm. 77. Sap. 16. & alibi manna vocatur panis ; 3. quia retinet accidentia panis : unde etiam Angeli ſæpius in Scripturis vocantur viri, quia ſub virili ſpecie apparebant.

Inſt. Ex reſponſionibus noſtris duo ſequuntur, 1. pronomen, *Hoc*, initio propoſitionis nec præciſe panem, nec præciſe corpus Chriſti ſignificare ; 2. idem in fine propoſitionis ſignificare diſtincte corpus Chriſti : atqui utrumque abſurdum eſt. Primum, quia alioqui, *Hoc*, idem eſſet ac individuum vagum : porro corpus Chriſti nec eſt individuum vagum, nec ex individuo vago conficitur. Secundum, quia ſi, *Hoc*, in fine propoſitionis ſit idem ac corpus Chriſti, propoſitio ejuſdem Chriſti erit identica & nugatoria ; perinde enim erit ac ſi dixiſſet : *Corpus meum eſt corpus meum ;* quod tolerari non poteſt.

R. ad 1. neg. min. ad 1. 2. neg. maj. *hoc* enim rem certam demonſtrat, ſed ſub ratione confuſa, quia hæc res non eadem eſt in propoſitionis fine, quæ erat initio : porro individui vagi idæa rei certæ idæam excludit. Adde quod individuum vagum non poſſit demonſtrari ſub certis & fixis ſpeciebus : porro ſpecies quæ primo panem, & deinde corpus Chriſti involvunt, ſunt certi quid & fixi. *Vide Bellarminum cap.* 11.

Ad 2. 2. nego quoque maj. non enim identica vocatur propoſitio cujus ſubjectum eſt idem re cum attributo ; alioqui identica foret omnis definitio, ut iſta : *Homo eſt animal rationale :* ſed cujus attributum nullam omnino novam notionem addit ſubjecto, ut ſi dicas, Gladius eſt gladius : porro in propoſitione Chriſti attributum, quod eſt, *corpus meum*, novam ſubjecto *hoc* addit notionem. *Hoc* enim confuſe tantum ſignificat quod clarius evolvit nomen *corporis*. Certe ſi identica ſit propoſitio inſtitutionis, eamdem ob cauſam & magis identica erit propoſitio iſta Matth. 17. *Hic eſt Filius meus dilectus*, aliæque ejuſdem conditionis innumerabiles.

Obj. 2. Ut in propoſitione Chriſti verbum *eſt* idem ſit ac *ſignificat*, duo ſufficiunt, 1. ut acceptio hæc in aliis pluribus Scripturæ locis frequens ſit ; 2. ut eædem in propoſitione Chriſti rationes acceptionem illam adſtruant, quæ in his Scripturæ locis : atqui utrumque conſtat. Primum quidem, 1. ex Geneſ. 17. ubi circumciſio vocatur *fœdus*, ideſt, *ſignum fœderis ;* 2. ex ejuſdem Libri cap. 41. ubi *ſeptem boves pulchræ*, *& ſeptem ſpicæ plenæ*, quas vidit Pharao, *ſeptem ubertatis anni ſunt*, ideſt ſignificant; 3. ex Exodi 12. v. 11. ubi Agnus Paſchalis *eſt phaſe*, ideſt *tranſitus Domini*, nempe quia erat ſignum tranſitus; 4. ex Ezechiel. 37. ubi de oſſibus aridis dicit Deus : *Oſſa hæc univerſa domus Iſrael eſt*, figura ſcilicet, non re; 5. ex Danielis 2. ubi Propheta explicans ſomnium Nabuchodonoſor : *Tu es*, inquit, *caput aureum*, ideſt, ſignificaris per caput aureum. Quo etiam ſenſu ibid. cap. 7. *Quatuor beſtiæ magnæ, quatuor ſunt*, ſeu ſignificant *Regna*,

Digitized by Google

Regna, quæ conſurgent de terra; 6. ex Matth. 13. ubi Chriſtus ait: *Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis; Ager autem eſt mundus*, &c. 7. ex Joan. 10. & 15. ubi Chriſtus: *Ego ſum oſtium. Ego ſum vitis vera;* 8. ex I. Cor. 10. ubi Apoſtolus de veteribus Judæis ait: *Bibebant de conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus*, ſigno nimirum & figura, non in rei veritate.

Secundum non minus evidens eſt. Ideo enim in prædictis Scripturæ locis verba figurate accipiuntur, quia id exigunt circumſtantiæ ſeu temporis, ſeu perſonarum a quibus vel ad quas dirigebatur ſermo, &c. atqui eædem circumſtantiæ exigunt ut Chriſti verba figurate intelligantur: 1. enim verba hæc prolata ſunt poſt Cœnam paſchalem: porro jam ab initio Cœnæ hujus mens ad figuratam locutionem convertebatur. Siquidem ab epularum principio paterfamilias azymum panem in ſublime tollens, ſic loqui conſueverat: *Hic eſt azymus panis, quem patres noſtri in Ægypto comederunt;* & tamen hic panis non is erat quem Hebræi in Ægypto comederant, ſed ſola ejus commemoratio; 2. verba hæc prolata ſunt a Chriſto Sacramentum inſtituente: atqui eo ipſo figurate intelligi debuerunt; tum quia Sacramentum ut ſic eſt ſignum ſeu figura rei ſacræ; tum quia ubicumque de Sacramentis loquitur Scriptura, rem id eſſe dicit quod tantum rem ſignificat; ſic Geneſ. 17. de Circumciſione ait Deus: *Hoc eſt pactum meum*, ideſt, uti dicitur inferius, ideſt *ſignum fœderis inter me & vos;* 3. verba hæc dirigebantur ad Apoſtolos: his autem pronum erat metaphoram deprehendere in verbis Chriſti; tum quia eum pene ſemper audiiſſent loquentem in parabolis; tum quia in ipſis tametſi brevibus inſtitutionis verbis triplicem admittere metaphoram tenentur Catholici. In his enim habetur Græce: *Hic eſt calix, novum Teſtamentum in meo ſanguine, qui* (calix) *pro vobis funditur:* ibi porro quot verba, tot ſunt metaphoræ. Neque enim calix fundi poteſt, bene vero contentum in calice; neque calix novum Teſtamentum eſt, ſed ſignum teſtamenti, ſeu ſupremi fœderis a Chriſto cum hominibus initi ſignaculum; neque demum in inſtitutione Euchariſtiæ actu fundebatur ſanguis, aut frangebatur corpus Chriſti: ut dici poſſet in præſenti, *qui pro vobis effunditur;* vel, *quod pro vobis frangitur;* ergo.

R. ad 1. neg. min. cujus negandæ ratio ut melius intelligatur, juvat objectos textus ſigillatim & breviter perſcrutari.

Geneſ. 17. Circumciſio non dicitur eſſe pactum ſeu fœdus, ſed conditio pacti ineundi, ejuſdemque initi ſignum. *Hoc eſt*, ait Deus v. 10. *pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos ∴ circumcidetur in vobis omne maſculinum*. & v. 11. *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos*. Adducant porro adverſarii aliquod Scripturæ teſtimonium in quo panis dicatur ſignum corporis Chriſti.

Nec vero prodeſſet adverſariis ſi Circumciſio pure diceretur pactum; quia cum ad pactum requiratur ſignum exterius per quod de ejuſdem pacti conditionibus conſtet, mens ſtatim & abſque ulla monitione intelligeret id dici pactum, quod tantum ſit pacti inſtrumentum ſeu teſtificatio; neque hic quiſquam, modo ſanæ mentis deciperetur: porro Apoſtoli ſine prævia monitione intelligere non poterant, vel corpus Chriſti exigere aliquod ſui ſignum, vel panem eſſe ſignum corporis Chriſti; ergo natura-

Digitized by Google

naturaliter decipi debuere, ſi Chriſtus ſolam corporis ſui imaginem exprimi voluerit; ergo & qui in hoc hodie decipimur Catholici, cum antiquo poſſumus exclamare : *Domine, ſi error eſt, a te decepti ſumus.*

Geneſ. 41. Quærit Pharao a Joſeph interpretationem ſomnii, proindeque quærit quid ſignificent boves & ſpicæ quas vidit per ſomnum. Reſpondet Joſeph, *ſeptem boves pulchras* eſſe *ſeptem fertilitatis annos;* ergo cum reſponſio ſit ad mentem interrogantis ſtatim intelligitur ſeptem annos per ſeptem boves ſignificari. Quis, niſi Zvvinglianos oculos habet, ſimile quid detegat in his verbis : *Hoc eſt corpus meum.*

Eadem reſponſione dilues quidquid ex Danielis 2. & 7. atque etiam fere Apocalypſi objici poſſet, ubi enim eſt viſio prophetica, ac proinde præſaga futuri, ibi neceſſario quod actu objicitur menti, rei alterius imago & figura eſſe intelligitur.

Exodi 12. Vox *eſt* non ſumitur pro *ſignificat*, ſed in ſenſu reali, adeo ut, *Agnus eſt phaſe*, ſeu paſcha, vel tranſitus, idem ſit ac, *Agnus eſt victima tranſitus*. Nempe vero Hebraicæ linguæ familiare eſt ſacrificia denominare a rebus pro quibus offeruntur. Sic Sacerdotes dicuntur *comedere peccata populi*, quia comedunt victimas pro peccato oblatas; ſic juxta Apoſtolum Chriſtus *pro nobis peccatum* factus eſt, quia factus ſit victima pro peccatis noſtris; ſic Luc. 22. *neceſſe erat occidi paſcha*, ideſt, victimam paſchalem. Ergo non *albus*, ſed *ater* & imperitus erat ille *neſcio quis*, qui Zvvinglium monuit, ut citatum Exodi locum arriperet, &c. præſertim cum ibidem ſibi interpres Scriptura id quod primo tranſitum vocavit, deinceps appellet *victimam tranſitus*, in textu mox citando. *Vide Hiſtoriam Variationum Lib. 2. n. 27.* *Supra pag. 146.*

Neque tamen multum proficiant Zvvingliani, ſi verbum *eſt* Exodi 12. *ſignificative* intelligatur. Siquidem nomen ſigni pro re ſignificata uſurpari poteſt, cum nullum ex ea acceptione imminet periculum erroris, & a fortiori cum omnes loci, rei & perſonarum circumſtantiæ myſterium aliquid indicant : quod quale ſit ſollicite inquirit humana curioſitas : atqui ſic ſe res habebant in præſenti caſu. Nempe vero videbant juniores Hebræi offerri Sacrificium cum multis, iiſque inſolitis ritibus qui myſticum quid ſpirarent; ergo negativo quodam impetu debebant inquirere quorſum hæc fierent, quidve per ea ſignificaretur; ergo iterum cum ſibi reſpondebatur id eſſe phaſe, ſtatim intelligebant, phaſe hoc uſurpari, non pro ipſo tranſitu Angeli, ſed pro cæremonia tranſitum hunc commemorante. Unde clarius quam neceſſe erat, ſcripſit Sacer Auctor : *Cum dixerint vobis filii veſtri : Quæ eſt iſta religio! Dicetis eis : Victima tranſitus Domini eſt.*

Nihilo plus habet difficultatis objectio petita ex cap. 37. Ezech. ibi enim refertur viſio Prophetæ : porro viſionibus illis competit ut quid a ſe diverſum ſignificent. Mirum certe ſi Ezechiel, qui viventes Iſraelitas alloquebatur, eoſdem nihil aliud eſſe contendiſſet, quam mortuorum oſſium congeriem. Hic ergo per oſſa quæ ex aridis reviviſcunt, ſignificatur, & aperte ſignificari intelligitur, mortuorum reſurrectio, ſecundum id v. 12. *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris.*

Quod ſpectat ad ea Evangelii loca in quibus Chriſtus ſe vitim, oſtium, aut ſimile quid eſſe declarat, dico 1. nihil ea commune habere cum verbis inſtitutionis. Qui enim dixit, *Hoc eſt corpus meum*, non dixit, vite

vel

vel oſtio in particulari demonſtrantis, *Ego ſum hæc vitis, hoc oſtium, &c.* & multo minus, *Qui oſtium hoc frangit, frangit corpus meum;* 2. adeo obviam eſſe horumce textuum figuram, ut tametſi infinitus eſt fatuorum numerus, nemo uſquam hic aliud quam figuram ſuſpicatus fuerit; 3. & quidquid in his figuratum eſt, a Chriſto expoſitum eſſe. *Ego*, inquit, *ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſalvabitur*, &c. *Ego ſum vitis vera, & vos palmites: ſicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis*, &c.

Textus e I. ad Corinth. cap. 10. non in figurativo ſenſu intelligendus eſt, ſed in reali. Chriſtus enim ut Deus, vere erat, non petra ſimpliciter, ſed petra *Spiritualis* de qua bibebant, & quidquid ſibi inerat boni recipiebant Iſraelitæ, quæque eos quocumque pergerent, ſequebatur; quod de materiali petra etiam quoad rivulos ex ea defluentes dici nequit; cum ex Num. 20. & 21. conſtet aquam Judæis iterum defuiſſe; ergo ſolutio eſt in textu. Etſi enim eſt tropus in eo quod Chriſtus vocatur petra, tamen per additionem *Spiritualis* explicatur.

Ceterum obſervandum cum Bellarmino, non negari a nobis, quin materialis hæc petra fuerit figura Chriſti, ut & aqua inde manans figura ſanguinis ab eo effundendi; ſicut etiam non negamus ſpecies panis eſſe ſignum corporis Chriſti; ſed negamus per illa verba: *Petra erat Chriſtus*, explicari illam figuram, ſicut negamus per illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, explicari ſignificationem ſpecierum panis.

Jam ex his ſequitur verbum, *eſt*, non ſumi ſignificative in locis omnibus ſupra objectis. Neque vero ſi hic ubique verbum *Eſt*, idem foret ac, *ſignificat*, quidquam hinc inferre poſſent Zvvingliani: quia ſicut abſurda eſt hæc ratiocinatio: Multa animalia ſunt aſini: atqui Petrus eſt animal; ergo Petrus eſt aſinus; ſic & abſurda eſt hæc: Verbum *eſt*, in pluribus locis ſumitur ſignificative: atqui in textu inſtitutionis occurrit verbum, *eſt;* ergo, &c. quia utrobique concluditur ex particularibus, quod inſigniter vitioſum eſt.

Confirm. 1. quia ſi ſemel licitum ſit verbum *eſt* metaphorice interpretari, jam certi nihil ex Scripturis colligi poterit. Sic Catholico urgenti verba hæc: *Ego & Pater unum ſumus*, reſpondebit Socinianus verbum *ſumus* metaphorice ſumi.

Confirm. 2. quia propoſitiones in quibus verbum *eſt*, ſumitur pro *ſignificat*, includunt aliquid ratione cujus attributum metaphorice duntaxat de ſubjecto prædicari intelligitur. Sic iſtud: *Joannes eſt Elias*, idem Joannis quod Eliæ officium eſſe demonſtrat: atqui in hac propoſitione: *Hoc eſt corpus meum*, nihil eſt vel ex natura rei; vel ex prævia Chriſti inſtitutione, unde tale quidpiam intelligi poſſit. Quin etſi inſtituiſset Chtiſtus ut panis eſſet corporis ſui figura, male tamen diceretur, Panis eſt corpus Chriſti; ſicut male dictum eſſet, Manna eſt corpus Chriſti; aut male diceretur: Hedera eſt vinum; ergo.

Quod autem ait Klebitius, Catholicos ejuſdem quod in adverſariis culpant mendi reos eſse; quia verbum *eſt* in inſtitutione ſine tropo intelligi volunt, eo quod in multis Scripturæ locis intelligatur ſine tropo, falſum & falſiſſimum eſt. Non enim, ait Bellarminus, hac, quæ vitioſa foret, ſed iſta, quæ fallere non poteſt, utimur regula, Ubique ſectan-

dam

dam eſſe in Scripturis verborum proprietatem, niſi evidenter appareat alicubi eſſe tropum; quod neque nobis neque toti, quanta eſt, apparuit antiquitati in textu Inſtitutionis.

Quanquam longe tutius diſcurrit quis in hunc modum: E ducentis millibus Scripturæ locis vix decem ſunt ubi *eſt*, ſumatur pro *ſignificat*; ergo longe probabilius eſt, idem verbum haud ſumi *ſignificative* in textu Chriſti. Id autem aliter quam per conjecturas oſtendatur.

R. ad 2. neg. min. cujus falſitas ex probationibus noſtris eſt manifeſta.

Ad 1. prob. R. 1. formulam quæ Patrifamilias tribuitur, e Rabinorum Scriniis, noviſque Judæorum Ritualibus erutam eſſe; in quibus multa ſunt falſa vel dubia, nulla quæ tantum faciant fidei, ut hinc dogmata noſtra vel aſtrui, vel impugnari ſolide poſſint.

R. 2. ſi formula hæc veluti clavis verborum Chriſti futura erat, haud paſſurum fuiſſe Chriſtum, ut ea ab Evangeliſtis omnibus ſupprimeretur, & toti mundo prioribus Eccleſiæ ſæculis ignota eſſet. Ad quid enim clavis qua nemo uti poſſit?

R. 3. formulam, quæ jam ab initio cœnæ legalis pronuntiata ſupponitur, non potuiſſe convertere ad figuram mentis Diſcipulorum quoad verba cœnæ Euchariſticæ, quæ nec commune quidpiam habebant cum præcedentibus, nec niſi diu poſt prolata fuere.

R. 4. rationes quæ in textu Patrisfamilias figuram aſtruunt, obeſſe ne hanc in verbis Chriſti ſuſpicari liceat. Ideo nempe phraſis iſta: *Hic eſt panis, quem Patres noſtri in Ægypto comederunt*, tropice intelligebatur, quia jam publico Religionis ritu inſtitutum erat, ut qui hodie offerebatur azimus panis, panis olim in Ægypto manducati ſignum eſſet & memoriale: atqui nullo uſquam ritu inſtitutum erat, ut panis eſſet ſignum corporis Chriſti; ergo quæ ratio in Patrisfamilias verba figuram ſponte ac naturaliter invehebat, hæc iſtam excludebat a verbis Chriſti. Ita & ſolide VVitaſs.

Ad 2. probat. neg. min. quinimo enim Apoſtoli ſtatim ut ſenſerunt a Chriſto inſtitui Sacramentum illud, quod tanta cum ſolemnitate ſponderat Joan. 6. quod ibidem non obſtante Diſcipulorum quorumdam ſcandalo confirmaverat; quod deſiderio deſideraverat inſtituere; quod demum actu inſtituebat ut perenne monumentum tenerrimæ in *ſuos* dilectionis; ſtatim, inquam, intelligere debuerunt haud porrigi ſibi vacuam & inanem rei abſentis figuram, ſed ſignum ſub quo vere & plene deliteſceret corpus Chriſti. Neque enim ubicumque eſt ſignum rei, hic ſtatim deeſt realitas. Sic & columba quæ in Chriſtum deſcendit, & igneæ quæ in Apoſtolos die Pentecoſtes illapſæ ſunt linguæ, ſignum fuere Spiritus ſancti non abſentis, ſed præſentiſſimi.

At, inquies, propoſitio Chriſti eſt ſacramentalis: atqui propoſitio ſacramentalis eſt neceſſario ſignificativa; ergo. Ita Calvinus, qui de argumento iſto ait: *Hic murus aheneus eſto*. Verum errat, niſi deſipit Novator. Siquidem ſacramentalis propoſitio, ut rei abſentis, ſic & præſentis ſignificativa eſſe poteſt. Erit autem indubie ſignificativa rei præſentis, ſi rem præſentem indicet: porro verba inſtitutionis corpus Chriſti præſens indicant; ergo non eo ſenſu figurativa ſunt, quod realitatem excludant; ergo aheneus Calvini murus, revera luteus eſt.

Ad textum ex cap. 17. Geneſ. petitum, jam reſpondimus Circumciſio-

nem

Digitized by Google

nem dici pactum, non quia pactum ſignificet: nec enim docere voluit Deus eo loco ſignificationem Circumciſionis, ſed quia ſit pacti conditio, &c.

Ad 3. probat. neg. min. ad 1. dico econtra Apoſtolos verba Chriſti in ſenſu reali intelligere debuiſſe, 1. quia alias quibus loquebatur parabolas, tametſi faciles, exponere ſolitus erat; nullam autem in inſtitutione Euchariſtiæ fecit expoſitionem; 2. quia nuper ſpoponderat ſe jam in parabolis locuturum non eſſe; haud ergo præſumendus erat verbis ſuis in re admodum gravi quam primum deeſſe.

Ad 2. eſt quidem tropus in his verbis: *Hic eſt calix, qui pro vobis funditur*, verum adeo vulgaris & obvius, ut nemo ſit etiam hebetum princeps, qui hic decipi poſſit. Ecquis tam bardus erit, ut ad hauriendum vini calicem invitatus, craterem ipſum ſibi deglutiendum putet? Adde difficultatem, ſi qua hic fingi poteſt, ex aliis Scripturæ locis evaneſcere. Quod enim calicem dixere SS. Lucas & Paulus, id ipſum SS. Matthæus & Marcus ſimpliciter dixerunt ſanguinem: *Hic eſt ſanguis meus*, &c.

Quod ſpectat ad vocem *teſtamenti*, nihil opus eſt ut ea metaphorice intelligatur; quia ubique receptum eſt ut nomine teſtamenti, non tam ultima hominis voluntas, quam ejuſdem voluntatis inſtrumentum ſignificetur: atque hoc ſenſu quærimus quotidie an quis teſtamentum ſcripſerit, an apud Notarium ſervetur, &c. Item & ſacra Biblia vocamus vetus & novum Teſtamentum, quia in his continentur Dei voluntates, & media quibus fidelis populus ad æternam ſalutem devenire valeat. Porro ſanguis Chriſti primas habet partes inter media quæ fidelibus ſuis legavit Chriſtus ad æternam hæreditatem; ergo proprie & uſuali ſenſu teſtamentum nuncupatur; aut ſi metaphorica eſt locutio qua ſignum ultimæ voluntatis exprimitur nomine teſtamenti, id adeo unanimi gentium omnium conſenſu firmatum eſt, ut metaphoricum nomen ejuſdem cum proprio ſit perſpicuitatis.

Contra objicit Calvinus, 1. ſi ſanguis ſit teſtamentum, neceſſe erit Chriſtum ſæpe mori, cum ex Hebr. 9. non valeat teſtamentum niſi moriatur qui teſtatus eſt; 2. apud Matthæum dicitur: *Hic ſanguis meus novi Teſtamenti*, ac proinde ſanguis non erat teſtamentum: atqui ex S. Luca quod erat in calice erat teſtamentum; ergo in calice non erat ſanguis; 3. Lucas & Paulus dicunt calicem eſſe *teſtamentum in ſanguine*; ergo iterum non erat ſanguis in calice: alioqui enim eſſet is Scripturæ ſenſus: *Hic ſanguis eſt teſtamentum in ſanguine*; quod abſurdum eſt, &c.

R. ad 1. haud neceſſum eſſe ut pluries moriatur Chriſtus: ſiquidem mors ejus non fuit teſtamentum, ſed confirmatio teſtamenti; ſufficit autem una ejus mors ad confirmandum teſtamentum ipſius, etiamſi infinities repetatur.

R. ad 2. teſtamenti nomen bifariam accipi, ut jam diximus, nempe 1. pro teſtatoris voluntate, quæ de hæreditate, ſeu abſolute, ſeu conditionate diſponit, ut Exodi 24. *Hic eſt ſanguis fœderis*, ſive *teſtamenti*, ut citat Apoſtolus Hebr. 9. Eſt enim ſenſus: Hic eſt ſanguis, quo ſancitur & confirmatur voluntas, pactum & promiſſio Dei; 2. pro inſtrumento authentico, quo continetur voluntas teſtatoris, & per quod acquirit hæres jus ad hæreditatem; & de hoc jam ſupra. Jam dico in Matthæi verbis: *Hic eſt ſanguis teſtamenti*, accipi vocem teſtamenti primo modo, nimirum pro divina promiſſione; in verbis autem Lucæ, *Hic calix teſta-*

men-

mentum eſt, accipi ſecundo modo, ideſt pro inſtrumento illius promiſſionis : quapropter utrumque eſt vere & proprie dictum.

R. ad 3. 1. verba SS. Lucæ & Pauli exponi debere per verba Matthæi, quæ clariora ſunt, & quæ forte ſola uſurpavit Chriſtus. Neque enim cum idem factum verbis paulo diverſis apud Scriptores ſacros refertur, neceſſum eſt ut is de quo agitur verba ea omnia protulerit, ſed certa quædam quæ unus reddiderit identice, alii quoad ſenſum.

R. 2. nihil abſoni eſſe in propoſitione iſta : Hic calix ſanguinis mei novum eſt Teſtamentum *in* hoc ipſo meo ſanguine firmatum, ideſt *per* ſanguinem meum : quomodo Rom. 3. Chriſtus dicitur propitiator in ſanguine ſuo, & ibid. 5. dicimur juſtificari in ſanguine Chriſti. Porro noſtrum hunc ſenſum nihil habere violenti, nihil quod ex Scriptura revinci queat, patet cuilibet vel leviter attendenti.

Addit Bellarminus, quem in his præ ceteris conſuli velim, vocem, *ſanguis*, diverſimode in his duobus locis accipi. Cum enim, inquit, dicitur, *Hic calix*, ſumitur ſanguis in eo contentus ut eſt ſub ſpeciebus vini, & eſt Sacramentum, ac proinde teſtamentum : cum autem dicitur, *in ſanguine meo*, ſumitur pro ipſo ſanguine in cruce viſibiliter effuſo, ut is ſit ſenſus: Hic calix, ideſt res in hoc calice contenta ſub ſpeciebus vini eſt novum Teſtamentum dedicatum & ſancitum in ſanguine meo.

Ad 3. probationem deductam e verbis *frangitur*, vel *effunditur*, R. 1. verum fuiſſe actu dum loqueretur Chriſtus, effundi ſanguinem aut frangi corpus ejus: 1. quia, juxta phraſim Scripturæ, frangi dicitur id quod aliis ad eſcam datur & diſtribuitur; ut Iſaiæ 58. . *Frange eſurienti panem tuum*. Thren. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*, Act. 2. Perſeverabant *in communicatione fractionis panis;* 2. quia uſu receptum eſt ut corpori tribuatur, id quod ſolis ejus involucris competit. Sic Chriſtus in Evangelio quærit, *Quis me tetigit*, cum mulier ſolam pallii ejus fimbriam tetigiſſet : ſic hominem dicimus madidum, cum veſtes ejus madidæ fuerint. Cum ergo corpus Chriſti eſſet ſub panis ſpecie quæ frangebatur, & ſanguis ſub ſpecie vini, quæ fundebatur, nihil a communi uſu receſſit Chriſtus, cum dixit *frangi* corpus ſuum, & ſanguinem *fundi*. Ita Tournely, VVitaſſe, &c. Imo addit Simonnet p. 289. corpus Chriſti dici poteſt frangi in Sacramento etiam ratione ſui, quia in Sacramento moraliter deſtruitur, & per moralem hanc deſtructionem Deo immolatur.

R. 2. præſens *frangitur* & *datur*, poni pro futuro *frangetur*, &c. unde dicit S. Paulus, *tradetur :* proindeque fractio hæc de ea intelligi poteſt, quæ futura erat in paſſione, ubi licet parcitum ſit oſſibus Chriſti, propter iſtud : *Os non comminuetis ex eo*, ejus tamen caro fracta eſt, ſeu dilaniata præſertim in cruenta ipſius flagellatione.

Addit Henno, ly *frangitur*, non poſſe intelligi de pane, cum jam eſſet fractus ante diſtributionem, ut patet ex Luc. 22. & I. Corint. 11. & tamen diſtribuendo ait Chriſtus : *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*. Hæc tamen probatio non videtur peremptoria. Si enim de re poſt aliquot horas frangenda dici potuit in præſenti *frangitur*, quidni & de re proxime facta?

Inſt. Qui in Chriſti verbis nihil deprehendebant quod exhiberet converſionem panis in corpus Chiiſti, qui aliunde ſciebant panem in Scripturis ſumi pro corpore humano, illi ut nomen, *Calix*, ſic nomen panis tropice

tropice intelligere debuerunt : atqui Apoſtoli, 1. nihil deprehendebant in Chriſti verbis quod denotaret converſionem, &c. Cum enim Deus grandia hæc miracula operatur, utitur voce imperativa : ſic Gen. 1. dixit Deus: *Fiat lux;* ſic Chriſtus ad leproſum, *Volo*, *mundare*, ſeu fias mundus ; 2. ſciebant Apoſtoli corpus humanum deſignari per panem in Scriptura, ut cum apud Jeremiam, ubi de ipſo Chriſto agitur, ajunt Judæi cap. 11. v. 19. *Venite, mittamus lignum in panem ejus ;* ideſt, corpus ejus affigamus cruci, prout interpretantur Patres ; ergo ruit tota ſolutio.

R. neg. min. pro prima parte ; tum quia Deus non eſt his, illiſve verbis alligatus, ut rem, ejuſve ſtatum convertat; tum quia non ſemper imperativa voce, ſed aliquando indicativa uſus eſt in hujuſmodi circumſtantiis. Sic Luc. 12. mulierem languidam ſanaturus, non ait : *Mulier* dimittaris, ſed *dimiſſa es ab infirmitate tua*.

Ad 2. part. Si panis apud Jeremiam ſignificet corpus, vicere Catholici, neque enim ſola corporis figura cruci affixa eſt, ſed ipſum vere corpus: unde vel ex hoc præſentiam realem agnoviſſe convincunt Patres, qui panem de quo loquitur Jeremias, de corpore Salvatoris interpretati ſunt. Verum obſtant duo ne ſolutioni huic immoremur : primum quod probari non poſſit Apoſtolos, homines idiotas & ſine literis ſatis, cum inſtituta eſt Euchariſtia, in Scriptura verſatos fuiſſe, ut obſcuriores ejuſdem textus ſemper haberent præ oculis ; ſecundum, quod is tantum ſit objecti loci ſenſus : Venite, panem ejus venenato ligno inficiamus, *&* ſic *eradamus eum de terra viventium ;* vel ut aliis placet : Paſcamus eum ligno, ideſt, fuſtibus aut cruce libemus eum, loco panis *.

Obj. 3. Verba, quæ niſi metaphorice intelligantur, pugnant cum aliis Scripturæ textibus, metaphorice intelligi debent : atqui verba inſtitutionis... Pugnant enim 1. contra id Matth. 15. 17. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur*. Siquidem corpus Chriſti in ſeceſſum emitti non poteſt; ac proinde nec in os intrare realiter ; 2. contra iſtud cap. 24. ejuſdem Evangeliſtæ : *Si quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere*. Ergo fallunt Catholici, cum ajunt : Ecce eſt Chriſtus in hoc vel illo altari, in hac vel illa hoſtia; 3. contra hoc ejuſdem cap. 26. v. 11. *Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis :* porro ſi Chriſtus in Euchariſtia realiter præſens eſſet, jam eum ſemper habuiſſent Apoſtoli; 4. contra hæc Marci ult. v. 19. *Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet a dextris Dei;* & Act. 3. v. 21. *Quem*, Chriſtum, *oportet cælum ſuſcipere, uſque in tempora reſtitutionis omnium;* ſeu, ut in ſymbolo canimus, donec veniat *judicare vivos & mortuos :* porro qui ſedet in cœlis, ibique ſedebit ad extremum uſque judicium, non illabitur millies diebus ſingulis in terram, ut in Euchariſtia præſens ſit ; 5. contra id Luc. 24. 39. *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*. Unde Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 29. *Veritas carnis, Chriſto teſte, probatur aſpectu & contactu : atqui in Euchariſtia nihil videtur aut tangitur niſi panis; non igitur ibi caro, ſed panis eſt;* 6. contra illud Act. 7. & 18. *Deus non in manufactis templis habitat*, utique, ait Petrus Martyr, quia major omnibus templis : atqui Chriſtus eſt Deus, & ſecundum corporis ſtaturam major

* On dit quelquefois : Je lui ferai gouter de mon baton ; on lui fit un régal de coups de baton. *Calmet hic Tom. 6. p. 65. fol.*

Digitized by Google

major eſt pixide; ergo nec in templis, nec in pixide habitare poteſt; 7. contra id Coloſs. 3. *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*: cui conſonat hoc Chriſti monitum Joan. 20. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum*; ergo, ait Calvinus ibid. non alibi quam in cœlo quæri vult Chriſtus & tangi.

R. ad 1. neg. min. quemadmodum enim Sociniano objicienti, verba quibus adſtruitur perſonarum Trinitas, aliis adverſari Scripturæ textibus, qui unitatem commendant, reſpondet Calvinianus reipſa non adverſari, quæ prima fronte oppoſiti quidpiam habere videntur; ſic & idem in præſenti caſu reſpondendum eſt Calviniano. Regeret is quidem multum eſſe inter utramque cauſam diſcriminis: at idem dabit reſponſum quiſquis Novator eſſe volet, cum vix ulla ſit, ſi quædam eſt, fidei veritas, quæ ex nonnullis Scripturæ textibus impugnari non poſſit. Hæc ſolutio quam æqua ſit, manifeſtum dabit objectorum textuum inveſtigatio. Unde

Ad 1. diſt. maj. quod in os intrat ad nutriendum corpus, & ut cibus communis, in ſeceſſum emittitur, C. quod in os intrat ad nutriendam animam, N. Itaque ex objecto textu nihil inferri poteſt, ſi conſtet 1. Chriſtum hic ſolum loqui de cibis communibus; 2. ſi æque certum ſit Euchariſtiam cibis communibus annumerari non poſſe. Primum patet, quia Chriſtus eo loci inſequitur Phariſæos, qui hominem ex cibis uſualibus inquinari exiſtimabant, niſi eos lota manu tetigiſſet; ergo quidquid ibi differit Salvator, ad cibos communes reſtringi debet. Secundum non minus evidens eſt; abſit enim ut panis vitæ, panis, quem qui manducaverit non morietur, panis Angelorum, inter uſuarios panes cenſeri poſſit; ergo Euchariſtia ceterorum ciborum ſorti obnoxia non eſt. Unde ſi quid hic accidat corruptionis, recidit id totum in ſpecies, non in ipſum Chriſtum, qui ſicut incipit eſſe ſub ſpeciebus poſt conſecrationem, ita & ſub his eſſe deſinit poſt ipſarum corruptionem, ſine ulla ex parte ſui læſione & detrimento. Ita Bellarminus Lib. 1. cap. 14. Tournely de Euchar. tom. 8.

Et vero, ait idem Bellarminus, Chriſtus poſt reſurrectionem vere comedit & bibit, ut docent Evangeliſtæ omnes Evangelii cap. ult. & Petrus Act. 10. atqui tamen, fatentibus Calvinianis, non emiſit cibos in ſeceſſum. Quorſum vero? quia non ad nutriendum corpus, ſed ad probandam ejus realitatem cibos ſumebat; ergo neceſſario limitandum eſt iſtud: *Omne quod in os intrat*, &c.

Ad 2. neg. conſeq. ſiquidem Pſeudochriſti, quibus Salvator in objecto textu credi vetat, annuntiandi erant ab impoſtoribus, 1. ut abſconditi *in deſerto & in penetralibus*; 2. ut humano more tractantes cum hominibus; 3. ut operantes miracula, quibus, niſi breviarentur dies, ipſi in errorem inducerentur electi: atqui ne unus quidem eſt ex iis characteribus qui Chriſto Euchariſtico competat. Is enim nec latet in deſerto, ſed palam mediis in urbibus triumphat; nec humano more tractat cum mortalibus, ſed occiſi & immolati agni ſpeciem habet; nec facit miracula propter quæ breviati ſint dies; cum crebra & continua operetur; quorum aliquot deinceps referemus.

Et vero ſi in objectum textum impingant Catholici, impingent & Lutherani, qui præſentiam realem profitentes dicere poſſunt: *Ecce hic, aut illic eſt Chriſtus*. Ut quid ergo cum Lutheranis Communionem in Synodo

Digitized by Google

Carentonenſi an. 1631. inierunt Calviniani, adeo ut Lutherum & ipſi beatum nuncupent. Poſteriori huic argumento ſibi ore ad os propoſito reſpondere non potuit Albertinus. *

Ad 3. diſt. maj. Apoſtoli haud ſemper habituri erant Chriſtum ſecundum ſtatum in quo utilitatis quidpiam ab hominibus recipere poſſet, C. ſecundum alium quemcumque ſtatum, N. Itaque vindicat hic Chriſtus factum Magdalenæ, quæ nardi pretioſi copiam effuderat in caput ipſius, non ad honorem tantum, ſed & ad utilitatem, nempe 1. ut fatigata ejus membra refocillaret; 2. ut *corpus* ejus *in ſepulturam* præungeret, quæ unctio non eſt honoris duntaxat, ſed & utilitatis, quia conſervat, & odorem tribuit; ergo cum verba Chriſti hic ut & alibi pro ſubjecta materia intelligi debeant, prænuntiat quidem ſe haud ſemper futurum cum Apoſtolis in ſtatu in quo ſimilia charitatis obſequia recipere poſſit; ſed non ideo negat ſe cum iis in ullo prorſus ſtatu futurum eſſe. Sic cum ait Lucæ ult. v. 44. *Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum*, non negat ſe actu eſſe cum Apoſtolis, ſed ſolum ſe cum iis eſſe ut ante paſſionem in ſtatu morti obnoxio. Hunc eſſe objecti loci ſenſum manifeſte indicat antitheſis a Chriſto ſic facta: ſic enim loquitur mitiſſimus Redemptor Marci 14. *Pauperes ſemper habetis vobiſcum*, ET CUM VOLUERITIS, POTERITIS ILLIS BENEFACERE; *me autem non ſemper habebitis*, utique cui in eodem genere benefacere poſſitis. Duo hic notanda, 1. eſſe qui iſtud Matth. ult. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*, ut de auxilio Eccleſiæ præſtando, ſic & de Sacramentali præſentia interpretentur; 2. in textu Joannis non legi, *Me non ſemper habebitis*, bene vero me *Non ſemper habetis*: unde culpata verſio Montenſis quæ cum Geneyenſi vertit, *Vous ne m'aurez point toujours*.

Ad 4. neg. min. ſtat enim & Chriſtum aſcendiſſe cœlos, ibique ad uſque judicii diem manſurum in ſtatu connaturali, & eumdem inviſibili modo præſentem fieri in Euchariſtia, neque ad id neceſse eſt ut deſerat cœlum, aut inde locali motu deſcendat: ſicut etiam ut appareret Paulo Act. 9. & Petro, cum ei dixit: *Vado Romam iterum crucifigi*, aliiſque viris ſanctis frequenter, non deſeruit cœlum, ſed ſolum ſe conſtituit ubi voluit, & quomodo voluit. Non ergo hic diſputandum de Aſcenſionis articulo, quem a nobis ſubverti falſo clamitant Zvvingliani, ſed de articulo omnipotentiæ, an ſcilicet Chriſtus conſtituere ſe poſſit pluribus in locis; de quo infra. Ita Bellarminus, & ſolide.

Ad 5. neg. maj. tanquam de falſo ſupponente. Etſi enim vere corpus eſt quod palpatur, haud tamen corpus non eſt quod non palpatur: ſicut corpus eſt quod oculis videtur, nec tamen oculis videtur omne quod corpus eſt, ut patet ex Luc. 14. ubi Chriſtus *tranſiens per medium illorum ibat*, qui eum de monte præcipitare volebant. Ratio eſt, quia ut efficere poteſt Deus ne corpus ſpecies viſibiles emittat, ſic & efficere poteſt ut in loco exiſtat modo inſenſibili: de quo rurſus infra.

Ad 6. Non loquitur ſacer Textus de Chriſto aut ſacratiſſimo ejus corpore, ſed de Deo creatore ſecundum divinitatem ſpectato: & hunc quidem non

* *Vide Opuſculum cui titulus*: Le combat du Mercier (N. de Beaumais) avec le ſieur Aubertin Miniſtre de Charenton, qui y a perdu une de ſes oreilles, & deux de ſes ouailles, *Pariſiis apud Trompere* 1676. *edit.* 4. *pag.* 20.

non negat ſimpliciter habitare in templis, cum ubique exiſtat; ſed negat habitare in templis quaſi his indigeat, ut patet tum ex contextu: *Hic cœli & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo;* tum quia illi proprie in domo habitare dicuntur, qui niſi ibi eſſent, male eſſent; quod quidem Gentium idolis conveniebat, ſed repugnat vero Deo. Unde neg. Majorem quoad rationem ibi a Petro Martyre allatam. Non enim non habitat in templis Deus præciſe quia major ſit omni templo; ſic enim nequidem eſſet in cœlis; ſed quia nullo indigeat templo, nec in eo concludi poſſit, ut Etnicorum ſimulacra. Et hoc ipſi etiam Euchariſtiæ competit; neque enim Chriſtus vel tecto aut domo indiget; vel ita in uno loco concluditur, ut non ſit extra ipſum.

Ad 7. neg. conſeq. ad primum quidem, quia qui præcipit ut ſurſum efferatur mens ubi Chriſtus ſedet ad dexteram Dei, non negat eum alibi eſſe, ſed ſolum vult ut modo a terrenis expedito inquiratur. Unde Eccleſia actionem conſecratoriam ab hac auſpicatur oratione: *Surſum corda*. Ad ſecundum vero, quia aliud eſt humanum & familiarem tactum excludere, aliud tactum, ſi ita loqui fas eſt, ſacramentalem. Interim an hic vetet Chriſtus quemcumque ſui tactum, an ſolum præproperam tactus feſtinationem expendit Bellarminus eod. cap. 4. Certe paſſus eſt Dominus tangi ſe & a Magdalena & ab aliis mulieribus, quæ ex Matth. 28. tenuerunt pedes ejus. Unde non inepte recentiores eruditi ſic Chriſti verba interpretantur: Ne immorare tangendis pedibus meis: licebit id tibi deinceps facere, quia nondum aſcendo ad Patrem meum. Eſt quod inſtet magis. Vade igitur ad fratres meos, iiſque me redivivum annuntia.

Obj. 4. Quod eſt genimen vitis non poteſt eſse ſanguis Chriſti: atqui ex Chriſto ipſo poſt conſecrationem non erat in calice niſi genimen vitis. Sic enim loquitur Chriſtus Matth. 26. v. 29. poſt conſecrationem calicis: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, &c. ergo.

R. 1. neg. maj. ut enim corpus Chriſti apte poſt conſecrationem vocatur panis, ſic & ſanguis ejus poteſt vocari genimen vitis, ob rationes ſupra allatas pag. 169.

R. 2. neg. min. hæc enim verba, *Non bibam amodo*, &c. a pluribus referuntur ad vinum quod in Cœna legali hauſerat Chriſtus; unde, inquiunt, a Luca ante Euchariſtiæ inſtitutionem recitantur cap. 22. At priori ſolutioni ſtandum videtur, quia poſterior hæc ſuas habet difficultates, de quibus adi Mauduit diſsert. 33.

Obj. 5. Quod inſtitutum eſt in memoriam rei, ejuſdem rei abſentiam ſupponit: atqui Euchariſtia in memoriam Chriſti inſtituta eſt, ſecundum id ejuſdem Chriſti apud Lucam cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem;* ergo.

R. 1. neg. maj. tum quia memoria rei non opponitur ejuſdem præſentiæ, ſed ſolum oblivioni; cum fieri poſſit ut rerum maxime præſentium obliviſcamur, Dei v. g. in quo tamen *vivimus, movemur & ſumus;* tum quia res quæ præſens eſt ſed modo inſenſibili, non plus movet ſenſus quam ſi reipſa præſens non eſſet; ac proinde præſentia ejus per aliquid aliud in mentem revocanda eſt: porro Chriſtus eſt quidem præſens in Euchariſtia; ſed

modo prorſus inſenſibili; ergo neceſsum eſt ut præſentia ejus per aliquid revocetur in mentem, & quaſi ſuppleatur. Quod autem alterius viſibilem præſentiam ſupplet, haud excludit veram & realem ipſius præſentiam. Sic columba, quæ illapſa eſt in Chriſtum, ſupplebat exteriorem Spiritus ſancti apparentiam, nec tamen veram ejus præſentiam excludebat.

R. 2. diſt. min. Euchariſtia eſt commemoratio Chriſti ut patientis & morientis, ſecundum id I. Corint. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, &c. C. Chriſti ſimpliciter & præciſe, N. porro mors & paſſio Chriſti jam pridem tranſierunt; ergo earum memoria fieri poteſt in Euchariſtia, licet ibi Chriſtus realiter & ſubſtantialiter exiſtat. Ita Gonet Tom. 5. pag. 194.

Obj. 6. Ex reali Chriſti exiſtentia in Sacramento tria hæc ſequuntur, 1. corpus & ſanguinem a ſe invicem ſeparata fuiſse in momento inſtitutionis; quandoquidem corpus ante ſanguinem fuerit conſtitutum; 2. Chriſtum proprium corpus accepiſse, benedixiſse & fregiſse; hæc enim omnia circa panem feciſse legitur; 3. eumdem comediſse proprium corpus, & ſanguinem bibiſse; cum idipſum comederit ac biberit, quod aliis comedendum ac bibendum porrexit: atqui iſthæc omnia plena ſunt abſurditatis; ergo.

R. ad 1. diſt. ſequitur corpus & ſanguinem ſeparata fuiſse modo incruento & ſacramentali, C. realiter & phyſice, N. itaque Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem ſacramentali modo ſeparavit, quia id exigebat ratio novi quod ab ipſo inſtituebatur ſacrificii: verum hæc realiter & cruente non ſeparavit, tum quia ſeparatio hæc paulo poſt facienda erat in cruce; tum quia, ut modo diximus, inſtituebat Euchariſtiam in commemorationem cruentæ hujus ſeparationis.

Ad 2. neg. maj. accepit enim Chriſtus & benedixit panem uſuarium, quem corpus ſuum fecit: unde acceptio & benedictio, quatenus conſecratio eſt, ad panem referri debent, diſtributio autem ad corpus jam confectum.

Ad 3. 1. neg. min. incertum enim eſt an Chriſtus corpus ſuum ore ſumpſerit; atque id negant viri graves, quos ſequitur Tillemontius in Epiſt. ad Lamicum, num. 5.

2. neg. min. nedum enim abſurdum fuerit, imo utcumque rationi conſonum erat ut Chriſtus proprio corpore veſceretur, tum quia qui ut conviva alios ad epulas invitat, debet ipſe comedendi exemplum dare, præſertim cum novum & inſolitum edulii genus miniſtrat; tum quia Chriſtus inſtituebat ſacrificium: in illo autem decet Sacerdotem immolatæ hoſtiæ participem fieri; tum quia quod Apoſtolis mandabat idem Chriſtus, hoc ipſe obſervare ſolitus erat, juxta illud: *Exemplum dedi vobis*, &c. Certe Chriſtum in poſtrema Cœna fuiſse ſimul cibum & convivam, hoſtiam & Sacerdotem mirantur antiqui Patres non pauci, & enixe commendant inter alios Hieronymus Epiſt. 150. q. 2. Chryſoſtomus Homil. 83. in Matth. Auguſtinus in Pſalm. 33. unde ergo tanta facti hujus abſurditas apud Novatores, niſi quod illi ubicumque Patribus adverſantur.

Obj. 7. ex Apoſtolo I. ex Corinth. 10. *Patres noſtri omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & eumdem potum ſpiritalem biberunt*: atqui non manducaverunt carnem Chriſti niſi ſola fide aut in figura; ergo neque nos aliter eam manducamus.

R. diſt.

R. diſt. maj. Patres noſtri eamdem eſcam manducaverunt inter ſe, C. eamdem nobiſcum, N. itaque Hebræi tam boni quam mali idem inter ſe manna comederunt, ut & mare tranſierunt, &c. at nullibi eamdem nobiſcum eſcam manducaſſe perhibentur, niſi forte in figura, quatenus corpus quo in Euchariſtia veſcimur, figurabatur per manna, ut per maris tranſitum Baptiſmus noſter. Rem paucis tradit Auguſtinus Lib. 2. contra Lit. Petiliani cap. 37. his verbis: *Aliud eſt paſcha, quod illi*, Judæi, *in ove celebrarunt; aliud autem quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus*: ubi S. Doctor Agno paſchali, qui Euchariſtiam expreſſius ſignificabat quam manna, imo quam panis materialis, quem ſolum in Sacramento agnoſcunt Zvvingliani, opponit corpus Domini, quaſi aliud & aliud, ac proinde ut figuram & realitatem.

SECTIO TERTIA.

An præſentia realis probetur ex iis Scripturæ locis, ubi ſit mentio de Euchariſtiæ uſu.

DUo id genus afferri ſolent teſtimonia. Primum habetur I. Corint. 10. v. 16. ubi ſic: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? quoniam unus panis, & unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus*. Alterum extat ibid. cap. 11. v. 27. ubi poſt relata inſtitutionis Euchariſtiæ verba ſic progreditur Gentium Apoſtolus: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*. Neutrum nobis ſuffragari exiſtimant heterodoxi, utrumque nos. Unde ſit

Conclusio. Præſentia realis ex utroque Pauli textu ſolide confirmatur.

Prob. 1. pars: 1. quia Scripturæ verba ſemper in proprio & literali ſenſu intelligenda ſunt, niſi evidenter probetur ea alio ſenſu intelligenda eſſe; nec magis inquirere poteſt vir ſanæ mentis a Catholicis cur ſacri textus literam ſequantur, quam a viatore, cur communem & tritam viam decurrat: atqui Apoſtoli verba in ſenſu obvio & literali corpus & ſanguinem Chriſti exprimunt; nihil autem habent quod figuram indicet: unde & hoc ſenſu intellecta ſunt a SS. Patribus, quorum inſtar ſit in præſenti S. Chryſoſtomus Homil. 24. in I. Cor. ubi ſic: *Horum verborum hæc ſententia eſt, quod eſt in calice, illud eſt quod a latere fluxit, & illius ſumus participes*; ergo.

2. quia, ut ſagaciter obſervat Maldutius in Analyſi loci hujus, intendit Apoſtolus Corinthios a Gentilium ſacrificiis avertere; quod ut aſſequatur, oſtendit eos qui veſcuntur idolothytis, realiter participes fieri menſæ dæmoniorum, non ſecus ac fideles, qui ſacræ Cœnæ aſſident, communicant corpori & ſanguini Chriſti, & qui apud Judæos *edunt hoſtias, participes ſunt altaris* judaici: atqui ſi participatio corporis Chriſti, eſſet tantum figurata & per fidem, caſſa foret & illegitima hæc Apoſtoli ratiocinatio. Quæ enim vis hujuſce diſcurſus: Qui Euchariſtiam recipiunt, corpus & ſanguinem Chriſti recipiunt per fidem & figurate; ergo qui idolothyta manducant, vere & realiter participes fiunt ſacrificii & altaris dæmonum.

 3. quia

3. quia loquitur eo loci Apoſtolus de benedictione, ſeu conſecratione tanquam neceſſaria ut panis ſit corpus Chriſti; & id agnoſcunt Calviniſtæ: atqui ſi Euchariſtia ſolam corporis Chriſti figuram contineret, haud neceſſaria foret benedictio iſta. Ad hoc enim ſufficeret primæva voluntas, qua Chriſtus ſanxiſſet ut panis figura eſſet corporis ſui. Sic manna, aqua de rupe, & Agnus paſchalis erant figuræ corporis Chriſti, imo & juxta adverſarios, Sacramenta ejuſdem cum Euchariſtia generis; neque tamen ulla ad hanc figuræ rationem conſecratione indigebant.

Quod objiciunt, conſecrationem neceſſariam eſſe ut panis ſit Sacramentum, mera eſt evaſio. Eſt enim Baptiſmus Sacramentum, & tamen vere ſtat citra ullam aquæ benedictionem. Ita Bellarminus.

Prob. 2. pars: 1. quia conſtat ex Apoſtolo dari homines, qui indigne recipiant corpus & ſanguinem Chriſti, quique ideo non hauriant inde vitam, ſed *judicium*: atqui in ſyſtemate Calvini nemo qui indignus ſit, recipere poteſt corpus Chriſti. Siquidem in ſyſtemate Novatoris, nemo corpus Chriſti aliter quam per fidem vivam & in ſpiritu recipit: ſed qui impie & indigne ad Euchariſtiam accedit, non recipit corpus Chriſti cum fide viva & in ſpiritu; ergo nihil recipit; ergo iterum cum tamen conſtet ex Apoſtolo corpus Chriſti recipi etiam ab impiis, debet & conſtare ipſum recipi aliter quam fide & ſpiritu; ergo rurſus neceſſum eſt ut recipiatur ore, ac proin ut in Euchariſtia vere præſens ſit, cum ore recipi non poſſit prout eſt in cœlo.

2. qui ad Euchariſtiam accedit indigne, ſcelus adeo immane perpetrat, ut non diffiteatur Apoſtolus eumdem exhibere tanquam reum corporis ipſius & ſanguinis Domini: atqui grandis hæc & inſolita locutio perſpicue evincit eſſe in Euchariſtia aliquid ſupra figuram. Ecquis unquam audiit, reos eſſe corporis & ſanguinis Domini eos, qui vel manna aut Agnum paſchalem, Chriſti figuras, comediſſent in ſtatu peccati; vel irreverenter excepiſſent aliquam Chriſti imaginem? nemo certe ex Apoſtolis vel Patribus; ergo. Ita Clariſſimus Péliſſon in Gallico de Euchariſtia Tractatu.

3. quia SS. Patres ex eo Apoſtoli textu impietatem eorum qui ad Euchariſtiam indigne accedunt, in eo collocant quod ipſum Chriſti corpus impie conculcent. Ita inter alios Baſilius, Origenes, Chryſoſtomus, & alii quorum aliquot appellabimus in decurſu.

Objiciuntur tria, 1. indigne communicantes poſſe dici reos corporis Chriſti, tum quia oblatum ſibi corporis hujus ſymbolum recipere nolunt, quod idem eſt ac ſi ipſum pedibus conculcarent; tum quia injurioſe afficiunt ſymbolum ſeu imaginem ejuſdem corporis: porro injuria imaginis refertur ad eum cujus eſt imago; 2. eos qui Baptiſmi aquam indigne recipiunt, peccare adverſus ipſum Deum: neque tamen exiſtere Deum vere & ſubſtantialiter ſub ſpeciebus aquæ; 3. negare Auguſtinum quod Chriſti corpus ab impiis ſumatur. Verum hæc nihil obſunt.

Non 1. 1. enim non dicit Apoſtolus peccare impios eo quod non recipiant corpus Chriſti, ſed quia recipiunt indigne; ergo crimen conſtituit in ipſa ſumptione, non in omiſſione ſumptionis; 2. ait eoſdem judicium ſibi manducare, dum pii inde vitam hauriunt; ergo ſupponit eumdem ab utriſque recipi cibum, qui aliis fit ad mortem, aliis ad vitam; 3. addit eoſdem non dijudicare corpus Domini, ideſt ſumere ac ſi eſſet communis cibus, non

autem

Digitized by Google

autem corpus Domini : qui autem aliquid ſumit inſtar cibi communis, vere ſumit.

Nihilo ſolidior eſt alia cauſa quam afferunt adverſarii : 1. quia mirum quod qui Chriſti & Sanctorum imagines fœde conculcant, ſummum affingant ſacrilegium iis qui figuram Chriſti indigne excipiunt; 2. quia etſi reus eſt, qui Chriſti figuram & repræſentationem male habet, haud tamen ullibi traducitur tanquam reus corporis & ſanguinis Domini; uti paulo ante monebamus; 3. quia tunc tantum cenſetur fieri injuria imagini, cum quis eam violat de induſtria : ſed qui lethaliter rei Euchariſtiam percipiunt, judicium ſibi manducant, etſi nullam ejuſdem Euchariſtiæ violandæ intentionem gerant; ergo non hinc redarguuntur quod peccent in puram imaginem Chriſti.

Non 2. etſi enim indubie peccat, qui Baptiſmum male recipit, neque tamen ullibi dicitur reus Spiritus ſancti, neque unquam morte ob illam profanationem punitus legitur; quod tamen indigne communicantibus non raro contingebat tempore Apoſtoli, ſecundum id ejuſdem : *Ideo inter vos multi infirmi, & dormiunt multi;* ergo in malo Euchariſtiæ uſu violatur aliquid longe præſtantius aqua baptiſmali. Profecto ſemper in Eccleſia diligentiſſime cautum eſt ne ulla Euchariſtiæ particula caderet in terram, juxta id Tertulliani Lib. de corona militis : *Calicis aut panis noſtri aliquid decuti in terram anxie patimur;* at Baptiſmi aquam ipſi inter baptizandum projicimus.

Non 3. ut ex infra dicendis patebit.

S E C T I O Q U A R T A.

An præſentia realis probetur ex Traditione.

QUandoquidem, ut ſagaciter monet Tertullianus in aureo Libro de præſcriptionibus, *ex ipſo ordine manifeſtatur, illud eſſe Dominicum & verum, quod ſit prius traditum; illud autem extraneum & falſum, quod ſit poſterius immiſſum*, operæ pretium eſt ut diſcutiamus quid circa præſentiam realem ſenſerint fidei noſtræ Doctores. Hos idem ſenſiſſe ſecum per octo aut decem ferme ſæcula* contendunt Calviniani, in primis vero Albertinus, qui in ſpeciali ea de re Libro ſingulorum teſtimonia expendit. Id autem quali factum ſit ſucceſſu demonſtrabit ſequens propoſitio, ubi non omnes quidem (quod juventuti ob dicendorum molem oneroſum foret) ſed præcipuos præcipuorum Patrum textus perſcrutabimur; iis qui pluribus indigebunt ſuadendo ut Gallicum opus de perpetuitate fidei evolvant. Sit igitur

CONCLUSIO I. Patres ſæculi I. ſi qui de Euchariſtia ſermonem habuere, præſentiam realem admiſerunt.

Prob. Patres illi ſunt 1. Presbyteri & Diaconi Achajæ, qui S. Andreæ paſſionis Acta conſcripſiſſe dicuntur; 2. Dionyſius Areopagita, cujus Libros,

* Circa epocham fabricatæ, ut volunt, præſentiæ realis non conſentiunt Blondellus & Claudius, Gallicani Miniſtri. Prior doctrinæ hujus Auctores facit Anaſtaſium Sinaitam Monachum anno circiter 636 & Epiphanium Diaconum in ipſa ſecunda Nicæna Synodo, an. 787. Poſterior innovationem hanc differt uſque ad an. circiter 831. quo Radbertus Abbas Corbejenſis ſcripſit Librum de corpore & ſanguine Domini.

bros, ſi Areopagitæ non ſint, magnæ eſſe antiquitatis fatetur Petrus Martyr : atqui is & illi præſentiam realem confeſſi ſunt : 1. quidem Presbyteri & Diaconi Achajæ : ſic enim Andream Ægeæ, a quo ad ſacrificandum idolis invitabatur, reſpondentem inducunt : *Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidie ſacrifico... qui cum ſit vere ſacrificatus, & vere a populo carnes ejus manducata, integer perſeverat & vivus ;* hic doctrina Catholica tam aperte ſe prodit, ut clarioribus verbis nequeat efferri.

At, inquies, omnes eruditi prædicta paſſionis S. Andreæ Acta rejiciunt.

R. 1. theſim noſtram eſſe conditionalem, habet enim : *Patres, ſi qui ſcripſere*, &c. 2. ſinceritatem Actorum S. Andreæ, etſi a pluribus impugnetur, quos inter conſuli poteſt Tillemontius nota 2. in B. Andream, admitti tamen a non paucis, præſertim autem a Bellarmino, Baronio, & Nat. Alexandro in ſæcul. I. cap. 12. art. 10. Certe Acta hæc pulcherrima
Germon. p. 221. eſse fatetur idem Tillemontius; 3. conceſſo, quod cum Germonio verum eſse opinamur, Acta hæc interpolata fuiſse, conſtat textum quem inde de-
Tom. 4 Bibl. PP. duximus jam ab an. 788. aut 89. ab Etherio Uxamenſi Epiſcopo citatum fuiſſe, & a nemine reprehenſum ; ergo jam tunc & antea Catholica fides diſertiſſime prædicabatur, ſecus ac Miniſtro Claudio viſum eſt.

Eamdem doctrinam egregie tenuit Dionyſius vulgo Areopagita. Sic ille Lib. de Hierarchia Eccleſiaſt. cap. 3. partis 3. Sacramentum Euchariſtiæ alloquitur : *O divinisſimum & ſacroſanctum Sacramentum, obducta tibi ſignificantium ſignorum operimenta dignanter aperi, & perſpicue fac nobis appareas, noſtroſque ſpirituales oculos ſingulari & aperto tuæ lucis fulgore imple ;* ergo ſub operimentis ſeu ſpeciebus Euchariſtiæ latet aliquid diviniſſimi, quodque ſi aperiretur, oculos impleret miræ lucis fulgore : atqui nihil tale haberet Euchariſtia, ſi nonniſi triticeum panem contineret ; ergo.

Confirmatur, ſicque diluitur reſponſio Pſeudomartyris Petri : quod hic petit Dionyſius, quiſquis ille ſit, nonniſi ab ipſo Deo peti poteſt : atqui tamen quod petit, non modo petit coram Sacramento, ut faciunt Catholici coram ſanctis imaginibus, ſed petit ab ipſo Sacramento; ergo in eo aliquid agnoſcit, quod vere Deus ſit.

Albert. a p. 260. ad 273. Dices : Sic ibidem habet Auctor : *Pontifex opertum panem aperit, & in fruſta concidit* : ſed panis, qui dividitur in fruſta, non poteſt eſſe corpus Chriſti ; ergo.

R. diſt. min. panis communis, & qui ratione ſui dividitur in fruſta, non poteſt eſſe corpus Chriſti, C. panis cœleſtis, panis qui ſupra nos eſt, ut ibid. loquitur Auctor, quique non dividitur niſi ratione ſpecierum, dum ratione ſui *integer perſeverat, & vivus*, N. Mirum certe, ait Bellarminus, quod, ſicubi Euchariſtiam vocari panem deprehendant Adverſarii, ſtatim clament in ea nihil eſſe præter panem ; & cum ubique ferme eamdem Chriſti corpus eſſe legant, nolint tamen hic corpus proprie accipi. Certe eo ſenſu Euchariſtia a Patribus vocatur panis, quo ab Apoſtolo, de quo ſupra.

Conclusio II. Patres ſæculi II. realem præſentiam tenuere.

Prob. Patres ii ſunt SS. Ignatius Martyr, Juſtinus, & Irenæus : atqui ii, &c.
Obiit an. 108. 1. quidem Ignatius, ſic enim in Epiſt. ad Smyrnæos de quibuſdam temporis ſui hæreticis loquitur : *Ab Euchariſtia & oratione abſtinent* (ſeu, ut ante duodecim & amplius ſæcula legebat Theodoretus Dialog. 3. *Euchariſtiam & oblationes rejiciunt*) *eo quod non confitentur Euchariſtiam carnem eſſe*

Ser-

Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater benignitate ſua ſuſcitavit. Qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur. Ex iis ſic: Eadem eſt, juxta Ignatium, in Euchariſtia caro, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quamque Deus ſuſcitavit; idque ſoli negabant hæretici tempore S. Martyris: atqui caro quæ paſſa eſt pro peccatis noſtris, &c. haud mera figura erat; ergo ibi quot voces, tot irruunt in Calvinum fulmina. Neque enim clarioribus utimur verbis, ut realem præſentiam ſignificemus: neque per carnem quæ paſſa eſt, carnis hujus figuram intelliget, qui quaſi ab ovo Calvinianis argutiis aſſuetus non fuerit.

Quod autem reponunt Novatorum aliqui, prædictam Epiſtolam vel ex hoc ipſo textu probari ſuppoſititiam; quia veterum nemo alius de hujuſmodi hæreticis locutus ſit; id, inquam, nullius eſt momenti; tum quia alioqui conſtantiſſima quæque Patrum Opera falſi ſuſpicione laborarent, cum ex iis plures quædam dixerint, de quibus alii ne voculam quidem habent; tum quia Euchariſtiam a priori ævo, aliter quidem quam a Calviniſtis, ſed tamen graviter & putide impugnatam fuiſſe oſtendemus in decurſu. *Albert. p. 283.*

2. S. Juſtinus ex Philoſopho Gentili Chriſtianus & Martyr: Sic enim in Apologia, quæ vulgo ſecunda dicitur, cum ſit prima, Imperatorem Titum Antoninum, & Senatum Romanum compellat: *Alimentum hoc, quod apud nos appellatur Euchariſtia, nulli alii participare licitum eſt, quam veram eſſe Doctrinam noſtram credenti ...... Non enim ut communem panem, neque ut communem potum iſta ſumimus; ſed quemadmodum per Verbum Dei caro factus, Jeſus Chriſtus, Servator noſter, carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit; ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus. Nam Apoſtoli in Commentariis a ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt ſibi præcepiſſe Jeſum: eum enim pane accepto, cum gratias egiſſet, dixiſſe: Hoc facite in meam commemorationem, Hoc eſt corpus meum,* &c. *Obiit an. 161.*

Ex iis ſic 1. eo modo, juxta S. Juſtinum, panis & vinum per verba a Chriſto inſtituta fiunt corpus & ſanguis Chriſti, quomodo per Verbum Dei homo factus eſt Servator noſter Jeſus Chriſtus: atqui in Incarnatione Servator noſter, non metaphorice & in figura, ſed vere & ſubſtantialiter factus eſt homo; hoc ſenſu, quod vere *carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit;* id enim & nihil aliud poſtulat inſtitutum S. Juſtini; ergo. *V. Tournely p.* 109.

2. Ea fit in Euchariſtia mutatio per quam corpora noſtra aluntur, non quidem materialiter (eſt enim id *communis panis & potus* officium) ſed ad immortalitatem nobis in reſurrectione concedendam, uti paulo poſt docebit S. Irenæus: atqui hæc nutritionis ſpecies meræ figuræ attribui nequit, nec Patrum ullus tale quid uſpiam docuit de manna, vel Agno paſchali; ergo.

3. Juſtini verba in ſenſu obvio & naturali realitatem exprimunt: atqui eadem verba in ſenſu obvio & naturali intelligi debent. Debent enim intelligi quo ſenſu propoſita fuere Imperatoribus & Senatui Romano: atqui his in obvio & naturali, non autem in metaphorico Zvvinglianorum ſenſu propoſita fuere. Neque enim Imperator & Senatus ab *atro* Zvvinglii *ſpiritu* didicerant, verbum *eſt* metaphorice ſumi & detorte. Eſto igitur,

quod

quod tamen falſum eſſe ſupra oſtendimus, eſto Apoſtolos Chriſti verba interpretari potuiſſe ſenſu figurato, quia ad id per varias ejuſdem generis locutiones deducti fuerint; at idem de Ethnicis dici non poteſt; ergo prævidebat Juſtinus verba ſua ab iis in ſenſu naturali intelligenda eſſe; ergo cum nec decipere voluerit, nec gratis proponere incredibilia, palam eſt eum naturali ſenſu loqui & intelligi voluiſſe.

4. Exigebat ſcopus Juſtini, ut Ethnicos in Chriſtianam Religionem propenſiores efficeret, atque ut Chriſtianos ab impoſito iiſdem manducatæ inter ſacra ſua humanæ carnis crimine vindicaret: atqui utrumque ſcopum facile & feliciter attingebat, tollendo *durum* & incomprehenſibi-
Joan. 6. le præſentiæ realis myſterium, ſimulque annuntiando, ſolam inter ſacra offerri & recipi imaginem carnis Chriſti; prout hodie annuntiarent Pſeudoreformati; ergo cum neutrum fecerit Juſtinus, etſi uno verbo facere poterat, conſequens eſt Euchariſtiam non fuiſſe apud eum vacuam corporis Chriſti imaginem.

Obj. 1. cum Albertino. S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone hæc
Albert. à habet: *Oblatio ſimilæ*, quæ fiebat in lege Moſaica, *typus fuit panis Eucha-*
pag. 288. *riſtiæ, quem Jeſus Dominus noſter facere præcepit in recordationem paſſionis* ſuæ.
ad 296. Unde ſic: Ex Juſtino Chriſtiani faciunt panem Euchariſticum: atqui Chriſtiani corpus Chriſti nec faciunt, nec facere poſſunt: utpote quod jam exiſtat; ergo.

R. neg. min. nam facere corpus Chriſti eſt illud reddere ſacramentaliter præſens, ubi antea non erat: porro *Sacerdotes Apoſtolico gradui ſuccedentes* hoc modo *corpus Chriſti ſacro ore conficere* poſſunt, ut cum Hieronymo Epiſt. I. ad Heliodorum loquuntur ceteri Patres. Quod ergo corpus Chriſti præexiſtat conſecrationi, probat quidem ipſum non educi e nihilo, ſed nullatenus probat ipſum non conſtitui ubi antea non erat.

Obj. 2. Panis quem Chriſtus præcepit confici in commemorationem Incarnationis & Paſſionis ſuæ, non includit corpus Chriſti incarnatum & paſſum: atqui ex S. Juſtino ibid. panis Euchariſticus, is ille eſt, *quem Chriſtus noſter facere tradidit in commemorationem, quod corpus ipſe aſſumpſerit propter credentes in eum, quorum cauſa patibilis factus eſt;* ergo.

R. neg. maj. ſtat enim aliquid in certo ſtatu, ſui ipſius in alio ſtatu
Sup. p. 280. commemorativum eſſe, ut ſupra dixi.

Jam ex Irenæo pauca hæc ſeligimus. Is Lib. 4. contra Hæreſes, cap.
Ob'it an. 201. 18. alias 34. perſtringens Valentinianos, qui Chriſtum non Creatoris mundi, ſed alterius Dei filium eſſe contendebant, ſic loquitur: *Quomodo conſtabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ ſint, corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinis ejus, ſi* hunc *non ipſum fabricatoris mundi Filium dicant, ideſt Verbum ejus, per quod lignum fructificat, & defluunt fontes*, &c.

Et infra: *Quomodo autem rurſum dicunt, carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ a corpore Domini, & ſanguine alitur? .... Quemadmodum enim qui eſt a terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia*. Similia videris ibid. cap. 57. & Lib. 5. cap. 2.

Ex iis ſic cum Bellarmino probat hic Irenæus, Chriſtum & creatorem eſſe, & Dei creatoris Filium, ex eo quod panis per conſecrationem

fit

fit corpus Chriſti; ergo credebat reipſa, non autem ſola ſignificatione mutari panem in corpus Chriſti. Sola enim realis mutatio unius in aliud requirit plane omnipotentiam Creatoris, non autem impoſitio ſignificationis novæ; quandoquidem utimur nos ad deſignandum vinum hedera, quam tamen minime creavimus: atqui ex Irenæo, actio per quam panis fit corpus Chriſti prærequirit omnipotentiam creatoris; eam nimirum, per quam ligna fructificant; defluunt fontes, &c. ergo actio hæc, vera eſt & realis unius in aliud mutatio, &c.

2. probat ibid. Irenæus corpora noſtra olim reſurrectura eſſe, quia aluntur corpore Chriſti; ergo ex ſententia S. Martyris, corpus Chriſti non ſolum percipitur animo, ſed & corpore, ac proin vere præſens eſt in Euchariſtia. Prob. conſeq. 1. quia perceptio, quæ ex animo redundaret in corpus, non admittebatur ab Irenæi adverſariis, qui carnis reſurrectionem negabant: ergo ſi ſolam hanc ſpiritualem corporis Chriſti receptionem admiſiſſet Irenæus, nihil omnino probaſſet contra adverſarios; 2. quia ſi per ſolam fidem vivificari debeant fidelium corpora, nihil intereſt an ea fides ab Euchariſtia, an aliunde excitetur: ut quid ergo Irenæus, ut carnis reſurrectionem probet, ſemper ad Euchariſtiam recurrit? 3. quia legitime concluditur futurum ut reſurgant corpora noſtra, ex eo quod vivificam Chriſti carnem vere & phyſice tetigerint; non autem ex eo quod carnis hujus figuram tetigerint: unde nullus Patrum probavit corporum reſurrectionem, ex eo quod Iſraelitæ manducaverint manna, tametſi eſſet iſtud figura corporis Chriſti; ergo vel peſſime probavit Irenæus reſurrectionem ex Euchariſtia, vel in hac agnovit aliquid pura figura infinite præſtantius; 4. juxta Irenæum conſtat Euchariſtia *ex duabus rebus, terrena & cœleſti*: atqui res illa cœleſtis nihil aliud eſſe poteſt, quam corpus Chriſti vere præſens in Euchariſtia. Non enim eſt idem corpus prout abſens; cum nullum totum ex re ſibi extrinſeca conſtare poſſit. Neque etiam eſt virtus aliqua ex eodem corpore dimanans; cum virtus hujuſmodi, utpote ſpiritualis, corpori intrinſece inhærere non poſſit; uti contra Calvinum agnoſcebat Claudius ſupra p. 147. ergo ſupereſt, &c. Sunt tamen qui rem terrenam de qua Irenæus, aliter intelligant. De quo infra.

4. eadem erat de Euchariſtia Eccleſiæ fides, quæ Valentinianorum, prout paſſim ſupponit Irenæus, qui alioqui inſulſe reſurrectionem probaſſet ex Euchariſtia: atqui realem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam confitebantur Valentiniani. Siquidem eorum unus, Marcus nomine, vir præſtigiator, ut perſuaderet ſe apud Deum ceteris potentiorem eſſe, *purpureum & rubicundum apparere faciebat* in calice, adeo ut ſanguinem, quem alii ſub externa ſpecie, ille ſub propria ſpecie ſanguinis exhiberet, prout narrat Irenæus Lib. 1. cap. 91. atqui ne quidem id ei in mentem veniſſet, niſi tunc ab omnibus agnitum fuiſſet, ſanguinem Chriſti vere & ſubſtantialiter contineri in calice; ergo.

Objiciuntur leviora quædam, 1. panem de quo loquitur Irenæus, eo modo ex communi ſacrum fieri per invocationem, quomodo per ipſam Euchariſtiam corpora noſtra ex mortalibus fiunt immortalia: atqui corpora noſtra non fiunt immortalia per ſubſtantialem ſui mutationem; ergo nec Euchariſticus panis ex communi fit ſacer per ſubſtantialem ſui con- *Albert. a pag. 296. ad 314.*

converſionem; 2. corpora noſtra, juxta Irenæum, nutriri & augeri Chriſti corpore: atqui, ait Albertinus, fieri nequit ut corpora noſtra vero Chriſti corpore nutriantur; cum caro Chriſti, utpote incorruptibilis, in eadem converti non poſſit; 3. Blandinam, unam e præcipuis Lugduni Martyribus, negaſſe coram tyrannis, id quod iiſdem aperuerant Chriſtianorum ſervi, nimirum *divinam Communionem eſſe corpus & ſanguinem Chriſti*, *exiſtimabant* enim, ſervi, *quod vere ſanguis & caro eſſet*. De hoc autem interrogata Blandina, *ſcite libereque reſpondit: Quomodo hæc ferrent* Chriſtiani, *qui exercitationis cauſa, ne licitis quidem carnibus veſcuntur*? ita refert Irenæus ipſe apud OEcumenium in I. Petri cap. 3. unde ſic: Negavit ſancta Blandina id quod declaraverant Chriſtianorum ſervi: atqui ii declaraverant vere recipi in Euchariſtia ſanguinem & carnem Chriſti, &c.

R. ad 1. 1. diſt. eo modo, quantum ad aliquid, C. quantum ad omnia, N. itaque cum omnis comparatio penes aliquid deficere & claudicare debeat, ſufficit omnino, ut quæ ſecum invicem conferuntur, in aliquo puncto conveniant: porro in eo conveniunt Euchariſticus panis, & corpora noſtra, quod hæc ex corruptibilibus vere futura ſunt incorruptibilia, ſicut is ex communi vere per invocationem fit cœleſtis. Ad id quidem opus eſt mutatione, quæ ſit utrobique mirabilis, ſed non quæ utrobique ſubſtantiæ converſionem importet. Atque hinc nova ſuboritur nobis probatio. Si enim in exemplum ſtupendæ mutationis, nonniſi ſtupenda alia mutatio afferri poteſt, jam conſtat Irenæum aliud circa Euchariſtiam ſenſiſſe a Calvinianis. Nulla enim alia juxta iſtos, in Euchariſtia occurrit mutatio, quam quod panis efficitur figura corporis Chriſti: atqui arbitraria ſigni hujus conſtitutio, nullam quæ realis, & multo minus, quæ mirabilis ſit & ſtupenda, mutationem involvit; ergo nonniſi inepte cum futura corporum noſtrorum immortalitate conferri potuit ab Irenæo, ſi Calviniſtice ſenſit Irenæus.

R. 2. neg. min. ſiquidem corpora noſtra fient immortalia per reſurrectionem, ſeu quando eorum cineres in corpora glorioſa transformabuntur: atqui mutatio hæc, ei, juxta Irenæum, ſimilis, qua *granum tritici decidens in terram & diſſolutum*, *multiplex ſurgit per ſpiritum Dei*, non inepte dicitur ſubſtantialis; ſicut & ea per quam aqua in vinum converſa eſt a Chriſto; ergo.

Ad 2. neg. min. quia nutriri & augeri corpora noſtra per corpus Chriſti, eſt eadem per hoc ſacroſanctum Corpus habilia fieri ad reſurrectionem: atqui habilitatem hanc indubie parit in nobis corpus Chriſti; ergo & per illud indubie nutriuntur & augentur corpora noſtra. Senſum hunc pluries innuit Irenæus, præſertim Lib. 4. cap. 24. & 75. eique ſubſcribit Tertullianus Lib. de reſurrect. carnis.

Præterea, ſicut panis dicitur phyſice alere corpora noſtra, licet eadem non alat niſi cum deſiit eſſe panis, & converſus eſt in chilum; ſic & corpus Chriſti populari quadam ratione dici poteſt alere humanum corpus, licet illud non alat niſi poſtquam, alteratis ſpeciebus, deſiit eſſe corpus Chriſti.

Ad 3. R. 1. ſuſpectum videri id quod de Martyrum ſervis narrat Oecumenius, recentioris ævi Scriptor, quam ut in iſtis plurimum fidei mereatur. Scilicet enim 1. nemo veterum parem de Irenæo, aut Blandina hiſto-

hiſtoriam retulit; 2. extat apud Euſebium Lib. 5. Hiſtoria Martyrum Lugdunenſium, quæ & Gentilium criminationes, & Blandinæ, aliorumque Confeſſorum reſponſa complectitur: ibi vero altum eſt de Euchariſtia ſilentium; tantumque accuſantur Chriſtiani, quod in menſis ſacris veſcantur infantium carnibus; 3. finguntur apud OEcumenium Chriſtiani univerſim a carnibus *exercitationis*, ſeu pietatis *cauſa* abſtinuiſſe: porro conſuetudo hæc necdum vigebat apud Lugdunenſes, ut conſtat ex facto Attali & Alcibiadis, cujus memini Tom. 3. p. 654. Tillemontius autem Tom. 2. pag. 91.

R. 2. diſt. maj. negavit Blandina id quod declaraverant ſervi, negavit, inquam, in ſenſu, tum ſervorum, tum & Gentilium, C. in ſenſu totius retro antiquitatis, qui noſter eſt, N. itaque Chriſtianorum ſervi, qui, ut animadvertit idem Tillemontius, Gentiles erant, cum identidem audiiſſent, Chriſti corpus & ſanguinem a Chriſtianis percipi, crediderunt id cruento modo fieri, adeo ut carnibus ſanguinolente dilaniatis veſcerentur fideles. *Ibid. p. 6.* Veritatem interrogata Blandina negavit res ita ſe habere: ſed quæ negat tantum Chriſti carnem cruente dilaniatam comedi, non ideo negat eam ullo prorſus ſenſu recipi; ergo ex ſanctæ Martyris reſponſo nihil inferri poteſt. Poteſt vero grave quid hinc colligi, quod, cui, ad propulſandam Thieſtearum, quæ Chriſtianis perpetuo objiciebantur, epularum ſuſpicionem, ſatis fuiſſet uno verbo dicere, Chriſtianos mero puro veſci pane, quem pro ſigno corporis Chriſti haberent, nuſquam tamen id, tametſi obvium, dictuque & intellectu facillimum, reſponderit: Ut quid enim iſtud? niſi quia primis Fidelibus ignotum erat Calvinianæ figuræ ſyſtema.

Objiciuntur 2. quædam, quæ prima fronte graviora apparent. Scilicet enim citato cap. 18. Lib. 34. vult Irenæus contra Valentinianos probare, Deum Patrem, panis & vini creatorem eſſe, Chriſtum vero ejuſdem creatoris filium eſſe, ex eo quod Chriſtus, qui nihil Patri offerre potuit quod Patris non eſſet, eidem in Euchariſtia obtulerit panem & vinum: atqui probatio hæc, quæ invicta eſt, ſi Chriſtus merum purum in Euchariſtia panem obtulerit, nullius eſt roboris, ſi Chriſtus proprium ſuum corpus obtuliſſe dicatur. Siquidem corpus Chriſti, juxta Valentinianos, cœleſte erat non terrenum: atqui ex eo quod res cœleſtis, non autem terrena a Chriſto fuerit oblata Patri, nullatenus ſequitur eum eſſe creatorem rerum terreſtrium; ergo exigit Irenæi ſcopus ut docuerit merum in Euchariſtia panem offerri. Ita Albertinus ſubtiliter; videndum an ſolide.

R. ad 1. neg. min. ut enim invicta ſit Irenæi probatio, ſatis eſt ut oſtendat Chriſtum in præcipuo Religionis myſterio, ubi nimirum de conficiendo corpore ſuo agebatur, uſum eſſe terrenis rebus, pane & vino: atqui id demonſtrabat Irenæus ex ipſa Valentinianorum praxi, qui cum Eccleſia Euchariſtiam conficiebant ex pane & vino. Unde obſervat Irenæus eos, quod Novatorum eſt, ſibi male conſtitiſſe: *Aut*, inquit, *ſententiam mutent, aut abſtineant ab offerendo quæ prædicta ſunt;* ergo valet, & invicte valet Irenæi argumentatio.

Ad 2. diſt. min. ex eo quod res cœleſtis tam in ſe, quam in principio, Patri oblata fuerit, non ſequitur, &c. C. ex eo quod res cœleſtis in ſe tantum, &c. N. itaque contendebant equidem Valentiniani, Chriſti corpus in ſe eſſe cœleſte quidpiam: ſed quia fatebantur idem corpus prout eſt in Euchariſtia, confici ex pane & vino, arguebat & merito arguebat Irenæus, panem

& vi-

& vinum eſſe a Deo creatore; quia dubio procul non aſſumpſiſſet Chriſtus ut materiam & quaſi principium corporis ſui, corporis, inquam, Deo offerendi, id quod non a Deo, ſed a Dei hoſte conditum fuiſſet.

Ad hæc quid Valentiniani? id unum, nempe terrenas res non fuiſſe a Chriſto oblatas Patri, ſed quod iis ſucceſſerat corpus Chriſti: atqui reſponſio hæc, ſi Irenæi argumentationem imminuit, Catholicam fidem egregie confirmat. Oſtendit enim ubique tunc in Eccleſia creditum fuiſſe, id quod continet Euchariſtia, non eſſe panem, ſed aliquid quod panis vices exceperit; ergo.

Bibl.PP. T.2.pag. 318. Inſt. 1. Pergit ibidem Irenæus: *Non enim indiget Deus ſacrificio: ſed conſcientia ejus qui offert, ſi pura eſt, ſanctificat ipſum ſacrificium*: atqui impoſſibile eſt ut conſcientia hominis ſanctificet ipſum corpus Chriſti, quod per ſuam cum Verbo unionem ſanctum eſt; ergo.

R. diſt. maj. conſcientia ſanctificat ſacrificium latius ſumptum, & prout convenit tum ſacrificiis Judæorum, tum bonis operibus Chriſtianorum, C. ſumptum ſtrictius pro ſolo Euchariſtiæ ſacrificio, Subd. ſanctificat, quatenus illud Deo acceptum, & offerenti utile efficit, C. quatenus dat ei ſanctitatem, quam per ſe non habeat, N. totam hanc ſolutionem dabit ſimplex lectio capitis objecti. Sic pergit Irenæus: *Peccatori inquit* Deus: *Qui occidit mihi vitulum, quaſi occidat canem*; ergo primo loquitur de ſacrificiis Judæorum: proſequitur ulterius: *Quoniam cum ſimplicitate Eccleſia offert, juſte munus ejus purum ſacrificium apud Deum deputatum* Philip.4. *eſt. Quemadmodum & Paulus Philippenſibus ait: Repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ a vobis miſſa ſunt, odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptabilem*, &c. ergo ſecundo per ſacrificium intelligit Irenæus bona quæcumque fidelium opera. Porro nihil mirum ſi hæc, ut & illa, per bonam offerentis conſcientiam ſanctificentur. Quod ſi quis ſacrificium de quo loquitur Irenæus, ad ipſum Euchariſtiæ ſacrificium extendere velit, dicendum eſt iſtud per conſcientiam offerentis ſanctificari, haud quidem ratione ſui, Iren. ib. ſed ratione offerentis; quia is niſi offerat *in ſpe firma, dilectione fervente, & fide ſine hypocriſi*, nequaquam *oblatio talis proderit ei aliquid*.

Inſt. 2. Irenæus ibid. *Judæi*, inquit, *jam non offerunt ſacrificium .... non enim receperunt Verbum per quod offertur Deo*. Igitur ſacrificium novæ legis offertur Deo per Verbum: atqui abſurdum eſt Chriſtum Deo per Chriſtum offerri, ergo.

R. neg. min. ſicut enim abſurdum non eſt Chriſtum in ara crucis Sacerdotem fuiſſe & victimam, proinque & offerentem & oblatum; ſic nec mirum eſt idem contingere in Euchariſtia, quæ quædam eſt ſacrificii crucis repetitio.

Albert. Obj. 3. Juxta Irenæum, *Euchariſtia duabus rebus conſtat, terrena & cæleſti*: atqui res terrena nihil aliud eſſe poteſt, quam ſubſtantia panis & vini; res vero cœleſtis, ipſa divina virtus huic ſubſtantiæ impreſſa; ergo.

R. neg. min. ſiquidem terrenæ rei vocabulo, vel intelligitur ipſum Chriſti corpus, quod Irenæus terreſtre vocat, ut Valentinianum de cœleſti Chriſti corpore ſyſtema diſertius explodat; & tunc per rem cœleſtem ipſa intelligetur anima Chriſti; vel intelligitur illa hæc accidentium congeries, quæ ſenſus afficit; & tunc res cœleſtis idem eſt ac corpus Chriſti, ſpiritali quadam & inextenſa ratione contentum ſub ſpecie-

bus.

bus. Ex his autem expoſitionibus alterutram admitti oportere, non autem eam quam præſtat Albertinus, patet 1. quia ibid. docet Irenæus, panem & vinum, ſtatim ac in eo *gratiæ actæ ſint, corpus eſſe Domini, & calicem ſanguinis ejus;* quæ quidem operatio adeo ſuperet naturæ vires, ut qui eam facit, *ipſum Fabricatoris mundi Filium* eſſe oporteat; 2. quia ſi Euchariſtia ob virtutem ſibi inditam dicatur conſtare re cœleſti, aqua baptiſmatis re etiam cœleſti & terrena conſtare dicetur: atqui tamen ne unus Patrum hanc loquendi rationem admiſit; ergo.

Inſt. 1. Si per rem terrenam intellexiſſet Irenæus ſpecies panis & vini deſtructis utriuſque ſubſtantiis ſuperſtites, triumphaſſent indubie Valentiniani, cauſati ſcilicet panem & vinum non eſſe Dei Patris, quandoquidem ei non in propria ſpecie, ſed ſolum poſt deſtructionem ſui offerrentur; ergo per rem terrenam non potuit Irenæus intelligere ſpecies pani & vino deſtructis ſuperſtites.

R. 1. haud credendum, Valentinianos ad Irenæi argumenta mutos & elingues manſiſſe: non eſt hæc hæreſis indoles ut facile conticeſcat. Probat id facto ſuo Albertinus.

R. 2. neg. ant. ſi, ut debet, intelligatur de rationabili triumpho. Cum enim nuſquam conſecrata fuerint panis & vinum, quin ante oblata fuerint Deo in propria ſpecie; cumque rurſus improbabile ſit, Chriſtum in materiam ex qua fieret corpus ſuum & ſanguis, elegiſſe ſubſtantias a Dei Patris adverſario conditas, dubio procul vincebat Irenæus, nec aliter extricare ſe a laqueo poterant Valentiniani, quam rejiciendo materiam Euchariſtiæ: atqui tamen hanc conficiebant ipſi prout in tota Eccleſia conficiebatur; ergo qualicumque ore ſe ferrent, cauſa prorſus cadebant.

Inſt. 2. Valentiniani cœleſte corpus affingebant Chriſto: atqui errorem hunc juvabat, nedum infringeret, Irenæus, ſi admittebat verum Chriſti corpus in Euchariſtia. Hoc enim corpus, cum inextenſum admitti debeat, cœleſte & ſpiritale admitti oportet; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. ant. non enim eo cœleſte eſt corpus, quia per modum ſpiritus, & non quantitative exiſtat in loco, ſed quia e cœleſti ſubſtantia efformatum ſit. Porro probabat Irenæus, non quidem ex Euchariſtiæ myſterio, ſed ex variis Scripturæ textibus, corpus Chriſti, non e cœleſti ſubſtantia, ſed ex ipſo B. Virginis ſanguine formatum eſſe; ergo ita Valentinianos extra Euchariſtiam opprimebat Irenæus, ut nullas eis per ſuam de Euchariſtia fidem vires ſuppeditaret.

Conclusio III. Præcipui Patres ſæculi III. realitatem corporis & ſanguinis Chriſti agnovere.

Prob. Patres ii ſunt Tertullianus, Origenes & Cyprianus: atqui ii omnes realitatem confeſſi ſunt.

1. quidem Tertullianus, e cujus multis pauca hæc ſeligo. Lib. de Idololatria cap. 7. inſurgens adverſus idolorum artifices, qui manibus eo ſcelere contaminatis ad Euchariſtiam accedebant: *Audent*, inquit, *eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt ...... Proh ſcelus! ſemel Judæi Chriſto manus intulerunt: iſti quotidie corpus ejus laceſſunt: O manus præcidendæ*. Unde ſic: Comparat eo loci Tertullianus crimen eorum qui impura manu corpus Chriſti contrectant, cum crimine Judæo-

dæorum, qui violentas in idem corpus manus intulerunt: atqui exigit comparatio hæc, ut idem utrobique corpus violatum ſit. Quæ enim proportio ſceleris in quo læditur ipſa Regis perſona, ad ſcelus quo ſola ejuſdem Regis imago impetitur? Nulla, præſertim cum abeſt, ut aberat in iis quos impetit Tertullianus, intentio lædendi exemplar in imagine ipſius; ergo.

Lib. de Oratione cap. 6. *Corpus* Chriſti, inquit, *in pane cenſetur*, ſeu agnoſcitur: *Hoc eſt corpus meum. Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem poſtulamus in Chriſto, & individuitatem a corpore ejus*. Unde ſic: Qui docet corpus Chriſti aliter quam per fidem haberi in Euchariſtia, realem ejus in Euchariſtia præſentiam agnoſcit: atqui Tertullianus docet ..... 1. quia corpus Chriſti in Euchariſtia conſtituit propter hæc ejuſdem verba: *Hoc eſt corpus meum;* quæ figuratum ſenſum excludunt, ut ſupra probavimus; 2. quia panem hic, ut in textu præcedenti, vocat ſimpliciter corpus Chriſti; quod autem ſimpliciter & ſine addito eſt corpus Chriſti, non eſt corpus figurate; 3. quia verba iſthæc: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, vult poſſe intelligi, tum de Chriſto, quatenus eſt verus credentium panis, tum de Euchariſtia, quatenus ea complectitur corpus Chriſti: atqui poſterior hæc interpretatio coincidit cum priori, ſi Chriſtus tam intra, quam extra Euchariſtiam ſola fide percipiatur; ergo.

Lib. de reſurrectione carnis cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur .... caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur:* atqui caro nec veſcitur corpore Chriſti per fidem apprehenſo, cum hujus apprehenſionis plane ſit incapax; nec eodem veſcitur tanquam veri corporis Chriſti ſymbolo; cum alioqui Iſraelitæ, manna vel Agnum paſchalem manducando, quæ totidem Chriſti corporis ſymbola erant, Chriſti corpore nutriti fuiſſent; ergo eo ſenſu vera caro vero Chriſti corpore veſcitur, quod ipſum oraliter & realiter percipiat.

2. Origenes, Clementis Alexandrini diſcipulus, ejuſdemque in Scholis Alexandrinis ſucceſſor. Hæc ille in cap. 25. Exodi, Homil. 113. *Noſtis, qui divinis myſteriis intereſſe conſueviſtis, quomodo cum ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & recte creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat*. Unde ſic: Si idem circa Euchariſtiam ſentiant Calviniſtæ ac antiqui Patres, neceſſum eſt ut cum omni cautela ſervent corpus Chriſti, utque reos ſe credant & vere credant, ſi quid inde per negligentiam decidat: atqui nec ſervant corpus Chriſti, quod extra uſum in Sacramento manere negant; nec reos ſe credunt, ſi quid ejus in terram præ negligentia decidat; cum ſuperſtites ejus reliquias, non ſecus ac profani panis, Gallinis præbeant, prout didici ab amico teſte, & patitur eorum ſyſtema; ergo non idem ſentiunt cum primævis Patribus; nec vere dicerent cum Tertulliano Lib. de Corona militis: *Calicis aut panis noſtri aliquid decuti in terram anxie patimur*.

Idem Origenes Homil. 15. in varia loca Evangelii. *Quando*, inquit, *ſanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum: quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini. Tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur: & tu ergo humilians te ipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito:* Domine, non ſum dignus, &c. *ubi enim indigne*

ingre-

ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti. Inde ſic cum Bellarmino ibid. cap. 8. Vel agit Origenes de manducatione orali, vel de manducatione, quæ fiat fide & ſpiritu, vel de manducatione puri ſymboli: atqui nullum e poſtremis duobus dici poteſt. Non 1. ſiquidem manducatio in fide & ſpiritu nonniſi piis competit: porro manducatio de qua Origenes, competit etiam impiis, iiſque cedit *ad judicium;* non 2. mera enim figura, nec incorruptum epulum vocari poteſt, nec citra ſacrilegium, quaſi Deus invocari aut adorari poteſt his verbis: *Domine, non ſum dignus*, &c. ergo.

Rurſus idem Adamantius Homil. 7. in Numeros: *Tunc*, inquit, *in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in ſpecie caro Verbi Dei eſt verus cibus, ſicut ipſe dicit:* Quia caro mea vere eſt cibus. *Quæ prius in ænigmate deſignabantur, nunc in ſpecie & veritate complentur:* atqui ſi corpus Chriſti tropice ſolum exiſtat in Euchariſtia, jam non habemus illud in ſpecie, ſed in ænigmate duntaxat, prout habebant Judæi in manna, quod & ipſum fuit figura Chriſti; ergo.

Confirm. ex verbis præcedentibus, ubi Origenes dicit Hebræos habuiſſe Baptiſmum in ænigmate, cum tranſierunt mare rubrum; nobis autem in ſpecie per Baptiſmum conferri regenerationem. At in Baptiſmo vera nobis datur regeneratio, quam non dabat, ſed adumbrabat ſolum tranſitus maris rubri; ergo pari modo vera nobis in Euchariſtia datur caro, quam non dabat, ſed in ænigmate ſignificabat manna Judæorum. Ita laudatus toties, totieſque dein laudandus Cardinalis.

3. manum dabit Cyprianus ille, ſplendidum ævo ſuo Africæ, ſeu magis totius Eccleſiæ lumen. Sic ille Lib. de lapſis, ſcelus eorum, qui ab idolorum cultu recedentes, necdumque ſatis pœnitentia purgati, immature accedebant ad Euchariſtiam, nervoſe inſequitur: *Corpus Domini invadunt ...... vis infertur corpori ejus & ſanguini: & plus modo in Deum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt*. Refert deinde S. Martyr facta quatuor ultionis miracula adverſus eos, qui indignis manibus corpus Domini tractare voluerant. Jam vero capi animo non poteſt, levius peccare eum, qui coram perſecutore Chriſtum negat, quam qui cum conſcientia mortalis peccati aliquam Chriſti figuram, puta Evangelii Librum, aut imaginem crucifixi contrectat; ergo neceſſum eſt ut in Euchariſtia extet aliquid mera figura longe præſtantius.

Obiit an. circiter 259.

Obj. 1. de Tertulliano: Tertullianus, ut contra Marcionem probet Chriſtum non fuiſſe adverſarium Creatoris mundi, ſic loquitur Lib. 1. cap. 14. *Uſque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua ſuos abluit .... nec panem in quo ipſum corpus ſuum repræſentat*. Unde ſic: Si Chriſtus in Euchariſtia præſens eſſet, jam non repræſentaret corpus ſuum in pane, ſed ſublato pane præſens faceret: atqui tamen ex Tertulliano, &c.

Albertin. a p. 320. *ad* 348.

R. neg. maj. pro prima parte. Ut enim ambigua Tertulliani locutio, plus nobis faveat quam Calvinianis, ſufficit ut in phraſi Tertulliana *repræſentare*, idem ſæpius ſit, prout etiam apud Ciceronem & Patres, ac præſens ſiſtere: atqui res ita ſe habet. Sic 1. Lib. de reſurrect. carnis, cap. 14. ait Tertullianus, carnem in ultimo judicio *repræſentandam* eſſe, ideſt futuram præſentem. Sic in ipſo contra Marcionem Opere, Lib. 4. c. 22. ait Deum Patrem *repræſentaſſe* Filium ſuum in monte Thabor, utique

non in ſigno aut figura, ſed in propria ſpecie. Alia id genus loca, propter quæ fateri coactus eſt Petrus Martyr, certi nihil ex objecto textu concludi poſſe, in præſenti omitto, quia recurrent infra ubi de Hieronymo.

Inſt. 1. Tertullianus, ut probet Chriſtum antiquæ Legi contrarium non fuiſſe, oſtendit eumdem adimpleviſſe Legis hujus prophetias, & iſtam præſertim Jeremiæ: *Venite, mittamus lignum in panem ejus*, &c. Hanc vero ait Chriſtum in ſemetipſo adimpleviſſe, quia corpus ſuum appellavit panem. En ejus verba ibid. Lib. 3. c. 19. *Extulit crucem .... ut ſecundum ſuperiorem prophetiam exinde Dominus regnaret a ligno. Hoc lignum & Jeremias tibi inſinuat, dicturis prædicans Judæis: Venite mittamus lignum in panem ejus, utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio .... revelavit, panem corpus ſuum appellans, ut & hinc jam eum intelligas corporis ſui figuram pani dediſſe: cujus retro corpus in panem Prophetes figuravit, ipſo Domino hoc Sacramentum poſtea interpretaturo.* Unde ſic: Ille in Euchariſtia figurative tantum ſe repræſentat, qui ideo corpus ſuum vocat panem, quia panem fecit figuram corporis ſui; ſeu, ut loquitur Tertullianus, quia pani corporis ſui figuram dedit: atqui Chriſtus, ex Tertulliano, panem ideo vocat corpus ſuum, &c.

Jerem. 11. 19.

R. diſt. min. ex Tertulliano Chriſtus ideo corpus ſuum panem vocat, quia panem corporis ſui figuram fecit apud Jeremiam, C. quia panem fecit corporis ſui figuram in Euchariſtia, N. itaque ſi juxta Tertullianum Chriſtus ideo corpus ſuum appellavit panem, quia jam antiquitus apud Jeremiam deſignaverat panem, ut futuram aliquando corporis ſui figuram, nihil profecto eſt quod nobis Tertullianum objiciat Albertinus: atqui unice intendit Tertullianus, corpus Chriſti a Chriſto vocatum fuiſſe panem, quia, eodem Chriſto ſic præordinante, panis de quo loquitur Jeremias, figura erat corporis Chriſti, non vero quaſi panis, ejuſdem corporis figura foret in Euchariſtia. Prob. min. 1. ex ſcopo Tertulliani, qui intendit probare figuras veteres a Chriſto impletas fuiſſe. Si enim res ita eſt, neceſſum eſt ut figura quam implevit Chriſtus, apud Jeremiam reperiatur. Atque id probat hæc Tertulliani locutio: *Ut & hinc jam eum intelligas pani figuram corporis ſui dediſſe*, ideſt *jam* a temporibus Jeremiæ; 2. ex his ejuſdem Tertulliani verbis, ibid. Lib. 4. cap. 40. ubi idem argumentum paribus fere verbis revolvitur. *Cur autem*, inquit, *panem corpus ſuum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuiſſe iſtam figuram corporis Chriſti dicentis per Jeremiam ..... Venite conjiciamus lignum in panem ejus*, ſcilicet crucem in corpus ejus. *Itaque Illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit ſignificaſſe panem, ſatis declaravit, corpus ſuum vocans panem.* Hic Chriſtus antiquitatum illuminator, eo fine corpus ſuum appellat panem, ut veterem impleat figuram, quam delineavit Jeremias his verbis: *Venite*, &c. ergo panis non in ipſa Euchariſtia, ſed apud Jeremiam figura eſt corporis Chriſti. Subſumo, ſicque cum Bellarmino inſequor Novatores: Panis de quo dixit Chriſtus, *Hoc eſt corpus meum*, is ille panis eſt de quo locutus eſt Jeremias: atqui panis de quo Jeremias, non erat panis materialiter ſumptus. Is enim erat panis ille in quem lignum a Judæis mittendum erat, ſeu qui cruci erat affigendus: atqui panis ille, ipſum erat corpus Chriſti, non panis materialis; ergo.

Inſt. 2.

Digitized by Google

Inſt. 2. Non debet affingi Tertulliani verbis ſenſus omnino ineptus; & qui mera ſit tautologia: atqui tamen ſenſum hunc Tertulliano affingimus. Is enim juxta nos eſt ſenſus Tertulliani: Chriſtus *corporis ſui figuram pani dedit*, apud Jeremiam ſcilicet; *cujus retro corpus in panem Prophetes* Jeremias *figuravit*: atqui nihil eſt tautologicum magis. Eſt enim quaſi dicas: Jeremias per panem figuravit illud corpus, quod per panem figuravit.

R. 1. non ita caſtigatam eſſe Tertulliani dictionem, ut repetitionis ſemper & ubiqne expers ſit.

R. 2. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. neg. ant. Etſi enim poſterior quæ Albertini eſt, propoſitio, mera ſit tautologia, non tamen prior. In iſta enim duo docet Tertullianus, 1. voluiſſe Chriſtum, ut ſuum corpus jam ab ipſis Jeremiæ temporibus ſignificaretur per panem; 2. Jeremiam, ut huic Chriſti voluntati obſequeretur, reipſa corpus Chriſti deſignaſſe per panem: atqui in his nihil eſt tautologiæ, ſed plena demonſtratio illius quod probare intendebat Tertullianus, videlicet novum & vetus Teſtamentum ſibi prorſus congruere; cum veteres Prophetæ id executi ſint, quod jam tum præcipiebat Chriſtus, futurus aliquando novi Teſtamenti conditor; ergo.

Inſt. 3. atqui Tertullianus vult panem in ipſa Euchariſtia figuram eſſe corporis Chriſti; ergo nulla ſolutio.

Prob. ſubſumptum ex luculento ejuſdem Tertulliani textu, Lib. 4. contra Marcionem. Hæc ibi: *Acceptum panem & diſtributum Diſcipulis corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, ideſt figura corporis mei. Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus*. Unde ſic: Qui verba, *Hoc eſt corpus meum*, vult idem prorſus eſſe cum iſtis, *Hoc eſt figura corporis mei*, ille in ipſa etiam Euchariſtia meram agnovit figuram, nec proinde realitatem: atqui Tertullianus, &c.

Ut argumento in ſpeciem difficili ſatisfiat, notandum particulam explicativam, *Ideſt, figura corporis mei*, conſtrui & conjungi poſſe, vel cum ſubjecto propoſitionis, cui accedat ut explicatio; vel, quod naturale magis videtur, cum attributo propoſitionis ejuſdem. Priori modo is eſt propoſitionis ſenſus: *Hoc, ideſt panis, qui in veteri Lege fuit figura corporis mei, eſt corpus meum in Euchariſtia*. Poſteriore autem modo is erit ſenſus: *Hoc eſt corpus meum, ideſt figura, ſeu plena, ſeu vacua, corporis mei*. Poſterior iſte ſenſus Calvinianis favere poteſt; prior nonniſi Catholicos juvare: atqui prior ille ſenſus omnino retineri debet. Ad id enim ſufficiunt duo, 1. ut ſenſum hunc requirat orationis ſeries, & Tertulliani propoſitum; 2. ut tranſpoſitio, quæ tunc in Tertulliani phraſim invehitur, ſtylo ejus mire congruat: atqui utrumque verum eſt: & quidem ut a ſecundo exordium ducamus, certum eſt ut hyperbata ſeu tranſpoſitiones apud Tertullianum crebro reperiri. Sic lib. contra Praxeam: *Chriſtus mortuus eſt, ideſt unctus;* ubi vox, *unctus*, explicat ſubjectum, *Chriſtus*, non autem attributum, ut per ſe patet, ſtatimque, & quidem per aliud hyperbaton indicat Tertullianus, ſic pergens: *Id quod eſt unctum, mortuum oſtendit, ideſt carnem*. Sic & eod. lib. 4. contra Marcionem, explanans v. 2. Pſalmi 77. ait: *Aperiam in parabolam os meum, ideſt in ſimilitudinem*. Nec minus conſtat, ſcopum Tertulliani, ejuſque orationis ſeriem, ſenſum hunc requirere. Nempe 1. pugnat ut probet, panem ab anti-

quo fuiſſe figuram corporis Chriſti, quam is in Euchariſtia impleverit; ergo vox *figura*, non ad corpus referenda eſt, ſed ad panem; 2. conceptis terminis addit, *veterem fuiſſe iſtam figuram corporis Chriſti dicentis per Jeremiam: Venite conjiciamus lignum in panem ejus &c.* ergo non in Euchariſtia, ſed apud Jeremiam fecit Chriſtus panem corporis ſui figuram; 3. proſequitur Tertullianus, celebrem hanc explicans prophetiam Jacob Geneſ. 49. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*; & poſtquam carnem Chriſti per ſtolam, ejus vero ſanguinem per vinum demonſtrari dixit, ſubjungit continenter: *Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecravit, qui tunc vinum in ſanguine figuravit*. Unde ſic: Eodem modo loquitur Tertullianus de pane ac de vino: atqui dum dicit vinum eſſe, vel potius fuiſſe figuram ſanguinis Chriſti, loquitur de veteri figura, quæ futurum aliquando in vino ſanguinem Chriſti jam a temporibus Patriarchæ Jacob deſignaverit; ergo cum loquitur de figura corporis ſui, loquitur de veteri figura. His præmiſſis

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. neg. min. ut enim Tertullianus dicat panem eſſe figuram corporis Chriſti, neceſſum eſt, ut voces iſtæ: *ideſt figura corporis &c.* cadant in attributum propoſitionis, non autem in ſubjectum: atqui e contrario cadunt in ſubjectum, ut patet ex dictis; ergo. Atque hinc objectus Tertulliani textus Catholicum dogma luculente confirmat, dum explicatiſſime aſſerit, quod Chriſtus acceptum panem fecerit corpus ſuum. Et vero, ut contra Marcionem probet Tertullianus, Chriſtum habuiſſe verum corpus, non autem phantaſticum, ſic arguit ex ejuſdem hæretici principiis: Si *propterea panem corpus ſibi finxit, quia corporis carebat veritate; ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis ut panis crucifigeretur*. Unde ſic: Idem, juxta Tertullianum, admitti debet in pane Euchariſtico corpus, quod pro nobis traditum eſt & crucifixum: atqui corpus quod pro nobis traditum eſt & crucifixum, eſt verum Chriſti corpus, non autem corpus in figura ſolum; ergo corpus quod eſt in Euchariſtia, verum eſt corpus, &c.

Quod ſi quis voculam, *figura*, in ipſum propoſitionis attributum cadere contendat, nil inde periclitabitur Tertulliani fides. Unde

R. 2. diſt. min. vult Tertullianus panem eſſe figuram corporis Chriſti ad excluſionem ſenſus catholici, N. ſenſus Marcionis, C. exiſtimabat Marcion Chriſtum haud habuiſſe verum corpus, præter panem quem ſibi in corpus adoptaverat. Ludicrum id ſyſtema convellere nititur Tertullianus hoc argumento: Euchariſtia, utpote Sacramentum, debet eſſe rei latentis figura: atqui ſi Chriſti corpus nihil ſit præter panem, jam nulla erit in Euchariſtia figura rei latentis; cum panis latentem panem figurare non poſſit; ergo corpus Chriſti non poteſt eſſe panis. Hic autem non video unde geſtiant Calviniani.

Inſt. 3. Tertullianus lib. de reſur. carnis, cap. 37. *Durum*, inquit, *& intolerabilem exiſtimarunt ſermonem ejus, quaſi* VERE *carnem illis edendam determinaſſet*; ergo Chriſtus vere edendam carnem non dedit. Eodem modo loquuntur Origenes, Auguſtinus, &c.

R. diſt. conſeq. Ergo Chriſtus carnem ſuam non dedit edendam vere in ſenſu Capharnaitarum, prout nempe in cadavere dilaniatur, aut in macello

ven-

venditur, ut ait S. Auguſtinus Tract. 27. in Joan. C. vere, ideſt ſubſtantialiter, N. de his jam ſupra, & infra rurſus.

Obj. 2. circa Origenem, hæc ejus verba in cap. 15. Matthæi: *Sicut quod ingreditur in os, non polluit hominem .... ita quod ingreditur in os, non ſanctificat hominem, etiamſi a ſimplicioribus credatur ſanctificare, nimirum is qui vocatur panis Domini*. Sane, *quod ſanctificatur per verbum Dei & orationem, non ſuapte natura ſanctificat utentem: nam ſi id eſſet, ſanctificaret etiam illum qui comedit indigne*. Et paulo poſt: *Quod ad eſum per ſe attinet, nec ex hoc quia non edimus de pane per verbum Dei & obſecrationem ſanctificato, fraudamur aliquo bono, nec ex eo edendo abundamus aliquo bono .... Quod ſi quidquid ingreditur in os, in ventrem abit, & in ſeceſſum ejicitur, & ille cibus qui ſanctificatur per verbum Dei & orationem, juxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in ſeceſſum ejicitur ..... Nec materia panis, ſed ſuper illum dictus ſermo eſt, qui prodeſt non indigne comedenti illum. Et hæc quidem de typico ſymbolicoque corpore. Multa porro & de ipſo Verbo dici poſſent, quod factum eſt caro, veruſque cibus, quem qui comederit, omnino vivet in æternum, quem nullus malus poteſt edere*. Ex iis ſic: Verum Chriſti corpus indubie per ſe, ſuaque natura ſanctificaret hominem: Atqui ex Origene panis Domini, licet *a ſimplicioribus credatur ſanctificare* hominem, haud tamen eum ſanctificat, &c. Alber. a pag. 349. ad 356.

R. diſt. min. panis Domini non ſanctificat ſuapte natura, ideſt non operatur neceſſario inſtar cauſarum quæ agunt independenter a diſpoſitionibus ſubjecti, C. ideſt, non habet de ſe vim ſanctificandi, quæ ſe ſe exerat, ubi non obſtant ſubjecti diſpoſitiones. N. Hanc eſſe Origenis mentem perſpicue demonſtrant hæc ejus verba: *Quod ſanctificatum eſt per verbum Dei & orationem, non ex ſe utentem ſanctificat. Nam ſi ita eſſet, ſanctificaret & illum qui indigne comedit; nec ullus propter cibum hunc infirmus factus fuiſſet, aut imbecillis, aut mortuus ..... Ac proinde in pane Domini utilitas eſt ei qui utitur, cum intemerata mente & conſcientia panis fit particeps;* ergo excludit quidem Origenes ab Euchariſtia illam efficaciæ ſpeciem, vi cujus cauſæ naturales effectus ſuos producunt; non autem eam quæ Sacramentorum propria eſt, & per quam agunt ſecundum diſpoſitiones ſubjecti.

Inſt. 1. Si Euchariſtia operaretur ſaltem ſecundum ſubjecti diſpoſitiones, qui eam ſuſciperet, abundaret bono, qui vero eam non ſuſciperet, bono aliquo privaretur: atqui ex Origene, *nec ex hoc quia non edimus, fraudamur aliquo bono &c.*

R. 1. argumentum hoc ab ipſis etiam adverſariis ſolvendum eſſe: neque enim, opinor, dicent eos qui ad Cœnam, quam pro Sacramento habent, accedunt rite diſpoſiti, nihil inde percipere utilitatis.

R. 2. diſt. min. ex Origene, neque abundat bono, qui ſuſcipit male, vel non ſat bene diſpoſitus; pariterque non privatur bono, qui ſuſciperet, ſeu gravis ſibi peccati conſcius, ſeu male præparatus, C. non abundat bono qui ſuſcipit pie & ſancte &c. N. qui enim docet Chriſti carnem vere eſſe cibum, prout dixit ipſe Chriſtus, ideoque cibum, quo qui nutritus fuerit, vivet in æternum, ille dubio procul agnoſcit magno & maximo abundare bono eum qui ſancte diſpoſitus panem Domini manducat: atqui citata Hom. 7. in Num. docet Origenes &c. Et

Supra p. 192. vero idem Origenes lib. 8. contra Celſum: *Nos*, inquit, *panes edimus, per preces ſanctum quoddam corpus effectos, & ſanctificans eos qui cum ſano propoſito utuntur:* atqui corpus quod ſanctificat bene & ſane diſpoſitos, grande iiſdem bonum confert; ergo.

Inſt. 2. Panis mere materialis, nec animæ prodeſſe poteſt, ſi manducetur, nec animæ nocere, ſi non manducetur: atqui juxta Origenem, panis etiam per preces conſecratus, eſt mere materialis. Quod enim in ventrem abit, & in ſeceſſum ejicitur, nonniſi materiale eſſe poteſt: atqui ex Origene ..... Relegantur hæc ejus verba: *Quod ſi quidquid ingreditur in os, in ventrem abit* &c.

R. 1. Origenem, ſi ſenſit panem Euchariſticum in ſeceſſum ejici, diſſentire a ceteris Patribus: contrarium enim expreſse docent Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 5. Chryſoſtomus Homil. in Encæniis, de Euchariſtia, Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 14. porro Doctoris Doctoribus ceteris adverſi nulla eſt auctoritas.

R. 2. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. ex Origene panis conſecratus in ſeceſſum ejicitur, quando corpore Chriſti recedente, eadem in corpore noſtro facit & patitur, quæ vulgares cibi, C. abit in ſeceſſum prout eſt corpus Chriſti, N. qui enim cibum hunc vocat incorruptum, non ſentit ipſum corrumpi prout eſt corpus Chriſti: atqui Origenes citata ſupe-Supra p. 193. rius Homilia &c.

Inſt. 3. Corpus mere typicum & ſymbolicum, ſecundum ſe totum in ſeceſſum ejici debet: atqui ex Origene corpus Euchariſticum eſt corpus mere typicum &c.

R. neg. min. aliud eſt enim corpus eſſe typicum, aliud mere typicum. Quod mere typicum eſt, excludit realitatem ejus, cujus eſt typus & ſymbolum; quod autem typicum eſt, haud ſemper excludit realem rei quam figurat, præſentiam. Sic Chriſtus Hebr. 1. eſt *figura ſubſtantiæ* Patris, & tamen eamdem cum Patre ſubſtantiam habet; ſic columba quæ ſuper Chriſtum deſcendit, typus erat & ſymbolum Spiritus ſancti præſentis &c. Itaque agnovit Origenes, & nos cum eo lubenter, in Euchariſtia typum multiplicem: 1. enim Chriſtus ſub ſpecie panis eſt ſymbolum & figura ſui ipſius ſub propria ſpecie; 2. idem quatenus incruente offertur, eſt ſymbolum ſui ipſius cruente oblati in cruce; 3. eſt quoque ſignum corporis ſui myſtici, ideſt Eccleſiæ; 4. eſt & ſymbolum unitatis fidelium, quæ, ut eadem canit Eccleſia, *ſub oblatis muneribus myſtice deſignatur;* 5. eſt quoque, dum recipitur, ſignum æternæ illius fruitionis, cujus pignus eſt & ſemen caro Chriſti pie ſuſcepta, ſecundum id Liturgiæ: *Fac nos .... divinitatis tuæ ſempiterna fruitione repleri, quam pretioſi corporis & ſanguinis tui temporalis perceptio præfigurat*. Verum non ideo Euchariſtiam ut merum typum habuit Origenes, ſicut nec nos habemus. Qui enim in eadem Euchariſtia ipſam, *non in ænigmate, ſed in* propria *ſpecie*, carnem *Verbi Dei* agnoſcit, ille citra dubium mero ſterilique typo contentus non eſt: atqui Origenes citata Homil. 7. in Num. &c.

Inſt. 4. Ei corpus Euchariſticum merus eſt typus, qui corpus illud a vero & naturali Chriſti corpore diſtinguit: atqui Origenes .... Poſtquam enim dixit: *Et hæc quidem de typico ſymbolicoque corpore*, addit continenter: *Multa autem dici queant de ipſo Verbo, quod caro factum eſt, veruſ-*

que

Digitized by Google

que cibus ; ideſt : multa dici queant de vero & ſubſtantiali corpore Chriſti ; ergo.

R. diſt. min. Origenes diſtinguit corpus Euchariſticum a vero corpore, diſtinguit, inquam, quoad modum exiſtendi, ſeu quoad ſtatum, C. quoad ſubſtantiam, N. idem enim eſt *in ſpecie* corpus, ut ſupra docebat Origenes; ſed quia ſub ſpecie panis eſt in Sacramento, ſumunt mali, ut & ſumunt boni: at extra Euchariſtiam, ubi nonniſi per vivam fidem apprehendi & manducari poteſt, *nullus malus* eum *edere poteſt*, ſed quiſquis ſic *comederit*, *vivet in æternum;* prout ibidem loquitur Origenes. *Supra p.* 193.

Hinc prorſus male contendit Albertinus, negare Origenem quod impii comedant corpus Chriſti: contrarium certe indicant verba hæc Origenis: *Si panis Domini ſuapte natura ſanctificaret utentem, ſanctificaret etiam illum qui comedit indigne;* datur ergo qui corpus Domini comedat indigne: porro niſi independenter a fide præſens ſit, poteſt quidem non comedi, ſed indigne comedi non poteſt, uti jam obſervavimus.

Inſt. 5. & textum objicies Catholicis perinde & Calvinianis hactenus ignotum. Extat is porro apud Origenem Commentario in Matth. n. 85. tom. 3. pag. 898. nuperæ editionis. Hæc ibi Origines, & quidem quod notandum, explicans verba inſtitutionis Euchariſtiæ: *Panis iſte quem Deus verbum corpus ſuum eſſe fatetur, verbum eſt nutritorium animarum .... Non enim panem illum viſibilem quem tenebat in manibus, corpus ſuum dicebat Deus Verbum, ſed verbum in cujus myſterio fuerat panis ille frangendus. Nec potum illum viſibilem ſanguinem ſuum dicebat, ſed verbum in cujus myſterio potus ille fuerat effundendus. Nam corpus Dei Verbi, aut ſanguis, quid aliud eſſe poteſt niſi verbum quod nutrit, & verbum quod lætificat cor?* Ex iis ſic: Qui panem viſibilem quem Chriſtus in manibus tenebat, cum dixit: *Hoc eſt corpus meum*, negat eſſe ejuſdem Chriſti corpus; quique illud Chriſti corpus nihil aliud eſſe contendit, quam verbum in cujus myſterio panis erat frangendus, ille toto cœlo diſtat a confitenda realitate: atqui Origenes negat panem &c.

R. 1. objectum textum haberi duntaxat in duobus Mſſ. codicibus; unde nec in Merlini, nec in Genebrardi editione comparet, nec hactenus, quod ſciam, ſeu a Berengarii diſcipulis, ſeu a Calvinianis; qui undecumque argumenta corraſerunt, nec certe carent Mſſ. objectus fuit in præſenti negotio. Quapropter non ita certa eſt hæc lectio, ut ex ea velut indubitata diſputare liceat.

R. 2. diſt. maj. qui negat panem eſſe corpus Chriſti in omni ſenſu, C. in aliquo tantum ſenſu, eoque non litterali, ſed myſtico & allegorico, N. itaque ſi Origenes eo loci panem de quo loquitur, ſpectet ut efficaciter nutritorium animæ, potum vero ut efficaciter inebriantem corda hominum, potuit, & utcumque debuit vir allegoriarum ſtudioſus, negare panem quem Chriſtus manibus tenebat eſſe corpus Chriſti; cum certo conſtet panem hunc a pluribus recipi, quorum nec mentes nutriat, nec corda pie inebriet: atqui ex tota contextus ſerie patet Origenem loqui de pane prout efficaciter animæ nutritorio. *Panis iſte*, inquit, *quem Deus Verbum corpus ſuum eſſe fatetur, verbum eſt nutritorium animarum; ..... & potus iſte, quem Deus Verbum ſanguinem ſuum fatetur, verbum eſt potans & inebrians præclare corda bibentium*. Et rurſus: *Panis eſt verbum Chriſti*

factum de tritico illo quod cadens in terram bonam multum reddidit fructum; ergo hoc ſenſu loqui potuit Origenes quaſi panis non eſſet corpus Chriſti. Et idipſum eſt quod ſupra docebat Origenes, cum aliquo ſenſu negabat, panem, qui *ſanctificatur per verbum Dei & orationem*, *ſuapte natura* ſanctificare eos qui ipſum recipiunt. Verum haud ideo negavit Adamantius panem conſecratum in ſenſu litterali eſſe corpus Chriſti; ſicut neque id negavit Auguſtinus, qui Serm. 272. ad infantes, eodem fere modo, quo hic Origenes, diſcurrit de Sacramento altaris, cum hoc ſolum diſcrimine, quod Auguſtinus ſymbolicam Myſterii Euchariſtici ſignificationem ad unitatem fidelium in uno eodemque Chriſti corpore, Origenes vero ad verbum Dei deflectat. Uterque nimirum rationibus myſticis intentus, ipſam Sacramenti naturam ſatis notam fidelibus nonniſi leviter & quaſi in tranſitu attingit. Hujus tamen non levia veſtigia in eo etiam quem actu perſcrutamur textu deprehendere eſt. Et vero quid aliud indicant verba hæc: *Panis iſte, quem Deus Verbum corpus ſuum fatetur, & potus iſte, quem Deus Verbum ſanguinem ſuum fatetur*: & iſthæc rurſus: *Oſtendit* Jeſus, *quando eos*, Diſcipulos, *hoc pane nutrit, proprium eſſe corpus. Deinde docebat Diſcipulos qui manducaverant corpus Verbi*.

Confirm. quia ut perite & ſagaciter in hunc locum obſervavit vir clariſſimus D. Robbe, Mazarinæi Collegii olim Gymnaſiarcha, ſi hic excludatur quilibet ſenſus præter allegoricum, excluditur profecto Calvinianus de figura & typo Sacramentali. Si vero, ut debet, alius ſupponitur ſenſus, utique ſenſus litteralis Catholicorum, quem ſatis clare exprimit Adamantius verbis modo citatis, non ſenſus Calvinianorum, cujus ne minimum quidem hic veſtigium.

Inſt. 6. ſi valeant reſponſiones hactenus allatæ, hæc Chriſti verba: *Niſi manducaveritis carnem meam* &c. litterali omnino ſenſu intelligenda ſunt: atqui ſenſum hunc litteralem expreſſiſſime arcet Origenes. Sic ille Homil. 7. in Leviticum: *Si litteram ſequaris, hoc ipſum quod dictum eſt, Niſi manducaveritis carnem meam* ∴ *occidit hæc littera*; ergo.

R. diſt. min. arcet litteram hanc Origenes in ſenſu Capharnaitarum, C. in ſenſu Catholico, qui noſter eſt, N. nempe vero excludit tantum Origenes ſenſum eorum, qui Chriſto infrementes dicebant, *Quomodo dabit nobis hic carnem ſuam ad manducandum*: qui porro id murmurabant, vel erant Capharnaitæ, vel idem ſentiebant cum Capharnaitis. *Origen. tom. 1. p. 87.*

Inſt. 7. qui merum Apoſtolis vinum a Chriſto in Euchariſtica cœna porrectum fuiſſe docet, qui inſuper fideles in eadem cœna mero pane veſci contendit, ille litteralem quemcumque realis præſentiæ ſenſum excludit ab objecto textu: *Niſi manducaveritis* &c. atqui Origenes utrumque docet. Primum quidem citata Hom. 7. ubi ait Chriſtum, juxta morem Sacerdotum veteris legis, non bibiſſe de genimine vitis in ultima cœna, quia mox ad altare acceſſurus erat; Apoſtolos vero de eodem bibiſſe, quia nondum ad altare crucis acceſſuri erant; en ejus verba: *Ubi vero tempus advenit crucis ſuæ, & acceſſurus erat ad altare ubi immolaret hoſtiam carnis ſuæ, accipiens, inquit, calicem benedixit & dedit Diſcipulis ſuis dicens, Accipite & bibite ex hoc. Vos, inquit, bibite, quia modo acceſſuri non eſtis ad altare; ipſe autem tanquam acceſſurus ad altare, dicit de ſe: Amen dico vobis, quia non bibam de generatione vitis hujus, uſquequo bibam illud vobiſcum* *Pag. 85. edit. Genib.*

novum

novum in regno Patris mei. Unde ſic: Vinum quod Chriſtus in Euchariſtica cœna dedit Apoſtolis, illud ipſum eſt a quo, juxta Origenem, abſtinuit ipſe, ut imitaretur Sacerdotem Aaron, qui imminente functionum ſuarum tempore abſtinebat a vino: atqui vinum iſtud, merum erat & naturale vinum; ergo & tale erat illud quod Apoſtolis bibendum porrexit Chriſtus.

Secundum docet Origenes lib. 8. contra Celſum: *Nos*, inquit, *cum precibus & gratiarum actione pro beneficiis acceptis oblatos panes edimus*: ubi, quod in cœna comedunt Fideles, panis eſt, & præterea nihil.

R. ad 1. neg. min. ad 1. 2. R. 1. Origenem hic allegoricos ſenſus ſectari, ex quibus vix certi quidpiam ad expoſitionem fidei extundi poſſit. Rem ipſe ſubindicat vel ab initio citatæ homiliæ, ubi ſic: *Non enim nunc exponendi Scripturas, ſed ædificandi Eccleſias miniſterium gerimus*.

R. 2. neg. maj. vinum enim de quo loquitur Origenes, illud ipſum eſt de quo loquitur Sanctus Lucas cap. 22. v. 17. & 18. atqui vinum illud, ipſum erat cœnæ legalis vinum, non autem Euchariſticum de quo tantum agitur v. 20. ergo.

Et vero ſi de vino ſimpliciter naturali ageretur apud Lucam, falſum dixiſſet Chriſtus cum aſſeruit, ſe amodo ex eo bibiturum non eſſe. Contrarium enim evincerent hæc Petri verba, Act. 10. v. 41. *Manducavimus & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit a mortuis*; ergo loquitur Chriſtus non de vino ſimpliciter, ſed de vino cœnæ legalis, quod deinceps nuſquam guſtavit. Si quis tamen enixe velit alluſiſſe Origenem ad vinum Euchariſticum, nihil inde feremus detrimenti. Unde

R. 3. diſt. maj. vinum quod dedit Chriſtus Apoſtolis, illud ipſum eſt, quoad ſpeciem, proprietates & accidentia, a quo abſtinuit Chriſtus, C. idem eſt quoad ſubſtantiam, N. duo habet hæc ſolutio, 1. quod ex Origene confutari non poſſit; 2. quod bene congruat Origenianis, quæ ſupra in gratiam fidei congeſſimus, documentis.

Ad. 2. 2. neg. conſeq. ſic enim habet Origenes: *Oblatos panes edimus, corpus jam per precationem factos ſanctum quoddam, & ſanctificans utentes cum ſano propoſito*: atqui corpus hoc ſanctum & ſanctificans, quod definite non evolvit Origenes, quia diſputabat cum Gentili, cui Religionis arcana reſerare nefas, nihil aliud eſſe poteſt quam corpus Chriſti; ergo longe diſtat a communi pane panis quem comedunt Fideles.

Opponuntur inſuper tria, 1. ex Origene tom. 32. in Joan. *Offulam*, ſeu buccellam *a Jeſu datam* proditori Judæ, *ejuſdem generis fuiſſe cum ea quam Jeſus dedit ceteris Apoſtolis, dum diceret, Accipite & comedite*: atqui buccella Judæ porrecta fuit merus panis; 2. juxta eumdem Origenem Hom. 16. in Num. *Nos bibere Chriſti ſanguinem, cum ſermones ejus recipimus*, ac proinde ſpirituali modo non reali; 3. non aliud ſenſiſſe Origenem circa Euchariſtiam, quam didicerit a Magiſtro ſuo Clemente Alexandrino; hunc porro abſentiam realem docuiſſe, ut liquet ex his ejus verbis lib. 2. pœdagogi cap. 2. ubi Encratitas, qui a vino, tanquam ab impuro liquore abſtinebant, ſic exagitat: *Scitote Chriſtum vino uſum eſſe, nam vinum benedixit, & dixit, Accipite, bibite, hoc eſt ſanguis, ſanguis vitis: ſanctum enim lætitiæ fluentum, verbum pro multis effuſum in remiſſionem peccatorum allegorice ſignificat. Quod autem vinum eſſet id quod benedictum eſt, oſten-* Pag. 270.

oſtendit rurſum Diſcipulis dicens : Non amplius bibam ex fructu vitis hujus &c. Unde ſic : Quod manet vinum poſt conſecrationem, quod etiam tum vere eſt ſanguis vitis, quod denique eſt ſanguis metaphorice, ideſt *verbum pro multis effuſum*, illud verus & proprius Chriſti ſanguis eſſe non poteſt : atqui &c. Verum abſit ut his labefactetur Sanctæ Eccleſiæ fides. Itaque

Ad. 1. reſpondet doctiſs. Tournely, buccellam a Chriſto porrectam Judæ, fuiſſe in mente Origenis, ſicut & aliorum plurium, verum Chriſti corpus : licet reclament alii, qui Judam prius e cœnali diverſorio, ut Chriſtum traderet, exiiſſe putant, quam inſtituta foret Euchariſtia. Lecto tamen attente Origenis textu ſolutio hæc videtur incerta : unde

R. diſt. maj. docet Origenes, & quidem ut dubii aliquid, buccellam Judæ datam ejuſdem generis fuiſſe cum ea quæ data eſt Apoſtolis, ejuſdem, inquam, generis quoad effectum, C. quoad ſubſtantiam, N. itaque credit, aut credi poſſe * putat Origenes, quod ſicut corpus Domini datum Apoſtolis tale eſt, ut *bono* recipientis *affectu ſuppoſito*, ſalutem ; *malo* autem ſuppoſito *affectu condemnationem* operetur : ſic & buccella proditori tradita, propter malam ejus diſpoſitionem efficere potuerit ut ſtatim in eum ingrederetur ſatanas: verum nihil eſt in Origenis textu, unde certo inferri poſſit; buccellam Judæ traditam ejuſdem quoad ſubſtantiam fuiſſe generis cum ea quæ deinceps Apoſtolis tradita fuit. Certe explicat hic Origenes cap. 13. Joannis, in quo cum nihil ſit de Euchariſtia, mirum ſi buccella intincta & Judæ porrecta Euchariſtiam ſignificare Origeni viſa fuerit.

Ad 2. neg. conſeq. ita enim admittit Origenes ſpiritualem corporis & ſanguinis Chriſti manducationem, quæ ſit cum mandatis ejus humiliter obſequimur, ut oralem & realem non excludat. Qui enim docet Chriſtum ipſum ingredi ſub tectum illius qui ſacræ menſæ aſſidet, ille oralem ejus receptionem admiſit : atqui Origenes citata Homil. 15. &c.

Ad 3. neg. min. Etſi enim vix quidquam colligi queat ex ſcriptis Clementis Alexandrini, eo quia interpretationes allegoricas præ litteralibus amet, & fere ſemper proponat, non obſcure tamen realem præſentiam his indigitat verbis ejuſdem capitis & libri : *amborum*, potus ſcilicet & Verbi *temperatura* ſeu miſtio, *dicitur Euchariſtia*. Si enim Euchariſtia conſtat ex Verbo ſimul & potu, neceſsum eſt ut præſens ei inexiſtat Verbum. Nec nocent Albertini cavillæ. Unde

Ad 2. neg. min. nam 1. ait quidem S. Clemens, Chriſtum benedixiſſe vinum, ſed nullatenus ait id quod ſemel conſecratum eſt, ſervare naturam vini; multoque minus, prout Albertinus fingit, Chriſtum bibendo ex eo quod benedixerat, vinum bibiſse; 2. Clemens ſanguinem Chriſti vocat ſanguinem vitis, quemadmodum alii quidam Eccleſiæ Doctores, quia nimirum ex vino in ipſum converſo effectus ſit ; 3. teſtatur idem Pater ſe allegorice loqui, cum ſanguinem de verbo pro multis effuſo interpretatur : porro ratum eſt allegoricas interpretationes nihil per ſe aſtruendo aut ſubvertendo dogmati inſervire. Et vero ſi ſanguis Chriſti

* Dubitat Origenes an non prohibuerit ſatanas ne proditor Apoſtolus porrectam ſibi buccellam comederet : en ejus verba : „ poſt offulam igitur fortaſſe a Juda non comeſtam, anticipante ſatana . . . . . . Offulæ uſum, ne Judas adjumentum *ex ea* perciperet &c.

Chriſti nihil aliud ſit quam verbum Dei prædicatum , ubi Euchariſtiæ Sacramentum quod tamen admittunt Calviniani ?

Neque tutiorem Albertino triumphum parant hæc Theodoti cujuſdam e Valentinianorum grege verba, quæ excuſa ſunt ad calcem operum S. Clementis : *Panis & oleum* Confirmationis *ſanctificantur virtute nominis* Chriſti, *nec talia manent qualia ſumpta ſunt ; ſed virtute* divina *in vim ſpiritalem ſunt tranſmutata ;* ubi, ait Albertinus , non aliter tranſmutatur panis quam oleum, proinque non in ſubſtantiam, ſed in virtutem corporis Chriſti.

Peccat enim manifeſte hæc illatio : qui enim geminæ rei convenientias aſſignat, non negat utriuſque diſcrimina, niſi id expreſſe declaret; uti liquido patet ex variis comparationibus, quæ quotidie inter res plus, minuſve diverſas inſtituuntur : atqui Theodotus, dum olei & panis convenientias exhibet, non negat utriuſque diſcrimina; alioqui eumdem oleo, quem pani, effectum adſcribere cenſeretur, quod nemo admiſerit ; ergo.

Objicit Albertinus duos Cypriani textus, primum ex Epiſt. 76. ad Ma- *Albert. a*
gnum, ubi panis Euchariſticus *de multorum granorum adunatione* congeſtus, *p. 367. ad*
fidelium ſocietatem ſignificare dicitur ; ſecundum ex Epiſt. 63. ubi vi- *380.*
num aquæ in calice immiſcendum eſſe probat Sanctus Doctor, quia vino *ſanguis Chriſti oſtenditur* , ſeu repræſentatur. Verum hæc inania ſunt caſſæ cauſæ præſidia. Unde

Ad 1. aliud eſt Chriſtum ad inculcandam , quæ perfecta inter fideles vigere debet, unitatem , in Euchariſtiæ materiam elegiſſe corpus aliquod ex multis frumenti & uvæ granis conſtans; aliud docere materiam hanc poſt conſecrationem, ejuſdem ac antea erat, naturæ permanere. Primum dicitur Cyprianus, & poſt eum quotidie repetunt verbi divini Præcones. Secundum ne indicavit quidem.

Ad 2. diſt. per vinum oſtenditur ſanguis Chriſti ut præſens, C. ut abſens, N. ſcopus Cypriani eſt ut probet nefas eſſe in aqua ſola conſecrare, prout tunc temporis faciebant aliqui, *vel ignoranter, vel ſimpliciter*. Id ut aſſequatur varia congerit argumenta, quibus perſuadeat ſolo vino *oſtendi*, ſeu realiter exprimi poſſe ſanguinem Chriſti. Præcipua autem ſancti Martyris argumenta repetuntur ex figuris Legis antiquæ , quas in Lege nova impleri oportuit. *Nam quis*, inquit, *magis Sacerdos Dei ſummi*, *quam D. N. J. C. qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem*. Et infra : *Præcedit ante* in Melchiſedech *imago ſacrificii Chriſti in pane & vino conſtituta, quam rem perficiens, & adimplens Dominus, panem & calicem miſtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit*. Ergo ex S. Doctore oblatum panem & vinum fecit Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum, idque tam vere ut imaginis a Melchiſedech præfiguratæ veritatem adimpleverit : atqui hæc cum idæa ſanguinis per vinum ſimpliciter figurati cohærere non poſſunt ; ergo.

Et vero Cyprianus lib. de orat. Dom. *Panis vitæ* , inquit , Chriſtus eſt, *& panis hic noſter* eſt, *qui corpus ejus contingimus* ∴ *Quando* ergo *dicit in æternum vivere, ſi quis ederit de pane ejus ; ut manifeſtum eſt eos vivere qui corpus ejus attingunt, & Euchariſtiam* ∴ *accipiunt*, &c. Hic loquitur Sanctus Doctor de manducatione orali quæ fit in Euchariſtia : atqui manducatio hæc non reſpicit figuram meram , ſed Chriſtum ipſum

cujus

cujus corpus contingitur; ergo Euchariſtia ad meram figuram non revocatur a Cypriano.

Conclusio IV. Idem cum deceſſoribus ſuis ſenſere præcipui Patres ſæculi quarti.

Prob. Patres ii, ut omittam Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Ephrem Edeſſenum, & Epiphanium, qui parum habent difficultatis, noſque traherent in immenſum, ſunt 1. Patres Nicæni; 2. Euſebius Cæſarienſis; 3. Athanaſius; 4. Gregorius Nyſſenus; 5. Cyrillus Jeroſolymitanus; 6. Hilarius Pictavienſis; 7. demum Ambroſius: atqui ii ad unum omnes, noſtri ſunt.

1. quidem Patres Nicæni. Sic enim can. 18. pertingunt Diaconos, qui eo devenerant temeritatis, ut Euchariſtiam darent ipſis Sacerdotibus? *Neque canon, neque conſuetudo tradidit, ut hi qui offerendi poteſtatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Chriſti;* ergo quod in Euchariſtia datur, eſt corpus Chriſti ſimpliciter & ſine addito, ac proinde non in figura ſolum.

2. Euſebius Cæſarienſis. Sic ille lib. 1. demonſtrat. Evang. cap. 10. *præſtantius, quam veteres Judæi, Sacerdotium & Sacrificium conſecuti, non amplius integrum nobis eſſe putamus recidere in illa prima & infirma elementa, quæ ſigna & imagines, non ipſam veritatem continebant;* ergo ſacrificium Legis ipſam continet veritatem: porro ſi veritatem, jam non figuram.

Idem apud Damaſcenum lib. 3. parallel. cap. 15. *Spiritus ſanctus conſecrat dona propoſita, paniſque fit pretioſum corpus Domini noſtri, & potus, pretioſus ejus ſanguis.* Hæc ſi Romanam fidem non adſtruunt, neſcit ipſa fidem ſuam adſtruere Romana Eccleſia, quæ terminos clariores ignorat.

3. Athanaſius apud Theodoretum dialog. 2. ut refellat hæreticos, qui Chriſto phantaſticam carnem affingebant, *Corpus eſt*, ait, *cui dicit* Deus, *Sede a dextris meis*∴per *quod corpus pontifex fuit & dictus eſt, dicens: Hoc eſt corpus meum* &c. unde ſic: Idem nobis in Euchariſtia corpus tradidit Chriſtus Pontifex, cui dictum eſt a Deo: *Sede a dextris meis:* atqui dictum eſt iſtud corpori vero, non figurato & umbratili; ergo.

4. Gregorius Nyſſenus in oratione catechetica cap. 37. *Quomodo*, inquit, *qui venenum ſumpſerunt, alio medicamento mortiferam vim extinguunt, ſic etiam oportet ſalutare medicamentum*∴ *admitti intra viſcera hominis, ut per illud in totum corpus diſtribuatur virtus ejus*∴ *Quid hoc ergo eſt? nihil aliud eſt quam illud corpus, quod & morte oſtenſum fuit eſſe potentius, & noſtræ vitæ fuit initium*∴ *ſed oportet conſiderare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in univerſo terrarum Orbe ſemper dividitur, totum ſigillatim ſit in unoquoque, & ipſum in ſe totum maneat* &c. Rurſus vero: *Panis ſanctificatur per verbum Dei & orationem; non quidem per manducationem & potationem migrans in corpus Verbi, ſed ſtatim in corpus Verbi per Verbum tranſmutatus, ſicut dictum eſt a Verbo: Hoc eſt corpus meum*∴.. *Hæc autem dat* ſeu efficit *virtus benedictionis in illud, tranſelementans eorum quæ apparent naturam.* Quid, amabo, diſertius? Corpus de quo hic diſſerit Sanctus Doctor, eſt verum Chriſti corpus, illud ſcilicet quod morte potentius oſtenſum eſt, quodque nobis vitæ initium fuit: atqui illud ipſiſſimum eſt corpus, quod intra viſcera noſtra admittitur inſtar medicamenti; quod dum in Orbe toto ſemper dividitur, totum & in ſe, & in unoquoque noſtrum manet; quod per orationem tranſmutatur in corpus Verbi;

bi;

bi ; adeo ut tranſelementetur natura eorum quæ apparent ; ergo .

5. Cyrillus Jeroſol. is nimirum catecheſi 4. miſtagogica Euchariſtiæ Obiit an.
naturam ex profeſſo aperit coram recens baptizatis : *Cum igitur ipſe, Chri-* 386.
ſtus, pronuntiaverit & dixerit de pane, Hoc eſt corpus meum, quis audebit deinceps ambigere ? & cum ipſe aſſeveraverit, & dixerit, Hic eſt ſanguis meus, quis unquam dubitaverit, ajens non eſſe ejus ſanguinem ? Aquam olim in vinum, quod ſanguini affine eſt, in Cana Galilææ transmutavit, & eum parum dignum exſtimabimus cui credamus, cum vinum in ſanguinem tranſmutavit ? Ad nuptias corporales vocatus ſtupendum hoc miraculum effecit : & non eum multo magis filiis thalami nuptialis corpus ſuum & ſanguinem fruenda donaſſe confitebimur ? Quare cum omni perſuaſione tanquam corpus & ſanguinem Chriſti illa *ſumamus. Nam in figura* ſeu ſpecie *panis datur tibi corpus, & in figura vini datur tibi ſanguis, ut cum ſumpſeris corpus & ſanguinem Chriſti, concorporeus & conſanguis ipſi efficiaris : ſic etenim Chriſtiferi efficimur, diſtributo in membra noſtra corpore ejus & ſanguine ∴ Quamobrem ne tanquam nudis & communibus elementis, pani & vino Euchariſticis attende : ſunt enim corpus & ſanguis Chriſti ſecundum Domini aſſeverationem. Nam etiamſi illud tibi ſuggerat ſenſus, fides tamen te certum & firmum efficiat. Ne judices rem ex guſtu ; ſed ex fide citra ullam dubitationem certus eſto te corporis & ſanguinis Chriſti dono dignatum fuiſſe ∴ iſthæc edoctus & certiſſima indutus fide, quod qui videtur panis, panis non eſt, tametſi guſtu ſenſibilis ſit, ſed corpus Chriſti ; & quod videtur vinum, vinum non eſt, etiamſi ita guſtui videatur, ſed ſanguis Chriſti*. Haud minus aperta ſunt quæ loquitur ſanctus Doctor Catech. 5. ea tamen brevitatis ergo prætermittimus ; ſic autem ex adductis arguimus in forma .

Verba S. Cyrilli litteraliter & ut ſonant, intelligi debent : atqui eadem verba intellecta litteraliter præſentiam realem diſerte aſtruunt. Major conſtat, tum quia S. Doctor catechiſticam fidei expoſitionem facit, quæ ſummam in ſenſu ut in verbis ſimplicitatem poſtulat ; tum quia alloquitur recens baptizatos omnis ætatis, conditionis & ſexus, qui cum, pro more vulgi, partem maximam rudes eſſent, haud certe aſſueti erant ſubtilitatibus illis quas tanto animi ac vultus ſudore commenti ſunt Calviniani. Prob. itaque minor. Ubi eſt tranſmutatio ei ſimilis qua aqua in vinum converſa eſt ; tranſmutatio per quam ſub figura & ſpecie panis datur corpus Chriſti ; tranſmutatio vi cujus diſtribuitur in membra noſtra corpus & ſanguis Chriſti, adeo ut eidem concorporei & conſangues efficiamur ; tranſmutatio circa quam haud habenda eſt fides ſenſibus, qui deciperent, ſed verbis Chriſti, qui vere aſſeverat quidquid aſſeverat ; ubi, inquam, hæc omnia concurrunt, ibi realem præſentiam haberi neceſſum eſt : atqui ex S. Cyrillo eſt in Euchariſtia tranſmutatio ei ſimilis &c.

Confirm. Totus eſt eo loci Cyrillus ut præveniat, vel reſecet dubitationem, cui obnoxii eſſe poſſunt Neophyti, dum loco panis & vini quæ intuentur, corpus & ſanguinem Chriſti agnoſcere & * *adorare* jubentur : huc nempe collineat ſumma hæc commendatio tum divinæ in aſſeveran- * *Idem catech.* 5.
do veracitatis, tum in patrando apud Canam miraculo omnipotentiæ ; atqui ſi calviniſtice de Euchariſtia ſenſerant Cyrillus & ejus Neophyti, nulla erat dubitatio, quæ tanto conatu præveniri mereretur. Si enim ambigi ſerio poteſt, num id quod totam panis & vini ſpeciem habet,

bet, ſit corpus & ſanguis Chriſti; ſi ut credatur converſio hæc, opus eſt *certiſſima* & firmiſſima *fide;* non utique ambigi poteſt quin panis in figuram corporis Chriſti aſſumi potuerit, quinve figuræ huic alligari potuerit eadem aut major efficacia, quam quæ ineſt aquæ baptiſmali; ergo in aliquid longe creditu difficilius cadit dubitatio, quam arcere molitur S. Cyrillus. Id autem quid aliud a præſentia reali eſſe poſſit?

Perpet. tom. 2. p. 326. Confirm. iterum, quia ut ſcite obſervat Auctor perpetuitatis fidei, tota Neophytorum dubitatio naſcebatur, aut naſci poterat ex iis Chriſti verbis: *Hoc eſt corpus meum:* atqui verba hæc exprimunt quidem, ſi Calvinianis fides ſit, ſenſum figuræ, ſed nullam prorſus de ſe exprimunt efficaciam; unde nec iis utuntur Calviniani contra Anabaptiſtas, Socinianoſve aut Remonſtrantes, qui figuram admittunt, & efficacitatem negant; nec iis ut objectioni reſpondent iidem Anabaptiſtæ &c. ergo dubitatio Neophytorum non verſabatur circa efficaciam; proinque Calviniani a Chriſti verbis excludunt difficultatem quam habent eadem verba, in iis vero includunt difficultatem quam non habent. Et vero ſi ſola figuræ efficacia pariebat dubium, cur, ut illud amoveat, recurrit Cyrillus ad ſubſtantialium converſionum miracula? an tale quidpiam fecit, ut baptiſmalis aquæ efficaciam demonſtraret? Cur aſſerit panem non eſſe id quod panem eſſe renuntiant ſenſus? An ut efficaciam recipiat panis, neceſſe eſt ut panis eſſe deſinat? Cur ii quorum dubitationem ſupponit ſanctus Doctor, ſuperſtitem panis ſpeciem objiciunt? an eo uſque deſipiebant, ut exiſtimarent ſpeciem panis obeſſe efficaciæ ſacramenti? ergo aliam, quam quæ fingitur a Calvinianis, difficultatem patiebantur Neophyti.

6. Hilarius Pictavienſis, ſic ille lib. 8. de Trinitate num. 13. Arianos, qui meram inter Patrem & Filium conſenſionis unitatem, non autem naturæ admittebant, exagitat. *Eos nunc, qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo utrumne per naturæ veritatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis. Si enim vere Verbum caro factum eſt, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt?* Et infra: *Ait* Chriſtus: *Caro mea vere eſt eſca* &c. *De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtra vere caro eſt, & vere ſanguis eſt ∴ Vivit ergo per Patrem; & quomodo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus vivimus ∴ Hæc ergo vitæ noſtræ cauſa eſt, quod in nobis carnaliter manentem per carnem Chriſtum habemus ∴ Hæc autem idcirco a nobis commemorata ſunt, quia ∴ hæretici mentientes unitatis noſtræ ad Deum utebantur exemplo, tanquam nobis ad Filium & per Filium ad Patrem obſequio tantum ac voluntate religionis unitis, nulla per Sacramentum carnis & ſanguinis naturalis proprietas indulgeretur, cum ∴ permanentem in nobis carnaliter Filium, & in eo nobis corporaliter & inſeparabiliter unitis myſterium veræ ac naturalis unitatis ſit prædicandum.*

Ex iis ſic 1. Eodem modo per Euchariſtiam manet in nobis caro Chriſti, quo per naturæ unitatem manet Chriſtus in Patre: atqui Chriſtus per naturæ unitatem non metaphorice tantum, ſed vere & ſubſtantialiter manet in Patre; ergo.

2. Abigit hic S. Doctor dubium aliquod circa carnem & ſanguinem Chri-

Chriſti; de quorum veritate ambigi non patitur; atqui dubium illud non ſpectat niſi carnem prout in Euchariſtia recipi poteſt. Vel enim hanc ſpectat, vel eamdem carnem prout in cœlo eſt: atqui non ſpectat iſtam. Neque enim tunc magis quam hodie angebantur Chriſtiani, ut crederent vel carnem Chriſti eſſe in cœlo, vel eamdem ut in cœlo poſitam fide apprehendi poſſe; ergo tota eorum dubitatio circa carnem prout in Euchariſtia præſentem verſari poterat; ergo cum de carnis veritate ambigi non patitur Hilarius, de carne ut præſente in Euchariſtia loquitur.

3. Agnoſcit S. Præſul nos in *cibo Dominico vere verbum carnem* ſumere: atqui vox ſumendi, & *vere* ſumendi carnem, nonniſi corporalem actionem exprimere poteſt; nec ullibi rem (Deum v. g. vel Angelum) ſumere dicitur, qui hanc ſola fide contemplatus fuerit; ergo.

4. Sic diſcurrit S. Doctor: Ita Chriſtus vivit per Patrem accepta illius natura, quomodo nos vivimus per Chriſtum accepta ejus carne: atqui ex Arianorum confeſſo, vivimus per Chriſtum accepta ejus carne ſecundum naturam, idque tam vere ut *in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum* habeamus; ergo vivit Chriſtus per Patrem, non metaphorice tantum, ſeu per *concordiam voluntatis*, ſed per naturam. Porro hæc S. Doctoris ratiocinatio ſupponit Chriſti carnem tam vere nobis ineſſe, quam natura Patris vere inſit Filio; ergo. Ita prope Theologus Pariſienſis.

7. Ambroſius, qui lib. de myſteriis cap. 8. num. 48. *Conſidera*, inquit, *utrum præſtantior ſit panis Angelorum*, manna; *an caro Chriſti*∴ ſane *potior eſt lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris cœli, quam manna de cœlo. Forte dicas: Aliud video; quomodo tu mihi aſſeris, quod corpus Chriſti accipiam*∴ *Probemus* igitur *hoc non eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit, majoremque vim benedictionis eſſe, quam naturæ, quia benedictione etiam natura mutatur*. Tum adductis parium mutationum exemplis, ut virgæ in ſerpentem, ſerpentis in virgam, fluvialis aquæ in ſanguinem, ſic proſequitur: *Si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicemus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini operantur?* ∴ An *non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies*, naturas, *mutet elementorum?*∴ An *ſermo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant?* ∴ *Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus Jeſus partus ex Virgine* &c.

Paris efficaciæ ſunt quæ habet idem, aut alius quivis Auctor Librorum de Sacramentis; ſic ille lib. 6. cap. 1. *Sicut verus eſt Dei Filius Dominus noſter J. C.*∴ *ita vera ejus caro*∴*quam accipimus, & verus ejus ſanguis eſt potus*∴ *Sed forte dicas: Quomodo vera? qui ſimilitudinem video, non video ſanguinis veritatem. Primo enim tibi dixi de ſermone Chriſti, qui operatur ut poſſit mutare & convertere genera inſtituta naturæ* ∴ *Ne igitur veluti quidam eſſet horror cruoris, ideo in ſimilitudinem quidem*, ſeu ſub aliena ſpecie, *accipis ſacramentum; ſed veræ naturæ gratiam virtutemque conſequeris*.

Ex iis quæ nemo Calvinianus e ſuggeſto prædicare auſit, niſi ut fidei ſuæ proditor velit haberi. Sic diſputo 1. Ambroſius hic, quod & alii Patres ſolent, opponit Euchariſtiam mannæ ut lucem umbræ, veritatem figuræ, corpus creatoris imagini ejuſdem: atqui ut ea ſtet oppoſitio, neceſſum eſt ut Euchariſtiæ inſit realitas corporis, quæ deerat mannæ; tum

quia

quia figura nec opponitur figuræ, nec per figuram impletur (unde Calviniani figuras veteres opponunt ipſi Chriſto, non autem Euchariſtiæ, & in dictis Patrum, qui ſecus locuti ſunt, ſolidi nihil eſſe, clamitant Albertinus & Claudius) tum quia affirmant Patres de Euchariſtia, id quod de manna negant: atqui de manna negant non figuram ſed realitatem; ergo de Euchariſtia non figuram ſed realitatem affirmant.

Nec dicas opponi mannam Euchariſtiæ, quia iſthæc, licet mera figura, eſt tamen expreſſior & efficacior. Hæc enim reſponſio merum eſt effugium. Non enim eo Euchariſtiam mannæ præferunt SS. Doctores, quod aliam alia claritate vincat & efficacia; ſed quia alia ſimplex eſt imago corporis Chriſti, alia ipſum corpus Chriſti. Deinde quis corpus Chriſti in ara crucis immolandum clarius figurari dicat per panem in cœna fractum, quam per agnum ab Iſraelitis immolatum? denique quæ major panis efficacia, quam agni Paſchalis, ſi vetera Sacramenta ejuſdem cum

V. tom.4. p. 226. noſtris efficaciæ fuerint, ut fuiſſe volunt Calviniani? Sed ad Ambroſium revertamur, & ex eo rurſum decertemus.

Qui ad acta Moiſis, Eliæ, & Eliſæi, quibus res una in aliam converſa eſt, recurrit, ut incertam Neophytorum fidem confirmet; qui in Euchariſtia agnoſcit mutari rerum naturam per benedictionem natura ipſa potentiorem; qui naturæ ordinem in eodem Sacramento inverti docet; qui vult panem converti in id quod non erat, ſicut mundus e nihilo converſus in id quod non erat; ille, niſi voluit illudere, aut vim terminorum prorſus neſciit, panem fieri corpus Chriſti confeſſus eſt: atqui S. Ambroſius &c.

Confirm. 1. ex Auctore librorum de Sacramentis: Chriſtus non minus vere nobis eſt caro & potus in Euchariſtia, quam vere ſit Filius Dei: atqui Chriſtus non figurate tantum, ſed vere & ſubſtantialiter eſt Filius Dei; ergo.

Confirm. 2. idem Scriptor, ut ſolvat difficultatem inde petitam, quod in Euchariſtia non appareat caro & ſanguis, prout ipſe dixerat, reſpondet id factum, *ne quidam eſſet horror cruoris*: atqui ut objectio, ſic & ſolutio abſona eſt in Calviniano ſyſtemate. Ecquis perſuaſus, ut eſſe ſe fingunt Novatores, vinum meram eſſe ſanguinis figuram, interroget, cur vinum illud penes ſpeciem differat a ſanguine? quis item Miniſtrorum, ut fictitiam hanc difficultatem elevet, reſpondeat id factum ut procul abeſſet horror cruoris; nemo certe niſi læſi capitis; ergo.

Albert. p. 384. Objicit Patrum tortor Albertinus, 1. nihil a Nicænis Patribus inferri poſſe; quia cum ex Auguſtino Epiſt. 23. num. 98. *Sacramenta* ex *earum rerum ſimilitudine, quarum Sacramenta ſunt ∴ plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiant*, evidens eſt id quod tantum figura ſit corporis Chriſti, potuiſſe vocari corpus Chriſti.

Verum ſuam ipſe ſolvit difficultatem Novator cum obſervat *imaginem* juxta Gregorium Nyſſenum Lib. 2. contra Eunom. *non proprie dici quod dicitur eſſe* archetypum ſuum; ergo ſi Nicæni Patres panem dixere corpus Chriſti, improprie locuti ſunt: porro Patribus, qui condunt canonem, quo clarius nihil eſſe oporteat, & cujus ambiguitas aliunde detegi non poteſt, impropria locutio gratis attribui non debet; ergo.

Idem a pag. 390. ad 399. Objicit 2. hæc Euſebii verba e Lib. 1. demonſtrat. Evangel. c. 10. *Quemadmodum Melchiſedech ſolo pane & vino Abraham benedixit; ita & nos ∴*

pane

pane & vino myſteria corporis ac pretioſi ſanguinis exprimimus; ergo, ait Pſeudominiſter, ut ſolum panem, ſolumque vinum obtulit Melchiſedech, ſic & *ſole clarius apparet*, ſolum a nobis in Euchariſtia panem offerri.

R. neg. conſeq. quæ nedum clarior ſit ſole, tenebris obſcurior eſt. Non enim dicit Euſebius ſolum a Chriſtianis offerri panem, ut ſolus oblatus eſt a Melchiſedech, ſed pane & vino exprimi myſteria corporis & ſanguinis Chriſti; quod veriſſimum eſt; cum myſteria hæc & conficiantur ex pane & vino, & ſub panis & vini ſpeciebus involvantur.

Inſt. 1. Euſebius ibid. lib. 8. *Ipſe*, Chriſtus, inquit, *divinæ œconomiæ ſymbola diſcipulis ſuis tradidit, jubens eos proprii corporis imaginem facere.* Unde ſic: Imago non idem numero quid eſt cum eo cujus imago eſt: atqui quod Chriſtus Diſcipulos ſuos facere juſſit in Euchariſtia per conſecrationem, eſt proprii ejus corporis imago. Minor patet ex allato textu. Majorem probat Albertinus longa textuum ſerie. Sic Hilarius Lib. de Synod. *Neque ipſe ſibi quiſquam imago eſt.* Sic Ambroſius Lib. 1. de fide cap. 4. *Nemo poteſt ipſe ſibi imago ſui eſſe;* ergo.

R. diſt. maj. imago non eſt idem cum re cujus eſt imago, ſed ſub ea quandoque includi poteſt, C. & non poteſt ſub ea includi, N. quemadmodum igitur columbæ in Chriſtum deſcendenti, quæ Spiritus ſancti imago erat, inexiſtebat vere Spiritus ſanctus; ſic & ſpeciebus Euchariſticis, quæ typus ſunt & imago corporis Chriſti, idem Chriſti corpus inexiſtere poteſt; nec contrarium ex Euſebio probabunt Albertiniani, quod nobis ſufficit; quia cadit objectio, ſtatim ac non eſt *cogens;* non eſt autem *cogens*, ſeu demonſtrativa, quæ probabiliter elidi poteſt. Et vero fatetur Albertinus ipſe l. 2. p. 794. *ſignum ac ſymbolum, ex ſe vi ſignificationis non excludere præſentiam rei cujus eſt ſignum;* idque evidens eſt in divinis, ubi Filius imago eſt & *figura* ſubſtantiæ Patris, & tamen eamdem cum Patre ſubſtantiam habet; ergo ſuam ipſe ſolvit difficultatem Albertinus. *Vid. perpet. fidei tom. 3. l. 3. c. 2.*

Inſt. 2. Qui eam, quam Chriſtus circumferebat carnem, excludit ab Euchariſtia, nonniſi vacuam in ea imaginem admittere debuit: atqui Euſebius eam &c. Prob. min. ex Lib. 3. de Eccleſiaſtica Theologia, ubi Chriſtum ſua apud Joan. c. 6. verba explicantem ſic inducit Euſebius: *Nolite putare, carnem me dicere quam circumfero, quaſi illam edere oporteat;* ergo.

R. diſt. min. excludit ab Euchariſtia Chriſti carnem quaſi cruente & capharnaice comedendam, C. excludit ſimpliciter & ſub omni reſpectu, N. ſolutio eſt in textu; pergit enim apud Euſebium Chriſtus: *Nec exiſtimate me præcipere ſenſibilem & corporalem ſanguinem bibere ... Hæc ſenſibiliter audita non proderunt* &c. Eam ergo ſolum vulgaris & ſtrictius ſumptæ manducationis ſpeciem excludit Euſebius, per quam eſca dividitur, aut ſaltem guſtatur & digeritur: atqui hanc & nos rejicimus; ergo.

Objicit 3. contra Athanaſium hæc ejus verba ex Tractatu in id Evangelii: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis:* Chriſtus *ambo de* *Albert. a*
ſe affirmavit, in ſuo ad Capharnaitas ſermone, *carnem & ſpiritum, ut cre-* *pag 400.*
dentes diſcerent ea quæ loqueretur, non carnalia eſſe, ſed ſpiritualia. Quot *ad 408.*
enim, ſeu quam paucis, *corpus ipſius ad eſum ſufficeret, ut totius Orbis fieret alimonia? ſed propterea Aſcenſionis ſuæ in cælos mentionem fecit, ut eos a*

corporali intelligentia abſtraheret, ac deinde carnem de qua locutus erat cibum ſupernis cœleſtem & ſpiritualem alimoniam ab ipſo dandam intelligerent. Quæ enim dixi vobis, inquit, ſpiritus & vita ſunt : quod perinde eſt ac ſi diceret : Corpus meum quod oſtenditur & datur pro mundo, in cibum dabitur, ut ſpiritualiter in unoquoque diſtribuatur, & fiat ſingulis tutamen in reſurrectionem vitæ æternæ &c. Hic exultans, vixque ſui compos Petrus Martyr, *Hoc argumento*, inquit, *vix puto ullum aliud firmius eſſe, aut magis invictum ex his quæ ſumuntur ex Patribus*. Ex eo autem ſic in forma : Negat Athanaſius ea quæ Chriſtus apud Joannem cap. 6. diſſeruit, carnalia eſſe : atqui non poteſt negare ea eſſe carnalia ratione ſubjecti, quod in ſe vera caro erat, ſed tantum ratione modi manducationis ; ergo manducatio hæc non eſt corporalis & oralis, ſed ſpiritualis tantum.

Omiſſa Perronii, & Coffetelli reſponſione, qui Tractatum hunc pſeudepigraphum, & Athanaſio ſuppoſitum contendunt, R. diſt. maj. negat Athanaſius verba Chriſti carnalia eſſe, quaſi caro Chriſti fruſtatim dilanianda eſſet, C. negat carnalia eſſe, quaſi caro Chriſti ſola fide, non autem realiter comedenda ſit, N. eam enim ſolum manducationem excludit Athanaſius, ex qua fieret, ut caro Chriſti, quæ totius Orbis alimonia eſſe debet, paucis admodum ſufficeret ſine novo miraculo : atqui manducatio carnis fruſtatim diſciſſæ ſola eſt, quæ carnem hanc mundi totius alimoniam eſſe impediat, non autem ea quæ a nobis admittitur, cum iſta mundi mille refici poſſint; ergo.

Inſt. 1. Ideo ex Athanaſio. Chriſtus *Aſcenſionis ſuæ in cælos mentionem fecit, ut Diſcipulos a corporali intelligentia abſtraheret* : atqui hæc Aſcenſionis mentio ſupponit carnem Chriſti non eſſe manſuram in terris corporaliter, eamque proin ſpiritualiter tantum manducandam eſſe ; ergo.

R. neg. min. nam ſupponit quidem Chriſti Aſcenſio, carnem ejus more ceterarum carnium manducandam non eſſe; cum is cujus caro comeſta eſt, cum eadem cœlos non repetat : ſed nullatenus ſupponit carnem ejus ſub quocumque ſtatu abſuturam a terris : unde ipſam hanc car-
Idem nem, quæ ſedet a dextris Dei, docet Athanaſius nobis a Chriſto tradi-
p. 401. tam fuiſſe, cum dixit : *Hoc eſt corpus meum*.

Inſt. 2. Spiritualis alimonia ſpiritualiter tantum, non autem oraliter percipienda eſt : atqui ex Athanaſio caro Chriſti quæ nobis datur, cœleſtis eſt & ſpiritualis alimonia; ergo.

R. neg. maj. caro enim Chriſti vocatur ſpiritualis alimonia, tum quia datur in cibum ſpiritus, non autem corporis; tum quia non dividitur in partes, ſed tota ſimul & indiviſibiliter diſtribuitur. Hæc autem ſpiritualis alimoniæ ratio tam parum oralem rei perceptionem excludit, ut ſanctus Bernardus, ſolers præſentiæ realis aſſertor, in Serm. de S. Martino dicat carnem Chriſti ſpiritualiter dari & manducari : atque hunc ſenſum non obſcure indicant poſtrema Athanaſii verba : *Corpus meum* .:. *in cibum dabitur, ut ſpiritualiter unicuique diſtribuatur, & fiat ſingulis tutamen, &*
* *Lib.* 2. *præſervatio ad reſurrectionem*. Ut enim obſervat Bellarminus *, & nos vi-
cap. 11. dimus ſupra, veteres Patres reſurrectionem corporum probare ſolebant ex conjunctione corporis noſtri cum Chriſti corpore in Euchariſtiæ Sacramento ; ergo quod adſtruit Athanaſius tutamen corporis noſtri ad reſurre-

Digitized by Google

ſurrectionem, non eſt ſola Chriſti manducatio per fidem, ſed ipſum Chriſti corpus, quod nobis *in cibum datur*.

Objicit 4. idem Scriptor, 1. varia philoſophiæ principia, quæ & a Gregorio Nyſſeno admiſſa ſunt, & cum realitatis fide compati nequeant, verum de his dicemus in decurſu; 2. id orationis in Baptiſmum Chriſti, ubi S. Doctor ut probet magnos produci effectus ab iis *quæ viſui contemptibilia ſunt*, his loquitur verbis: *Sic oleum myſticum, ſic vinum, ante benedictionem res ſunt exigui pretii, poſt ſanctificationem vero Spiritus utrumque eorum excellenter operatur*: atqui verba hæc apertiſſime ſupponunt, ut oleum, ſic & vinum poſt ſanctificationem ſubſtantialiter remanere id quod erant. Nempe vero theſis probanda erat res ſecundum materiam viles poſt conſecrationem magnos producere effectus: atqui ſi vinum per conſecrationem deſineret ſubſtantialiter eſſe id quod erat, & fieret ſanguis Chriſti, Gregorius theſim ſuam deſtrueret, nedum probaret: jam enim non res vilis, ſed omnium excellentiſſima, videlicet ſanguis Chriſti, imo Chriſtus ipſe, magnos operaretur effectus; ergo. *Albert. à p.478. ad p. 494.* *Gregor. tom 3 p. 369 &c.*

R. ad 1. neg. min. non enim magis probant hæc verba vinum manere ſubſtantialiter, quam probent vinum, prout de oleo ſentit Albertinus, non fieri Sacramentum: utique enim Sacramentum qua tale, non eſt res vilis: atqui verba Gregorii, teſte Albertino, non probant vinum per benedictionem Sacramentum non fieri; ergo.

Ad 2. diſt. maj. probandum erat res ſecundum materiam viles, ideſt res quorum materia initio vilis erat, magnos parere effectus, C. ideſt res quorum materia neceſſario remanebat vilis, N. itaque inſequitur eo loci Gregorius, eos qui Baptiſmum parvifacerent, quia aqua, quæ nullius momenti res eſt, perficeretur. Hos ut revincat, variis probat exemplis Deum res parvas, magnorum effectuum inſtrumenta efficere. At nedum res illas ſupponat manere omnes id quod antea ſubſtantialiter erant, ſupponit potius ex iis aliquas ſubſtantialiter converti. *Virga Moiſis*, inquit, *virga erat e nuce, ſeu corylo*, & proin *lignum commune*, *quod* .·.·. *igni ad arbitrium traditur: Ubi autem Deus voluit per illam efficere ſublimia* .·.·. *miracula, mutabatur lignum in ſerpentem*; quidni ergo pari jure, ubi Deus vino uti volet ad ſublimia miracula, illud in ſanguinem convertat: certe id ſi non includant, at ſaltem nec excludunt Gregorii verba; adeoque mens S. Doctoris, ut ſcite obſervat Perronius, * non ex ambiguo textu, qui raptim de Euchariſtia loquitur, ſed ex iis deſumenda eſt locis, ubi rem tractat ex profeſſo: atqui Gregorium iis in locis noſtrum eſſe probavimus ſupra, quin & noſtrum eſſe dicimus in objecto loco. Sic enim ante adducta ab Albertino verba loquitur; *Panis item, panis eſt initio communis; ſed ubi cum ſacrificaverit myſterium, corpus Chriſti fit & dicitur*. Id quidem, prout invariabiliter conſuevit, *improprie* dictum vult Albertinus. Verum ſervet nos Deus ab homine, qui ut alii meritum & demeritum pro nutu, ſic & proprietatem vel improprietatem ſermonis pro arbitrio diſtribuit. *Ibidem p. 370.* * *De l'Euchar. p. 31.*

Objicit 5. contra Cyrillum Hieroſol. Non magis ex eo quod Cyrillus moneat Neophytos, ne ad panem euchariſticum tanquam ad vulgatum panem accedant, inferri poteſt panem hunc mutari ſubſtantialiter, quam inferri queat aquam Baptiſmi, vel oleum Confirmationis mutari ſubſtan- *Albert. à p.422 ad 433.*

tialiter, quia moneat idem S. Pater non eſſe ad hæc accedendum, ut ad res communes: atqui &c.

Et vero impoſſibile eſt ut panis qua panis ſit vere corpus Chriſti, ſicut impoſſibile eſt ut aqua qua talis, quid ſit ab aqua ſpecifice diverſum: atqui, ex Sancto Cyrillo, panis eſt id de quo dicit Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum;* ergo non vere, ſed tropice panis eſt, & a Cyrillo vocatur corpus Chriſti.

R. ad 1. Conc. totum: non enim eo præciſe ex Cyrillo realitatem probamus, quia is panem conſecratum neget eſſe jam communem panem; ſed quia docet panem hunc fieri corpus Chriſti, prout aqua olim apud Canam facta eſt vinum; quod cum idem S. Doctor nec de Baptiſmali aqua, nec de oleo uſquam dixerit, certo conſtat admiſſam ab eo fuiſſe in Euchariſtia mutationem, quam alibi nuſquam admiſerit.

Ad 2. quod ad tædium uſque repetit Albertinus, diſt. panis eſt id de quo dicit Cyrillus: *Hoc eſt corpus meum*, panis, inquam, quia fuerit panis, & panis ſpeciem ſervet, C. quia panis eſſe perſeveret, N. ſi enim panis in eſſe panis perſeveraret, jam non daretur corpus ſub figura ſeu ſpecie panis, ſed panis merus: atqui tamen ex S. Doctore, *in figura panis datur corpus* Chriſti, quidquid in contrarium *ſuggerant ſenſus*, contra quos fides firmare nos & munire debet; ergo.

Albert. a p. 408. ad 410. Obj. 6. cum eodem. Hilarius in Matth. can. 3. hæc loquitur: *Sine Juda paſcha accepto calice & fracto pane conficitur. Dignus enim æternorum Sacramentorum communione non fuerat .·.·. Neque bibere cum eo poterat qui non erat bibiturus in regno, cum univerſos tum bibentes ex vitis iſtius fructu bibituros ſecum poſtea polliceretur*: atqui ſi in Euchariſtia panis eſt qui frangitur, & vitis fructus qui bibitur, nulla ibidem fingi poteſt mutatio ſubſtantiæ panis aut vini; ergo.

R. 1. ex objecto textu invicte colligi, Chriſtum aliter quam per fidem recipi in Euchariſtia; ſi enim, ut notat Perronius lib. 2. p. 263. ad privandum Judam potu ſanguinis Chriſti, Chriſtus ſine eodem Juda Euchariſtiam confecerit, palam eſt, eumdem, ſi præſens adfuiſſet, idipſum cum aliis Apoſtolis recepturum fuiſſe. Eſt quidem ſolutio hæc Al-
* Ibid. p. 410. bertino * merum ſomnium: ſed non erit iis qui Hilarii textum quantulacumque attentione perlegerint.

R. 2. diſt. maj. ex Hilario fructus eſt vitis qui bibitur, quia bibitur aliquid ex vino factum, tranſeat, quia bibitur vinum in eſſe vini perſeverans, N. ſic Exodi 7. v. 12. dicitur *Virga Aaron* devoraſſe *virgas maleficorum* Pharaonis, nec tamen tunc temporis virga erat, ſed ſerpens e virga factus. Idem de pane fracto dicendum, ſi tamen erat is jam corpus Chriſti.

Dixi, *tranſeat*, quia cum Evangeliſtæ conſtructionem mutaverit Hilarius, dixeritque de *vitis iſtius fructu*, non autem, *de hoc fructu vitis*, potuit, nec contrarium probat Albertinus, eam intellexiſſe vitim, de qua dixit ipſe Chriſtus: *Ego ſum vitis vera*, prout intellexit Hieronymus his Epiſt. ad Hedibiam c. 2. verbis: *Quotidie in ſacrificiis ejus de genimine vitis veræ, & vineæ Soret, quæ interpretatur electa, rubentia muſta calcamus.*

Inſt. Qui aperte docet ſoli Deo convenire, ut ſit pluribus in locis, negat aperte corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe; ſi quidem corpus Chriſti eſt ſubſtantia finita, & Euchariſtia ſimul eſt in innumeris locis; atqui S. Hilarius

latius

by Google

larius ∴ ſic enim loquitur in Pſal. 124. *Non enim corporalis eſt* Deus, *ut cum alicubi adſit, abſit aliunde &c.* ergo.

R. diſt. min. docet Hilarius ſoli Deo convenire, ex ordinario & naturali ejus ſtatu, ut ſit pluribus in locis, C. ſoli Deo, itaut per abſolutam Dei potentiam non poſſit idem corpus eſſe pluribus in locis, N. ſic generatim loquendo indubie doceret Hilarius non poſſe corpus unum ab alio penetrari: atqui tamen hanc corporum penetrationem admittit ipſe lib. 3. de Trin. ubi ſic: *Nihil cedit ex ſolido, neque per naturam ſuam* corporeum *aliquid tanquam lapſu inſenſibili ligna & lapides admittunt. Corpus Domini a ſeſe non deficit, ut ſeſe reſumat ex nihilo: & unde* tamen *qui* clauſis foribus *aſſiſtit, in medio eſt? Cedit ad hæc & ſenſus & ſermo, & extra rationem humanam eſt veritas facti.* Poſtrema hæc verba iis quas e ratione petunt, difficultatibus applicent ſeparati Fratres, & citra moram idem de Euchariſtia ſentient quod Patres ſui.

Obj. 7. Ambroſius præſentiam realem directe vel indirecte pluribus in locis evertit. Sic 1. Lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 7. ut hunc probet Deum eſſe non creaturam, ait illum incircumſcriptum eſſe; incircumſcriptum vero eſſe oſtendit, *quia & in omnibus & utique ſemper eſt, quod ubique,* inquit, *divinitatis proprium eſt.* Et infra: *Quis dubitet quod divinum*, ſeu Deus, *ſit, quod infunditur ſimul pluribus, nec videtur a ſingulis:* atqui inepta fuiſſet & barda hæc Ambroſii ratiocinatio, ſi præſentiam realem admiſiſſet. Statim enim reſponſum fuiſſet, Chriſti corpus in Euchariſtia pluribus ſimul infundi, nec videri, & tamen eſſe creaturam; ergo. *Albert. a pag. 494. ad 507.*

2. in Epiſt. ad Juſtum. *Gomor*, inquit, *plenus de ſanguine Chriſti intelligitur, cujus ad gratiam nil minuitur, nihil adaugetur. Etſi parum ſumas, etſi plurimum haurias, eadem perfecta eſt omnibus menſura redemptionis.* Supponit ergo ſanctus Doctor in libertate fidelium poſitum eſſe, ut plus vel minus hauriant de ſanguine Chriſti: atqui de vero Chriſti ſanguine non poteſt plus vel minus hauriri; cum juxta nos quidquid ex eo percipitur; ſit totus Chriſtus; ergo.

3. Idem in lib. de benedictionibus Patriarcharum, expendens hæc Jacob verba ad Aſer: *Pinguis ejus panis* &c. ſic loquitur: *Hunc panem dedit Apoſtolis ut dividerent populo credentium, hodieque dat nobiſcum, quem ipſe quotidie Sacerdos conſecrat ſuis verbis ∴ Poſſumus & ipſum Dominum accipere*, ſeu intelligere, *qui ſuam carnem nobis dedit, ſicut ipſe ait: Ego ſum panis vitæ;* & infra: *Ille accepit qui ſeipſum probat: qui autem accipit, non moritur peccatoris morte, quia panis hic remiſſio peccatorum eſt.* Ubi duo notatu digniſſima, 1. quod Ambroſius panem Aſer velit exponi poſſe, tum de pane euchariſtico, qui quotidie conſecratur a Sacerdotibus; tum de ipſo Chriſto, pane vivo; quæ membrorum oppoſitio abſurda eſt, ſi euchariſticus panis ſit ipſe Chriſtus; 2. quod juxta Ambroſium, panis qui Chriſtus eſt, ab iis ſolum accipiatur, qui ſeipſos probant, unde & hi non moriuntur morte peccatorum; panis vero Euchariſtiæ interdum etiam accipiatur ad mortem, ac proinde non ſit ipſe Chriſtus. *Ibid. pag. 496.*

4. Lib. 1. de officiis cap. 48. *Umbra eſt in lege, imago in Evangelio, veritas in cœleſtibus ∴ Hic offertur Chriſtus in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quaſi advocatus intercedit:* atqui oblatio in imagine, *Ibid. pag. 497.*

cum opponitur oblationi in veritate, nihil eſſe poteſt quam oblatio in ſigno & figura; ergo. Verum hæc haud ægre ſolvi poſſunt: unde

Ad 1. neg. min. hæc enim Ambroſii propoſitio: *Id quod infunditur pluribus, nec videtur, Deus eſt*, intelligenda eſt relative ad ea quæ præcedunt, adeo ut ſenſus ſit: id quod quia *ubique & in omnibus ſemper eſt*, pluribus infunditur, nec videtur, Deus eſt: alloqui Ambroſii probatio facile hoc ratiocinio confutata fuiſſet: ex te, id quod pluribus infunditur, nec videtur, Deus eſt: atqui in ordine phyſico aer quem ſpiramus, in ordine vero ſupernaturali fides & gratia, pluribus infunduntur, nec videntur; ergo aer Deus eſt, ut & fides noſtra.

Ad 2. diſt. ſupponit Ambroſius penes nos poſitum eſse, ut plus vel minus hauriamus de ſanguine Chriſti, quantum ad ſpecies ejus, C. quantum ad ipſam ſanguinis ſubſtantiam, N. hæc ſolutio, quæ nihil difficultatis habet, tam Albertino quam nobis neceſſaria eſt; alioqui contra ipſum ex Ambroſii textu probabimus, nec cœnam, nec Baptiſmum eſse Sacramenta. Sic enim diſcurrere licebit: ſupponit Ambroſius in libertate noſtra poſitum eſse, ut plus vel minus hauriamus de pane & vino in Euchariſtia: atqui plus vel minus recipi non poteſt de Sacramento. Sicut enim qui fluentibus aliquot aquæ guttis abluitur in Baptiſmo, tam vere baptizatus cenſetur, quam qui olim in aquam toti immergebantur; ſic qui modicum vini conſecrati recipit, totum perinde Sacramentum recipere dicitur, quam qui plenum hauriret calicem; ergo impoſſibile eſt in Ambroſii principiis, ut panis & vinum in Euchariſtia veram habeant rationem Sacramenti &c.

Ad 3. neg. min. ut enim ſtet oppoſitio Ambroſii ſufficit ut Chriſtus tam intra quam extra Sacramentum poſſit eſse cibus & panis noſter: atqui rem ſic habere Catholicus nemo inficiatur; ergo magnum illud Albertini argumentum nullo negotio diſſolvi poteſt. Hic ſolum animadverti velim, Albertinum, cum hic fatetur Euchariſtiam ab impiis recipi, diſerte adverſari Petro Martyri, qui ex hoc ipſo Ambroſii textu collegerat non ſumi corpus Dominicum ab impiis, prout videre eſt apud Bellarminum lib. 2. c. 14.

Ad 4. neg. min. oblatio enim in imagine eſt oblatio ſub aliena ſpecie facta; hæc autem non cuicumque veritati opponitur, ſed veritati ſub propria ſpecie manifeſtatæ, quæ nonniſi in cœleſtibus habitat, ſeu, ut paucis dicam cum Bellarmino, opponitur veritati quantum ad notitiam, non autem quantum ad ſubſtantiam, ſeu præſentiam rei. Unde ibid. S. Ambroſius: *Ante agnus offerebatur, ∴ nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo recipiens paſſionem.*

Idem p. 512. &c. Inſt. Ex Ambroſio Lib. de initiandis cap. 9. *ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur; poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur.* Cui conſonat quod dicit idem, vel quivis alius * Lib. 4. de Sacrament. cap. 4. *Sicut mortis ſimilitudinem ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi Sanguinis bibis; ut nullus horror cruoris ſit, & pretium tamen operatur redemptionis.*

* Jam monuimus ambigi inter eruditos an Libri de Sacramentis ſint Ambroſii fœtus. Negat Albertinus, ſed ſi bene quantum ad rem, at certe infelicibus argumentis, quæ ſolide diſſlant Benedictini. Hi tamen *ſecundum eos a quibus Ambroſio hoc Opus adjudicatur, ſuffragium omnino ferre* non audent.

nis. Et cap. 5. *Dicit Sacerdos : Fac nobis hanc oblationem adſcriptam, rationabilem, acceptabilem, quod eſt figura corporis & ſanguinis D. N. J. C.* Unde ſic : Ubi eſt ſignificatio mera corporis Chriſti, mera item ſanguinis ejus ſimilitudo & figura, ibi non poteſt alia eſſe oblatio, quam meræ puræ imaginis : atqui ex Ambroſio, vel Ambroſiaſtro mera eſt in Euchariſtia ſignificatio corporis Chriſti, &c.

R. neg. min. quam non probant objecti textus. Non 1. ſi quidem vox, *ſignificetur*, idem eſt ac *appellatur*, ut demonſtrant ſimilia hæc ibid. verba : *Ante conſecrationem aliud dicitur*, nempe vinum ; *poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur*. Unde Ambroſii ſenſus eſt : Si quis interroget nos quid ſit in altari, ante conſecrationem reſpondemus panem, poſt conſecrationem, corpus & ſanguinem Domini ; ergo textus ille, ſi cui nocet, certe Petro Martyri a quo objicitur.

Non 2. fatemur enim bibere nos in Euchariſtia ſanguinis ſimilitudinem, ſed ſub ea ſimilitudine ſeu exteriori apparentia veritatem ſanguinis contineri contendimus : eo fere modo, ait Perronius, p. 290. quo pueruli matrum ubera ſugentes, ſanguinem ſugere dicuntur a Medicis, ſed *ſanguinem*, ut loquuntur iſti, *decoloratum*, ut ſanguinis horror removeretur. Et vero cur, juxta Ambroſium, bibimus ſimilitudinem ſanguinis ? Ut ſcilicet, inquit, *nullus horror cruoris ſit* ; ergo ſublata ſimilitudine naſceretur horror cruoris : atqui non naſceretur horror ex mera figura ; ergo ſublata ſimilitudine maneret aliquid ultra figuram ac proinde ſanguis.

Nec dicas cum Albertino, ſimilitudinem pretioſi ſanguinis, quam in Euchariſtia ſumimus, ab Ambroſiaſtro comparari cum ſimilitudine mortis Chriſti, quam ſumimus in Baptiſmate, ubi cum Chriſto ſepelimur ; hanc autem non eſſe ſubſtantiæ ſed virtutis. Facile enim reſpondetur cum eruditis Ambroſii Editoribus, comparationem inter Euchariſtiam & Baptiſmum in hoc inſtitui, quod Chriſtus in utroque Sacramento ſimilitudinem idcirco poſuerit, ne in altero mortis, in altero corporis & ſanguinis horrore afficeremur : duas autem illas ſimilitudines differre, quod altera ſit rei tantum per ſuos effectus, altera rei etiam per ſuam ſubſtantiam præſentis. Et vero diſerte monet idem Ambroſius vel Ambroſiaſter, hominem non vere & realiter mori in Baptiſmo ; etſi vix timeri poterat, ne hic quiſpiam deciperetur : atqui tamen, cum toties in hoc Opere repetat, panem & vinum fieri corpus & ſanguinem, nuſquam tamen monet naturalem utriuſque ſubſtantiam remanere ; ergo. *Ibid. l. 2. c. 6.*

Non 3. ibi enim loquitur Auctor de pane ante conſecrationem : atqui in hoc ſtatu panis ob ſuam cum corpore analogiam mera eſt & ſimplex ejuſdem corporis figura, ut & vinum ſanguinis ; ergo nihil inde.

Neque tamen, ſi ut Albertino placet, ſpectaretur hic per anticipationem conſecratio ut jam peracta, nutaret inde Eccleſiæ fides. Quis enim, ſi primoribus labris delibavit Religionis elementa, neſciat duo in Euchariſtia eſſe, ſignum videlicet & rem ſignificatam, ſeu ſacramentum & rem ſacram ? ubi porro ſignum eſt, ibi & neceſſario figura eſt. Verum an figura hæc vacua ſit, an plena, controvertitur. Vacuam contendit Albertinus. Plenam Auctor quem ſcrutamur. Sic enim ibid. habet num. 23. *Ante verba Chriſti calix eſt vini & aquæ plenus : ubi verba Chriſti operata*

fuerint, ibi SANGUIS *Chriſti efficitur*, QUI PLEBEM REDEMIT. *Ergo videte quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti cuncta convertere.*

Inſtat iterum Albertinus p. 510. Eodem c. 4. num. 15. hæc leguntur: *Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur?* Unde ſic: Panis de quo loquitur Auctor, manet id quod erat: atqui quod ſubſtantialiter mutatur, non manet id quod erat; ergo panis de quo hic ſermo eſt, non mutatur ſubſtantia, ſed ſolum qualitate, prout ex communi fit ſacramentalis.

Confirm. Subdit Auctor: *Tu ipſe eras, ſed eras vetus creatura, poſtea quam conſecratus es, nova creatura eſſe cœpiſti.* Ubi mutatio quæ pani advenit, ei comparatur per quam renatus in Chriſto fidelis, nova eſſe creatura incipit: atqui hæc veteris creaturæ in novam mutatio, mere eſt accidentalis; ergo &c.

R. 1. non ſine veri ſpecie dici locum hunc eſſe corruptum, legendumque: *Ut quæ erant, in aliud commutentur:* 1. quia Ambroſius, cujus Auctor iſte quem Albertinus *Ambroſii ſimiam* appellat, verba hic repetere conſuevit, ita habet Lib. de Myſteriis, ſeu de initiandis, cap. 9. 2. quia ſic in quibuſdam Mſſ. legi teſtificabatur Lanfrancus in Lib. de Sacram. 3. quia ſic habet editio Romana, quæ ſuis niti debuit mſſ. 4. quia ſic etiamnum habent aliqui Codices, vel ſaltem unus, ut hic agnoſcunt Benedictini.

R. 2. cum iiſdem particulam *&* in objecto textu accipi poſſe pro disjunctiva *vel*, ut alibi ſæpius. Quid enim frequentius his formulis: *Dominus mortificat* ET *vivificat; deducit ad inferos*, ET *reducit; pauperem facit* ET *ditat*, &c. Porro disjunctivum hunc ſenſum exigere videtur locus Auctoris objecti; tres enim divinæ potentiæ effectus proponit, nempe, creationem non exiſtentium; exiſtentium vero vel conſervationem, vel converſionem, prout Deo viſum fuerit.

R. 3. diſt. maj. panis de quo loquitur Auctor, manet id quod erat, penes ſpeciem externam, C. penes ſubſtantiam. N. itaque cum panis quoad ſenſus idem permaneat etiam poſt conſecrationem, etſi intrinſece mutatus ſit, dici poteſt eum & idem eſſe, & eſſe in aliud converſum, neque in hoc vel tranſverſum unguem ab uſu & conſuetudine loquendi receditur; ſic enim fluvialem aquam intuentes, aimus: Turbida erat hæc aqua heri, en hodie limpida eſt; etſi hodierna aqua ab heſterna diſcrepet, nec pro eadem haberi poſſit, niſi ob ſucceſſionem & continuitatem exiſtendi. Hoc ſenſu panem eſſe, & tamen in aliud converti docuit prædictus Auctor, ut patet ex allatis ejuſdem teſtimoniis, quæ omnibus ſinceritatis quam contentionis amantioribus ſufficient.

Perpet fid. tom. 3 lib. 3. c. 4. p. 171.

Nec nocet comparatio ex accidentali mutatione deprompta, quam mala prorſus fide arripit Albertinus. Si enim multa ſubſtantialium mutationum exempla ibidem proponat Ambroſius, unum vero duntaxat mutationis accidentalis, plus utique ſubſtantialem mutationem panis probare voluiſſe cenſendus erit: atqui multa ſubſtantialis mutationis exempla adducit. En ejus verba num. 14. *Hoc igitur aſtruamus. Quomodo poteſt qui panis eſt, corpus eſſe*, ſeu ut ante dixerat, fieri corpus *Chriſti? conſecratione. Conſecratio autem quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini*

Jeſu.

Digitized by Google

Jeſu. num. 15. *Quis eſt ſermo Chriſti? Nempe is quo facta ſunt omnia. Juſſit Dominus, & factum eſt cælum: juſſit Dominus, & facta eſt terra: juſſit Dominus, & facta ſunt maria. Juſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt* ∴ *Si ergo tanta vis eſt*, &c. ut ſupra.

Neque tamen extra rem eſt comparatio ex accidentali veteris creaturæ in novam mutatione ab Auctore adducta: quia geminam in Euchariſtia converſionem agnoſcimus, alteram ſubſtantialem, qua panis ſubſtantia in corpus Chriſti tota commutatur; alteram accidentalem, qua ſpecies panis ad ſolam panis præſentiam ſignificandam naturaliter deſtinatæ, Dominici corporis figuræ fiant atque antitypi. Ita in hunc locum Patres Benedictini.

CONCLUSIO V. Realem præſentiam admiſere ſæculo quinto Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus & Theodoretus.

Prob. 1. pars, de Chryſoſtomo, cujus e ſcriptis, ne multus ſim, duo tantum loca ſeligam. Hom. 83. in Matth. ubi inſtitutionis verba ex profeſſo explicat: *Quomodo*, inquit, *turbati non fuerunt* Apoſtoli, *cum hoc audiſſent? quia multa jam & magna de hoc antea diſſeruerat*, Joan. 6. ∴ *Ipſe quoque bibit ex eo* ſanguine, *ne auditis verbis illis dicerent: Quid igitur ſanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur: nam & quando prius de his verba fecit, multi ſolummodo propter verba ſcandalum paſſi ſunt* ∴ *Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur quod dicit, & ſuperet ſenſum & rationem noſtram ſermo ipſius* ∴ *nam verba ejus fallere non poſſunt; ſenſus vero noſter deceptu facillimus eſt* ∴ *Quoniam ergo ille dixit: Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus* ∴ *O quot modo dicunt, Vellem formam & ſpeciem ejus, vellem veſtimenta ipſa videre! Ecce ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis. Veſtimenta ejus videre deſideras, ipſe vero ſeipſum tibi tradit, non ut videas ſolum, verum etiam ut tangas, & in te habeas*. Et paulo poſt: *Cogita quanta indignatione adverſus proditorem, adverſus eos qui crucifixere ipſum, movearis: & cave ne tu quoque corporis & ſanguinis Chriſti reus efficiaris. Illi acerbiſſime ſacroſanctum corpus trucidarunt: tu ſordida ſuſcipis anima. Non enim ipſi ſufficit hominem fieri, flagellis cædi & crucifigi; ſed nos in unam, ut ita dicam, maſſam reducit, neque id fide ſolum, ſed reipſa corpus ſuum nos efficit. Qua igitur re mundiorem eſſe non oportet, qui hoc ſacrificium participaturus eſt? Annon radiis ſolaribus puriorem eſſe manum oportet, quæ hanc carnem dividit?* ∴ *& linguam quæ cruentatur hoc admirabili ſanguine?* ∴ *Ea & nos alimur, quam Angeli videntes tremunt* ∴ *Quis loquetur potentias Domini?* ∴ *Quis paſtor unquam membris ſuis oves ſuas nutrivit?* ∴ *Ipſe proprio corpore nos alit, & ſibi conjungit atque conglutinat, ut unus nobis ſit dolor, ſi hoc alimento ſpiritnali privamur. Non ſunt humanæ virtutis hæc opera. Qui tunc ea confecit, nunc quoque operatur. Miniſtrorum nos ordinem tenemus, qui vero hæc ſanctificat, & tranſmutat, ipſe eſt*.

Homil. 24. in cap. 10. Epiſt. I. ad Corinth. ad hæc verba: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt? Hoc eſt*, ait S. Doctor, *quod dicit* Apoſtolus. *Id quod eſt in calice, eſt id quod fluxit e latere, & illius ſumus participes. Quid eſt hoc horribilius, ſed quid amabilius? Hoc etiam faciunt qui amant* ∴ *ſua dantes* ∴ *ſed qui amant, in poſſeſſionibus*

Digitized by Google

nibus quidem oſtendunt liberalitatem: in ſanguine autem nullus unquam. Et infra: *Quomodo Dei corpus .... accipiemus cum tanto probro & contumelia? .... Hoc eſt illud corpus, quod fuit cruentatum, quod lancea percuſſum .... Job ſervorum ſuorum amorem in ipſum indicans, dicebat quod ſæpe dicerent :* Quis dederit nobis impleri ejus carnibus ? *ſic etiam Chriſtus dedit ut ejus impleremur carnibus .... hoc corpus etiam jacens in præſepi reveriti ſunt Magi .... Tu autem non in præſepi vides, ſed in altari ..... Quod illic* in cœlo *eſt omnium pretioſiſſimum & maxime honorandum, hoc oſtendam tibi ſitum in terra. Sicut enim in regia, id quod eſt omnium magnificentiſſimum, non parietes, non tectum aureum, ſed corpus eſt Regis, ſedens in ſolio; ſic & in cœlis corpus eſt Regis : aſt illud tibi videre nunc licet in terra ..... neque ſolum vides (Angelorum Dominum) ſed etiam tangis, ſed etiam comedis; & eo accepto domum reverteris ..... Nunc autem non hominis Regis filium accipiens, ſed ipſum unigenitum Dei filium, dic, rogo, non extimeſcis?*

Ex iis, quæ qui cum Albertino ſolvere nituntur, Tridentinos, ſi Chryſoſtomi tempore conditi eſſent, de realitate canones, pari ſucceſſu ſolverent; ex iis, inquam, ſic paucis diſputo: Qui in Euchariſtia non tantum penes accidentalia, ſed in ſe ipſo recipitur; qui ab indigne communicantibus in eo læditur corpore, a quo & a proditore, & a crucifixoribus ſuis læſus eſt; qui ea nos alit carne, quam nonniſi trementes vident Angeli; qui proprio nos paſcit ſanguine, eo nimirum qui e latere fluxit; qui in terra eſt ſicut in cœlo, & in altari ſicut Rex in ſolio; qui ut tanta hæc miracula, quæ niſi præſto ſit fides, rationi perinde & ſenſibus abſurda erunt, operetur, terrenam oblationem ſanctificat atque tranſmutat; ille utique eſt in Euchariſtia ſubſtantialiter præſentiſſimus: atqui ex S. Chryſoſtomo, niſi is ludere, & verbis abuti perpetuo voluit, Chriſtus, &c. ergo.

Albert. ✱ *p.* 522. *ad* 578. * *Edit. Monſ. t.* 7 *p.* 517.

Obj. 1. Chryſoſtomus Homil. 51. nunc 50. in Matth. n. 3. * de Chriſto hæc loquitur: *Qui id quod majus erat dedit, hoc eſt ſeipſum: multo magis dignabitur ſuum tibi tradere corpus?* unde ſic: Ex Chryſoſtomo dat Chriſtus in Euchariſtia minus aliquid quam dederit in paſſione: atqui ſi ſe ipſum ſubſtantialiter daret in Euchariſtia, non daret quid minus quam in paſſione. Cum corpus Chriſti, animæ divinitatique unitum, vivens, immortale & glorioſum, nihil minus habeat, quam corpus ejuſdem paſſum & crucifixum; ergo corpus quod a Chriſto datur in Euchariſtia, non eſt niſi ſacramentale & metaphoricum.

R. diſt. maj. dat Chriſtus minus aliquid quoad modum & circumſtantias, C. quoad ſubſtantiam, N. itaque qui in paſſione dedit corpus ſaturandum opprobriis, ſpinis coronandum, felle potandum & aceto, affigendum cruci, majus quid quoad circumſtantias dilectionis dedit, quam in Euchariſtia: quia majorem hac nemo dilectionem habet, quam ut animam ſuam pro amicis, & pro inimicis ponat: ſed non dat majus quid quoad ſubſtantiam doni; quia utrobique res eadem datur. Et unde habemus idem in Euchariſtia dari, quod in paſſione? ex Chryſoſtomo & ibid. hæc ille n. 2. *Tangamus nos quoque fimbriam veſtimenti ejus, imo ſi velimus, totum ipſum habemus. Nam corpus nunc nobis propoſitum eſt; non veſtimentum tantum, ſed corpus; non ut tangamus ſolum, ſed etiam ut comedamus*. Et paulo poſt objecta verba: *Sacras nobis carnes ſuas comedendas dedit, ſeipſum,*

appo-

appoſuit immolatum. Quæ igitur nobis excuſatio erit, cum tali paſti cibo, taliter peccemus; cum agnum comedentes, lupi efficiamur; cum ovem manducantes, inſtar leonum rapimus?

Inſt. 1. Qui docet Chriſtum poſt reſurrectionem bibiſſe, & Apoſtolis tradidiſſe vinum merum, ut impleret quod dixerat: *Non bibam de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cum illud bibam novum vobiſcum in regno Patris mei*, ille ipſam quoque corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam excludit ab Euchariſtia: ubi enim vinum merum rurſus bibitur, ibi hoc, & non aliud, ante bibitum fuiſſe neceſſe eſt: atqui S. Chryſoſtomus docet .... Prob. min. ex ipſa quam adeo confidenter adduximus Homil. 83. nunc 82. ubi ſic loquitur S. Doctor, n. 2. *Ut oſtendat*. Chriſtus, *quod ipſum clare poſt reſurrectionem viſuri ſint* Apoſtoli .... *ait;* Donec illud bibam vobiſcum novum, *vobis teſtificantibus .... Sed cur poſt reſurrectionem, non aquam ſed vinum bibit? ut aliam malam hæreſim radicitus evellat. Quia enim quidam in myſteriis aqua utuntur, ut oſtendat ſe & cum myſteria tradidit, vino uſum fuiſſe, & poſt reſurrectionem ſine myſteriis in vulgari menſa vinum adhibuiſſe, ex genimine vitis, inquit. Vinea autem vinum, non aquam gignit*. Ergo. Tom. 7. p. 783.

R. ad 1. neg. maj. ad 2. neg. ant. & dico ad ſcopum Chryſoſtomi non requiri ut Chriſtus myſteria ſolo vino celebraverit, ſed ſatis eſſe ut ea celebraverit re ex vino facta: nimirum duo hic probare intendit S. Doctor, 1. contra *rudiores* aliquos, reſurrectionem Chriſti non fuiſſe phantaſticam; 2. contra quoſdam hæreticos, in myſteriis utendum eſſe vino, non aqua: atqui primum probat, oſtendendo Chriſtum a mortuis redivivum, de eodem vitis genimine bibiſſe, quo ſanguinem ſuum confecit: ſecundum autem, oſtendendo eum & in myſteriis uſum fuiſſe vino, & poſt reſurrectionem ſine myſteriis in vulgari menſa vinum adhibuiſſe. Hunc porro, nec alium eſſe Chryſoſtomi ſenſum demonſtrant verba quæ præcedunt & ſequuntur, & ex quibus primam noſtram probationem compegimus. Vult quidem Albertinus Chryſoſtomum hic *declamatorie, ut ſolet, & hyperbolice* loqui: at reſponſa hæc meræ ſunt declamationes, quæ & argumenti vim, & reſpondentis ambages ex æquo produnt. Albert. p. 523.

Inſt. 2. S. Chryſoſtomus hom. 24. in 1. epiſt. ad Corinth. *Quid eſt panis?* inquit, *corpus Chriſti;* ergo & verus panis, & verum proinde genimen vitis eſt in Euchariſtia.

R. neg. conſeq. eſt enim quidem in Euchariſtia panis, ſed panis vitæ, ſicut eſt genimen vitis, ſed vitis illius de qua Chriſtus ipſe dixit: *Ego ſum vitis vera:* unde ibid. addit Chryſoſtomus, in calice ſacro illud eſſe, quod ex latere Chriſti fluxit, adeoque verum ſanguinem.

Inſt. 3. Chryſoſtomus mentem ſuam tam diſerte explicat in epiſt. ad Cæſarium Monachum, ut cœcutire oporteat eum, qui negatam ab eo realitatem non confiteatur. Sic ille: *Et Deus & homo Chriſtus: Deus propter impaſſibilitatem, homo propter paſſionem .... Sicut enim antequam ſanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum ſanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus eſt quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus Dominici corporis appellatione, etiamſi natura panis in illo permanſit, & non duo corpora, ſed unum corpus Filii prædicamus: ſic & hic divina inſidente corpori natura, unum Filium, unam perſonam utraque fecerunt*. Unde ſic: Tom. 3. p. 744.

Id in

Id in quo manet natura panis, merus omnino panis eſt poſt conſecrationem: atqui ex S. Chryſoſtomo in Euchariſtia manet natura panis &c.

R. 1. quidquid in contrarium juret Albertinus, prædictam epiſtolam *Albert. p. 531.* non eſſe Chryſoſtomi, ſed ignoti alicujus, qui poſt exortas Neſtorii & Eutychetis hæreſes ſcripſerit, quique, cum neſciatur, catholicuſne an hæreticus fuerit, imo ex iis quæ de Deitatis paſſibilitate dixit, non nihil adverſæ ſuſpicionis inducat, haud multum negotii faceſſere debet. Spuriam porro eſſe epiſtolam hanc, probatur 1. quia a nemine ante Leontium laudata eſt; etſi perſpicua adverſus Eutychianos & Monothelitas loca habeat, quæ, qui prædictos hæreticos impugnarunt, non omiſiſſent; 2. quia turget ea locutionibus circa duplicem Chriſti naturam, quæ nonniſi poſt Cyrilli Alexandrini ætatem in uſu fuerunt; 3. quia inſcriptio & ſubſcriptio hujus epiſtolæ, quibus eo quod Chryſoſtomi nomen præferunt, præcipue nituntur adverſarii, apocrypham hanc eſſe ſuadent; tum quia ut animadvertit vir clar. D. Remigius Ceillier * ex 252. & eo amplius epiſtolis, quas in exilio ſuo ſcripſit S. Doctor, ne una quidem eſt quæ pari modo inſcribatur & ſubſcribatur; tum quia, ut ibidem monet & probat vir idem doctiſſimus, non raro factum eſt ante & ſub tempus Chryſoſtomi, ut qui Operibus ſuis dignitatem accire vellent, ea ſub præſtantium hominum nominibus vulgarent; 4. quia ſcripta dicitur ad Cæſarium, qui monaſticam cum Chryſoſtomo vitam egiſſe, & non parum cum eodem S. Doctore conſuetudinis habuiſſe ſupponitur; & tamen de Cæſario illo neque ſyllabam, neque apicem reperire eſt, vel in vita vel in epiſtolis Chryſoſtomi, etſi is crebro amicorum ſuorum meminiſſe ſolet; 5. quia ut notat peritus hujus rei judex Bernardus de Montfaucon, ſtylus epiſtolæ ad Cæſarium, a Chryſoſtomi dicendi genere adeo alienus eſt, ut qui ex aliis ejus Scriptis & Epiſtolis ad hanc ſe conferat, in alium ſe Orbem translatum putet, ergo. Vide monitum ejuſdem Montefalconii ad prædictam Epiſt. tom. 3. p. 736. & diſſertationem 3. R. P. Michaelis Lequien in fronte Operum S. Joan. Damaſceni, pag. 48. Neque hæc tamen dicta ſint, quaſi ineluctabile telum habeant Albertiniani in prædicta Epiſtola. Unde

** Hiſtoire generale des Auteurs &c. t. 9 p. 2.*

R. 2. diſt. min. in Euchariſtia manet natura ſeu *οὐσία* panis, ſumpta pro congerie qualitatum naturalium quæ ſenſus afficiunt, C. ſumpta pro intima rei ſeu panis ſubſtantia, N. ad ſolutionis veritatem duo ſufficiunt, 1. ut per naturam rei nihil plerumque aliud apud Patres intelligatur, quam naturales ejuſdem rei proprietates, quæ ſenſus movent; 2. ut hoc ſenſu intellectam a prædicto Auctore hanc naturæ vocem ſuadeant circumſtantiæ omnes ex quibus ambigui loci ſenſus determinari poſſit: atqui utrumque conſtat. Primum patet ex variis quæ ea de re collegit exemplis Harduinus S. J. in diſſert. de Sacramento altaris, p. 248. edit. Amſtelod. 1709. ſic Theodoretus dial. 2. mare & guttam mellis eamdem habere naturam dicit, quia utrumque fluidum ſit & humidum: humor autem & fluxus ſunt rei qualitates, non natura proprie dicta. Sic Chryſoſtomus Homil. 12. in Geneſ. cum de igne fornacis Babylonicæ ageret, *Dominus*, inquit, *prout vult*, *unumquodque elementorum in contrariam convertit eſſentiam;* neque tamen vult contra Scripturæ teſtimonium, ſuam igni ademptam eſſe naturam, ſed ſolum urendi qualitatem. Sic, quod

gra-

Digitized by Google

gravius eſt, Alexander Epiſcopus Alexandrinus in Epiſt. ad Alexandrum CP. duas Patris & Filii naturas dicere non veretur, quia Filius qua Filius, alius eſt a Patre: ſic demum, ne nimius ſim, ante hos omnes Tertullianus, lib. de anima cap. 22. *Aliud eſt ſubſtantia, aliud natura ſubſtantiæ..... Suſcipe exemplum: Subſtantia eſt lapis, ferrum: duritia lapidis & ferri, natura ſubſtantiæ eſt;* Ubi natura rei idem eſt quod ejus qualitas.

Secundum non minus liquet, nempe vero de dubio Auctoris textu judicandum eſt, tum ex conſtanti fide eorum quorum tempore ſcripſit; tum ex ſenſu quem verba ipſius eruditorum animis ingeſſere; tum denique ex ejus intento: atqui tria hæc, laudati Scriptoris verba catholice, ac proin Harduini ſenſu intelligi jubent: 1. enim ſcripſit quo tempore e Græcis Patribus alii miraculum Euchariſtiæ explicabant per *mutationem & tranſelementationem*, ut Gregorius Nyſſenus; alii per *transformationem*, ut Chryſoſtomus; alii per *converſionem*, ut Cyrillus Jeroſolymitanus. 2. Eamdem Epiſtolam catholice intellexit S. Joannes Damaſc. a quo pro Chryſoſtomi fœtu habita eſt, quique partem ejus non minimam retulit. Sic enim loquitur lib. 4. de Orthodoxa fide, pag.270. ubi hunc, de quo quæſtio eſt, locum in animo habuiſſe videtur: *Quemadmodum naturaliter panis per comeſtionem, vinumque & aqua per potionem, in corpus & ſanguinem comedentis & bibentis tranſmutantur, nec corpus fiunt aliud a corpore ejus quod prius extabat: ſic panis qui in protheſi præparatus fuit, vinum item & aqua, per invocationem & adventum Spiritus ſancti ſupernaturaliter mutantur in corpus & ſanguinem Chriſti; nec duo ſunt, ſed unum & idem.* Sicut ergo ex his verbis: *Nec duo ſunt, ſed unum & idem*, inferri quidem poteſt remanere poſt conſecrationem eas panis proprietates, quæ cum corpore & ſanguine Chriſti unum ſacramentum efficiant; non autem intimam panis ſubſtantiam, quandoquidem hæc ibidem converſa dicatur *in corpus Chriſti*, ſicut *panis in corpus comedentis tranſmutatur*; ſic nec ex objecto textu inferri poteſt in Sacramento manere intimam panis ſubſtantiam; 3. id patitur, nec plus exigit Auctoris intentum. Hic enim impugnat Apollinariſtarum, melius dixetis Eutychianorum hæreſim, qui humanæ naturæ proprietates in Chriſto non perſeveraſſe, ſed in divinas omnino converſas eſſe contendebant, quia ceteroqui duo in eodem Chriſto filii eſſe viderentur: contra vero contendit Auctor, has naturæ humanæ proprietates non magis obfuturas unitati Filii, quam ſuperſtites poſt conſecrationem panis proprietates officiant corporis in Euchariſtia unitati; ergo ad propoſitum ejus ſatis erat, ut ſolum de proprietatibus externis ageret, non de ipſis ſubſtantiæ viſceribus; ergo. Vide mox dicenda.

Inſt. 4. Quod nomine tenus eſt corpus Domini, ſervat totam naturam panis, nedum proprietates ſolas: atqui ex citato textu ..... Prob. min. Quod honoratur nomine corporis Dominici, nonniſi nomine tenus eſt corpus Dominicum: atqui panis euchariſticus honoratur nomine corporis Dominici; minor patet ex ipſo textu. maj. facile probatur. Nihil ſiquidem honoratur nomine ejus quod reipſa eſt, ſic qui Ludovicum XV. appellaverit nomine Regis, haud dicetur eum Regis nomine honorare; ergo.

R. ad 1. neg. min. nam ait quidem Auctor, panem ab appellatione panis

panis liberari per divinam ſanctificationis gratiam, dignumque fieri *Dominici corporis appellatione:* at nihil dicit unde colligi queat hanc Dominici corporis appellationem, mere extrinſecam eſſe, nihilque in re habere fundamenti: imo ad quid divinæ gratiæ operatio, ſi de denominatione pure exteriori ageretur?

Ad 2. neg. ant. ut quod nimium generale ſit: licet enim id quod a natura eſt tale quid, homo v. g. non dicatur ſuo, puta hominis, nomine honorari: id tamen quod contra primævam ſui conditionem fit aliquid quod non erat, hujus nomine honorari merito dicitur: porro panis nonniſi contra primævam naturæ ſuæ conditionem fit & vocatur corpus Dominicum; ergo eſt unde tanto nomine honorari dicatur.

Inſt. Atqui ideo panis appellatione Dominici corporis honorari dicitur, quia reipſa non ſit niſi panis intrinſece; ergo nulla ſolutio. Prob. ſubſ. Comparat Auctor panem qui in Euchariſtia remanet cum natura humana quæ poſt unitionem remanet in Incarnatione: atqui in Incarnatione remanet humana natura intrinſece & ſecundum ſe totam, non autem quoad ſolas quaſdam proprietates; ergo & panis in Euchariſtia manet intrinſece: proinque nonniſi per extrinſecam denominationem vocari poteſt corpus Dominicum.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. diſt. maj. comparat quantum ad aliquid, C. quantum ad omnia, N. itaque ſicut ſuperſtites panis ſpecies non impediunt quominus unum ſit in Euchariſtia corpus, nempe Chriſti, ſic in Incarnatione, licet permaneat humana natura, unus tamen eſt Dei filius, unaque perſona; quia nimirum ut panis in Euchariſtia propriam ſubſtantiam amittit, ſic homo in Incarnatione propriam amittit ſubſiſtentiam. Eo uſque urgeri debet Auctoris comparatio, ſed non ultra: alioqui proderit quidem Lutheranis tranſubſtantiationem negantibus; ſed directe nocebit Albertino, contra quem ſic multo melius a nobis, quam ab ipſo contra nos proponatur. Eo modo, juxta Auctorem, ex pane & corpore Domini fit unum corpus in Euchariſtia, quo ex natura divina & humana fit unus Filius in Incarnatione: atqui in Incarnatione duæ ſunt ſecundum ſe totas hominis & Dei naturæ, ex quibus unus fit Filius; ergo & in Euchariſtia duæ ſunt integræ, panis ſcilicet & Dominici corporis naturæ, ex quibus *unum* fit *corpus*. Sicut ergo argumentum hoc, etſi contorti nihil præ ſe fert, temperare coguntur Calviniſtæ, ſic & idem a nobis reſtringi non ægre ferent: reſtringimus porro, non ad arbitrium, ſed 1. ad mentem fidei, quæ cum ſcribebat Pſeudo-Chryſoſtomus, apud Græcos ubique recepta erat; 2. ad mentem Auctoris, qui cum in Euchariſtia *unum corpus* admiſerit, *non duo*, panis converſionem admittere debuit; quia alioqui duo in ſacramento eſſent corpora, alterum panis, alterum Chriſti, prout animadvertit Vaſquez in 3. p. diſp. 180. cap. 10.

Prob. 2. pars de Hieronymo: ſic ille in Epiſt. ad Hedibiam, q. 2. *Nos audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque Diſcipulis, eſſe corpus Domini Salvatoris;* Et infra: *Nec Moyſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Jeſus, ipſe conviva & convivium, ipſe comedens & qui comeditur*. Unde ſic: Quod eſt ſimpliciter corpus Domini, itaut eo comeſto comedatur ipſe Chriſtus, non eſt metaphorice tantum Domini corpus, re autem ipſa merus panis: atqui ex Hieronymo panis Euchariſticus &c.

Idem

Idem in cap. 1. Epiſt. ad Titum: *Si laicis imperatur ut propter orationem abſtineant ſe ab uxorum coitu, quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas?* atqui ex Hieronymo illibatæ eæ victimæ, non ſunt mera & ſimplex corporis & ſanguinis figura, ſed utriuſque veritas & realitas; ſic enim proſequitur S. Doctor: *Tantum intereſt inter propoſitionis panes & corpus Chriſti, quantum inter umbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa quæ per exemplaria præfigurabantur:* atqui ſi in Euchariſtia non eſſet veritas & realitas, jam Euchariſticus panis non differret a panibus propoſitionis ut corpus ab umbra, veritas ab imagine, res figurata ab exemplari præfigurante, ſed ad ſummum ut figura clarior ab obſcuriori, efficacior ab inefficaciore &c. prout placet adverſariis, qui in hoc etiam ſibi contradicunt, uti jam pluries monuimus; ergo.

Obj. 1. Hieronymus lib. 2. adverſus Jovinianum, * hunc ſic inducit loquentem, nec tamen reprehendit: *Dominus in typo ſanguinis ſui non obtulit aquam, ſed vinum:* atqui quod eſt typus ſanguinis, non eſt ipſe ſanguis; typus enim, ait poſt Ambroſium Albertinus, *umbra eſt veritatis*, non autem ipſa veritas; ergo. *Albertin. a p. 578. ad 593.* ** Tom. 4. pap. 198. & 210.*

R. 1. Si ubi eſt typus, ibi non ſit veritas, ibi contrario jure non eſt typus, ubi eſt veritas: atqui ex citato Hieronymi textu in Epiſt. ad Titum, in Euchariſtia eſt veritas; ergo ibi non eſt typus ſaltem in ſenſu Novatorum.

R. 2. diſt. min. quod eſt typus vacuus, ut in antiqua lege, non eſt ſanguis, C. quod eſt typus, rei per typum expreſſæ conjunctus, N. itaque cum hæretici Joviniani verba totam pene vim ſuam habeant, quod ab Hieronymo haud reprehenſa fuiſſe ſupponuntur, videndum an juxta S. Doctorem id quod in Euchariſtia typus eſt, ſeu ſymbolum ſanguinis, vacuum ſit & inane, an ſecus: atqui inane & vacuum dici non poteſt; alioqui Chriſtus in ſacra Cœna fuiſſet quidem conviva, ſed non convivium; comedens, ſed non qui comederetur; quod S. Doctori diſerte repugnat.

Et certe, verba hæc: Chriſtus non probatur bibiſſe præterquam in *Myſterio quod in typum ſuæ paſſionis expreſſit*, ſenſum habent plene Catholicum: atqui tamen verba hæc, idem ſunt in mente Hieronymi cum præcedentibus Joviniani verbis. Hæc enim per illa reddere intendit, ut facile percipiet, qui objectionem cum reſponſione contulerit, nec diffitetur Albertinus; ergo. *V. Perron. pag. 403.*

Inſt. 1. Hieronymus citata ad Hedibiam Epiſtola explicans hæc verba Chriſti: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, quo bibam illud novum vobiſcum in Regno Patris mei*, ſic loquitur, *Ex hoc loco quidam mille annorum fabulam ſtruunt, in quibus Chriſtum regnaturum corporaliter eſſe contendunt, & bibiturum vinum, quod ex illo tempore uſque ad conſummationem mundi non biberit:* Unde ſic *nec imbelle telum vibrare* credit Albertinus: Eadem erat Hieronymi fides circa genimen vitis de quo loquitur Chriſtus, quæ fuerat Millenariorum, virorum certe non parvi nominis, cum eos inter numeret Hieronymus ipſe Papiam S. Joannis diſcipulum, Irenæum, Tertullianum, Lactantium &c. atqui Millenarii merum & ſimplex vinum in Euchariſtia admittebant. Tale enim in Euchariſtia admittebant *Albert. pag. 584.*

vinum,

vinum, quale in ſuo mille annorum Regno cum Chriſto bibituros ſe imaginabantur: atqui erat iſtud merum vinum; ergo.

R. 1. Albertinum telo ſuo priorem confodi: ſic enim contra eum diſputabit Socinianus: Illud in Euchariſtia vinum admittebant Chiliaſtæ, quod in regno Millenario bibituros ſe fingebant: atqui, non utique fingebant bibituros ſe vinum ſacramentale, & ut loquitur Claudius, plenum efficacia ſanguinis Chriſti; ergo. Unde

R. 2. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. ratio eſt, quia cum res quæpiam plures habet ſtatus, quorum alius alii ſuccedat, pronum eſt ut mens alterutrum facta alterius præciſione intueatur, prout ſupra nativis & quotidianis exemplis probavimus; ergo cum genimen vitis aliud ſit ante conſecrationem, aliud poſtea, nunc ut purum vitis genimen, nunc ut ſacramentale quid inſpici poteſt. Priori autem ſenſu a Millenariis inſpectum eſſe contendimus, 1. quia alioqui merum in Euchariſtia vinum, non autem ſacramentale admiſiſſent, prout volunt Sociniani; 2. quia fatente Albertino, non aliud ii ſenſerunt, quam ſenſerit Hieronymus: atqui ibid. S. Doctor Euchariſticum vitis genimen pro ipſo Chriſti ſanguine habet: *Nos autem*, inquit, *audiamus*, *panem quem fregit Dominus*, *deditque Diſcipulis ſuis*, *eſſe corpus Domini Salvatoris*, *ipſo dicente ad eos*: *Accipite & comedite*, *hoc eſt corpus meum*; *& calicem de quo iterum locutus eſt*, *hic eſt ſanguis meus* ...... *Si ergo panis qui de cælo deſcendit*, *corpus eſt Domini*, *& vinum quod Diſcipulis dedit*, *ſanguis illius eſt*, *judaicas fabulas repellamus*. Quaſi dicat: Exiſtimatis futurum ut in Millenario regno vinum bibatis cum Chriſto, quia dixerit ipſe, ſe non bibiturum de genimine vitis, donec illud bibat novum in regno ſuo: atqui & male, & malo ex fundamento ita ſentitis; cum in verbis Chriſti, genimen vitis ſit ſanguis ejus, non vinum, niſi quoad ſpecies. Unde patet S. Doctorem Chiliaſtas a conſideratione ſtatus, in quo eſt genimen vitis ante conſecrationem, revocare ad conſiderationem ſummi illius ac perpetui ſtatus in quo eſt poſt conſecrationem.

Inſt. 2. Hieronymus in cap. 26. Matth. hæc loquitur: *Poſtquam typicum paſcha fuerat impletum* .... *aſſumit panem qui confortat cor hominis*, *& ad verum paſchæ tranſgreditur Sacramentum*, *ut quomodo in præfiguratione ejus Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat*, *ipſe quoque ve-*
587. *ritatem corporis ſui & ſanguinis repræſentaret*. Unde ſic Albertinus: Quod eſt mera repræſentatio ſeu figura veri corporis & ſanguinis Chriſti, non eſt ipſamet veritas corporis & ſanguinis ejus. *Aliud eſt* enim, ait Tertullianus Lib. 2. contra Marcion. *ſecundum veritatem eſſe*, *aliud ipſam veritatem eſſe*; atqui panis & vinum in Euchariſtia mera ſunt repræſentatio &c. Siquidem Melchiſedech pure repræſentavit corpus & ſanguinem Chriſti: atqui ipſe *quoque* Chriſtus (nota & pondera vocem *quoque*, id enim enixe precatur Albertinus) corpus & ſanguinem ſuum repræſentavit &c.

R. ad 1. neg. min. & dico repræſentare in textu Hieronymi, idem eſſe ac præſens ſiſtere: 1. quia hæc eſt propria & naturalis verbi hujus ſignificatio, ut invicte probant Perronius, & Coffetellus p.280. ſic enim apud Juriſperitos *repræſentare pecuniam* & *repræſentare ſe ad judicium*, idem eſt ac ſolvere præſenti pecunia, & perſonaliter comparere in judicio;

ſic

Digitized by Google

ſic apud Suetonium in Claudio cap. 34. *pœnas parricidarum repræſentabat*, idem eſt ac, ſubiri jubebat, ut apud eumdem in Auguſto cap. 101. *Summam repræſentari juſſit*, idem eſt ac coram ſe reponi; ſic apud Valerium lib. 6. de juſtitia, ubi de Charonda Tyrio Principe, qui ſe ipſum, *ne qua fraus juſtitiæ fieret*, interemit, *pœnam repræſentare*, eſt ſubire non pœnæ imaginem vel figuram, ſed ipſam mortis pœnam; ſic denique apud Bezam ipſum, id vulgatæ noſtræ; *Quibus etiam præbuit ſe ipſum vivum*, redditur per iſtud: *Quibus etiam ſeipſum repræſentavit vivum*.

2. quia ſenſum hunc non modo patitur, quod in ambiguis ſufficeret, ſed & exigit ſeries contextus: 1. enim opponit S. Doctor typicum cœnæ legalis paſcha vero paſchæ Sacramento: atqui futilis eſt oppoſitio iſthæc, ſi novæ paſchæ Sacramentum merus ſit typus; neque enim typus ſimplex typo rite opponitur, & multo minus opponitur ut verum typico; 2. opponit etiam, etſi magis implicite, id quod fecit Chriſtus verum novæ paſchæ Sacramentum inſtituendo, ei quod fecerat Melchiſedech idem Sacramentum præfigurando: atqui ruit iſta quoque antitheſis, ſi Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum ſimpliciter figurare voluerit; ergo cum ipſum repræſentaſſe dicitur, non ſimplicem rei figuram, ſed veritatem exhibuiſſe dicendus eſt; 3. quia alibi declarat Hieronymus, Melchiſedech typum corporis Chriſti exhibuiſſe, quem oblato corpore ſuo impleverit Chriſtus: ſic in Epiſtola qua Marcellum invitat, ut commigret Bethleem: *Recurre*, inquit, *ad Geneſim, & Melchiſedech ..... invenies, qui jam tunc in typo Chriſti panem & vinum obtulit, & myſterium chriſtianum in Salvatoris ſanguine & corpore dedicavit*: ubi panis & vinum quæ obtulit Melchiſedech ſunt typus non typi alterius, ſed corporis & ſanguinis Chriſti; 4. quia ſicut qui hederam foribus appendit, haud quidem inepte vinum venale repræſentare dicitur, ſed inepte prorſus vini hujus veritatem repræſentare diceretur: ſic Chriſtus arbitrarium panis ſignum inſtituendo, inepte omnino corporis ſui veritatem repræſentaſſe, ſeu figuraſſe diceretur. Quapropter quod ait S. Doctor Chriſtum idem feciſſe quod fecerat Melchiſedech, id eatenus eſt accipiendum, ut uterque panem uſurpaverit in ſacrificium, ſed cum hoc diſcrimine quod Chriſtus e pane corpus ſuum fecerit: & ſic corruit objectio petita ex particula *quoque*, cui tantopere innititur Albertinus. Quamquam haud difficile ſit probare, vocem hanc, contra quod ſonat, adverſativo ſenſu non raro accipi. Sic in Epiſt. ad Algaſiam q. 4. *Nos autem audientes Dominum* monentem, *ut qui in Judæa ſunt, ad montes terrenos confugiant, ipſi quoque oculos levemus ad montes ſanctos, de quibus ſcriptum eſt: Levavi oculos meos in montes &c.* ubi ſi pro *quoque* ſcripſiſſet S. Doctor: *Nos autem ex adverſo levemus oculos &c.* nihil profecto ſcripſiſſet abſoni. *Tom. 4. pag. 193.*

Prob. 3. pars de Auguſtino, quem adeo ut in gratiæ, ſic & in Euchariſtiæ materia totum a partibus ſuis ſtare contendunt adverſarii, ut vix ſuos ea de re triumphos paginis centum quadraginta tribus continere potuerit Albertinus: nos anguſtis concluſi limitibus nonnulla Catholicorum argumenta cum præcipuis Novatorum objectis proſequemur. *Albert. a pag. 601. ad 743.*

1. itaque S. Doctor lib. 9. confeſ. cap. 13. n. 36. *Non iſta*, inquit, *mandavit nobis* jam jam moritura mater; *ſed tantummodo memoriam ſui ad altare tuum fieri deſideravit .... unde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua*

Digitized by Google

deletum eſt chirographum peccati: atqui victima ſancta, qua deletum eſt chirographum peccati, eſt ipſa Chriſti caro; ergo Chriſti caro in altari diſpenſatur.

2. idem concione 1. in Pſalmum 33. nu. 10. explanans illud de Davide ſcriptum juxta verſionem 70. Interpretum: *Et ferebatur in manibus ſuis: Hoc vero, Fratres*, inquit, *quomodo fieri poſſet in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo; manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum litteram non invenimus: in Chriſto autem invenimus: ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meum; ferebat enim illud in manibus ſuis.* Unde ſic: Qui proprium corpus ſuum, non autem typicum & ſymbolicum ferebat in Euchariſtia, proprium corpus, non autem typicum in Euchariſtia conſecravit: atqui, ex Auguſtino, ferebat Chriſtus proprium corpus; ferebat enim *ipſum corpus ſuum*, ferebat corpus *ſecundum litteram*, ferebat & ferendo faciebat, quod nemo hominum facere poſſit: quis porro corporis ſui typum ſeu imaginem ferre non valeat? quis *ipſum ſuum corpus* ferre dicatur, quando ejus effigiem prætulerit? Ad hæc quid Albertinus? illud: Auguſtinum *concionatorum & declamatorum more difficultatem, quantum poteſt, augere*; ſeu clarius, Auguſtinum chimerica proponere, ut chimerica ſolviſſe glorietur.

3. in Pſalm. 98. nu. 9. enucleans hunc verſum: *Adorate ſcabellum pedum ejus: Quomodo*, inquit, *adorabimus terram, cum dicat aperte ſcriptura: Dominum Deum tuum adorabis .... Fluctuans converto me ad Chriſtum ..... & invenio quomodo ſine impietate adoretur terra, adoretur ſcabellum pedum ejus. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat, niſi prius adoraverit. Inventum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed etiam peccemus non adorando. Numquid autem caro vivificat? Ipſe Dominus dixit, cum de ipſa commendatione terræ ejus loqueretur .... Caro nihil prodeſt: ideo & ad terram quamlibet cum te inclinas atque proſternis, non quaſi terram intuearis, ſed illum ſanctum, cujus pedum ſcabellum eſt, quod adoras: propter ipſum enim adoras.* Inde ſic: Ut ex eo loco præſentia realis legitime deduci queat, ſufficiunt duo, 1. ut Auguſtinus de vera Chriſti carne differat; 2. ut de eadem carne loquatur, non prout eſt in cœlo, ſed prout in Euchariſtia datur: atqui 1. differit Auguſtinus de vera Chriſti carne; de ea nimirum in qua ambulavit Chriſtus, dum eſſet in terris, quæque propter unitam ipſi deitatem adorari meretur; 2. nec aperte minus loquitur de eadem carne prout eſt in Euchariſtia: loquitur enim de carne quæ ipſa manducatur: *Nemo carnem illam manducat*; quod autem per fidem manducatur, nonniſi abuſive, *ipſa* Chriſti caro nuncupari poteſt; loquitur de carne, cujus; cum manducatur, exterior adoratio ſine peccato omitti nequit: *Non ſolum non peccamus adorando, ſed etiam peccamus non adorando*: porro manducatio ſpiritualis, ſeu per fidem apprehenſio, ſine adoratione, ſaltem externa & totius corporis proſtratione eſſe poteſt: loquitur de adoratione facta coram objecto præſenti, quodque quadantenus ſenſus afficiat: *Non quaſi terram intuearis*. Chriſti autem caro prout eſt in cœlis glorioſa, nec movet ſenſus; nec, ſi moveat, timendum eſſet ne pro ter-

ra.

ra haberetur. Loquitur demum de carne, quæ ſimul pluribus in locis exiſtit: *Ideo & ad terram quamlibet, cum te inclinas atque proſternis;* ubi ex præcedentibus carnem per terram intelligi liquet: porro corpus Chriſti prout in cœlis eſt, pluribus ſimul in locis non exiſtit.

4. idem lib. 2. contra adverſarium legis & Prophetarum num. 33. ut probet credendum eſſe Scripturis, etſi quid in iis duri, quin & horrendi appareat, profert exemplum Euchariſtiæ. *Sicut*, inquit, *mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Jeſum, carnem ſuam nobis manducandam, ſanguinemque ſuum bibendum dantem fideli corpore atque ore ſuſcipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum ſanguinem potare quam fundere.* Unde ſic: Loquitur Auguſtinus de ea carnis manducatione, quæ primo intuitu horribilior videatur, quam humani ſanguinis effuſio; de ea manducatione, quæ tametſi rationem & ſenſus offendit, propter auctoritatem Scripturæ credi debet; de ea demum manducatione quæ ore fit & corpore: atqui triplici eo charactere funditus perimitur Calvinianorum error. Interrogo enim, ſed coram Deo, an manducatio carnis typicæ ſub quopiam reſpectu horribilior videri poſſit, quam veræ carnis mactatio? quæro an ſpiritualis per fidem manducatio ſenſibus perinde & rationi contradicat? cedo demum an manducatio quæ ſolo fit animo, corpore & ore fieri dicatur? melius ſane dicat Albertinus cum Zvvinglio lib. de Euchariſtia, Auguſtinum aliter & aliter de materia iſta diſputaſſe, quia jam tempore ipſius prævaluerat corporeæ carnis opinio.

Obj. 1. Auguſtinus in Sermone ad recens baptizatos, quem integrum refert S. Fulgentius Epiſt. 12. ad Ferrandum cap. ult. ſic loquitur: *Hoc quod videtis in altari, etiam tranſacta nocte vidiſtis, ſed quid eſſet, quam magnæ rei Sacramentum contineret, nondum audiſtis. Quod ergo videtis, panis eſt & calix, quod vobis etiam oculi veſtri renuntiant: quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, calix ſanguis Chriſti. Breviter quidem hoc dictum eſt, quod fidei veſtræ ſufficiat, ſed fides inſtructionem deſiderat ...... Poteſtis ergo dicere mihi: Præcepiſti ut credamus; expone ut intelligamus. Poteſt enim in animo cujuſpiam talis cogitatio oboriri; Dominus noſter J. C. novimus unde acceperit carnem, de Virgine Maria: infans lactatus eſt, crevit, ad juvenilem ætatem perductus eſt ...... paſſus eſt, tertia die reſurrexit, in cælum aſcendit, unde eſt venturus ut judicet vivos & mortuos; ibi eſt modo ſedens ad dexteram Patris. Quomodo eſt panis corpus ejus; & calix, vel quod habet calix, quomodo eſt ſanguis ejus? Iſta, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in iis aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet ſpiritalem. Corpus ergo Chriſti ſi vis intelligere, Apoſtolum audi dicentem fidelibus, Vos eſtis corpus Chriſti & membra. Si ergo vos eſtis corpus Chriſti & membra, myſterium veſtrum in menſa dominica poſitum eſt; myſterium veſtrum accipitis: ad id quod eſtis, Amen reſpondetis, & reſpondendo ſubſcribitis. Audis ergo corpus Chriſti, & reſpondens Amen: eſto membrum corporis Chriſti, ut verum ſit Amen. Quare ergo in pane? nihil hic de noſtro afferamus: ipſum Apoſtolum item audiamus. Cum ergo de iſto Sacramento loqueretur, ait: Unus panis, unum corpus multi ſumus. Intelligite & gaudete ...... Recolite enim quia panis non fit de uno grano, ſed de multis &c.*

Oper. S. Fulg. p. 266. nu. 25.

Albert. pag. 602. &c.

Ex iis ſic cum Albertino: Auguſtinus eo loci, recens baptizatis, quos perſpicue erudiri oportebat, exponit quid ſentiendum ſit de Euchariſtia, ut indicant iſthæc ejus verba: *Hoc quod videtis in altari ...... quid eſſet, quam magnæ rei Sacramentum contineret, nondum audiſtis:* atqui id exponendo Auguſtinus, ne voculam quidem habet de reali præſentia; imo non pauca habet quæ reali huic præſentiæ adverſentur: 1. nihil habet de reali præſentia; cum totus, ut Sacramentarii faciunt, hæreat in figuris & allegoricis interpretationibus: *Corpus ergo Chriſti ſi vis intelligere*, inquit, *Apoſtolum audi dicentem fidelibus: Vos eſtis corpus Chriſti* &c. unde colligere licet, & Auguſtinum corpus Chriſti metaphorice explicare, & panem eo modo eſſe corpus Chriſti, quo ejuſdem Chriſti corpus ſunt fideles, ſecundum id quod ex eodem Apoſtolo adducit S. Doctor: *Unus panis, unum corpus multi ſumus;* 2. clare hic realitati contradicit Auguſtinus: hanc enim proponit ſibi difficultatem, quomodo Chriſtus *qui aſcendit in cœlum*, & ibi ſedet *ad dexteram Patris*, poſſit corpus ſuum in Euchariſtia præbere? En ipſa Calvinianorum difficultas: eam porro cum ipſis ſolvit, ad ſpiritualem intelligentiam recurrendo. *Iſta, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia aliud in his videtur, aliud intelligitur. Quod videtur ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet ſpiritalem. Corpus ergo Chriſti ſi vis intelligere* &c. ergo.

V. perpet. fidei t. 3. pag. 324. &c. ** Tom. 5. pag. 973.*

R. 1. falſo ſupponunt Miniſtri, infantes quos hic alloquitur Auguſtinus indiguiſſe ut ſibi intimum Euchariſtiæ dogma aperiretur: quandoquidem, ipſi jam ſacra myſteria receperant, ut patet ex Serm. 227. alias 83. de diverſis, * ſimilis omnino argumenti, ubi ſic loquitur S. Doctor: *Memor ſum promiſſionis meæ, promiſeram enim vobis qui baptizati eſtis, Sermonem, quo exponerem menſæ dominicæ Sacramentum, quod modo etiam videtis, & cujus nocte præterita jam participes facti eſtis:* quis porro credat dominicæ menſæ participes factos fuiſſe, qui neſciiſſent Euchariſtiæ naturam, quive myſticas tantum quas ibi affert Auguſtinus rationes cognoviſſent. Certe ne Miniſtri quidem ad Cœnam ſuam eum admitterent, qui de ea id tantum ſciret quod in iſto Sermone docet Auguſtinus. Supponimus ergo, & merito ſupponimus, prædictos infantes, vel Librorum, ſeu Sermonum ope jam Euchariſtiæ fidei ſummam edoctos fuiſſe: & quidni ab Auguſtino ad eos dictum putemus, id quod ſupra a Cyrillo Jeroſol. ad recens illuminatos dictum vidimus? Quidni S. Doctor eos his pene verbis affatus ſit, quæ eodem ævo uſurpabat Gaudentius Brixienſis Epiſcopus Tract. 2. de Exodo? *Ipſe naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rurſus (quia & poteſt & promiſit) efficit proprium corpus; & qui de aqua vinum fecit, fecit & de vino ſanguinem ſuum;* & rurſus: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Paſcha eſt Domini, hoc eſt tranſitus Domini; ne terrenum putes, quod cœleſte effectum eſt per eum qui tranſit in illud, & fecit ſuum corpus & ſanguinem.* Quidni demum id eos docuerit Auguſtinus, quod paſſim in Operibus ſuis ab eo traditum exſcripſimus? his porro ſuppoſitis, ut eſſe debent & fuerunt, tota in fumum abit Albertini diſputatio. Unde

R. 2. ad 1. diſt. maj. exponit Auguſtinus quid de Euchariſtia ſciendum ſit quoad morales ſenſus, myſticaſque rationes, C. quoad intimam myſterii ſubſtantiam, N. itaque exponit S. Doctor non quid ſit intime panis eucha-

Digitized by Google

euchariſticus, ſed cur Euchariſtia in pane celebretur; ut clare demonſtrant hæc ejus verba: *Quare ergo in pane?* Reſpondet autem id fieri, ut commendaretur unitatis dilectio, ſecundum id Apoſtoli: *Unus panis, unum corpus multi ſumus, quia* igitur inquit, *panis non fit de uno grano ſed de multis .... eſtote quod videtis, & accipite quod eſtis*, ideſt eſtote unum inter vos, ſicut unum ſunt multa grana ex quibus conficitur materia Euchariſtiæ: atqui myſticæ ex interpretationes, quæ Euchariſtiam non ſpectant niſi ut imaginem corporis myſtici Chriſti, nullatenus intimam ejuſdem naturam tangunt; ergo hæc non ex iſto Auguſtini loco, ſed ex aliis illius Scriptis deſumenda eſt; ergo rurſus illudunt, & fucum facere moliuntur Calviniani, cum prædicta S. Doctoris verba velut ſua prorſus objiciunt. Certe, juxta Novatores Euchariſtia non eſt per ſe & intime figura corporis myſtici Chriſti, ſed corporis ejus naturalis: atqui de hac corporis naturalis figura mentionem non facit Auguſtinus; ergo nihil loquitur quod Calviniano ſyſtemati opitulari poſſit.

Imo, ait Albertinus, dogma noſtrum in his habetur verbis: *Quomodo panis eſt corpus ejus, & calix ſanguinis ejus? Iſta, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in his aliud videtur, aliud intelligitur* &c. ut ſupra.

Verum fallit, aut fallitur tumidus Novator: 1. quia cum Perronio * ſuſpicari licet Auguſtini Sermonem, quem ſibi integrum eſſe credidit S. Fulgentius, in eo quem expendimus loco interpolatum eſſe; tum quia inter verba hæc: *Quomodo panis eſt corpus ejus?* quæ naturale corpus exprimere videntur; & iſta, quæ deductam ex prioribus conſecutionem ſapiunt, & tamen myſtici ſenſus explicationem inchoant: *Corpus ergo Chriſti ſi vis intelligere* &c. nulla prorſus eſt connexio; tum quia in citato Sermone 227. qui cum eo quem expendimus, plurimum habet affinitatis, utrumque ſenſum, naturalem & myſticum multo diſertius exprimit Auguſtinus. En ipſius verba: *Panis ille quem videtis in altari, ſanctificatus per verbum Dei, corpus eſt Chriſti. Calix ille, imo quod habet Calix, ſanctificatum per verbum Dei, ſanguis eſt Chriſti: per iſta voluit Dominus Chriſti commendare corpus & ſanguinem ſuum, quem pro nobis fudit. Si bene accepiſtis, vos eſtis quod accepiſtis. Apoſtolus enim dicit: Unus panis, unum corpus multi ſumus. Sic expoſuit Sacramentum*, ſeu ut inferius habetur, *magna & valde magna Sacramenta menſæ dominicæ* &c. Ubi nulla eſt utriuſque ſenſus confuſio.

2. ſi velis pleno nec interrupto curſu fluere ſermonem, verba hæc: *Iſta, fratres* &c. non ad corpus naturale, cujus nullum exinde veſtigium eſt, ſed unice ad corpus myſticum, quod deinceps totum proſequitur S. Doctor, referenda erunt. Illico enim ſubjungit Auguſtinus? *Corpus ergo Chriſti ſi vis intelligere, audi Apoſtolum*: atqui vox *ergo*, quæ unum ex alio deducit, probat evidenter id de quo ſermo eſt in poſteriori membro, idipſum eſſe de quo ſermo fuerat in priori; ergo cum in poſteriori membro de corpore ſolum myſtico, non autem de naturali agatur, conſequens eſt & de illo, non de iſto actum eſſe in membro priori. Adde verba hæc: *Iſta, fratres*, &c. quæ ceteroqui nihil aliud ſunt quam propoſitio generalis omnibus ſacramentis conveniens, quæque ne ad Calvinianam quidem cate- *Perpet. fid. p. 126.*

 cheſim.

* Refutation de toutes les (22) objections, tirees des paſſages de S. Auguſtin, alleguees par les Heretiques, chap. 9.

cheſim ſufficiunt, nimis obſcura eſſe, quam ut ex iis certi quid in materia tanti momenti colligi poſſit.

Quod additur in objectione, Euchariſtiam, juxta Auguſtinum, eſſe corpus Chriſti, ſicut ſunt fideles ejuſdem Chriſti corpus: & falſum eſt, ut attente S. Doctoris textum legenti patebit; & ſi verum foret, nihil concluderet; quia comparatio hæc intelligenda eſt ſecundum aliquem modum, itaut Euchariſtia ſit corpus naturale Chriſti, quomodo fideles ſunt corpus ejuſdem myſticum.

Ad 2. neg. ant. & dico dubium quod ſibi proponit Auguſtinus, non fundari in Aſcenſione Chriſti ſola, ſed etiam in ejus nativitate, vita, morte &c. adeoque in diſſimilitudine inter formam quam Chriſtus in toto vitæ decurſu habuit, & eam quam nunc habet in Euchariſtia. Porro ſi dubium illud non in aſcenſione, ſed in ſola formarum diſſimilitudine fundetur, jam non impetit realitatem. Alioqui ſi eam, ut Albertino videtur, impeteret, quatenus poteſt alicui venire in mentem, quod ibi non ſit præſentia realis, ubi nulla apparet humani corporis ſpecies, ſed tantum panis uſitati; dici quoque poſſet per eamdem formæ diſſimilitudinem impeti vel ipſam ſacramenti rationem qualis a Sacramentariis admittitur. Poteſt enim quis ſic intra ſe ratiocinari: Sacramentum, utpote ſignum, debet, ex Auguſtino ipſo, aliquam cum re cujus eſt Sacramentum habere ſimilitudinem: atqui nulla eſt panis ſimilitudo cum corpore Chriſti, quocumque in ſtatu a puncto nativitatis ad aſcenſionem uſque conſideretur; ergo panis ne nudum quidem corporis Chriſti ſignum & ſacramentum eſſe poteſt; ergo ut contra nos, ſic & contra Calvinianos dubium movere poteſt Auguſtinus. Hoc porro dubium non poteſt excuti per Auguſtini reſponſionem, quæ tota myſticitatis plena eſt; ergo ex aliis ejuſdem locis reſolvi debet.

Obj. 2. Auguſtinus ep. 98. alias 23. ad Bonifacium, ut Epiſcopo huic interroganti, cur in Baptiſmo fidejuſſores nomine infantis dicant *Credo*, etſi infans per ætatem credere non poteſt, reſpondeat, ſic loquitur: *Si Sacramenta quamdam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundum quemdam modum Sacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, & Sacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt, ita Sacramentum fidei fides eſt. Nihil autem eſt aliud credere, quam fidem habere. Ac per hoc cum reſpondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, reſpondetur fidem habere propter*
Albert. *fidei Sacramentum*. Ex iis ſic cum Albertino: Quod nonniſi ſecundum
p. 613. aliquem modum eſt corpus Chriſti, non eſt proprie corpus Chriſti: *Quod* enim *non per omnia eſt, id quod eſſe dicitur, illud abuſive appellationem illam habet*, ex Gregorio Nyſſeno, Lib. de opificio hominis, cap. 15. Atqui ex S. Auguſtino Sacramentum corporis Chriſti, nonniſi ſecundum aliquem modum eſt corpus Chriſti; ergo.

R. diſt. min. Sacramentum ſecundum ſpeciem externam, non eſt corpus &c. C. Sacramentum, ideſt Euchariſtia ſecundum ſe totam ſpectata, N. itaque externæ Sacramenti ſpecies non raro appellantur Chriſti corpus, quia ejus ſignum ſunt ac veluti involucrum. Sic dicimus corpus Chriſti conculcatum fuiſſe pedibus, voratum flammis, diviſum in partes ut daretur pluribus: etſi hæc non cadant niſi in ſpecies. Fatemur porro ſpecies, ſeu

Sacra-

Sacramentum hoc ſenſu, non eſſe corpus Chriſti niſi improprie, & juxta aliquem modum: neque nobis adverſatur Auguſtinus, ſi id unum & nihil ultra intenderit. Porro S. Doctorem de ſolis ſpeciebus, ſeu, ut paſſim loquuntur Romani Doctores, de Sacramento, non autem de re Sacramenti locutum eſſe credimus, 1. quia contrarium probari non poteſt, præſertim ex textu quem expendimus, cum in eo obiter tantum agatur de Euchariſtia: 2. quia id ſufficit ad Auguſtini ſcopum. Is enim eſt ut oſtendat Sacramentum fidei poſſe dici fidem, ſicut Sacramentum corporis Chriſti dicitur corpus Chriſti, ex eo quod non raro rei ſignificatæ nomen tribuatur ſigno ejus; ergo non ſumit hic Sacramentum niſi ſecundum partem externam: an autem ea pars includat vel excludat corpus Chriſti ne attingit quidem. Includere vero alibi teſtatur diſertiſſime, ut cum in Epiſt. 11. ad Januarium ait: *Et hoc placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti in nos Chriſtianos prius Dominicum corpus intraret quam ceteri cibi*. Et ſerm. 67. de verbis Evangelii n. 4. ubi de Judæis a Petro converſis verba faciens: *Converſi ſunt*, inquit, *baptizati ſunt*, *ad menſam Domini acceſſerunt*, *& ſanguinem quem ſævientes fuderunt*, *credentes biberunt*; 3. quia hæc Auguſtini locutio, *ſecundum aliquem modum*, rei veritatem non raro includit, nedum excludat. Sic Epiſt. 137. alias 3. ad Voluſianum n. 12. ait, *Verbum divinum voluiſſe* cum homine *uniri quodam modo*: Et Epiſt. 166. alias 28. ad Hieronymum, ait *animam hominis eſſe ſecundum quemdam modum immortalem*; & tamen nec de neganda vera & hypoſtatica Verbi unione, nec de vocanda in dubium mentis immortalitate cogitavit S. Doctor; ergo a pari, &c.

Inſt. 1. Eo modo, juxta Auguſtinum, habet ſe Sacramentum corporis Chriſti ad idem corpus, quo habet ſe Sacramentum fidei ad ipſam fidem: atqui Sacramentum fidei nulla ex parte eſt fides; ergo Sacramentum corporis nulla ex parte eſt corpus.

R. 1. conc. totum. Sacramentum corporis Chriſti ſumptum pro ſolis ſpeciebus, ſeu prout a Catholicis dicitur *Sacramentum tantum*, nulla ex parte eſt corpus Chriſti: quid tum?

R. 2. diſt. maj. eo modo quantum ad aliquid, C. eo modo quantum ad omnia, N. Itaque ad id ſolum urgeri debet Auguſtini comparatio, ad quod ab eodem inſtituta eſt: atqui ad id tantum inſtituta eſt, ut probet ſigna ſeu Sacramenta ſæpe earum rerum nominibus appellari, quarum ſigna ſunt; ergo ad nihil ultra detorqueri debet. Et vero, ut ſapienter obſervat Perronius pap. 13. ſi ad vivum reſecentur Auguſtini comparationes, facile nutabit dogma originalis peccati. Comparat enim ſanctus Doctor transfuſionem ejus cum infuſione fidei quam habet Eccleſia, & vi cujus infantes dicuntur credere: atqui, dicet Albertinianus aliquis, actualis fides Eccleſiæ infantibus vere non inexiſtit, ſed tantum imputatur; ergo nec iis vere inexiſtit peccatum originale, &c. *Lib 3. de peccat. mor. c. 2. & 25.*

Totam hanc difficultatem aliter ſolvit ille Cardinalis Perronius cap. 3. ait nimirum corpus Chriſti bifariam ſpectari poſſe, vel prout eſt in ſtatu immolati & occiſi, & ſub hoc reſpectu Euchariſtia merum eſt ejuſdem ſignum & memoriale; vel prout eſt in ſtatu viventis & glorioſi, & ſub hoc reſpectu eſt objectum manducationis reale. Si ergo, ait, Auguſtinus non ſpectaverit corpus Chriſti niſi ſub priori reſpectu, nil mirum quod

de Sacramento tanquam puro ſigno locutus ſit. Spectaſſe porro indicant hæc S. Doctoris verba: *Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſe ipſo, & tamen in Sacramento, non ſolum per omnes Paſchæ feſtivitates, ſed omni die immolatur*, repræſentative ſcilicet, ut expreſſe docet idem S. Auguſtinus in Pſal. 21. Et vero, ait idem Emin. Scriptor, ſi Auguſtinus Euchariſtiam, prout eſt communionis objectum, pro mero ſigno habuit, ut quid in quæſtione quam difficilem eſſe confitetur, tot undecumque petit exempla, quibus oſtendat parvulos, etſi actus fidei incapaces ſunt, dici poſſe habere fidem. Certe nodum difficultatis uno verbo ſecare poterat, regerendo ſcilicet, infantes dici credere, quomodo dicuntur carnem Chriſti manducare, ideſt figurative prorſus. Sed de his citatum Auctorem conſule.

Inſt. 3. atqui Euchariſtia ſecundum ſe totam eſt ſignum ex Auguſtino; ergo nulla ſolutio.

Albert. p. 620. Prob. ſubſ. ex enarrat. in Pſalm. 3. ubi ſic S. Doctor: *Ipſa Domini noſtri tanta & tam miranda patientia .... cum* ipſum Judam *adhibuit ad convivium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendavit & tradidit*. Unde ſic: *Figura non eſt veritas, ſed imitatio veritatis*, ex Gaudentio Tract. 2. in Exod. atqui quod Dominus diſcipulis ſuis dedit in Euchariſtiæ convivio, figura erat, &c.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. diſt. maj. figura vacua & inanis non eſt veritas, C. figura plena, ſubd. non eſt veritas, qua parte ſolum figura eſt & ſymbolum, C. qua parte plena eſt, N. ut ergo non valet hæc Socinianorum objectio: Homo non eſt Deus: atqui Chriſtus eſt, & ſæpiſſime dicitur ſolum homo; igitur non eſt Deus: ut inquam, non valet ea ratiocinii ſpecies, quia ſtat in particulari caſu ſub humanitatis involucro latere Divinitatem, quam non excludit humanitas; ſic nec valet ratiocinium Albertini, quia fieri poteſt ut ſub figura lateat veritas, quam non excludit figura, niſi excludere dicatur: porro nullibi a figura Euchariſtiæ veritatem corporis excludit Auguſtinus, ſed econtra includit ſæpiſſime. Sic Lib. 12. contra Fauſtum cap. 10. *Habet*, inquit, *magnam vocem Chriſti ſanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus reſpondetur Amen. Hæc eſt clara vox ſanguinis, quam ſanguis ipſe exprimit ex ore fidelium eodem ſanguine redemptorum*. Ubi is ille ſanguis quo redempti ſunt fideles, idem eſt qui in terra ab iiſdem accipitur: ſi idem porro, utique non in figura tantum.

Inſt. 4. Auguſtinus Lib. contra Adimantum Manichæum, ut probet ſanguinem potuiſſe in veteri Teſtamento appellari animam, non eo quia proprie ſit anima, ſed quia ſit animæ ſignum, recurrit ad Euchariſtiam, in cujus inſtitutione ait num. 3. *Non dubitavit Dominus dicere: Hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret corporis ſui*. Cui exemplo aliud ſubnectit n. 5. de Petra, quæ ab Apoſtolo dicta eſt Chriſtus, quia Chriſti eſſet

Id. ibid. p. 624. imago & figura: atqui, ait Albertinus, hæc loquendi forma: *Non dubitavit Dominus*, &c. aperte demonſtrat nihil vidiſſe Auguſtinum in Euchariſtia præter figuram meram. Nemo enim eſt qui dixerit: Non dubitavit Dominus dicere, hoc eſt aurum, ſi vere aurum daret, hoc eſt aqua, ſi vere aqua foret; hoc enim locutionis genus & difficultatem exprimit, & in locutionibus propriis nunquam uſurpatur; ergo.

R. 1. incertum eſſe an hic loquatur Auguſtinus nomine ſuo, an Manichæorum. Neque, quidquid jactitet tam conviciorum ferax, quam ratio-

rationum inops Albertinus, reſponſio hæc ceteras abſurditate ſuperat : 1. *Ibid pag.* quia conſtat S. Doctorem abſque prævio monito plura in ſuis contra Ma- 627. nichæos Libris ſcribere, quæ Manichæorum vere ſint, non ſua. Sic Lib. 22. contra Fauſtum c. 93. hæc de Abraham loquitur : *Ecce homo avaritiæ & ventris cauſa uxorem ſuam ſororem mentitus, in aliorum concubitum vendi- Perron. dit*. Sic & Lib. de natura boni adverſus Manichæos, c. 42. *Certe non eſt c 5. p. 36. liberum voluntatis arbitrium* : quæ duo in hypotheſi Manichæorum dicta ſunt. Quod autem arguit ex Yſamberto Albertinus, Auguſtinum indica- *Deuter.* re ibi ſe ex propria ſententia loqui, dum ait : *Poſſum etiam interpretari p. 12. præceptum illud*, non manducandi ſanguinem, quia anima ſit carnis ſanguis, *in ſigno eſſe poſitum*; id, inquam, nullius eſt momenti; cum poſſit unuſquiſque propoſitam ſibi difficultatem, tum ſua, tum adverſarii hypotheſi elidere. Ecquis neſciat vim argumenti quod ad hominem vocant? 2. Quia diſputans contra Manichæos Auguſtinus, & probare volens ſi- *Perron.* gnum aliquando ſumi pro re ſignificata, argumentari debuit ex re tum *p. 46.* a Manichæis, tum a Catholicis admiſſa. Ridiculum enim fuiſſet rem a Manichæis impugnatam probare velle per rem a ſolis Catholicis admiſſam, non autem a Manichæis : atqui Manichæi, qui non realem, ſed phantaſticum corpus attribuerant Chriſto, non poterant verba iſthæc : *Hoc eſt corpus meum*, de vero Chriſti corpore interpretari, ſed ſolum de aliquali ejuſdem Chriſti figura; quam quidem in omnibus granis & fructibus terræ deprehendere ſibi videbantur; ergo vel nihil probavit Auguſtinus, vel in hypotheſi Manichæa argumentatus eſt; ergo iterum, cum dixit S. Doctor : *Non enim Dominus dubitavit*, &c. perinde eſt ac ſi dixiſſet : Non dubitavit Chriſtus dicere : *Hoc eſt corpus meum*, cum, ſecundum vos, non ipſum quo carebat corpus, ſed, ſolum ejus figuram daret. At de reſponſione hac adi Perronium ubi ſupra.

R. 2. neg. min. ſi enim ex Auguſtini verbis colligi non poteſt præſentia Chriſti in Sacramento, at nec ejus abſentia ex iis colligi poteſt : quia, ut ſunt ſigna a rebus quarum ſigna ſunt, avulſa, ſic & ſunt ſigna rebus ſignificatis conjuncta; ſic frons, quæ animæ ſignum dicitur, eidem animæ conjuncta eſt; ſic morborum ſigna morbis junguntur. Hanc porro utramque ſignorum ſpeciem in exemplum adducit Auguſtinus : utitur enim exemplis, tum petræ, quæ Chriſtum ſignificabat, nec continebat; tum ſanguinis, qui ita belluarum animam repræſentat, ut eam ſimul contineat, ſecundum id S. Doctoris Lib. 3. in Levit. q. 57. *Quærendæ etiam locutiones, per id quod continet id quod continetur ſignificantes, at quoniam anima ſanguine tenetur in corpore (nam ſi fuerit effuſus abſcedit;* ſecundum id Poetæ : *Purpuream vomit ille animam*) *per ipſum aptius ſignificata ſit anima, & ejus nomen ſanguis acceperit; ſicut Eccleſia dicitur locus quo Eccleſia congregatur;* ergo non ex objecto textu petendum eſt quid ſenſerit Auguſtinus, cum apertiſſime nihil pro, vel contra ſtatuat, ſed ex magno Traditionis ſæculi hujus Libro, & aliis S. Doctoris lucubrationibus : In his autem ut, in illo, Catholicam fidem habemus indubie.

Nec nocet, quam tantopere venditat Albertinus, vocula, *Non dubitavit;* quia quod exterioribus ſymbolis detur nomen rei ſub ipſis contentæ quicum ea nullam a natura habent affinitatem, adeo eſt ab uſitato loquendi modo alienum, ut vix ulla ejus exempla ſuppetant; ergo de eo, qui ſic

præter

præter vel contra uſum loquitur, dici poteſt, quod non dubitaverit ita loqui. Unde auri vel aquæ exempla queis utitur Albertinus, ſunt extra rem. Hæc enim, cum in ſpecie propria dentur, non mirum ſi citra ſcrupulum & hæſitationem propriis nominibus vocentur.

Inſt. 5. Ad minus inde ſequitur realem præſentiam ex inſtitutionis verbis probari non poſſe: ſcilicet enim verba: *Hoc eſt corpus meum*; poſſunt hunc habere ſenſum: *Hoc eſt figura corporis mei;* quandoquidem hunc ipſis indidit Auguſtinus: atqui iſtud: *Hoc eſt figura corporis mei;* ſi realem præſentiam non excludit, certe nec includit; ergo ex iis verbis nihil jam probari poterit.

R. 1. Nihil mirum ſi Auguſtinus non perſpexerit conſequentias omnes, quæ ex principiis ſuis deduci poterant: eſt enim ea conditio ingenii humani, quantumvis perſpicax ſupponatur, ut ipſi excidant multa: Indiguit Auguſtinus exemplo ut quidpiam confirmaret. Obtulit ſeſe animo ejus Euchariſtia. Huic adhæſit quanto ad ducendam lineam opus eſt tempore; ergo perſpexit ſe aperire viam qua eliderctur palmarium præſentiæ realis argumentum. Bellam conſecutionem!

R. 2. ad 1. neg. maj. ad 2. diſt. verba inſtitutionis poſſunt habere ſenſum figuræ, quando jam ubique notum eſt in quo ſint vel non ſint figura, C. poſſunt habere, vel potius habuiſſe ſenſum figuræ, quando a Chriſto prolata ſunt, N. itaque quando jam notum eſt ſignum & ſtabilitum, nihil vetat quin nomine ejus deſignetur res ſignificata. Sic qui orationis paulo poſt habendæ, coram amico exercitium facturus, eumdem amicum monuit, ſe Regem, per præcelſam quæ oculis ſubeſt, quercum intelligere, nihil faciet abſoni, cum quercum veluti Regem affabitur. Verum ſi ab initio & citra præcedentem admonitum, arborem hanc, uti Regem, venerabundus compellet, a prætereuntibus delirare cenſebitur. Porro cum primum dixit Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum*, nulla erat circumſtantia, quæ ad figuræ ſenſum determinaret; erant vero graves quæ ad realitatem ferrent; ergo ex eo quod Auguſtinus ſymbola aliquando magis quam rem conſideraverit, haud ſequitur Apoſtolos ad rem minus quam ad ſymbola attendere debuiſſe. Ita Auctor perpetuæ fidei, tom. 3. Lib. 2. c. 4.

Moram non facit quod ſcribit Auguſtinus Serm. 354. alias 53. de verbis Domini: *Pene quidem Sacramentum omnes corpus ejus dicunt*. Obſervat enim tantum S. Doctor, nomen *corporis Chriſti*, omnium quæ Euchariſtiæ tribuuntur, vulgatiſſimum eſſe: quod præſentem controverſiam non tangit, vel ſi tangit, Catholicis favet. Ad quid enim frequens iſthæc corporis Chriſti appellatio, ſi in Euchariſtia nihil agnitum eſſet præter figuram. En quo cedit *luculentum* Albertini *teſtimonium*.

Albert. p. 635. Obj. 3. S. Auguſtinus Serm. 131. alias 2. de verbis Apoſt. de carnis Chriſti manducatione diſſerens, hæc loquitur: *Manducent ergo qui manducant, & bibant qui bibunt, eſuriant & ſitiant: vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare, refici eſt∴ illud bibere, quid eſt niſi vivere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam∴ Tunc autem hoc erit, ideſt, vita unicuique erit corpus & ſanguis Chriſti, ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualiter bibatur*, &c. Ex hoc *palmario ſane loco*, ut vocat Albertinus, cui nihil non facile palmarium eſt, ſic idem diſputat: Si Chriſtus vere ſit in Euchariſtia, vere carnem ejus

Ibid pag. 711.

man-

manducant & impii : atqui hoc non. Siquidem, ex Auguſtino, *manducare, refici eſt*, & *bibere, eſt vivere* : atqui impii nec reficiuntur nec vivunt; ergo. His jungunt aliqui hæc Auguſtini verba ex Tract. 59. in Joan. n. 1. *Illi manducabant panem Dominum, ille*, Judas, *panem Domini contra Dominum* .·. *Qui enim manducat indigne*, &c. Tom 3.p. 2. p. 633.

R. ad 1. neg. min. ſic enim loquitur Auguſtinus Lib. ad Donatiſtas poſt collationem, n. 27. *In illo uno* ſervo, quia qui veſtitus non erat veſte nuptiali, in tenebras exteriores conjectus fuit, *grande corpus figurabatur omnium malorum ante Domini judicium convivio Dominico permiſtorum, a quibus ſe boni corde interim & moribus ſeparant, ſimul manducantes corpus & ſanguinem Domini.* & Lib. 5. de Bapt. n. 9. poſt adductum Judæ exemplum, qui *non malum accipiendo, ſed male accipiendo, locum in ſe diabolo præbuit*, perſequitur : *Corpus Domini & ſanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apoſtolus : Qui manducat indigne, judicium ſibi manducat & bibit*. En ergo corpus Domini manducant mali cum bonis. En & ipſum, male quidem, ſed *nihilominus* manducavit Judas, ſicut & ii quibus dicebat Apoſtolus : *Qui manducat indigne*, &c. Apage ergo *ſtupendam* Albertini *inverecundiam* tam aperta negare *non erubeſcentis*. *Apage commentum infrunitum*. His ille quæ meretur ſolus, encomiis Perronium celebrat. Albert. ibid. pag. 712. 713.

Ad 2. diſt. manducare pie & ſancte, refici eſt, C. manducare ut manducavit Judas, ut manducarunt ii *quibus dicebat Apoſtolus : Qui manducat indigne*, &c. N. itaque reficitur quidem & vivit, qui manducat carnem Chriſti : at ſupplendum, ſi probet ſe, juxta Apoſtoli præſcriptum, & ad Cœnam Domini nuptiali veſte indutus accedat. Sic Joan. 6. v. 16. *Omnis qui credit in* Chriſtum, *non perit, ſed habet vitam æternam* ; utique ſi non ſolum ea credat fide quæ per dilectionem operatur, ſed & perſeveret uſque in finem, quod, extra abominandum juſtitiæ inamiſſibilis ſyſtema, proh! quam paucis contingit. Hanc autem, quæ veri cujuſque Chriſtiani ſit, Auguſtini mentem fuiſſe, ineluctabiliter demonſtrant hæc ejus verba Lib. 1. contra Creſconium Donatiſtam cap. 5. ubi malos rebus etiam bonis in perniciem ſuam uti ſic probat. *Quid de ipſo corpore & ſanguine Domini, unico ſacrificio pro ſalute noſtra? Quamvis ipſe Deus dicat, Niſi quis manducaverit carnem meam* .·. *non habebit in ſe vitam : nonne Apoſtolus docet etiam pernicioſum male utentibus fieri? Ait enim : Quicumque manducaverit panem & biberit calicem indigne, reus erit*, &c. Et Serm. 11. de verbis Domini, ut oſtendat ea quæ in Scripturis generaliter efferuntur, puta quod blaſphemia in Spiritum S. nunquam remittenda ſit, cum reſtrictione intelligenda eſſe, in exemplum adducit id Chriſti : *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo. Numquid* ergo, inquit, *etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apoſtolus, quod judicium ſibi manducent & bibant, cum ipſam carnem manducent, & ipſum ſanguinem bibant. Sed profecto eſt quidam modus manducandi illam carnem & bibendi illum ſanguinem, quo modo qui manducaverit & biberit, in Chriſto manet, & Chriſtus in eo* .·. *Sic igitur & in eo quod ait : Qui blaſphemaverit*, &c. Ex iis quæ meridianam lucem claritate ſuperant, ſic paucis, 1. verba hæc Auguſtini : *Manducare, refici eſt & vivere*, nec generaliora ſunt, nec alium exhibent ſenſum, quam iſthæc Chriſti : *Qui manducat carnem meam, in me manet, & habet vitam in ſe* : atqui poſtrema hæc verba, juxta Augu-

Auguſtinum, cum reſtrictione, eaque maxima, intelligi debent; ergo. 2. Vividæ eæ locutiones, *ipſam carnem manducant, ipſum ſanguinem bibunt*, aliud a mera figura, imo & aliquid per ſe incredibile deſignant, ac proinde ipſam corporis & ſanguinis ſubſtantiam: atqui circa hujus ſubſtantiæ manducationem non diſtinguuntur mali a bonis, ſed tantum penes fructum; ergo, ut contra Albertinum Albertini voces retorqueam, *in hoc illuſtri Auguſtini loco, quot pene verba ſunt, tot utique ſunt fulmina contra adverſariorum ſententiam.*

Albert. p. 624.

Ad textum Auguſtini ex Tract. 59. in Joan. quem poſt Pleſſæum citat Claudius, dico in eo nullatenus agi de Euchariſtia, ſed de buccella quam intinctam Judæ porrexit Chriſtus. Tradit id diſerte Auguſtinus Tract. 62. in Joan. his verbis: *Non ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Chriſti corpus accepit. Intelligendum eſt enim quod jam omnibus eis diſtribuerat Dominus Sacramentum corporis ſui, ubi & ipſe Judas erat . . . . Ac deinde ad hoc ventum eſt, ubi ſecundum narrationem Joannis apertiſſime Dominus per buccellam tinctam atque porrectam ſuum exprimit traditorem.* Unde quod ſubdit Auguſtinus, *qui enim manducat indigne*, non formaliter, ſed per analogiam & argumentationem a minori ad majus dictum eſt. Ita Perron. c. 22. cui aſſentitur Albertinus p. 586. jam contra primam ſolutionem

Ibidem p. 711. Inſtat bifariam novator: 1. enim, inquit, qualis eſt refectio ex manducatione carnis procedens, talis eſt illius manducatio: atqui refectio illa eſt animæ, non corporis, ex Auguſtino; ergo & pariter manducatio animæ eſt non corporis: 2. opponit Auguſtinus manducationem in Sacramento manducationi in veritate: atqui, ex eodem S. Doctore, manducatio in veritate, eſt manducatio ſpiritualis, cujus impii capaces non ſunt; ergo.

R. ad 1. neg. maj. poteſt enim corporalis manducatio ſi pie fiat, imo nec pie, ſi agatur de infantibus, effectum parere ſpiritalem: unde tam abſurda eſt Albertini ratiocinatio, quam quæ in hunc modum fieret. Talis fuit ex parte Chriſti intuitus Petri, aut locutio ad mulierem peccatricem, qualis fuit effectus ex utroque procedens: atqui effectus, qui in Petro & peccatrice, fuit ſumma criminis deteſtatio, mere fuit ſpiritalis; ergo & locutio & intuitus fuere ſpiritales: hoc quidem de intuitu Petri admittunt plures; at eorum nemo probavit id ex effectu, ſed ex locorum, in quibus erat tunc Chriſtus & Petrus diſtantia, & diverſitate.

Ad 2. diſt. maj. opponit manducationem &c. ut infructuoſam aut pernicioſam fructuoſæ & ſalutari, C. ut mere ſymbolicam reali & veræ, N. itaque ſi ſemel conſtet Auguſtinum per manducationem in Sacramento eam intelligere in qua Chriſtus vere quidem recipitur, ſed infructuoſe vel exitialiter, conſtabit quoque hanc apud eum manducationem *in veritate* dici, quæ ſuſcipienti ad ſalutem proſit: atqui primum cuivis tantum non cæco conſtare debet: 1. enim in ipſo qui objicitur textu, aſſerit S. Doctor bonos a malis differre, quod carnem & ſanguinem Chriſti ſumant non tantum in Sacramento, ſed etiam uſque ad participationem vitæ & ſpiritus; ergo ſupponit omnia utriſque eſſe communia præter hanc vitæ & ſpiritus participationem; ergo iterum ſupponit impios non minus quam pios veram Chriſti carnem recipere, licet eam ſalubriter non recipiant; 2. idem Auguſtinus tract. 27. in Joan. hæc verba; *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam*, bonis pro priori parte, malis pro poſteriori

ſteriori applicat: *Caro*, inquit, *non prodeſt quidquam .∵. ſed ſola caro: accedat ſpiritus ad carnem, & prodeſt plurimum;* ergo ſunt qui carnem ſolam accipiant: atqui vera eſt & ſubſtantialis Chriſti caro, vero ſcilicet & proprio ſanguini conjuncta, ei nimirum qui *de Chriſti latere manavit*, ut totidem verbis declarat Auguſtinus cap. 20. Libri contra Fauſtum; ergo. 3. quia idem evidentiſſime docet in textibus paulo ante relatis; 4. demum quia Auguſtiniana hæc loquendi ratio tam bene communi & quotidiano hominum ſermoni congruit, ut mirum ſit id non proſpexiſſe Albertinum. Quoties enim comparantur duo, quorum aliud bene ſe habet, aliud male, de priori, quaſi ſolum fiat, ſermo habetur: ſic de ſtrenuo pictore, de ſcriptore facundo, ſi cum male peritis artificibus expreſſe aut tacite conferantur, dicimus: Eſt id pingere, ſcribere &c.

Inſt. 2. Manducatio in veritate ab Auguſtino vocatur ſpiritualis: atqui manducatio ſpiritualis realem ſeu oralem excludit; ergo.

R. neg. min. non enim magis manducationem realem excludit S. Doctor, *V. Perron. c. 10.* dum ſpiritualem & quæ fide fiat manducationem commendat, quam realem excludat contactum, cum tactum fimbriæ Chriſti, de quo Lucas cap. 8. ſpiritualem fuiſſe declarat his tract. 26. in Joan. verbis: *Quid eſt tetigit* mulier, *niſi credidit?* aut realem excludat ſitim a Criſto, ſeu Samaritanam alloquente, ſeu cruci affixo, quando ſitim hanc myſtice in hunc ſenſum exponit: *Cum diceret, ſitio, fidem illorum quærebat:* atqui nobiſcum fatebuntur Calviniſtæ Auguſtinum, nec tactum realem prioribus verbis, nec ſitim phyſicam poſterioribus excluſiſſe; ergo fateantur neceſſe eſt &c.

Inſt. 3. Auguſtinus in id Luc. 24. *Hæc locutus ſum vobis, cum eſſem vobiſcum*, ſic ſcribit: *Secundum carnem aſcendit in cælum, & non eſt hic. Ibi ſedet ad dexteram Patris .∵. & hic eſt, non enim receſſit præſentia majeſtatis, habuit illum Eccleſia ſecundum præſentiam carnis paucis diebus, modo fide tenet, oculis non videt*. Unde ſic: Qui omnem corporeæ Chriſti præſentiæ idæam excludit a terris, non aliam quam ſpiritualem & metaphoricam Chriſti manducationem admittere potuit: atqui citatis verbis Auguſtinus .∵. Non enim aliam admittit inviſibilem præſentiam quam majeſtatis: admiſiſſet porro & inviſibilem præſentiam humanitatis, ſi hanc in Euchariſtia confeſſus eſſet.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. fecit enim eo loco S. Doctor, id quod quotidie ſuis in catecheſibus faciunt Romani paſtores, cum dicunt Apoſtolos Chriſti præſentia fruitos eſſe, nos autem ea privari. Etſi enim non ea privamur omnimode (unde etiam ſortem noſtram cum Apoſtolorum ſorte non raro comparant SS. Patres, de quo vide Chryſoſtomum ſupra) at conſtat nihilominus noſtram inter & Diſcipulorum qui cum Chriſto familiariter vixere, conditionem, diſcrimen eſſe non modicum. Ibi Chriſtum alloqui, & reſponſa ejus audire dabatur. Hic agni occiſi vices & perſonam gerit; alloquimur eum quidem ut vere præſentem; ſed non dicit ut olim: *Confide fili. Volo mundare. Dimiſſus eſt ab iniquitate tua* &c. Quemadmodum igitur, dum ad ſolam majeſtatis præſentiam attendimus, non excludimus præſentiam humanitatis, ſic nec illam eadem præciſe de cauſa excluſiſſe cenſeri debet Auguſtinus, niſi de mente ejus aliunde conſtet: non conſtat autem, ſed de contrario, ut patet ex probationibus noſtris. Unde reipſa inviſibilem carnis præſentiam admiſit Auguſtinus, ſed non ubique expreſſit. Neque enim neceſſum eſt ut omnia ſingulis momentis exponantur fidei myſteria, quod

ſine

ſine magnis tædioſiſque verborum circuitibus fieri non poſſet ; ſed ſatis eſt, ſi, prout fert occaſio, nunc hæc, nunc illa depromantur.

Inſt. 4. Ille inviſibilem humanitatis præſentiam excluſit, cujus cum principiis eadem præſentia conciliari nequit : atqui.... Hæc enim ſunt Auguſtini principia, 1. nullum corpus pluribus in locis exiſtere ſimul poſſe; 2. corpus quodlibet minus eſſe in parte, quam in toto; 3. ſuum cuique corpori ſpatium eſſe, ſine quo haud ſubſiſtere poſſit : atqui principia hæc noſtram de Euchariſtia fidem ſubruunt funditus. Minor patet. Prob. maj. 1. ex Tract. 30. in Joan. ubi hæc leguntur : *Surſum eſt Dominus, ſed etiam hic eſt Dominus : corpus enim Domini in quo reſurrexit, uno loco eſ-*

Tom. 8. p. 341. A.

ſe oportet ; veritas autem ejus ubique diffuſa eſt ; 2. ex Lib. contra Fauſtum cap. 11. ubi aperte tradit Chriſtum *ſecundum præſentiam corporalem ſimul & in ſole & in luna, & in cruce eſſe non poſſe ;* 3. ex Lib. contra Manichæi

Ibid pag 162. G.

epiſtolam, n. 20. ubi ſic : *Nec omnino poteſt eſſe aliquod corpus, ſive cæleſte, ſive terreſtre, ſive aereum, ſive humidum, quod non minus ſit in parte quam in toto .·.·. ſed & aliud hic & alibi habens, per quælibet ſpatia locorum .·.·. ſi Ctili mole diſtenditur ;* & rurſum : *Tolle ſpatia locorum corporibus, & nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, non erunt ;* ergo.

Habert. p. 466.

R. 1. Si inſolubilia eſſent quæ hic proponuntur, haud dubitaremus cum Pariſienſi Theologo reſpondere, fidem noſtram non inniti auctoritate S. Auguſtini, ſed verbo Dei ſcripto vel paſſim a SS. Doctoribus tradito. Abſit vero, ait idem, ut tam infauſta de tanto viro, quique tam perſpicue de reali præſentia ſcripſit, opinemur : quapropter ſecundum traditam ab eo legem obſcurius dicta per clariora explicabimus, ne contradictoria ſcripſiſſe videatur. Itaque

Perpet. fid t. 3. l. 7. c. 10.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. maj. Auguſtini principia ſunt, nullum corpus de via ordinaria & naturali (cui, niſi reſiſtant Scripturæ & Eccleſiæ auctoritas, conſtanter inhærendum eſt) poſſe pluribus in locis exiſtere &c. C. nullum corpus etiam extraordinarie & ſupernaturaliter, N. ut indubia ſit noſtra hæc ſolutio, tria ſufficiunt, 1. ut Catholici Doctores, res ſolum intuiti ut de via ordinaria ſe habent, varia plerumque admiſerint principia, quibus admiſſa ab ipſis Calvinianis dogmata convelli poſſint; 2. ut id tamen citra veritatis præjudicium feciſſe cenſeri debeant, idque gravibus de cauſis ; 3. ut eæ cauſæ in Euchariſtia non ſecus ac in aliis fidei dogmatis locum habeant : atqui hæc omnia conſtant : 1. enim admiſere, v. g. Juſtinus apologia 1. nullum ſine libera voluntatis electione eſſe peccatum; Auguſtinus vero L. de vera Religione c. 14. peccatum *uſque adeo voluntarium eſſe malum, ut ſi non ſit voluntarium, nullo modo ſit peccatum :* hæc autem tam generaliter pronuntiata originalis noxæ fidem labefactant;

Lib. 7. contra Julian. c. 3.

unde ex propriis verbis ſuis preſſus a Juliano Auguſtinus, eadem ad *proprium cujuſque peccatum* reſtringere coactus eſt; & ſi fors non reſtrinxiſſet, quia ſibi non fuiſſent objecta, vere tamen reſtringi deberent. Sic quoque paſſim ſupponimus, ea quæ idem ſunt uni tertio, idem eſſe inter ſe ; nec tamen Trinitati, de qua ne cogitamus quidem, repugnare intendimus; 2. id citra fidei præjudicium factum eſt, factumque cenſeri graves exigunt cauſæ. Sunt eæ porro, quod quæ univerſim vera ſunt in ordine naturæ, ſolum autem falſa in ordine ſupernaturali, tam ſunt extra vulgaris ſermonis metas, quam extra naturæ leges. Deinde vero quod quæ

gene-

generatim enunciata ſunt, ſi quando opus eſt, puta cum animus ad fidei myſteria reflectit, debite reſtringantur, prout generaliorem ſuam peccati definitionem data occaſione reſtrinxit Auguſtinus; 3. hæ porro cauſæ in ſupra objectis Auguſtini principiis locum habent. Neque enim neceſſum erat ut S. Doctor, ſola naturæ principia explanans, ſingulis quas exarabat lineis inſpiceret, an non ea aliquam in rebus fidei exceptionem paterentur; aliunde vero non adeo generalia erant hæc S. Doctoris principia, ut ea exceptionis cujuſcumque incapacia crederet. Sic Lib. de cura pro mortuis cap. 17. dubitat an ſpiritus Monachi cujuſdam, qui in Monaſterio ſuo remanens, alii longe hinc diſtanti apparuit in ſomniis, ſimul duobus in locis extiterit: cui dubio par aliud proponit de anima Martyris, quæ diverſis in locis miracula operabatur. Porro ſi ſimultaneam pluribus in locis exiſtentiam, divinitus etiam impoſſibilem credidiſſet, nec ullam movere quæſtionem, nec dubii quidquam in utroque caſu pati potuiſſet. Sic rurſus citato contra Fauſtum libro negat ſpiritum in cruce pati potuiſſe; verum id adeo intelligendum eſt de paſſione ſpiritus ſecundum ordinarias naturæ leges (quibus conſtanter inhærendum eſt, niſi aliud ſuadeat Scripturæ auctoritas, quæ Manichæis deerat) ut alibi doceat ſpiritus reproborum per ignem materialem ſupernaturali virtute torqueri.

Objectiones quæ cum præcedenti nonnihil habent affinitatis, ſed a ratione ſola petuntur, expendemus in decurſu.

Obj. 4. Interrogatus a Conſentio Auguſtinus, *utrum nunc corpus Domini oſſa & ſanguinem habeat, aut reliquæ carnis lineamenta*, his reſpondet verbis Epiſt. 205. alias 146. *Fides adſit, & nulla quæſtio remanebit, niſi forte de ſanguine requirendum eſt, quia cum dixit:* Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet &c. *non addit ſanguinem. Nos ergo non addamus inquirere, quod ille non addidit dicere* ∴ *Fortaſſis enim arrepta occaſione ſanguinis, urgebit nos moleſtus perſcrutator & dicet: Si ſanguis, cur non & pituita, cur non & fel &c. ſed quodlibet quiſquis addat, corruptionem addere caveat, ne ſuæ fidei ſanitatem caſtitatemque corrumpat:* atqui, ait Petrus Alix, Carentonenſis olim Miniſter, ſi crediddiſſent & Conſentius & Auguſtinus, ſe quotidie ipſum Chriſti ſanguinem inter ſacra recipere, ridiculæ ex æquo fuiſſent & interrogatio, & reſponſio, vel potius denegatio reſponſionis, ergo.

R. 1. difficultatem hanc ab Alixio in primis ſolvendam eſſe; ſic enim diſputo: Euchariſtia eſt ſignum corporis & ſanguinis Chriſti eſſentialiter figurativum: ſed qui dubitant an Chriſto inſit ſanguis, haudquaquam admittunt ſignum ſanguinis ejus eſſentialiter figurativum; ergo.

R. 2. omiſſa Tournely ſolutione, quæ dubium Conſentii rejicit non in ſubſtantiam ſanguinis, ſed in ejus qualitates, puta an nunc iiſdem humoribus admiſtus ſit ille ſanguis, quibus admiſtus erat dum in vivis degeret Chriſtus: R. inquam, neg. min. ſcilicet enim tantum dubitabat Conſentius, utrum *nunc* corpus Domini oſſa & ſanguinem haberet; ergo ſupponebat illud ſanguinem habuiſſe ante reſurrectionem, eum videlicet quem in cruce pro nobis effuderat, quique Chriſto fluebat in venis dum inſtituit Euchariſtiam: atqui hunc ipſum Chriſti mox paſſuri ſanguinem in Euchariſtia admittere poterat, prout alii nonnulli admi-

ſerunt;

ſerunt ; ergo ex ejus dubio , qualecumque fuit , nihil concludi poteſt .

Neque tamen opinamur Auguſtinum dubitaſſe cum Conſentio (quem fuiſſe Epiſcopum gratis ſupponit Alixius, rudem vero ſatis & imperitum merito ſuppoſuiſſet) an Chriſti corpus in cœlo exangue ſit : docet enim ibid. homines poſt reſurrectionem habituros carnis & ſanguinis ſubſtantiam; unde & hæc Apoſtoli verba : *Caro & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt*, de operibus, non autem de materiali carnis & ſanguinis compage intelligenda eſſe declarat; quod etiam repetit pluribus in locis* : porro ſi Sancti cum ſanguine reſurgant, quidni & Chriſtus? unde quod oblique quæſtionem ſolvat S. Doctor, id factum, ſeu quia futiliter curioſum Conſentii ingenium norat, ſeu quia verebatur, ut ſatis indicat, ne quæſtioni de ſanguine nova & inutilis ſuccederet de pituita , huic alia de felle , &c. Jam

Prob. 4. pars concluſionis de Theodoreto . Sic ille in cap. 11. Ep. I. ad Corinth. *In memoriam illis revocat* Paulus *ſanctiſſimam illam noctem* , *in qua Dominus typico paſchati finem impoſuit*, *& typi archetypum oſtendit*, *ac ſalutaris Sacramenti portas aperuit*, *& non ſolum undecim Apoſtolis*, *ſed & proditori pretioſum corpus & ſanguinem dedit* : Unde ſic 1. dedit Chriſtus archetypum loco paſchalis agni , qui merus typus erat : atqui non archetypum , ſed novum typum dedit , ſi Euchariſtia merus typus , meraque figura eſt ; ergo 2. dedit Chriſtus Judæ pretioſum ſuum corpus & ſanguinem , quæ proinde recepit impius proditor : atqui non hæc recepit per fidem ; ergo .

Rurſus ibid. *Quemadmodum Judas ipſum tradidit*, *& inſultarunt illi Judæi*, *ſic ipſum ignominia afficiunt*, *qui ſanctiſſimum ejus corpus impuris manibus recipiunt* : ſed quis injuriam archetypo ipſi illatam, cum illata ejuſdem imagini injuria comparare auſit; de quo jam ſupra .

Albert. a p.774. ad 781. Obj. 1. Theodoretus dialog. 1. cui titulus, *Immutabilis* , in quo collocutores duos inducit , catholicum unum ſub nomine *Orthodoxi* , Eutychianum alium , ſub nomine *Eraniſtis* , ideſt , mendici , quia Eutyches errores ſuos ex variis hæreticis emendicaverat , ſic ſcribit poſt adducta hæc Geneſ. 49. Jacobi verba : *Lavabit in vino ſtolam ſuam* , *& in ſanguine uvæ pallium* ſuum : Orthodox. *ſanguinem igitur uvæ*, *Salvatoris appellavit ſanguinem* . *Si enim Dominus vitis appellatus eſt* , *& fructus vitis vinum* *Tom.4 p. 17. A.* *appellatur* , *ſanguinis vero & aquæ rivi ex Domini latere profuſi per reliquum corpus deorſum manarunt* , *jure omnino & appoſite vaticinatus eſt Patriarcha* : *Lavabit in vino ſtolam ſuam* &c. *Sicut enim nos myſticum vitis fructum poſt ſanctificationem ſanguinem Domini nominamus* ; *ſic veræ vitis ſanguinem* , *uvæ ſanguinem nominavit* .·.·. *Salvator autem noſter nomina permutavit* , *& corpori quidem ſymboli nomen impoſuit* , *& ſymbolo nomen corporis* . *Sic cum ſe vitem nominaſſet*, *ſymbolum ſanguinem appellavit*. Unde ſic : eo modo, juxta Theodoretum, vinum poſt conſecrationem appellamus ſanguinem Chriſti, quo *Albert. p. 776* Jacob ſanguinem uvæ , ideſt vinum , Chriſti ſanguinem appellavit : atqui metaphorico tantum ſenſu Jacob vinum appellavit ſanguinem Chriſti ; ergo a pari &c.

R. neg. maj. habet enim & aperte habet textus Theodoreti quædam quæ figurate, quædam item quæ ſenſu reali intelligenda ſint. Neque magis ex

eo

* Vid. Lib. 1. retract. cap 17. Lib. 22. de Civ. Dei, cap. 24. Enchirid. cap. 91. &c.

eo quod vox *ſanguinis* figurate ſumatur in prophetia Jacob, inferri poteſt eam in Euchariſtia figurate ſumi, quam inferri poſſit figurate accipiendam, cum agitur de eo quod e Chriſti, veræ vitis, latere manavit. Poſtremum hoc rejicient adverſarii: quare porro? quia & comparationes vix unquam adæquatæ ſunt, & aliunde conſtat, verum, non ſymbolicum ſanguinem de Chriſti latere fluxiſſe: atqui pariter conſtat, & ex Theodoreto ipſo conſtat, non mere ſymbolicum eſſe Euchariſtiæ ſanguinem: 1. enim id indicant textus in probationibus adducti; 2. id etiam evincunt ipſa objecti Dialogi verba, ut ſtatim videbimus; 3. & in id vehementer inclinat ſcopus auctoris. Vult enim probare Theodoretus in Jacobæo de Meſſia vaticinio per verba hæc, *Lavabit in vino ſtolam ſuam*, ipſum intelligi debere ejuſdem Meſſiæ ſanguinem: atqui nedum id melius probet, uti vult Albertinus, ſanguinem in Euchariſtia figurate accipiendo, multo utique melius id probat, eumdem ſanguinem accipiendo in ſenſu reali. Realitas enim longe efficacius demonſtrat convenientiam figuræ, quam eamdem demonſtret nova metaphora ergo. *Vid. perpet. tom. 3. p. 273. & 274.*

Inſt. 1. Ille tam in Euchariſtia, quam in prophetia Jacob nonniſi metaphoricum ſanguinem, ac proin vinum ſimplex admiſit, juxta quem Chriſtus panis tantum & vini nomina commutavit, panem ſcilicet appellando corpus ſuum, & vinum ſanguinem, non ſecus ac *cum ſe vitem nominavit*: atqui juxta Theodoretum, Chriſtus... Minor patet ex citatis verbis: *Salvator nomina permutavit* &c. prob. itaque major, quia ubi eſt ſimplex nominum permutatio, ibi remanet idem qui antea erat, naturarum ſtatus; ergo.

R. ad 1. neg. min. ut enim commutatio nominum aliter in Euchariſtico ſanguine, aliter in appellatione vitis a Chriſto ſibi indita accipiatur, unum ſufficit, ſcilicet ut primæ non autem ſecundæ annexam fuiſſe realem ſubſtantiæ converſionem demonſtrent omnes temporis & loci circumſtantiæ: atqui nominum commutationem reali ſubſtantiarum converſioni annexam fuiſſe, quando agitur de Euchariſtia, non item quando de *vitis* vel *frumenti* denominatione agitur, clamant & circumſtantiæ temporis quo ſcripſit Theodoretus, & loci ipſius unde petita eſt objectio: 1. quidem circumſtantiæ tem- *Perpet.*
poris: non enim ignorabant coævi Theodoreto Patres Chriſtum ſe vitem & *fid. ibid.*
veram vitem nuncupaſſe: atqui ne unus eorum eſt, qui uſquam ſcripſerit *p. 255.*
Chriſtum ſe in vitem commutaſſe; nullus qui fideles adhortatus fuerit, ut Chriſtum haberent pro vera vite; nullus qui de hoc, quantumvis reclamarent ratio & ſenſus, haud tantiſper dubitandum eſſe aſſeruerit; nullus qui vel exemplis ſeu virgæ in ſerpentem, ſeu aquæ in vinum converſæ, vel rationibus ab omnipotentia divina petitis, converſionem hanc Chriſti in vitem perſuadere voluerit: & tamen nihil horum obliti ſunt, quando actum eſt de Euchariſtia; ergo longe aliter denominationem vitis, & denominationem ſanguinis Euchariſtici intellexere; ergo iterum cum neceſſario falſa ſit ea textus cujuſpiam interpretatio, quæ ſic ei ſoli congruit, ut diſcordet a ceteris, jam conſtat legitime præſumi, nominum permutationem quæ fit in Euchariſtia, longe ab ea diverſam eſſe quam in vitis demonſtratione Chriſto adaptata admittit Theodoretus. Atque id 2. evincit ipſe locus unde petita eſt objectio: ſic enim ibidem legere eſt, Eran. *poſt ſanctificationem quomodo appellas* ſymbola? Orthod. *Corpus & ſanguinem Chriſti*. Eran. *Et credis te percipere corpus & ſanguinem Chriſti*? Orthod. *Ita credo ... intelliguntur* enim

ta eſſe quæ facta ſunt, & creduntur & adorantur, ut quæ illa ſint, quæ creduntur. Unde ſic: Symbola jam non ſunt id quod antea erant, ſi aliud quid per ſanctificationem facta ſint: atqui aliud facta ſunt, nempe corpus & ſanguis Chriſti, adeo ut iis receptis, & fide recipi credatur ſanguis Chriſti, & ut talis adoretur; ergo cum nihil unquam tale docuerit Theodoretus de vite, nuſquam v. g. docuerit nos recepto Chriſto recipere vitem, aut Chriſtum habere pro viti, aut Chriſtum qua vitim adorare, ſtat longum ab eo ſancitum eſſe diſcrimen vitis inter & ſanguinis denominationes.

Albert. p. 786. Inſt. 2. Juxta Theodoretum, Chriſtus *viſibilia ſymbola corporis & ſanguinis appellatione* HONORAVIT: atqui hæc loquendi formula nuſquam adhibetur niſi in rebus, quæ abſque ſubſtantiali ſui mutatione, aliarum rerum nominibus honorantur. Nemo enim, v. g. Moſis virgam ſerpentis nomine, aut aquam Canæ vini appellatione honoratas fuiſſe dixerit: ſed rectiſſime dicitur imaginem Regis nomine Regis honorari, ac proinde ſacra ſymbola nominibus corporis & ſanguinis, cujus ſacramenta ſunt.

R. ad 1. neg. min. res enim quæ præter naturalem ſuam conditionem honorificum ſtatum acquirit, non incongrue nomine hujuſce ſtatus expreſſivo honorari dicitur: ſecus ſi ſtatus quem acquirit, nihil habeat honorifici. Unde ridicula ſunt Albertini exempla, quia nec ſerpentis, nec vini nomina honorificos inter titulos uſquam recenſita fuere; de his, quæ pluribus proſequi non vacat, adi citatum Perpetuæ fidei Auctorem p. 275. ubi locutionem *honorati panis*, quam ex Theodoreto arripit Albertinus ut ſibi faventem, a diſertis Tranſubſtantiationibus admiſſam fuiſſe oſtendit. Neque, ait, mirum id videri debet: quia cum imaginatio noſtra panem ut minime deſtructum ſibi repræſentet, eum quoque ſibi repræſentat quaſi provectum ad ſtatum ſublimiorem, ſibique magis honorificum. Sic S. Fulbertus Carnot. Ep. 1. *Terrena materies*, inquit, *naturæ & generis ſui meritum tranſcendens, in Chriſti ſubſtantiam commutatur.* Sic S. Hildebertus Cœnomanenſis Lib. de officio Miſſæ: *Neſcit homo, latet & ſuperos quo provehat eſcas, gratia verborum, myſteriumque crucis.* Sic Auctor ſermonis de dignitate Sacerdotum inter opera S. Bernardi: *Creator vini eſt qui vinum provehit in ſanguinem.*

Inſt. 3. ex Theodoreto: *Chriſtus ſymbola nomine corporis honoravit, non naturam mutans, ſed gratiam naturæ addens.* Ex iis verbis quæ adventitiam panis gratiam, ſeu præſentiam virtutis & efficaciæ, prout admittitur a Calvinianis, mire adſtruunt, ſic diſputo: Ubi eadem quæ prius manet natura panis, ibi panis extrinſece prorſus corporis Chriſti nomine honoratur: atqui, ex Theodoreto, in Euchariſtia manet eadem quæ prius natura panis: *Non naturam mutans*, &c. ergo.

R. diſt. min. in Euchariſtia manet natura panis, ſumpto naturæ nomine pro panis proprietatibus, quæ ſenſus afficiunt, C. ſumpto naturæ nomine pro intima panis eſſentia, N. jam ſupra, ubi de Pſeudo-Chryſoſtomi Epiſtola, probavimus naturæ nomen apud ſacros & profanos Auctores ſumi, nec raro ſed frequenter ſumi pro ſolis rei proprietatibus, atque id *non ex Hilario tantum & Tertulliano, ſed & ex aliis quamplurimis*, nempe viginti *Albert. p. 787.* quatuor teſtimoniis probat Albertinus ipſe, cui conſonat Claudius contra Nouetum p. 483. ergo & eo ſenſu apud Theodoretum accipi poteſt, ſi nihil obſtet, & multo magis ſi acceptionem hanc multa perſuadeant: atqui 1, nihil obſtat, ut ſtatim videbimus; 2. in contrarium urgent plurima,

Nam

Digitized by Google

Nam 1. confitetur ibidem Theodoretus ſubſtantiam panis in Chriſti corpus converti; cum aperte dicat ſymbola intelligi id eſſe quod facta ſunt, taliaque credi & adorari: atqui ſi ipſa panis ſubſtantia in corpus Chriſti converſa ſit, fieri non poteſt ut eadem maneat quæ prius; 2. Eutychiano, quem refellit Theodoretus, perſuaſum erat ſymbola vere mutari in corpus Chriſti; cum ex hac eorum mutatione tanquam indubie præſuppoſita nitatur probare Chriſti corpus *poſt aſcenſionem* in divinitatem converſum fuiſſe: unde hodiedum (nota bene) puram de reali præſentia (quam certe a Romana Eccleſia, cui a Concilii Calchedonenſis temporibus capitaliter infenſi ſunt, non hauſere) fidem ſervant Eutychiani. Jam vero hanc Eutychiani ſui ſuppoſitionem non impugnat Theodoretus, ſed potius adſtruit, cum ſymbola vult credi id eſſe quod facta ſunt, ideſt corpus & ſanguinem Salvatoris, ut ſupplet ipſe Albertinus; 3. de ea loquitur ſubſtantia Theodoretus, quæ *tangi viderique poſſit* ut prius; ergo externam potius rei ſpeciem, quam intimam rei naturam inveſtigat. *Perpet. fid. T. 1. L. 5. & T. 3. L 8. c. 19.*

Et vero ne ipſi quidem apertiſſimi Tranſubſtantiatores, ante fixam, ut hodie eſt, vocum *naturæ* & *ſubſtantiæ* ſignificationem, ſuperſtitem in Euchariſtia panis naturam admittere reformidarunt. Sic, ne pluribus immorer, Arnoldus bonæ vallis, S. Bernardo æqualis, Serm. de Cœna Domini: *Panis iſte*, inquit, *quem Dominus Diſcipulis porrigebat, non effigie, nec natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro:* ubi natura pro externis proprietatibus, non pro ipſa proprietatum radice & baſi accipitur.

Atque hinc colliges per *gratiam* quam *naturæ* addi docet Theodoretus, haud intelligi fictitiam illam efficaciæ virtutem, quæ a Calvinianis pani Euchariſtico affingitur, quamque Miniſter Claudius etſi fors ore confitebatur, negabat corde, imo quam rejicit Albertinus * dum a Theodoreto admiſſam confitetur; ſed aut vim illam mirabilem qua ſymbola fiunt id quod poſt ſanctificationem eſſe dicuntur; vel ipſum Chriſti corpus, quod ſymbolis illabitur, quodque *Gratiam* dici tot exemplis demonſtratum eſt a Perronio *, ut hanc nominis gratiæ acceptionem non inuſitatam eſſe confeſſus ſit idem Albertinus. Et vero quid aliud ſibi vult id Hebr. 2. v. 9. *Gratia Dei pro omnibus guſtavit mortem.* *Supra p. 147.* * *Albert. p. 792.* * *Perron. p. 517.*

Inſt. 4. Atqui per naturam ſymbolorum intelligit Theodoretus ipſam panis ſubſtantiam; ergo nulla reſponſio.

Prob. ſubſump. ex his ejuſdem verbis dialog. 2. qui quoniam naturarum confuſionem ab Eutychianis invectam impugnat, dicitur *Inconfuſus*. Hæc ibi p. 85. Eran. *Credis te percipere corpus & ſanguinem Chriſti?* Orthod. *Ita credo*. Eran. *Sicut ergo ſymbola Dominici corporis & ſanguinis alia ſunt ante ſacerdotalem invocationem, poſt invocationem vero mutantur & alia fiunt; ſic & Dominicum corpus poſt aſſumptionem in divinam ſubſtantiam mutatum eſt.* En Eutychiani objectio: ad hanc quid Orthodoxus: *Retibus*, inquit, *quæ ipſe texuiſti, captus es: neque enim myſtica ſymbola poſt ſanctificationem a natura ſua diſcedunt: manent enim in priore ſubſtantia & forma, & viſibilia & palpabilia ſunt, qualia prius erant: intelliguntur autem ea eſſe quæ facta ſunt, & creduntur & adorantur, ut quæ illa ſint quæ creduntur. Confer igitur imaginem cum archetypo, & videbis ſimilitudinem: oportet enim typum ſimilem eſſe veritati. Illud enim corpus priorem habet formam & figuram & circumſcriptionem, &, ut ſemel dicam corporis ſubſtantiam: immortale autem per reſurre-*

ctionem factum eſt, & immune a corruptione, ſedemque a dextris adeptum, & ab omni creatura adoratur, quia corpus appellatur Domini naturæ. Unde ſic: Ita intelligi debet Theodoretus, ut ſuum contra Eraniſtem ſcopum aſſequatur: atqui aſſequi eum non poteſt, niſi per naturam quæ remanet in ſymbolis, ipſam panis ſubſtantiam intelligat. Prob. min. Contendit Theodoretus id remanere in Euchariſtia poſt conſecrationem, quod Eutychianus negabat in Chriſto remanere poſt aſcenſionem: atqui id quod in Chriſto poſt aſcenſionem remanere negabat Eutychianus, ipſa erat humanitatis ſubſtantia, quam credebat penitus in divinitatem fuiſſe converſam; ergo.

Confirm. 1. quia e ratiocinio Theodoreti prout eum exponimus, ſicut ſequitur duntaxat in Euchariſtia remanere exteriorem panis figuram, ita tantum ſequi debuit in Chriſto remanſiſſe externam hominis ſpeciem; ergo unum hoc probavit Theodoretus quod non controvertebatur: neque enim negabant Eutychiani exteriorem hominis formam remanſiſſe in Chriſto. Lis eorum tota erat de natura ſeu ſubſtantia humanitatis.

Confirm. 2. Per ſymbola id intelligit Theodoretus, quod Eraniſtes cui reſpondet: atqui Eraniſtes per ſymbola intelligebat panem, quem per invocationem credebat Chriſti corpus mutari; ergo & per ſymbola panem intelligebat Theodoretus. Subſumo: atqui negabat Theodoretus ſymbola in Chriſti corpus mutari; ergo panem ſubſtantialiter mutari negabant.

Confirm. 3. Ut cenſeatur Theodoretus non negaſſe converſionem intimæ panis naturæ, neceſſum eſt ut per naturam panis intelligat panis accidentia ſimpliciter: atqui non intelligit accidentia panis ſimpliciter & abſtracte, ſed prout iis ſubſtat natura panis. Siquidem, ut jam dictum eſt, probare vult Theodoretus corporis ſubſtantiam una cum accidentibus poſt aſcenſionem in Chriſto manere, per paritatem deſumptam ex eo quod poſt conſecrationem maneat in Euchariſtia natura panis: atqui ſi natura panis non ſignificaret accidentia reduplicative, prout iis ſubeſt ipſa panis ſubſtantia, jam nulla foret hæc concluſio. Tunc enim probaret quidem Theodoretus accidentia humanitatis in divinitatem converſa non fuiſſe; at non probaret ipſam humanitatis ſubſtantiam remanſiſſe integram, ſicut nec integra remanet in Sacramento intima panis ſubſtantia.

Propter hæc momenta non defuere e Catholicis, qui Theodoretum haud equidem circa realem præſentiam, ut male alicubi ſubinſinuat Albertinus, ſed circa tranſubſtantiationem minus accurate vel ſenſiſſe, vel locutum eſſe opinarentur. Neque, ajunt, mirum id videri debet, tum quia rebus nondum eliquatis minus caſtigata eſt locutio, ut videre eſt in Patribus qui
Perron. l. 2. Aut. 24. c. 1. de divinitate Filii ante Synodum Nicœnam ſcripſere; tum quia cum Neſtorio per annos viginti addictus fuiſſet Theodoretus, cui ſatis illubenter in Calcedonenſi Synodo anathema dixit, potuit quidpiam, etiam inadvertens, Neſtoriani fermenti retinere, ſicque congrue minus loqui de Euchariſtia, quæ unum erat e præcipuis mediis quibus S. Cyrillus & Concilium Epheſinum ad oppugnandam Neſtorii hæreſim utebantur, ut patet
Labbe tom. 3. p. 825. ex declaratione anathematiſmi undecimi, ubi ſic: *Sanctum ac vivificum incruentumque in Eccleſiis ſacrificium peragimus; corpus quod proponitur, ſimiliter & pretioſum ſanguinem, non communis, nobiſque ſimilis hominis cujuſpiam eſſe credentes, ſed potius tanquam proprium corpus effectum, & ſanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat, accipientes .˙.˙. Cum itaque Neſtorius, & qui cum*

illo

Digitized by Google

illo ſentiunt, myſterii hujus virtutem temere diſſolvant, propterea, & id quidem admodum convenienter, editus eſt hic anathematiſmus.

Addit Garnerius in Auctario Theodoreti diſſert. 3. cap. 3. §. 2. *nihil eſſe admodum cauſæ cur in quæſtione de tranſubſtantiatione Catholici vehementer ſint ſolliciti de Theodoreti ſententia, ut qui conſulto mentem aperire noluerit, propterea quod graviter incommodaſſet rebus ſuis. Si enim Catholicam doctrinam de tranſubſtantiatione ſecutus fuiſſet eo loci, quo de agitur, adverſarius continuo ſuam inde opinionem de Incarnationis modo, aut probaſſet, aut exemplo declaraſſet: ſin autem contra doctrinam Catholicam aperte ſenſiſſet, adverſarius ſtatim erroris unius reum facile in invidiam alterius vocaſſet.* Hæc ille, quibus tamen omiſſis, Garner. p. 479.

R. ad 1. neg. ſubſ. Ad 2. neg. min. nam Theodoreto ad convellendum Eutychiani argumentum ſatis erat ut oſtenderet in Euchariſtia res a ſe invicem diſtinctas, proprietates ſcilicet & Chriſti corpus abſque confuſione ulla reperiri: atqui probabat Theodoretus duo hæc in Euchariſtia reperiri abſque confuſione; ergo ſcopum aſſequebatur ſuum, & oſtendebat in Chriſto poſt aſcenſionem non confundi naturas.

Et certe ridiculum eſt exigere ut Patrum ratiocinia adeo ex omni parte æqua ſint, ut in iis nihil vel minimum claudicet. Nonne probat Juſtinus Filium olim in Lege veteri apparuiſſe, non Patrem, quia Pater immenſus eſt? Nonne ait Hilarius Lib. 8. de Trin. Patrem unum eſſe cum Filio, ſicut fideles unum ſunt inter ſe? Si ergo hæc & alia id genus non pauca illibata Trinitatis fide dicta ſunt, quidni & intacta tranſubſtantiationis fide intelligantur Theodoreti verba?

Ad 3. diſt. maj. contendit Theodoretus in Euchariſtia manere id, quod in Chriſto poſt aſcenſionem manere negabat Eutychianus, quod, inquam, manere negabat proxime & directe, C. quod manere negabat indirecte & ex conſequenti, N. itaque duo negabant, aut negaſſe dicuntur Eutychiani, 1. quod humanitas poſt aſcenſionem ſuas ſervaret proprietates, puta formam, viſibilitatem, &c. 2. quod eadem humanitas ſuam ſervaret eſſentiam. Ut poſtremum hoc caput adſtruerent, incipiebant a priori, & proprietatum jacturam adſtruebant, ut ex ea jacturam ſubſtantiæ ipſius concluderent. Eamdem ſequitur methodum Eraniſtes, atque ut Theodoretum pedetentim alliciat ad confitendam humanitatis extinctionem, ſi ita loqui fas eſt, tentat id ab eo extorquere ut extinctas humanitatis proprietates confiteatur; & in hunc ſcopum adducit exemplum Euchariſtiæ, in quo ſupponit extinctum eſſe quidquid ad panem pertinebat. Hic porro retibus hominem ſuis involvit Orthodoxus, ſicque diſcurrit: Idem, ex te, judicium ferri debet de Chriſti poſt aſcenſionem proprietatibus, quod de ſymbolis Euchariſticis poſt ſanctificationem: atqui ea permanere indubium eſt. Manent enim ſymbola in priore ſubſtantia ſeu forma, ideſt videri tangique poſſunt ſicut *prius*; ergo & in Chriſto Theod. poſt aſcenſionem proprietates humanitatis confiteri debes. En Theodoreti T.4.p.85. reſponſionem, quæ ita præſenti materiæ accommoda eſt, ut niſi *naturæ* vox nunc a Scholaſticis determinata eſſet ad aliud ſignificandum, quam ſignificaret, cum ajebat Virgilius: *Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipſe addiderit*, &c. iiſdem verbis reſpondeant intrepidiſſimi quique tranſubſtantiationis defenſores.

Digitized by Google

Sed quidni ergo ulterius pergit Theodoretus, & ipſam humanitatis ſubſtantiam poſt aſcenſionem perſeveraſſe probat? Quidni? quia, ut præter morem ſuum, ſapienter obſervat Albertinus: *Non quæcumque vera ſunt, ea ubique dicenda ſunt*. Quidni rurſus? quia, ut tradit, bene an male, idem Albertinus, agnoſcebant Eutychiani humanitatem in Chriſto ab ejuſdem proprietatibus indiſtinctam eſſe; proinque qui ad confitendas proprietates adigebantur, ii adigebantur ad confeſſionem humanitatis. Quidni demum? quia deſumpta ex ſymbolis Euchariſticis comparatio ultra quidem urgeri poterat a Calviniano, ſed non a Theodoreto. Verum ut is mage magiſque confutetur,

Albert. p. 777.

R. 2. neg. min. Etſi enim Eutychiani nomen naturæ prorſus humanitati Chriſti tribuere recuſarent, ne duas in eo naturas confiterentur, conſtat tamen ab iis, ſive ante, ſive poſt aſcenſionem, agnitam fuiſſe in Chriſto veram humanitatis ſubſtantiam, cujus proprietates plane divinas evaſiſſe contendebant; & licet eorum forte nonnulli ceteris imperitiores humanitatem a divinitate penitus, ſeu ad deletionem, uſque abſorptam crediderint, haud tamen iis aſſentiebat Eraniſtes in ea quam nunc indagamus Theodoretani Dialogi parte: 1. enim ab eo obtinuerat Theodoretus ut fateretur *non deletam eſſe naturam*, *ſed mutatam* tantum *in ſubſtantiam divinitatis* p. 78. 2. ut mutationem hanc, quam primo contendebat Eraniſtes *in conceptione* factam fuiſse, nonniſi poſt reſurrectionem contigiſſe agnoſceret, pag. 79. 3. ut tacite carnem admittens, præcipue diſputaret de ejus proprietatibus, puta an Chriſtus revera cibum ſumpſiſſet poſt reſurrectionem, p. 80. an corpus Chriſti vere corpus eſset *priſtinam habens circumſcriptionem*, p. 82. an videri poſſet, p. 83. 4. quin & ſilentio ſuo fatebatur ibid. & pag. 84. Eraniſtes corpus Dominicum *propriam* in cœlis habere *ſubſtantiam immutabilem;* ergo cum eo redire videtur, ut *corpus Domini in aliam mutari naturam* velit, ibid. non magis intimam corporis Dominici ſubſtantiam abnegavit, quam in ferro candenti ſuperſtitem ferri eſsentiam negare potuerit, p. 78. ubi tamen & ferrum adhuc appellari, & incudi imponi, & malleo percuti cum *omnibus* concedit; ergo iterum de ſolis Dominici corporis proprietatibus diſputat; ergo rurſus cum eum impetit Theodoretus exemplo Euchariſtiæ in qua manet *prior forma*, *circumſcriptio*, *&*, *ut ſemel dicam*, *ſubſtantia*, p. 85. per ſubſtantiam nihil aliud præter rei proprietates intelligit, quas ut totas *ſemel* diceret, uno *ſubſtantiæ* verbo enuntiatas voluit.

Garner. p. 478.

Confirm. 1. quia ſolet Theodoretus Magiſtris ſuis aſſentire, præſertim cum illi in re magni momenti concordes ſunt: atqui Chryſoſtomus & Theodorus Mopſueſtenus, quibus magiſtris Theodoretus gloriabatur, in tranſubſtantiatione, re profecto maximi momenti, concordes ſunt. Prior Homil. in Matth. *Non ſunt humanæ virtutis opera propoſita*... *qui hæc ſanctificat & tranſmutat*, *ipſe* Chriſtus *eſt*. Poſterior in Catena ad cap. 26. Matth. *Non dixit*, *Hoc eſt ſymbolum corporis & ſanguinis mei; ſed*, *Hoc eſt corpus meum*, *docens nos non reſpicere ad naturam ejus quod propoſitum eſt*, *ſed per factam gratiarum actionem in carnem & ſanguinem mutari*.

Confirm. 2. quia etſi Eraniſtes apud Theodoretum hominis refellendi perſonam gerit, haud tamen oportet ut fatui prorſus & mente capti vices ſuſtineat: atqui hominum ineptiſſimus eſſe debuit, ſi ad probandam

illam,

illam, quam in Chriſto admittebat humanitatis converſionem, recurrerit ad Euchariſticam converſionem, quæ reapſe fictitia erat & umbratilis, ut volunt Proteſtantes: certe enim cauſam ipſe ſuam peremiſset; ergo argumentari debuit ex conſtanti totius Eccleſiæ ſenſu; ergo iterum cum ei in præcipuo paritatis hujus capite aſſenſerit Theodoretus, confitendo ſymbola id intelligi quod per conſecrationem facta ſunt, & ut talia credi & adorari, conſequens eſt eum veram hic, non equidem proprietatum, ſed intimæ ſubſtantiæ converſionem admiſiſſe.

Confirm. 3. quia qui ne quidem Lutheranus eſt, multo minus Calviniſta cenſeri debet: atqui ne Lutheranus quidem eſt in objecto loco Theodoretus; cum Centuriatores Magdeburgenſes, qui & ipſi homines erant ut Albertinus, eum hic periculoſe legi confeſſi ſint Centur. 5. c. 4. pag. 517. ergo.

Ad 1. confirm. 1. neg. ant. ſi enim, ut Albertino placet, aſſertis in Chriſto humanitatis proprietatibus, ipſam aſseri debere humanitatem contendebant Eutychiani, plurimum proficiebat Theodoretus adſtruendo ejuſdem humanitatis proprietates, quia ſic remote & indirecte adſtruebatur humanitas; ac proin lis magna ſui parte dirimebatur.

Quod additur Eutychianos non dubitaſse quin exterior hominis forma remanſiſset in Chriſto, ſi poſt aſcenſionem Chriſti intelligatur, forſitan & ante, prorſus falſum eſt vel ex ipſis Theodoreti dialogis, ubi Chriſti humanitas poſt unionem cum divinitate, nunc comparatur ferro ardenti, quod *non amplius ferrum ſed ignem cenſeri* vult Eraniſtes, quia *ignis vim & operationem habet;* nunc guttæ mellis in mare projectæ, quæ profecto priorem formam non ſervat. *Theod. p. 78. p. 77.*

Ad 2. confirm. neg. min. per ſymbola enim directe & primario intelligebat Eraniſtes id ex cujus immediata converſione nitebatur inferre converſionem quam in humanitate Chriſti fieri exiſtimabat: atqui converſio quam in humanitate Chriſti fieri exiſtimabat, erat quidem mediate & ex conſequenti converſio ſubſtantiæ ipſius humanitatis, primario autem & directe converſio externarum proprietatum; ergo de hac & ſola tunc loquebantur & Orthodoxus & Eraniſtes, rati ſcilicet (juxta reſponſionem primo loco datam loquor) admiſsa hac proprietatum converſione prævalituram ex conſequenti ſententiam de ipſius humanitatis converſione; eadem vero converſione negata, prout a Theodoreto negabatur, negatum iri pariter ejuſdem humanitatis converſionem.

Quod ſi quis ſecundæ reſponſioni adhærere velit, negabit eamdem min. dicetque & Eraniſtem & Orthodoxum per ſymbola intellexiſse externas panis conſecrati proprietates, non autem harumce proprietatum radicem, quia de illis tantum, non de iſta tunc temporis ageretur. Unde in utraque reſponſione unum & idem per ſymbola intelligitur; verum in priori a converſione ſymbolorum tenditur ad ſubſtantiæ ipſius converſionem, non vero in poſteriori.

Ad 1. tertiæ confirm. neg. min. ad 2. 1. neg. maj. quia tunc non agebatur de probanda ipſius humanitatis converſione, quam tacite ſaltem agnoverat Eraniſtes, ſed de probanda proprietatum ſubſiſtentia, quam per paritatem ex fictitia Euchariſticorum ſymbolorum converſione ſubruere conabatur Eutychianus.

Digitized by Google

2. Neg. min. & dico valere adhuc Theodoreti argumentum, quia probando ſupereſse humanitatis proprietates, parabat ſibi viam ad probandum ſupereſse ipſam humanitatis ſubſtantiam; præſertim ſi, ut Albertino videtur, ſponte faterentur Eutychiani admiſſis proprietatibus admitti debere ſubſtantiam.

Ex his obiter inferes falſum eſse quod dicunt adverſarii, nimirum ſubſtantiam a Theodoreto conſtanter opponi accidentibus: etſi enim eam plerumque opponit iis accidentibus, quæ a ſubjecto ſine ejus interitu naturaliter avelli poſsunt; non iis tamen opponit, quæ ita ſubſtantiæ cohærent ut nonniſi per miraculum ab ea divelli poſſint, quæque populari judicio certum corpus conſtituere cenſentur: qualia ſunt forma, figura & circumſcriptio, quæ, ut annotavimus, ſemel & uno verbo a Theodoreto ſubſtantia corporis appellantur.

Inſt. 5. Theodoretus dialog. 3. cui titulus, *Impatibilis* ſic loquitur p. 127. *Si parvum tibi ac vile videtur* corpus Chriſti pro nobis in cruce paſsum, *quomodo ejus typum venerabilem & ſalutarem exiſtimas? cujus autem typus adorandus eſt & ſalutaris, qui poteſt archetypum ipſum deſpici & extenuari.* Unde ſic: Qui Euchariſtiam habet ut quid ipſo Chriſti corpore inferius, haud eam habuit pro ipſo Chriſti corpore: atqui Theodoretus ∴ qui enim Euchariſtiam habet ut typum, corpus vero Chriſti paſsum in cruce ut archetypum, quique ex typi adoratione concludit a minori ad majus, Archetypum ipſum adoratione dignum eſse, is profecto Euchariſtiam habet ut quid inferius ipſo Chriſti corpore: atqui, &c.

R. 1. locum hunc Calvinianis directe adverſari. Si enim Euchariſtia merus ſit typus, ſeu mera imago, conſtat antiquos pro certo habuiſse religioſum, de quo ſolo hic agitur, cultum imaginibus decerni poſse, quod tamen præfracte negant adverſarii.

R. 2. diſt. min. habet ut quid inferius penes ſtatum, C. penes rem ipſam, N. itaque Euchariſtia eſt typus & commemoratio Chriſti patientis, a quo etiam vim ſuam depromit. Unde cum ex recepta Philoſophorum ſententia, propter quod unumquodque tale eſt, & illud magis, Euchariſtia ſub hoc reſpectu minus quid Chriſto patiente cenſeri poteſt. Sed non ideo expers eſt corporis Chriſti: quandoquidem dicitur & adoranda, & ſalutaris, ſeu ſalutis principium, quod non nudo hominis corpori, ſed corpori hominis Dei competere declarat ibidem Theodoretus.

Addi poſſet Theodoretum typi nomine externam Euchariſtiæ partem, quæ ratione contenti & ſalutaris eſt adoranda, ratione autem ſui inferior eſt corpore Chriſti intellexiſſe; prout ſolent Patres, & ipſe Theodoretus in appendice dialogorum ſeu *demonſtrationibus per ſyllogiſmos*, ubi hæc habet: *Si caro in divinitatis naturam mutata eſt, quam ob cauſam ea percipiunt* Eutychiani, *quæ antitypa ſunt corporis? ſupervacaneus enim eſt typus ſublata veritate.* Eſt enim quaſi dicat: Si Chriſtus verum corpus non habet, nullus eſt ejuſdem typus in Euchariſtia, quæ non divinitatis, ſed corporis typus eſſe debet: ut quid ergo corporis antitypa percipiunt Eutychiani?

Sed cur ab externa tantum Euchariſtiæ parte argumentatur Theodoretus? Poterat ſane argumentari ab interna, prout fecerunt alii plures, & inter alios Anaſtaſius Sinaita, Patriarcha Antiochenus, qui ex vero Chriſti corpore in Euchariſtia verum Chriſti in cœlo corpus directe conclu-

Digitized by Google

cluſit *: verum ab ea via abſtinuit Theodoretus, ſeu quia credidit ſe, ſi ſemel Eutychianos adigeret ad admittendas corporis proprietates, id facile obtenturum ut & corporis ſubſtantiam admitterent; ſeu quia forte veritas eſt, ne preſſi tandem Eutychiani, corpus Chriſti negarent in Euchariſtia, quemadmodum negabant in cœlo. Sane id ab aliquibus factitatum ſubindicant hæc Iſaac Armeniæ Catholici verba: *Mutant* Eutychiani *traditiones Eccleſiæ Catholicæ & myſteriorum Chriſti, ſua unius in Chriſto naturæ blaſphema affirmatione. Neque ſanctam communionem myſteriorum aut ſacrificium panis, qui eſt caro Chriſti vocant corpus Chriſti Dei. . . . ſed divinitatem.*

Conclusio VI. Patres ſæculi VI. ceterique ad Paſchaſium præſentiam realem docuere: unum aut ad ſummum duos ex unoquoque ſæculo proferemus. Itaque

Prob. de ſæculo VI. 1. ex S. Cæſario Arelatenſi, qui Homil. 7. de paſchate: *Recedat*, inquit, *omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor eſt muneris, ipſe etiam eſt teſtis veritatis. Nam inviſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui ſecreta poteſtate convertit, ita dicens. . . . Hoc eſt corpus meum*, &c. *Ergo ſicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cælorum, pari potentia in ſpiritualibus Sacramentis Verbi præcipit effectus & rei ſervit effectus. Sacrum Dei tui corpus tantum eſt in exiguo, quantum eſſe conſtat in toto . . . . . Ante verba ſubſtantia eſt panis & vini; poſt verba autem Chriſti, corpus eſt & ſanguis Chriſti. Quid autem mirum eſt ſi ea quæ verbo creare potuit, poſſit creata convertere?* ad hæc quæ tam aperta ſunt, ut contra Berengarium ſcripta videantur, nihil quod detegere potuerim, Albertinus.

Objicit tamen alibi ex Cæſario, *Deum in hominem mutari* in Incarnatione, quin & juxta multos Patres, Sanctos *omnes in divinam naturam* tranſmutatum iri: atqui, ait, poſtremæ mutationes ſubſtantialiter intelligi non poſſunt; ergo nec ea de qua loquuntur Patres cum agunt de Euchariſtia. P. 424.

At immenſum inter utrumque mutationis genus diſcrimen facile deprehendet quiſquis lumini rebellis non fuerit. An enim ut hominem in Incarnatione, vel Sanctos poſt reſurrectionem in Deum converti oſtenderent Patres, eos adduxere Scripturæ textus, qui in obvio ſenſu ſubſtantialem tranſmutationem exprimerent? certe his abuſum Eutychem geminato anathemate confixerunt. An ut ſtupendam hanc converſionem perſuaderent, non rationi, non ſenſibus, ſed uni Dei loquentis auctoritati credendum dixere? an ad ea recurrere miracula, queis vel e nihilo mundus emerſerit, vel ex aqua vinum? ut quid ergo abjectis circumſtantiis, quæ vocis ambiguæ ſenſum determinant, ſoli voci inhæret Albertinus?

2. Idem docet Auctor operis de vitis Patrum, ubi hiſtoria quædam ad Euchariſtiam ſpectans his refertur verbis: *Dixit Abbas Arſenius de quodam Scetiota, quod . . . quia erat idiota fallebatur & dicebat: Non eſt revera corpus Chriſti panis quem ſumimus, ſed antitypum ſeu figura . . . . . Illi vero eum monuerunt hiſce verbis: Abba, noli ſic tenere, ſed quemadmodum tradit Eccleſia Catholica: Nos enim credimus quod ipſe panis corpus ſit Chriſti ſecun-*

* Anaſtaſius in Odego cap. 13. p. 233. eſt autem Odegos idem quod *dux viæ*. Idem c. 25. præſentiam realem aperte docet his verbis: *Dominus non dixit: Hoc eſt antitypum corporis & ſanguinis mei*, ſed *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*.

ſecundum veritatem, non ſecundum figuram ..... Completa ergo hebdomada venerunt Dominico die ad Eccleſiam, ſteteruntque una tres ..... Tunc aperti ſunt oculi eorum: nam cum panis ad ſacram menſam poſitus fuiſſet, tribus ſolis apparebat velut puerulus ..... Ut porro acceſſerunt ad ſumendum de ſanctis, ſoli ſeni data eſt caro cruenta: quod intuitus timuit & clamavit dicens: Credo, Domine, quod panis corpus tuum ſit, nec non calix ſanguis tuus. Atque illico caro quam præ manibus gerebat, evaſit in panem juxta myſterium. Hæc porro hiſtoria, etiamſi gratis ſupponatur ficta, diſertiſſime declarat quæ tum fuerit Eccleſiæ Catholicæ fides.

P. 889. Objicies cum Albertino: Facundus, Hermianenſis in Africa Epiſcopus, & VI. ſæculi Scriptor, ut Theodorum Mopſueſtenum, qui Chriſtum in filium adoptivum traduxiſſe ferebatur, excuſet, ſic loquitur Lib. 9. *Adoptionem quoque filiorum ſuſcepiſſe Chriſtum ſi antiqui Doctores Eccleſiæ dixiſſe monſtrarentur, nec ipſi, nec omnis Eccleſia quæ tales Doctores habuit, judicari deberent hæretici. Nam Sacramentum adoptionis ſuſcipere dignatus eſt Chriſtus, & quando circumciſus eſt, & quando baptizatus eſt: & poteſt Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, ſicut ſacramentum corporis & ſanguinis ejus quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguinem dicimus, non quod proprie corpus ejus ſit panis & poculum ſanguis, ſed quod in ſe myſterium corporis ſanguiniſque contineant. Hinc & ipſe Dominus benedictum panem & calicem, quem Diſcipulis tradidit, corpus & ſanguinem ſuum vocavit. Quocirca ſicut Chriſti fideles Sacramentum corporis & ſanguinis ejus accipientes, corpus & ſanguinem Chriſti recte dicuntur accipere, ſic & ipſe Chriſtus Sacramentum adoptionis filiorum cum ſuſcepiſſet, potuit recte dici adoptionem filiorum ſuſcepiſſe.* Hæc Facundus, ad quæ exultans, vixque ſui compos Albertinus: *En*, inquit, *non verba, ſed fulgura, tonitrua ac fulmina adverſariis lethalia*. Papæ! actum eſt de nobis; omninoque interiimus, niſi qui contra Eccleſiam tam acriter pro trium capitulorum defenſione ſtetit Facundus, ſtet pro nobis in Euchariſtia. Ut ut eſt, ſic diſputat Novator. Eo modo, juxta Facundum, Sacramentum Chriſti quod eſt in pane & in poculo conſecrato, vocatur corpus & ſanguis Chriſti; quo Baptiſmus adoptio nuncupatur: atqui Baptiſmus, non eo quia proprie & formaliter ſit adoptio, adoptio nuncupatur, ſed quia eſt adoptionis ſignum; ergo.

R. neg. maj. duplex enim eſt in Facundi locutione diſcrimen quoad utrumque Sacramentum: ait enim 1. Baptiſmum dici *poſſe* adoptionem, adeo ut nec intolerabiliter, nec hæretice loquatur, qui Baptiſmum adoptionem vocaverit, contra vero ait nitide & rotunde, Sacramentum corporis & ſanguinis corpus & ſanguinem vocari; ergo aliter adoptionem Baptiſmo, aliter corpus & ſanguinem Euchariſtiæ adſcribit; 2. ait Baptiſmum dici adoptionem quia filios adoptivos facit; Euchariſtiam vero corpus & ſanguinem vocari, quia *in ſe myſterium corporis & ſanguinis contineat*: atqui myſterium corporis, eſt ipſum corpus ſub panis ſpecie latens, ſecundum id Hieronymi in Epiſt. ad Evagrium: *Myſterium Chriſtianorum in Salvatoris corpore & ſanguine eſt;* ergo in fulmineo illo Facundi textu exprimitur veritas catholica; 3. alludit hic Facundus ſtrenuus Auguſtini lector, & admirator, ad eum S. Doctoris locum, ubi Sacramentum fidei fidem dici poſſe opinatur, prout Sacramentum corporis Chriſti, Chriſti corpus dicitur; ergo idem quoad omnia cum Auguſtino ſenſiſſe exi-

exiſtimari poteſt: porro Auguſtinum, etſi quandoque locutum duriuſcule, noſtrum eſſe probavimus

At, inquis, negat Facundus panem proprie eſſe corpus Chriſti; negat inſuper proprie recipi corpus Chriſti a fidelibus; ergo.

R. 1. dicit econtra Facundus *recte* dici *fideles accipere corpus & ſanguinem Chriſti:* porro non recte ſed inepte qui figuram accipit, rem ipſam accipere dicitur.

R. 2. diſt. ant. negat Facundus panem, ſeu, ut antea loquitur Sacramentum eſſe Chriſti corpus, eſſe, inquam, prout eſt ſacramentum, ideſt, ſignum exterius, C. negat panem pro tota Euchariſtia ſumptum eſſe corpus Chriſti, N. ſane fatemur & nos exteriora ſymbola prorſus diſtingui a Chriſti corpore; unde qui ea qua talia recipit, haud proprie recipit Chriſti corpus: non tamen recipit purum ſignum, quia recipit ſignum *in ſe continens myſterium corporis & ſanguinis*.

Prob. de ſæculo VIII. ex Gregorio magno, is Hom. 14. in Evangelia: *Bonus paſtor*, inquit, *pro ovibus ſuis animam poſuit, ut oves quas redemerat, carnis ſuæ alimento ſatiaret*. Porro qui ſatiat carne, non ſatiat carnis ſimulacro.

Idem Homil. 22. *Quid ſit ſanguis agni, jam non audiendo ſed bibendo didiciſtis. Qui ſanguis ſuper utrumque poſtem ſumitur, quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis ſumitur.* Unde ſic: Sanguis agni eſt verus Chriſti ſanguis: atqui is bibitur, nec ſola fide bibitur, cum quandoque ore ſolo bibatur, ut exigit tacita quæ hic inſtituitur antitheſis.

His jungi poſſunt inſignia duo miracula, quorum prius ab ipſo Gregorio refertur, poſterius a duobus vitæ ejuſdem Gregorii ſcriptoribus: prius in ſumma habet, Agapito Romanæ Eccleſiæ Pontifici oblatum fuiſſe mutum & claudum, *qui neque ulla verba edere, neque ex terra unquam ſurgere valebat*. Tum interrogatis qui hominem curandum obtulerant, an *fixam ſalutis illius ſpem* haberent, quam & habere ſe dixerunt, *protinus venerandus vir orationi incubuit, & Miſſarum ſolemnia exorſus, ſacrificium .... immolavit, quo peracto ab altari exiens claudi manum tenuit, atque ..... mox a terra in propriis greſſibus erexit, cumque ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua ſoluta eſt: mirati omnes flere præ gaudio cæperunt*. Hæc Gregorius Lib.3. Dialog. c.3. ubi habes altare, Miſſam, ſacrificium & corpus Domini, quæ omnia deteſtantur Calviniſtæ.

Poſterius miraculum evenit occaſione matrisfamilias, quæ a S. Gregorio interrogata cur jam jam *communicatura* riſiſſet, reſpondit riſiſſe ſe porro, quia de pane quem ipſa compegerat, audiiſſet eum dicentem: *Corpus D. N. J. C. cuſtodiat animam tuam:* ad hæc *Gregorius pro incredulitate mulieris, cum tota plebe ſe in orationem proſtravit, & poſt paululum ſurgens, particulam panis quam ſuper altare poſuerat, carnem factam reperit.* Tuncque * *mulieri ait: Diſce verum eſſe quod veritas ait, quia panis quem nos offerimus, vere eſt corpus Chriſti &c. Deinde Sacerdos Chriſti continuo precibus egit, ut eadem caro & ſanguis priſtinam reciperet formam &c.*

Ad

* Poſteriora hæc verba deſumpta ſunt ex Tractatu Euchariſtico Paſchaſii, cui a Frontone Ducæo S. J. ex Mſſ. bonæ notæ reſtituta ſunt. Priora verba ſunt Joannis Diaconi Lib. 2. vitæ S. Gregorii, nu. 41. cui concinit qui ante ipſum, uno fere ſæculo, ideſt octavo labente, ejuſdem Gregorii vitam texuit Paulus Diaconus, Caſinenſis Monachus n. 23. tom. 4. novæ edit.

Ad hæc quid Albertinus? fabellam hanc ſpiritum mendacii ſpirare, tum
P. 899 quia a Gregorio ipſo, qui tot alia Dialogis ſuis inſeruit, ſcripta non ſit; tum quia alioqui Chriſti ſanguis hodieque fuſilis eſſet & patibilis.

Verum poſtrema reſponſionis hujus pars nihil habet ſerii. Quidni enim ſi Chriſtus hodiedum ſanguinem habet, nonnihil ejus effundere queat, nec tamen pati? quidni exhibita ſanguinis ſpecie, veritatem ſanguinis ſui demonſtrare poſſit: de quo infra.

Quod ad partem primam attinet, placebit ea quidem rigidioribus criticis, quales ætas noſtra multos parturit; at omnibus placituram non auguror. Sane enim miraculum quo de agitur, *penes Anglorum Eccleſias vulgo* legebatur, ut tradit Joannes Diaconus: tantaque erat vitæ ab eo conſcriptæ auctoritas apud veteres, ut teſte Guitmundo, Averſano Antiſtite Lib. 3. de Euchar. *eam Sanctiſſimi, Doctiſſimique Romani Pontifices, nullo hactenus diſſonante*, ſaltem in præcipuis capitibus *probaverint;* quod & *tot Eccleſiæ, cuncto populo Chriſtiano conſonante, nunc uſque* fecerunt. Ceterum potuit factum hoc non excribere Gregorius, vel præ modeſtia, vel ut mulieris ſuperſtitis famæ parceret, vel quia paucis ante vitæ ſuæ exitum diebus contigerit. Sed quidquid ſit de facti hujus veritate, conſtat luculentum tranſubſtantiationis teſtimonium in his extare verbis, quibus incredulam mulierem compellat Gregorius apud Paulum Diacon. nu. 23. *Conditor noſter .... ea poteſtate qua cuncta fecit ex nihilo ..... panem & vinum aqua mixtum, manente propria ſpecie, in carnem & ſanguinem ſuum .... Spiritus ſui ſanctificatione convertit*, Conſtat proinde, prout annotarunt eum
Tom. 4. pag. 11. in locum Benedictini, tranſubſtantiationis dogma longe ante Paſchaſium, ſecus ac Calvinianæ ſectæ Miniſtris placet, aſſertum fuiſſe.

Prob. de ſæculo VIII. ex S. Joanne Damaſceno, quem in tranſubſtantiationis puncto noſtrum eſſe fatentur Centuriatores Magdeb. cent. 8. c. 4. Sic ille Lib. 4. de orthod. fide, c. 14. *panis vinumque & aqua per invocationem & adventum Spiritus ſancti ſupernaturaliter tranſmutantur in corpus & ſanguinem Chriſti, & non ſunt duo, ſed unum & idem. Panis & vinum non ſunt figura corporis & ſanguinis Chriſti, abſit; ſed ipſum corpus deificatum, ipſomet Domino dicente: Hoc eſt corpus meum, non autem, Hoc eſt figura corporis, ſi autem nonnulli panem & vinum nominaverunt antitypa corporis & ſanguinis, ut vocavit Baſilius, non poſt conſecrationem dixerunt, ſed antequam ſanctificaretur ipſa oblatio, ſic appellantes.*

Concinunt Nicæni Patres, act. 6. ubi ſic: *Nuſquam Dominus vel Apoſtoli aut Patres, imaginem dixerunt ſacrificium incruentum ...... ſed ipſum corpus & ipſum ſanguinem. Antequam ſanctificata fuerint, vocata ſunt typi; poſt ſanctificationem corpus*. Et vero ait Carolus magnus Lib. 4. Carolin c. 14. *Corporis & ſanguinis Dominici myſterium non imago jam nunc dicendum eſt, ſed veritas; non umbra, ſed corpus* &c.

Albert. l. 3. p. 911. & 912. Reſpondet Albertinus 1. Damaſcenum hic falſiſſima ſupponere, & mendacia loqui; 2. eum tamen nec tranſubſtantiationem, nec præſentiam realem ſtatuere: quia paſſim agnoſcit & ſolam divinitatem eſſe incircumſcriptam, & corpus non eſſe quod impalpabile & inviſibile ſit &c. Vah! felicem Albertinum, cui totus faveas, ſi Euchariſtiam typum eſſe dixeris; & cui nihil noceas, ſi eamdem negaveris typum eſſe. Ut ſolvas cetera, repete quæ ſupra de philoſophicis Patrum principiis diſſeruimus.

Prob.

Prob. de ſæculo IX. 1. ex Nicephoro Patriarcha CP. cujus hæc verba refert Allatius lib. 3. de perpetua conſenſione utriuſque Eccleſiæ, cap. 15. *Nos catholici neque imaginem, neque figuram hæc*, corpus & ſanguinem, *dicimus, licet ſymbolice conficiantur; ſed ipſum Chriſti corpus deificatum .... Hoc enim Apoſtolis exhibebat dicens: Manducate corpus meum, non imaginem corporis mei. Quemadmodum enim ex ſacra Virgine carnem per Spiritum ſanctum ſibi ipſi ſubſtituit; & quemadmodum panis, vinum & aqua naturaliter in corpus & ſanguinem edentis ac bibentis tranſmutantur, neque dicimus aliud corpus diverſum a primo fieri, ita & hæc ſupernaturaliter .... in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutantur .... & non duo intelligimus, ſed unum & idem fieri credimus.*

Obj. Nicephorus, & alii Iconomachorum hoſtes, idem cum ipſis ſentiebant circa Euchariſtiam: atqui Iconomachi præſentiam realem negabant. Hæc enim citantur eorum verba Act. 7. Concilii Nicæni II. *Acceptum panem benedixit* Chriſtus ..... *veluti nulla alia figura ...... vel imagine repræſentare ejus incarnationem valente.* Ubi Euchariſtia nihil eſt præter figuram & imaginem. *Lab t. 7. pag. 446.*

R. ad 1. neg. min. ad 2. dico admiſſam ab Iconomachis imaginem, non vacuam ſed plenam fuiſſe corporis Chriſti: 1. quia ibidem docent Euchariſtiæ panem *divinum corpus fieri*, & calici ineſſe vivificum ſanguinem qui de latere ejus fluxit; 2. quia ibidem rurſus iis enixe gratulantur qui *veram Chriſti imaginem ſinceriſſima anima colunt:* atqui tamen nullum, ut hodie loquimur, relativum cultum admittebant Iconomachi; ergo non alio principio Euchariſtiam colebant, quam quia *veram*, ſeu plenam eſſe imaginem Chriſti exiſtimarent; 3. quia iis conſtanter exprobrabant Catholici, quod quam credebant eſſe Chriſti corpus Euchariſtiam, hanc appellarent imaginem, ut videre eſt apud Nicœnam Synodum Act. 6. atqui inepta fuiſſet objurgatio hæc, ſi in Euchariſtia nihil aliud præter imaginem admiſiſſent.

Inſt. 1. Sic ibid. loquuntur Iconomachi: *Sicut quod ſecundum naturam Chriſti corpus eſt, ſanctum eſt & deificatum; ita & id manifeſtum eſt de illo quod eſt inſtitutione, ſeu de ſancta ejus imagine.* Ecce hic opponitur corpus Chriſti Euchariſticum corpori ejuſdem naturali: atqui non ſtaret oppoſitio hæc, ſi idem utrobique corpus admitteretur; ergo.

R. diſt. maj. opponitur penes modum, C. penes rem, N. nempe in eo ſtat oppoſitio, quod Chriſti corpus in Incarnatione tale ſit a natura, in Sacramento autem ex Inſtitutione: porro hæc nonniſi modum ſpectant; unde etiam in Euchariſtia *divinum corpus*, ac proin utrobique res eadem agnoſcitur.

Inſt. 2. juxta eoſdem ibid. *Sicut id quod* Chriſtus *ex nobis ſuſcepit, materia ſola eſt humanæ ſubſtantiæ non figurantis proprie ſubſiſtentem perſonam, ut non additamentum perſonæ divinitati intercidat; ita & imaginem, materiam propriam, ideſt panis ſubſtantiam præcepit offerri non figurantem hominis formam, ne idololatria ſubintroducatur.* Unde ſic: Qui ab Euchariſtia tollebant adorationem, ab ea rem ipſam corporis Chriſti tollebant: atqui Iconomachi ab Euchariſtia tollebant adorationem. Nimirum vero tollebant id omne quod idololatriam ſubintroducere poſſet: atqui hanc ſubintroducere poterat adoratio rei quæ hominis formam non figurat; ergo.

R. ad

Digitized by Google

R. ad 1. neg. min. unde grave nobis exurgit contra Calvinianos argumentum. Conſtat enim Iconomachos Euchariſtiam adoraſſe; tum quia nihil unquam leguntur mutaſſe in ritibus liturgicis, qui adorationem præcipiunt; tum quia id ut conceſſum ſupponunt, qui cum ipſis diſputant, ut Stephanus junior apud Damaſcenum: ſed non adorabant imagines.

Ad 2. diſt. min. adoratio rei humana forma deſtitutæ poterat ſubintroducere idololatriam erga ceteras ejuſdem rei imagines, C. erga Euchariſtiam ipſam, N. itaque fieri poterat (juxta Iconomachos ſcilicet, qui hic ut alibi ſtolide ratiocinantur) ut ſi Chriſtus propria ſub effigie ſe nobis in Euchariſtia dediſſet, aliæ ab hominibus paris formæ conderentur imagines, quibus aliquis rependeretur honos, quod illi ut ſummum ſcelus abhorrebant. At nuſquam finxere Chriſtum alienam in Euchariſtia ſpeciem exhibere ut ab ea cultum & adorationem removeat: 1. quia ſtatim a contrario collegiſſent Catholici, Chriſtum, ſi ſub humana forma etiam vacua ſe dediſſet, coli potuiſſe, quod rejiciebant Iconomachi; 2. quia de facto Euchariſtiam colebant, ut ſupra vidimus; 3. quia ejus realitatem in ipſo quem expendimus textu non obſcure aſtruunt. Nimirum ſe habent juxta ipſos, ſpecies Euchariſticæ ad corpus Chriſti cujus formam non figurant, ſicut materia quam ex *nobis ſuſcepit* Chriſtus, ſe habet ad perſonam Verbi quam non figurat: atqui materia quam ex nobis ſuſcepit Verbum, ita perſonam ejus non figurat, ut eam vere & ſubſtantialiter complectatur; ergo & ſpecies Euchariſticæ ita non figurant corpus Chriſti, ut ipſum vere contineant.

Inſt. 3. Juxta Nicœnos Patres Euchariſtia ſi imago ſit, non eſt veritas: atqui juxta Iconomachos Euchariſtia erat imago; ergo non veritas.

R. diſt. maj. non eſt veritas juxta popularem intellectum, & uſitatam tunc temporis ſignificationem, C. non eſt veritas reipſa & juxta Iconomachorum ſententiam, N. itaque cum imago ſumi poſſit nunc pro ſimplici ſigno, nunc pro ſigno, rei cujus imago eſt conjuncto, ut cum columba in Chriſtum illapſa, dicitur imago Spiritus ſancti; conſtat Euchariſtiam poſſe vel dici vel non dici imaginem: cum autem nominum uſus plurimum pendeat a ſenſu qui iiſdem a multitudine affingitur, nec ſemper idem; conſtat rurſus imaginis nomen non ſine periculo attributum iri Euchariſtiæ, ſi contingeret ut certo aliquo tempore imago non niſi ſimplex rei abſentis ſignum exprimeret: hac nimirum de cauſa nemo Catholicus Euchariſtiam hodie figuræ vocabulo donat, quia ex quo contra Sacramentarios diſputatum eſt, per figuram excludi cenſetur realitas. Jam vero Iconomachorum tempore, imago nihil aliud paſſim erat quam vacua rei ſpecies, unde conſtanter opponebatur veritati, ut videre eſt apud Anaſtaſium Sinaitam, Damaſcenum, Nicephorum, & alios ejuſdem ævi Scriptores; ergo male cedebat quod Iconomachi Euchariſtiam communiter vocarent imaginem. Sed non ideo recte minus de intima dogmatis ſubſtantia ſentiebant, quam ſentirem ego, ſi Euchariſtiam imaginis vel figuræ nominibus donarem; prout & catholice veteres aliqui fecerunt. Et vero imago, figura, ſpecies, ſymbolum & Sacramentum voces ſunt vel ſinonymæ, vel ſinonymis finitimæ: atqui Nicœni Patres in Euchariſtia admittebant ſymbola, ſpecies & ſacramentum; ergo potius imaginis nomen, & abuſum nominis quam ſenſum reformidabant. In-

teritu

terim ſi circa Euchariſtiam pugnantia ſenſerunt Nicœni Præſules & Iconomachi, mirum quod utroſque Albertinus ſuos eſſe velit.

Prob. 2. ex S. Paſchaſio Ratberto, Monacho primum, dein Abbate Corbejenſi. Is in libro de corpore & ſanguine Domini quem alii an. 818. alii & melius cum Mabillonio * an. 831. conſignant, ſic loquitur cap. 1. *Licet figura panis & vini hoc ſit, omnino nihil aliud quam caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt ...... &, ut mirabilius loquar, non alia plane* hic eſt caro, *quam quæ nata eſt de Maria, & paſſa in cruce*. Et in Epiſt. ad Frudegardum, quam ſub vitæ finem, ſcripſit: *Ne putares*, inquit, *quod* Dominus *de alio diceret quam de proprio* corpore .... *demonſtrative dixit: Hoc eſt corpus meum*. His aliiſque nonnullis ex eodem Auctore recitatis exclamat Albertinus: *Primus certe hic Novator eſt, qui auſus eſt aſſerere Euchariſtiam ſimul eſſe figuram corporis Chriſti, & ejuſdem corporis veritatem;* quod quam impudenter dictum ſit patet ex ſupra adductis Patrum teſtimoniis. Addit paulo poſt Albertinus, ægre profecto nobis tantum virum dimittens, *eum adeo perplexe, & ſibi parum conſentanee de hac materia loqui, ut vix intelligi queat quæ ſit ipſius ſententia*. Hanc utique melius intellexere Albertini ſucceſſores, qui contra quam ſenſerant Hoſpinianus; aliique nec pauci nec ignobiles inter evangelicos, Paſchaſium præſentiam realem tuitum fuiſse non diffitentur. Jam ſic nos progredi liceat.

Ut Paſchaſii ſententia fuerit ipſiſſima totius Eccleſiæ fides ſæculo IX. duo ſufficiunt: 1. ut in ſcriptis ejus nihil ſit quod novitatem ſapiat; 2. & ut eum nemo æſtimationis alicujus circa dogmatis hujuſce ſubſtantiam impugnaverit: atqui 1. nihil eſt in ſcriptis Paſchaſii quod novitatem ſapiat. Non dicit cum Calvinianis ſe a Deo ſpecialiter deputatum fuiſſe, ut ruinoſam Eccleſiæ domum reſtauret; non dicit cum Janſenio dicturum ſe quæ pluribus ſtupenda & inaudita videantur; non addit cum eodem vereri ſe ne Romæ id patiatur, quod alii jam ibidem perpeſſi ſunt; nullibi gerit triumphatores ſpiritus hominis, qui erutam e puteo veritatem ſibi gratuletur, ceteriſque errorem & ignorantiam exprobret. Ubique ſtylus humilis, mens placida, plenaque fiducia Catholici, cui perſuaſum ſit ſe nihil eloqui quod tota, quoquoverſum patet, non credat Eccleſia. *Alb. p. 920.*

2. vix quiſquam e coævis Scriptoribus, Paſchaſium, circa ſanciti ab eo dogmatis ſubſtantiam impugnavit, ** ut ſtatim videbimus. Quin & eum ſummo in honore habuerunt, tum viginti Patres Concilii Pariſienſis an. 845. a quibus *venerabilis frater* nuncupatur, quique in ipſius gratiam Corbejenſi Monaſterio privilegium conceſſere, de quo Mabillonius; tum Lupus Ferrarienſis Epiſt. 56. & 57. ubi Paſchaſius vir *omnibus bonis amplectendus* dicitur; tum Engelmodus Epiſcopus, qui in carmine de Paſchaſii laudibus illum *Eccleſiæ columen, Religionis apicem, fideique fortiſſimum umbonem & jubar*, ſalutat. Imo diſerte teſtatur Paſchaſius ipſe opinionem ſuam, licet a quibuſdam clanculum redarguatur, a nemine tamen palam impe- *Mabill. ibid. pag. 539.*

* Vide Annales Benedictinos ad an. 831. Lib. xxx. tom. 2. p. 537.

** Cenſet Mabillonius præfat. in 2. partem ſæculi IV. Benedictini, libros Scoti & Ratramni compoſitos fuiſſe ante an. 859. adeoque ante mortem Paſchaſii: id quidem ſponte colligitur ex libro Hincmari de prædeſtinatione, ubi tacite exploditur liber Scoti. At ſuſpicari poſſit quis utrumque Opus haud frequenti manu tunc temporis tritum fuiſſe, nec fors ad Paſchaſium perveniſſe: quandoquidem in Epiſt. ad *Fredegardum* de adverſariis ſuis, potius ut vago rumore, quam ut certa fama notis, loqui videtur.

impeti; quia durum eſt & arduum id impetere quod tota tenet Eccleſia. *Videat*, ait Ep. ad Fredegardum, *qui contra hoc venire voluerit ..... quid agat contra Dominum, & contra omnem Chriſti Eccleſiam*. Et rurſus: *Ideo* Tom. 14. Bibl. PP. pag. 758. *quamvis quidam de ignorantia errent, nemo tamen eſt adhuc in aperto, qui hoc ita eſſe contradicat, quod totus Orbis confitetur & credit*. Porro, ait Mabillon, *ut quiſquam a receptis dogmatibus deſciſcens, palam affirmare auſit, ſe cum ſui temporis ac Regni Eccleſia univerſa convenire, hactenus forſan inventus eſt nemo*.

Obj. Fides Eccleſiæ Romanæ circa Euchariſtiam poſtulat, 1. ut in ea admittatur idem corpus quod de B. Virgine natum eſt; 2. ut illud ſub ſpeciebus quaſi ſub velo deliteſcere intelligatur; 3. ut idem non credatur ſeceſsui obnoxium: atqui Paſchaſius circa triplicem hunc articulum ſuos habuit impugnatores: circa 1. nempe, Rabanum, Florum Lugdunenſem, Fatramnum, &c. circa 2. Haymonem Halberſtatenſem; circa 3. Amalarium, Heribaldum Altiſſiodorenſem, rurſuſque Rabanum Maurum; ergo.

R. Eccleſiæ fidem poſtulare ut verum & proprium Chriſti corpus in Euchariſtiâ admittatur; non poſtulaſse autem Paſchaſii temporibus, ubi necdum res eliquatæ erant, ut nulla circa hujus dogmatis conſectaria eſſent difficultates. Porro proprium Chriſti corpus in Euchariſtia admiſerunt ii omnes qui objiciuntur, uno tantum dempto aut forte duobus. Admiſere enim 1. Rabanus Maurus Lib. 7. de ſacris ordinibus, ubi hæc habet: *Quis unquam crederet quod panis in carnem potuiſſet converti, vel vinum in ſanguinem, niſi id ipſe Salvator diceret, qui panem & vinum creavit, & omnia ex nihilo fecit? Facilius eſt aliquid ex alio facere, quam omnia ex nihilo creare:* 2. Florus vulgo Lugdunenſis, qui in Exegeſi ſeu expoſitione Miſsæ ſic loquitur: *Cum panis & vini creatura in Sacramentum carnis & ſanguinis* Chriſti *ineffabili ſpiritus ſanctificatione transfertur, manducatur Chriſtus. Per partes enim manducatur in Sacramento, & manet integer totus in cælo, totus in corde tuo;* 3. Haymo Halberſtatenſis Epiſcopus. Is Tract. de corpore & ſanguine Domini, tom. 12. ſpicilegii: *Credimus*, inquit, *& fideliter confitemur & tenemus, quod ſubſtantia panis & vini per operationem divinæ virtutis ſubſtantialiter convertatur in aliam ſubſtantiam, ideſt in carnem & ſanguinem* Chriſti. Dolendum quod textus iſte Albertino ignotus fuerit. Forte enim a prolixo abſtinuiſset commentario, quo eumdem Auctorem ad ſe pertrahere conatus eſt. Quamquam quid non auſit qui Calvinianum dogma cum iis ejuſdem Haymonis verbis conciliare molitur: *Licet panis videatur, in veritate corpus eſt Chriſti*, & rurſus: Albert. pag. 940. *Videtur ſiquidem panis & vinum, ſed in veritate corpus Chriſti eſt & ſanguis. Condeſcendens ergo omnipotens Deus infirmitati noſtræ, qui uſum non habemus comedere carnem crudam & bibere ſanguinem, facit ut priſtina remaneant in forma illa duo munera, etſi in veritate corpus Chriſti & ſanguis*. Ceteros omitto brevitatis cauſa.

Dixi, *duobus exceptis, & forte uno:* quia conſtat apud omnes Joannem Erigenam de Euchariſtia male ſenſiſſe in eo quem ſcripſit Libro de corpore & ſanguine Domini. An autem idem cum Scoto ſenſerit Betramus ſeu, ut hodie vulgo, & male ſecundum Auctorem perpetuitatis fidei, loquimur, Ratramnus Corbejenſis in Libro cui etiam titulum fecit de corpore & ſanguine Domini; imo an poſterior iſte Liber ſit Ratramni fœtus, ut doctiſſ. Mabillonio videtur, an non ſit ipſum Scoti opus, ut

cen-

Digitized by Google

cenſet illuſt. de Marca, cujus conjecturam, tametſi judicii ſuſpenſus, gravibus certe argumentis firmat Auctor diſſertationis ad calcem tom. I. perpetuitatis fidei, gemina eſt quæſtio a qua cenſemus abſtinendum. Si enim male ſenſit Ratramnus, quod negant doctiſſimi viri, atque inter alios VVitaſſius, Tournely, & fuſiori ſtylo Jacobus Bolæus, * nihil inde periclitatur fides, quia nil mirum ſi viri etiam graves quandoque a recta via deflectant. Quod autem dum deflectunt, non illico a ceteris redarguantur, multiplici ex cauſa contingere poteſt, ut ſi eorum Opera vel ab ipſis ſupprimantur, ne turbas cieant; vel paucis amicis communicentur, qui eadem publica luce minus digna judicent, &c. quod quidem Bertrami Libro, utpote ad minus obſcuro, facile contingere potuit.

Sed ut ad propoſitum revertar, & paucis exponam quæ circa Euchariſtiam exortæ ſint nono ſæculo difficultates, dico nullam ex iis eſſe quæ intimum præſentiæ realis dogma impugnet. Non prima quæ negat Euchariſtiam Chriſti corpus idem eſſe quod de Maria natum ſit. Nempe vero hujus opinionis defenſores, neque aliud & aliud corpus tribuebant Chriſto, neque metaphoricum eidem Chriſto in Euchariſtia tribuebant; ſed de nomine potius quam de re certantes, negabant verum id corpus quod admittebant in Sacramento, dici debere natum ex Maria: 1. quia, ajebant, corpus de Maria natum, non e pane, aut vino, ſed ex puriſſimo Virginis ſanguine concretum eſt; 2. quia corpus e Virgine natum nec ore ſumi, nec manducari poteſt; 3. quia idem corpus non latet ſub figuris, ſed glorioſum eſt ac ſplendidum, taleque ut ejus conſpectu ſatiari omnino poſſint fideles; quæ Euchariſtico corpori non conveniunt. Hanc porro ſtatus & formæ diſſimilitudinem non negabat Paſchaſius: ſed ea non obſtante idem in Euchariſtia corpus dici volebat, quod & de Maria natum ſit, & paſſum in cruce, & redivivum a mortuis. Unde tota lis ſpectabat verba, non rem verbis expreſſam. Atque id ſenſere alii eorumdem temporum Scriptores. Sic Anonymus Gemblacenſis apud Mabillonium ſec. IV. Benedict. part. 2. p. 596. *Sententia Ambroſii, qui dixit quod iſta caro Chriſti non eſt alia, quam quæ de Maria nata eſt, ſolummodo & valet & debet intelligi, ut ſubaudiatur, naturaliter non eſt alia, quia non ſunt duæ carnes. Ipſa eſt caro quæ pro mundi vita offertur; ipſa, inquam, eſt naturaliter, ut ſit tamen alia ſpecialiter;* quod iiſdem pene verbis repetit Anonymus alter a P. Cellot S. J. editus ad calcem hiſtoriæ Gotteſcalci p. 545. c. 4. Concinit Lanfrancus Dialog. contra Berengarium c. 13. ubi: *Vere*, inquit, *dici poteſt & ipſum corpus quod de Virgine ſumptum eſt, & tamen non ipſum: ipſum quidem quantum ad eſſentiam, veræque naturæ proprietates & veritatem; non ipſum autem, ſi ſpectes panis vinique ſpeciem.* Regerent fortaſſis Proteſtantes mirum eſſe quod mera de nomine quæſtio tot hinc & inde Libros pepererit. Sed 1. quorſum igitur eorum plerique quæſtionem de Neſtorianiſmo, quæ totum fere Orbem diviſit, de ſolo nomine fuiſſe contendunt? 2. quis neſciat, Doctores uſurpandis certis vocibus præ aliis intentos eſſe, ut dogma ſecurius conſervent:

* De corpore & ſanguine Domini Liber, Ratramno ceu Bertramo, Presbytero, Monacho Abbatiæ Corbejenſis aſſertus, & ab omni novitatis aut hæreſis Calvinianæ inventione aut ſuſpicione vindicatus, ad amicam .... Confutationem diſſertationis R. P. Joann. Harduini, &c. Pariſiis 1712. vide & citatam doctiſſimi, neque ſatis unquam celebrandi Mabillonii præfationem, pag. XLIV. & ſeq.

quo fit ut qui aliter loquuntur, vel male loqui, vel quandoque etiam male ſentire conjectent. Vide Mabillonii præfationem in part. 2. ſæculi IV. Benedictini.

Non ſecunda: Erant enim ea ætate qui crederent albedinem, ſaporem, colorem, aliaque id genus accidentia ipſum Chriſti corpus pro ſubjecto habere, itaut non ſolæ ſpecies, ſed ipſum Chriſti corpus frangeretur. *Credo*, ait Abbaudus, apud Mabillon. tom. 3. Analectorum veterum, pag. 442. *quod panem quem accepit* Chriſtus, *benedicendo corpus ſuum fecit: ideoque corpus ſuum fregit, & de eodem corpore ſuo jam benedicto & fracto Diſcipulis dixit: Hoc eſt corpus meum*: Et hæc eſt opinio quam, immerito forte, improbavit Bertramus. Verum hæc realem præſentiam omnino ſupponit.

V. Bolaum p. 56.

Non tertia, pari de jure. Qui enim ſuſpicabantur Chriſti corpus, *poſtquam in ſtomachum receptum eſt*, aut *inviſibiliter aſſumi in cœlum, aut reſervari in corpore noſtro, uſque in diem ſepulturæ, aut exhalari in auras, aut exire de corpore cum ſanguine, aut per poros emitti*, &c. verba ſunt Amalarii ambigentis, non definientis; ii dubio procul, etſi plus aut minus fœde ſentiebant, longe aberant a neganda reali præſentia: neque, quidquid obmurmuret Albertinus, de mero ſigno inquiret quiſpiam an in cœlum aſſumatur, an emittatur per poros, &c. Stet igitur Doctores ſæculi IX. Catholicum dogma conſenſu moraliter unanimi tenuiſſe: licet rebus nondum plene diſcuſſis eorum nonnulli circa dogmatis hujus appendices aberrare potuerint.

Quæres an non via paulo breviori probari ex Patribus poſſit præſentia realis.

R. poſſe in hunc modum: Illi præſentiam realem docuere, qui docuere panem Euchariſticum poſt conſecrationem jam non eſſe panem, ſed corpus Chriſti, & quidem corpus Chriſti natum de Maria, paſſumque pro nobis & a morte ſuſcitatum; qui conſequenter in Euchariſtia non nudam corporis hujus imaginem, ſed veritatem ipſam confeſſi ſunt; qui ut id perſuaderent, fideles contra rationis & ſenſuum teſtimonia firmaverunt, ſolamque fidem & Dei omnipotentiam, ut in re omnium maxime ſtupenda & incomprehenſibili conſuli voluerunt; qui demum ex ſuis eo de myſterio principiis id collegere, quod de ſolo Chriſti corpore dici aut cogitari queat, puta quod adorandum ſit, quod nobiſcum maneat in altari, quod ſollicite cavendum ſit, ne quid ejus in terram decidat, quod vere a nobis contrectetur, manducetur, &c. atqui hæc omnia docuere SS. PP.

1. quidem docuere panem, ubi ſemel ſanctificatus eſt jam non eſſe panem, ſed corpus Chriſti. Ita Juſtinus ſupra pag. 185. Irenæus pag. 186. Tertullianus pag. 191. & ſeq.

Tourn. de Euch. p. 57.

2. & id corpus docuerunt idem eſſe quod ex Maria natum eſt, & paſſum pro nobis. Ita S. Ignatius ſupra pag. 185. & 186. Ambroſius paſſim. Chryſoſtomus p. 218. quibus conſonat tum id S. Petri Chryſologi ſerm. 67. *Ipſe eſt panis, qui ſatus in Virgine, fermentatus in carne, in cruce confectus, in fornace coctus ſepulchri, in Eccleſiis conditus, illatus altaribus cæleſtem cibum quotidie fidelibus ſubminiſtrat;* tum formula cui an. 1079. ſubſcribere juſſus eſt Berengarius; & in qua aperte traditur *poſt conſecrationem eſſe* in Euchariſtia *verum Chriſti corpus quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute Mundi oblatum in cruce pependit*, &c.

3. Docuere conſequenter, non meram in Sacramento exhiberi Domi-

nici

Digitized by Google

nici corporis imaginem, ſed ipſam ejus realitatem. Ita S. Cryſoſtomus ſup. p.217. Damaſcenus lib.4. de fide Orthod. cap.13. quibus concinit id Anaſtaſii Sinaitæ in Odego c.23. ubi id a Gajanita quicum colloquitur, dictum approbat: *Abſit, ut dicamus ſacram communionem eſſe tantum figuram corporis Chriſti, aut nudum panem; ſed ipſum corpus & ſanguinem Chriſti*, &c.

4. De myſterio hoc locuti ſunt Patres tanquam de re, quæ, utpote omnium maxime incomprehenſibilis, haud credi poſſit niſi contra rationem & ſenſus pugnetur. Ita Cyrillus Jeroſolymit. ſupra p.205. Chryſoſtomus p.217. quibus addi poſſit id S. Hilarii ubi ſupra n.14. *Non eſt humano aut ſæculi ſenſu in Dei rebus loquendum ..... quæ ſcripta ſunt legamus*. Iſtud item Gaudentii Brixienſis Tract. 2. in Exod. *Quod annunciatum eſt credas: quia quod accipis corpus illius panis cæleſtis .... Credamus, quæſo, cui credimus: neſcit mendacium veritas*.

5. demum ex ſua de altaris Sacramento fide ea concluſerunt Patres, quæ quantum repugnant figuræ, tantum ſoli vero Dei corpori conveniunt, ut 1. quod adorandum ſit. Sic enim docent Chryſoſtomus Hom. 61. ad Populum Antiochenum, Theodoretus Dial. 2. Cyrillus Jeroſ. Catech. 5. Auguſtinus in Pſal. 98. 2. quod nobiſcum maneat in altari. *Hæc menſa*, ait Chryſoſtomus orat. de S. Philogonio, *vicem implet præſepis: nam & hic ponetur corpus Dominicum*. *Quid eſt*, ait S. Optatus Milevit. Lib.6. contra Parmenian. nu. 1. *Quid eſt altare, niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti?* 3. quod enixe cavendum ſit ne tanti doni quidpiam in terram decidat. Ita Tertullianus, Origenes, & Cyrillus eadem Catech. 4. quod a nobis contrectetur, manducetur, intra viſcera noſtra admittatur. Ita Tertullianus de reſur. carnis, c. 8. *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur*. Cyrillus Catech. 4. *Chriſtophori erimus*, hoc eſt Chriſtum ferentes, *cum ejus corpus & ſanguinem in membra noſtra receperimus*. Quibus plene congruunt Cyrillus Alexand. Epiſt. ad Neſtorium, & Gregorius Nyſſenus orat. Catechetica cap. 37.

Obj. 1. Non melius de vera Patrum ſententia judicari poteſt, quam vel ex eorum praxi, vel ex Liturgia, qua in conficiendo altaris Sacramento utebantur: atqui utraque, quam aperte fieri poteſt, præſentiæ realis fidem abigit.

Prob. 1. pars Minoris. Is fuit Patrum uſus, 1. ut poſt communionem labia Euchariſtico liquore tincta tangerent digito, eodemque digito tangerent oculos, frontem, &c. quam praxim commendat Cyrillus Jeroſ. Cat. 5. ſed num id agerent quibus perſuaſum foret nihil id aliud eſſe quam Chriſti ſanguinem? 2. ut Euchariſtia tanquam cataplaſmate ad morborum curam uterentur; qua arte filium ſuum ſanavit mulier quædam apud Auguſtinum Lib. 3. Operis imperf. c.164. 3. ut diebus jejunii abſtinerent ab Euchariſtia ne jejunium ſolverent, ut patet tum ex Tertulliano Lib. de Orat. c.14. tum ex facto quodam in vita S. Melanii Rhedonenſis Epiſcopi relato poſt Concilium Andegavi habitum an. 530. Quis porro, ait Matthæus Larrogue * in ſua Euchariſtiæ hiſtoria pag. 189. 2. edit. Quis in animum inducat, creditum aliquando fuiſſe ſolvi jejunium per ipſam ipſius Chriſti corporis receptionem? 4. moris etiam fuit ut fidelium cadavera cum Euchariſtia tumularentur, ut conſtat ex vita S.Ba-

R 2 ſilii,

* Scribunt plerique *Larroque*: aliter ſcribit ipſe in Opere citato.

ſilii, ex Lib. 2. Dialog. S. Gregorii c. 24. ex Amalario L. 4. de Officiis c. 9. Itane vero Chriſti corpus humo mandatum fuiſſet? 5. & adhibitus eſt ſanguis Euchariſticus, ſive ſimplex, ſive atramento mixtus, ut hæreticorum damnatio ſubſcriberetur; priori enim modo ſcriptum eſt anathema contra Photium, ut refert Nicetas in vita S. Ignatii CP. poſteriori ſubſcripta eſt a Theodoro Romano Pontifice depoſitio Pyrrhi ad Monothéliſmum reverſi, prout ex Theophane notat Baronius ad an. 648. §. 15. 6. demum reliquiæ Euchariſtiæ poſt communionem ſuperſtites igni tradebantur, uti refert tum Heſichius (ſeu ſit is Salonitanus, ut viſum eſt Perronio, qui dure hac de cauſa ab Albertino vapulat, ſeu, ut Bellarmino placet, Jeroſolymorum Epiſcopus) Lib. 2. in Levit. c. 8. tum Aurelianenſe Concilium apud Yvon. Carnot. 2. p. Decreti cap. 22. atqui quod creditum eſſet Chriſti corpus, non traditum fuiſſet flammis; ergo. Ita Larrogue ibid. 1. p. c. 16.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. non enim id quod forſitan ab uno aut altero Patre factitatum ſit, indefinite Patrum uſus ſeu praxis appellari poteſt. Unde hic, ut alibi pluries, reſpondere licet cum Auguſtino Lib. 2. de Civ. Dei, c. 23. *Non quærimus utrum factum ſit, ſed utrum faciendum; ſana quippe ratio etiam exemplis anteponenda eſt*, præſertim cum exempla hæc improbat ſuprema Eccleſiæ auctoritas, ut pene contigit in præſenti. Quamquam objecta facta, quæ pene omnia Euchariſtiæ attribuunt eſſe permanens, non autem tranſitorium, Calvinianis nocent, vix autem Catholicis obeſſe poſſunt. Unde

Ad 1. etſi inſoliti quidpiam habet id ad quod hortatur S. Cyrillus, habet tamen ſimul aliquid quod ſingularem reverentiam & fiduciam indicet. An non ſi Chriſtus hodieque nobiſcum ut olim converſaretur, ſanctiſſimas, ſi potis foret, ejuſdem manus oculis noſtris & fronti admovere niteremur. Quid mirum igitur ſi idem aliquando fecerint fideles de ſanguine ipſius?

Ad 2. eadem eſt reſponſio; cui addere juvat eſſe ergo Euchariſtiam aliquid poſt uſum permanens, non autem merum panem, ut mera eſt aqua quæ Baptiſmo inſervit.

Ad 3. Juvat proferre ipſa Tertulliani verba. Is poſtquam conqueſtus eſt de iis qui jejunii diebus *oſculum pacis* ſubtrahebant; *ſimiliter*, inquit, *de ſtationum*, ſeu jejuniorum *diebus, non putant plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum, quod ſtatio ſolvenda ſit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit, an magis Deo obligat? Nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris? Accepto corpore Domini & reſervato utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & executio officii.* Iis ex verbis cum bona Larroguii venia quatuor paucis concludam contra Calvinianos, 1. & id extra rem, per jejunia *devotum Deo obſequium* præſtari; 2. Euchariſtiæ Sacramentum non in uſu ſolo poſitum eſſe, cum *reſervari* poſſit; 3. pleroſque illos, qui contra ceteros timebant ne accepto Chriſti corpore jejunium ſolverent, fuiſſe infimi ſubſellii homines, iis ſimiles apud quos invaluerat conſuetudo denegandi oſculum pacis diebus jejunii, e quorum proinde facto argumentum peti non poſſit; 4. denique Tertullianum, etſi iis viam aperiat, qua poſſint etiam in ſua ſoluti per Euchariſtiam jejunii ſuppoſitione, & jejunare, & eadem die Dominico corpore refici,

reſici, breviter quidem, ſed tamen nervoſe hunc ipſorum errorem convellere. *Ergo*, inquit, *devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit?*

Moram non facit id quod objicitur ex vita S. Melanii. Ibi enim non de Euchariſtia agitur, ſed de Eulogia, quam ſolvendi jejunii metu non ſumpſit S. Marſus Nannetenſis Epiſcopus, ſed abdidit in ſinu, ubi in ſerpentem converſa eſt. Certe ſi hic ageretur de Euchariſtia, ſatis tanto miraculo declaratum eſſet per eam non ſolvi jejunium.

His addiderim hodiernos Græcos, teſte Cellotio apud Larroguium ibid. p. 353. eſurialibus diebus abſtinere ab Euchariſtia, ut illo qualicumque alimento quod præbere poſſunt ſpecies, ſeu per ſe, ſeu cum alteratæ ſunt, ſe ſe privent: atqui tamen Græci realem præſentiam totis viribus tuentur; ergo & illi tueri poterant quos impugnat Tertullianus.

Ad 4. praxis mortuos cum Euchariſtia ſepeliendi, ſi propius inſpiciatur, fidei plurimum habet & fiduciæ. *Quod ſanctus panis*, ait Theod. Balſamon in can. 83. Concilii Trullani, *Antiſtibus*, proinque non ceteris paſſim, *tradatur*, *& ſic ſepeliantur*, *exiſtimo hoc fieri ad avertendos dæmones*, *& ut per ipſum tanquam viaticum deducantur ad cælum*. Atque *hinc eſt*, ut obſervat Mabillonius Annal. Benedict. tom. 1. L. 4. n. 11. *quod*, *abrogato etiam apud Latinos ejuſmodi uſu*, *Viaticum nonniſi in extremo halitu moribundis traderetur*, ut innumeris conſtat exemplis, præſertim autem S. Ambroſii, *qui mox ut glutivit ſacrum Domini corpus*, *extremum ſpiritum exalavit*. Quin & praxim illam confirmare viſus eſt Deus, cum impoſita juſſu S. Benedicti Euchariſtia ſuper pectus pueruli Monachi, quem ſemel & iterum e ſinu ſuo ejecerat terra, hæc *ſuſceptum ejus corpus tenuit*, *nec ultra projecit*. *S. Greg. ubi ſupr.* Fatendum tamen miracula non eſſe exempla: Unde uſum hunc varia prohibuere Concilia, ut Carthaginenſe III. an. 397. can. 6. Trullanum can. 83. Altiſſiodorenſe an. 578. Quamquam cenſent contra Mabillonium editores S. Gregorii ubi ſupra, his non prohibitum fuiſſe ne mortui cum Euchariſtia ſepelirentur, ſed tantum ne mortuis daretur communio.

Ad 5. incerta plane ſunt quæ de Photii condemnatione Dominico ſanguine ſubſcripta narrat Nicetas. Incertum quoque ad minus quod ſcribit Theophanes, Theodorum papam *divino calice expoſtulato*, *ex vivifico ſanguine in atramentum ſtillaſſe* ut *depoſitionem Pyrri* ſcriberet. Neque enim de iis quidquam habet Anaſtaſius, nec facti hujus aliud ullum exemplum proferri poteſt, ut ibidem obſervat Baronius. Ceterum non cedit Calviniaṇis, ſi quid hic peccatum eſt a Theodoro. An enim *vivificum ſanguinem* e calice fudiſſet, qui in calice extra uſum nihil agnoviſſet Sacramentale? an non ludicrum fuiſſet atramento merum vinum addere, quo irrevocabilis atque æterna Pyrri depoſitio ſignificaretur?

Ad 6. intelligenda ſunt hæc de ſpeciebus corruptis, juxta Yvonem ipſum, cujus hæc ſunt verba: *ut omne ſacrificium ſordida vetuſtate corruptum igne comburatur; & cineres juxta altare ſepeliantur*. Et vero ſanæ ſpecies vel ſumma cura aſſervabantur, vel tradebantur innocentibus pueris. Si quid forte ultra factum eſt, fieri generaliter non debuit; etſi dubio procul ex reverentia factum eſt, ut teſtatur XI. ſæculo Algerus Cluniacenſis Monachus. Certe qui contra Berengarium ſcripſerat Humbertus Cardinalis, de Græcis queritur, quod Euchariſtiæ fragmenta, cum mucere vel alterari inciperent, non traderent flammis: & hodiedum præcipiunt Miſſalis

Rubricæ ut ſi quis Hoſtiam evomat, hæc in ignem conjiciatur; prout
P. 194. animadvertit Gallicus Auctor hiſtoriæ de communione ſub ſpecie unica.

Sed quia nos ad antiquam Eccleſiæ praxim revocare audent Proteſtantes, placet hanc contra ipſos retorquere: 1. itaque mos Eccleſiæ fuit ut qui *in phrenæſim verſus* erat, hujus *ori infunderetur Euchariſtia*, ita ſanxit Concilium Carthag. 4. can. 76. 2. ut eadem infantibus recens baptizatis traderetur; ita Auguſtinus paſſim; 3. ut utraque panis & vini ſpecies in Eccleſia religioſe ſervaretur, de quo Chryſoſt. Ep. 1. ad Innocentium; 4. ut Euchariſtia in aureis, argenteiſve columbis, ſupra aram ut plurimum ſuſpenſa teneretur; 5. ut fideles vel in ædibus quiſque ſuis, vel in ſuis terra marique itineribus corpus Domini deferrent: ut liquet ex Juſtino Apolog. 2. Cypriano Ep. 50. Ambroſio in funebri laudatione Satyri: atqui facta hæc tam certa quam antiqua Calvinianum ſyſtema ſuſdeque convellunt. An enim per fidem Euchariſtia veſcebantur phrenetici & infantes? an religioſe & pretioſe ſervabatur id quod extra uſum merus panis erat? an ut tutum terra marique præſidium geſtabantur inutiles ſimplicis figuræ reliquiæ? Vid. Documentum de ſacrificio Miſſæ per P. J. F. de Mongaillard Epiſcopum S. Pontii 2. part. c. 5. p. 187.

Inſt. Prob. 2. part. minoris. In Liturgia quæ maximæ eſt antiquitatis, petit Eccleſia, 1. ut *hæc terrena ſubſtantia nobis conferat quod divinum eſt;* 2.
Miſſ. 2. Nativ. Dom. ut *quæ ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus;* 3. ut Deus conſecrata dona dignetur *accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus* eſt *munera juſti Abel*, *&* ſacrificia *Abrahæ & Melchiſedech;* 4. ut *hæc* jubeat *perferri per manus ſancti Angeli* ſui *in ſublime altare* ſuum, &c. 5. ut quæ ſuo ſunt ipſi *grata inſtituto, merito fiant gratiora ſupplicantis;* 6. offert Eccleſia ſacrificium in honorem B. Virginis & Sanctorum, &c. 7. Sacerdos ſigna crucis efformat ſuper dona conſecrata, quæ proinde benedicit: porro ex Hebr. 7. *ſine ulla contradictione quod minus eſt a meliore benedicitur*. Atqui nullum eſt ex his quod præſentiæ realis fidem non convellat: ecquis, ut omittam cetera, perſuadeat ſibi opus eſſe Angeli miniſterio ut coram Deo valeat oblatio corporis Filii Dei? Itane Mediator indiget mediatore, & Chriſtus per ſemetipſum gratiam coram Patre non invenit?

R. neg. min. ad 1. panis & vinum cum offeruntur, terrena ſunt ſubſtantia, quæ poſtmodum in Chriſti corpus convertenda, nobis id quod divinum eſt conferre debet. Porro objecta oratio, quam Secretam dicimus, fit ipſo oblationis tempore.

Ad 2. quid mirum ſi precetur Eccleſia ut quem hodie ſub ſpeciebus immolat & recipit, hunc aliquando facie ad faciem contempletur?

Ad 3. in hac oratione non comparantur dona cum donis, nova cum veteribus, ſed offerentes cum offerentibus; unde hic non alii quam hominum ſanctiſſimi recenſentur, Abel juſtorum primus, Abraham Pater credentium, & Melchiſedech, cui ut majori decimas ſolvit Abraham. Precatur ergo Eccleſia ut oblata dona propitio vultu reſpiciat, non qua parte dona ſunt, ſic enim, juxta Proteſtantes ipſos, magnum ſunt Sacramentum, quod per ſe nonniſi acceptum eſſe poteſt Deo; ſed qua parte offeruntur a Miniſtro, qui Deo inviſus eſſe poſſit. Neque enim ſatis eſt ut dona placeant Deo, ſed & neceſſum eſt ut placeant qui dona offerunt, ſecundum id Geneſ. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus*.

Ad

Ad 4. etſi, ut jam pridem notavit Florus verba hæc expendens, *in iſtâ oratione & oblatione ſacræ conſecrationis ſit aliquid incomprehenſibile & ineffabile*, quodque *veneratione & tremore* melius exprimatur quam verbis, bifariam tamen ea explicari poteſt, 1. de Angelo Magni conſilii, ſeu de Chriſto; 2. de Angelo qui ſanctorum orationibus præeſt, & quo de frequens habetur ſermo in Apocalypſi. Priorem ſenſum expreſſe admittunt Conſtitutiones Apoſtolicæ Lib. 8. c. 12. poſteriori favet Canon Ambroſianus, cum ait, *per manus*, non Angeli, ſed *Angelorum*. Priori ſenſu, qui nec excludit poſteriorem, nec ab eo excluditur, rogat Eccleſia, ut Chriſtus dona tanta, quæ ſolus ipſe Patri digne offerre poteſt, loco noſtri offerat, & cum his *appareat vultui Dei pro nobis*. Poſteriori ſenſu precatur Eccleſia ut oblationem noſtram, quæ non in uno Chriſti corpore, ſed & in votis ac precibus noſtris poſita eſt ad cœlos uſque evehant Angeli; ut eadem oblatio ſecundum ſe totam Deo Patri accepta ſit. Non eſt autem iſtud Mediatori Mediatores addere, ſed enixe conari, ut quod per ſe ſanctum eſt, benignius acceptetur, quatenus oblatum a Sanctis. Circa primam expoſitionem vide P. Lebrun tom. 1. expoſitionis litteralis & dogmaticæ p. 506. circa ſecundam vero adi Miſſæ expoſitionem per ill. Boſſuetum Meldenſem tom. 5. edit novæ, n. 40. imo totum opus, lege & perlege. *Hebr.* 9. 24.

Ad 5. patet ſolutio ex dictis. Accepta ſane Patri victima Filius; ſed acceptior, ſi puris manibus offeratur. Puriores autem manus noſtras efficiunt, tum conatus noſtri cum gratia, tum preces quas pro nobis offerunt Sancti.

Ad 6. offerre Deo ſacrificium in honorem B. Virginis & Sanctorum, nihil eſt aliud quam Patri per Filium gratias agere de beneficiis quibus Sanctos cumulavit, nobiſque paria ſuppliciter deprecari. Id autem quid habet non ſancti?

Ad 7. efformat Sacerdos ſigna crucis ſuper dona tum ante, tum poſt conſecrationem; ante, ut ipſa a Deo benedici, & Chriſti corpus ac ſanguinem fieri poſtulet; poſtea, ut oſtendat illud quod offert ſacrificium, idem eſſe ſubſtantialiter cum ſacrificio crucis. Unde poſtrema hæc ſigna a prioribus evidenter diſcrepare liquet, tum ex verbis quæ utraque comitantur, tum ex notoria Eccleſiæ intentione.

Obj. 2. ſi præſentiam realem jam ab initio admiſiſſet Eccleſia, indubie hoc ejus dogma reſciiſſent Gentiles, ſaltem per apoſtatas, qui quidquid norunt deſertæ Religionis lubenter propalant: atqui non reſcierunt. Alioqui enim myſterium tantæ in ſpeciem abſurditatis, & ſecundum quod Chriſtiani propriam Dei ſui carnem comedunt, exprobraſſent fidelibus. Id porro nemo eorum fecit, non Celſus, non Cæcilius, non Porphyrius, non ipſe, qui in Eccleſia Catholica Lector fuerat, Julianus Apoſtata. Nemo pariter eorum qui pro religione Chriſtiana apologias texuere, objectionem hanc, utique quia non propoſitam, reſolvere tentavit, non Juſtinus, non Tertullianus, non Athenagoras, non Minutius Felix, non Arnobius vel Lactantius; ergo. Ita fuſe & exultanter Claudius in 2. Reſponſione.

R. 1. poſtulat æquitas, ut quæ nobis perinde ac adverſariis ſolvenda eſt difficultas, hanc contra ipſos non urgeamus. Porro difficultas quam ex Ethnicorum ſilentio depromit Claudius, ei nobiſcum communis eſt. Vel enim Gentiles quos ſupponit Claudius didiciſſe Religionis Chriſtianæ myſteria, confuſam duntaxat Euchariſtiæ cognitionem habuere, vel diſtin-

Digitized by Google

ctam. Si 1. dubio procul credidere, uti crediderunt Sanctæ Blandinæ Ju-
Supra p. dices ex mala ſervorum informatione, Chriſti carnem membratim di-
241. ſcerptam a Chriſtianis inter ſacra manducari: atqui tamen hanc tantæ gravitatis objectionem, nec ullus Paganorum cujus Scripta ad nos devenerint, propoſuit; nec Religionis Apologiſtarum ullus confutavit; ergo ſtat vel objici potuiſſe gravia contra Religionem, quæ objecta non fuere, vel quorum ſi objecta ſunt, nulla ad nos devenerint monumenta. Addo ſtupendum eſſe ſilentium Apologiſtarum Chriſtianæ Religionis, ſi eadem fuerit ipſorum fides quæ Calvinianorum. Hi enim uno verbo Gentilium calumniam propulſaſſent, oſtendendo nihil aliud a Chriſtianis manducari quam panem, qui Chriſti corporis figura eſſet. Aliud erat in ſyſtemate Catholico, quod propter ſummas quibus involvitur difficultates, Gentilibus propalare vetitum erat, ut paulo poſt dicemus.

Si 2. ideſt ſi diſtinctam Euchariſtiæ Calvinianæ cognitionem habuerint Ethnici, multa hinc contra Chriſtianam Religionem deſumere potuerunt argumenta: 1. enim qui cum Juliano irridebant Chriſtianos, quod Baptiſmo qui neminem unquam a lepra curaſſet, vim tribuerent animas a rapinis, adulteriis, ceteriſque ſceleribus mundandi, annon a fortiori eoſdem irriſiſſent, quod panem vocarent *remedium immortalitatis, antidotum mortis* &c.? 2. annon exprobraſſent quod eumdem panem tam conſtanter, tam emphatice vocarent corpus Chriſti; etſi toto cœlo differret a Chriſti corpore? 3. annon impactam ſibi labem colendi imagines Deorum (quas Celſus aliique ſanioris judicii non eſſe Deos, ſed Deorum figuras profitebantur) annon, inquam, labem hanc facile abſterſiſſent, reſpondendo Chriſtianos ipſos panem adorare, aut venerari tanquam Dei ſui figuram & imaginem? atqui tamen nihil horum fecere; ergo ſi nobis nocet Gentilium ſilentium, nocet & Calvinianis.

R. 2. neg. maj. neg. min. neg. totum, quia totum æque falſum eſt, vel ſaltem verum probari nequit: & quidem 1. neg. maj. reſtrictam ut debet ad Etnicos quorum ſcripta ad nos devenerint (excepto tamen Juliano, de quo infra ſpecialiter dicemus.) Dico itaque fieri facile potuiſſe, ut ex iis qui Chriſti fidem ſcripto impugnarunt, ne unus quidem Chriſtianam de Euchariſtia doctrinam reſcierit: 1. quia ſummæ religionis fuit antiquis Eccleſiæ Doctoribus, ne ſacra myſteria coram ipſis Catechumenis, & a fortiori coram Gentilibus evulgarent. *Volo quidem aperte dicere*, ait Chryſoſtomus Hom. in I. ad Corinth. *non audeo vero propter eos qui non ſunt initiati*. Hanc autem piæ taciturnitatis praxim, non incepiſſe quarto Eccleſiæ ſæculo, ut fabulatur Claudius, ſed a primævis temporibus viguiſſe patet, tum ex Tertulliano cap. 7. Apologetici, ubi quærit, *unde extraneis* rituum noſtrorum, & quæ in iis perpetrari dicebantur criminum *notitia; cum etiam piæ initiationes arceant profanos, & arbitris careant;* tum ex ipſis querelis Ethnicorum, quos inter Cœcilius apud Minutium Felicem de Chriſtianis ait: *latebroſa & lucifugax natio ...... cur occultare & abſcondere quidquid colunt magnopere nituntur? cum honeſta ſemper publico gaudeant, ſcelera ſecreta ſint;* tum quia ſi Gentilium vulgo jam a primis Eccleſiæ ſæculis nota fuiſſent Euchariſtiæ myſteria, fruſtra prorſus vetuiſſet Eccleſia quarto ſæculo ne eadem propalarentur. Ad quid

enim

enim præcipere ne publicum fiat, quod jam publicum evaſerit? tum quia gentiles eo uſque intima Euchariſtiæ ſecreta ignorabant, ut qui magis Religionem exploraverant, crederent in ſacris Chriſtianorum epulis farre contegi infantem, ejuſque ſanguinem ſitienter ebibi. Hæc autem perſuaſio quam immane a vero diſcrepat! ergo 1. ſupponere licet intimam Euchariſtiæ naturam ut plurimum ignotam fuiſſe Gentilibus.

At, inquies, Juſtinus in Apologia 1. ad Imperatores tam aperte Euchariſtiæ myſteria referat, ut ex ipſius verbis ſententiam ſuam probent Catholici; ergo illicitum non erat prioribus ſæculis Chriſtianorum dogma evulgare. Deinde etſi myſteria hæc Gentiles celata eſſent, haud tamen Chriſtianos, qualis fuerat Julianus Apoſtata.

R. unum eſſe ex tota antiquitate Juſtinum, qui in Opere quaſi pro Gentilibus conſcripto aperte Euchariſtiæ naturam expoſuerit, quia orationem habebat ad ſapientiſſimos Imperatores. Unde ejus agendi ratio lex non fuit, ſed exceptio a lege. Quod autem Gentiles non legantur inde arripuiſſe occaſionem exagitandæ Chriſtianæ Religionis, fieri potuit, vel quia Juſtini apologia in manus eorum non inciderit; vel quia nihil in hac doctrinæ noſtræ parte intellexerint; vel quia ſatius judicaverint, ut vulgo ſolebant, humilitatem nativitatis & vitæ Chriſti, ejuſque paſſionis ignominiam carpere; vel quia ſcripti ab iis ea de re libri temporum lapſu interciderint.

Quod ſpectat ad Julianum Auguſtum, 1. non ſcripſit ille contra Chriſtianos, niſi cum jam bellum adverſus Perſas præpararet, eoque proin tempore, quo mens anxietatum plena quidquid ſibi occurrerit amplectitur, & plerumque omiſſis gravioribus, nonniſi levioribus inhæret. Patet id ex ipſo Juliani Opere, ubi quo probet Moiſis Deum inhumano furori obnoxium fuiſſe, adducit exemplum Phinees, qui interempto cum Madianita muliere Judæo, iram Dei placaſſe ſcribitur. Quanto autem validius pugnaſſet adducto Bethſamitarum, & multo magis originalis peccati exemplo, quo tota Adæ propago miſere inficitur, & niſi baptiſmate tot populis ignoto mundetur, a cœleſti gloria excidit in æternum? 2. Julianus tres adverſus Religionem Chriſtianam Libros conſcripſit: unde porro habet Claudius, eum in duobus qui exciderunt, nihil de Euchariſtia ſcripſiſſe? certe primum duntaxat Apoſtatæ hujus Librum confutavit S. Cyrillus Alexandrinus, qui & ab ipſo multa expunxit, multa etiam præſertim circa Baptiſmum leviſſimo calamo perſtrinxit, ne dum Gentiles unum confutabat, pluribus aperiret, quæ propalare vetebat Religio; ergo nec ex Juliani, nec ex Cyrilli facto quidquam contra nos inferri poteſt.

Unum hic annotari velim, Ethnicos nimirum duobus his præſertim incubuiſſe, 1. ut Chriſtianos, qui fictitiis paganiſmi Numinibus ſua perpetuo flagitia exprobrabant, gravium quoque criminum reos comperirent; 2. ut ex vilibus Chriſti & Apoſtolorum perſonis evangelicam legem ludibrio objectarent & contemptui, patet utrumque ex veteribus Chriſtianiſmi apologiis: ſed & ex utroque patet ſpeculativum præſentiæ realis dogma, aliaque id genus, ſatis aliena fuiſſe ab intento Gentilium. Unde etiamſi ea reſcierint per Apoſtatas (qui plerumque, quam tormentis victi, ejuraverant Religionem, intus & animo venerabantur, adeoque nec facile, nec mul-

multum prodebant) nil mirum eſt ſi iis parum immorati ſint: præſertim cum vereri poſſent ne ſiniſtre & præpoſtere arguentes, acriter & nervoſe a Chriſtianis redarguerentur. De his adi & ſerio lege perpetuitatem fidei tom. 3. cap. 2. 3. 4. 5. & 6.

R. 3. neg. primam min. conſtat enim a Gentilibus intentam fuiſſe Chriſtianis infanticidii accuſationem. Hinc Tertullianus Apologet. c. 7. *Dicimur ſceleratiſſimi de ſacramento infanticidii, & pabulo inde & poſt convivium inceſto*. Hinc objectus a Cœcilio apud Minutium Felicem in Octavio pag. 8. *infans farre contectus & occiſus, cujus Chriſtiani ſitienter ſanguinem lambunt, & certatim membra diſpertiunt*. Hinc denique Thieſteas dapes Chriſtianis exprobrant Chriſtianorum ſervi apud Euſebium lib. 5. Hiſtor. cap. 1. eamque objectionem tractarunt Juſtinus, Athenagoras, Arnobius, ceterique Religionis noſtræ vindices: atqui accuſatio hæc non aliunde nata videtur, quam ex confuſo quodam rumore comeſtæ inter ſacra carnis veræ, ac bibiti ſanguinis; neque contrarium ineluctabiliter probare poteſt Claudius; ergo.

At, inquit Miniſter, accuſatio hæc nata eſt partim ex infandis Gnoſticorum flagitiis, qui apud Epiphanium hæreſ. 26. *infantem abortivum in mortario piſtillo tundebant & manducabant;* partim ex Simonianis, Baſilidianis, & Carpocratianis, qui teſte Euſebio lib. 4. Hiſtor. c. 7. p. 120. cauſa fuerunt ut *abſurda quædam & impia de Chriſtianis opinio ſpargeretur, quaſi execrandis dapibus veſci illi ſolerent;* quod & confirmant Origenes lib. 2. contra Celſum, Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 16. & Epiphanius ubi ſtatim.

Verum caduca eſt iſthæc Pſeudominiſtri reſponſio: non enim quærimus an Gnoſticorum, aliorumque ejuſdem furfuris agendi ratio calumnias Ethnicorum ciere potuerit, quærimus an certo conſtet eas inde ſolum natas eſſe, non etiam ex rumore confuſo carnis Chriſti in Euchariſtia realiter comeſtæ. Id autem qui negat Claudius, gratis negat, adeoque jam non ita triumphanter ex Ethnicorum ſilentio argumentari poteſt. Aſſerimus nos, nec omnino gratis, 1. quia ubique paſſim, atque etiam Lugduni, objecta eſt Chriſtianis carnis humanæ comeſtio: porro non ubique erant Gnoſtici, aliique ſimiles, ſed quæ eſt infamium hæreticorum conditio in certis quibuſdam Regionibus latitabant; 2. quia qui Martyres Lugdunenſes apud Ethnicos Magiſtratus accuſaverunt, veris tantum Chriſtianis famulabantur, non autem Gnoſticis, quos probabiliter ne de nomine quidem cognoverant: atqui ii tamen dominos ſuos manducatæ veræ Chriſti carnis accuſaverunt, juxta Oecumenium, aut manducatæ infantium carnis, juxta Euſebium; 3. quia cum ejuſdem criminis exprobratio multis ex capitibus oriri poſſit, fieri facile potuit ut ſuſpicionem apud Gentiles ex confuſa Euchariſtiæ cognitione natam auxerint Gnoſticorum & ſimilium, qui ſe Chriſtianos mentiebantur flagitia. Et vero qua mente infantis carnes vorabant Gnoſtici, niſi ut fidelium Euchariſtiam, in qua vera Chriſti caro comeditur, ſacrilega & horrenda actione imitarentur.

S E-

Digitized by Google

SECTIO QUINTA.

An Euchariſtiæ veritas probari poſſit via præſcriptionis.

DUplici via demonſtrari poteſt myſterii alicujus veritas, diſcuſſionis nimirum & præſcriptionis. Via diſcuſſionis conſiſtit in examine omnium ſigillatim monumentorum quæ pro vel contra afferri poſſunt: viam hanc, quam hucuſque etſi non totam, ſecuti ſumus, operoſi admodum laboris eſſe conſtat, imo tanti, ut communi fidelium vulgo plane invia ſit. Via præſcriptionis eſt exceptio qua quis ut breviter omnes adverſariorum impetus retundat, oſtendit hoc vel illud dogma tali tempore ab omnibus univerſim Chriſtianis creditum fuiſſe: non potuiſſe autem tunc credi, niſi quia hactenus univerſim creditum fuerat; quia nulla hic innovatio ſuboriri potuerit. Viam hanc quam brevem, tam efficacem eſſe patet. Ecquis coram ſenſato judice a fundo ſuo excidat, ſi duo hæc ſolide probet, 1. fundum hunc ab avo ſuo tali tempore poſſeſſum fuiſſe; 2. hunc tunc temporis ab eo non potuiſſe poſſideri, niſi quia ipſius erat. ſit jam

CONCLUSIO. Euchariſtiæ veritas ex præſcriptione demonſtrari poteſt.

Prob. Eccleſia tota præſentiam realem credebat, cum præſentiam hanc ſæculo XI. impugnavit Berengarius: atqui Eccleſia tota præſentiam realem ſæculo XI. credere non potuit, niſi antea ſemper crediderit; ergo veritatem hanc tota ſemper & ſine interruptione credidit Eccleſia. Major & minor ſeorſum veniunt probandæ.

Prob. itaque major, 1. quia ſtatim ut innotuit Berengarii opinio, quod intra annum 1045. & 1040. contigiſſe videtur, contra eam undecumque reclamarunt Abbates, Monachi, Doctores, Epiſcopi, Romani Pontifices; nulla, ne diœceſana quidem Synodus partes ejus ſuſcepit unde applaudentibus quoquoverſum Chriſtianis damnatus eſt adhuc vivens * Berengarius in Conciliis ad minus quindecim, nimirum an. 1050. in Conciliis Romano, ſub Leone IX. Brionenſi apud Normanniam, Vercellenſi, & Pariſienſi ** an. 1053. in Romano ea de re ſecundo; an. 1055. in Florentino, Turonenſi, cui Victoris II. nomine præfuit Hildebrandus, poſtea Gregorius VII. & Andegavenſi; an. 1059. in Romano, cui cum Nicolao II. interfuere Epiſcopi 103. & ubi errorem quem in Turonenſi Synodo jam ejuraverat, denuo ejuravit Berengarius, projectoque in ignem Scoti Libro, celebri ſubſcripſit formulæ: *Ego Berengarius*, apud Labbeum tom. 9. & Harduinum 6. an. 1063. in Rothomagenſi, ibid. apud Harduinum. an. 1075. in Pictavienſi, & Maxentiano apud Pictavos, Lab. x. & Harduin. VI. an. 1078. in Romano, an. 1079. in Romano alio, utroque ſub Gregorio VII. ubi qui ad vomitum, ut jam toties, reverſus erat Novator; * *Sectam ſuam* quam *Catholicæ contrariam fidei denegare non poterat, iterum ſub juramento* abdicavit. Demum an. 1079. in Burdigalenſi, ubi Radulphus Turonenſis ad ſaniorem mentem reduxit Berengarium, eique perſuaſit ut quam Romæ amplexus fuerat fidem, teneret conſtanter. Omitto Synodum Placentinam, quæ ſub Urbano II. ſeptem

* *Obiit an.* 1088.

* *Anonym Chiffleti.*

** Hic & in ſequentibus ſequor Chronologiam Langleti Dufeſnoy tom. 1. p. 310.

ſeptem poſt obitum Berengarii annis, ideſt an. 1095. doctrinæ ejus toties proſcriptæ novum Anathema dixit,

2. quia dum in Conciliis adeo frequentibus Berengarium exagitabant Pontifices, eumdem impugnabant Doctores privati ut hominem qui ab Eccleſiæ totius doctrina aberraret. Sic Adelmanus, qui ſub Fulberto Carnotenſi Berengarii Condiſcipulus fuerat, in Epiſtola qua ab errore ipſum revocare conatur, exprobrat eidem quod *ſe ab unitate ſanctæ matris Eccleſiæ divulſerit*, hortaturque ne *Chriſtianæ civitatis Rempublicam* conturbet. Sic Hugo Lingonenſis Antiſtes in Tract. de corp. & ſang. Domini ad Berengarium ſcripto, objicit quod *univerſalem Eccleſiam ſcandalizet*, additque niſi male ſentiat Berengarius, periiſse omnem Chriſti Eccleſiam, quæ aliud ab ipſo ſentit. Sic Theoduinus Leodienſis præſul, Epiſt. ad Henricum Francorum Regem, ait tam manifeſtam eſſe hæreſim Berengarii, eorumque quos ipſe ſibi aſſeclas fecit, ut *non tam ſit pro illis Concilium advocandum, quam de illorum ſupplicio exquirendum*. Sic Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus Lib. de corp. & ſang. Dom. c. 22. *Si verum eſt*, ait ad Berengarium, *quod de corpore Chriſti tu credis & adſtruis, falſum eſt quod ab Eccleſia ubique gentium & eadem de re creditur, & adſtruitur... Interroga univerſos latinæ linguæ... Græcos, Armenos, ſeu cujuslibet nationis quoſcumque Chriſtianos homines, uno ore hanc fidem ſe teſtantur habere*. Sic, ne diutius immorer, Guitmundus * ex S. Leufredi apud Ebroicenſes Abbate, Cardinalis & Archiepiſcopus Averſanus in Regno Neapolitano, Lib. 3. ad Berengarianos: *Credite*, inquit, *de corpore & ſanguine Domini, quod Mundus credit, & ſic credite ſicut Mundus credidit... quod univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt... notiſſimum namque eſt hoc tempore, priuſquam Berengarius inſaniſſet, hujuſmodi veſanias nunquam fuiſſe*. Addit idem paulo poſt, *ne unam quidem fuiſſe tunc urbem, imo ne unum quidem vicum apud quem Berengariana doctrina obtineret*. Ad hæc porro quid, amabo, Berengarius? an Doctoribus coævis Doctores coævos, an Epiſcopos Epiſcopis, an Conciliis Concilia opponebant? an qui ſyſtema ipſius toto terrarum Orbe velut Hæreticum explodi cauſabantur, & quorum alii Gallorum fidem luculente teſtificari poterant, ut Hugo Lingonenſis; alii Germanorum, ut Adelmanus & Theoduinus; alii Græcorum qui tunc Italis permiſti erant, ut Guitmundus; alii totius ferme Europæ, ut Lanfrancus, Italus origine, in Gallia autem primo Monachus Beccenſis, deinde Cadomenſis Abbas, exinde vero Cantuarienſis Archiepiſcopus? an, inquam, hos, quod tam facile fuiſſet ſi mendaciter loquebantur, æterno obruebat dedecore, exhibendo in univerſis mundi partibus qui ſibi conſentirent; quique adverſariis ſuis nec ſcientia cederent, quod pene volunt hæretici omnes, nec numero, nec ordinis dignitate quod rarius audent Novatores: longe flebilior Berengarii conditio; is enim ſua territus ſolitudine, mortuos in ſuppetias vocabat, ambigua quædam Auguſtini, multa item Joannis Erigenæ loca producebat; & ut ſimul ac ſemel ab importuno viventium clamore ſe expediret, totam Chriſti Eccleſiam periiſſe effutiebat cum ſuis: *Prædicatum eſt*, ajunt apud Lanfrancum c. 23. Berengariani,

* Guitmundi opus tanti ponderis viſum eſt Eraſmo, ut illud ad refellendos Sacramentarios novis typis mandari curaverit an. 1530.

riani, *Evangelium in omnibus gentibus ; credidit Mundus : facta eſt Eccleſia, crevit, fructificavit ; ſed imperitia male intelligentium poſtea erravit & periit : in nobis ſolis & in his qui nos ſequuntur, ſancta in terris Eccleſia remanſit*. Ergo ſtat orbem univerſum Berengarii ævo pro reali præſentia decertaſſe. Jam

Prob. 1. minor, nimirum quod quæ tota præſentiam realem XI. ſæculo credebat Eccleſia, hanc antea ſemper credere debuerit. Ad id enim ſufficit, 1. ut Euchariſtiæ myſterium ex iis ſit quæ explicata & diſtincta fide creduntur, ſaltem ab Epiſcopis, a Presbyteris, a Monachis, & a Doctoribus inter laicos ; 2. ut fides illa ex negante, qualis ante Paſchaſium Radbertum fuiſſe ſupponitur a Calvinianis, in affirmantem, qualis erat Berengarii tempore, mutari non potuerit : atqui utrumque conſtat.

Et quidem 1. luce meridiana clarius eſt fieri nullatenus potuiſſe, ut Sacerdotes qui Euchariſtiam quotidie per verba Chriſti conficiebant, ceteri quoque quibus dum eadem porrigebatur, dicebat Sacerdos, *Corpus Chriſti*, quique reſpondebant *Amen*, ſeu *ita eſt in veritate*, fieri, inquam, non potuiſſe, ut ii inter utramque partem, quaſi res nullius momenti foret, ſuſpenſi, nuſquam inquiſierint, num id quod corpus Chriſti dicebatur, vere eſſet Chriſti corpus, an ſolum ejus imago ; ergo neceſſum eſt ut hæc & alia id genus verba, quæ circa Euchariſtiam utpote myſterium quotidianum, multo frequentius quam circa aliud quodvis myſterium repetuntur, intellexerint vel præſentiæ realis ſenſu, vel ſenſu realis abſentiæ. Atque id quod totis viribus negat Claudius, diſertiſſime his adſtruit verbis : *J'avoue que les Fideles avoient une idèe très-diſtincte de l'abſence rèelle, en ce ſens qu'ils ne croyoient point du tout que J. C. fut ſubſtantiellement prèſent au Sacrement*. Repons. p. 291.

Jam vero dico 2. fieri non potuiſſe ut fides illa ex diſerte negante præſentiam realem uſque ad Paſchaſii tempus, mutata fuerit in ejuſdem præſentiæ aſſertricem : vel enim hæc fidei immutatio ſimul & ſemel facta eſt, ut naſcuntur fungi, vel ſenſim ac temporis progreſſu : atqui neutrum dici poteſt. Non 1. quis enim credat factum ut qui prima hebdomadis die præſentiam realem rejiciebant Paſtores univerſi cum gregibus ſuis, hanc labente hebdomada toto niſu tuerentur. Id dixiſſe, ferme fuerit dixiſſe eam, quæ veſpere Catholica obdormierat, Eccleſiam, mane Calvinianam evigilaſſe. Non 2. ſiquidem, ut ſcite notat Auctor perpetuitatis fidei, in hac ſuppoſitione neceſſum eſt, ut quod ceteris contra fidem erroribus contigit, id etiam fidei præſentiæ realis contigerit, nempe 1. ut ab uno, puta Paſchaſio, paucisve ejus aſſeclis contra unanimem ceterorum ſententiam edita ſit ; 2. ut nonnulli in eam deſcendere cœperint ; 3. ut multo plures eidem acquieverint ; 4. ut mediam Orbis & Eccleſiæ partem impietas repleverit ; 5. ut pars hominum major errori dederit manus ; 6. ut adeo prævaluerit perverſum dogma, nulla ut jam ſupereſſent antiquæ fidei veſtigia : atqui hæc, quæ ſigillatim abſurda ſunt, tantam collecta abſurditatum ſtruem exhibent, ut nulla major cogitari poſſit.

1. enim ea eſt cujuſcumque hæreſis conditio ut ipſa ſua novitate Eccleſiaſticam Rempublicam perturbet & commoveat. Ad minus varias

in

in partes ſcinduntur Epiſcopi, Monachi Monachis oppoſiti, non in diverſis tantum, ſed in iiſdem domibus diverſas ſentiendi vias ineunt; ipſi etiam laici ſuum alii hac, illac alii iter arripiunt, conſulitur Sedes Apoſtolica, ventilata quæſtio ad Synodos, ſi quæ ſunt, imo & ad Principes defertur; neque hic certe ſilent mulieres, Garrulum pecus, cuique, quo plura ignorat, eo altius vociferari conſuetum eſt: Hos effectus a novitate produci demonſtrat omnium temporum, noſtri vero præcipuo hiſtoria. Ita factum in cauſa Arii, Macedonii, Neſtorii, Eutychetis, & ut propiora tempora recenſeam VVicleſi, Huſſi, Lutheri, &c.

Quæ igitur tanta, Paſchaſii diebus, ſpirituum converſio, ut in myſterio, ſi ita loqui fas eſt, populari, vix unus & alter contra immanem, ut adverſariorum plerique volunt, adorati panis idololatriam reclamaverint, iſque nulli Abbates, nulli Epiſcopi, nulli Romæ Pontifices, nullæ Synodi aures præbuerint? Sic porro rem ceſſiſſe liquet ex omnium ejuſdem ævi Scriptorum ſilentio. Legat qui volet & relegat Annales Metenſes, Flodoardum, Reginonem, Hermanum Contractum, Adonem Viennenſem, aliaque, quæ plura ſuperſunt hujus ætatis monumenta, nihil in iis deteget quo avitæ fidei immutatio, & qui eam ſtipare ſolent turbines, tantiſper indicentur; ergo.

2. ea ſemper fuit Novatoris cujuſcumque ſors, ut ſi erroneis quas emiſit propoſitionibus ſuperſtes vivat, acribus Scriptis palam exagitetur, iiſque, ſaltem donec a Paſtoribus damnetur, pro captu ſuo reſpondeat; ita expertus eſt Berengarius, aliique ad unum omnes qui alicujus nominis fuere: atqui Paſchaſius per annos ad minus viginti ſupervixit Operi ſuo * quod an. 844. electus Abbas Corbejenſis ad Carolum Calvum direxit, & tamen nemo hominum palam quid contra ipſum muſſitare auſus eſt, ſed in occulto, ut ii ſolent qui receptam ubique veritatem impugnant. Unde Paſchaſius ipſe in Epiſt. ad Fredegardum: *Ideo*, inquit, *quamvis quidam de ignorantia errent, Nemo tamen eſt adhuc* IN APERTO *qui hoc ita eſſe contradicat, quod totus Orbis confitetur & credit*; ergo.

3. ea quoque eſt erroris conditio, ut ſi propter magnum auctoris ſui nomen finitimas Regiones pervadere valeat (quod alias ſine pugna nuſquam contigit) haud tamen facilem habeat acceſſum apud gentes remotas, eas præſertim quæ contra auctoris patriam nationalia odia exercent: atqui ſi innovavit Paſchaſius, oportuit errorem ejus, unius ad ſummum ſæculi ſpatio, non modo Galliam, Angliam, Germaniam, & conterminas Regiones, ſed & totum qua patet Orientem pervadere: cum tunc temporis, & Græci, & Armeni, & alii earumdem plagarum incolæ, ii etiam qui ceteris Orientalibus immaniter, Occidentalibus vero immaniſſime infenſi erant, ut Neſtoriani & Eutychiani, idem cum Latinis circa præſentiam realem ſenſiſſe deprehendatur. Id porro ſi ita eſt, plus ad propagandam Euchariſtici panis idololatriam fecit Paſchaſius intra annos 80. vel 100. quam ad ſubvertendam Gentilitatis idololatriam

Coint. in Annal. ad an. 818. 826. & 831. *n.* 38

* Pendet hæc quæſtio tum a tempore quo editum eſt opus Paſchaſii, tum a tempore obitus ejuſdem: prodiit porro opus Paſchaſii, juxta Albertin. p. 920. an. 818. juxta Cointium * poſt an. 826. juxta alios recentiores an. 831. porro Paſchaſii mortem an. 851. die 26. Aprilis conſignant multi cum Guielmo Cave pag. mihi 453. alii & melius *poſt* an. 860. cum Mabillonio in Actis SS. Ordinis S. Benedicti ſæcul. IV. part. 2. pag. 127.

triam fecerint cum miraculis ſuis Apoſtoli, cum ſanguine Martyres, cum ſcriptis ſuis Confeſſores, cum lacrymis & gemitibus Virgines, Ægyptique & Thebaidos Solitarii. Id autem quam ſit abſurdum, ſentient ceteri præter Calvinianos.

4. etſi pueruli, qui necdum abſentiam aut præſentiam realem edocti erant, ſupponi poſſunt non ægre Paſchaſianam novitatem arripuiſſe, haud tamen ſupponi poteſt eos qui abſentiam realem hactenus edocti fuerant, ſine ſcrupulo, ſine conſcientiæ remorſu, ſine ulla veritatis indagatione ad præſentiæ realis ſyſtema illico fuiſſe converſos; nec capiet quiſquam ſanæ mentis id brevi Opuſculo obtinuiſſe Paſchaſium, quod geminatis exiliis & perſecutionibus aſſequi non potuere Ariani Principes: atqui tamen novum hoc tam ſubitæ converſionis miraculum admittere debent Proteſtantes; idque non in laicis ſolum, ſed & in Antiſtitibus, qui abſentiam realem placide edocti, præſentiam realem tranquille ad alios tranſmiſerunt; ergo &c.

Obj. 1. Ut corruat noſtrum iſtud præſcriptionis argumentum, ſatis eſt ut contra Paſchaſii doctrinam reclamatum fuerit, quantum tunc temporis reclamari potuit: atqui 1. reclamatum eſt, quandoquidem Paſchaſium impetiere Bertramus, Joannes Erigena, aliique teſte ipſo Paſchaſio; 2. reclamatum eſt quantum fieri potuit ſæculo IX. & X. cum iſtud præſertim, teſte Baronio ad annum 900. *boni ſterilitate ferreum, malique exundantis deformitate, atque inopia Scriptorum appellari obſcurum* conſueverit; ergo. *Albert. p. 934.* *Albert. p. 941.*

R. ad 1. neg. min. ad 1. 2. diſt. reclamatum eſt quoad circumſtantias quaſdam dogmati accidentales, C. quoad ipſam dogmatis ſubſtantiam, ſubd. reclamatum eſt a quibuſdam obſcuri nominis hominibus, & in materia fidei peregrinis, idque non palam & aperte, ſed occulte & in angulo, ut ii faciunt, qui ſentiunt ſe nova & inaudita loqui, tranſeat; reclamatum eſt a peritis quibuſque, palam & confidenter, uti fieri ſolet contra primariorum fidei dogmatum inverſores, N. itaque triplex ut jam dixi circa Euchariſtiam mota eſt difficultas ſæculo IX. 1. an aliquod in eadem Euchariſtia ſit velum, & aliqua ſpecies a Chriſti corpore diſtincta; annon vero id quod videtur, tangitur, frangitur ſit ipſum Chriſti corpus; 2. an idem corpus qua ſacramentale, proinque ex pane & vino factum, dici poſſit corpus ex B. Virgine natum; 3. an inſtar ceterorum quæ in os intrant, obnoxium ſit ſeceſſui. Ex his porro difficultatibus nulla eſt quæ dogmatis ſubſtantiam invadat: ſecunda enim tota ludit in ambiguo, & de nomine diſputat; prima vero & tertia adeo non nocent Euchariſtiæ veritati ut eam extra legitimos fines ferant. At contendo contra Albertinum neminem tunc temporis fuiſſe vere in rebus fidei peritum, & cujus auctoritate moveri poſſent Fideles, qui palam & aperte ipſam realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam impugnaverit: 1. enim ii de quibus conqueritur Paſchaſius, homines erant *loquaciſſimi, magis quam Docti*; & quorum *nemo adhuc in aperto* eidem contradixerat.

2. Joannes Scotus, etſi, quia neſcio quam callebat Philoſophiam, & linguas plures tenebat, non minimum ſibi nomen pepererat, unde & a Carolo Calvo, qui eruditos inter ſe committere amabat, conſultus fuit, & ab

& ab exteris potiſſimum, qui hominem minus norant, impenſe laudatus eſt; ſtupendæ tamen in rebus fideî erat ſtoliditatis. *Quod majoris eſt ignominiæ atque opprobrii*, ait Lugdunenſis, ideſt Eccleſiarum Galliæ celeberrima, *Scotum illum ad ſcribendum* compulere, *qui ſicut ex ejus Scriptis veriſſime comperimus, nec ipſa verba Scripturarum adhuc habet cognita, & ita quibuſdam phantaſticis adinventionibus & erroribus plenus eſt: ut non ſolum de fidei veritate nullatenus ſit conſulendus, ſed etiam cum ipſis omni irriſione dignis Scriptis ſuis, niſi corrigere & emendare feſtinet, vel ſicut demens ſit miſerandus, vel ſicut hæreticus ſit anathematizandus. Venerunt ad nos*, ait Florus ejuſdem Eccleſiæ Diaconus, *cujuſdam*, rem habet de Scoto, *vaniloqui & garruli hominis Scripta*. Similia habent, tum Valentini patres c. 4. de Scoti Operibus: *in quibus*, ajunt, *commentum diaboli, potius quam argumentum aliquod fidei deprehenditur*: tum Patres Concilii Lingonenſis; iiſque circa aliud caput aſſentit Nicolaus I. cum ex facta a Scoto Dionyſii vulgo Areopagitæ traductione judicat eum erroris ſuſpectum eſſe. Idem in praxi judicium efformant Proteſtantes de Scoti doctrina circa gratiam & prædeſtinationem; qui tamen inaudita phreneſi, quoties de Euchariſtia agitur Scotum ad cœlos uſque attollunt *: interea dicere auſim ego talem adverſarium plus abſentiæ reali nociturum fuiſſe, quam profuturum.

Lib. 1. de tr. Ep. c. 10.

3. quod ſpectat ad Bertramum, is ſi male ſenſit, inter veros & apertos Paſchaſii adverſarios cenſeri non poteſt, 1. quia, ut loquitur Libri ejuſdem editor, vir Calvinianus, & in Academia Batavo-Lugdunenſi Profeſſor, *Bertrami Scriptum editum non fuiſſe credibile eſt, de quo alioqui Lanfrancus non fuiſſet taciturus* ∴. *Rationem cur editum non fuerit, duplicem puto, modeſtiam ſcilicet Auctoris & Imperatoris puſillanimitatem. Nam tametſi ferro & flamma Pontifices Romani hanc* abſentiæ realis *ſententiam, nonniſi tertio poſt Caroli Calvi obitum ſæculo, perſequi cæperint; tamen ſuſpicio eſt*, ALTERIUS SENTENTIAE EOS FUISSE PATRONOS ET DEFENSORES; *a quibus cum emiſſe Carolum ſuam conſecrationem ſcribant nonnulli, quid mirum, ſi hoc edito Scripto eos in ſe provocare noluit*? 2. quia Bertramus, ſeu præſentiam realem admiſit, ſeu negavit, ita verba ſua temperavit, ut á Lectoribus minime ſuſpicioſis idem quoad dogmatis ſubſtantiam cum Paſchaſio ſenſiſſe merito judicaretur: en aliquot ejus textus unde colligi queat id a nobis haud temere aſſertum. *Non enim putamus ullum fidelium dubitare, panem illum fuiſſe Chriſti corpus effectum, quod Diſcipulis donans dixit: Hoc eſt corpus quod pro vobis datur; ſed neque dubitare calicem continere ſanguinem Chriſti*. Et alibi; *Panis qui offertur* ∴, *in Chriſti corpus dum ſanctificatur, tranſponitur; ſicut & vinum cum ex vite defluxerit, divini tamen ſignificatione myſterii efficitur ſanguis, non quidem viſibiliter, ſed ſicut ait præſens Doctor, operante inviſibiliter Spiritu ſancto: unde & ſanguis corpus Chriſti dicuntur, quia non quod exterius videntur, ſed quod interius divino Spiritu operante facta ſunt, accipiuntur, & quia longe aliud per potentiam inviſibilem exiſtant, quam viſibiliter appareant*. Et rurſus num. 49. *Ex his omnibus quæ ſunt hactenus dicta, monſtratum eſt, quod corpus & ſanguis Chriſti, quæ fidelium ore in Eccleſia percipiuntur, figuræ ſunt ſecundum*

* Joannes Scotus Philoſophus eximius, profundus Theologus. *Hofman apud Blount in cenſura celebriorum Auctorum*, pag. mihi 360.

eundum ſpeciem viſibilem: at vero ſecundum inviſibilem ſubſtantiam, idest divini potentiam Verbi, vere corpus & ſanguis Christi exiſtunt &c. Ecce hic tritas ævo ſuo ad exprimendam Euchariſtiam voces uſurpat Ratramnus: atqui quem velis ſenſum iis ex privata opinione alligaverit, conſtat iiſdem diſerte contineri fidem ſæculi IX. ergo ſi tam notus fuiſset Bertrami liber, quam ignotum fuiſse credimus, haudquaquam Paſchaſii ſcriptum læſiſset.

Hic pro coronide annotandum, 1. Bertrami Librum nuſquam a Berengario in erroris ſui gratiam adductum eſſe; unde hunc vel ignotum fuiſſe liquet, vel ſi notus, Catholico ſenſu intellectum; 2. Magdeburgenſes Lutheranos Librum hunc pro ſibi adverſo habuiſſe; ſi autem Lutheranis nocet, qui fiat ut Calvinianis opituletur? 3. Doctores Lovanienſes in Indice expurgatorio Belgii an. 1571. in eo nihil redarguiſſe præter ſubobſcura quædam verba, ſimilitudines non ſatis accuratas, & ſententias quaſdam inepte expoſitas; 4. eum quidem in Indice Romano fuiſſe poſitum, ſed quia & incerti auctoris viſus ſit, & a multis Joanni Scoto aſſertus, & primum editus a Pſeudoreformatis. Romæ enim, nec immerito, timentur Danai & dona ferentes.

Ad 2. 2. dico 1. ex ignorantia & Scriptorum defectu, quæ ſæculo IX. exprobrantur, colligi poſſe nullam tunc contigiſſe fidei mutationem, nimirum enim innovatio in myſterio capitali nuſquam non graves turbas ciet, proinque ingenia excitat a ſopore, & ſic parturit Libros, haud quidem ſemper primi ordinis, ſed qui nihilominus fidem tunc publice receptam annuntient. Si ergo nemo tunc contra Paſchaſii doctrinam reclamaverit, factum id eſt, quia in Libro ejus id detexere ſenes, mediæque ætatis viri, quod imberbes didicerant. Et vero ſi his temporibus a nullo alio fidei capite receſſum eſt, cur a trita primarii ſimul & popularis myſterii fide diſceſſum fuiſset?

Dico 2. non tale fuit ſæculum X. quale id pingit Baronius, qui ita in deformatam Eccleſiæ Romanæ faciem oculos intendit, ut eos a reliquæ Eccleſiæ intuitu averterit. Etſi itaque ſua ſæculo X. ut aliis ante & poſt ſæculis, fuere ſcandala, haud iis tamen defuerunt omnis formæ benedictiones: 1. enim nulla ætas tot altæ pietatis Principes, Reges & Imperatores edidit, uti fuſe demonſtrat Auctor perpet. fidei, in 12. 3. p. c. 6. porro Principes quam ſervandæ dogmatis integritati inſerviant, ſeu novatores, ſi qui occurrant, procul arcendo; ſeu totis enitendo viribus, ut ſancti Diœceſibus & Monaſteriis præficiantur Antiſtites, nemo eſt qui ignoret; 2. medio illo Paſchaſium inter & Berengarium tempore floruerunt, fidei, doctrinæque ſtudio pariter inſignes, Romæ Stephanus VIII. Leo VII. Marinus, Agapetus II. Piſis in Tuſcia, Theodoricus & Grimoaldus; Bergomi Adabeltus; Feſulis Zenobius; Cœſenæ Sergius; Patavii Petrus & Gauzelinus; Veronæ Notherius; in Germania, Coloniæ Bruno; Moguntiæ VVillelmus; Treviris Henricus; Hildesheimii Bernardus & Godartus; Auguſtæ S. Uldaricus, qui *Gemma Sacerdotum* nuncupatus eſt; Magdeburgi Adalbertus, Pragæ Adalbertus alter martyrii laurea inſignis; in Anglia Sanctus Dunſtanus, Odo Cantuarienſis, & qui mirabili pœnitentiæ mirabile corruptos Clericorum mores reformandi ſtudium conjunxit Edgarus Rex.

Habuit & eodem ævo Gallia, ut ceteris temporibus, magni nominis
Epiſcopos & Abbates, qui dubio procul novitati obſtitiſſent invicte. Pa-
** Trosli.* tet id tùm ex Concilio apud Troslejum * non procul a Sueſſonibus ha-
bito an. 909. ubi qui interfuerunt Epiſcopi duodecim uberem Concilio-
Lab tom. rum & Patrum ſcientiam exhibuere; tum ex Concilio Remenſi an. 992.
9 p 521. cujus in geſtis magnam Eccleſiaſticæ diſciplinæ cognitionem deprehendit
ill. Marca Lib. 7. de concordia, c. 25. Ad hæc eadem ætate, partim 9.
& 10. partim 10. & 11. ſæculo floruere viri ſcientia & pietate graves,
ut Fulco, Fulbertus Carnotenſis, & Guarinus Belvacenſis, qui an. 1017.
Aurelianenſi interfuit Concilio, ubi damnati ſunt, & jubente Rober-
Glaber. to Rege, qui *doctiſſimus erat & vere Chriſtianus*, flammis traditi Liſojus,
ubi infra. Heribertus, & alii circiter decem, qui inter alios errores negabant *pa-
nem & vinum converti poſſe in corpore & ſangume Chriſti ;* prout refert
Glaber Rodulphus Lib. 3. hiſtoriæ, c. 8. vide & Labbe tom. 9. p. 841. D.

His addendi diſciplinæ Monaſticæ reparatores, Romualdus Camaldu-
lenſium Pater, & qui æternum Cluniacenſi Monaſterio nomen fecere
S. Odo qui Paſchaſii Librum de corpore & ſanguine Domini eximie
laudat * B. Aymardus, S. Majolus & qui poſt eum teſte Petro Damia-
no totam congregationem per annos 56. ac proinde ad Berengarii uſque
tumultus, gubernavit S. Odilo. Quæro autem an qui Catholicam rea-
lis præſentiæ fidem tenuit Odilo, aliud ſenſerit quam a Majolo didiciſ-
ſet. Quæro an Majolus ab Aymardi & Odonis ſententia receſſerit &c.
quæro proinde an ubique Gentium explodi potuerit a filiis error Beren-
garii, ſi filii a Patribus aut ſaltem ab avis id tantum edocti erant quod
Albert. docere & ſpargere conabatur Berengarius. Eant ergo Albertiniani, &
p. 941. lacrymabundi inclament: *Cum dormirent homines, venit inimicus & ſuperſe-
** Matth.* minavit zizania in medio tritici*;* oſtendent ſibi quidem notam eſſe decla-
13. mandi artem, non autem vere & ſincere argumentandi.

Obj. 2. Si ſupponi poſſit Paſchaſii doctrinam totius Eccleſiæ fidem fuiſ-
ſe, quia contra eam nec ab Epiſcopis, nec a Conciliis reclamatum fue-
rit, idem ſupponi poterit de Joannis Scoti doctrina; cum hæc tunc tem-
poris a nullo Antiſtite, nulla a Synodo proſcripta fuerit: atqui abſur-
dum, juxta nos conſequens; ergo.

R. neg. maj. longum enim ut inter Auctorum perſonas, ſic & inter
eorum Scripta eſt diſcrimen. Nimirum Scotus, licet iis qui exteriori ful-
gore capiuntur, propter novæ dialecticæ ſubtilitates & linguarum ſcien-
tiam placuerit, eo uſque apud vere peritos exiſtimationem famamque
Supra amiſit, ut non tam pro Scriptore quam pro ſcriptitatore procaciter &
p. 271. temere loquaci haberetur. Deinde vix ſparſum eſt Opus ejus, unde
Pa-

* Ita refert & probat Mabillonius ex lib. 2. collat S. Odonis lib. 2. cap. 30. 31. & 32. en autem primorum Cluniaci Abbatum ſeries chronologica qualem exhibent Galliæ Chriſtianæ Auctores. B. Berno primus Abbas obiit idib. januar. an. 927. non 912. ut legitur in Chronico S. Bertini. Sanctus Odo electus paulo ante Bernonis mortem, obiit an. 942. B. Aimardus, vel Aymardus obiit poſt an. 964. Sanctus Majolus obiit an. 994. S. Odilo Majoli Coadjutor aſſumptus an. 990. obiit an. 1049. S. Hugo. I. obiit an. 1109 ætatis 85. poſt 60. annos regiminis; Pontius obiit circa an. 1126. Hugo II. vivente Pontio electus an. 1121. eodem obiit anno poſt tres circiter in electione menſes. Petrus I. cognomento venerabilis obiit an. 1158.

Digitized by Google

Paſchaſii plurima, nulla Erigenæ in Bibliothecarum ſcriniis reperta ſunt exemplaria; inſuper nullos habuit Sectatores Scotus; quin & apud Gallos adeo viluit, ut juxta plures coactus ſit ſecedere in Angliam *: non eſt autem moris, imo nec potis eſt ut contra Opera, quæ per ſeipſa corruunt, congregentur Synodi. Ad hæc Scotus indirecte tantum & ambigue realem præſentiam impugnabat, itaut, teſte Aſſelino, ii tantum errorem ejus detegerent, qui perſpicaciores erant. Denique his non obſtantibus haudquaquam dici poteſt omnino prætermiſſum fuiſſe Scoti errorem a coævis Auctoribus. Hunc ſcilicet perſtrinxit, 1. Hincmarus Remenſis Lib. de prædeſt. cap. 31. ubi ſic loquitur: *Sunt & alia, quæ viri vocum novitatibus delectantes contra fidei catholicæ veritatem dicunt* ... puta *quod Sacramentum altaris non verum corpus & verus ſanguis ſint Domini, ſed tantum memoria veri ſanguinis ejus*; 2. Adrevaldus ſive Albertus, Monachus Floriacenſis, qui Librum ſuum inſcripſit: *De corpore & ſanguine Domini, contra Joannis Scoti ineptias*, apud Dacherium tom. 12. ſpicilegii; 3. Nicolaus I. qui in Epiſtola ad Carolum Calvum ſcribit, nuntiatum ſibi quod Scotus non ſane ſaperet. His adde Annales Bertinianos ad an. 855. ubi Scotus circa Euchariſtiam & alia, multa fidei Catholicæ contraria ſe minaſſe dicitur. Sileo Vercellenſem Synodum, in qua Scoti Liber ultricibus flammis devotus eſt: ergo conſtat Librum Scoti nec dignum fuiſſe qui confutaretur, nec tamen intactum manſiſſe. Longe alia erat conditio Paſchaſii. Erat is, 1. magnæ & certæ apud probos omnes exiſtimationis; 2. ſcribebat in gratiam juniorum Monachorum, quorum cereæ mentes quoque volueris flecti facillime poſſunt; 3. poterat Paſchaſius ad Abbatiales infulas promoveri, ut promotus eſt reapſe, unde & magnum errori pondus accreſcebat; 4. ejuſdem Liber e Monaſterio prodierat foras, & exitiale Chriſtiano gregi virus porrigebat; ergo, niſi nova, & ab initio Evangelii ad nos uſque inaudita fingatur hypotheſis, debuit undecumque contra Paſchaſii Librum inclamari, ſi is avitam fidem ſubruere incepit: porro non reclamatum eſt; ergo.

Cave ſub an. 890.

Obj. 3. Multa ſuppetunt exempla novitatum, quæ in Eccleſiam irrepſere: Sic 1. quæ per ſæcula novem fermentato uſa erat pane Eccleſia Latina, azimum ſæculo x. adhibere cœpit. Sic 2. diu viguit conſuetudo jejunii non ante veſperam ſolvendi; & id tamen aliquot a ſæculis ſolvimus ſub meridiem. Sic 3. per plura ſæcula ſub duplici ſpecie communio facta eſt, & fieri præcepta; nunc autem ſub una tantum, idque tum a laicis, tum a Sacerdotibus qui non celebrant. Sic 4. ignotus antea toti Eccleſiæ imaginum uſus in Concilio Nicæno II. comprobatus eſt: atqui eæ mutationes ſine ullo Eccleſiæ decreto, & citra ullam populi vel Epiſcoporum contradictionem contigerunt; ergo & pari ratione invehi potuit novitas Paſchaſiana.

R. 2. diſt. maj. in Eccleſiam irrepſere mutationes circa diſciplinam; idque non ubique, C. circa fidem, N. itaque duplici ex capite nutat adverſarium objectio, 1. quod utplurimum e diſciplina concludat ad fidem;

S 2 2. quod

* Scotigenam in Gallia perſeveraſſe opinatur Mabillon, cit. præfat. in 2. part. ſæcul. IV. Benedictini, pag. LXVII. unde & eum male a Calvinianis cum Joanne Abbate Athelingiæ, qui in Cœnobio Malmesburienſi apud Anglos martyr colebatur, confundi oſtendit.

2. quod uti univerſim factas obtrudat mutationes, quæ non ubique, ſed in certis tantum locis invaluerunt: porro conſtat 1. diſciplinam & fidem inſigni aliam ab alia ſecerni intervallo diſciplina, ut quæ a liberis Eccleſiæ legibus pendeat, mutari poteſt citra antiquitatis auctoritatem; cumque hujuſmodi immutationes lapſis retro temporibus contigiſſe, ſeu ex hiſtoriis, ſeu aliunde didicerint fideles, non eſt quod iis turbentur, & in querelas erumpant, quaſi in diſcrimen veniret ſumma Religionis. Aliud eſt de fide, quam qui ſemel ut neceſſariam ad ſalutem amplexi ſunt, millies mori malint, quam deſerere, atque ideo toto mentis & vocis impetu contra ſubverſores ejus enituntur. Unde ſi novum quid & idololatricum protulerit Paſchaſius, miraculo omnium inſolentiſſimo opus fuit ut contra perverſam ejus novitatem univerſus Orbis non inſurgeret.

Conſtat 2. quæ ut generales objiciuntur mutationes diſciplinæ, neutiquam fuiſſe generales: non prima, cum Græci hodiedum fermentato pane utantur, nec deſint qui contra Sirmondum credant latinam Eccleſiam, diu ante ſæculum x. in azymis conſecraſſe; de quo alibi.

Non ſecunda: quandoquidem etiamnum Orientales Eccleſiæ Jejunium protrahunt ad veſperam. Quod autem ſecus apud Latinos factum eſt, non ex antiquitatis ignorantia, ſed partim ex imminuta fidelium charitate, partim ex Eccleſiæ indulgentia evenit.

Non tertia: neminem quippe latet, Græcos, Melchitas, Moſchovitas, Georgianos, Neſtorianos, Jacobitas, Armenos, Abyſſinos, atque ipſos etiam Maronitas qui Romana communione fruuntur, hodie, ut ſemper, Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumere.

Non quarta; duplex enim circa imagines quæſtio poteſt agitari; 1. an relativus earum cultus fidei adverſetur, an econtra ut pius ac religioſus haberi queat; 2. an hic & nunc imagines pingi, ut fidelium oculis ſubjici expediat. Circa primum caput quod ad dogma pertinet, nulla uſquam in Eccleſia mutatio contingit, prout, aſpirante Deo, alibi probabimus. Circa ſecundum, non negamus aliquid contigiſſe mutationis. Verum mutatio hæc, quæ quia diſciplinam reſpicit, nocere nobis non poteſt, graviter nocet Calvinianis. Si enim ea novitatis ſpecies, tametſi ſolius erat diſciplinæ, tantos certo Eccleſiæ ſæculo tumultus peperit, quanto peperiſſet graviores mutatio in fide myſterii popularis? mutatio, inquam, vi cujus Chriſtianus Orbis ad ignotam hucuſque panis adorationem transferebatur.

SECTIO SEXTA.

An fides realis præſentiæ ex omnium Eccleſiarum conſenſu evinci poſſit.

CONCLUSIO. Fides realis præſentiæ ex omnium Eccleſiarum conſenſu demonſtratur.

Prob. Ut ex omnium mundi Eccleſiarum conſenſu demonſtrari queat veritas realis præſentiæ, ſufficiunt duo, 1. ut realem hanc præſentiam Eccleſiæ omnes conſtanter crediderint a pſeudoreformationis tempore ad tempus noſtrum; 2. ut eam tunc temporis unanimiter credere omnes non potuerint, niſi quia antea jam & ſemper crediderant: atqui utrumque certum eſt.

Et

Et quidem 1. conſtat a pſeudoreformationis tempore ad noſtros uſque dies conſtanter creditam fuiſſe realem præſentiam ab omnibus Eccleſiis: de Latinis non ambigunt Calviniani, cum ab iis ob eamdem negatam, imo & a Lutheranis ſæpe ſæpius anathemate percuſſi fuerint. Tota igitur quæſtio movetur de Orientalibus: harum porro fides pluribus iiſque invictis monumentis adſtrui poteſt.

Primum deſumitur ex reſponſo 1. * Jeremiæ CP. Patriarchæ ad Tubigenſes Theologos, qui Auguſtanam ad eum confeſſionem tranſmiſerant die 15. Septemb. an. 1574. ut explorarent an *forte, Deo dante, idem in Chriſto* ſentirent Græci cum Lutheranis. In hæc porro verba reſpondit Jeremias: *Multa de Cœna Domini audiuntur apud vos, quæ nobis diſplicent: ſtatuit igitur Catholica Eccleſia, mutari, conſecratione facta, panem quidem in ipſum corpus Chriſti, vinum vero in ipſum ſanguinem ejus per Spiritum ſanctum; qui panis fermentatus ſcilicet ſit ... Dominus enim illa nocte qua tradebatur ... non dixit: Hoc eſt azymum, aut typum corporis; ſed hoc eſt corpus meum.* P. 86.

Nec obeſt quod addit Patriarcha, Chriſtum non dediſſe comedendam carnem *quam geſtabat; nec etiam nunc in ſacro hoc ritu* deſcendere *Dominicum corpus de cælo*. His enim indicat quidem, Chriſtum non ita dediſſe carnem ſuam, ut eam gerere deſineret; neque deſcendere de cœlis, quaſi eos, ut in Sacramento præſens fiat, deſerere cogatur. At nullatenus, quam aperte docuerat, præſentiam realem imminuit. Unde ſubdit continenter: *Sed & tunc*, in ultima cœna, *& nunc, invocatione & gratia Omnipotentis ... Spiritus ... panis quidem in ipſum Domini corpus, vinum vero in ipſum Domini ſanguinem convertitur & tranſmutatur*. En Eccleſiæ Græcæ fides, *candide & nulla cum diſſimulatione expreſſa*, ut in ſecundo ſuo ad Patriarcham reſponſo profitentur Lutherani. Hanc diſerte in ſecunda ſua reſponſione confirmat idem Patriarcha; quod & diu poſtea fecere duæ Græcorum Synodi, nimirum Jeroſolymitana an. 1668. & Bethlemitica an. 1672. P. 147. P. 240.

Secundum deſumitur ex turbis quas in Oriente concitavit Cyrillus Lucar, qui ex Alexandrino Patriarchatu, agente Batavorum pecunia, ad Conſtantinopolitanum evectus, Calvinianam, nomine ſuo, fidei profeſſionem edidit circa an. 1630. Hæc ſtatim ut innotuit confutata eſt & proſcripta, 1. a Matthæo Carionilo Iconii Epiſcopo; 2. a Synodo Græcorum, quæ Cyrillum depoſuit *, egitque apud Turcarum Imperatorem, ut Rhodum exul mitteretur; 3. unanimi pene eorumdem Græcorum clamore, qui reſtitutum Batavico auro Cyrillum denuo ejici curaverunt, & ad Euxini maris littora transferri, ubi erutus e carcere, juſſu Imperatoris an. 1638. ſtrangulatus eſt; 4. a Concilio CP. cui interfuere Cyrillus ex Beroenſi Epiſcopo factus CP. Patriarcha, una cum Patriarchis Alexandriæ & Jeroſolymæ, tribuſque ſupra viginti Orientalibus Epiſcopis, ac univerſo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Clero, qui omnes *anathema* dixerunt *Cyrillo* Lucari, *docenti & credenti panem & vinum per Sacerdotis benedictionem & adventus Spiritus ſancti in verum corpus & ſanguinem* *Supra p. 18.* * *Perpet. fid in 4. tom 1.*

* Reſponſum hoc *furtim comparatum* * edidit primo Stanislaus Socolovius, Stephani Poloniæ Regis Theologus Catholicus. Idem cum utriuſque partis hinc & inde ſcriptionibus ediderunt an. 1584. Lutherani ſub hoc titulo: „ Acta & ſcripta Theologorum VVirtembergenſium, & Patriarchæ CP. D. Hieremiæ. „ Hac VVirtembergenſi editione uſus ſum. * *Præfat. Act. VVirt.*

J. C. non converti. Erat quidem Cyrillus Beroenſis Romanæ Communioni addictus : at eidem addicti non erant ceteri ejuſdem Synodi Præſules ; 4. a Parthenio, qui ejecto Cyrillo Beroenſi, cui & in exilio mortem inferri curavit, ipſam tamen ejuſdem Beroenſis Cyrilli de Euchariſtia fidem confirmavit in Synodo cui intererant Epiſcopi vigintiquinque.

Tertium deſumitur ex *Orthodoxa Ruthenorum* ſeu Ruſſorum *confeſſione*, quam in popularium ſuorum Græco ritui addictorum gratiam exaravit Petrus Mochylas Kioviæ Metropolita. Hæc autem prima parte q. 56. ſic habet : *Quidnam iſte nobis exponit* ſymboli *articulus : Qui aſcendit in cælos* &c. *R. dogmata quatuor* ∴ *Quartum quod docet, hoc eſt, Chriſtum nunc in cælo tantum eſſe, non vero in terra, eo corporis ſui modo, quo olim dum in his locis ageret, uſus fuerat, verum modo ſacramentali, quo in ſacra cœna præſto eſt, eumdem Dei filium, Deum hominemque, etiam in terra adeſſe, nimirum per tranſubſtantiationem : quippe ſubſtantia panis in ſubſtantiam ſanctiſſimi corporis ipſius convertitur, & ſubſtantia vini in ſubſtantiam pretioſiſſimi ſanguinis ipſius; quamobrem ſanctam Euchariſtiam ſic venerari adorareque nos oportet, quemadmodum ipſum Servatorem noſtrum Jeſum*. Et q. 106. ad hæc ſymboli verba : *Confiteor unum Baptiſma*, ubi de ſeptem Sacramentis tractatur : *Quodnam tertium eſt myſterium? R. ſancta Euchariſtia, ſive corpus & ſanguis D. N. J. C. ſub viſibili ſpecie panis & vini, in quo vere & proprie, hoc eſt ſecundum rem ipſam, præſto adeſt Jeſus Chriſtus* : atqui verba hæc, quibus tam aperte quam Catechiſmis noſtris, exprimitur tranſubſtantiatio, non tantum maximæ Ruthenorum Eccleſiæ, ſed Græcanicæ totius fidem repræſentant : cum prædicta confeſſio a quatuor Orientalis Eccleſiæ Patriarchis, novemque Præſulibus, & præcipuis magnæ CP. Eccleſiæ
* Ann. 1643. adminiſtris fuerit * approbata, ideoque nunc inſcribatur *Confeſſio orthodoxa Eccleſiæ Orientalis* quode adi tom. 2. Explicationis Miſſæ a R. P. Petro le Brun Oratorii Presbytero, pag. 428. & ſeq. atque hinc Olearius Lutheranus, cum propter aſſertam Moſcovitis tranſubſtantiationis fidem a Sacramentariis quibuſdam Gallis falſi poſtulatus eſſet, in hæc verba
Die 4. Januar. an. 1667. generoſe ſcripſit ad D. de Cambouſt de Ponchaſteau : *Quæ hac de re, Ruthenos credere tranſubſtantiationem, ſcripſi, non fuerunt mea ſomnia ; ſed accepi ex ore eorum, qui hujus rei bene conſcii erant, nempe 1. a Paſtoribus noſtræ Eccleſiæ in ipſa Moſcua ; 2. a quibuſdam Zuaris interpretibus, qui a noſtra Religione deceſſerant in Ruthenicam ; 3. ab ipſis Ruthenicis mercatoribus, imo ab ipſis Sacerdotibus & Monachis*. Plura de Græcis omitto, quia plura excribere non vacat.

Quod de Græcis, idem dicendum de Armenis : hinc conſultus Armenus Epiſcopus qui Amſtelodami degebat an. 1666. quid de Euchariſtia ſentirent ſui, ſic reſpondit : *Credunt Armeni Chriſtiani, tam illi qui Eccleſiæ Latinæ communicant, quam qui ab ejus communione alieni ſunt, corpus & ſanguinem Chriſti revera ſumi a communicantibus ſub ſpeciebus panis & vini, ipſiuſque panis & vini ſubſtantiam per conſecrationem Sacerdotis verti in corpus & ſanguinem Chriſti* &c. *Ita univerſim credere Armenos Chriſtianos, ego Uſcanus Epiſcopus Armenus teſtimonium perhibeo die 14. Octobris 1666. Amſtelodami*. atque id vel ex ſola Armenorum Liturgia evinci poteſt ; ſic enim in ea Deum precantur : *Mitte in nos & ante poſita munera iſta comſempiternum tuum & coeſſentialem ſanctum Spiritum, quo pa-*

nem

nem iſtum benedicens, corpus vere facies Domini noſtri &c. Unde liquet haud ſatis Guidoni Carmelitæ cognitam fuiſſe Armenorum fidem, cum ab iis præſentiam realem non teneri ſcripſit. Certe miſſa ad Benedictum XII. relatio, qua innumeri Armenis circa peccatum originale, animæ immortalitatem, realem præſentiam, affinguntur errores, diſerte teſtatur, eſſe has opiniones Armenorum, *vel aliquot ex eis*; de quo adi Raynaldum ad an. 1341.

Neque alia eſt Neſtorianorum, qui in Oriente multi ſunt, doctrina, ut patet 1. quia nemo Catholicus eos unquam circa præſens caput erroris poſtulavit; quod, ſi male ſentirent, indubie factum eſſet, cum ab Innocentii IX. temporibus ad noſtram uſque ætatem frequenter miſſi ſint Miſſionarii, quibus, ut alii eorum errores, ſic & is facile detectus eſſet; 2. quia ab iis, quoties ad Eccleſiam cum Patriarchis ſuis reverſi ſunt, nuſquam petitum eſt ut Berengarianam hæreſim ejicerent, & tranſubſtantiationem profiterentur.

Eadem quoque eſt ſententia Jacobitarum *, ac proin Cophtorum & Ægyptiorum, qui & ipſi ſunt Jacobitæ: res patet 1. ex Miſſionariorum Latinorum ſilentio; 2. quia qui eos probe in Paleſtina noverat, ſæpiuſque interrogaverat Joannes de Vitriaco, etſi ceteros eorum errores refert, altum tamen de præſenti capite ſilentium habet; 3. quia Dionyſius Barſabiby, Amedenſis Jacobitarum Epiſcopus, hæc habet comment. in Liturgiam S. Jacobi: *Dicimus panem hunc cœleſtem in veritate & effectu eſſe corpus Filii Dei, & illud idem eſſe corpus perſonæ ipſius, quod aſſumpſit ex Maria, & factum eſt ſacrificium pro nobis*. & cap. 13. *Sacramenta autem vocantur corpus & ſanguis, quoniam non illud quod videtur ſunt: Secundum ſpeciem panis & vinum ſunt, ſed agnoſcuntur atque ſunt corpus & ſanguis Dei*; 4. quia Æthiopes ſeu Abyſſini, qui ab Alexandrino Patriarcha Jacobita pendent, & cum eo in omnibus conſentiunt, realem præſentiam omnino tuentur, ut liquet ex hoc Æthyopum trium teſtimonio, quod in programmate Moguntiæ excuſo an. 1651. deſcripſit Bartholdus Nihuſius: *Nos Æthiopes in veritate atteſtamur Gentem noſtram venerari imagines Sanctorum, & credere corpus & ſanguinem J. C. præſentialiter adeſſe in ſancta Euchariſtia*. Et vero quid aliud ſibi volunt hæc *canonis univerſalis Æthiopum* verba, quæ in omnibus Orientalibus Liturgiis ſaltem quoad ſenſum leguntur? *Benedic .... & transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in ſanguinem tuum pretioſum*; quid iſta populi poſt conſecrationem acclamatio? *Amen, amen, amen, credimus & confidimus & laudamus te, o Domine Deus noſter: hoc vere corpus tuum eſt* &c. Scribit equidem Goez elevationem donorum, quæ Liturgia iſta præcipitur, apud Æthiopes non eſſe in uſu: ſed cum Æthiopum Eccleſia per regna 40. diffundatur, nil mirum ſi elevatio in eorum aliquibus vigeat, in aliis vero non.

Non eſt quod de Maronitis Libani incolis loquar: hi enim, cum, ut ſpinis roſa, ſic Muſulmanis licet & hæreticis circumdati, Romanæ Ec-

* Jacobitæ, qui & Dioſcoritæ, ſunt Eutychiani, qui a quodam Jacobo Syro, alio nomine Baradea vel Zangala, indefeſſo Calchedonenſis Concilii hoſte nomen ſortiti ſunt, & Liturgiam S. Marci quam perfecit S. Cyrillus, ſequuntur. Ii per contemptum adverſarios ſuos, qui nempe Concilium Calcedonenſe amplexi ſunt, Melchitas ideſt Regaliſtas vocant, quaſi regiæ voluntati obſecutos.

cleſiæ conſtanter inhæreant, non aliam quam ſedis Apoſtolicæ fidem profitentur : nec uſquam illius, etiam dum a Romanis divulſi monothelectico errore inficiebantur, circa Euchariſtiam erroris inſimulati fuere.

Merito igitur Armenus quidam Epiſcopus, qui Romæ circa an. 1670. degebat, interrogatus de ſuorum fide, his verbis reſpondit generaliter : *Orientales omnes iſtius temporis in ſacrificio Miſſæ credunt fide indubitabili & inhæſitabili panem vere tranſmutari in corpus, & vinum in ſanguinem D. N. J. C. imo* NUNQUAM DE HAC RE DUBITAVERUNT, *nec unquam habuerunt infidelitatem hanc quam audivimus nunc de quibuſdam nomine tantum Chriſtianis*. Certe ſi Jacobitæ aut Neſtoriani jam ante Calcedonenſem & Epheſinam ſynodos realitatem non admiſiſſent, neque tunc admitterent ; cum id curaverint unum, ut nihil a Græcis, Latiniſve Neſtorii & Eutychetis condemnatoribus mutuarentur ; ergo quod hodie credunt jam quinto ſæculo tenebant : atqui tunc non tenebant, niſi quia tenuerant antea, & cum reliquo Orbe tenuerant ; alias ſuborto tunc errori oppoſuiſſent ſe non modo qui tunc florebant præſtantis notæ Doctores, ſed & ipſi humilioris gradus fideles, qui non ſine ſtupore altaria hactenus inaudita erigi, ſacrificium Chriſti ſacrificio injurium celebrari, Sacerdotes ad ſacrificii hujus oblationem conſecrari vidiſſent. Hæc & alia id genus ſummi pretii momenta pene innumera reperies in Opere de perpet. fidei., tom. 1. Lib. 12. & tom. 3. Lib. 8. alia quoque magni momenti dabit citatum Opus P. le Brun. tom. 2. & 3. Jam

Prob. 2. pars primæ minoris, nempe quod Eccleſiæ omnes, Orientales vero potiſſimum de quibus lis movetur præcipua, præſentiam realem non credunt hodie, niſi quia hanc ſemper credidere. Alioqui enim, ut jam de Latina dictum fuit, neceſſe eſt ut eædem Eccleſiæ e non credentibus factæ fuerint credentes : atqui ſingularis hæc monſtroque ſimillima tot nationum in capite magni momenti immutatio fidem omnem excedit : 1. quia mutationis hujus nec epocha, nec cauſæ ullæ aſſignari poſſunt ; 2. quia cum plures in Oriente ſint ſectæ, aliæ aliis capitaliter infenſæ, ut Jacobitæ Melchitis, dubio procul quæ ab avita fide diſceſſiſſent, ab aliis graviter fuiſſent reprehenſæ ; niſi, quod abſurditatis cumulus eſt, omnes quaſi eadem die a fide ad errorem avolaſſe ſupponantur ; 3. quia Latini qui XIII. ſæculo Conſtantinopolim, imo & totam pene Græciam armis occupavere, quique Græcorum res & dogmata profunde noverant, eoſque non ſemel per Inquiſitores ſuos ultimis afficere ſuppliciis, nullum tamen his circa præſens punctum exprobrarunt errorem ; 4. quia Græci qui Latinos furiali odio proſequebantur, & contra ipſorum mores & fidem quidquid occurrebat animo evomuere mali, nihil omnino contra admiſſam ab illis realitatem ſcripſerunt, etſi hanc utpote quæ ex Romanis ritibus ad oculum pateat, ignorare non poſſent ; 5. quia in Synodo Florentina, ubi ſingula quæ utramque Eccleſiam ſcindebant capita, ingenti ſtudio carptim diſcuſſa ſunt, altum utrinque de tranſubſtantiatione habitum eſt ſilentium, profecto quia utrinque receptiſſima ; de his adi tomum primum perpetuæ fidei, Lib. 3.

Objiciunt Novatorum aliqui, 1. cum Spanhemio, teſtimonia ab Arnaldo & aliis producta, Græculorum eſſe, a quibus nihil non pretio extor-

Digitized by Google

extorqueas; 2. cum furibundo quodam declamatore * teſtimonia hæc à Papiſtis fabricata eſſe, 3. cum Claudio, nihil inferri poſſe ex non reclamatione Græcorum contra Latinos Conſtantinopoli dominantes, aut Latinorum contra Græcos; quia hæc non ex unitate fidei prodierit, ſed ex politica calliditate. Verum, mœrens dico, hæc quæ abſurdiſſimis quibuſque abſurdiora ſunt legenti, nil pene aliud occurrit animo, quam iſtud Eccli. 7. v. 14. *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit:* idque Chriſti apud Matth. 13. *Adimpletur in eis prophetia Iſaiæ dicentis: Auditu audietis & non intelligetis* &c. Unde paucis,

R. ad 1. indignum eſſe facinus, quod omnes Orientis Patriarchæ, Epiſcopi omnes, omnes omnino Presbyteri, quorum alii prædictis teſtimoniis ſubſcripſere, alii eadem tacendo confirmarunt, fidei venalis accuſentur. Et vero ſi ita eſt, quidni paria proferunt teſtimonia Sacramentarii, queis certe pecunia non deeſt? cur hactenus unus fuit Lucar, qui Calviniane in Europa inſtitutus, Calvinianam fidei profeſſionem ediderit? cur is a nemine ſuorum hujus ſubſcriptionem extorquere potuit, etſi iis Batavorum nomine extruenda apud eoſdem Batavos in gratiam juventutis Græcæ ſeminaria ſpoponderit? cur horrenda adeo Græcis omnibus videtur ejuſdem Lucaris profeſſio fidei, ut eam hodieque plures ipſi ſuppoſitam fuiſſe credant; quod & pene credit Anglus Scriptor. Apage calumniandi prurigi- nem viro erudito, qualis eſt Spanhemius, indignam. *Supra p. 276.*

R. ad 2. eſſe quoque noviſſimum hunc errorem pejorem priori. An enim, quia ita Sycophantæ videbitur, licebit in impoſtorem traducere Carolum Olier, Marchionem de Nointel, Chriſtianiſſimi Regis ad Portam Legatum, virum notæ probitatis, & a quo pleraque Orientalis fidei teſtimonia in Gallias tranſmiſſa ſunt? An eamdem nefarii doli calumniam inurere licebit piiſſimo viro * D. Picquet, cujus qui vitam typis mandatam legerit, eum judicabit illico dignum eſſe, qui Sanctorum faſtis inſcribatur? An non ſaltem a calumnioſa ſuſpicione liberi erunt, tum Regis Angliæ Legatus, qui comperta propriis oculis Græcorum doctrina, idem ſentiebat cum Marchione de Nointel; tum VVirtembergenſes Theologi, qui tria Jeremiæ Patriarchæ reſponſa, Lutheranis & Calvinianis perinde infenſa, ediderunt; tum Batavi, qui (Deo ita permittente) ut Illuſtriſſimo D. Panajoti, Turcarum Imperatoris interpreti placerent, *Confeſſionem Orthodoxam Eccleſiæ Orientalis* in Hollandia publica auctoritate propriiſque ſumptibus imprimi curaverunt; ** unde omnia exemplaria Conſtantinopolim tranſmiſſa ſunt, atque hinc quoquoverſum per Orientem ejuſdem Panajoti curis diffuſa, ubi Catechiſmi vices gerit. ** Perfec. fid. l. 12. pag. 83.* *Supra p. 277.*

R. ad 3. nonniſi ſtolide dici Latinos, qui ferro & flamma Græcos ob ſpeculativos errores inſequebantur, iiſdem circa primarium Euchariſtiæ myſterium peperciſſe; Græcos item, qui ante & poſt recuperatam Conſtantinopolim nihil non Latinis objecerunt, de eorum circa panis adorationem idololatria ſiluiſſe. Certe in Concilio Lateranenſi an. 1215. clare definita eſt præſentia realis: atqui Lateranenſi Concilio intererant mul-

* Vide Opus inſcriptum: *Lettres anecdotes de Cyrille Lucar* &c. Amſtelodami 1717. pag. mihi 451. & ſeq.

** Vide librum cui titulus: *Apologie pour les Catholiques*; tom. 2. cap. 8. pag. mihi 148. & ſeq.

multi Græciæ & Paleſtinæ Præſules, quos inter per Legatum ſuum occurrebat Alexandrinus Patriarcha. Horum porro nullus neque Concilii tempore, neque deinceps reclamavit; nemo eorum quidpiam tentavit quæ hodie efficere conantur Calviniani; ergo. Verum de his, quæ breviando imminuimus, adeundum volumen primum perpetuitatis fidei, Lib. 3. cap. 2. & ſeq.

SECTIO SEPTIMA.

An realis præſentia miraculis probari poſſit.

Quæſtionem hanc paucis expediam, quia non ita pridem gravis circa miraculorum conditiones emerſit diſceptatio, quam hic ne delibare quidem licet. Sat ergo fuerit facta quædam hiſtorice certa referre, quibus Deus teſtificatus fuerit non modo, Euchariſtiam eſſe Sacramentum (talia enim prodigia etiam in aqua baptiſmali & oleo contigiſſe non illubenter concedit Albertinus) ſed eſſe Sacramentum quo corpus & ſanguis Chriſti vere & realiter contineantur. Id autem, meo quidem judicio, aſtruunt, tum miracula quæcumque poſt condemnatam Berengarii hæreſim edita ſunt; quia hæc neceſſario Romanæ Eccleſiæ fidem confirmant; tum quæ licet ante Berengarium patrata, non modo Sacramentum, ſed & Sacramentum Dominici corporis & ſanguinis plenum exhibent, qualia ſunt in quibus ſacræ ſpecies ſanguinem ſtillarunt, aut humanam formam exhibuerunt. Hæc autem e multis ſeligimus pauca, non quia ceteris firmiora vel clariora, ſed quia penes nos plura, etſi rariora, eorum monumenta habemus.

Primum deſumimus ex vita Odonis, Cantuarienſis Archiepiſcopi, ſæculo x. ſancti æque & eruditi Præſulis * qui ut contra nonnullos Angliæ Clericos, realis præſentiæ veritatem aſtrueret, enixe petiit a Deo, ut inter ſacra quæ ſolemniter & coram multa plebe celebraturus erat, ipſam divinorum myſteriorum ſubſtantiam publice exhiberet: id autem in fractione panis conſecrati evenit; ex eo enim plures manarunt ſanguinis guttæ, quarum intuitu ab errore revocati ſunt, qui de reali præſentia dubitabant: ita ait D. Dupin, non ita magnus miraculorum inclamator, ita refert coætaneus Odoni Scriptor Osbernius Ordinis S. Benedicti. Neque factum hoc ſilet Guilelmus Malmesburienſis, ſic enim Lib. 1. de geſtis pontif. Anglorum: *Plurimos de veritate Domini corporis dubitantes ita roboravit* Odo, *ut panem altaris verſum in carnem, vinum calicis in ſanguinem propalam oſtenderet, & denuo in geminam ſpeciem retorta uſui humano conducibilia faceret.*

* Fleuri l. 55. pag. 45. 46.

Reponit Albertinus, 1. multos igitur tunc de præſentia reali dubitaſſe; 2. Odonem, contrariam quam amplexatus erat opinionem, mendaci prodigio confirmaſſe.

Sed 1. ea eſt difficilis myſterii conditio; ut de eo plures dubitent. Dubitatum eſt olim, & hodieque dubitatur de SS.Trinitate: quid tum?

2. Unde præſumit Albertinus, virum egregie ſanctum eo deveniſſe impietatis, ut præſtigia diabolica operaretur? unde rurſus nihil hic doli animadverterunt adverſæ partis Clerici? unde ſaltem nihil ſuſpicati ſunt

malæ

malæ fraudis, ſed ab errore ad veritatem reverſi ſunt? unde demum miraculis iſtis plenam habuere fidem viri graves, quos inter Lanfrancus, *Blount.* Odonis ſucceſſor, licet non immediatus, *Vir*, teſte Seldeno, *juris divini* *ad ann.* *& humani ſuo in ævo ſcientiſſimus, ac undequaque doctiſſimus*. Is enim ad 1070. Odonis miraculum, aut alia ejuſdem generis alludit his ſui contra Berengarium Libri verbis: *Nec defuere, quibuſdam dubitantibus, digna miracula, quibus vera, viſibilium atque corruptibilium ablatis tegumentis, ſicut revera eſt, appareret corporalibus oculis caro Chriſti*. Paria ſcribit B. Algerus * ex Leodienſi Canonico Monachus Cluniacenſis, Lib. de Sacram. corporis Chriſti contra Berengarium, cap. 13.

Secundum exhibet S. Bernardus in vita B. Malachiæ Armaçani in Hibernia Epiſcopi, qui Claravalle inter Bernardi manus ſpiritum emiſit: hæc ille: *Fuit quidam Clericus in* Provincia *Leſmor*, qui *præſumpſit dicere in Euchariſtia tantummodo eſſe Sacramentum & non rem Sacramenti*. Hunc jam privatim correptum, ſed inani conatu, *publice monet* Malachias *ut reſipiſcat, ſuadentibus hoc ipſum Epiſcopis & univerſo Clero; cui cum non acquieſceret, contumaci anathema dicunt, hæreticum proteſtantes. Nec ſic avigilans: Omnes, inquit, favetis homini, potius quam veritati .... Ad hoc verbum ſubſtomachans ſanctus* Malachias: *Dominus, inquit, fateri te veritatem faciat vel ex neceſſitate. Quo reſpondente, Amen, ſolvitur conventus. Tali ille inuſtus cauterio fugam meditatur ..... & continuo ſua tollens exibat, cum ecce ſubita correptus infirmitate ſiſtit gradum, viribuſque deficiens eodem loco jactat ſe ſuper ſolum anhelus*. At opem ferente vagabundo quodam *ipſo die revertitur in civitatem, redit ad cor & ad miſericordiam Domini. Eadem hora accitur Epiſcopus, agnoſcitur veritas, abjicitur error, confeſſus reatum abſolvitur, petit Viaticum ..... & uno pene momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur. Ita mirantibus cunctis, ſub omni celeritate completus eſt ſermo Malachiæ* &c. Hic tria habes; 1. virum in errore pertinacem, inſtar Sauli alterius proſtratum in terram, tantiſque obrutum doloribus, ut *neque procedere neque redire* valeret; 2. induratum, qui ad Dei miſericordiam ſupplex confugit; 3. hæreticum, qui tanta fidei ac pœnitentiæ exhibet ſpecimina, ut judicio Sanctorum, Eccleſiæ & Deo reconciliari mereatur.

Tertium habes in vita S. Bernardi, quam ipſo adhuc vivente ſcripſit Guilelmus S. Theodorici prope Rhemos Abbas. Sic is Lib. 1. cap. 10. *Virum pauperem non longe a Monaſterio habitantem uxor adultera maleficiis cruciabat ...... ita ut miſer homo conſumptis carnibus nec poſſet mori, nec vivere permitteretur: ſæpius denique & vocis uſum & ſenſum omnem corporis amittebat; iterumque redibat, non ad vitam, ſed ad mortem prolixiorem crudeliter revocatus. Adducitur tandem homo ad virum Dei* Bernardum .... *& ei tragœdia miſerabilis explicatur, qui vehementer indignatus, antiqui hoſtis malitiam tantum ſibi in Chriſtianum uſurpaſſe, vocans duos ex Fratribus, ante ſanctum altare hominem deportari, ibique ſuperpoſito capiti ejus vaſculo Euchariſtiam continente, in ipſius Sacramenti virtute a læſione Chriſtiani jubet dæmonem prohiberi. Factum eſt ut præcepit, & miſerum hominem poſt tantos cru-*

ciatus

* „ Lanfrancus de ſacrificio Euchariſtiæ ſcripſit bene, plene, perfecte. Guitmundus „ melius, plenius, perfectius. Algerus optime, pleniſſime, perfectiſſime. „ *Petrus Venerabilis, ſeu Cluniacenſis, Lib. de ſacrificio* ſub initium.

ciatus fides perfecta, perfectæ reddidit ſanitati. Debuit ſane tanto tamque celeri miraculo confirmari S. Bernardi & Fratrum ejus de Euchariſtia fides: hi porro præſentiam realem credebant, ut non diffitetur Albertinus.

Quartum dabit nota, totoque Orbe celebris hiſtoria Guielmi Ducis Aquitanici, qui cum a S.Bernardo adductus eſſet ad Innocentii Papæ II. obedientiam, ſed *in reſtitutionem Epiſcoporum quos de ſedibus ſuis expulerat, nulla ratione induci* poſſet; *Vir Dei*, Bernardus *efficaciora ſibi arma accipiens, ad altare ſanctum oblaturus & ſupplicaturus accedit. Intraverant Eccleſiam quibus licebat divinis intereſſe myſteriis: Comes*, quia excommunicatus *ſuſtinebat præ foribus. Peractis itaque conſecrationibus ..... vir Dei non ſe agens ut hominem, corpus Domini ſuper patenam ponens, ignea facie & flammeis oculis ..... foras egreditur: & verbis terribilibus aggreditur Ducem: Rogavimus te, inquit, & ſprevisti nos .... Ecce ad te proceſſit Filius Virginis, qui eſt caput & Dominus Eccleſiæ quam tu perſequeris; adeſt Judex tuus, in cujus manus illa anima tua deveniet: numquid & illum ſpernes? lamentabantur univerſi qui aderant .... & omnium ſuſpenſa expectatio neſcio quid divinum fieri cœlitus expectabat. Videns Comes Abbatem in ſpiritu vehementi procedentem, & ſacratiſſimum corpus Domini in manibus ferentem, expavit & diriguit, membriſque tremebundis metu diſſolutis, quaſi amens ſolo provolvitur: elevatus a militibus rurſus in faciem ruit, nec quidpiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, ſalivis per barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus, epilepticus videbatur. Tum vir Dei ad eum proceſſit propius, & pede pulſans acclivem ſurgere jubet, & ſtare ſuper pedes, & Dei audire ſententiam. Præſens eſt, inquit, Pictavienſis Epiſcopus, quem ab Eccleſia ſua expuliſti; vade & reconciliare ei ...... Audiens hæc Comes, auctoritate Spiritus ſancti, & Sacramentorum præſentia victus, nec audebat reſpondere, nec poterat; ſed ſtatim occurrit, & in pacis oſculo recepit Epiſcopum, & eadem qua eum ejecerat manu, cum totius exultatione Civitatis ad propriam Sedem eum reduxit*. Atque hoc illud eſt inſigne miraculum, quod brevibus iis verbis celebrat Pariſienſis Eccleſia: *Ducem Aquitaniæ Guillelmum, expoſita cum obteſtatione ob oculos ejus tremenda hoſtia adeo terruit, ut ille .... ad ſaniorem mentem ſubito redierit*. Hic nemo eſt qui digitum Dei non conſpiciat, nemo qui non uno in facto miraculum multiplex admiretur, nemo proin qui de Euchariſtia aliud a Bernardo ſentire debeat.

Quintum hauriemus e vita S.Ludovici a Domino Joanvilleo, Campaniæ Seneſcallo ſcripta; narrat is ea quam ubique exhibet ingenuitate, ſe a ſancto Rege audiiſſe, factum olim in Albigenſi territorio, ut corpus Chriſti *in carne & ſanguine* appareret in manibus Sacerdotis; quod cum ſtupefacti plures Montefortio Comiti renuntiaſſent, invitarentque ut eo ſpectaculo frueretur, recuſavit adeſſe, cauſatus ſe iis non indigere prodigiis, ut qui de præſentia corporis Chriſti id per fidem teneret, quod ſancta tenet Eccleſia. Hiſtoriam hanc de ipſo S. Ludovico refert Villani Lib. 6. c.7. eumque ſecuti ſunt pene quotquot ſancti Regis geſta ſcripſere: ſed, ut videtur, omnes errando. Is tamen error ſubſtantiam rei non tangit.

Haud abſimile eſt prodigium cujus an. 785. teſtis fuit Vitikindus Saxonum Princeps. Is cum Eccleſiam dum populis diſtribueretur ſacra ſynaxis, ingreſſus eſſet, vidit cunctis qui ad ipſam accederent, porrigi ſpecioſæ formæ infantem, qui horum quidem ora blando & feſtivo vultu ſubi-

Digitized by Google

ſubiret, illorum vero renitens atque obluctans; reſerato ſibi per Carolum magnum viſionis hujus myſterio Vitikindus, vel fidem amplexus eſt, vel in fide, cujus necdum gnarus erat, confirmatus. Vide hiſtoriam Eccleſiæ Gallicanæ tom. 4. p. 506.

Sextum, quod poſteris tradidere Auctores pene innumeri ſic referunt lectiones Officii quod hodieque recitat Parochialis Eccleſia S. Joannis in Gravia. *Anno Domini* 1290. *Lutetiæ Pariſiorum, Paſchali Feſto, in quo Agni immaculati & incontaminati J. C. corpore paſci & communicari Chriſtiani conſueverunt, quædam mulier paupercula a Judæo, nomine Jonatha, qui in vico Jardinorum habitabat, requiſivit veſtimenta ſua, quæ ille apud ſe oppignerata ſervabat, ſibi commodari ..... Judæus vero pollicetur veſtes ſe ipſi reſtituturum etiam ſine ulla pecuniæ ſolutione, ſi ad eum deferat Hoſtiam, quam ipſa more & ritu ceterorum Chriſtianorum acciperet. Accepta conditione, mulier hora primæ Miſſæ Parochialem Eccleſiam S. Mederici ingreſſa, ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcepit, & ad Judæum, ſicut ſpoponderat, detulit.*

Judæus acceptam Hoſtiam, arcæ cuidam ſuperpoſitam, canipulo ...... crebris transfigit ictibus, ex qua fluenta ſanguinis confeſtim conſpicit emanare, vocataque uxore ac filio & filia rem patefacit. Judæus nihilo cautior aut melior prædictam clavo tranſverberat, ex qua cœperunt, ut prius, rivuli ſanguinis affluere; ac poſtmodum in ignem copioſum projicit, quæ ſuperexiliens & evolans tremendum & mirum ſui ſpectaculum Judæo ſuiſque exhibebat. At ipſe magis efferatus, arrepto magno cultro eamdem hoſtiam conſcindere molitur, ſed fruſtra; nam ipſa illibata & integra permanſit: tandemque in aquæ bullientis caldariam injecit; ſed mox mirum in modum aqua tota ſanguinea facta, ipſa Hoſtia, ſuæ majeſtatis virtute ſurſum elevata, ſe ipſam Judæo in Crucifixi ſpeciem repræſentavit.

Interim hora majoris Miſſæ ad *Eccleſiam concurrentibus Chriſtianis, Judæi filius nuntiat prætereuntibus fidelibus Deum Chriſtianorum non eſſe in Eccleſia quærendum, ſiquidem pater ſuus illum male tractatum occidiſſet: Unde mulier vicina, Judæi domum ingreſſa velut ignem petitura, rem totam proſpexit, atque ſacra hoſtia ſcypho quem tenebat* mulier, *incolumis & integra inſilit, quam ad Sacerdotem ſeu Parochum S. Joannis in Gravia detulit. Epiſcopus Pariſienſis*, Simon de Buſſi, *cum totam rei hiſtoriam ab illo Parocho intellexiſſet, Judæum accerſit, qui atrox facinus ſicut impie perpetraverat, integre confeſſus eſt, & rei geſtæ ordinem declaravit. Cito vocati accedunt Theologi, qui miſerum & dirum hunc hominem ut ſceleris ſui pœniteat, & abnegato Judaiſmo in fide chriſtiana eruditus Baptiſmum recipere velit, & pietatem colere ſuadent; ſed fruſtra*. Unde *in impietate perſeverantem Judæum, ignis ſupplicio afficiendum Præpoſito Pariſienſi tradidit Reverendus Epiſcopus, uxore cum liberis ad Chriſti fidem converſis, & ſacro baptiſmate ablutis. Poſtmodum dirutis Judæi ædibus conſtructa eſt Eccleſia in eadem planitie a Philippo pulchro Rege Francorum, qui tum regnabat, & Salvatoris bullientis nomine dicata* (ea nunc Billetarum nuncupatur a Judæi ſigno ut credunt.) * En miraculum unde quiſquis Judæo induratior non fuerit, realis præſentiæ fidem confirmari ſentiet: atqui miraculum iſtud tanta,

con-

* „ La maiſon ou ceci ſe paſſoit, etoit dans la rue nommee alors des Jardins, a „ preſent des Billetes, a cauſe, comme l'on croit, de l'enſeigne du Juif. *Fleuri tom.* „ 18. *hiſt. Eccleſiaſt. Liv.* 89. *nu.* 11, *p.* 536, & 537.

contra futiles Baſnagii ineptias , argumentorum ſtrue demonſtravit vir eruditus juxta & pius R. P. Theodoricus a S. Renato Billetanus Carmelita, * ut vix ullum ejus generis factum certius habeat Hiſtoria Eccleſiaſtica : quod & egregie confirmat inſolita ejuſdem hoſtiæ per plura ſæcula conſervatio; ergo.

Septimum miraculum an. 1566. Lauduni contigit in perſona Nicoleæ Obri, hæc quæ Vervino oriunda erat, & Ludovici Pierret Sartoris conjux, vix annos ſexdecim nata, ab immani dæmone , ſeu potius a dæmonum legione poſſeſſa eſt , nec alio , quamdiu diabolico furori ſubjacuit, ſubjacuit autem per tres circiter menſes, quam Euchariſtiæ ſubſidio allevari potuit, nec alio tandem prorſus liberata eſt. Ea autem poſſeſſionis ejus indicia fuere, quæ nemo ſui compos recuſare queat . Nimirum *diabolus diſtorquebat, agitabat & cruciabat ita miſellam creaturam , ut oſſa faceret illi conquaſſari, fractitarique, dentibus ſtridere, & humanam perdere figuram, & ſic in illa revera ſe ſe demonſtrabat* Beelzebub, *adeo erat turgida , inverſa , habens latam faciem, conſperſam guttatim maculis verſicoloribus bufonis , os apertum, linguam exertam , & verſans in capite craſſos oculos albos lucentes ut candellæ, turpiterque horribilis aſpectu, ſe ſe ejaculabatur in altum plus quam ſex pedum , & quaſi ſe ſe evellens a manibus octo , decem , & quindecim hominum , quos invitos etiam elevabat , terribiliter mugiens & ululans , & ſic horribilis voce & aſpectu facta tenebatur in aere , avertens faciem a ſacratiſſima Hoſtia ...... eodem temporis momento perdens iſtam horribilem deformationem , craſſitudinem & ponderoſitatem cadebat in manus ſuorum cuſtodum horridior mortua , muta , ſurda , cæca , ſine ullo motu & ſenſu , diſtortis colligatiſque in averſum brachiis & cruribus , ſpinaque dorſi convulſa , totoque corpore effecto , ut unius partis ſine junctura , rigido , frigido , & duro ut eſt lapis : Sicque rotunda ut echinus ...... contingebatur & contrectabatur ab omnibus*, tum maxime a pſeudoreformatis, *hominibus fortiſſimis , qui tamen citius effregiſſent , quam movere feciſſent aut extremum naſi , aut auricularum , aut alius membri illius : ita obrigeſcebat duriſſima ..... attamen eodem temporis puncto , quo recipiebat verum vitæ panem in ſanctiſſima Hoſtia, ex eo ſtatu longe alias mortuis deteriore redibat in animi, & omnium membrorum (excepto brachio ſiniſtro , uſque ad octavum Februarii diem*, quo ab ea ejectus eſt dæmon non reverſurus) *valetudinem & ſoſpitatem , ditatam , ornatamque præterea gratioſa pulchritudine , dextraque manu ſignum crucis faciens, agebat gratias Deo , placideque populum aſpiciebat* .

Nec prætereundum inanes fuiſse conatus ſummos *Miniſtrorum prætenſorum Reformatorum* , *qui ſe ſe offerentes* dæmonem *adjuraverunt ; quibus dixit* (nam & verum quandoque loquitur invitus , ut pluries confeſsus fuit Lauduni) *ſe illorum nomine nihil omnino facturum , quia illorum eſſet Dominus ; licet alias illos ut ſuos bene diligeret* .

Tandem octava Februarii die ceſſit loco victus Beelzebub , ſed ne nocere prorſus deſineret, ingentem exhalavit fumum; auditus ſemel & iterum tonitru fragor, ſparſaque circum ædes ſacras nebula tremorem, vel iis

* Remarques hiſtoriques donnees a l'occaſion de la ſainte Hoſtie miraculeuſe , conſervee pendant plus de quatre cens ans dans l'Egliſe Paroiſſiale de S. Jean en Greve, a Paris; 2 *vol. in*-12. *Paris 1727.* Miraculum impetiit non argumentis , ſed verbis Baſnagius in Gallica Judæorum hiſtoria , pag. 1816. & ſeq.

iis qui tremere neſciunt, incuſſit. Rei totius *teſtes oculati ſunt pluſquam centum quinquaginta millia hominum, & inter eos graviſſimi viri publicæ fidei, ut Dignitarii Eccleſiæ, Magiſtratus juſtitiæ, Medici, Chirurgus, Actuarii, & primarii quique Cives, inſenſiſſimi* vero miraculi *hoſtes, hæretici, Huguenoti* (non omnes tamen, hinc enim aliqui meliorem induere ſententiam, quos inter Florimundus Raimondi, Senator Burdigalenſis, qui Lib. de Antichriſto, cap. 8. noſtram hanc hiſtoriam compendioſe refert) *nullum non moventes lapidem, ut ſupprimeretur hoc miraculum in Gallia.* Haud tamen ſuppreſſum eſt, ſed agentibus Pio V. & Gregorio XIII. permittentibus, qui Lauduni rem exploraverant, Carolo IX. & Henrico III. approbantibus Pariſienſis ſcholæ Magiſtris in lucem prodiit ſub hoc titulo: *Le threſor & entiere hiſtoire de la triomphante victoire du corps de Dieu ſur l'eſprit malin Beelzebub, obtenue a Laon l'an 1566. .... par Jehan Boulaſſe Pretre, Profeſſeur des ſaintes lettres hebraiques, Pauvre perpetuel du College de Montagu.* Pariſiis 1578. in 4. Eſt in capite Operis *Summa victoriæ Corporis Chriſti hiſtoria*, quam ne prolixior fierem ſecutus ſum, tametſi ſupra relatis longe graviores poſseſſionis circumſtantias exhibet Liber ipſe, puta quod Nicolea, licet pene ad ſtoliditatem ſimplex, aliena lingua loquentibus reſponderet, ſecretiora quæque patefaceret, res alibi longiſſime geſtas, & intima conſcientiæ penetralia revelaret, lingua extra os ſemipedem ejecta loqueretur, triplicem ſimul, canis v. g. porci & ſomitum emitteret &c.

Octavum explanabit inſcriptio quæ Dolæ legitur, en qualem typis datam ab amico recepi hoc an. 1748.

ÆTERNO DEI OPTIMI MAXIMI VERBO.

ATQUE AUGUSTISSIMO SACROSANCTAE EJUS EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

AD æternam incomparabilis atque hactenus inauditi miraculi me- „
moriam, ac ſinceram rei geſtæ fidem ac veritatem, æternum „
hoc in marmore monumentum Clerus, Senatus, populuſque Dola- „
nus poſuit. „

Anno Domini 1608. vigeſima quarta Maji, pridie Pentecoſtes, cum „
duas in Favernenſi apud Sequanos Ordinis D. Benedicti Cœnobio Ho- „
ſtias rite conſecratas, atque in argenteo Ciborio * ſecluſas laxiore ejus „
lunula, quam ut unica facile in ea conſiſtere poſset, Sacriſta ad pro- „
merendas tribus Feſti illius feriis, quas antea a Sanctiſſimo Clemen- „
te VIII. Pontifice maximo ad 10. annos obtinuerat indulgentias, ta- „
bernaculo ad id decenter compoſito ſuper lignea menſa ante ferreos „
chori cancellos, linteis ceteroque de more apparatu adornata, ſacrato „
marmori impoſuiſset, „

F A-

* Locum hunc ſic vertit Gallica interpretatio, quam ibidem legimus ſub finem an. 1747. „ Le Sacriſtain (de l'Abbaye de Faverney) par une providence ſinguliere eut „ la penſée de joindre deux Hoſties conſacrees dans la meme cuſtode, pour remplir la „ lunette, qui en etoit trop large. „ Providentiam ſingularem vocant, & merito, geminæ hoſtiæ poſitionem in *creſcente*; quia ſic factum eſt ut ex iis Hoſtiis unam haberet Civitas Dolana, alia penes Favernenſe Cœnobium permanente.

FACTUM EST

„ Ut hora poſt mediam diei lunæ ſubſequentis noctem circiter ſecun-
„ da, incendio, ex lampadibus negligenter accenſis dubium an alio ca-
„ ſu, ſuborto, cum tota pene illa ſtrues, atque omnis apparatus confla-
„ graſſet, delapſo in terram ac confracto illo marmore, Ciborium illud
„ quod fuit ſemilibrale, palmo uno verſus cancellos illos retroceſſiſſe,
„ ac quinque circiter digitis altius in aerem ſublatum fuiſſe, atque ita ſi-
„ ne ullo prorſus adminiculo *, totidem horis quot idem ipſe Chriſtus
„ in ſepulcro delituit, quotque annis vixit, triginta nimirum ac tribus
„ conſtitiſſe, decem, aut eo plus, mille hominum, qui ad tanti mira-
„ culi famam eo ſubinde confluxerant, oculis apparuerit, donec poſtera
„ Martis die hora circiter ante meridiem decima, vitæ probatæ Presbyte-
„ ro in majori Eccleſiæ altari ſacris operante, Hoſtiam dum a ſe conſe-
„ cratam confertiſſimo populo conſpiciendam extollit, illud nulla admo-
„ ta manu, ſuapte ſponte ac ſenſim multis ſpectantibus, cereo quod præ-
„ lucebat, velut ad tanti myſterii prænuntium ter prius nemine adflan-
„ te, extincto, in præparata eodem in loco ornamenta ſeſe appoſitiſſi-
„ me receperit; illæſo interea ipſo, illæſoque earum indulgentiarum,
„ quod menſæ affixum fuerat diplomate, ambuſta tantum ejus margine;
„ ſed & cœli, ut vocant Lanei, quod Tabernaculo ſuperimpoſitum fue-
„ rat, ea parte intacta, quæ Ciborio recta linea imminebat, cum tamen
„ reliqua pars ejus deflagraſſet: & quod magis mirum eſt, a tanto in-
„ cendio, quod neque menſæ, tabuliſque ligneis, neque ſtanneo cande-
„ labro, neque ipſi marmori pepercerat, utraque ulla Hoſtia criſtallo ſo-
„ lum obducta, immuni, altera duntaxat fumi ex illo incendio notis
„ quibuſdam etiamnum inſigni &c.

Hoc & alterius Hoſtiæ quæ ſanguinem emiſit, & ab Eugenio IV. an. 1433. tranſmiſſa eſt ad Philippum pium, Burgundiæ Ducem **, miraculum diſticho hoc celebravit pius quidam Magiſtratus.

Impie, quod dubitas hominemque, Deumque fateri
Se probat eſſe hominem ſanguine, & igne Deum.

Huc nec incongrue referri poſſent miracula quibus enituere præſentiæ realis vindices; ut Pius V. Carolus Borromæus, Franciſcus Saleſius, atque inter alios & præ aliis Franciſcus ille Xaverius, vir natus ad prodigia, unius mundi Apoſtolus, utriuſque ſtupor, & quem e ſuis non fuiſſe ingemuerunt moderatiores Calviniani. Verum his, quæ neminem Chriſtianum fugiunt, omiſſis, inſtitutæ orationis finem expediam a miraculo in Parochia ſceleſtiſſimi hominis peracto; quodque his verbis deſcribit Gonetus tom. 5. diſp. prooemiali, art. 11.

„ Die 2. menſis Junii hujus an. 1668. quæ erat dies Sabbati intra Octa-
„ vam corporis Chriſti, in vico Andegavenſis Diœceſis, quem vulgo vo-
cant

---

* Exploratum, nec una vice, circumductis huc & illuc enſibus, an non hic ſubeſſet aliquid doli: at quidquid tentatum eſt, ceſſit in gloriam miraculi.

** Hoſtia ab Eugenio miſſa, aſſervatur in ſacro-ſancta & regia Divionenſi Capella, ubi hanc integram & incorruptam, die Decembris 22. an. 1747. propriis oculis conſpexi.

cant *les Ulmes de S. Florent*, cum ad ſalutem decantandam omnes con- „
venifſent, dum a Parocho hic verſus elata voce inchoatur, *Verbum ca-* „
ro panem verum, &c. viſa eſt *poſt tenuem, quæ præceſſerat, nebulam*, * lo- „
co Hoſtiæ integra ſpecies hominis, *ad medium uſque corpus:* Advertit id „
ſtatim Parochus: & vocatis qui aderant, *per hæc verba: Accedat, ſi quis* „
eſt hic incredulus; is ego forſitan ſum, propius accedunt, adeo ut facile & „
figura & lineamenta notari potuerint: erat capillis ſubnigris & ad hu- „
meros defluentibus, ſplendida facie, majeſtate ſupra humanam, inſer- „
tis in modum crucis, *ſeu cancellatis* manibus, quarum ſiniſtra dextræ „
appoſita erat, totumque corpus candida veſte, & qualem Albam vo- „
cant, tegebatur. Hæc ita per horæ quadrantem circiter, *partim in S.* „
Sacramenti loculamento, * *partim in menſa altaris: (Auſus eſt enim Paro-* „ * La Niche.
chus Judicem ſuum ex editiori loco in ſacram menſam deferre) viſa ſunt a Pa- „
rocho, & ceteris qui aderant, & ad probandum miraculum propius ac- „
ceſſerant. Poſtea cœpit parva quædam nubes totam hanc hominis ſpeciem „
involvere, & ab intuentium oculis ſubducere, ac demum nube paulatim „
in aera abeunte, hoſtia in propria figura, & eodem ſtatu quo antea re- „
manſit. Statim hujus rei nuntium delatum eſt ad *Henricum Arnaldum* E- „
piſcopum Andegavenſem, qui in eum locum ſe ſe contulit, ut hujus cer- „
tior fieret, & Parochi, aliorumque teſtium depoſitionibus exceptis, ſum- „
maque diligentia adhibita, hujus miraculi fidem fecit Epiſtola paſto- „
rali, quæ per Gallias delata, undique ſparſa eſt &c. „

Non me fugit ſparſum ſubinde fuiſſe rumorem, miraculum iſtud meram eſſe deceptionem Parochi, viri perditis moribus, qui hanc ipſam diem cum Amaſia duxerat, & aliquanto poſt Pariſienſis Curiæ Decreto turpiter de ſede ſua dejectus eſt, & turpi exulatione multatus. Additum inſuper agnitam ab Epiſcopo fuiſſe fraudem, qui ut erat animi recti, contrarium priori mandato mandatum emiſiſſet. Verum is rumor, qui tot infecit homines, ut eorum quidam Goneti textum tranſverſo calamo expunxerint, nihil prorſus habet veri, tantumque debuerat mereri fidem apud Calvinianos, qui tunc Salmurii, pſeudoſynodum habebant. Vide ea de re Opuſculum cui titulus: *Diſſertation apologetique de l'apparition miraculeuſe de N. S. J. C. arrivee au S. Sacrement, en la Paroiſſe des Ulmes de S. Florent &c. A Chateaugontier, chez Gentil.* 1715. Habet diſſertatio iſta Auctorem Joſephum Grandet, Sanctæ Crucis in urbe Andegavenſi Parochum, virum, quem olim novimus numeris omnibus abſolutum.

Quæres 1. an id quod in hujuſmodi apparitionibus conſpicitur, ſit ipſum Chriſti corpus.

Affirmarunt aliqui cum Alexandro Halenſi; dubitarunt alii cum Gabriele, cui non invitus ſubſcripſiſſem; ſed negant ceteri pene omnes cum S. Thoma 3. p. qu. 76. a. 8. Nimirum inquiunt, vel videtur corpus Chriſti prout exiſtit ſub Sacramento, vel non. Neutrum dici poteſt. Non 1. Chriſtus enim ſub Sacramento exiſtit modo indiviſibili: cum autem apparet ut puer, apparet modo diviſibili. Non 2. tum quia alioqui Chriſtus novo modo, diviſibili ſcilicet, inciperet eſſe in Euchariſtia; ad quod neceſſe foret, ut vel deſereret cœlos, vel duobus in locis

 exi-

* Hæc & alia deinceps italice impreſſa deſumpſi ex Apologetica diſſertatione quam inferius citabo.

* in 3. p. diſp. 189 cap. 5. exiſteret diviſibili modo, quod plures cum Vaſqueſio * impoſſibile judicant; tum quia quantitas pueri eſſet ipſa Chriſti quantitas, quæ tamen major eſt. *Et ideo dicendum eſt*, ait ibid. S. Thomas, *quod manentibus dimenſionibus quæ prius fuerant, fit miraculoſe quædam immutatio circa alia accidentia, puta figuram & colorem & alia hujuſmodi, ut videatur caro vel ſanguis, aut etiam puer*, & hoc non eſt deceptio (*ſicut nec fuit cum Chriſtus apparuit Diſcipulis euntibus in Emaus*) *quia fit in figura cujuſdam veritatis, ſcilicet ad oſtendendum per hanc miraculoſam apparitionem, quod in Sacramento eſt vere corpus & ſanguis Chriſti*.

Atque hinc colligit Silvius hic p.328. ſanguinem qui ex Hoſtia fluere conſpicitur, non eſſe ſanguinem Chriſti; cum is a corpore, corporiſque venis nunquam ſeparetur. *Imo addunt alii, id quod apparet, non eſſe veram carnem, aut verum ſanguinem, ſed vel colorem carnis aut ſanguinis inhærentem ſpeciebus ſacramentalibus: vel (ſi quod apparet, multo majus eſt quantitate ſpecierum) aliquid ex corpore circumſtante factum, carnis figuram referens. Quod autem*, addit Vaſquez ibid. p. 209. *ſimplices decipiantur, & credant ibi eſſe carnem* Chriſti *diviſibili & cruento modo, parum refert; hæc enim deceptio inſtructione vera Doctorum & Paſtorum corrigenda eſt*.

Quæres 2. an ubi contingit carnis & ſanguinis apparitio, ibi ſubſiſtat corpus Chriſti.

R. *dicendum* quod *dupliciter contingit talis apparitio ...... Quandoque enim* S. Bonav. ibid. *hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur ..... & hoc quidem videtur contingere, quando uni videtur ſub ſpecie carnis vel pueri, aliis tamen videtur, ſicut & prius, ſub ſpecie panis; vel quando eidem ad horam videtur ſub ſpecie carnis vel pueri, & poſtmodum ſub ſpecie panis .... & quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte Sacramenti, manifeſtum eſt quod Chriſtus non deſinit eſſe ſub hoc Sacramento, tali apparitione facta. Quandoque vero contingit talis apparitio non per ſolam immutationem videntium, ſed ſpecie, quæ videtur, realiter exiſtente: Et hoc quidem videtur eſſe quando ſub tali ſpecie ab omnibus videtur, & non ad horam, ſed per longum tempus ita permanet. Et in hoc caſu .... remanentibus dimenſionibus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium, remanet vere corpus Chriſti in hoc Sacramento*. Et vero, ut bene Silvius, ſolet Eccleſia hujuſmodi Hoſtias *venerari ut verum Euchariſtiæ Sacramentum. Et quamvis, ob temporis diuturnitatem, interdum apparere poſſint ſufficientia indicia corruptionis, adhuc tamen poſſunt aſſervari & honorari, non eo honore qui debetur corpori Chriſti*, niſi conditionaliter, ſi dubia ſit corruptio, *ſed qui ejus ſigno vel veſti*. Quamquam *non improbabile eſt*, ſed potius multiplici, Pariſiis, Divione & in Parochia Ulmorum S. Florentii, compertum experimento, *ſpecies* in quibus hujuſmodi apparitiones evenerunt, *divina virtute ſervari ſubinde incorruptas diutius quam alioquin permanerent; ſicut ſervantur quorumdam Sanctorum reliquiæ*.

Quæres 3. quid facto opus ſit Sacerdoti, cujus inter ſacra contingat ſpecies in carnem & ſanguinem mutari.

R. cum S. Thoma ibid. qu. 82. a. 4. ad 3. ei a ſumptione converſæ ſpeciei abſtinendum eſſe: *Nec propter hoc Sacerdos tranſgreſſor efficitur, quia ea quæ miraculoſe fiunt, legibus non ſubduntur. Conſulendum tamen eſſet Sacerdoti, quod iterato corpus & ſanguinem Domini*, vel alterutrum, ſi non in utroque fieret miraculum, *conſecraret & ſumeret*.

S E-

SECTIO OCTAVA.

An realis præſentia philoſophicis argumentis impugnari poſſit.

QUandoquidem ea eſt myſteriorum conditio ut rationis captum ſuperent, fidei ſimul & æquitati conſonum foret, ut cum ſemel de iis ex Scriptura, Patribus, & unanimi gentium omnium ſuffragio conſtat, æternum rationi, quæ toties in aliis capitibus mendax deprehenſa fuit, ſilentium indiceretur.

Si tamen rem penitius indagaveris, haud ægre deteges rationem ſummum eſse tribunal quod invocent hæretici omnes. Unde enim circa perſonarum Trinitatem Scripturas miſere vexat & torquet Socinianus, niſi quia ſecum tacitus, vixque advertens, principii loco ſtatuerit, fieri non poſſe ut *tria unum ſint, & unum tria*. Unde negata ab iiſdem, aliiſque pluribus æternitas pœnarum, aut originalis noxæ in omnes Adami poſteros transfuſio, niſi quod dogma utrumque rationi, quæ Deum ſumme bonum prædicat, contradicere videatur. Sane ad obſtruendum os iniqua hæc loquentium, ſatis eſſe debeat eos ne colloquio quidem dignari, utpote Chriſtiani totius mundi anathemate percuſſos: quoniam tamen invaluit conſuetudo philoſophicos hæreticorum receſſus ſubeundi, id nec inviti tentabimus; monitis tamen, quibus quandoque cum hæreticis res fuerit, ut temere philoſophaturos ſiſtant ab initio, & ad ſupremam ipſorum regulam, Dei verbum, ſollicite revocent. Sit *Tripho apud Justin.*

CONCLUSIO. Præſentia realis nulla invicta ratione impugnari poteſt.

Prob. 1. quia invictæ, & ut adverſarii volunt, propatulæ rationes, eodem modo ceterorum mentes affeciſſent, quo Calvinianorum; proinque eos & olim deterruiſſent, & etiamnum deterrerent, ſeu ab amplectendo, ſeu ſaltem a retinendo præſentiæ realis dogmate: atqui falſum conſequens, ut non in Lutheranis tantum vident pſeudoreformati, ſed in myriadibus eorum, qui, ut magnus Turennius, * ſola urgente conſcientia, ad Catholicam Eccleſiam tranſvolant; ergo.

Prob. 2. quia difficultates quæ hodie a Calvinianis proponuntur, ſenſerunt SS. Patres, eaſque, ad omnipotentiam divinam recurrendo, ſolverunt, prout in aliis fecere myſteriis, de quo ſtatim; ergo nihilo plus realem præſentiam, quam alia fidei noſtræ capita, rationi adverſari judicarunt: atqui quod judicarunt Patres, idem & nos citra contradictionis periculum judicare poſſumus; ergo.

Obj. 1. Nullum dogma manifeſtam involvens contradictionem admitti poteſt, quantumvis perſpicue in verbo Dei revelatum eſſe videatur: atqui præſentiæ realis dogma, quale a Romana Communione admittitur, manifeſtam involvit contradictionem. Nempe vero Romanum dogma tria hæc importat: 1. deſtrui ſubſtantiam panis, & tamen manere panis ſpecies; 2. Chriſti corpus totum eſse in cœlo, & totum in terris; 3. idem hoc corpus unum eſse numero, & tamen totum eſse in omnibus hoſtiæ partibus, quæ ſunt ſine numero: atqui hæc omnia manifeſtam involvunt contradictionem. Primum quidem; quia ſpecies panis, ipſiſſima ſunt panis

T 2 ſub-

* Vide citatam ſupra pro Catholicis Apologiam, ubi Turennii converſio a Miniſtrorum calumniis vindicatur, tom.2. cap.12. p.249.

ſubſtantia, ſic & ſic modificata; ſecundum vero; quia ſi corpus Chriſti poſſit eſſe in cœlo ſimul & in terris, poterit eſſe ſimul & in ſole & in luna, & in cruce, quod negat Auguſtinus Lib. 20. contra Fauſtum c. 11. imo poterit eſſe ubique; neque enim minus eſſe poteſt in hoſtiis centum, quam in decem; nec minus in decies centenis millibus, quam in centum, & ſic donec Orbem totum impleat. Tertium denique; quia corpus eſſe unum numero, & non unum numero, manifeſta eſt repugnantia; porrò Chriſti corpus & numero unum eſt Romanis; & tamen, cum de eo dici poſſit: *Ecce hic eſt;* & *ecce illic*, non poteſt eſſe unum numero.

Nec eſt quod regeras parem in Trinitatis myſterio occurrere repugnantiam: eſſet enim id utique, ſi dum tres perſonas confiteris, perſonam unam agnoſceres; aut tres naturas, dum unam aſſeris. Sed non eſt reipſa: quia quod dicis unum, eſſentiam videlicet, non dicis triplex; & quod trinum, puta perſonas, non dicis unum. Ita ferme Jacobus Saurin Hagæ Comitis Miniſter tom. 3. Serm. de difficultatibus Religionis, pag. mihi 336. & Petrus Jurieu Roterodamenſis Profeſſor, Lib. cui titulus: *Examen de l'Euchariſtie*, edit. ult. p. 254.

R. 1. majorem, etſi veram in ſe, id tamen habere periculi, quod ab omnibus ferme hæreticis avide arripiatur. Ea nimirum abutitur Neſtorianus, ut B. Virginem nec eſse, nec poſse eſse Dei matrem probet; Socinianus, ut Trinitatem convellat; Pelagianus ut neget originalem noxam, quæ, inquit, ſi admittatur, neceſse erit ut Deum habeamus & bonum, quia bonitas ſit ejus natura, & ſimul pejorem tyrannis, qui propter unius crimen nec civitatem unam, nedum univerſum Orbem, perdere velit.

Quod autem e Sociniani manu effugere credit Saurinus, quia tres admittit perſonas, non unicam, & unicam naturam, non tres, perperam omnino credit. Reſpondebit enim Crellius, ſic equidem tolli contradictionem in verbis, at non in rebus; nimirum vero naturam eſse id quod Trinitarii, ne pugnantia loqui viderentur, perſonam vocaverunt; nec concipi poſse ens ſpiritale triplex, aliud ab alio realiter diſtinctum, quin triplex concipiatur natura.

R. 2. ad 1. neg. min. ad 1. 2. expendam inferius an admitti debeant accidentia abſoluta; eaque ſi admiſero, dicam ſpecies panis a panis ſubſtantia per omnipotentiam Dei divelli poſse. Pro reſponſione ad 2.

Not. 1. exiſtentiam ſeu præſentiam corporis ejuſdem pluribus in locis tripliciter intelligi poſse: 1. itaut corpus idem plures habeat exiſtentias naturales & quantitativas, ſeu, ut pluribus in locis exiſtat circumſcriptive; 2. ut idem corpus plures habeat exiſtentias ſacramentales, ſeu ut ſimul pluribus in locis exiſtat definitive; 3. ut idem corpus plures habeat exiſtentias, quarum una ſit naturalis, alia vel aliæ ſacramentales.

Not. 2. ad hoc ut corpus ſit in loco circumſcriptive, tria requiri: 1. ut habeat partes extra partes, tam in ordine ad ſe, quam in ordine ad locum: 2. ut loco commenſuretur; 3. ut aliud corpus ab eodem loco excludat; quia quod habet partes extenſas, & commenſuratas loco, locum totum replet: quod autem locum replet, corpus aliud in eodem loco ſecum compati non poteſt. Aliud eſt de corpore quod definitive in loco exiſtat. Iſtud enim ad inſtar ſpirituum & animæ, totum eſt in omnibus loci partibus, & totum in unaquaque loci parte. Unde licet hujuſmodi corpus

habeat

habeat partes ſibi debitas, & ſecundum diſpoſitionem naturalem ordinatas, itaut pectus ſcapulis, ſcapulæ collo, collum capiti immediate uniatur, haud tamen habet partes extenſas in ordine ad locum, ſed duntaxat in ordine ad ſe, ideſt alias ab aliis diſtinctas, ita ferme Lugo, Suares, Fraſſen & alii.

Not. 3. ratum eſſe apud Catholicos omnes, idem corpus pluribus in locis eſſe poſſe ſecundo & tertio modo ſupra aſſignatis; at diſputare eoſdem de modo priori: hunc enim plane impoſſibilem judicant plures cum S. Thoma 3. p. q. 75. art. 1. ad. 3. & q. 81. & alibi pluries. Ita inter alios Durandus, Paludanus, Vaſquez diſp. 189. & vulgo Thomiſtæ. Hujus autem opinionis non eadem apud omnes ſunt fundamenta. Urgentur hæc a multis: I. eſſe in loco circumſcriptive, eſt certis loci terminis concludi: atqui implicat corpus hic certis terminis concluſum, alibi exiſtere; alioqui circumſcriptum eſſet terminis ſuis, ex hypotheſi; & non eſſet, quandoquidem extra terminos illos poneretur, II. ſi idem homo pluribus in locis conſtitui poſset, poſſet moveri Romæ, & quieſcere Pariſiis; eſſe in gratia Romæ & in habitu peccati Pariſiis; ſole uti Romæ, & gelu rigere Pariſiis; vivere intactum Romæ, & vulnerari ac mori Pariſiis; e Roma ad ſuperas arces transferri, e Pariſiis detrudi in Tartarum: hæc autem in uno homine fieri implicat. III. ſi idem numero corpus quantitative multiplicari queat, poterit ubique eſſe, & ſic immenſitatis divinæ particeps fieri; de quo jam ſupra.

His tamen non obſtantibus contrarium tenent viri graves, quos inter Bellarminus Lib. 3. de Euchar. cap. 3. & 4. Suarez diſp. 48. Sect. 4. Mœrat. diſp. 33. Lugo diſp. 5. Sect. 1. & alii paſſim recentiores: 1. quia *apud Deum omnia poſſibilia ſunt*, Matth. 19. atqui ab hac regula nullibi excipit Scriptura, cui ſoli nituntur Proteſtantes, ejuſdem corporis multiplicationem, quaſi contradictoriam. Et vero id ſolum contradictionem implicat, quod pugnat cum eſſentia rei, itaut res dicatur eſſe & non eſſe: atqui geminata corporis unius exiſtentia non pugnat cum eſſentia corporis, ſeu quatenus eſt corpus, ſeu quatenus eſt unum corpus. Non quatenus eſt corpus; ſiquidem eſſentiale non eſt corpori, ſed accidentarium prorſus, ut ſit in loco, vel ſit in uno tantum; tum quia datur corpus, puta ultimum cœlum, quod non eſt in loco, tum quia prius eſt corpus eſſe, quam eſſe in loco; proinque non magis ſubvertitur eſsentia corporis qua talis, per poſitionem ejus in duplici loco, quam per poſitionem ejus extra locum. Non etiam quatenus eſt unum corpus: erit enim unum etiamſi pluribus ſit in locis; quia etſi tunc a ſe ipſo diviſum ſit, ſeu potius disjunctum localiter, erit tamen indiviſum ſubſtantialiter, & ab omnibus aliis diviſum, quod ad unitatem numericam ſufficit. Unde ſicut ſubſtantialis corporis unitas non læditur receptis numero & ſpecie diverſis accidentibus; ita & multis in locis illæſa permanebit, quia multa ſimul loca, non ſunt niſi multa ſimul accidentia.

2. quia corpus Chriſti, cum Paulo apparuit, Act. 9. fuit in cœlo & ſimul in terra, vel in aere terræ vicino. In cœlo fuiſse fatentur Calviniani propter id Act. 3. *Quem oportet cœlum ſuſcipere uſque ad tempus reſtitutionis omnium*. Jam vero fuiſse ſimul in terra, non autem viſum fuiſse in cœlis; prout viſus eſt a Stephano Act. 7. patet, tum quia alioqui non dubitaſset Paulus, nec interrogaſset quis ille eſset; tum quia *ad hoc* apparuit

 illi

illi Chriſtus, ut conſtitueret eum *miniſtrum & teſtem eorum quæ* viderat, ideſt reſurrectionis Chriſti, Act. 26. ad id autem neceſſum erat, ut & verum quod reſurrexerat corpus videret, & ipſum videret non in cœlis; facile enim teſtimonium ejus rejeciſſent Judæi, & hanc viſionem pro mera imaginatione habuiſſent; ita ſed latius Bellarmin. ibid.

Ut ut eſt de hac opinione, quæ Catholicis neceſſaria non eſt, rem unam pluribus ſimul in locis eſſe, vel eſſe poſſe docuerunt SS. Patres, nedum id contradictorium eſſe crediderint. Sic Chryſoſtomus Lib. 3. de Sacerdotio: *O miraculum*, inquit, *qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur*. Et Homil. 2. ad populum Antioch. *Chriſtus & nobis carnem ſuam reliquit & ipſam habens aſcendit*. Sic Gregorius Nyſſenus orat. Catech. c. 37. *Oportet conſiderare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in univerſo Orbe terrarum ſemper diſtribuitur, totum per partem ſit in unoquoque, & ipſum in ſe totum maneat*. Sic Auguſtinus Lib. de cura pro mortuis cap. 16. dubitando inquirit, an martyr præſens ſit locis omnibus in quibus operatur miracula, an non potius ea fiant Angelorum miniſterio: porro ſi S. Doctori perſuaſum fuiſſet non poſſe rem unam divinitus multis in locis exiſtere, ridicula fuiſſet dubitatio ipſius. Hic certe non dubitaret, ſed aperte & illico negaret Calviniſta.

Et vero conſtitit, ſaltem apud veteres, animam rationalem totam eſſe in qualibet corporis parte. Id autem fieri nequit, niſi tota ſimul pluribus in locis exiſtere intellecta ſit. Quod enim loca hæc ſint inadæquata, & continua, nihil ad rem faciet; tum quia tam vere diſtincta ſunt, quam caput & pedes; tum quia tota quæ hic occurrit difficultas, petitur a rei unitate, quæ non minus perire videtur in locis realiter diſtinctis etiam continuis, quam in diſcontinuis; tum quia nulla firma ratione probari poteſt non poſſe Deum animam in abſciſſo pede conſervare, prout ante abſciſſionem erat. Idem eſt de Deo, qui licet res ſit una & indiviſibilis, eſt tamen in locis innumeris, poſſetque eſſe in diſcontinuis, ut ſi alium ab iſto diſtantem mundum conderet. *Miratur hoc mens humana*, inquit Auguſtinus Epiſt. ad Voluſian. *& quia non capit, forte non credit*: ſed ſive credat, ſive non credat, eſt tamen veriſſimum.

5. quia longe magis mirum eſt hypoſtaſim unam, naturæ divinæ realiter identificatam, intime uniri cum alia natura quæ a divina realiter diſcrepat, quam unum corpus pluribus in locis eſſe: quandoquidem longe major eſt unio hypoſtaſim inter & naturam, quam inter locatum & locum; cum hæc extrinſeca ſit & accidentalis, illa ſubſtantialis & intrinſeca: atqui tamen hypoſtaſim unam in duabus naturis perfectis & diſſimillimis nobiſcum confitentur Sacramentarii; ergo.

6. Non magis unitas corporis pendet ab unitate loci, quam corporis multiplicitas pendeat a multiplicitate loci: atqui hæc non pendet ab iſta; ſi enim penderet, non poſſet corpus multiplicari niſi multiplicato loco: atqui tamen poteſt corpus multiplicari, abſque eo quod multiplicetur locus, alioqui impoſſibilis eſſet mutua corporum penetratio; quæ tamen de facto contigit, cum Chriſtus e Virginis ſinu & ex ſepulchro prodiit, aut januis clauſis ingreſſus eſt cœnaculum; tunc enim erat ſubſtantia corporis Chriſti, ubi erat ſubſtantia ſeu Virginis, ſeu lapidis; ergo.

7. Tam

7. Tam poteſt corpus concipi independenter a loco uno vel multiplici, quam ignis qua talis independenter a combuſtione corporis vicini; aut corpus de ſe grave, ſine gravitate actuali: atqui utrumque concipi poteſt & de facto evenit, ſive cum infantes in fornace perſtiterunt intacti, ſive cum Chriſtus & Petrus ſuper aquas deambulaverunt. Sane ſi ſeclusis ardentis rubi, aut fornacis Babylonicæ eventibus, crederent Catholici eſſe ignem, qui corpus idoneum comburi ne leviter quidem denigraret, indubie ageret triumphos Saurinus, & induta, ut in citato Sermone, pœdagogi perſona exclamaret: Si dicerent Catholici, ignem extingui poſſe; aut aliud corpus eidem ſubſtitui, haud prorſus inepta loquerentur: ſed ignem qua ignis eſt, non comburere, ideſt quod urit non urere dum dicunt, loquuntur pugnantia &c. nec multum urgent quæ ſupra objiciebantur in contrarium. Unde

Ad 1. diſt. maj. corpus in loco eſſe circumſcriptive, eſt idem corpus certis loci terminis concludi; ideſt reſpondere omnibus hujus loci partibus, C. ideſt non poſſe in alio loco conſtitui divinitus, N. unde totum hujus argumenti robur ludit in æquivoco, ut bene animadvertit Suarez, quem conſule.

Ad 2. neg. maj. nam in corpore multis in locis poſito multiplicabuntur quidem relationes ad loca, non autem affectiones quæ in ipſo corpore recipiuntur. Unde idem corpus poterit remotum eſſe a terra, & vicinum terræ, quieſcens hic, & alibi in motu; prout anima in pede vicinior eſt terræ quam in brachio, & in uno movetur dum in alio quieſcit; quod nullam involvit contradictionem; cum ea ſolum dicantur contradicentia, quæ uni conveniunt ſub eodem reſpectu, loci, v.g. temporis, modi &c. Verum aliter judicandum de his quæ in corpore locato reciperentur, ſeu actiones eſſent, ſeu qualitates, aut alia quæcumque hujus generis; hæc enim non multiplicantur, quia corpus eſt unum, non multa. Unde ſi corpus uno in loco calefiat, etiam in alio calidum erit; ſi uno in loco prope ignem ſit, in alio prope glaciem, nec ſumme calefiet, nec frigeſcet ſumme, ſed eaſdem patietur vices, quas in eodem juxta flammam & glaciem poſitum loco experiretur. Si in uno comedat loco, non eſuriet in alio ubi non comedit. Si demum hic lethaliter vulneretur, ubique dolebit & occumbet, quia idem eſt & unum ubique.

At, inquies, natura corporis in quantum numerice unius, eſſentialiter poſtulat, ut ſit indiviſum in ſe, & diviſum a quolibet alio: atqui corpus pluribus in locis poſitum, non eſſet indiviſum in ſe. Non eſt enim indiviſum niſi quod continuatur: porro Chriſti corpus prout eſt in altari, non continuatur cum eodem prout eſt in cœlo; ergo.

R. diſt. maj. poſtulat ut corpus ſit indiviſum in ſe ratione ſubſtantiæ, C. ratione loci, N. tam enim indiviſio ratione loci accidentalis eſt uni corpori, quam diviſio ratione loci accidentalis ſit multitudini corporum: atqui localis diviſio multiplicitati corporum accidentalis eſt; cum plura corpora per penetrationem unum duntaxat locum occupare poſſint; ergo. Sicut igitur cum duo corpora ſunt in uno loco, non tollitur eorum diviſio intrinſeca ab aliis, ſed ſolum extrinſeca, quæ eſt reſpectu loci; ſic etiam, cum unum corpus eſt in diverſis locis non tollitur indiviſio intrinſeca, ſed ſolum extrinſeca reſpectu *ubi*, ſeu loci.

Digitized by Google

Et vero, ajunt aliqui, ſi poſſit corpus idem in duobus inſtantibus immediatis eſse Pariſiis & Romæ, nihil eſt cur non ſimul utrobique exiſtat: atqui poteſt corpus idem .... Eſt enim corpus Petri Pariſiis, quia a Deo conſervatur, ſeu continuo creatur Pariſiis: velit ergo Deus illud conſervare Pariſiis in inſtanti A, Romæ vero in inſtanti B, erit Romæ, abſque locali motu &c.

Ad id quod additur de continuatione, dico corpus Chriſti ut eſt in altari, non continuari equidem cum eodem corpore ut eſt in cœlo, nec tamen eſse diſcontinuum, ſeu diviſum ab illo: quia continuari vel dividi, eſt eorum quæ multa ſunt, ſive ut tota, ſive ut partes totius; porro corpus ut in cœlo & corpus in altari non ſunt duo tota, nec totius ejuſdem partes, ſed idem omnino totum: quod autem inter corpus ut eſt in cœlo, & ut eſt in altari multa alia intercedant corpora, probat duntaxat corpus illud a ſe ipſo diviſum eſse ratione loci, non probat autem diviſum eſse ratione eſsentiæ.

Inſt. Se habet res ad locum, ſicut ſe habet ad tempus: atqui non poteſt res ſimul eſse in duobus temporibus; ergo nec in duobus locis.

R. neg. maj. quæ e converſo ſupponit, tempus ſe habere ad rem, ſicut ad eam ſe habet locus, quod falſum eſt. Unde quod una res creata haud eſse poſſit in duobus temporibus, non ex ipſa re naſcitur, ſed ex natura temporis, quod cum perpetuo fluat, non poteſt ſimul præſens eſse & præteritum vel futurum. Aliud eſt de loco, qui cum permaneat, rem unam hic & illic capere poteſt.

Ad 3. diſt. ſi corpus pluribus in locis eſse poſſit, poterit eſse ubique ad modum corporis, C. ad modum immenſitatis divinæ, N. hæc enim naturaliter poſtulat eſse in omnibus locis, & ſi quæ extra mundum nova crearentur, iiſdem neceſsario inexiſteret. Aliud eſt de creatura: unde non magis ei, etiam in infinitis locis poſitæ communicaretur divina immenſitas, quam eidem vel alteri creaturæ, etiam ab æterno & in æternum conditæ, divina communicaretur æternitas.

Ad objectionem petitam e Lib. 20. contra Fauſtum, dico Auguſtinum loqui de corpore exiſtente in loco naturaliter, ideſt ſecundum modum naturæ ſuæ convenientem. Unde eo recidit S. Doctoris argumentatio: Juxta vos, o Manichæi, corpus Chriſti eſt lux quædam expanſa per ſolem, lunam, & omnia quæcumque loca: atqui corpus per tot loca expanſum non poteſt totum eſse in locis ſingulis; ut quid ergo contenditis Chriſtum totum eſse in ſole, luna & ceteris locis? Jam vero ratiocinario iſthæc, qua hodieque uteremur Catholici, elidi non poterat objecta exiſtentiæ unius corporis pluribus in locis poſſibilitate: quia quod poſſibile eſt tantum, non probatur exiſtens niſi probetur miraculum per quod conſtituatur exiſtens: porro miraculum quo corpus Chriſti in ſole & luna exiſtens conſtitueretur, nec probabant, nec probare poterant Manichæi.

Quod addunt aliqui ex S. Doctore Ep. 137. alias 3. ad Voluſ. *nullum corpus totum ſimul ubique eſſe poſſe*, eſt omnino extra rem. Vult enim tantum Auguſtinus, nullum corpus localiter extenſum, poſse eſse totum in omnibus loci partibus, *quoniam per innumerabiles partes aliud alibi habeat neceſſe eſt .... & locum ſic implet, ut in nulla ejus parte ſit totum;* quo differt a ſpiri-

ſpiritu, qui juxta S. Doctorem, totus eſt in loco, & totus in ſingulis loci partibus. Inde vero quid ad Euchariſtiam?

Obj. 2. Si corpus Chriſti foret in Euchariſtia, vel cum quantitate ſibi propria, vel ſine illa: atqui utrumque perinde abſurdum eſt: 1. quia non poteſt majus a minore contineri; contineretur porro, quandoquidem majus ſit corpus Chriſti qualibet ſpecie Euchariſtica; 2. quia alioqui corpus, & corpus eſſet ex hypotheſi, & non eſſet corpus; quia nullum eſt corpus ſine quantitate, ſecundum id Auguſtini Epiſtol. ad Dardanum, alias 57. *Spatia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, nec erunt*.

R. ad 1. neg. min. & dico corpus Chriſti habere quantitatem, ſive extenſionem partium in ordine ad ſe, licet non habeat in ordine ad locum; ideſt totum Chriſti corpus ſubſtantialiter ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, facta ſeparatione contineri.

Ad 2. diſt. non poteſt majus a minore contineri localiter & commenſurative, C. ſacramentaliter, definitive, aut alio quocumque ſupernaturali modo, N.

Neque tamen corpus Chriſti definit eſſe verum corpus, quia ad rationem corporis ſufficit quantitas intrinſeca, non autem requiritur extrinſeca: unde corpus alicubi eſſe & non occupare locum; vel occupare quidem, & non expellere aliud corpus, nullam implicat contradictionem; quia occupare locum eſt quid poſterius eſſentia corporis, cum prius ſit rem eſſe, quam eſſe in loco: contradictio autem reſpiciat eſſentiam. Vide Bellarminum eod. Lib. 3. cap. 6. & 7.

Nec obeſt id Auguſtini: *Spatia locorum tolle* &c. quia non explicat S. Doctor quid divinitus fieri poſſit, ſed quid ſecundum conſuetum naturæ ordinem fiat, & quidem in corporibus quæ nobis notiora ſunt. Neque enim negaret Auguſtinus ultimam cœli ſphæram eſſe corpus, & tamen non eſt hæc in ſpatio ſeu loco, ſed in ſeipſa & in Deo. Et vero ſi locorum ſpatia corporibus neceſſaria eſſe credidit S. Doctor, utique diverſa diverſis: ut quid ergo camelum, non nauticum funem, ſed gibboſum animal, per foramen acus * tranſire poſſe credidit cum Origene, Hilario, Hieronymo, Chryſoſtomo &c.

Hæc vero, ait recens Auctor operis *de re ſacramentaria*, Venetiis impreſſi an. 1737. Hæc ſecundum communem philoſophorum ſcholaſticorum doctrinam intelligi volumus, contendentium extenſionem actualem a corpore phyſico poſſe abſolute ſeparari, & ad ejus naturam ſufficere exigentiam extenſionis. Contraria Carteſii, veterumque & novorum philoſophorum ſententia eſt, opinantium corporis phyſici naturam ſic in extenſione actuali conſiſtere, ut ne divinitus quidem poſſit eſſe aliquid eſſe corpus, & non habere in longum, latum, & profundum extenſam ſubſtantiam. Hanc autem ſententiam facile, ut quidam purant, cum Euchariſtiæ fide conciliant, ſupponendo unum idemque corpus, modo arctiori, modo majori ſpatio contineri. Sic enim, exempli cauſa, in ovi germine pullus eſt integer, & integra in ſemine planta, licet nondum evolutas & ad competentem extenſionem productas habeant partes. Quidni

* Per foramen acus intellexere nonnulli ante & poſt Cajetanum, anguſtam, quam Jeroſolymis fuiſſe fingunt, portam. Commentum hoc explodit Bellarminus eod. cap. 6.

Digitized by Google

„ Quidni vero, inquiunt, concedamus, id quod Deus in natura quotidie
„ facit, in myſterio Euchariſtiæ, ejuſdem miraculo fieri, ut nimirum in-
„ tegrum ibi corpus ſit Chriſti, in brevius quidem & ſenſus noſtros fu-
„ giens, arctatum ſpatium, ſed vere tamen extenſum? Opinio hæc utrum
„ alteri ſit præferenda aliorum eſto judicium ... tantum monemus, præ-
„ terquam quod rationi congruentior eſſe videtur, nihil habere fidei con-
„ trarium: nullibi enim nec in Scriptura, nec in Traditione legimus,
„ corpus Chriſti localem in Euchariſtia extenſionem abſolute non habe-
„ re. Quin & quod aliquam habeat, aut ſaltem habere defendi poſſit,
Seſſ. 13. can. 3. „ Canon Concilii Tridentini inſinuat his verbis conceptus: *Si quis nega-*
„ *verit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſin-*
„ *gulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri,*
„ *anathema ſit.* Itaque fidei non eſt, *ante ſeparationem factam*, totum Chri-
„ ſtum ſub qualibet Hoſtiæ particula contineri: atque adeo ſalva fide de-
„ fendi poteſt, quod habeat corpus ejus actualem extenſionem; quam ſi
„ ante ſeparationem habeat, quidni & poſt ſeparationem habebit, cum
„ poſſit in minus, minuſque in infinitum ſpatium coarctari. Hæc vir
Dominicanus, idemque Sorbonicus Doctor, quæ neſcio an levandæ diffi-
cultati plurimum inſervire queant; ſcio autem a pluribus Univerſitati-
bus, præcipue autem a Pariſienſi, Andegavenſi, Cadomenſi rejecta eſſe:
Vide geminum Opus, quorum aliud inſcribitur: *Sentimens de M. Deſcar-
tes touchant l'eſſences & les proprietès du corps, opposès à la doctrine de l'Egli-
ſe, & conformes aux erreurs de Calvin, ſur le ſujet de l'Euchariſtie*: par Louis
de la Ville (ideſt R. P. le Valois) Paris. 1680. aliud, *La philoſophie de
M. Deſcartes contraire à la foi Catholique*, Paris 1682.

Obj. 3. Nihil habet Religio Chriſti quod divina majeſtate indignum
ſit: atqui habet præſentia realis multa Dei majeſtate prorſus indigna.
Quid enim Deo indignum magis, quam corpus ejus dejici poſſe in ſor-
des, atteri dentibus, trajici in ſtomachum, in ſeceſſum ejici, corrodi a
muribus, corrumpi & putreſcere &c.... *Ecce*, ajebat Auguſtinus Lib. 22.
de Civ. Dei, *qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infir-
mitas, quam poſſidet vanitas*. Itaque

R. 1. diſt. maj. nihil habet...indignum in rei veritate, C. indignum hu-
manæ ſapientiæ judicio, N. imo ſi humanam ſapientiam interroges, erit
ei Religio ſcandalum & ſtultitia, ut loquitur Apoſtolus I. Cor. 1. At quod
hominibus vile & fatuum, id Dei virtus eſt & ſapientia. Unde belle Ter-
tullianus Lib. de carne Chriſti: *Quodcumque Deo indignum eſt, mihi expedit:
ſalvus ſum ſi non confundar de Domino meo. Natus eſt Dei filius, non pudet, quia
pudendum eſt: Et mortuus eſt Dei filius; prorſus incredibile eſt, quia ineptum eſt:
Et ſepultus reſurrexit; certum, quia impoſſibile.* Et Libro 2. contra Marcionem:
*Aſſumpſit Deus quædam ſibi indigna, nobis autem neceſſaria, & ideo jam Deo di-
gna, quia nihil tam Deo dignum, quam ſalus hominis.* Et vero an indignius
Chriſtum in ſtomacho hominis ad momenta quædam reſidere, quam men-
ſes novem in utero Virginis egiſſe? decidere in terram, quam tolli in cru-
cem? citra injuriam ab animantibus comedi, quam contumelioſe latrones
inter medium crucifigi? hæc ergo ſi admittunt Sacramentarii, cur illa velut
indigna Deo refugiant? Certe, ait Auguſtinus Epiſt. 102. alias 49. *in ipſum
Chriſtum non crederemus, ſi fides Chriſtiana cachinnum metueret Paganorum.*

R. 2.

R. 2. neg. min. errant enim Sacramentarii *neſcientes Scripturas*, *neque virtutem Dei*: nimirum enim Chriſti corpus vere ſumitur, ſed non atteritur; vere diſtribuitur, ſed non frangitur; vere comeditur, ſed in ſeceſſum non abit; in terra eſt, ſi Sacramentum in terra ſit, ſed non cadit proprie, ſicut ad corporis caſum non cadit anima; denique nec putreſcit ratione ſui, nec a muribus corroditur; etſi tam ſine ſui injuria animantis corpus ſubire poſſit, quam idem ſubeat Deus per immenſitatem ſuam, vide Bellarminum cap. 10.

Obj. 4. Deus nihil operatur fruſtra: atqui fruſtra & incaſſum præſens eſſet in Euchariſtia. Qui enim per ſignum corporis ſui idem in anima præſtare poteſt, quod per ipſum corpus, fruſtra præſens adeſſet Euchariſtiæ: atqui poteſt Deus... Juxta nos enim per Euchariſtiam paſcit mentes noſtras fide & charitate: atqui tam id præſtare poteſt abſens a ſymbolis, quam præſens. Non enim animas minus paſcere poteſt, per ſymbola a quibus abſit, quam iis ſpiritualem vitam conferre per aquam cui vere & ſubſtantialiter non inexiſtat, ſeu quæ in ipſum non transmutetur: atqui &c.

Confirm. Non poteſt utilior eſſe Chriſti in Sacramento præſentia plane inviſibilis, quam viſibilis ejus præſentia in terris: atqui hæc Apoſtolis inutilis fuiſſet, ut indicat Chriſtus ipſe, cum ait Joan. 16. *Expedit vobis ut ego vadam: ſi non abiero, Paraclętus non veniet ad vos;* ergo.

R. ad 1. neg. min. non enim fruſtra fit id per quod nobis bonum ingens confertur, etſi alia via conferri potuiſſet: alioqui fruſtra tot labores ſubiiſſet Chriſtus, qui quocumque bono opere potuiſſet nos reconciliare Patri: fruſtra poſt indigna quæ tulit ludibria, ſanguinem totum fudiſſet, qui una nos ſanguinis gutta redimere poterat; fruſtra ægrotis imponebat manum, qui ſi dixiſſet verbo, mundum ſanaſſet univerſum; fruſtra Baptiſmum inſtituiſſet, qui citra Baptiſmum mundare poterat: Atque hinc ruit cetera argumentatio. Nihilominus

Ad 2. neg. maj. non enim ut inutilis cenſeatur præſentia realis, ſufficit ut Deus abſolute poſſit id abſens operari in nobis, quod præſens, ſed etiam 1. ut eadem nobis ex parte ſua charitatis indicia exhibeat; 2. ut id abſens facere velit quod præſens: atqui 1. non potuit Chriſtus majorem erga nos charitatem exhibere, quam ſeipſum nobis in eſcam præbendo. Hic mens ſtupet, vox deficit, aut ſi quæ erumpere poteſt, hæc Chryſoſtomi: *O miraculum*, *o Dei benignitatem*, o portentum amoris; 2. nec facit abſens Deus, etſi poteſt, quæ facit præſens. Curabat enim omnes quotquot tangebant eum, nec curabat alios, etſi poterat abſolute.

Ad confirm. 1. neg. maj. duo enim inferebat perſeverans Chriſti in terris præſentia: primum, quod ei humano quodam affectu adhærerent Apoſtoli, ut ait Auguſtinus tract. 94. in Joan. ſecundum, quod diffuſionem Evangelii, & converſionis mundi miraculum impediret. Quomodo enim in omnem terram exiiſſet Apoſtolorum ſonus, ſi cum Chriſto vel Jeroſolymis, vel alibi perpetuo vixiſſent? quomodo per *infirma mundi* mundus ipſe converſus fuiſſet, ſi militibus ſuis corporaliter præſens adfuiset Deus e mortuis redivivus? Porro neutrum hoc incommodum, ſi ſic loqui fas eſt, habet ſacramentalis præſentia Chriſti. Hæc enim nec humanos affectus parit, cum nec videatur Chriſtus, nec dulciloquo ſermone

exte-

exterius lactet & deliniat; nec Evangelii diſſeminationem retardare poteſt, ſed accendere potius; cum menſa hæc leones nos ignem ſpirantes efficiat &c.

2. diſt. min. præſentia Chriſti Apoſtolis inutilis fuiſſet per ſe, N. vi decreti quo ſancitum erat, ut non ante mitteretur Spiritus ſanctus, quam Chriſti diſpenſatio per ejus aſcenſionem completa eſset, C.

Obj. 5. Qui nimiam conſecrati vini quantitatem exorberet, certe inebriaretur: atqui non inebriaretur Chriſti ſanguine; ergo vino. Ita nuper Calviniana quædam.

R. 1. cum ſpecies id præſtent quod præſtat vinum, ut patet ex odore, nihil mirum ſi inebriare poſſint. 2. Vinum non inebriat niſi cum alteratum eſt: porro non manet ſanguis ubi ſpecies corruptæ ſunt. 3. Loquimur hic de inexperto. Ecquis ſciat, ſanguinem, ſi ſanguis diu maneret, inebriaturum eſſe etiam per ſpecies?

APPENDIX

De ſpeciebus Euchariſticis.

QUæſtioni huic etſi jam pridem juris eſt philoſophici, pauliſper immorari libet: de ea autem nec una fuit olim, nec una hodieque eſt opinio.

1. enim fuere qui accidentia Euchariſtica in ipſo Chriſti corpore *ſubjectari* voluerint. Ita ſenſere 1. S. Anaſtaſius Sinaita in Odego, ut invicte probant tum Arnaldus tom. 3. perpet. fidei, Lib. 8. c. 16. tum R. P. de Paris, Canonicus Regularis Sanctæ Genovefæ in eximio opere cui titulus: *La croyance de l'Egliſe Grecque touchant la tranſſubſtantiation* &c. tom. 2. Lib. 1. cap. 7. ſect. 3. & 4. 2. Guitmundus, Averſanus Antiſtes, celeber Berengarii profligator: is enim Lib. 3. poſtquam ſtatuit accidentia ab uno corpore, ad aliud devolvi poſse; quod probare nititur exemplo tum ſaporis qui mannæ adhærebat pro nutu guſtantium; tum odorum, qui ab odorato corpore ad vicina corpora profluunt, iiſque inhærent; ſubdit nil mirum ſi in Sacramento frangi poſſit & manducari Chriſti corpus, cum frangi poſſit hodie id quod olim propter ſcelera noſtra attritum eſt &c. 3. eadem quoque videtur fuiſse ſententia Humberti Cardinalis, qui ſubſcribendam a Berengario formulam ſic apravit, ut conſiteretur novator, *verum corpus Chriſti ſenſualiter non ſolum ſacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari & frangi, & fidelium mentibus atteri*. Hæc enim verba, *non ſolum ſacramento, ſed in veritate*, idem, niſi fallor, ſibi volunt quod iſta Guitmundi, *non frangi per panem, ſed per ſe, ſine alterius corporis adjumento*: fuiſse autem tempore ſuo non paucos, qui hunc Berengarii formulæ ſenſum adſcriberent & approbarent, fatetur Petrus Pictavienſis part. 5. Sentent. c. 12. 4. & ea quoque fuit mens Odonis Cameracenſis, juxta quem *conſumimus, manducamus & atterimus* corpus Chriſti, *non tantum ſpecie, ſed & re, non ſolum forma, ſed & ſubſtantia*. 5. nec defuere qui poſtremis temporibus idipſum tenuerint, & contrariam opinionem novam eſse,

eſſe, & cum Scholæ Doctoribus natam contenderint: de quibus vide Thomam Anglum tom. 1. Lib. 4. Inſtitutionum ſacrarum ſect. 5.

Si objicias in hac hypotheſi, corpus Chriſti album eſſe, rotundum, & quod pejus eſt, frangibile. Reponent corpus Chriſti in Euchariſtia bini generis habere dimenſiones, nimirum naturales, quæ concomitanter ſunt in Sacramento, non ad modum quantitatis, ſed ad modum ſubſtantiæ, & novas ſeu accidentales, quæ cum antea inhærerent pani, poſt conſecrationem inhærent ipſi corpori Chriſti. His poſitis, inquiunt, corpus Chriſti ſecundum eſſe naturale ſpectatum, eadem & non alia habet quam prius, coloris & ſaporis accidentia; unde nec frangitur, quia vere glorioſum eſt. At idem corpus ſecundum novas, quæ a pane in ipſum tranſierunt dimenſiones, & album & frangibile eſſe poteſt: quia novæ illæ modificationes, cum ſecundum naturam ſuam ſubſiſtant, agere poſſunt & pati, eaſdemque prorſus habere vices ac cum pani unitæ erant. Sic hypoſtaſis Verbi ante incarnationem incapax patiendi, poſt incarnationem pati potuit, & reipſa paſſa eſt, non amittendo quam hactenus ſemper habuerat immortalitatem, ſed novam terminando naturam, quæ pati & mori poſſet. Nullum eſt inconveniens, ait Gonet diſp. 5. a. 3. admittere corpus Chriſti proprie loquendo frangi ſecundum præſentiam ſacramentalem quam habet ſub ſpeciebus panis, juxta illud tum Apoſtoli: *Panis quem frangimus;* tum ſupra citatæ profeſſionis Berengarii: *Corde & ore profiteor, verum corpus & ſanguinem D. N. J. C. in veritate frangi* &c. Neque vero ait Granados Tract. 6. diſp. 1. *dicitur frangi Chriſtus Dominus, quaſi in partes ſui dividatur, ſed quia totus a ſeipſo ſeparatur, cum ſpecies dividuntur: cum enim ipſe ſit totus ſub qualibet parte ſpecierum; & dum ſpecies ſunt continuæ, ipſe quoque habeat præſentiam continuam ſub illis, quando deſtruitur continuatio ſpecierum... deſtruitur etiam continuatio præſentiæ Chriſti; & ipſe prout eſt ſub una parte, ſejungitur a ſeipſo, prout eſt ſub alia... & ideo proprie dicitur frangi & dividi, non fractione quæ cadat ſupra partes ejus, ſed ſupra totum ipſum; quatenus diverſis partibus ſpecierum adeſt, & ideo non derogat incorruptioni Chriſti.* Unde quando in Proſa Miſſæ dicitur: *non conciſus, non confractus, non diviſus*, hoc debet intelligi ſecundum eſſe naturale quod habet in propria ſpecie, non vero de eſſe ſacramentali quod habet in Euchariſtia. Hucuſque Gonet.

Hæc opinio, me judice, imaginationem plus lædit, quam rationem. Aliunde ea eſt commendanda 1. quod a multis Sanctis admiſſa ſit, ut videre eſt apud Arnaldum; 2. quod ipſo Berengariani æſtus tempore, ubi verba magis ponderari debuerunt, recepta fuiſſe videatur; 3. quod antiquorum Eccleſiæ Doctorum verbis magis congruat; 4. quod recentiori accidentium abſolutorum doctrina clarior ſit; idque fere ſolum habeat conceptu difficile, quo fiat ut accidens a corpore uno tranſeat ad aliud; quod forte tam admitterent Proteſtantes, quam admiſerint ipſum Adæ peccatum ad poſteros tranſiiſſe.

2. Exiſtimarunt alii accidentia aeri Chriſti corpus circumdanti hærere. Ita Petrus Abaillardus apud S. Bernardum, qui opinationem hanc inter ejuſdem Abaillardi errores recenſet Epiſt. 190. ad Innocentium II. Idipſum ſenſere alii quidam quos tacito nomine refellit ſanctus Thomas 3. p. q. 77. a. 1. 1. *quia aer non eſt hujuſmodi accidentium ſuſceptivus;* 2. *quia* alioqui

alioquí cum movetur aer, moverentur accidentia illa; quod falſum eſt, cum econtra *ad motum harum ſpecierum aer* depellatur; 3. *quia accidentia non tranſeunt de ſubjecto ad ſubjectum . . . accidens enim numerum & individuationem accipit a ſubjecto;* 4. *quia cum aer non ſpolietur accidentibus propriis, ſimul haberet accidentia propria & aliena. Nec poteſt dici quod hoc fiat miraculoſe virtute conſecrationis; quia verba conſecrantis hoc non ſignificant, quæ tamen non efficiunt niſi ſuum ſignificatum.*

3. Nonnulli ceteris forte ſagaciores, ingenue profeſſi ſunt ſibi prorſus ignotum quid ſint, & ubi maneant accidentia Euchariſtica: ita Gulielmus S. Theodorici Lib. contra Abaelard. c. 9. qui tamen cenſet probabilius, ea, ſi ſupereſſe dicenda ſunt, inhærere corpori Chriſti. Huc accedit Auctor commentarii in Lib. Boetii de Trinitate apud Bedam, cui dubium eſt, an ea ſint in aere; vel ſine ſubſtantia: neque hinc diſtare videtur Albertus.

4. Novam Euchariſticas ſpecies intelligendi viam aperuit Durandus a S. Porciano, Anicienſis Epiſcopus; eamque, quam late potuit, extendit Petrus Callius in Univerſitate Cadomenſi eloquentiæ & philoſophiæ Profeſſor. Is nimirum in Opuſculo cui titulus: *Durand commenté, ou l'accord de la Philoſophie avec la Théologie, touchant la tranſſubſtantiation de l'Euchariſtie*, an. 1700. ſtatuit 1. nullam fieri poſſe ſubſtantiæ unius in aliam converſionem, niſi in ſubſtantia poſteriori remaneat aliquid ſubſtantiæ prioris: alioqui enim jam non fore converſionem, ſed annihilationem prioris, & creationem poſterioris; 2. & conſequenter, in Euchariſtica converſione neceſſario manere aliquid, quod pertinebat ad panem antequam is converteretur, quodque proin & pani & Euchariſtiæ commune ſit; 3. *commune* iſtud eſſe materiam panis, quæ tamen quia per conſecrationem incipit aliam habere formam, nimirum ſanctam Chriſti animam, jam panis vocari non debet, ſed corpus Chriſti; imo corpus Chriſti quod de
Calli. p. 368. B. Virgine natum eſt. Qui ſic vero? Rem explicat Callius his pene verbis: Corpus poteſt unum & idem dici, ſeu quia eamdem ſemper circumferentiam, & quantitatem externam, ſeu quia eamdem ſervet relationem ad aliquid, quod vel idem ſit, vel ut idem a nobis concipiatur. Priori modo Pariſienſis Eccleſia, eadem eſt quæ ante ducentos annos; poſteriori, Sequana ſemper eſt & erit idem qui olim. Jam corpus humanum non priori modo idem dicitur quod antea erat. Conſtat enim ex partibus quarum aliæ aliis perpetuo ſuccedunt, ut in capillis & unguibus patet; adeo ut Chriſtus cum affixus eſt cruci, ne unam quidem haberet partem ſubſtantiæ, quam e ſanctiſſimæ matris utero traxerat; ergo non dicebatur idem homo qui ab initio fuerat, eo quod eamdem ſemper fuit ejuſdem forma, ſeu, quia corpus ejus eidem ſemper animæ conjunctum eſt. Ergo hodieque unicum & ſolum corpus Chriſti eſt illud cui anima ejus conjungitur ſubſtantialiter in unitate naturæ, & Verbi divinitas in unitate perſonæ. Ergo rurſus, ut corpus Chriſti ſit in Euchariſtia idem quod in cœlo eſt, & quod natum fuit de Maria, ſatis eſt ut remanente materia panis, quæ cujuslibet formæ capax eſt, nova introducatur forma, nimirum anima Chriſti, divinæ ejuſdem perſonæ conjuncta: tuncque deſinet panis; non enim eſt panis materia ſolum, ſed materia tali forma prædita: porro primæva hæc panis forma ambigitur, tum per animam Chriſti, quæ materiam hanc ſubit, tum per aptatam eidem ma-

teriæ

Digitized by Google

tertiæ organorum diſpoſitionem. Quanquam, ait Callius, non exigit Re- *Ibidem*
ligio ut *organizationem* hanc confiteamur; cum hæc etſi a Catechiſmo Ro- *p. 179.*
mano tradatur, nullibi tamen tradatur a Synodo Tridentina.

His poſitis nulla eſſe poteſt circa Euchariſticas ſpecies difficultas: cum
enim ita definat panis, ratione formæ nimirum, ut materia ejus vere
remaneat, perſpicuum eſt ſpecies, ſeu quæ *communes* dicuntur, quia du-
plici ſenſu percipi poſſunt, ut motus & quies; ſeu quæ *propriæ*, quia non-
niſi ſub unum ſenſum cadunt ut odor, color &c. idem poſſe habere ſub-
jectum, quod prius. Quapropter quod ſpecies *proprias* in Deum refundit *Ibidem*
Callius, quaſi Deus ut myſterii obſcurum conſervet, id per ſe præſtare *p. 293.*
velit, quod antea præſtabat panis, gratis, & quaſi ad affectandam dif-
ficultatem, dictum videtur.

Verum abſit ut difficultatis ab accidentibus petitæ ſolutionem tanti
emant fideles. Certe Callianum ſyſtema, plena eſt Euchariſticæ fidei
ſubverſio. Siquidem, ut ſolide animadvertit vir magni, meritique apud
Pariſienſes Philoſophos nominis, 1. in iſta hac opinione remanet, ut
commune ſubjectum, materia panis, imo & interior materiæ hujus par-
tium configuratio, cum nullam requirat Callius organizationem; 2. non
magis materia iſthæc, licet animæ Chriſti unita, poteſt dici corpus quod
e Maria natum eſt, quam arbor, cui uniretur anima Joannis, poſſit di-
ci corpus quod Joannes a parentibus ſuis deſumpſit; 3. nec ibi eſt vera
tranſubſtantiatio, cum remaneat eadem quæ prius materia, imo & for-
ma mecanica panis. Unde nequidem eſt transformatio, cum ad hanc re-
quiratur, ut remanente eadem panis materia, nova ſuccedat forma me-
canica partium panis: hæc autem a Callio non admittitur ſaltem ut ne-
ceſſaria; 4. incomprehenſibilis eſt & omnino *ſingularis** converſio Eucha- * *Trid.*
riſtica; unde quo eam exponant Patres, ad omnipotentiam Dei indefi- *Seſſ. 13.*
nenter recurrunt: atqui converſio de qua loquimur, nec incomprehenſi- *can. 2.*
bilis eſt, *quantum ad ſubſtantiam facti, quia per virtutem naturæ fit ſimilis*
converſio alimenti in naturam animalis, ut totidem verbis declarat Duran- *Apud*
dus; nec ſingularis eſt, cum teſte pluries Callio, ejuſdem ſit generis ac *Callium*
converſio uxoris Lot in ſtatuam ſalis, aquæ in vinum vel ſanguinem, *p. 155.*
imo ligni in ignem, panis in carnem &c. Unde, 5. non erat cur Tri-
dentini Patres vim tantam facerent in voce *tranſubſtantiationis*; eamque
velut Catholicæ fidei teſſeram uſurparent contra Calvinianos; cum quæ-
cumque vel recenſentur in Scripturis, vel in natura fiunt converſiones,
tranſubſtantiationis nomen æque mereantur ac converſio Calliana. 6. Juxta
ta Tridentinum non manent in Euchariſtia niſi ſpecies panis & vini:
atqui, juxta Callium, manet grande quid ultra ſpecies, nempe materia
panis, ejuſque forma interior; ergo. 7. Secundum Eccleſiæ fidem, unum
eſt in omnibus mundi Hoſtiis corpus Chriſti: atqui non eſt idem in opi-
nione Callii; cum non idem ſit panis qui Romæ, & qui Lugduni con-
ſecratur: 8. ubi manet panis materia, manent & ejus proprietates, ut
diviſibilitas & corruptio. Unde Callius p. 239. *Il ne faut pas avancer que*
le corps de J. C. ſur nos Autels ſoit glorieux & immortel; & pag. 256. *Le*
corps de J. C. dans l'Euchariſtie peut être ſujet à la corruption, à l'accroiſſement
& au décroiſſement, du moins à la façon des corps animeès: atqui hæc Com-
mentatoris commenta vix ferunt Chriſtianæ aures. Unde has aliaſque id

genus

genus propoſitiones, ſtatim ut emerſere, proſcripſit Ill. Bajocenſis Epiſcopus * tanquam *falſas*, *temerarias*, *erroneas*, *ſcandaloſas*, *Concilio Tridentino injurioſas*, *deſtructivas præſentiæ realis corporis Chriſti in Euchariſtia*, *in hæreſim circa tranſubſtantiationem inducentes*; cui cenſuræ humiliter acquievit Callius.

* *Die 3 Martis an. 1701.*

5. Varias in partes abiere Cartheſiani, prout alii cum Magiſtro ſuo extenſionem & materiam mutuo inſeparabiles eſſe docuerunt; alii cum Magnano, & D. de Cordemoy, etſi extenſionem actualem ſine materia eſſe poſſe negaverint, materiam tamen ſine extenſione actuali exiſtere poſſe confeſſi ſunt. Unde & docuere univerſas corporis Chriſti partes in eodem puncto penetratas eſſe, ac proin divinitus fieri poſſe ut corpus non habeat partes extra partes. De Cartheſii opinione tam omnibus nota, quam Theologis inviſa nihil eſt quod eloquar: at Magnani ſyſtema paucis exponendum reor. Diſtinguit ille bini generis ſpecies, objectivas ſcilicet, quæ ſe tenent ex parte objecti; & formales, quæ ſeſe ſolum teneant ex parte mentis, id quaſi in objecto percipientis, quod eidem reipſa non inexiſtat, ſed occaſione ejus apprehendatur ab anima, Deo eaſdem in ipſa ſenſationes per ſemetipſum operante, quæ prius ab objecto ipſo excitabantur. Jam in Euchariſtia poſt conſecrationem nonniſi ſecundi generis ſpecies admittit; objectivas vero totis viribus exufflat. Hujus opinionis ratio una, ſed gravis hæc eſt, quod in materia, quæ jam de ſe ſat habet difficultatum, haud multiplicandæ ſint ſine gravi cauſa difficultates; cum ex totidem ſint hæreticorum reditioni obſtacula: atqui quod admittantur accidentia ſine ſubjecto, ideſt modi entis qui enti non inhæreant, gravis eſt, & quæ contradictionem involvere videatur, difficultas. Aliunde vero nulla eſt gravis cauſa, quæ ad id impellat. Non impoſſibilitas facti; cum Deus ad præſentiam corporis Chriſti eaſdem in anima impreſſiones excitare poſſit, quas antea panis. Non Eccleſiæ definitiones, cum Tridentina Synodus, vel ab ipſo accidentium nomine caute & ſemper abſtinuerit; Conſtantienſis vero hanc VViclefi propoſitionem, *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in Sacramento altaris*, damnaverit in ſolo Auctoris ſenſu, qui quoniam negabat tranſubſtantiationem, accidentia panis pani ipſi inhærere contendebat. Unde qui nuper apud Italos ſcripſit *de re Sacramentaria*, hæc habet Lib. 4. pag. mihi 429. *Chriſtum in Euchariſtia contineri, dogma Catholicum eſt, & in Religione præcipuum: accidentia vero materiales eſſe entitates, a ſubjecto realiter diſtinctas, Arabum Ariſtotelis interpretum opinio, nec fidei, nec rationis lumine roborata; imo penitus rationi (judicio multorum) contraria*. Non demum deceptionis metus. Hujus enim periculum ut exulet prorſus, ſatis eſt ut præmonuerit nos fides non eſſe in hoc myſterio credendum ſenſibus: atqui rem ita eſſe fateri debent vel ipſi Peripatetici. Senſus enim ut accidentia panis, ſic panis ſubſtantiam renuntiant. Et vero illabente in Chriſtum Spiritu ſancto apparuit columba, quæ tamen in rei veritate columba non erat. Addunt iidem, corpora, quæ utpote materialia ſpiritales animas phyſice movere non poſſunt, eo ſolum ſenſationes in anima parere, quia a Deo conſtitutum ſit, ut corporei motus ſenſationum hujuſcemodi occaſio forent: porro quidni conſtituere poſſit Deus, ut quæ occaſione corporis ſuboriuntur impreſſiones, eo etiam ſublato perſeverent?

Ut ingenue fatear, quod res eſt, ait laudatus ſupra philoſophiæ Profeſſor,

Digitized by Google

feſſor, explicatio Magnani melius congruit cum principiis philoſophicis, quam ſyſtema accidentium abſolutorum ; melius quoque cum fidei placitis, quam ſyſtema Cartheſianorum; ſua tamen ſunt, ut & alii cuicumque, ſyſtemati huic incommoda.

1. enim Euchariſtiæ Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile : porro in Magnani opinione nihil a parte rei habet Euchariſtia quod ſenſus afficiat, nihil quod videatur, nihil quod tangatur, nihil quod guſtetur ; ergo .

2. Conſtat eſſe in Euchariſtia quod frangi poſſit, & reponi in calice, vel pluribus ad communionem diſtribui : porro ſi Deus per ſe præſtet id totum quod a ſpeciebus præſtari credimus, nihil eſt quod vere frangat Sacerdos, quod vere in calice reponat &c.

3. Euchariſtia eſt Sacramentum permanens: atqui non permanet in opinione Magnani; ſit enim incluſum pixide, jam deſinente ſenſatione deſinunt & ſpecies; deſinit proin quidquid ſenſibile eſt. Ubi autem deeſt ſenſibile, deeſt & Sacramentum, quale a Chriſto inſtitutum eſt.

4. Definiit Concilium Trident. Seſs. 13. can. 2. converti totam panis ſubſtantiam in corpus, & totam vini ſubſtantiam in ſanguinem, *manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini* : atqui juxta Magnanum, non *manent* ſpecies. Manere enim aliquid, eſt idem ſubſiſtere ut antea, non autem ſuccedere in locum alterius : atqui apud Magnanum, non manent eædem quæ antea ſpecies, ſed formales ſuccedunt objectivis; aut, ſi placet, imaginariæ realibus ; ergo.

5. Ibid. can. 3. ſtatuit ſancta Synodus, *ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri* : atqui hæc tum ſpeciei in partes ſeparatio, tum corporis Chriſti ſub ſeparatis ſpeciebus exiſtentia, nihil ſerii habet in Magnani ſyſtemate. An enim ſpecies, pure mentales aliæ ab aliis dividi poſſunt? an ſub hac vel illa ſpecie, quæ a parte rei non eſt, vere & realiter contineri poteſt corpus Chriſti ? an mera mentis appreheñſio, quoddam erit Dominici corpus involucrum?

Addunt aliqui futurum ut in hac hypotheſi conſtanter decipiamur, quia conſtanter, uniformiter & inemendabiliter ſenſationes noſtras referemus ad objectivum quid reſiduum de pane, quod tamen a parte rei non ſubſiſtet. Unde idem tunc contingeret nobis quod ſomniantibus, quos ideo decipi conſtat, quia præſens habere credant, quod tamen procul eſt, ſenſationis ſuæ objectum. Huic tamen argumento haud multum inniti velim ; tum quia Deus, qui non magis inſtanti uno quam pluribus decipere poteſt, multa tamen tam Prophetis quam aliis exhibuit, quæ a parte rei non erant; tum quia facile regeret Magnanus, errorem, ſi quis hic fingi queat, circa accidentia perinde ac circa ſubſtantiam panis emendari a fide.

6. Novum tentavit iter Clariſs. D. Varigno, e Regia ſcientiarum Academia Pariſienſi ; celebris olim in Mazarinæo Collegio Matheſeos Profeſſor. Syſtema hujus geometrico more propoſitum hic referam, quale datum eſt typis an. 1729. En, quæ ſane grandia ſpondet, inſcriptionem ejus, quam alii aliter referunt:

Breve Opusculum quo geometrice demonstratur possibilitas præsentiæ realis in Eucharistia, in principiis Carthesii,

LEMMA I. Cum materia ſit diviſibilis in infinitum, aut ſaltem ultra quamlibet parvitatem ſenſibilem, nulla fingi poteſt portio materiæ ſenſibilis ita parva, ut vario ordine ac diſpoſitione partium ipſius fieri non poſſit quodlibet corpus datum, v. g. ferrum, panis, oſſa, caro, ſanguis &c.

COROLLARIUM I. Ergo quantumcumque parva ſupponatur illa portio materiæ, poterit iis omnibus inſtrui quæ corpori humano conveniunt : ad id enim requiritur ſolummodo, ut partes ejus inter ſe certa ratione diſponantur.

COROLLARIUM II. Ergo nullum corpus fingi poteſt, quod in alterius ſpeciei corpus mutari non valeat ſola hac partium tranſpoſitione.

LEMMA II. Corporis ſtatura homini eſt indifferens. Pueri enim ut Senes, Pygmæi & Gigantes, homines ſunt : & ſi terra ſupponeretur mole æqualis, grano arenæ, ſervarentque homines ad illam, quam nunc ſervant proportionem, homunculi qui talem habitarent terram, eſſent homines ut & nos ipſi; tametſi in hac hypotheſi longe infra quamlibet parvitatem ſenſibilem eſſent conſtituti. Præterea ſi puer, qui eſt unius pedis cum ex utero matris egreditur, poteſt uſque ad ſex pedes creſcere, idem ſemper ſpecie manens, idemque corpus habens, poſſet pariter qui ſextupedalem ſtaturam habet, ad unius pedis parvitatem redigi, nec ideo dici deberet corpus immutaſſe, & eſſe alter homo. Supponatur redigi ad ſextam pedis partem, ad hujus ſextæ partis ſextam partem, ſicque ad infinite parvam infra quamlibet magnitudinem ſenſibilem, erit ſemper idem homo; idemque corpus habebit quod habebat antea.

LEMMA III. Materiæ identitas non requiritur ut corpus humanum ſit idem. Nullus enim eſt homo de quo non dicatur ipſum habere idem corpus, quod primo conceptionis inſtanti ac tempore egreſſus ex matris utero habebat; etſi multi ſint quibus nulla materiæ portio, ne minima quidem ſuperſit ex eis quas a matre traxerunt, & quas clauſi in utero habebant : Inde neceſſitas potus & cibi, ut ſuppeditentur corpori novæ partes loco abeuntium per tranſpirationem : Inde puer Pariſiis educatus idem habet corpus, quod ſi Romæ vixiſſet, habere diceretur, etſi ex diverſis materiæ partibus coaleſcat, diverſiſque utatur alimentis, ex quibus formatur ejuſdem corpus.

COROLLARIUM. Ergo quantacumque ſit diverſitas materiæ in corpore hominis, modo illi eadem anima uniatur, erit hæc qualiſcumque portio materiæ idem corpus humanum, licet reipſa non ſit eadem materia, nec idem corpus generatim ſumptum.

SCHOLIUM. Sic in reſurrectione unuſquiſque in proprio corpore reſurget, licet non cum eadem materiæ portione qua corpus morientis erat conſtitutum : variis enim hominum corporibus una eademque materiæ portio ſucceſſive inſervit; unde inhumata corpora Patrum, decurſu temporis fiunt nepotum præda & alimentum.

LEMMA IV. Conjunctio mentis cum corpore conſiſtit in mutuo commercio cogitationum unius & motuum alterius.

COROLLARIUM. Ergo eadem mens pluribus poteſt ſimul corporibus conjuncta eſſe; cum poſſit cogitationes ſimul habere occaſione motuum qui fiunt in illis corporibus, & illa corpora motus experiri occaſione cogitationum ejuſdem mentis; cujus hæc plura corpora generatim, eſſent

unum,

unum, & idem corpus humanum, cum identitas materiæ ad identitatem corporis non requiratur ex lemmate 3.

Et vero ſi id requireretur jam haberemus plura corpora humana, cum brachia, pedes, caput &c. tam ſint partes a ſe diſtinctæ & realiter plures materiæ portiones, plura corpora generatim, quam illa de quibus eſt quæſtio.

Lemma V. Homo non eſt mens ſola, neque ſolum corpus, ſed mens cum corpore.

Corollarium I. Ergo ut ſit duplex homo, requiruntur corpora duo & duæ animæ, ut ſint tres homines, tria corpora & tres animæ.

Corollarium II. Ergo plura corpora unita eidem animæ (Cor. Lem. 4.) non efficerent plures homines ſed unum hominem.

Corollarium III. Ergo unus & idem homo poſſet ſimul eſſe in pluribus locis abſque reproductione, cum in illis tot haberet portiones materiæ vel corpora generatim ſumpta, quæ eidem animæ unita (Cor. Lem. 4.) efficerent unum corpus humanum; eſſetque ſemper unus & idem homo.

Inde ſi Deus conſervando ſeni corpus ſenile, in quo jam nulla eſt portio materiæ ex iis quas in ortu habebat, primum illius corpus reſtitueret, ideſt mentem ipſius conjungeret de novo cum iis partibus ex quibus conflabatur corpus puerile, ſervando unionem cum partibus ex quibus conflatur corpus ſenile, hæ diverſæ materiæ portiones, etiamſi in diverſis locis exiſterent, eſſent idem corpus humanum, ipſe vero unus & idem homo: non enim fit multiplex corpus humanum, nec multiplex homo, ex eo quod diſtinctis temporibus unum habuerit corpus, & eo amiſſo aliud ſubſtitutum fuerit; ergo nec ex eo quod diſtinctis locis hæc habeat.

Quod dico de ejus puerili corpore, dici poteſt de omnibus portionibus materiæ quibuſcum per totum vitæ decurſum mens ejus fuerit unita: unde in tot locis aderit idem homo, quot voluerit; & licet diverſa ſint illius corpora generatim ſpectata, ideſt, diverſæ materiæ & extenſionis partes, erit tamen ſemper unum & idem corpus humanum.

Propositio. Exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia, qualis ab Eccleſia creditur, eſt evidenter poſſibilis.

Demonstratio. Fingamus (Lem. 1.) unamquamque particulam ultimo ſenſibilem corporis alicujus, v. g. panis, ut totum aliquod, cujus Deus diſpoſitiones interiores mutet, itaut loco panis ſint caro, oſſa, arteriæ, venæ, ſanguis, uno verbo (Cor. 4. Lem. 1.) corpus organizatum, ut ſolet eſſe corpus humanum, in quo eadem ratione fiat ſanguinis circulatio, itaut ſolummodo diſcrepet magnitudine a noſtro.

Inſuper (Corol. Lem. 4.) Deus conjungat his materiæ portionibus organizatis animam cujuſcumque voluerit hominis; hæc profecto ſunt poſſibilia ex præcedentibus: & tamen 1. (Lem. 2. & Cor. Lem. 5.) in ea hypotheſi eſſet unus homo, unum corpus humanum quod eſſet (Cor. Lem. 3.) idem & totum in omnibus locis ſenſibilibus ejus materiæ, quæ antea erat panis.

2. Hæ variæ materiæ portiones a ſe invicem divelli poſſent, nec anima ulla frangeretur, ac proinde corpus humanum quod exurgit (Cor. 2. Lem. 5.) ex illarum unione cum eadem mente non divideretur.

3. Eædem portiones materiæ organizatæ, ſervato inter ſe ex hypotheſi

eodem ordine ſenſibili, quem habebant dum panis erant, eadem ſuperficie ſenſibili excitare debent abſque accidentibus abſolutis eaſdem in nobis ſenſationes.

Si ergo ſupponatur mentem unitam his portionibus materiæ, eſſe animam Chriſti, & vocari Hoſtiam, id ſenſibile quod facta tranſubſtantiatione remanet, erit (Lem. 4.) Chriſtus idem cum eodem corpore humano quod in utero Beatæ Virginis habebat, & in cruce: erit corpus idem (Cor. Lem. 3.) & totum erit ſub eiſdem ſpeciebus panis. Quod de una hoſtia dicitur, de pluribus pari jure dici poteſt.

Ergo exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia qualis ab Eccleſia creditur, eſt evidenter poſſibilis; ſola enim ratione huc uſque ducti ſumus. Quod vero Chriſtus pro noſtri amore voluerit eſſe realiter præſens in Euchariſtiæ Sacramento, ſitque ſub ſpeciebus panis & vini, prolatis a Sacerdote verbis conſecrationis, hoc eſt myſterium quod adeo revelatum clare in Scriptura & in Traditione tenemus; ut ipſi ultro aſſentirentur Heterodoxi, ſi poſſibilitatem agnoſcerent. Hactenus Varigno.

Etſi poſtulat æquitas quædam, ut eos viro doctiſſimo conatus gratulemur, queis oppreſſam difficultatis mole Theologorum mentem reficere molitus eſt, haud tamen ſinit veritatis amor, ut Varignonis ſyſtema gravibus apertum eſſe incommodis, vel potius fidei ſubverſivum diffiteamur. Hæc e multis ſeligemus cum ejus Editore *.

1. Chriſti corpus idem admitti debet, quod e Maria ortum ſit, paſſum in cruce, nunc autem glorioſum in cœlis: atqui non iſtud, ſed diverſum aliud exhibet Varigno. Quod enim admittit ille Euchariſticum corpus, recens efformatur ex partibus panis, quæ conſequenter ad conſecrationis verba organizantur; ergo non exiſtebat idem corpus ante hujus vel illius hoſtiæ conſecrationem; ergo nec unquam puriſſimo Virginis ſanguini unitum eſt, nec in cruce paſſum &c. ergo nec illud eſt corpus quod fides credendum proponit.

Et vero cum corpus ex materia & forma compoſitum ſit, ad identitatem ejuſdem corporis non ſufficit formæ identitas, ſed requiritur & identitas materiæ; neque enim idem eſt compoſitum, ubi ex toto vel ex parte deſunt componentia intrinſeca: atqui in ſyſtemate Mazarinæi Profeſſoris, ineſt quidem Euchariſtico corpori eadem forma (modo tamen hæc in anima ſola reponatur) ſed non eadem vere & ſubſtantialiter materia, quæ vero Chriſti corpori. Tota enim Euchariſtici illius corporis materia eſt panis: porro panis materia a materia corporis e Virgine deſumpti realiſſime diſtinguitur. Sicut ergo ſi mortuo Joanne anima Petri ſubſtantialiter uniretur cadaveri Joannis, novum illud corpus abſurde diceretur idem eſſe corpus, quod a matre ſua accepit Petrus; ſic a pari, ſi organizatis materiæ panis moleculis ſubſtantialiter uniatur anima Chriſti, moleculæ illæ, novis quidem, ſed non ipſis Chriſti organis inſtructæ, nequaquam dici poterunt illud numero corpus quod Chriſtus e beatiſſima Matre ſua deſumpſit.

2. Corpus Chriſti, quod paſſum fuit in cruce, totum eſt & integrum in Euchariſtia; ſecundum id ejuſdem Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, *quod*

* Refutation d'un ſyſteme imaginé par un Philoſophe Carthesien... par M. David Bachelier de la Faculté de Théologie de Paris. Paris chez Bordelet 1719.

Digitized by Google

quod pro vobis tradetur, ideoque totum, quia totum tradetur pro vobis: atqui corpus Chriſti quod in cruce quintupedale erat, totum in Euchariſtia eſſe non poteſt, admiſſo Cartheſiani Varignonis ſyſtemate. Corpus enim quintupedale ad ſpatium acari ſpatio brevius redigi non poteſt; quin multum de extenſione ſua deperdat: atqui juxta Cartheſianos, quantum corpori de extenſione ſua detrahitur, tantum ei de ſubſtantia ſua deperit; ergo tametſi in eo ſyſtemate Chriſtus idem ſupponeretur in Euchariſtia habere corpus, quod habuit in cruce, non tamen integrum habere ſupponi poſſet.

3. Vel omnia hæc corpuſcula organizata, realiter ab invicem diſtincta, diverſiſque in locis exiſtentia, ſingulatim integrum Chriſti corpus efficiunt, vel ſolum collective ſumpta. Si 1. habebit idem Chriſtus corpora numero prope infinita, alia majora, alia minora; quod utrumque ratio & fides pariter horreſcunt. Si 2. ergo corpus Chriſti erit moles aliqua, niſi monſtrum dicere malis, centena oculorum, aurium, ſimiliumque habens millia, augmenti pariter & decrementi capax &c.

4. In Euchariſtia catholica nihil manet de ſubſtantia panis: atqui manere videtur aliquid de panis ſubſtantia, in ea quam expendimus opinione. Se enim apud Varignonem habet panis ad corpus Chriſti, eo fere modo, quo corpus infantis ad corpus ejuſdem ætate provecti: atqui quidquid de tranſpiratione fingatur, nemo erit qui in ſene non admittat idem corpus, quod in puero. Nemo qui neget idem Chriſti corpus affixum cruci fuiſſe, quod de Virgine prodierat; ergo. Unde

5. Euchariſtica converſio vera eſt tranſubſtantiatio, non transformatio mera: atqui in opinione Varignonis mera occurrit transformatio, non tranſubſtantiatio proprie dicta. Ad hanc enim requiritur plena ſubſtantiæ totius mutatio, quoad formam, ut & quoad materiam; cum econtra ad transformationem ſufficiat mutari formam materia remanente: porro apud Varignonem mutatur quidem forma, quia novas recipit configurationes, ſed non materia, quia configurationes illæ eidem, quæ prius erat materiæ, adveniunt; ergo.

6. Ea eſt Euchariſtici myſterii natura ut humanæ rationis captum omnino ſuperet: atqui fugit & vaneſcit ſumma illa incomprehenſibilitas in ſyſtemate Auctoris quem impugnamus. Ecquid captu facilius, quam quod geometrice demonſtratur; ergo vel ipſe Opuſculi titulus, certa eſt ejus confutatio.

Et vero nihil habet ſtupendum magis Varignonæa converſio, quam converſio humoris in ſemen, & ſeminis in corpus organizatum: atqui hæc nullibi inter ſingularia myſteria recenſetur; ergo nec illa jam inter myſteria recenſeri debet.

7. Ut plura omittam, quæ plus darent tædii quam lucis, aliud eſt in Scholis ventilatum ſyſtema Anonymi cujuſdam, quem plures, qua de cauſa neſcio, Illuſt. Fenelonium fuiſſe ſuſpicantur. Sic ille procedit.

Identitas corporis non eſt præciſe repetenda ab identitate principii cogitantis, ut Cartheſio, Callio, & Varignoni viſum eſt; id enim nec fidei, nec ipſi etiam philoſophiæ ſatis congruit: quandoquidem ſi Deus corpus meum deſtrueret, aliique quod in prioris locum illico creaſſet, animam uniret meam, etſi idem homo dici poſſem, non tamen idem habere

corpus, ſeu corpus quod primum a parentibus traxeram. Aliunde ergo petenda identitas corporis: ſed unde? accipito.

Ad identitatem requiritur, ut quæcumque facta eſt in corpore mutatio, hæc facta ſit virtute materiæ primigeniæ, id eſt virtute materiæ illius quæ primum aptata & diſpoſita a parentibus ad ſe quaſi traxit quidquid corpus ſeu per alimenta, ſeu aliter accrementi & virium recepit, traxit, inquam, non eadem ſubſiſtendo, ſed aliam quæ traheret ſibi ſucceſſive ſubſtituendo.

Hinc fatentur omnes corpus Petri ſenile idem eſſe cum corpore ejus infantili: non quia retinet particulam materiæ primum aptatæ & diſpoſitæ in utero materno: natura enim corporis, præſertim humani, in perpetuo fluxu poſita eſt, & ſicut alimenta quotidie in propriam ejus ſubſtantiam convertuntur, ſic & perpetuo effluunt ejuſdem corporis partes, ex etiam quæ plus habent ſoliditatis. Unde ergo habet Petri ſenile corpus quod idem ſit cum corpore ejus puerili? inde profecto quod quæcumque in eo mutatio facta eſt, hæc virtute materiæ primigeniæ facta ſit.

Ergo quantacumque ſit materiæ diverſitas in corpore hominis, erit tamen hæc quæ ſupereſt portio materiæ, idem corpus humanum, modo & ei eadem uniatur anima, & omnis quæ eidem corpori contigit mutatio, facta ſit virtute materiæ primigeniæ.

Jam quod de nobis, idem de Chriſto dicendum: fuere corporis ejus partes ut & noſtrorum in perpetuo fluxu; ſicque in cruce pendens nullam forte habuit partem quam e matris utero traxerit: atqui tamen & ipſo mortis inſtanti habuit corpus quod e ſanctiſſima Matre deſumpſerat. Qui ſic vero: quia quæcumque partes corpori primum aptato in ſinu Virginis additæ fuerunt, & quæcumque alimenta in ejuſdem corporis ſubſtantiam deinceps converſa ſunt, converti & addi debuerunt virtute corporis primum aptati, ſeu virtute primæ diſpoſitionis, & organorum, quæ ipſo conceptionis inſtanti, operante Spiritu ſancto ex puriſſimo Virginis ſanguine compacta fuere. His poſitis ſic diſputat Auctor Anonymus.

Si corpus Euchariſticum ſit in ſententia noſtra corpus idem quod fuit in utero Virginis, ſi ſit vere natum de Maria eodem ſenſu eademque virtute, quibus corpus in cruce pendens, idem erat quod fuit in utero Virginis, & de eadem natum, nihil profecto eſt unde culpari poſſit opinio noſtra & Sacramentum feliciter explicatur: atqui Euchariſticum corpus, idem in ſententia noſtra eſt, quod fuit in utero Virginis, vereque de ea natum eodem ſenſu, eademque virtute quibus corpus in cruce pendens. Ideo enim corpus in cruce pendens, eſt idem quod fuit in utero Virginis, & de ea vere natum, quia Chriſtus virtute primigenia organorum propriam in carnem convertebat alimenta, ſeu quia alimenta ab hac primigenia virtute habuerunt quod fierent Chriſti caro & ſanguis: atqui eodem ſenſu, eademque virtute corpus Euchariſticum fit in hac ſententia caro & ſanguis Chriſti, nimirum virtute primigenia. Scilicet Euchariſticum corpus caro fit & ſanguis a Chriſto proferente conſecrationis verba, quorum virtute organizantur moleculæ panis ultimo ſenſibiles, uniunturque animæ Chriſti ſubſtantialiter, & hypoſtatice divinitati: atqui a primigenia virtute corporis primum ex puriſſimo B. Virginis ſanguine aptati habuit Chriſtus quod ea verba proferret, ut & ab ea virtute habuit quod manducando, alimenta

pro-

Digitized by Google

propriam in ſubſtantiam converteret. Unde ut corpus in cruce pendens, eſt idem a manducatione, quia manducavit; ſic & corpus Euchariſticum eſt idem a loquela, quia dixit : *Hoc eſt corpus meum*; *Verbum* quippe *caro panem verum verbo efficit* ; ergo ſicut corpus in utero Virginis & corpus in cruce pendens non ſunt duo corpora ; ſicut corpus in cruce pendens, natum eſt de Maria Virgine : ita corpus Euchariſticum & corpus in cruce pendens non ſunt duo corpora, ita denique corpus Euchariſticum eſt vere natum de Maria Virgine.

Et vero non minor fuit poteſtas Chriſti loquentis, quam Chriſti manducantis, & utraque illa poteſtas ortum ducebat a materia primigenia : porro ſi Chriſtus, quem præ manibus accepit panem manducaſſet, ſi vinum bibiſſet, more ſcilicet cibi potuſque communis, panis & vinum poſt varias alterationes naturali virtute abiiſſent in carnem, oſſa, nervos, arterias & ſanguinem proprii corporis ; ergo loquendo facere potuit ut panis & vinum in Sacramento ſtatim & ſine mora converſa fuerint in ſuum corpus, & id ſemper virtute materiæ primigeniæ. Hæc Anonymus, qui cetera ad Euchariſtiæ Sacramentum pertinentia eodem explicat modo quo Varignonus. Sed heu ! quid juvant humani conatus, ubi de reſerando Dei ſecreto agitur? Sane, ut olim, ſic hodie *qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria*. Itaque gravibus laborat incommodis præcedens expoſitio.

1. enim iiſdem in homine Cartheſiano qualem ſe Anonymus profitetur, ſubjacet difficultatibus, quibus ſyſtema Cartheſii : hoc autem cum Tridentino vix ac ne vix quidem poteſt conciliari. Quia docere videtur Tridentinum ad minus implicite, perſpicue tamen, 1. corpus Chriſti in Sacramento multum de extenſione ſua perdere, nihil autem de ſubſtantia ſua; 2. partes Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini alias in aliis omnino penetratas eſſe, non autem alias extra alias localiter; 3. corpus Chriſti ſine ſua extenſione ſubſiſtere, nec proin corpus per extenſionem conſtitui; quæ omnia a Cartheſio impugnantur; quod vide Petrum de la Ville fuſe diſſerentem, part. 2. cap. 1. & ſeq. pag. mihi 99. &c.

2. quia idem in Euchariſtia corpus agnoſcit fides quod nunc eſt in cœlis, ut liquet ex allata Patrum traditione : atque id in Anonymi ſyſtemate ſtare non poteſt. Vis enim primigenia, etſi hodie facere poteſt ut corpus hodiernum ſit idem quod heri, non tamen efficere poteſt, ut corpus hodiernum ſit idem cum craſtino ; ejus enim nulla vis eſt in futurum ; ergo ſi efficere potuit ut corpus Chriſti certa die loquentis idem eſſet cum corpore quod e ſanctiſſima ſua Matre hauſerat, haud potuit efficere ut eſſet idem cum corpore ejus prout in futurum glorioſo.

3. quia in eadem expoſitione ne concipi quidem poteſt corpus Euchariſticum eſſe idem quod natum eſt e Maria. Nempe vero ut corpus hominis ſit idem cum corpore quod e matre traxit, requiritur ex Anonymo virtus primigenia, quæ poſterioris, ſi ita loqui fas eſt, cum priori identitatem conſtituat; virtus proinde ei ſimilis qua alimenta mutantur in corpus : atqui in conſecratione ſacerdotali deeſt primigenia hujuſmodi virtus; tum quia Sacerdos, etſi in perſona Chriſti conſecrat, haud tamen profert verba vi materiæ primigeniæ corporis Chriſti, ſed vi materiæ primigeniæ proprii ſui corporis; tum quia ut vis materiæ primigeniæ ſervet identitatem moralem corporis, requiritur ut mutatio fiat modo inſenſibili, &

per aliquam temporis ſucceſſionem, adeo ut ſenſus quaſi idem referant corpus, quod tamen partibus phyſice diſtinctis conſtet: porro Euchariſtica converſio non fit inſenſibiliter, non per aliquam temporis ſucceſſionem; atque ſenſus, nedum id quod referunt, veluti Chriſti corpus referant, ut panem exhibent; ergo nedum difficultates antiquas elevet novum ſyſtema, novas parit, & prioribus graviores.

Merito igitur Nicoleus in præludiis Moralibus tom. 13. n. 83. novas illas opiniones uti verbo Dei, & ſententiæ Patrum minus conſentaneas explodit: atque his piam ſuam objurgationem verbis concludit. *Il eſt certain que l'on peut ètre ſaint en demeurant dans les ſentimens communs de l'Egliſe ..... Tous les gens de bien que nous avons connus, n'en ont pas connu d'autres: mais je ne ſçais ſi l'on peut dire la meme choſe de ces nouvelles opinions; & il eſt bien certain qu'il ne paroit point qu'elles aient ètè ſuivies non ſeulement par aucun Saint, mais par aucune perſonne de piètè eminente.*

8. igitur communis hodie Theologorum opinio docet cum S. Thoma cetera accidentia ſubjectari in quantitate, ſeu extenſione, hanc autem exiſtere ſine ſubjecto.

Lab Tom. 12. p. 46. Probant 1. ex Concilio Conſtantienſi Seſſ. 8. ubi hæc cum 44. aliis *in globo* proſcripta fuit theſis VViclefi, num. 2. *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto*, &c. atqui, inquiunt, propoſitio hæc proſcribi non potuit, quin vera & Catholica foret contradictoria hæc: *Accidentia manent ſine ſubjecto;* ergo.

Nec dicas reprobatam fuiſſe propoſitionem hanc in ſenſu VViclefi, qui tranſubſtantiationem negando, ipſam panis ſubſtantiam accidentibus in ſubjectum aſſignabat. Nam 1. is error jam ſatis reprobatus erat per cenſuram primæ ejuſdem VViclefi propoſitionis: *Subſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis, manet in Sacramento altaris;* 2. quod indefinite damnatur, indefinite falſum eſt; alioqui non ſatis conſultum eſſet fidelibus, queis uti mala exhiberetur theſis, quæ in obvio ſenſu ſit catholica: atqui VViclefi propoſitio proſcripta eſt indefinite; ergo.

Hæc tamen probatio vix ullius eſt momenti; tum quia Cardinalis Petrus de Alliaco, Cameracenſis Antiſtes, qui Conſtantienſi Synodo magna cum laude interfuit, affirmat in 4. Sent. q. 6. a. 3. id unum in propoſitionis hujus cenſura intendiſſe Theologos Conſtantienſes, ut VViclefi errorem profligarent; tum quia moris non eſt ut Eccleſia philoſophicas quæſtiones diſcutiat; tum quia proſcripta quoque fuiſſet prima, quam ſuperius recenſui, Sanctorum multorum opinio; tum quia nec ipſi ſancti Thomæ opinioni parcitum eſſet, is enim, non *accidentia*, ſed ſolum quantitatis accidens facit ſine ſubjecto.

Ideo autem theſim hanc, etiam poſt primæ propoſitionis condemnationem, proſcripſit Synodus, quia damnat Eccleſia, quantum poteſt, id omne quod certis temporibus erroris involucrum eſſe poſſit. Hinc duodecim S. Cyrilli anathematiſmi adverſus Neſtorii errorem, licet in uno veluti puncto conſtitutum. Hinc poſt utramque VViclefi propoſitionem reprobata hæc num. 3. quæ idem effert cum præcedentibus: *Chriſtus non eſt in eodem* altaris *Sacramento identice & realiter in propria præſentia corporali*. Hinc & notatæ tot Queſnelli theſes, quæ unum & idem variis terminis enuntiant.

Pro-

Probant 2. ex citatis paulo ante Concilii Tridentini Canonibus, ubi ſpecies panis & vini poſt conſecrationem manere definiuntur: atqui, ajunt, ſpecies illæ nil aliud eſſe poſſunt quam accidentia abſoluta. Neque enim ſunt eæ vel panis ſubſtantia, cum hæc perierit: vel Chriſti corpus & ſanguis; cum ſpecies ſint ſignum ſenſibile corporis, nihil autem ſui ipſius ſignum eſſe poſſit, vel ſpecies pure mentales; cum eæ & gratis & periculoſe fingantur a Magnano, ut probatum eſt; ergo.

Ab hoc argumento haud difficulter expediet ſe qui S. Anaſtaſii Sinaitæ opinionem tenuerit. Dicet nimirum ſpecies Tridentinas non eſſe quidem Chriſti corpus, ſed ad ipſum pertinere; nihil eſſe cur res ſecundum unam ſui partem, non poſſint ſignum eſſe ſui ipſius ſecundum aliam partem ſpectatæ; quin & fructus qui veno exponuntur, per ſe ipſos ſignificari ut venales.

Longe gravius eſt idem argumentum prout Cartheſianos ferit, ſive ii non aliter loquuntur quam Cartheſius, ſive ſuas ideis Cartheſii ideas jungant, quo ejus ſyſtematis duritiem temperent, prout tentaſſe videntur Gaſſendus, Varigno, &c. Hi enim omnes in eo conveniunt, quod materiæ eſſentiam in actuali extenſione conſtituant, ideoque negent corpus ullum ab alio penetrari poſſe; quibus addunt alii cum Carrheſio & Callio, panis materiam remanere tanquam ſubjectum utrique termino commune; alii cum Varignone organizari materiam panis; alii cum Anonymo, etſi contra citatos modo philoſophos negant ad corporis identitatem ſufficere identitatem principii cogitantis, nullam tamen volunt fieri converſionem, quam virtute materiæ primigeniæ, quæ corpori, cum primo formatum eſt, aptata fuit, & vi cujus corpus ſenis, idem eſt cum corpore ejuſdem olim infantis, licet nulla jam ſuperſit pars materiæ quam a parentibus traxerit. Eæ enim, & aliæ id genus ſpeculationes multo plus a fide diſtant, quam a ratione diſtent accidentia abſoluta: cum ex iiſdem propius inſpectis ſequatur, 1. corpus Chriſti Euchariſticum non idem eſse numero quod in cruce paſſum ſit, aut glorioſum fulgeat in cœlis; 2. idem corpus non eſſe, ſaltem ſeparatione facta, in qualibet hoſtiæ particula ultimo ſenſibili: quandoquidem concipi non poſſit, corpus ad minus quintupedale, nec ſua ſpoliatum extenſione, nec partes habens ſui invicem penetrativas, in ſpatio, quod acaro minus ſit, contineri.

Probant 3. tum ex unanimi ſenſu Theologorum, a quibus in materia tam gravi recedere periculoſum eſt; tum ex Officio corporis Chriſti, a S. Thoma concinnato. Iſtud enim cum ubique Terrarum recitetur, Eccleſiæ propenſionem, ſi non omnino fidem demonſtrat: atqui Officium iſtud inter Euchariſtiæ miracula illud recenſet, quod *Accidentia manent ſine ſubjecto;* ergo.

Obj. 1. Accidens abſolutum repugnat in terminis. Siquidem accidens omne eſt modus rei: atqui implicat quod modus rei non inexiſtat rei; ergo.

R. ad 1. neg. ant. minus enim repugnat accidens abſolutum, quam ignis qua talis non comburens: & hunc tamen admittunt adverſarii.

Ad 2. neg. min. modus enim etſi de ſe exigat inhærere rei, haud tamen rei neceſsario inhæret actu; ſicut humana natura etſi de ſe poſtulat humana terminari ſubſiſtentia, haud tamen ea terminatur in Incarnatione.

Inſt. 1.

Digitized by Google

Inſt. 1. Non magis accidens poteſt actu non inhærere, quam ſubſtantia poſſit actu non ſubſiſtere per ſe: atqui, &c.

R. neg. maj. actualis enim *perſeitas* eſſentialis eſt ſubſtantiæ, non actualis inhæſio accidenti; cum iſti ſufficiat *inalietas* aptitudinalis & radicalis.

Inſt. 2. Si res ita ſit, accidens erit ſubſtantia; quia id ſubſtantia eſt cui convenit perſeitas: atqui abſurdum conſequens.

R. neg. maj. & probationem ejus. Id enim ſolum eſt ſubſtantia quod tam eſſentialiter ſubſiſtit per ſe, ut nec exigat, nec unquam poſſit alteri inhærere tanquam ſubjecto: id autem nec competit, nec competere poteſt accidenti.

Obj. 2. Si extenſio citra ſubjectum exiſtere poſſit, erit ea indifferens ad inhærendum, vel non inhærendum: atqui non poteſt id dici: 1. quia alioqui tam judicari poſſet Orbem univerſum eſſe ingens aliquod accidens, quam non eſſe; 2. quia quod extenſio in Euchariſtia ſit abſque ſubjecto ſingulare eſt miraculum: atqui tolletur hæc ratio miraculi, ſi extenſio indifferens ſit ad inhærendum, vel non inhærendum.

R. ad 1. neg. maj: ſicut enim ignis, etſi Danielem ejuſque ſocios non aduſſit, non poteſt dici indifferens ad urendum, vel non urendum; quia activitas ejus nonniſi ſuſpenſis per inſigne miraculum naturæ legibus coerceri poteſt: ſic nec vere accidens ad inhærendum vel non inhærendum indifferens æſtimari debet; quia de ſe inhærentiam exigit, nec citra prodigium natura majus, eadem inhærentia ſpoliatur. Atque hinc convellitur & ruit utraque majoris probatio. Nihilominus omiſſa ſecunda,

R. ad 1. neg. ant. ut enim judicetur aliquid eſſe accidens, non ſufficit ut metaphyſice loquendo poſſit eſſe accidens, ſed requiritur ut conſtet de miraculo vi cujus ſit accidens, etſi ubique gentium judicetur eſſe ſubſtantia: porro de miraculo, vi cujus creatum quodcumque ſit accidens non conſtat ex Scripturis, ſed econtra; ergo.

Obj. 3. Extenſio panis nihil eſt aliud quam poſitio partium panis extra alias ejuſdem partes: atqui poſitio partium panis extra alias partes non poteſt exiſtere ſine partibus panis; ſicut nec digiti inflexio citra digitum poteſt ſubſiſtere; ergo extenſio panis ſine ſubſtantia panis exiſtere non poteſt; ergo vel remanet panis, quod ad minus Lutheranum eſt, vel periit extenſio, quod Cartheſiani volunt.

R. neg. maj. partes enim panis quatenus diſtinctæ a ſe invicem, concipiuntur ut totidem ſubſtantiæ, aliæ aliis unitæ; extenſio autem concipitur ut modus: porro modus toto cœlo differt a ſubſtantia. Et vero puncta Zenonica, quantolibet numero extra ſe ſe poſita, nunquam dabunt extenſionem, prout hodie docent peritiores Philoſophi. Verum abſit ut diutius in alienas meſſes falcem injiciamus: alio nos graviora vocant.

ARTICULUS TERTIUS.

De modo Præſentiæ realis.

Stabilita Chriſti in Sacramento præſentia ſupereſt ut præſentiæ modum inveſtigemus. Is autem modus vel eſt impanatio, vel conſubſtantiatio, vel tranſubſtantiatio.

Impa-

Digitized by Google

Impanatio eſt, ſeu potius eſſet Unio hypoſtatica Verbi cum pane: adeo ut quemadmodum phraſis iſta: *Verbum caro factum eſt*, intimam humanæ naturæ cum divina Filii perſona conjunctionem ſignificat; ſic & iſthæc: *Hoc eſt corpus meum*, id ſibi velit: *Hic panis per unionem hypoſtaticam eſt corpus meum*.

Conſubſtantiatio eſt, vel eſſet Conjunctio, ſeu conſociatio ſubſtantiæ panis & vini cum ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti: adeo ut is ſit verborum inſtitutionis ſenſus: *Eſt quidem hoc corpus meum & ſanguis meus; ſed non totum hoc eſt corpus meum & ſanguis: cum ſimul haud mutata maneant elementa panis & vini*.

Tranſubſtantiatio eſt Converſio totius ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti.

Jam triplex ille præſentiæ modus ſuos habuit defenſores: 1. enim *Chriſtum quaſi impanatum, ſicut Deum in carne perſonaliter incarnatum* admiſere Berengariani quidam, uti in Prologo Libri de Sacramento corporis & ſanguinis Domini teſtatur Algerus Cluniacenſis. Nec alia mihi videtur fuiſſe mens Callii, de quo ſupra. An autem eadem Ruperti Abbatis Tuitienſis fuerit opinio, ut cenſet Bellarminus Lib. 3. c. 11. an non, ut Gerberonio viſum eſt, paucis infra expendam. Quod ſpectat ad Lutheranos, vix eorum quiſpiam eſt, a quo diſerte tradita ſit impanatio, ſi demas Oziandrum, juxta quem vera eſt iſta propoſitio: *Hic panis eſt Deus;* prout refert Ph. Melancthon Lib. 2. Epiſt. 447. p. 410.

2. pro conſubſtantiatione decertarunt tum Diſcipuli quidam Berengarii, teſte * Guitmundo; tum Lutherus, qui poſt datam ſuis quidquid præſenti de re vellent ſentiendi libertatem; eo tamen in ſuo ad Henricum VIII. Angliæ Regem reſponſo devenit, ut tranſubſtantiationem nihil eſſe minus quam impietatem & blaſphemiam contenderet. Subinde tamen incertus veræ viæ novator, quibuſdam Italiæ Eccleſiis liberam fecit tranſubſtantiationis fidem. Vid. Hiſtor. variat. Illuſt. Boſſueti.

* *Bibl. PP. Tom.* 18. *pag.* 441. H.

3. tranſubſtantiationem tenent & confitentur ceteræ mundi Eccleſiæ; ſed non ſic ut nulla ſit inter earum Theologos controverſia. Diſputant enim tum de fundamento dogmatis hujus, quod alii ex ſola Traditione repetunt, alii etiam ex Scriptura; tum de ejuſdem modo, quem alii in converſione pura, alii in annihilatione panis, & corporis ac ſanguinis Chriſti creatione reponunt; tum de actione per quam corpus Chriſti ſub panis ſpeciebus præſens ſiſtitur, quam alii meram eſſe volunt adductionem, alii reproductionem: quæ poſtrema ſequenti Articulo expendemus. Sit

Conclusio. Admittenda eſt tranſubſtantiatio, ſeu totius ſubſtantiæ panis & vini in Chriſti corporis & ſanguinis ſubſtantiam converſio.

Prob. 1. eodem præſcriptionis argumento, quo jam ſupra in gratiam præſentiæ realis, nec infeliciter uſi ſumus. Nimirum enim cum ſæculo XVI. conſubſtantiationis figmentum primo permittere, tum deinceps inducere voluit Lutherus, tota per Orbem univerſum Eccleſia tranſubſtantiationem velut dogma Catholicum, traditum a Chriſto, & ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus promulgatum ſumma conſenſione profitebatur; ut ex Græcorum ac Latinorum Liturgiis, & evidentibus utrorumque teſtimoniis conſtat: idemque Berengarii temporibus contigerat. Atqui

qui dogma hoc recens in Eccleſia eſse, & contra veterem doctrinam introductum, Adverſarii, ne fucate quidem, oſtendere potuerunt; ergo vel hinc erroris convincuntur, quod opinionem novam obtruſerint.

Prob. 2. ex verbis inſtitutionis: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.* Unde ſic: Verba Chriſti non in alio quam præſentiæ realis ſenſu intelligi poſsunt, ut, cogente evidentia, fatentur Lutherus * & ii quibuſcum congredimur, Impanatores: atqui Chriſti verba ſtatim ut ſimplici realis præſentiæ ſenſu accipi debent, impanationis perinde & conſubſtantiationis ſyſtema funditus convellunt: 1. quidem impanationis. Siquidem, juxta defenſores ejus, propoſitio Chriſti hunc habet ſenſum: *Hic panis per meam cum ipſo unionem eſt corpus meum:* atqui ſenſus ille Chriſti verbis aperte repugnat. Non enim ſolum dixit Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum*, ſed & addidit, *quod pro vobis tradetur;* neque ſolum dixit: *Hic eſt ſanguis meus*, ſed ſubjunxit: *qui pro vobis fundetur:* atqui citra veſanam impietatem dici nequit, vel panaceum corpus pro nobis fuiſse traditum; vel vinaceum quid pro nobis effuſum eſse; ergo.

2. idem realis præſentiæ ſenſus opinionem conſubſtantiationis neceſsario abigit. Nempe vero is eſt, ſecundum conſubſtantiatores, Chriſti propoſitionis ſenſus: *Corpus meum hic eſt cum pane, ſub pane, & in pane; & ſanguis meus cum vino*, &c. atqui Gloſsa hæc non tam eſt divini textus interpretatio, quam ſubverſio omnimoda. Differunt enim eſsentialiter duo iſta: *Hoc eſt corpus meum*, & *hic*, ſeu, *in loco iſto eſt corpus meum;* ſicut demonſtrata arca in qua latitet homo, differunt duo iſthæc: *Hoc eſt homo*, & *Hic eſt homo;* atqui per conſubſtantiatores, *id* & *hic* ſunt unum & idem; ergo divinum textum manifeſte ſubvertunt. Unde Calvinus in refutatione conſenſus Orthodox. fatetur tolerabiliorem hoc in puncto eſse Papiſtarum doctrinam, quam Lutheranorum.

Confirm. 1. Neceſsum eſt, juxta Lutheranos, ut in propoſitione Chriſti pronomen *hoc* non demonſtret ſolum Chriſti corpus, ſed corpus in pane: atqui non poteſt id dici. Alioqui enim admittenda erit in Chriſti verbis ſynecdoche, ſeu figura per quam continens pro contento, aut pars pro toto ponitur; proinque Chriſti verba non in ſenſu naturali, ſed in figurato accipienda erunt: atqui ſi Chriſti verba figuræ ſenſu ſemel accipienda ſint, vicere, aut ſaltem vinci facile non poſsunt Zvvingliani. Dicent enim, nec prorſus inique, metonymiam ſuam nihil habere Lutherana ſynecdoche intolerabilis; quin & verbum *eſt*, ſæpius in Scripturis uſurpari pro *ſigno* rei, quam pro re rem aliam localiter continente.

Confirm. 2. quia in Chriſti propoſitione, ſicut & in omni propoſitione affirmativa vera, debet ſubjectum eſse idem realiter cum prædicato; & termini pro eadem re ſupponere: atqui in Chriſti propoſitione Lutheranice intellecta, ſubjectum non eſt idem realiter cum prædicato, &c. Subjectum enim per *hoc* expreſsum, eſt panis: atqui panis remanens panis, ut manet apud recentiores Lutheranos, nec eſt nec eſse poteſt corpus Chriſti; ergo impoſſibile eſt ut *hoc* ſupponat pro pane, ſeu, ut panis ſit ſubjectum propoſitionis.

Con-

* „ Vellem quod poſſet mihi aliquis perſuadere, nihil eſſe in Eucharistia præter panem & vinum: magno ille me beneficio devinciret; jam ſæpe gravibus curis in hac materia deſudavi; verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta eſt: textus Evangelii nimis eſt apertus. „ *Luther.* Epiſt. ad Argentinenſes.

Confirm. 3 quia etſi in rebus, in quibus ex hominum inſtituto receptum eſt, ut unum per aliud exprimatur, contentum per continens deſignari poſſit; non poteſt tamen id in ceteris fieri. Unde tametſi idonee loquitur, qui oſtenſo dolio, vel monſtrata crumenta: dicit: *Hoc eſt vinum; Hoc eſt aurum;* inepte tamen loqueretur, qui, occulte incluſo in pane auro, diceret: *Hoc eſt pecunia:* atqui, ut jam alibi obſervatum eſt, panis nec ex natura rei, nec ex hominum uſu deſignatus eſt ad ſignificandum corpus Chriſti; ergo niſi ſubverterit Chriſtus uſum & leges ſermonis, fieri non potuit, ut corpus ſuum per panem exprimeret.

Prob. 2. ex Patribus. Nempe vero qui docent ex pane per conſecrationem fieri corpus Chriſti; poſt illam hanc conſecrationem non remanere naturam panis; percipi quidem & renuntiari panem a ſenſibus, at iis haud quaquam credendum eſſe; ac demum panem & vinum mutari, tranſmutari, converti, tranſelementari, tranſire in corpus & ſanguinem; hi dubio procul, niſi aliud ſentire, aliud loqui voluerint, veram admittunt tranſubſtantiationem: atqui Patres hæc omnia exerte & perſpicue docent, ut videre eſt in textibus ſupra pro præſentia reali conſertim adductis. Ecquid aliud ſibi volunt hæc Cyrilli Jeroſol. verba Catech. 4. *Aquam aliquando mutavit* Chriſtus *in vinum; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in ſanguinem ſuum tranſmutavit?* Hæc item Ambroſii Lib. de initiandis c. 9. *Si tantum valuit ſermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit Chriſti ſermo ut ſpecies mutet elementorum? ..... & qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant?* Hæc rurſus Gregorii Nyſſeni Orat. Catechet. c.37. *Panis ſtatim per verbum tranſmutatur, ſicut dictum eſt a Verbo: Hoc eſt corpus meum.* Hæc quoque Chryſoſtomi (quem declamatoriis ſuis orationibus præſentiæ realis fidei occaſionem feciſſe dictitat Albertinus) Homil. 83. in Matth. *Qui hæc dona ſanctificat & tranſmutat, ipſe eſt Chriſtus.* Hæc demum Joannis Damaſc. Lib.4. Orthod. fidei c. 13. *Panis & vinum in corpus & ſanguinem Dei tranſmutantur. Si requiras quonam pacto iſtud fiat, ſat tibi ſit audire, hoc fieri per Spiritum ſanctum; quemadmodum & ex ſancta Dei genitrice Dominus ſibi ipſi carnem aſſumpſit;* ubi miraculum per miraculum explicatur: unde S. Anſelmus Cantuarienſis Præſul Epiſt. 106. Lib.4. *Nec*, inquit, *dubitare debet aliquis, quomodo panis in verum corpus Chriſti convertatur. Itaut panis ſubſtantia non remaneat, cum multa alia non minus miracula videamus.*

Prob. 3. ex Liturgiis omnibus, quæ ut ſcite oſtendit R. P. le Brun in Opere jam citato, orationem continent in qua Sacerdos a Deo poſtulat, ut oblata dona efficiat corpus Chriſti: atqui oratio hæc nude & literaliter inſpecta, prout inſpici debent Eccleſiæ preces, non poſtulat poſitionem corporis Chriſti *in* donis, vel *ſub* donis, ſed ipſorum donorum converſionem in corpus Chriſti; ergo.

Prob. 4. ex Conciliis, quæ ubi primum ſuborta eſt ea de re ſpirituum commotio, non modo realem præſentiam, ſed & tranſubſtantiationem definivere. Sic 1. docuerunt Patres Synodi Romanæ ſub Gregorio VII. *A.* 1079.
panem & vinum ſubſtantialiter converti in corpus & ſanguinem Chriſti. Sic 2. Patres Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. Doctiſſimo Pontifice, *A.* 1215.
Credimus, inquiunt, *ac confitemur, corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri, tranſubſtantiatis pane in corpus, &*

vino

Digitized by Google

vino in ſanguinem poteſtate divina. Sic 3. docuere Theologi Conſtantienſes in relata ſuperius VViclefianæ propoſitionis cenſura. Sic 4. Florentinum Concilium in inſtructione Armenis data: *Verborum Chriſti virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur*. Sic tandem Synodus Tridentina Seſs. 13. Can. 2. his verbis: *Si quis dixerit in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini una cum corpore & ſanguine D. N. J. C. negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini; quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat; anathema ſit*.

Prob. 5. quia tranſubſtantiatio non poteſt rejici, niſi ut impoſſibilis, vel ut verbo Dei contraria: atqui neutro nomine rejici poteſt: Non ſecundo, cum fatentibus Calvinianis, plus congruat illa Scripturæ, quam Lutheranorum conſubſtantiatio. Non etiam primo, tum quia ſi aqua in vinum converti potuit, potuit panis in humanum corpus tranſmutari; tum & præcipue quia faniores Calviniani, ſummæ temeritatis reos pronuntiant, qui vel tranſubſtantiationem, vel *multipræſentiam* unius corporis, divinas excedere vires pronuntiare auſint; ut videre eſt apud Guillelmum Forbezium in Scotia Epiſcopum, in ſpeciali de Euchariſtia Diſſertatione. Conſule tum Librum cui titulus: *Le témoignage des Proteſtans en faveur de la Religion Catholique*, pag. 404. tum Dupinum part. Bibliot. Hæret. pag. 588.

Obj. 1. Ut ex verbis inſtitutionis male inferatur tranſubſtantiatio, ſufficit ut verba hæc ſenſum conſubſtantiationis patiantur, imo & exigant: atqui utrumque conſtat. Primum quidem, quia, fatentibus Scoti diſcipulis *, Chriſtus iiſdem potuiſſet uti verbis, etiamſi una cum corpore ſuo panem dediſſet: ſicut qui vel dolium, vel ferrum candens demonſtrat, poteſt, nec incongrue, dicere, *Hoc eſt vinum; Hoc eſt ignis*. Secundum non minus evidens eſt. Verba enim Chriſti, cum poſtulant ſenſum, qui & perſonarum circumſtantiis, & aliis Scripturæ textibus melius congruat: atqui ſenſus conſubſtantiationis, 1. melius congruit circumſtantiis adſtantium. Hi enim erant Apoſtoli, homines idiotæ, tardique adeo ingenii, ut vix clariſſima quæque intelligerent: atqui bardi id genus homines, qui nec tranſubſtantiationis principiis aſſueti erant, nec didicerant haud eſſe credendum ſenſibus, nec fuerant edocti corporis accidentia a ſubjecto divelli poſſe, nativo quodam impetu judicare debuerunt, panem eſſe id quod panis videbatur; ergo. 2. melius congruit aliis Scripturæ locis. Siquidem I. Cor. 11. Euchariſtia pluries vocatur panis: *Quotieſcumque manducaveritis panem hunc*, &c. *Qui manducaverit panem hunc indigne*, &c. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, &c. Porro propriæ vocum ſignificationi inhærendum eſt, quandiu non evidens urget neceſſitas ut ab ea diſcedamus; ergo. Ita Bechman. Lutheranus, vir Magiſtro ſuo longe moderatior, pag. 992.

* Vide Frassen 2 tom. 4 p. 528.

R. ad 1. neg. min. pro utraque parte. Ad 1. 2. neg. ant. quod peſſime probant allata dolii & ignis exempla. Recte enim candens ferrum populariter ignem vocamus, quia receptum eſt ut ignis dicatur, quidquid profunde omnes ignis proprietates imbibit; neque hic ullum, ſeu in loquen-

quente, doli, ſeu in audiente, deceptionis periculum vereri eſt. Pariter dolium vel lagenam, vinum, crumenam vero argentum dicimus; quia ex communi uſu deſtinantur hæc ad continendum vinum, vel argentum. At vero panis nec ex rei natura, nec ex ſancito uſu deſtinatus eſt ad ſignificandam rem quampiam, tanquam vas aut locus, uti ſupra animadverſum eſt.

Scoto opponimus majorem certe auctoritatem 1. S. Thomæ, qui hic qu. 75. art. 2. contra ponentes remanere panis ſubſtantiam, ſic ait: *Hæc poſitio contrariatur formæ bujus Sacramenti, in qua dicitur: Hoc eſt corpus meum, quod non eſſet verum, ſi ſubſtantia panis ibi remaneret, nunquam enim ſubſtantia panis eſt corpus Chriſti, ſed potius eſſet dicendum: Hic eſt corpus meum;* 2. Guitmundi qui Lib. 3. *Hos*, inquit, *impanatores ſuos ipſe Dominus verbo oris ſui interfecit, cum ...... ait: Hoc eſt corpus meum. Non ait: In hoc latet corpus meum*, &c. 3. Sancti Fulberti Carnotenſis Epiſt. ad Adeodatum, & S. Gaudentii Brixienſis Epiſcopi, qui ex iiſdem Chriſti verbis converſionem ſubſtantiæ unius in aliam colligunt; 4. Trid. Concilii, cujus hæc ſunt verba Seſſ. 13. c. 4. *Quoniam Chriſtus .... corpus ſuum, id quod ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit; ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuo hæc S. Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini, converſionem fieri totius panis in ſubſtantiam corporis Chriſti*, &c. Ubi non modo tranſubſtantiationis veritas, ſed & veritatis hujus fundamentum aperte definitur. Unde qui utrumque poſt Tridentinam definitionem negaverit, hæreſis notam habet a Vaſquezio diſp. 180. c. 4. n. 43. cui non repugnat Gonet hic diſp. 4. art. 1. §. 2. Certe, addictus, ut ſum, Scotiſticæ Scholæ, non ſine dolore vidi, ex recentioribus ejuſdem alumnis eſſe, qui Tridentinum torquere malint, quam a Magiſtro ſuo ante Tridentinum excuſabilius loquente recedere.

Ad 2. 2. neg. rurſus min. pro utraque parte. Ad 1. prob. dico econtra Sanctam Apoſtolorum ſimplicitatem in cauſa fuiſſe cur facilius crediderint; ſeu quia facilius credunt, qui minus difficultatum vident, minuſque philoſophantur; ſeu, quia qui cum ſimplicibus ſermocinari amat Deus, potentiori eos fidei gratia corroborat, ſecundum id Chriſti apud Matth. 11. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Et vero indubie credebant Apoſtoli tres eſſe in Deo perſonas, ex iis unam, quam ſingulis diebus viderent, ſedere in cœlis, eamque, licet eſſet Patris ſplendor, ſaturatum iri opprobriis, & in cruce morituram. Hæc qui propter Magiſtri ſui auctoritatem credunt, an ei, ſuum ſe corpus in pabulum dare aſſerenti credere diffitebuntur? unde neg. min.

Ad id quod addit Bechman. R. Euchariſtiam dici panem, quia & panis ſpecies exhibeat, & ex pane confecta ſit, quo ſenſu ſerpens ex virga factus, virga dicitur; & cæci vocantur qui videbant, quia ante fuerant cæci. Noſtram porro hanc interpretationem neceſſario tenendam eſſe credimus, 1. quia Scripturæ verbis litteraliter intellectis ſola congruat; 2. quia a ſanctis Eccleſiæ Doctoribus tradita ſit: eos autem pene omnes, niſi omnes prorſus, deviaſſe a vero aſſerere durum eſt, teſte Luthero in cap. 6. Geneſ. nec durum modo, ſed intolerandum. *Luther. tom. 6. fol. 100.*

Obj. 2. Idem ſit de ceteris Patribus judicium ac de Chryſoſtomo, Theo-

Theodoreto, Gelaſio Papa, & Ruperto Abbate Tuitienſi: atqui hi omnes tranſubſtantiationem negarunt.

R. 1. neg. maj. neque enim ſi tres quatuorve Patres minus recte locuti ſint, ideo cauſa nobis cadendum erit; cum traditio, non ab uno aut altero Scriptore, ſed a moraliter unanimi Doctorum conſenſu repetenda ſit.

R. 2. neg. min. negata ratio quoad Chryſoſtomum & Theodoretum liquet ex dictis ſupra jam de Gelaſio & Ruperto. Supra p. 218. & 219.

Inſt. Gelaſius Lib. de duabus naturis contra Eutichem, hæc loquitur: *Certe Sacramenta quæ ſumimus corporis & ſanguinis Domini, divina res eſt ... & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini*, & paulo infra: *Sicut* Symbola ſacra *in divinam tranſeunt, ſancto Spiritu perficiente, ſubſtantiam, permanente tamen in ſua proprietate natura; ſic illud myſterium principale* Incarnationis ..... *ex quibus conſtat proprie permanentibus, unum Chriſtum, quia integrum verumque, permanere demonſtrant*. Ex iis ſic: Nulla eſt tranſubſtantiatio ubi plene remanet ſubſtantia panis: atqui, ex Gelaſio, remanet hæc plene in Euchariſtia poſt conſecrationem. Remanet nimirum ſicut in Incarnatione manent integræ Dei & hominis naturæ: atqui, &c. Albert. pag. 858.

R. 1. non conſtare inter eruditos an Liber de duabus naturis ſit Gelaſii fœtus. Negant id, nec futilibus de cauſis, Melchior Canus, Bellarminus, tum Lib. 2. de Euch. c. 27. tum in Lib. de Scriptorib. Eccleſ. Baronius, aliique complures. Verum quia ex adverſo pugnant, non modo Heterodoxi, ut Albertinus, Guillel. Cave, &c. ſed & ſecurioris critices viri, Chiffletius in notis ſuper Ferrando, Sirmondus Præfat. in Opuſcula Euſebii, Petavius Lib. 3. de Incarn. cap. 2.

R. 2. diſt. min. remanet ſubſtantia ſeu natura panis, ideſt panis proprietates, C. ideſt, panis natura tota & completa, N. Jam monuimus pluries ſubſtantiæ nomen ſæpius apud Veteres ſumi pro ſolis rei proprietatibus. Si ergo probabile ſit naturæ nomen latiori hoc ſenſu ſumptum fuiſſe a Gelaſio; nec probari certo poſſit ſumptum id ſtrictiori ſenſu, nihil eſt jam unde ex Gelaſio triumphent Novatores: atqui 1. probabiliſſimum eſt naturæ nomen in latiori ſignificatu apud Gelaſium venire; tum quia nemo ſine gravi cauſa a communi Doctorum ſui temporis ſenſu recedere præſumitur: porro trita erat Gelaſii tempore Euchariſtiæ fides, ut ſuo loco evicimus; tum quia ex Gelaſio ibid. Symbola ſacra *in divinam*, operante id Spiritu ſancto, *ſubſtantiam tranſeunt*, adeo ut qui ea percipiunt, divinæ fiant conſortes naturæ: ubi autem res in aliam tranſit, ibi eſt ejus in aliam converſio; 2. nec certo probare poſſunt adverſarii, nomen ſubſtantiæ ſtrictius ſumptum fuiſſe a Gelaſio: cum id non magis exigat Gelaſii Scopus, quam Theodoreti, de quo fuſe ſupra; ergo.

Saltem, inquies, impanationi præluſit Rupertus.

R. id tametſi conceſſum a non paucis, negari a pluribus, & ab omnibus negandum, 1. quia Rupertus Lib. 6. in Joan. hæc loquitur: *Verbi inviſibilis divinitas* panem viſibilem *aſſumens, in carnem ſuam transfert;* & ideo *vere & catholice confitemur, quia corpus Chriſti eſt;* 2. quia ibid. Lib. 7. *Crede & hoc*, inquit, *quia panis ille viſibilis, & vinum, quamvis nihil de exteriori ſpecie mutatum ſit, in alium tranſierint, & in illum cibum, potumque converſa ſint, qui Angelorum victus eſt:* porro ipſa eſt Chri-

Chriſti caro, cujus intuitu, & ſpirituali guſtu paſcuntur Angeli. Et rurſus: *Ipſe panis cœleſtis panem terrenum nobis dat ... quem in carnem ſuam tranſmutat*; 3. quia ibid. paulo poſt: *Quod ſi quis quærat quomodo panis, qui hos anno creatur, corpus Chriſti* FIT, *quod in cruce pependit, & vinum, quod præſentibus expreſſum eſt acinis, ille ſanguis ejus* FIT, *quem de latere ſuo fudit: interrogemus eum, quomodo Filius hominis, qui utique de femina conceptus eſt, de cœlo deſcenderit*; 4. quia jam ab Operis hujus initio, nimirum in Epiſtola nuncupatoria ad Canonem Abbatem, poſtquam teſtatus eſt Rupertus ſe Berengarianis bellum indicere, ſic concludit: *Credamus fideli Salvatori Deo in eo quod non videmus, ſcilicet panem & vinum in veram corporis & ſanguinis tranſiiſſe ſubſtantiam*; 5. quia Lib. 3. in Exod. c. 10. *Unuſquiſque*, ait, *credat per ea* conſecrationis *verba, panem & vinum, exteriori ſpecie non mutata, transferri in veram viventis corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam*. Mitto alia id genus plura, in quibus cum Tuitienſis non aliter loquatur quam Patres, & non ſecus ac ipſi, doceat panem verti, converti, tranſire, tranſmutari in corpus & ſanguinem Redemptoris, mirum ſi vel luſcus oculus in eo torvi quid & ſiniſtri deprehendere poteſt.

Dices 1. Docet Rupertus, *in illum, in quo fides non eſt, præter viſibiles ſpecies panis & vini, nihil de ſacrificio pervenire*: id autem cum realitate pugnat.

R. diſt. docet in illum.... nihil de ſacrificio, ideſt de fructu ſacrificii pervenire, C. nihil, ideſt eum reipſa non recipere corpus Chriſti, N. quemadmodum igitur Auguſtinus, dum dixit, eum *qui diſcordat a Chriſto, non manducare carnem ejus*, non ideo ſenſit impios haud recipere carnem Chriſti; ſic nec id ob citata verba credidiſſe cenſendus eſt Abbas Tuitienſis. Certe manducationem, quæ fide ſola fiat, diſerte excludit Lib. 3. de operibus Spir. ſancti, ubi ſic: *Putaverunt* nonnulli Auguſtinum *dixiſſe, quod non ſit corpus aut ſanguis Chriſti, quod indignus quiſque percipit*:... *Hoc ille non dixit, imo hoc ille non ſenſit: neque enim Chriſto contrarius eſſe conſuevit*. Subjungit ibid. Rupertus vulgatum id Apoſtoli: *Quicumque manducaverit panem Domini indigne, &c.*

Dices 2. Rupertus Lib. 6. in Joan. hæc habet: *Verbum jam dudum caro factum panis viſibilis fit, non mutatum in panem, ſed aſſumendo, & in unitatem perſonæ ſuæ transferendo panem. Proinde ſicut de carne noſtra, quam Virgo Maria peperit, vere fatemur propter unitatem perſonæ, quia Deus eſt; ſic de pane illo viſibili, quem ejuſdem verbi inviſibilis divinitas aſſumens, in ſuam carnem transfert: vere & catholice confitemur quia corpus Chriſti eſt*: ubi, ſi quid, certe impanationem docet Rupertus.

R. diſt. juxta Rupertum aſſumit Chriſtus panem, eum in carnem ſuam transferendo, C. uniendo ſe pani, qui panis maneat, N. ſi enim panem qui maneret panis, aſſumeret Chriſtus, jam eum non tranſmutaret in carnem ſuam, ut toties docet Rupertus.

Inſt. 1. Rupertus ibid. Lib. 7. *Sicut*, inquit, *Deus & homo unus eſt Chriſtus, ſic & iſte panis viſibilis conſecratus, cum illa carne quæ pependit in cruce, una caro eſt, unum & Chriſti corpus*: atqui panis, niſi maneret ut antea, non poſſet eſſe cum carne unum Chriſti corpus; ergo.

R. neg. min. in ſenſu Ruperti. Is nempe eo loci, & alibi pluries duo probanda ſuſcipit, 1. Chriſtum non habere aliud corpus in cœlo, aliud

Digitized by Google

in altari, ſed unicum, quod utrobique idem ſit; 2. Chriſtum non frangi, *quoties hic panis in menſa frangitur*. Utrumque ut demonſtret, docet 1. panem viſibilem eſſe unum corpus, unam carnem cum carne quæ in cruce pependit; 2. in hoc tamen pane carne facto non *mutari ſpeciem exteriorem*, quæ proin frangi poſſit, non fracto corpore: atqui in his nihil eſt quod tranſubſtantiationi adverſetur, nihil imo quod tranſubſtantiationem non ſupponat. Unde non dicit Rupertus panem *ſimul eſſe cum carne*, ſed *eſſe unum cum carne* quæ cruci affixa eſt. Qui vero unum eſſe poſſit cum carne iſta, niſi quia in eam converſus ſit, ut ſexcenties canit Rupertus.

Inſt. 2. Rupertus Lib. 2. in Exod. c. 10. ut probet Spiritum S. *non deſtruere vel corrumpere ſubſtantiam, quamcumque ſuos in uſus aſſumit, ſed ſubſtantiæ bono permanenti quod erat inviſibiliter adjicere quod non erat*, affert exemplum tum *Incarnationis*, *in qua naturam humanam non deſtruxit Deus*; tum Euchariſtiæ, *in qua ſubſtantiam panis & vini ſecundum exteriorem ſpeciem non mutat aut deſtruit, cum Verbo in unitatem corporis ejuſdem quod in cruce pependit, & ſanguinis ejuſdem quem de latere ſuo fudit, iſta conjungit*: atqui admiſſa tranſubſtantiatione deſtrueretur ſubſtantia panis.

R. neg. min. in ſenſu Ruperti, juxta eum enim id dicitur deſtrui, quod in nihilum redit, non id quod mutatur in melius. Sic enim loquitur Lib. 2. in Joan. *Dominus, nec de nihilo vinum quo convivas lætificaret, nec de nihilo panem fecit, quo turbas ſatiaret .... ſed exiſtentia in majus & melius provexit*, & iterum: *Panis & vinum, utrumque ab imo ſublevatum fit corpus & ſanguis Chriſti, non mutatum in carnis ſaporem, ſed aſſumendo inviſibiliter, utriuſque, divinæ ſcilicet & humanæ, quæ in Chriſto eſt, immortalis ſubſtantiæ veritatem*. Vide Opus inſcriptum, *Apologia Ruperti*, Auctore Gabr. Gerberon, qui utinam non aliis quam Ruperti, toto vitæ ſuæ decurſu, apologiis incubuiſſet.

Obj. 3. Ad Sacramentum omne requiritur elementum viſibile, externum, & quod certo ritu tractari poſſit: atqui admiſſa tranſubſtantiatione deeſt S. Cœnæ hujuſmodi elementum. Minor patet; quia accidentia panis non ſunt elementum corporeum, quod externo ritu tractari
Tract. 89 in Joan. poſſit. Prob. itaque maj. ex vulgato Auguſtini textu: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Ita Bechman. cui, utpote Lutherano, una credendi lex eſt verbum Dei; & qui tamen inpræſentiarum nihil probat ex verbo Dei.

R. ad 1. neg. maj. in ſenſu Auctoris; quia Sacramentum requirit equidem ſignum ſenſibile: at non requirit neceſſario ſignum quod ſubſtantia ſit. Nec contrarium docet Auguſtinus, qui vel elementi nomine intelligit id omne quod ſenſus afficit, vel Sacramentum ſpectat *in fieri*, quo ſenſu ipſa etiam Euchariſtia ſubſtantiale elementum requirit.

Et vero, cum hilaræ mentis erat Lutherus, non ægre ferebat tranſubſtantiationis dogma. An ergo *Beatus vir*, ſic enim audit apud ſuos, id admitti tuliſſet, unde ſequeretur Sacramenti omnium præſtantiſſimi jactura?

Obj. 4. Illud dogma admitti non debet, quo ſemel inducto nutat Religio Chriſti: atqui admiſſa tranſubſtantiatione .... Tunc enim nutat Chriſti Religio, quando convellitur certitudo canalium, quibus ſolis eadem Religio advehi poteſt: atqui per tranſubſtantiationem convellitur ..... Nimirum canales illi ſunt ſenſus, quorum ope Evangelium exce-

perunt,

perunt, ac tranſmiſerunt Apoſtoli, & ad quos remiſit ipſe Chriſtus, cum ait: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet:* atqui omnis ſenſuum certitudo per tranſubſtantiationem convellitur. Tunc enim convellitur omnis ſenſuum certitudo, cum credendum eſt aliud omnino quam idem ſenſus bene diſpoſiti conſtanter & uniformiter renuntient: atqui poſita tranſubſtantiatione ...... Siquidem ſenſus conſtanter & uniformiter renuntiant in Euchariſtia eſſe panem: atqui tamen tranſubſtantiatione admiſſa credendum eſt non eſſe; ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. diſt. ſenſus ſunt canales Religionis amplectendæ, tranſeat; ſufficit enim auditus, nec requiruntur ſenſus ceteri: ſunt canales Religionis ſemel amplexæ, ſubd. ſunt canales, niſi reſiſtat quæ jam tenetur Religio, C. ſi reſiſtat, vetando ne ſenſibus habeatur fides, N. itaque *fides ex auditu;* unde ut quis ad Religionem adducatur, neceſſe eſt ut audiat, 1. eſſe Deum mundi conditorem; 2. velle Deum hunc certis ritibus coli; 3. legitimum Dei colendi ritum in una ſolum Catholica Religione inveniri; 4. probari id evidenter, tum ex miraculis quibus eadem Religio confirmata fuit; tum ex dogmatum ejus ſanctitate; tum ex numero, ſcientia, conſtantia, & pietate defenſorum ejus. Huc uſque nihil eſt unde vereri ſit ne ſenſus illudant; nec ulli hactenus in mentem venit Gentili, fieri poſſe ut non audiat, quæ audit. Jam vero ſi ſemel ei Deus aperiat cor, ut Evangelico Præconi credat, non eſt quod circa Euchariſtiam ſibi illudi queratur; quia quidquid hic erroris fingi poteſt, per prævia Religionis monita emendatur. Imo quandoque ſufficere poſset ſubſequens admonitio, qualem ſolum habuere, ſeu eorum plures quibus in veteri Teſtamento Angeli ſub humana forma apparuerunt; ſeu Magdalena, cum vidit Dominum ſub hortulani ſpecie; ſeu Diſcipuli Emaus, cum eumdem ſub facie peregrini conſpexere. *Rom. 10.*

Ceterum, ut ſolide animadvertit, qui difficultatem hanc fuſiori calamo verſat, vir clariſ. Gabriel Muſſon, e Regia Societate Pariſienſis Doctor, quidquid hac in parte objiciunt Sacramentarii, idipſum olim Patribus objecere modicæ fidei Chriſtiani. *Aliud video*, dicebant illi apud Ambroſ. Lib. de initiand. cap. 3. n. 5. *quomodo tu mihi aſſeris quod corpus Chriſti accipiam?* Ad hæc autem quid S. Doctor, unum id, *Benedictionis vim majorem eſſe natura, quia benedictione etiam natura mutatur*, proinque cum Chriſtus loquitur, ei, non ſenſibus credendum eſſe. *Maſſue Tom. 3. pag. 223.*

Quamquam, & id cum bona veteris philoſophiæ venia dictum ſit, ſenſus nunquam fallunt: *Non enim*, ait Auguſtinus Lib. de vera Relig. c. 33. n. 62. *renuntiare poſſunt animo niſi affectionem ſuam. Quod ſi non ſolum ipſi*, oculi, *ſed etiam omnes corporis ſenſus ita renuntiant ut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus ignoro ..... Si quis remum frangi in aqua opinatur, & cum inde auſertur integrari, non malum habet internuntium, ſed malus eſt judex. Nam ille pro ſua natura non potuit aliter in aqua ſentire; nec aliter debuit: ſi enim aliud eſt aer, aliud aqua, juſtum eſt ut aliter in aere, aliter in aqua ſentiatur. Quare oculus recte* videt, *ad hoc enim factus eſt ut tantum videat, ſed animus perverſe* judicat. Hoc autem præceps animi judicium, ſi ſingulis diebus circa rerum colores, aquæ motum, auri, vel *auriſimilis* ſubſtantiam coerceri debet, quidni ſemel in materia fidei *Tom. 1. pag 769.*

X 2 coer-

coerceri poſſit. *Nos ergo*, ait iterum Auguſtinus Lib. 11. de Civ. Dei, c.
Tom. 7 27. *ea ſenſu corporis ita capiamus, ut de his non ſenſu corporis judicemus. Habe-*
pag. 293. *mus enim alium interioris hominis ſenſum iſto longe præſtantiorem* ...... *Ad hu-
jus ſenſus officium non acies pupillæ, non foramen auriculæ, non ſpiramenta na-
rium, non guſtus faucium, non ullus corporeus tactus accedit*.

Inſt. Teſtimonium unius tantum ſenſus, ceterorum ſimul ſumptorum teſtimonio prævalere non debet: atqui ſi, ut juxta nos eſt, auditui ſolo credendum ſit, prævalebit ſenſus unius teſtimonium teſtimonio ceterorum omnium; itaut cum Ritmo D. Thomæ dicendum ſit: *Viſus, guſtus, tactus, in te fallitur, ſed auditui ſolo bene creditur*.

R. cum citato ſupra Navarrico Doctore, diſt. maj. teſtimonium unius ſenſus præciſe ſumpti, non debet prævalere, C. teſtimonium unius ſenſus verbo Dei innixum, N. Itaque ſi ſolus auditus referret in Euchariſtia non eſſe panem, prævaleret indubie ceterorum contra ſenſuum aſſertio: verum ſi auditus teſtimonium ipſo Dei verbo ſtipatum ſit, non magis audiendi ſunt ſenſus alii, quam contra cetera Religionis myſteria audienda ſit humana ratio. Sicut ergo Socinianos contra Trinitatem, vel originale peccatum ratione dimicantes, verbo Dei propulſat Lutheranus; ſic & ipſe ferat ut eum nos ex ſenſibus temere argumentantem, Dei verbo retundamus.

Bene eſt, inquies, ſi conſtet Deum eſſe locutum: atqui poſita tranſubſtantiatione jam conſtare nequit Deum eſſe locutum. Qui enim per quatuor ſenſus, panem ubi non eſt panis conſtanter renuntiantes falli potuerunt, a fortiori falli potuere per unum ſenſum, Dei verba obiter & tranſitorie dicta referentem: atqui poſita tranſubſtantiatione potuerunt Apoſtoli, poſſumus & nos per quatuor ſenſus falli, &c.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. tanquam quæ falſa multa ſupponat. Supponit enim 1. ſenſus fallere, quod falſum eſſe invicte demonſtrat Auguſtinus in textu paulo ante adducto. Supponit 2. ſenſus, ſi forte fallendi capaces ſint, fallere efficaciter in Euchariſtia, quod rurſus falſum eſt, quia deceptio hæc per fidem impeditur. Supponit 3. vel potius expreſſe docet, fieri poſſe ut Deus illudat in omnibus, quia in quibuſdam illudit, ſi tamen illudit, qui verbo ſuo prævertit illuſionem; & id injurium eſt divinæ bonitati. Unde quia in uno ubi error obrepere poſſit, monet ne ſenſibus credamus, in ceteris ubi nihil tale monet, approbat ut ſenſuum teſtimonio, omnibus tamen mature inſpectis, fidem habeamus. Id vero ſi permittit in naturalibus, quanto plus in iis, quæ ipſe in virtute multa & brachio extento confirmare ſatagit?

Et vero qui panis accidentia vident in Sacramento, vel ſunt fideles, vel infideles. Si 1. non falluntur, quia ex verbo Dei & Eccleſiæ judicio didicerunt, non ſubeſſe his accidentibus ſubſtantiam panis, ſed corpus Chriſti. Si 2. vel Eccleſiæ fidem ſibi ſatis propoſitam rejecerunt, & tunc vitio ſuo falluntur, vel nihil de myſterio altaris audierunt; & tunc nonniſi ex myſterii ignorantia decipiuntur: ſicut ſimpliciter ex ignorantia decepti fuere, qui Angelos ad perdendam Sodomam miſſos pro hominibus habuere, aut qui Chriſtum in Caſtellum Emaus euntem judicarunt eſſe peregrinum.

1 Timot. 6. 20. Obj. 5. Jubet Apoſtolus vitari profanas vocum novitates: atqui tran-

tranſubſtantiationis vox nova eſt, cum ante Concilium Lateran. IV. nullibi reperiatur; ergo.

R. 1. retorq. jubet Apoſtolus, &c. atqui vox impanationis, vel conſubſtantiationis multo magis nova eſt; nec certe reperitur in Scriptura, vel Traditione; ergo.

R. 2. diſt. min. nova eſt quoad terminum ipſum, C. quoad rem termino ſignificatam, N. Itaque ignotum diu fuit tranſubſtantiationis nomen, quia diu ignotus fuit error eo nomine opprimendus: at ſuborta ſemel, ſummo Eccleſiæ malo, Sacramentariorum hæreſi, non minus licitum fuit eamdem tranſubſtantiationis vocabulo retundere, quam olim Nicænis vel Epheſinis Patribus licitum fuerit, Arii & Neſtorii novitates, per Omouſios & Teotocos nomina debellare. Unde hic recurrit quod in ſuo de Synodis Libro ajebat Hilarius: *Inane eſt calumniam verbi pertimeſcere, ubi res ipſa cujus verbum eſt, non habeat difficultatem.*

Obj. 6. Ex dogmate tranſubſtantiationis ſequitur 1. corpus Chriſti fieri ex pane; 2. & conſequenter idem corpus quotidie generari per conſecrationem; 3. & per eam a Sacerdote produci hominem Deum; 4. corpus Chriſti in Euchariſtia non illud eſſe quod fuit in utero Virginis & in cruce: corpus enim quod cruci affixum eſt, ex Virginis ſubſtantia, non ex pane factum fuit: atqui hæc totidem ſunt abſurda.

R. ad 1. diſt. ſequitur corpus Chriſti fieri ex pane, ut termino *a quo*, C. ut materia componente, N. poſtremum hoc admittit Callius: primum admittunt cum Patribus Catholici omnes: neque id magis abſurdum habent, quam vel ex virga ſerpentem, vel ex vino aquam fieri: qui enim duo hæc operari potuit, aliquid ultra operari poteſt.

Ad 2. neg. maj. nam fit equidem corpus Chriſti præſens in Sacramento, ſed non generatur. Generatio enim fit ex materia, quæ non ſolum præexiſtat, ſed & intrinſece componat id quod ex ipſa genitum eſt: porro corpus Chriſti non coaleſcit intrinſece ex pane.

Ad 3. diſt. producitur Chriſtus ſecundum carnem, ſecundum quid & cum addito, quia nimirum fit localiter præſens ubi non erat, C. abſolute & ſimpliciter, N. quod enim jam exiſtit, ſimpliciter & abſolute produci non poteſt.

Ad 1. 4. neg. ant. ad 2. jam dixi Chriſti corpus non eſſe ex pane, niſi ut termino *a quo*; porro quod eſt a pane ut a termino, eſſe poteſt, & revera eſt ex Virginis ſubſtantia ut intrinſecus componente.

ARTICULUS QUARTUS.

Expenduntur difficultates variæ circa dogma Catholicum.

QUæ pluribus olim expendebant Theologi, hæc hodie ut gravioribus incumbant, leviter carpunt. Hanc nos methodum, ut ſeria Theologia dignam magis, impendio ſequemur.

Quæres itaque 1. quanam actione corpus Chriſti ponatur ſub accidentibus panis.

Certum eſt 1. corpus Chriſti ſub Euchariſticis ſpeciebus conſtitui per aliquam actionem, non vero per meram relationem ſucceſſionis unius

ſubſtantiæ in locum alterius: 1. quia mera hujuſmodi ſucceſſionis relatio concipi poteſt ſine actione, quæ convertat panem in corpus Chriſti: poſſet enim corpus ſuccedere pani etiam non deſtructo, ut aer aeri ſuccedit: atqui tranſubſtantiatio concipi non poteſt ſine actione, quæ panem convertat in corpus Chriſti. Unde tranſubſtantiatio vocatur a Patribus tranſelementatio, mutatio naturarum, &c. ergo. 2. quia ſi tranſubſtantiatio non ſit niſi ſubſtantiarum ſucceſſio, dicendum erit corpus Chriſti converti in vermes; quia tunc ſubſtantia ſubſtantiæ ſuccedit: quodque id fiat ſine verbis, nihil ad rem attinet; cum verba ad converſionem non ex natura rei, ſed ex Dei voluntate ſint neceſſaria: porro abſurdum conſequens. Unde

Certum eſt 2. actionem hanc eſſe veram converſionem. Converſio enim definitur tranſitus rei unius in aliam: atqui talis tranſitus reperitur in Euchariſtia; ubi panis tranſit in corpus Chriſti. Et vero ad converſionem proprie dictam requiruntur eæ conditiones, 1. ut aliquid deſinat eſſe; non enim poteſt in aliud converti, niſi ceſſet id eſſe quod erat; 2. ut aliquid fieri incipiat: patet id tum a contrario; tum quia ſi ubi unum deſinit, non inciperet aliud, jam eſſet corruptio, vel potius annihilatio, non autem converſio; 3. ut aliqua ſit connexio & dependentia inter deſitionem unius, & alterius inceptionem, itaut unum deſinat, quia incipit aliud; vel quod in idem recidit, itaut vi inceptionis unius fiat alterius deſitio: alioqui jam non erit actio una quæ converſio dici poſſit, ſed actiones duæ totales, quarum una erit annihilatio, alia autem creatio; 4. ut terminus a quo, & terminus ad quem ſint poſitivi; & ſic proprie a creatione & annihilatione differt converſio. Addunt plures conditionem quintam, nempe ut perſeveret aliquid utrique termino commune, reſpectu cujus id quod incipit, ſuccedat ei quod deſinit. Verum conditio hæc non videtur aliis neceſſaria; quia, inquiunt, ſi Deus totam panis ſubſtantiam cum accidentibus in corpus Chriſti transferret, nullum daretur tertium utrique termino commune; nec tamen deſineret reperiri vera converſio. Ut ut eſt, vel primo intuitu patet, ne unam quidem e prædictis conditionibus Euchariſticæ mutationi deeſſe. His præmiſſis,

Genet diſp. 4. art. 2.

Duplex eſt potiſſimum de propoſita quæſtione in Scholis opinio. Prima Scotiſtarum, qui tranſubſtantiationem reponunt in adductione. Eſt autem adductio hæc, Actio per quam corpus Chriſti in cœlo exiſtens, abſque nova productione fit præſens ſub Euchariſticis ſpeciebus, & ſub ipſis novum *ubi*, ſeu novam localem præſentiam acquirit, abſque eo quod localiter moveatur, & a priori loco recedat. Secunda, quæ Thomiſtarum eſt, tranſubſtantiationem conſtituit in reproductione, ideſt in productione nova corporis Chriſti, non quidem ſimpliciter, ſed ſub ſpeciebus Euchariſticis. Id enim, ait Yſambert ad qu. 75. diſp. 3. art. 3. reproduci dicitur, quod idem numero, penes materiam, formam & utriuſque diſpoſitiones, habet eſſe repetitum ſeu geminatum in alio, vel in pluribus locis. Jam

R. 1. non ſufficit ad tranſubſtantiationem adductio Scotiſtica. Aliud eſt enim tranſubſtantiatio, aliud locatio, ſeu nova rei in loco ubi non erat poſitio; cum prima importet converſionem ſubſtantiæ unius in aliam,

non

non ſecunda: atqui adductio, non dicit niſi locationem novam, non vero converſionem. Fieri enim poteſt ut res adducta, puta corpus Chriſti, præſens ſit ſacramentaliter cum pane; ſicut & ei præſens eſſe poteſt Angelus; ergo adductio præciſe ſumpta non facit ut terminus *ad quem*, ſcilicet Chriſti corpus, ſit incompoſſibilis cum termino *a quo*, ideſt pane; ergo nec eadem adductio ſufficit ad tranſubſtantiationem.

Nec dicas cum Bellarmino, panem cum corpore Chriſti incompoſſibilem eſſe ex intentione Dei, panis ſubſtantiam deſtruere volentis. Nam in vera converſione incompoſſibilitas utriuſque termini non oritur ex Dei voluntate, ſed ex ipſa rerum natura. Alioqui id omne quod Deus ponere vellet poſt aliud deſtructum, diceretur poſitum per converſionem, quod falſum eſt. Si enim deſtructo Joanne ponatur Paulus, non ideo Joannes in Paulum converſus dicetur.

Confirm. theſis: In Euchariſtica tranſubſtantiatione verificari debet propoſitio iſta: *Hoc eſt corpus meum*: atqui per ſolam novæ præſentiæ localis productionem verificatur ſolum iſthæc: *Hic eſt corpus meum*. Adductio enim, utpote mera locatio, efficit quidem ut corpus ſit ubi non erat, non autem ut panis fiat id quod non erat; ergo. Ita S. Thomas ubi ſtatim.

R. 2. Tranſubſtantiatio Euchariſtica non male explicatur per actionem reproductivam corporis Chriſti, non ſimpliciter, ſed ex alia, quæ in ipſum convertitur, ſubſtantia.

Prob. 1. quia hæc rem arduam explicandi ratio magis congruit cum Patribus. Ii enim docent corpus Chriſti ſedentis ad dexteram Patris, per conſecrationem fieri, creari, confici ex pane: atqui corpus Chriſti in cœlo ſedentis ex pane fieri, creari, produci, nil eſt aliud quam ipſum reproduci ex pane in ipſum converſo, adeoque nonniſi ſecundum ſpecies permanente; ergo Patres actionem corporis Chriſti converſivam reponunt in ejuſdem reproductione ſub ſpeciebus panis.

Prob. 2. quia, ut bene ſanctus Thomas hic q. 75. a. 2. impoſſibile eſt aliquid eſſe ſubſtantialiter ubi antea non erat, niſi fiat, ſeu producatur per aliquam actionem, vel aliunde adducatur; *ſicut in domo aliqua incipit eſſe ignis, aut quia illuc defertur, aut ibi generatur*: atqui corpus Chriſti non eſt in Sacramento, quia aliunde adducatur; tum quia alioqui *deſineret eſſe in cœlo; non enim quod localiter movetur, pervenit de novo ad aliquem locum, niſi deſerat priorem*; tum *quia omne corpus localiter motum pertranſit omnia media, quod hic dici non poteſt*; tum quia fieri nequit *ut unus motus ejuſdem corporis localiter moti terminetur ſimul ad diverſa loca*; & *tamen in pluribus locis corpus Chriſti ſub hoc Sacramento ſimul eſſe incipit*; ergo neceſſum eſt ut corpus Chriſti producatur. Porro non producitur ſimpliciter, utpote quod jam exiſtat in cœlo; ergo reproducitur. Sed de his late altercantes vide hinc Yſambertum & Gonet, inde Bellarminum, Fraſſen, &c.

Quæres 2. an panis & vini ſubſtantiæ per annihilationem deſinant in Euchariſtia.

R. negat. ex dictis enim vera & totalis fit panis & vini converſio in Euchariſtia: atqui converſio iſta ſalvari non poteſt cum annihilatione: 1. quia id quod annihilatur, non tranſit in aliud, cum annihilationis terminus ſit ipſum nihil, non autem ens quodpiam poſitivum; 2. quia in hypotheſi

 anni-

Digitized by Google

annihilatæ panis ſubſtantiæ, corpus Chriſti per aliam actionem diſtinctam produci deberet: atqui poſita duplici illa actione, non ſalvatur ratio converſionis. Hæc enim eo diſtinguitur a creatione & annihilatione, quod duplicem terminum æque poſitivum habet: atqui poſita duplici actione quam impugnamus, neutra haberet utrumque terminum poſitivum. Annihilationis enim terminus *ad quem*, eſſet nihil; idemque nihil eſſet terminus *a quo* productionis; ergo. Ita idem Gonet diſput. 4. art. 3. qui ibidem cum Soto dicere videtur, annihilationis opinionem vix poſſe citra errorem ſuſtineri. Cautior Lugo diſp. 7. ſect. 12. fatetur quæſtionem hanc omnino eſſe de nomine, & ſententiam, quæ annihilationem ponit, *nulla dignam eſſe cenſura Theologica;* etſi hanc teneri nolit, ut magis magiſque recedatur ab hæreticis; quod illæſa ratione fieri poteſt; cum panis, etſi abeat in nihilum panis, quia nihil manet ipſius; haud tamen abeat in nihilum ſimpliciter.

Objiciuntur præcipue tria: I. Id annihilari dicitur, quod ita deſiit ut nihil ejus remaneat: atqui panis ita deſinit, &c. II. Si quæ deſiit panis ſubſtantia, reproduceretur, eſſet vera creatio; ergo deſitio illius vera fuit annihilatio. III. Fit annihilatio per ſuſpenſionem actionis qua res conſervantur: atqui in Euchariſtia deſinit panis per ſuſpenſionem actionis qua idem panis conſervabatur; ergo.

R. ad 1. neg. maj. annihilatio enim pro termino habet purum nihil; res autem cujus nihil remanet, non habet ſemper pro termino purum nihil; quia fieri poteſt, & reapſe fit in Euchariſtia, ut eadem res pro termino aliquid habeat poſitivi, id nempe in quod convertitur. Unde actio qua deſinit panis, & corpus Chriſti, non eſt duplex, ſed una eademque mutatio, qua res in rem aliam convertitur.

Ad 2. neg. maj. poſſet enim idem qui antea panis reſtitui, vel per modum creationis, vel, ſi ita loqui fas eſt, per modum reconverſionis; hæc autem poſterior actio eſſentialiter diſcreparet a creatione, quia creatio fieret e nihilo, reconverſio autem ex materia præexiſtente.

Ad 3. neg. min. non enim eo præciſe in Euchariſtia deſinit panis, quia deſinit conſervari, ſed quia poſitivo actu convertitur in id quod antea non erat. Et id quidem fit in inſtanti, quia ſtatim ac deſinit panis, exurgit corpus Chriſti completum, uti docet S.Thomas ibid. art.7. unde, ut hic bene Silvius, idem inſtans fit primum non eſſe panis, & primum eſſe corporis Chriſti: atque id contingit ſtatim ac prolata ſunt verba conſecrationis.

Quæres 3. an totus & integer Chriſtus ſub utraque Sacramenti ſpecie contineatur.

R. affirmat. eſt de fide. Prob. 1. Joan. 6. v. 58. *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me:* atqui illud *me*, Chriſtum totum ſignificat, non partem Chriſti; ergo cum Chriſtus non manducetur niſi ſub ſpecie panis, neceſſum eſt ut ipſe totus ſub illa ſpecie exiſtat.

Prob. 2. ut Chriſtus totus ſit ſub ſpecie panis, ſufficit ut ſit perfecte Deus, & perfecte homo ſub ſpecie panis, idemque eſt de ſpecie vini: atqui eſt & perfecte Deus, ut Catholicus nemo ambigit; & perfecte homo. Alias enim ei deeſſet vel anima, vel ſanguis; ſicque eſſet non homo vivens, ſed cadaver: quod aperte pugnat contra id Apoſtoli Rom. 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur.*

Prob.

Prob. 3. ex Conciliis. Conſtantienſe Seſs. 13. hæc habet : *Firmiſſime credendum , & nullatenus dubitandum* eſt , *integrum Chriſti corpus & ſanguinem , tam ſub ſpecie panis , quam ſub ſpecie vini veraciter contineri* . Florentinum in Eugenii Decreto : *Totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis , & totus ſub ſpecie vini* . Tridentinum Seſs. 13. Can. 3. *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ , ſub unaquaque ſpecie , & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus , ſeparatione facta , totum Chriſtum contineri ; anathema ſit* .

Objici poſſunt duo ; I. Chriſtus in ſepulchro jacuiſſe dicitur , etſi nec ſanguis , nec anima ejus ibidem eſſent ; ergo & in Euchariſtia eſſe dici poteſt , licet ibi non ſit integer . II. Verba conſecrationis id unum operantur quod ſignificant : atqui verba iſta : *Hic eſt ſanguis meus* , nonniſi ſanguinem exprimunt ; ergo.

R. ad 1. verborum ſenſus & ex circumſtantiis , & ex loquentium intentione repeti debet : porro Chriſti exiſtentiam aliter in ſepulchro, aliter in Euchariſtia intelligi poſtulant circumſtantiæ & intentio loquentium. Quin & hæc in adductis conciliorum textibus adeo aperta eſt, ut de ea ſerio dubitari non poſſit.

Ad 2. dico cum Patribus Tridentinis ead. Seſs. 13. cap. 3. *Corpus ſub ſpecie panis , & ſanguinem ſub vini ſpecie , ex vi verborum* conſecrationis exiſtere ; *ipſum autem corpus ſub ſpecie vini , & ſanguinem ſub ſpecie panis , animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ , qua partes Chriſti Domini , qui jam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus , inter ſe copulantur : divinitatem porro, propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypoſtaticam unionem* . Concomitantia qua corpus, ſanguis & anima Chriſti ſimul ſunt, poteſt dici naturalis; quia eam exigit corporis viventis natura; concomitantia vero qua his omnibus adjungitur divina Verbi hypoſtaſis a contrario ſupernaturalis vocari poteſt.

Tria hic moventur dubia : I. quid futurum fuiſset, ſi Apoſtoli in triduo mortis Chriſti conſecraſsent; II. an non ſatis ſit eum in Euchariſtia ſanguinem admittere , quem Chriſtus in cruce fudit , dicente ipſo : *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis fundetur;* III. an admiſso in Euchariſtia per concomitantiam Verbo, ibidem admitti oporteat Patris & Spiritus ſancti perſonam. Quæ ut curſim ſolvantur,

Ad 1. dico in hac hypotheſi, quam multi impoſſibilem judicant, futurum fuiſſe ſub ſpecie panis corpus ſine ſanguine , qui ab eo ſeparatus erat , & ſub ſpecie vini , ſanguinem ſine corpore , eadem de cauſa . Utrique tamen adhæſiſſet per concomitantiam , non quidem anima , quæ ab utroque receſserat ; ſed Verbi perſona , quæ quod ſemel aſsumpſit , nunquam dimiſit . Si vero , ait Silvius q. 76. a. 2. *ſpecies panis conſervata fuiſſet uſque ad reſurrectionem , dicendum eſt animam & ſanguinem futura tunc fuiſſe ſub illa ſpecie ratione connexionis , quam in ſpecie naturali habuiſſent cum corpore . Tale enim ſubſtantialiter eſt corpus Chriſti in Sacramento, quale eſt in rerum natura* .

Ad 2. dico, ſanguinem totum quem in cœlis habet Chriſti corpus, eſse in Euchariſtia. Verba enim : *Qui pro vobis fundetur*, appoſita ſunt ad exprimendum primarium Sacramenti effectum, qui eſt paſſionis Chriſti repræſentatio, non autem ad reſtringendum id quod demonſtrant indefinita

hæc verba : *Hic eſt ſanguis meus*. Sic ſi Chriſtus, aquam convertens in vinum dixiſſet : *Hoc eſt vinum, quod a vobis potabitur*, quidquid aquæ erat, converſum eſſet in vinum ; etſi non quidquid converſum erat, a convivis potandum fuiſſet.

Ad 3. dico, Patrem & Spiritum S. eſſe ſpeciali modo in Euchariſtia, quatenus per circuminceſſionem ſpecialiter inexiſtunt Filio. An autem ſumma illa trium perſonarum inſeparabilitas ſufficiat ut Pater & Spiritus S. per concomitantiam mediatam Sacramento inexiſtere dicantur, uti tuentur Suares, Vaſquez, Lugo, aliique recentiores non pauci ; an vero ad propriam concomitantiæ rationem requiratur unio ſuppoſiti cum termino primario converſionis ; proinque an non magis Pater & Spiritus dici poſſint concomitanter eſſe in Euchariſtia ut Sacramento, quam dici poſſint concomitanter in Euchariſtia ut ſacrificio offerri & immolari, quæſtio eſt cui non remur diutius immorandum.

Quæres 4. an totus & integer Chriſtus ſub qualibet utriuſque ſpeciei parte contineatur, ſive poſt, ſive ante diviſionem.

R. ad 1. affirm. & eſt de fide : patet 1. ex citato ſupra Tridentini Concilii Canone ; 2. ex Florentino Decreto, ubi, poſt adducta jam verba, habentur iſthæc : *Sub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus* : 3. quia partes poſt diviſionem non deſinunt eſſe conſecratæ ; ergo ſub illis eſt aliquid corporis Chriſti : porro ubi aliquid eſt corporis Chriſti, ibi totum corpus eſſe oportet, quandoquidem illud in fruſta dividi non poſſit. Bene ergo canit Eccleſia : *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum ſub toto tegitur*. Et vero qui ex eodem calice biberant Apoſtoli omnes, an non totum Chriſtum recepere bibendo ?

R. ad 2. Chriſtum eſſe in ſingulis hoſtiæ partibus ante diviſionem : ita ſentit pars longe major Theologorum ; & licet, ait Silvius hic q. 76. art. 3. *id non ſit fidei, quia non eſt expreſſe definitum, ita nihilominus certum eſt, ut contrarium ſit erroneum*. Utut eſt (neque enim placebit omnibus, nota hæc erroris parce inurenda) opinio hæc opinioni contrariæ prorſus videtur anteponenda : 1. quia ex Tridentino Seſſ. 13. cap. 3. *Totus & integer eſt Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte ; totus item ſub vini ſpecie & ſub ejus partibus exiſtit* : ubi nulla ſit mentio ſeparationis, licet in Canone 3. qui 3. Capiti reſpondet, facta fuerit, quia, ut refert Palavicinus Lib. 12. Hiſtor. Trid. c. 2. *variabant* ea de re *ſententiæ*, cenſuitque Concilium *ſolas hæreſes eſſe damnandas, non autem Scholaſticorum ſententias definiendas*. Palavic. Tom. 2 p. 275.

2. quia Chriſtus poſt diviſionem totus eſt ſub qualibet utriuſque ſpeciei parte ; ergo & ante diviſionem. Prob. conſeq. quia ſola ſpecierum diviſio, nec ex ſe, nec ex inſtitutione Chriſti nobis manifeſtata, vim habet totum conſtituendi Chriſtum, ſub iis partibus ſub quibus antea totus non erat. Diviſio enim nec corpus Chriſti attingere poteſt, nec quidpiam in ipſum operari : alias poſſet Sacerdos, imo & laïcus, corpus Chriſti pro nutu multiplicare, multiplicando diviſiones ; quin & id brutum poſſet, quod ridiculum eſt.

Nec dicas cum Altiſſiodorenſi, diviſionem partium eſſe, non equidem cauſam, cur Chriſtus ſit hic & hic totus ; ſed conditionem *ſine qua non* : quo

fere

Digitized by Google

fere modo tota Petri effigies in ſingulis ſpeculi partibus ante ejus fractionem *potentialiter* ſolum exiſtens, fit *actualiter* exiſtens ſub iiſdem facta ſpeculi diviſione. Nam ideo tunc multiplicatur imago Petri, quia tunc occurrit principium multiplicationis, nimirum aliæ & aliæ radiorum reflexiones. At ſimile nihil occurrit in Euchariſtia, diviſio enim partium non dat conſecrationem novam; & hæc tamen ſola Chriſtum hic & illic conſtituere poteſt.

3. ait Lugo diſp. 8. ſect. 3. num. 41. *Ponamus duos calices conſecrari ſeorſim, & poſtea* utriuſque *ſpecies in unum conjungi. Quæro an per conjunctionem deſinat eſſe totus Chriſtus ſub ſingulis partibus? Si deſinit; ergo deficit veritas verborum conſecrationis: nam de dimidia parte dictum fuerat eſſe totum ſanguinem Chriſti. Si vero non deſinit; ergo jam tunc poteſt eſſe totus Chriſtus ſub partibus unitis illius ſpeciei; ergo poſſet etiam ſub illis eſſe, licet unica conſecratione fuiſſent conſecratæ.*

4. ſi totum Chriſti corpus, diviſione facta, incipiat eſſe ubi ante diviſionem non erat, ibi certe ponitur per novam ſui reproductionem: atqui reproductionis hujus cauſa nulla aſſignari poteſt. Non ipſa partium ſeparatio, ut jam diximus. Non etiam verba quibus hoſtia primum conſecrata eſt; quandoquidem verba hæc tranſierint; & totum, quem habere poterant, effectum habuerint, cum a Sacerdote prolata ſunt; ergo.

5. ſignata quarta parte hoſtiæ conſecratæ, ſed nondum diviſæ, interrogo: Aut in illa parte eſt aliquid corporis Chriſti, aut nihil. Si nihil, ſequitur, 1. hanc hoſtiæ partem non eſſe conſecratam; 2. nihil etiam in aliis hoſtiæ partibus eſſe de corpore Chriſti; cum non ſit major ratio de ipſis, quam de illa quarta parte; ſicque nihil erit corporis Chriſti in tota hoſtia; quia nihil eſſe poteſt in toto, quin ſit in ejuſdem partibus. Si ſit aliquid corporis Chriſti, vel in ea totum eſt, & ſic intentum habemus, vel aliqua pars ejus, v. g. quarta; & tunc ſequitur quod corpus Chriſti ſit in Euchariſtia circumſcriptive; quod tamen falſum eſt, cum majus a minori circumſcriptive contineri non poſſit; quantitas autem quartæ partis corporis Chriſti longe ſit major quantitate quartæ partis hoſtiæ. Ita iiſdemque terminis Gonet diſp. 5. a. 2. §. 1.

Huic ſententiæ inhærendum credimus. An autem ex ea ſequatur Chriſtum actu pluries & infinities eſſe ſub qualibet hoſtia; quia quælibet plures actu, imo & infinitas partes proportionales habeat pendet a principiis philoſophorum circa diviſibilitatem materiæ.

Quæres 5. an & quatenus corpus Chriſti in Euchariſtia poſſit moveri.

R. cum S. Thoma hic a. 6. ipſum moveri de facto, non quidem per ſe, cum non ſit in Euchariſtia velut in loco, ſed ad motum ſpecierum. Siquidem ex Tridentino Seſſ. 13. cap. 5. & 6. corpus Chriſti in proceſſionibus circumfertur, & defertur ad infirmos; item ex ore tranſmittitur in ſtomachum: hæc autem ſine motu fieri non poſſunt.

Quæres 6. an idem corpus pati poſſit ab agentibus extraneis.

R. negat. quia agentia corporea non agunt extra ſe niſi tangendo & impellendo; nec tangere & impellere poſſunt niſi corpora actu impenetrabilia: porro corpus Chriſti in Euchariſtia non eſt actu impenetrabile.

Pari ratione non poteſt Chriſti corpus in Sacramento naturaliter agere in alia corpora: quia quæ requiritur actualis impenetrabilitas in corpore ut tangatur, eadem neceſſaria eſt in corpore ut tangat.

Atque

Atque hinc colligunt plures Chriſtum prout eſt in Euchariſtia, non poſſe vitales externorum ſenſuum actus, viſus v. g. auditus, &c. exercere: quia actus illi ſupponunt impreſſiones in organis externis factas, ad quod requiritur juſta eorumdem organorum extenſio cum actuali impenetrabilitate: atqui nec juſtam extenſionem, nec actualem impenetrabilitatem habent organa Chriſti, prout eſt in Euchariſtia.

Addunt tamen aliqui, id quod organis Chriſti ex parte extenſionis deeſt, ſuppleri divina virtute; & inde deducunt Chriſtum oculo corporis videre qui ſibi adſtant fideles, juxta id ſponſæ Cantic. 2. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per* ſpecierum *Sacramentalium cancellos*. Et vero, inquiunt, non decet glorioſum Chriſti corpus in Sacramento eſſe inſtar lapidis. Hoc tamen inconveniens minus eſt quam videatur; quia cum beata Chriſti anima actus immanentes eliciat, Deumque videat intuitive, videt in Deo quidquid ejus intereſt videre.

An repugnet de potentia abſoluta oculum corporeum elevari ad videndum corpus Chriſti in Sacramento, vide apud magnos Theologos, præcipue vero apud Vaſquem, Valentiam & Gonet ibid. art. 4.

Quæres 7. quando & quomodo corpus Chriſti deſinat eſſe ſub ſpeciebus panis.

R. ad 1. corpus Chriſti deſinit eſſe ſub ſpeciebus, quando deſitura eſſet propria illarum ſubſtantia; ſeu, ut loquuntur alii, quando moleculæ quantitatis radicalis panis deſinunt habere inter ſe eum plexum, eamque conjugationem quam haberent in pane. Ratio eſt quia tunc pereunt accidentia panis, odor ſcilicet, ſapor, color, &c. ergo & tunc deſinere debet corpus Chriſti, quod in ſingulis prædictæ quantitatis partibus reproductum fuerat ad conſtituendum cum ſenſibilibus panis ſpeciebus ſignum ſenſibile refectionis ſpiritualis.

Atque hinc colliges 1. falſam eſſe, & jure a Gregorio XI. prædicari vetitam opinionem eorum, qui Chriſtum, ſi forte in immunda loca projiceretur, aut a bruto roderetur, ſub Sacramento deſinere autumabant. Neque vero corpus Chriſti, utpote impaſſibile in Sacramento, ullam hinc immunditiem contrahere poteſt.

Colliges 2. non deſinere unquam corpus Chriſti ſub ſpeciebus, niſi alia ipſi ſuccedat ſubſtantia a vino & pane diverſa: quia nunquam deſitura fuiſſet ſubſtantia panis, niſi ei alia ſucceſſiſſet. Hæc quidem pani ſucceſſiſſet per generationem ex ipſo; ſed cum ex corpore Chriſti nihil generari poſſit, quidquid ei qua tali, non autem ſolis ſpeciebus ſuccedit, nova eſt quæ a Deo creatur ſubſtantia, ſeu ſint vermes, ſeu aliud quid, in ſubſtantiam illius qui corpus Chriſti recepit, convertendum. Hæc autem nova materia a Deo ut naturæ auctore ſubſtituitur ſine novo miraculo, quia creationem ejus exigit naturalis ordo rerum; ſicut exigit ut ſtatim ac infantis corpus ſatis in utero materno organizatum eſt, Deus citra novum miraculum creet animam, & in tenellum id corpus infundat. Unde

Colliges 3. corpus Chriſti non deſinere eſſe ſub ſpeciebus per tranſubſtantiationem ſui in ſubſtantiam ſequentem. Probat id tum ratio mox facta; tum quia quod in aliud convertitur per tranſubſtantiationem, deſinit eſſe ſimpliciter, ut patet de ſubſtantia panis in Chriſti corpus converſa;

porro

porro corpus Chriſti nunquam deſinit eſſe ſimpliciter, quia ſi non manet ſub ſpeciebus, manet ſemper in cœlo. Atque hinc rurſus

Colliges 4. multo minus deſinere idem Chriſti corpus per annihilationem; tum quia annihilatio eſt rei ſecundum ſe totam deſtructio; tum quia corpus Chriſti ſub ſpeciebus poſitum non fuerat per creationem, aut productionem ſimpliciter: quandoquidem ante conſecrationem jam exiſteret, ac proinde nec deſinit per annihilationem, quæ creationi opponitur. Unde ulterius ſequitur idem corpus deſinere per eam deſitionis ſpeciem, quam alii Sacramentalem vocant, alii innominatam; quia nullum ſuppetit quo ipſa proprie indigitari poſſit vocabulum.

Horum occaſione docent communiter Theologi, guttam pretioſi ſanguinis in vini dolium immiſſam, permanſuram in ratione ſanguinis, ſi vinum ejuſdem ſit naturæ cum illo ſub cujus ſpeciebus eſt gutta ſanguinis: quia nihil eſſet a quo guttæ illius ſpecies corrumperentur, cum ſpecies vini vino ejuſdem rationis contrariæ non ſint. Unde, inquiunt, quidquid in dolio continetur, quadantenus ſacrum fieret, & ſacris uſibus eſſet applicandum. Queis vero uſibus? utique vel ut infantibus daretur, vel ut ex eo fieret conſecratio, aut in fine Miſſæ ablutiones. Ad id autem quod objicit Lugo diſp. 10. n. 52. hinc ſequi, idem ergo (quod admiſſu durum eſt) futurum de integro vini ſtagno in quod ejuſdem ſanguinis gutta injecta fuiſset: ſat fuerit in præſenti reſpondere, caſum hunc, ſtatim ut evenerit, a nobis expenſum iri. Interim monebimus ab omnibus pene rejici id S. Thomæ q. 77. a. 8. *Si fiat tanta permiſtio liquoris cujuſcumque*, proinque etiam homogenei, ſeu vini, ut *pertingat ad totum vinum conſecratum....erit aliud numero, & non remanebit ibi ſanguis Chriſti*. Vide Lugo ibid. n. 41. & Suarem diſp. 57. ſect. 4. *Lugo pag 372.*

Movetur hic dubium in praxi non inutile, quoto nimirum temporis intervallo indigeant ſpecies, ut in ſtomacho corrumpantur, adeo ut ſub iis eſſe deſinat corpus Chriſti. Interrogati ea de re a Lugo Medici, reſponderunt minorem particulam, qualis laicis datur ad communionem, in minuto, ſeu ſexageſima horæ parte alterari in ſtomacho etiam mediocri; majorem vero qualem ſumunt Sacerdotes, una cum vini ſpeciebus alterari in ſemiquadrante. Quia tamen regula hæc fallere poteſt, ſeu quia non idem præſtet ſtomachus languens, quod robuſtior; ſeu, quia robuſtior credi poſſit, qui debilior eſt, cavendum propter Sacramenti reverentiam, ne laici ante quadrantem, Sacerdotes vero ante mediæ horæ tempus ad vomitum ſe provocent. Nec nimium quid erit horæ integræ ſtudium iis quæ vel deſidem habent ſtomachum, vel ex pituita, ſeniove languentem. *Ibidem n. 54.*

Interim ex reſponſione Lugo inferebat vir pius, nec certe imperitus, quem olim cognovi, periculum eſſe, ne non reipſa communicent devotæ illæ, quæ ex quodam, ſed minus ordinato, pietatis affectu, corpus Chriſti tam diu ſervant in ore, ut hic ſpecies alterari poſſint. Communio enim non eſt ſola receptio in ore, ſed manducatio vera, ac proinde in ſtomachum trajectio. Hanc tamen deciſionem ut falſam æque ac ridiculam exufflat Gibert Conſult. 17. de Euch. quia, inquit, ſpecies qua liquefactæ naturam non mutant; quod quidem falſum eſſe poſt aliquod tempus patet ex ſupra relato medicorum judicio.

De

De ſputis breviter dicam ab iis abſtinendum, ſi dubium ſit an aliquæ hoſtiæ particula gengivis aut palato adhæreat: ſi adhæreat reipſa, nec linguæ ope poſſit exolvi, exorbendum erit aliquid aquæ, prout fieri hortabatur S. Chryſoſtomus, teſte in ejus vita Palladio. Si ſputum exigat importuna neceſſitas paulo poſt communionem, erit id emittendum vel in linteo, vel ſaltem in loco mundo, ut communiter præcipiunt Catechiſmi: quanquam minus hic ſubeſt periculi, cum ſputum e capite vel pulmonibus oriri conſueverit.

Quæres 8. an & quo cultu adoranda ſit Euchariſtia.

R. in Euchariſtia duo eſſe, velum, & id quod ſub velo continetur, nimirum totam Dei hominis ſubſtantiam; velo ſeu ſymbolis deberi eam cultus ſpeciem, quæ rei Chriſtum quadantenus contingenti debetur; ipſi vero Domini ſubſtantiæ haud minorem quam latriæ cultum præſtari debere; quidquid contra obganniant Calviniani plures, quorum nonnulli cum Bocharto Dialog. p. 48. & Amyraldo de Seceſſione p. 238. adorationem a nobis Euchariſtiæ exhibitam, æternum reconciliandæ Eccleſiarum concordiæ obicem eſſe declarant. Jam

Reſponſio noſtra expreſse habetur in Trid. Seſs. 13. Can. 6. ubi ſic: *Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum, unigenitum Dei Filium, non eſſe cultu latriæ, etiam externo adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum; neque in proceſſionibus, ſecundum laudabilem & univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem ſolemniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idololatras; anathema ſit*. Hujus autem definitionis æquitas

Prob. 1. ex Auguſtino in Pſalmo 98. ubi de Euchariſtia loquens: *Nemo*, inquit, *illam carnem manducat, niſi prius adoraverit*. Cui concinunt Ambroſius in cap. 66. Iſaiæ, & Lib. 3. de Spir. S. c. 12. Chryſoſtomus Homil. 7. in Matth. Theodoretus Dialog. 1. & alii paſſim citati.

Prob. 2. ex antiquioribus mundi totius Liturgiis, quæ omnes adorationem vel ſupponunt, vel expreſſe jubent. Sic in Syriaca clamat Diaconus ad populum: *Inclinate capita veſtra coram Deo miſericordi, coram altari propitiatorio, & coram corpore & ſanguine Salvatoris noſtri, in quo vita poſita*, &c. Sic in Alexandrina, qua utuntur Cophtitæ: *Sacerdos cum utraque manu ſumit isbadicon, & brachiis elevatis quantum poteſt, clamat: Hoc eſt ſanctum ſanctorum; tuncque populus omnis demiſſo capite adorat Dominum cum metu & tremore*. De ceteris adi P. le Brun tom. 3. Expoſit. ceremon. Miſſæ, diſſert. 12. art. 4.

Prob. 3. quia, ut bene Auguſtinus Epiſt. 118. *Si quid tota per Orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*: atqui tota, quæ in Occidente vel Oriente patet Eccleſia Chriſtum adorat in Sacramento. De Occidente patet ex Liturgiis & praxi Latinorum; de Oriente conſtat tum ex iiſdem monumentis, tum ex Araudio Lib. 3. de ſacris Ritibus, & Arnaldo paſſim ubi de perpetua circa Euchariſtiam Eccleſiæ fide.

Prob. 4. quia ex ſupra probatis, Chriſtus totus vere & ſubſtantialiter in Euchariſtia continetur: atqui Chriſto ubicumque ſit debetur ſupremus latriæ honos; tum quia in eo *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; tum quia regi, ubivis & ſub quolibet amictu exiſtat, regii honores impendi

pendi debent; tum denique quia Chriſtum, ſi in Euchariſtia ſit, adorandum eſſe confeſſi ſunt acriores Eccleſiæ ſanctæ adverſarii. Sic Zvinglius in Exegeſi Euchar. ad Lutherum p. 144. *Si Chriſtus hic eſt, cur non peccent qui non adorant.... Nuſquam eſt Chriſtus, ut iſtic non debeat adorari: nam & Deus non eſt uſpiam ubi non debeat adorari*. Sic Tigurini Miniſtri in Apologia an. 1545. contra ultimam Lutheri Confeſſionem edita, aperte fatentur ſe cum Catholicis fideliter adoraturos Sacramentum, ſi crederent ibi eſſe verum Domini corpus. Sic demum Calviniani, cum Lutheranis, a quibus prout ipſe vidi, ſingulari odio habeutur, pacem & concordiam habere quærunt; & tamen Lutherani plerique Chriſtum in uſu Sacramenti adorant. Vide non ſemel citatum Opus: *Le témoignage des Proteſtans*, cap. 10.

Objiciuntur quædam, & 1. nullibi præceptum in Scripturis ut Chriſtus adoretur in Sacramento; 2. Apoſtolos Euchariſtiam, cum ſibi oblata eſt a Chriſto, pronos non adoraſſe; 3. ſi adorari debeat Sacramentum, quia ei inexiſtat Chriſtus, adorari debere creaturam omnem, quia in omni creatura ſit Deus; 4. præcipi a Tridentino Seſs. 13. cap. 5. ut adoretur Sacramentum; id autem impie præcipi, quia Sacramentum, ſeu ſignum ſenſibile, nec ſit Chriſtus, nec pars Chriſti; 5. praxim adorationis hujus exponere periculo *idololatriæ*, puta ſi impius Sacerdos non conſecret panem; 6. adorationem Sacramenti ab Honorio III. & Urbano IV. invectam eſſe, & ideo puram eſſe novitatem; 7. nullum apud Græcos honorem reddi Euchariſtiæ, quam illi communiter in burſa clavo ad murum appenſa conſervant. Verum hæc quid ſunt niſi aranearum telæ. Unde cum Bellarmino Lib. 4. cap. 30.

Ad 1. neg. ant. ſtatim enim ut docet Scriptura Chriſtum eſſe in Sacramento, docet & ex conſequenti eum eſſe hic adorandum.

Ad 2. neg. conſeq. non enim plus debebant Apoſtoli reverentiæ Chriſto ſub ſpeciebus latenti, quam in humana forma viſibiliter conſpicuo; unde cum eum ſemper proni adorare non poſſent, præſertim vero in Cœna, ubi cum eo recumbebant, haud mirum ſi eum tunc exteriori ritu non adoraverint. Quamquam, unde habent Novatores Apoſtolos tunc ab adorando abſtinuiſſe?

Ad 3. neg. maj. non enim eſt Deus in creaturis, ſingulari ea ratione qua Chriſtus eſt in Euchariſtia. Hic enim eſt per modum ſuppoſiti unius quidquid ſub ſpeciebus latet hypoſtatice ſuſtentantis: at in creaturis non eſt Deus ut ſuppoſitum quo terminentur, ſed ut ens ubicumque diffuſum, cui ſatis eſt ut in cœlis vel in templis adoretur.

Ad 4. præcipit quidem Tridentina Synodus, ut *Fideles latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in venerationem exhibeant;* at cultum hunc non ipſi ſpecierum creaturæ, ſed rei ſub ſpeciebus involutæ exhiberi palam demonſtrant hæc quæ proxime ſequuntur verba: *Nam illum eumdem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in Orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Non nego certam ſpeciebus deberi venerationem, qualis ferme penderetur veſtimentis Chriſti: verum hæc a latria plane diſcrepat, unde ex ea concludebant contra Iconomachos Stephanus junior, & Damaſcenus, imagines honorari poſſe.

Ad 5.

Digitized by Google

Ad 5. 1. ſi valeat argumentum, omittenda erit etiam communio, in qua merus panis in panis conſecrati locum recipi poteſt; 2. nullum hic ſubeſt idololatriæ periculum; quia, adoratio pendet ab intentione, hæc autem in Chriſtum fertur non in panem. Et vero ut non fuit rea negatæ adorationis Magdalena, quia Chriſto, quem hortolanum aliquandiu rata eſt, conſuetos honores non præſtitit; ſic nec idololatriæ rea fuiſſet, ſi alium quempiam rata eſſe Chriſtum, qua talem venerata eſſet: atque hinc colliges cum Petro Poiret * viro eo ſuſpecto minus, quo minus Catholico, Catholicos nequaquam idololatriæ reos futuros eſſe, tametſi nulla fieret in Euchariſtia panis tranſubſtantiatio: quia totus error eſſet *circa locum*, in quo crederetur præſens Chriſtus; non autem *circa objectum*, quod in mente Catholicorum unus eſt Deus-homo.

Lib. 3. cap. 13. n. 360.

Ad 6. aliud eſt decernere ſubſtantiam cultus, aliud cultus modum & ſolemnitatem. Hoc fecit Urbanus IV. illud tota ſemper Eccleſia.

Ad 7. neg. ant. ſicut enim eo quia Catholici complures in templis noſtris parum pie ſe gerunt, haud ſtatim colligi poteſt eos de Chriſti præſentia, & debito ipſi cultu male ſentire; ſic nec quia Græci, minus utplurimum exhibent honoris Euchariſtiæ, quam imaginibus Sanctorum, colligi poteſt eos nullam Euchariſtiæ adorationem impendere. Impendunt ſane maximam in Liturgiis, etſi modicam reliqua die. Sic enim habet celebris in Oriente Liturgia S. Chryſoſtomi: „ Sacerdos Chriſtum „ in altari præſentem alloquens, ait: *Domine J. C. qui in excelſis ſimul* „ *cum Patre reſides, & hic una nobiſcum inviſibiliter verſaris; dignare potenti* „ *manu tua impertiri immaculatum corpus tuum, & pretioſum ſanguinem nobis* „ *& per nos toti populo*. Dehinc adorat Sacerdos, & Diaconus in quo eſt „ loco, ter ſecreto dicentes: *Deus propitius eſto mihi peccatori;* & populus „ ſimiliter cunctus cum devotione adorat; & Diacono dicente, *Attendamus*, Sacerdos facit ſanctam elevationem. „ Ubi palam eſt internæ adorationi conjungi externam

Quæres 9. an Chriſti corpori competat eſſe ubicumque eſt ejus divinitas.

Aſſeruere Lutherani plures prætereunte Luthero: ita Brentius, Muſculus, Kemnitius: verum ii non omnino conſentiunt inter ſe: alii enim divinæ humanitatis omnipræſentiam ſtatuunt tam pro ſtatu *exinanitionis*, ſeu *humiliationis*, ut loquuntur, quam pro ſtatu *exaltationis;* alii ſolum pro ſtatu *exaltationis* & *gloriæ*, itaut humanitas Chriſti non ubique fuerit, niſi ex quo Chriſtus aſcendit in cœlos, & ad Patris dextram ſedere incepit. Utrique ſectæ obſtitit pars magna Lutheranorum: unde magnis utrinque ſtudiis diu & acriter pugnatum eſt. Hos ut ſedaret motus Elector Saxoniæ, an. 1575. die Maji 12. ſenos ubiquitatis didaſcalos in Bergenſe Monaſterium Magdeburgo affine convocavit, ubi *formulam concordiæ* exaſciarunt, dedolarunt, & Electori tradiderunt mittendam ad Principes & Civitates Confeſſionis Auguſtanæ. Huic Concordiæ Libro ſubſcripſerunt variorum Principatuum Miniſtri, Profeſſores, Concionatores, Ludimagiſtri, &c. octies mille. Verum e *concordia* recruduit bellum. Siquidem contra omnipræſentiam, quæ præcipuum erat prædictæ formulæ caput, inſurrexere præter Daniam & Alſatiam Univerſitates plurimæ, & populoſæ civitates, præſertim Nurimberga, Magdeburgum, Francofurtum, &c. unde ii hodie.

* Petri Poiret Cogitationum rationalium... Libri quatuor. Edit. 2. Amſtelodami 1685.

hodie ſoli pro ubiquitate decertant, qui Libro Concordiæ ſubſcripſerunt, quos inter ſunt Auguſtani: iique *Ubiquiſtæ*, vel *Ubiquietarii* audiunt. Vide Forer. in *Bel'o Ubiquiſtico*. Jam

R. negat. ſi enim Chriſti humanitas viſibiliter aut inviſibiliter eſſe dicatur ubicumque eſt divinitas, vel id habuit in ſtatu humiliationis, vel in ſtatu gloriæ: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. tum quia, ut docet fides, humanitas prodiit de virgine, mortua eſt, deſcendit ad inferos, aſcendit in cœlum; quod ubiquitati repugnat; cum naſci, ſit fuiſſe in utero, nec jam ibi eſſe; mori, ſit corpus ſeparari ab anima, nec ei jam coexiſtere; deſcendere ad inferos, ſit inferiorem locum occupare, & deſerere ſuperiorem; aſcendere in cœlum, ſit econtra inferiorem deſerere, & in ſuperiorem deferri; tum quia corpus Chriſti ante glorioſum fuiſſet in cœlo, quam paſſum in terra; unde non oportuiſſet *Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*; tum quia diſerte teſtatur Scriptura, Chriſtum dum viveret, non fuiſſe in omni loco. Sic Joan. 11. v. 15. *Gaudeo quoniam non eram ibi*. Matth. ult. *Non eſt hic, ſurrexit*. Non 2. ideo enim, per Adverſarios, humanitas Chriſti nunc eſt ubique, quia Verbo ubique exiſtenti unitur hypoſtatice: atqui hæc unio erat etiam in ſtatu *exinanitionis*, nec tamen erat tunc ubique Chriſti humanitas, ut ſtatim probatum eſt. Et certe Act. 1. v. 11. dicitur: *Hic Jeſus ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum*; ergo ſicut in cœlum ivit tranſeundo e loco in locum, ſic de cœlo veniet eundo de loco in locum: atqui ſi eſſet in omni loco ut divinitas, non magis de loco in locum moveri poſſet quam eadem divinitas; ergo. Luc. 24.

Confirm. quia doctrina ubiquitatis tollit Euchariſtiæ myſterium & uſum, adeoque Cœnam Domini, qua tamen plurimum gloriantur Lutherani. Scilicet enim, juxta ipſos, ponitur corpus Chriſti in pane, & ſic comeditur: atqui poſita ubiquitate neutrum fieri poteſt. Nam poni corpus in pane, eſt prius ipſum non fuiſſe in pane. Rurſum, manducari corpus, eſt illud recipi ore, deglutiri poſtea, & trajici in ſtomachum: atqui in hypotheſi ubiquitatis, corpus Chriſti jam erat in pane, jam in ore, in gutture, & in ſtomacho, quia jam in omni loco; ergo vel Chriſti corpus manducari nequit ſub pane, vel ſi ſub pane manducetur, manducatur etiam in farcimine, & alio, quodcumque finges, alimento.

Obj. Per idiomatum communicationem dicitur de Chriſto: Hic homo eſt Deus, & ex conſequenti, immenſus, æternus, &c. atqui ſi homo dici poteſt immenſus, humanitas dici poteſt immenſa; ergo.

R. neg. min. ſi enim humanitas dici poſſet immenſa, dici poſſet æterna, & creaturarum omnium, proindeque ſui ipſius creatrix, quod falſum eſt æque ac ridiculum. Merito tamen in concreto dicimus, hominem hunc eſſe Deum; quia tunc ſola Verbi ſubſiſtentia importatur in recto; & is eſt propoſitionis ſenſus: Subſiſtentia habens, ſeu terminans naturam humanam; eſt ſubſiſtentia habens, ſeu terminans naturam divinam. Sed de his fuſius ubi de Incarnatione.

CAPUT SECUNDUM.

De Inſtitutione Euchariſtiæ.

INſtitutam fuiſſe a Chriſto Euchariſtiam tam unanimiter docent Matthæus, Marcus & Lucas, ut nulla eſſe poſſit ea de re diſceptatio. His concinit Apoſtolus Gentium: *Ego*, ait I. Cor. 11. *accepi a Domino.... quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, Accipite & manducate*, &c. Verum de tempore inſtitutionis hujus, an videlicet facta ſit poſt Cœnam paſchalem, an pridie quam celebrandum eſſet Paſcha, gravis eſt quæſtio, gravibus hinc & inde Scripturæ monumentis ſuffulta. Affirmativam partem ineluctabiliter aſtruere videntur Evangeliſtæ tres: negativam invicte Joannes, qui cap. 18. v. eod. ait Judæos in prætorium non introiiſſe, *ut non contaminarentur, ſed ut manducarent paſcha;* quod proin pridie manducatum non erat. Hinc incerti varias in partes ſcinduntur recentioris potiſſimum ævi Doctores.

1. itaque ſunt qui Chriſtum negent paſchalem agnum manducaſſe, quia cruci eadem die affixus fuerit, cujus ſub veſperam agnus idem comedi deberet. Ita 1. ut Marcionem * ſileam, Joannes Grammaticus, ob laboris amorem cognomine Philoponus, vir Eutychianus, Monothelita, & Tritheitarum anteſignanus; 2. Anonymi duo de quibus Photius Biblioth. Cod. 115. & 116. 3. Græculi quidam, ad quos acceſſit Cedrenus longæ lectionis homo, at brevis judicii; 4. & is Latinorum primus a trita via receſſit, Nicolaus Villa-Gagnonius, eques Melitenſis: cujus opinionem in his partibus novam dure exceperunt Salmeron, Cl. Sancheſius, & Vaſquez: durius vero Suares & Yſambertus, qui & hæreſis notam adjecere; 5. Hieronymus Vecchictus Florentinus, cujus Liber (erat ei titulus *De anno primitivo*) pene e prælo ad rogum raptus eſt, jubente Romano Pontifice; 6. Grotius, juxta quem Chriſtus non comedit *verum* paſcha quod immolabatur, ſed *commemorativum* duntaxat; 7. & ceteris longe efficacius, R. P. Bernardus Lamy, Oratorii Gallicani Presbyter, tum in ſingulari ea de re Tractatu, tum in variis quibus eumdem Tractatum, quo plures offenſi fuerant, confirmavit Opuſculis. Lamyco adhæſere viri eruditi complures, quos inter non infimum tenet locum Calmetus, Abbas Senonenſis in Voſago; &, quod ſemper dolui, tener olim ſtudiorum noſtrorum adjutor Turneminius.

Oppoſitam ſententiam longo agmine tuentur ceteri, ſeu Scripturæ Interpretes, ſeu Theologiæ Magiſtri. Verum hi dum in facto conveniunt, in explicandis facti circumſtantiis plurimum diſcrepant inter ſe. Præcipuas eorum opinationes, quam breviter potis erit, referemus.

1. itaque Græci complures, ut Chriſtum pane fermentato in inſtituenda Euchariſtia uſum eſſe evincant, contendunt Salvatorem tempus a lege præſcriptum antevertiſſe, atque ideo paſcha celebraſſe in azymis ſub veſperam lunæ 13. ſubinde vero Euchariſtiam inſtituiſſe in pane communi,

* Marcionem prætermitto, quia non propter petitas ex Joannis Evangelio difficultates, ſed eo quod animantium carnes citra nefas manducari poſſe crederet, Chriſtum ab eſu paſchalis agni, non ſolum pridie mortis, ſed & ſemper abſtinuiſſe commentus eſt.

muni, quo adhuc uti liceret. Addunt iidem Judæos die ſequenti, ſeu luna 14. paſcha ſuum celebraſſe.

2. Alii e Græcis, volunt Chriſtum die per legem fixa paſcha celebraſſe, Judæos vero, aut ſaltem Judæorum Principes manducationem ejus in ſequentem diem diſtuliſſe, ne commodam, quam nacti erant occidendi Chriſti occaſionem prætermitterent. Ita S. Chryſoſtomus Homil. 85. in Matth. Theophylactus in cap. 26. ejuſdem Matthæi, &c. Juxta primam opinionem defuit legi Chriſtus, juxta ſecundam defuerunt eidem Judæi: quibus incommodis ut occurrerent,

3. docuerunt alii Chriſtum & Judæos non una eademque die, ſed Chriſtum quidem luna 14. Judæos autem die ſequenti paſcha manducaſſe, citra diſpendium legis. Scilicet enim, inquiunt, paſcha comedendum erat die menſis Niſan * 14. hæc porro dies non omnibus eadem erat: quia Judæorum alii primam menſis diem auſpicabantur a conjunctione ſeu ſynodo lunæ cum ſole, alii a prima ejuſdem lunæ phaſi, ſeu conſpectu: unde quæ dies prioribus erat 14. hæc poſterioribus non erat niſi 13. iique proin una poſt alios die paſcha immolabant. Juxta opinionem hanc Chriſtus una ante Judæos, ſaltem plures, die paſcha celebravit, quia initium menſis a congreſſu ſolis cum luna orſus erat; alii vero Judæi ſequenti tantum die; utrique tamen luna 14. ſecundum diverſam ordiendi menſis rationem: ita Ægidius Bucherius e Societate Jeſu, & qui eum ad calcem Hiſtoriæ ſuæ Evangelicæ expreſſit Paulus Pezeron, e Ciſtercienſium familia, Pariſienſis Doctor & Abbas B. Mariæ de Carmeja. Sed quia id habet incommodi prædicta opinio, quod apud Judæos omnes, atque ideo in ipſa Palæſtina, ipſiſque Jeroſolymis, Neomenias, imo & ſingulos menſis dies geminet, idcirco

4. paulo aliam iniit viam Joannes Harduinus in Tract. de ſupremo Chriſti paſchate, ubi etſi cum Bucherio duplex lunaris menſis, quo utebantur Judæi, exordium agnoſcit, negat tamen omnibus promiſcue Judæis fuiſſe licitum, qua vellent die immolare paſcha. Vult igitur 1. agnum paſchalem in templo immolari debuiſſe; 2. Jeroſolymitanos inter & Galilæos, quorum infinitæ multitudini non ſuffeciſſet atrium templi, conventum eſſe ut hi nunc, nunc illi alternis vicibus ante alios ſacro hoc ritu defungerentur; 3. factum eſſe quo anno mortuus eſt Chriſtus, ut Galilæi, e quibus erant Chriſtus ipſe & Diſcipuli ejus, priores paſcha celebraverint luna poſt conjunctionem 14. quæ hoc anno in feriam quintam incidebat, Jeroſolymitani vero poſtridie, ideſt feria ſexta, cum jam Chriſtus expiraſſet.

5. Rem aliter expedit Paulus a S. Maria, e Judæo Chriſtianus, ac deinceps in natali ſolo Epiſcopus Burgenſis, qui exeunte ſæculo XIV. vel ineunte XV. diem clauſit. Docet is jam ab initio ſecundi templi conſtitutum a Judæis fuiſſe, ut quantum fieri poſſet, non haberentur feſti dies duo proxime conſequentes, quia erat id incommodum grave, præſertim ob mortuorum cadavera, quæ tunc temporis humo mandare non liceret.

 Hinc

* Menſis Niſan primus erat anni ſacri, & utplurimum concurrebat partim cum Martio, partim cum Aprili, aliquando etiam vel totus, vel majori parte incidebat in Aprilem. Menſis Tiſri initium erat anni vulgaris, ſeu civilis, & Septembri partim, partim Octobri noſtro, quandoque etiam totus aut pene totus Octobri reſpondebat.

Hinc cautum ſollicite, juxta regulam quam vocant *Badu*, ne unquam Neomehia lunæ paſchalis, ac proinde magna azymorum feſtivitas, ſecunda, quarta, aut ſexta hebdomadis die celebrarentur, quia alioqui in anni decurſu feſta duo duobus continenter diebus celebranda fuiſſent. * Porro, ait Burgenſis Epiſcopus, ultimo vitæ Chriſti anno contigit ut dies decima-quarta in feriam quintam incideret, ideoque ut magna azymorum feſtivitas in feriam ſextam, quæ Sabbati pervigilium eſt; ergo ne gemina ſucceſſive haberetur feſtivitas, azymorum celebratio in ipſam Sabbati diem tranſlata fuit, eaque proin die paſcha comederunt Judæi, regulæ *Badu* mancipati. Alii vero qui ipſam Moyſis legem legi huic humanæ anteferebant, & e quorum numero erat Chriſtus, pridie & citra cujuſquam ſcandalum paſcha, prout indubie faciebant piæ familiæ complures, celebrarunt. Opinionem hanc, cujus fundamenta jecerat Rupertus Tuitienſis, amplexi ſunt Onuphrius, Catharinus, Cornelius Janſenius, Maldonatus & Maldutius cit. diſſert. 29.

Louis de Leon. 6. His parum contentus Aloiſius Legionenſis, inſignis ex Auguſtinianorum familia Doctor, & Profeſſor Salmanticenſis, an. 1590. edidit Librum de utriuſque agni, typici & veri immolatione, in quo tam de primo Hebræorum in Ægypto, quam de poſtremo Chriſti paſchate ſollicitus, totis viribus demonſtrare enititur, Judæos & cum ipſis Chriſtum, prima veſpera lunæ 14. hoc eſt more noſtro, ad finem diei 13. paſcha celebraſſe. Aloiſium ſecutus eſt diſcipulus ejus Baſilius Pontius ex eadem familia Theologus. Duplex ſyſtematis hujuſce dos eſt: Prima quod cum; juxta ipſum, Hebræi paſcha comederint die integra antequam ex Ægypto proficiſcerentur, facile intelligi poſſit quo pacto ea omnia fecerint, quæ ab ipſis peracta leguntur Exodi 12. Secunda, quod, in eo, Chriſtus una itidem die ante magnam azymorum ſolemnitatem paſſus ſit: quæ duo haud leve ceteris negotium faceſſunt.

Sed quia neque ſic omnino conciliantur apparentes Joannis ceterorumque Evangeliſtarum antilogiæ, quædam Aloiſii opinioni addenda eſſe judicavit Ferrandus, vir magni inter eruditos nominis. Addidit porro, 1. Moyſen, cum de paſchate quotannis celebrando legem figeret, permiſiſſe cujuſvis arbitrio, ut paſcha, tametſi ad primam lunæ 14. veſperam in Ægypto immolatum, ſeu prima hac, ſeu ſecunda veſpera immolaretur; 2. invaluiſſe tamen deinceps uſum ut ritus ille nonniſi ſecunda veſpera fieret, 3. Chriſtum morti proximum, ad primum paſchatis in Ægypto tempus ſeſe accommodaſſe, ut veritati reſponderet figura; Judæos autem poſtridie tantum, juxta temporis ſui conſuetudinem paſcha feciſſe.

Si contra objicias, Paſcha celebrandum fuiſſe die 14. quod in Aloiſii ſyſtemate non contingit. Reponet is Judæorum dies tum feſtos, tum profeſtos, ſeu feriatos & vulgares, a veſpera incepiſſe, adeoque primam diei 14. veſperam, non minus ad eamdem diem ſpectaſſe, quam ſecundam.

Ex his intelligere eſt quæſtionem de ſupremo Chriſti paſchate; non poſſe

* Si la Paque ſe fut célébrée le Lundi, le Mercredi, ou le Vendredi, elle auroit fait tomber d'autres fetes en concurrence avec le Sabbat, ou elle y fut tombée elle-meme. La Paque au Lundi leur eut donné la fete de l'Expiation au Vendredi veille du Sabbat. Au Mercredi elle eut fait arriver cette meme fete le Dimanche, lendemain du Sabbat, &c. *Mauduit diſſert.* 29. §. 5. *n.* 1.

poſſe plene intelligi, niſi res altius repetantur, certaque tum de Judaicis diebus, tum de ipſo paſchalis ritus tempore ſanciantur principia. Quod quia late exequi non licet, breviter, affatim tamen expedire conabimur. Sit itaque

CONCLUSIO I. Feſti Judæorum dies a ſolis occaſu inchoabant, in occaſu diei ſequentis deſituri.

Prob. ex Levit. 23. v. 33. ubi ſic: *A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra*. Hic porro per *Sabbata* intelliguntur quæcumque feſtivitates, ut patet ex v. 24. & 32. Unde liquet Feſti cujuſvis duplicem fuiſſe veſperam, aliam quæ ejus exordium foret, aliam quæ finis.

CONCLUSIO II. Profeſti Judæorum dies non a veſpera, ſed a media nocte incipiebant, ut apud nos hodie.

Prob. 1. quia ſi dies generatim a veſpera inchoaſſent, haud neceſſe fuiſſet, ut ſpecialem circa feſtos dies legem ſanciret Moiſes. Eſt enim ea lex exceptio a regula communi: nulla autem eſt exceptio, ubi omnia ejuſdem ſunt conditionis.

Prob. 2. quia ſi vulgares Judæorum dies a veſpera, ſeu ſolis occaſu initium duxiſſent, alia fuiſſet dies ante ſolis occaſum, alia poſt; uti apud nos alia eſt dies ante, alia poſt mediam noctem; atque ideo quæ ante ſolis occaſum contigiſſent, uni diei, quæ poſt, diei ſequenti fuiſſent adſcripta: atqui id, nedum ullo Scripturæ exemplo firmari poſſit, pluribus impugnari poteſt. Sic 1. Agni paſchalis immolatio, ejuſdemque manducatio ex æquo ponuntur die 14. immolatio quidem Exod. 12. 6. & II. Paralip. 35. 1. manducatio autem Exod. 12. 8. & 18. & Num. 9. 5. atqui tamen immolatio fiebat circa horam nonam, quæ nobis eſt tertia poſt meridiem; manducatio autem poſt occaſum ſolis, & inchoata jam nocte, ſecundum id Exodi 12. 8. *Edent carnes nocte illa & azymos panes*. Sic 2. Andreas & alius qui ad Chriſtum venerant *hora quaſi decima*, ideſt circiter quarta, ac proin horis ſaltem duabus ante ſolis occaſum *, *manſerunt*, ſeu pernoctarunt *apud eum die illo;* ergo eadem erat dies ante & poſt ſolis occaſum. *Joan. 1. v. 34.*

Prob. 3. Si dies omnes ab occaſu ſolis initium duxiſſent, quidquid certa die ad veſperam poſt ſolis occaſum fieri perhibetur, neceſſario intelligeretur factum eſſe prima ejuſdem diei veſpera, non autem ſecunda, quæ ad hunc diem non pertineret, ſed ſequentem inchoaret: atqui contra quidquid certa die ad veſperam poſt occaſum ſolis factum perhibetur, neceſſario intelligi debet factum ſecunda veſpera, ſeu potius exeunte die, qui a mane decurrerat. Sic Exod. 12. 18. Azymorum uſus die 14. incipit ad veſperam poſt occaſum ſolis: atqui id nonniſi de veſpera exeuntis diei intelligi poteſt; quia azymorum ſolemnitas, quæ pro prima azymorum die computabatur incidebat in decimam quintam, Exod. 12. 16. & Levit. 23. 6. Sic Ezechielis 45. v. 21. *in primo menſe, quarta-decima die menſis* præſcribitur *paſchæ ſolemnitas:* id autem de quarta-decima ineunte intelligi nequit; quandoquidem conſtet diem decimam-quartam, totam fere profeſtam fuiſſe; ergo neceſſum eſt ut de exeunte die 14. intelligatur; ergo iterum cum paſchæ ſolemnitas nonniſi poſt ſolis occaſum fieret, conſtat veſperam quæ ſolis occaſum ſequebatur, adhuc partem fuiſſe diei decimæ quartæ, ſeu, quod idem eſt, diem 14. poſt occaſum ſolis perduraſſe.

* Judæi diem partiebantur in horas duodecim, utique inæquales, cum eas ab ortu ſolis, qui non idem ſemper eſt, inchoarent.

Prob. 4. quia Chriſtus in ſepulchro futurus erat *tribus diebus & tribus noctibus*, Matth. 12. v. 40. atqui id contigit quidem, ſi dies a media nocte incipiant, eſſe autem non potuit, ſi ab occaſu ſolis. Chriſtus enim poſitus eſt in ſepulchro feria VI. ante ſolis occaſum, & die Dominica ſurrexit ſub ortum ſolis: atqui id, licet ſufficiat, ut Chriſtus per dies tres, ſumpta parte pro toto, in ſepulchro jacuiſſe dicatur, non tamen ut per tres noctes. Quandoquidem in ſyſtemate quod impugnamus, nox quæ feriam VI. ſequebatur, tota pertinebat ad Sabbatum; cum econtra, juxta nos, media ejus pars pertineret ad feriam VI.

Prob. 5. quia Joſephus, qui ut Judæus & Sacerdos, gentis ſuæ ritum ignorare non potuit, id ſemper die 14. factum dicit, quod eadem die factum ſit poſt occaſum ſolis. Sic quod vetabat lex ne paſchalis agni quidquam remaneret *uſque mane*, Exod. 12. 10. explicat Joſephus de mane diei ſequentis; ergo, eo teſte, agnum inter noctis initium comeſtum & proximam lucem dies nova inceperat, utique media nocte, quod volumus.

Prob. 6. quia veri admodum ſimile eſt, Judæos qui per duo & amplius ſæcula in Ægypto commorati erant, loci conſuetudinem in anni civilis, vulgariumque dierum ratione ſecutos fuiſſe: atqui, teſte Plinio Lib. 2. Hiſtor. natural. c. 77. Ægyptii perinde ac Romani a media nocte ad mediam noctem diei ſtadium concludebant; ergo & idem uſurpaſſe cenſendi ſunt Judæi, niſi obſtaret Dei juſſio, quæ in præſenti nulla deprehenditur. Atque hinc Latini Scriptores, ut Varo apud A. Gellium Lib. 3. c. 2. & Macrobius Lib. 1. Saturnal. cap. 3. cum varias recenſet gentes, quæ contra Romanorum morem, dies a ſolis occaſu ordiebantur, nil loquuntur de Judæis, quorum tamen conſuetudines tunc temporis apprime noverant.

Alias Pariſienſis Theologi probationes omitto, quia etſi erudite proponuntur omnes, non omnes invicte. Sic, ſi Interpretes conſulas, nutare videbuntur, quas ille depromit ex Num. 33. v. 3. & Matth. 28. v. 1.

Objiciuntur tria: I. magnam apud Judæos futuram fuiſſe rerum confuſionem, ſi feſtos & profeſtos dies aliter computaſſent; II. eoſdem hodie dies omnes ordiri a veſpera; hunc porro morem in gente uſuum ſuorum tenaciſſima merito præſumi ab omni ævo ſancitum; III. Moiſen reipſa dies inchoaſſe a veſpera, ſecundum id Geneſ. 1. 5. & ſeq. *Factum eſt veſpere & mane dies unus*. At exiliora ſunt hæc, quam ut iis quempiam moveri liceat. Unde

Ad 1. neg. ant. tum quia olim apud Chriſtianos moris fuit, ut ſacri dies ab occaſu ſolis exordium ducerent, ſecundum id cap. de Feriis: *Omnes dies Dominicos a veſpera in veſperam omni veneratione decernimus obſervari;* neque hinc ulla ſcitur in Chriſtianam Rempublicam invecta confuſio; tum quia tam facile fuit Judæis feſtos, civileſque dies aliter computare, quam annum Sacrum a menſe Niſan, civilem vero a menſe Tiſri auſpicari.

Ad 2. neg. conſeq. quæ enim rituum ſuorum adeo tenax ſupponitur gens Judæa, ut Chriſti tempore, ſic & noſtro innumera prope veteribus ignota Judæis innovavit, ut ex Maimonide probat citata jam diſſertatione Maldutius; ergo & in præſenti puncto innovaſſe cenſenda eſt, ſi id graves ſuadeant conjecturæ; ſuadent porro, vel potius invicte demonſtrant probationes hactenus allatæ.

Ad 3. loquitur hic Moiſes de die naturali, qui horis 24. abſolvitur, qui-

quique proin ex veſpere & mane præciſe ſumptis exurgere nequit. Unde ſenſus ejus is eſt: factum eſt *veſpere* poſt 12. horas lucis, *& mane* poſt totidem noctis horas dies unus naturalis.

Conclusio II. Paſcha Judaicum ſecundum legem exeunte luna 14. menſis Niſan celebrari debuit: proinque rejiciendum Aloiſii Legionenſis ſyſtema.

Prob. 1. ex Scriptura. Exodi cap. 12. ubi Paſchæ origo & ritus fuſe deſcribuntur, hæc habet Moſes, v. 5. & ſeq. *Erit agnus abſque macula, maſculus, anniculus .... & ſervabitis eum uſque ad quartam decimam diem menſis hujus *: immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam* (Hebraice *Ben-Arebaim*, ideſt, *inter duas veſperas*) *& edent carnes* ejus *nocte illa aſſas igni, & azymos panes .... Habebitis autem hunc diem in monumentum.... ſeptem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus veſtris .... Primo menſe, quarta decima die menſis ad veſperam comedetis azyma, uſque ad diem 21. ejuſdem menſis ad veſperam, &c.* Idem ritus alibi pluries præſcribitur. Inde vero ſic: Dies qua paſchalis agnus immolari debebat, erat profeſta, ut fatentur omnes: atqui, ut præcedenti Concluſione probavimus, dies profeſti Judæorum unam tantum, ut apud nos, habebant veſperam, eam nempe qua vergebant ad finem; ergo agnus paſchalis hac exeuntis diei veſpera immolabatur, non veſpera præcedenti, quæ ſecundum ſe totam ad diem 13. pertinebat.

Prob. 2. Si paſcha ineunte luna 14. manducari debuerit, debuit immolari luna 13. atqui falſum conſequens. Major & minor ſeorſim probandæ veniunt. Itaque

Prob. maj. Tempus omne veſperam diei 14. præcedens, pertinebat ad diem 13. in ſyſtemate Aloiſii: atqui paſcha neceſſario immolabatur tempore veſperam hanc præcedenti. Id enim expreſſe docent 1. citatus Exodi locus, ubi paſcha immolari præcipitur *inter duas veſperas*, ſeu, ut vertit Caldæus, *inter duos ſoles:* atqui his vocibus deſignari tempus meridiem inter & noctis & primordia medium fatentur eruditi quique, ſeu Judæi, ſeu Chriſtiani Interpretes; 2. Philo oculatus rerum teſtis, qui Lib. de Septennario, ſcribit, immolandi paſchatis cœremoniam *a meridie ad veſperam duraſſe;* 3. Joſephus, qui Lib. 7. de Bello Judaico c. 17. tradit agnos cædi ſolitos a nona ad undecimam, ſeu, ut loquemur, a tertia pomeridiana ad quintam. His concinunt Chriſtiani Scriptores, qui Chriſtum, *paſcha noſtrum*, eadem hora occiſum fuiſse volunt, qua occidi deberet agnus typicus: Chriſtum porro hora poſt meridiem tertia expiraſſe evidenter docet Matth. c. 27. v. 46. ergo conſtat 1. agnum paſchalem, ſi prima diei 14. veſpera manducari debuit, die 13. exeunte immolatum fuiſſe.

Jam vero non minus conſtat id prorſus abſurdum eſſe. Siquidem ſtatim ab agni hujus manducatione, quæ tribus circiter poſt immolationem horis contingebat, incipiebat azymorum uſus, qui nonniſi *diebus ſeptem* plenis perdurabat: atqui in adverſariorum opinione duraſſent azyma diebus octo pleniſſimis, nimirum ab ineunte die 14. ad 21. incluſive; con-

Y 4 tra

* Jam monuimus menſem hunc eſſe Niſan, is porro menſis dicebatur Niſan, cujus luna ſeu dies 14. (ideſt plenilunium) incidit in æquinoctium vernum, quod nobis eſt die 21. Martii, vel illud proxime ſequitur: quo fit ut novilunium primi menſis, nec ante diem 8. Martii, nec poſt diem 5. Aprilis eſſe queat. *Vide Cornel. a Lapide.*

tra id Exodi 12. 18. & Levit. 23. 6. *Quarta decima die menſis ad veſperam comedetis azyma, uſque ad diem 21. ejuſdem menſis ad veſperam. Septem diebus azyma comedetis ;* ergo.

Nec eſt quod dicas in opinione etiam noſtra azymi panis uſum ultra dies ſeptem viguiſſe, unde & eum diebus octo duraſſe ſcribit Joſephus Lib. 2. Orig. c. 5. Siquidem cum azymorum feſtivitas, non a media nocte, ſed a veſpera præcedenti exordium duceret, pro feſtorum omnium conditione ; palam eſt azyma nonniſi diebus proprie ſeptem perduraſſe. Quod ſi diem 14. civiliter inſpicias, durabat quidem azymorum uſus diebus octo incompletis, præſertim cum Judæi pene ab ejuſdem diei meridie abſtinerent a fermentato, pluſque facerent quam imperabat lex, ne minus facere invenirentur ; at nihil inde probationi noſtræ deperit : quia hoc in ſenſu neceſſum eſt, ut, ſecundum Aloiſii ſyſtema, ritus azymorum diebus novem duraverit ; quod ferri non poteſt.

Prob. 3. quia eodem ſenſu Exod. 12. dicitur : *Immolabit eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam* lunæ 14. quo ibidem dicitur : *Comedetis azyma uſque ad diem 21. ejuſdem menſis ad veſperam* : atqui per iſtam diei 21. veſperam, ea intelligitur, quæ diem 21. claudebat ; quandoquidem eo uſque non liceret uti fermento ; ergo per veſperam diei 14. ea etiam intelligi debet, quæ diem 14. claudebat.

Prob. 4. Per veſperam lunæ 14. ea intelligitur, quam immediate & proxime ſequebatur dies 15. feſtiva & ſolemnis, qua incipiente nihil reſidui eſſe debebat ex agno paſchali : atqui ea veſpera haud dubia ea eſt quæ claudebat diem 14. Min. conſtat. Prob. Maj. 1. ex Joſepho Lib. 3. Antiquit. cap. 10. ubi, *Nihil*, inquit, e *victimis in ſequentem diem relinquentes, quæ eſt 15. & azymorum feſtivitatis prima ;* 2. ex Matth. 27. v. 15. & Marci 15. v. 6. ubi dies mortis Chriſti, quæ proxime ſecuta eſt veſperam in qua paſchalem agnum comederat, vocatur ſolemnis & feſta : hæc autem feſti ſolemnis ratio diem 15. arguit, ſecundum id tum Exodi 12. 6. *Dies prima erit ſancta atque ſolemnis ;* tum Levit. 23. 6. *Decima quinta die menſis hujus ſolemnitas azymorum Domini eſt ;* ergo ſtare non poteſt Aloiſii commentum, in quo *mane*, de quo Exod. 12. 10. *Non remanebit quidquam ex eo uſque mane*, mane eſt diei 14. non autem 15. Non me fugit, ſecundam hanc, quam ex Evangeliſtis depromo, probationem, eludi poſſe : at non caret robore quidquid eludi poteſt.

Prob. 5. Ea die celebrari debuit paſcha, qua tum a Moſe, tum a cunctis deinceps Judæis celebratum eſt : atqui.....

1. celebratum eſt paſcha a Moſe luna 14. exeunte. Ad id enim ſufficiunt duo, 1. ut Moſes paſcha celebraverit ſub initium noctis, qua filii Iſrael egreſſi ſunt de Ægypto ; 2. ut egreſſi ſint nocte quæ pertineret ad diem menſis decimam quintam : atqui utrumque indubium videtur. Primum patet ex citatis ſupra verſibus Exod. 12. *Decima quarta die ad veſperam comedetis azyma....& edent carnes nocte illa aſſas, & azymos panes*.. Secundum dant verba hæc ibid. v. 29. *Factum eſt autem in noctis medio percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti*....v. 30. *Surrexitque Pharao nocte, & omnes ſervi ejus, cunctaque Ægyptus, & ortus eſt clamor magnus*....v. 31. *Vocatiſque Pharao Moiſe & Aaron nocte, ait : Surgite & egredimini a populo meo, vos & filii Iſrael*.... v. 33. *Urgebantque Ægyptii populum*

Digitized by Google

lum de terra exire velociter. v. 42. *Non iſta eſt obſervabilis Domino, quando eos eduxit de terra Ægypti*. v. 51. *Eadem die eduxit Dominus filios Iſrael de terra Ægypti per turmas*. Num. 33. v. 3. *Profecti* ſunt *de Rameſſe* 15. *die menſis primi*. Hæc plana adeo & perſpicua ſunt, ut qui ea citra præjudicium perlegerit, ſtatim intelligat, paſcha ab Hebræis ſub noctis initio comeſtum fuiſſe; eadem nocte jam media cæſos fuiſſe primogenitos omnes Ægypti; veritos gravius quidquam Ægyptios inſtitiſſe, ut ſtatim e finibus ſuis egrederentur; Hebræos, quibus optatius nihil eſſe poſſet, quam ut *de populo barbaro* exirent, ſine mora itineri ſe commiſiſſe, eadem ipſa nocte ſub cujus initium manducaverant phaſe.

At, inquis, ſpatium horarum aliquot a media nocte haud ſufficere potuit omnibus quæ in exitu Iſrael de Ægypto peracta referuntur, ut is, nedum nocte eadem, imo multa jam luce proficiſci potuerit. Nempe oportuit 1. ut ſurgeret Pharao, & primogenitorum ſtragem, ſi non a tota gente, ſaltem a finitimis incolis ediſceret; 2. ut a Memphi, regia principum ſede, mitteret in Geſſen, ideſt in ultimos Ægypti fines, ubi jam a tempore Joſeph fixa erat Hebræorum commoratio, mitteret, inquam, nuntios qui Moſem nomine Regis accirent; 3. ut is idem itineris ſpatium bis emetiretur, ſemel ut mandata Principis exciperet, ſemel & ut ea ad contribules ſuos deferret; 4. ut accepta exeundi facultate mutuarentur Hebræi aurea & argentea Ægyptiorum vaſa; 5. demum ut ſexcenta hominum millia & mulieres innumeræ ad iter ſeſe accingerent; ergo neceſſe fuit ut paſcha, non exeunte, ſed ineunte luna 14. celebratum fuerit.

R. 1. ex hac argumentatione, ſi preſſius urgeatur, perſpicue ſequi, Hebræos, ne intra illud quidem quod figunt adverſarii, temporis intervallum, ex Ægypto profectos eſſe; cum Memphis a Rameſſe Romanis millibus ut minimum ſexaginta quatuor diſtet, ſecundum accuratiores tabulas.

R. 2. eo peccare factam objectionem, quia ſupponat Iſraelitarum habitationem, eam Moſis ævo fuiſſe, quæ fuerat tempore Jacob: cum econtra certum videatur, Pharaonem hunc, *qui non noverat Joſeph;* ſeu ſit il- Exod. 1.
le Amenophis, ut cenſent Pererius, & Torniellus, ſeu Salatis, Paſtorum 8.
Princeps, nedum oſor, ut primus Pharao, non habitaſſe Memphi, ſed Regiam ſibi conſtituiſſe apud Tanim, quæ parum diſtabat a terra Geſſen; imo Hebræos promiſcue ſub id tempus vixiſſe cum Ægyptiis. Id autem non gratis factum eſſe patet, 1. quia cap. 2. Exodi expoſitus eſt Moiſes in eo ipſo flumine ad quod conſueverat lavatum ire filia novi Pharaonis; quod indicat Moiſis matrem non a Regia procul habitaſſe; 2. quia ibid. c. 4. & 5. Moyſes & Aaron, qui cum fratribus ſuis verſabantur, quotidie Regem adibant, Dei juſſa delaturi; 3. quia præceperat Deus cap. 3. 22. & cap. 11. 2. ut poſtularet *vir* omnis Judæus *ab amico ſuo* Ægyptio, *& mulier a vicina* ſua vaſa argentea & aurea; proinque vicini erant Ægyptiis Iſraelitæ; 4. quia & id etiam Deus in mandatis dederat c. 13. 22. ut domus ſuperliminaria agni ſanguine tingerentur, ne tranſiens vindex manus Hebræum percuteret cum Ægyptio: illud autem arguit contiguas domos; 5. Moſis prodigia in *Campo Taneos* edita ſunt, Pſal. 77. 12. ergo Tanim, non Memphim incolebat tunc temporis Pharao. His vero ſuppoſitis ut debent, haud ægre capiunt Iſraelitas, qui certo norant ſe poſt primogenitorum internecionem dimiſſum iri Exod. 11. 1. qui in unum quaſi

cætum,

Digitized by Google

cœtum, ſeu corpus convenerant, quo facilius Dei mandata capeſcerent; ibid. 12. 3. quorum ne unus quidem extra domum erat, v. 23. qui jam a ſerotinis horis accincti erant ad iter, v. 11. qui id unum habebant in votis, ut quantocius e maledicta terra exirent; quorum profectionem clamoribus ſuis urgebant Ægyptii, ibid. v. 33. haud, inquam, difficile concipitur hujuſmodi viros ad nutum Moſis, quocumque tandem is modo innotuerit, nocte ex plenilunio clara profectos eſſe. Utique novit Deus id exequi, quod ſemel exequendum decrevit.

Quod ſpectat ad vaſa quæ ab Ægyptiis mutuati ſunt Hebræi, præterquam brevis erat id moræ inter vicinos, veri ſatis ſimile eſt, quod docent Interpretes plerique, mutuationem hanc non in ipſo itineris limine, ſed ante paſchalem Cœnam, ejuſque intuitu contigiſſe. Sane nil habet Exodus de paſcha niſi cap. 12. & tamen jam a cap. 11. jubet Deus, *ut poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier a vicina ſua, vaſa argentea & aurea*.

Quid ergo, inquies, ſibi vult id Deuteron. 16. 6. *Immolabis phaſe veſpere ad ſolis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto*. R. verba hæc, *Quando egreſſus es*, idem eſſe, ac Quando te ad egreſſum comparaſti; vel, juxta Hebræum, *ſtato tempore*, ideſt eo anni tempore, menſe, & die, qua de Ægypto egreſſus es. Ita Vatablus, Cornel. a Lapide, Calmet. Inde vero quid contra nos? certe ſi ad vivum reſecetur textus ille, dicendum erit Iſraelitas vel ſtatim ab immolato phaſe, & antequam ſol omnino occubuiſſet, ex Ægypto profectos eſſe, quod & adverſariis, & Scripturæ ex æquo adverſatur; vel locum hunc non intelligi de paſcha, ſed de victimis quæ per azymorum dies immolari conſueverant; quod ingenue confitetur Aloiſius, ſed abſurde, 1. quia contra unanimem Interpretum omnium ſententiam; 2. quia contra evidentiam textus, ubi v. 4. dicitur: *Non remanebit de carnibus ejus, quod immolatum eſt veſpere, in die primo, uſque mane*; quæ propriæ ſunt agni paſchalis notæ; cum ceteris victimis pacificis, *Si quid* remanſiſſet *in craſtinum, veſci licitum* eſſet, Levit. 7. 16. 3. quia contra Scripturam, ubi Pius Rex Joſias, ſic hortabatur populum, IV. Reg. 23. 21. *Facite phaſe .... ſecundum quod ſcriptum eſt in Libro fœderis hujus*: erat autem is Liber Deuteronomii, qui nuper repertus fuerat: in eo autem toto unicus hic locus eſt in quo de paſchate mentio fiat; ergo debet is de paſchate neceſſario intelligi.

Prob. Paſcha labentibus poſt Moſem ſæculis luna exeunte 14. celebratum fuiſſe. Nempe vero ſub Joſue, hic c. 5. 10. *fecerunt phaſe* 14. *die menſis ad veſperam.* ſub Ezechia II. Paral. 30. 15. *Immolaverunt phaſe* 14. *die menſis .... juxta diſpoſitionem ac legem Moyſi.* ſub Joſia, ibid. 35. 1. *Phaſe Domino .... immolatum eſt* 14. *menſis primi*. demum ſub Eſdra Lib. 1. c. 6. 19. poſt ſuum e Babylone reditum, *fecerunt filii Iſrael phaſe* 14. *die menſis primi*. En quatuor omnino paſchata a Moſe ad Chriſtum, quorum tempus in Scripturis determinatum ſit: atqui hæc ad normam primi in Ægypto paſchatis celebrata ſunt; ergo & exeunte luna 14 celebrari debuere; proinque nulla hic contigit mutatio, quod jam nunc ob rationes ſubinde afferendas animadverti volumus.

Eamdem Chriſti ævo viguiſſe praxim liquet, tum ex iis qui ſub idem tempus, tum & ex iis qui non ita multo poſt ſcripſere. Priorum inſtar ſit Joſephus, qui Lib. 7. de Bello Jud. c. 17. ſcribit paſcha immolari

lari ſolitum diei 14. hora nona, nobis tertia a meridie. Poſteriores magno numero occurrunt Aſiatici Epiſcopi. Hi nempe, contra reliquæ Eccleſiæ morem, Chriſtianum paſcha, non prima quæ poſt lunam 14. occurreret Dominica, ſed luna ipſa 14. in quancumque hebdomadis diem incideret, manducabant Judæorum more: atqui conſtat Aſiaticos Præſules, qui ex hac ſua agendi ratione, Quatuordecimanorum nomen ſortiti ſunt, paſcha manducaſse luna 14. exeunte; ergo & eadem die paſcha ſuum manducabant Judæi.

Major & Minor æque patent ex Epiſtola, quam ea de re Polycrates Aſiæ Metropolita ſcripſit ad Victorem Papam, qui excommunicationem Aſiaticis, niſi a ſuo hoc more recederent, comminatus erat. Sic ille: *Nos verum ac genuinum agimus diem, nec addentes quidquam, nec detrahentes. Etenim in Aſia magna quædam lumina extincta ſunt, Philippus ſcilicet unus e* 12. *Apoſtolis, qui mortuus eſt Hierapoli .... Præterea Joannes, qui in ſinu Domini recubuit, & apud Epheſum obiit: Polycarpus quoque, qui apud Smyrnum Epiſcopus & Martyr fuit*, &c. *Hi omnes diem paſchæ* 14. *luna juxta Evangelium obſervarunt .... Ego quoque omnium minimus Polycrates, ex traditione cognatorum meorum (fuerunt enim ſeptem omnino ex cognatis meis Epiſcopi, quibus ego octavus acceſſi) qui quidem omnes ſemper paſchæ diem tunc celebrarunt, cum Judæorum populus fermentum abjiceret:* atqui ex dictis ſupra probatione 2. Judæi non abjiciebant fermentum niſi exeunte die 14. ergo & Judæi, & Aſiatici Chriſtiani nonniſi exeunte die 14. paſcha celebrabant. Ita & nitide Auctor Gallicus Tractatus de cruce Domini, part. 2. cap. 2. art. 3. *Apud Euſeb. Lib. 5. cap 24.*

Confirm. 1. quia qui de Quartodecimanorum diſſidio ſcripſere, Romano ritu dies numerabant, ut Epiphanius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, &c. ſed qui dies Romano more numerant, unam tantum diei 14. ut & ceteris veſperam tribuunt, eamque, ut patet, qua prædicta dies ad occaſum declinat; ergo.

Confirm. 2. quia Quartodecimani jejunabant qua die ad veſperam paſcha celebraturi eſſent, atque jejunium illud, ad exemplum ultimæ Chriſti Cœnæ, paſchali convivio ſolvebant: atqui iidem tota die 14. jejunabant; ergo ad hujus diei exitum celebrabant paſcha. Utraque propoſitio conſtat ex Epiphanio hær. 50. Auguſtino hær. 29. Chryſoſtomo & aliis.

CONCLUSIO III. Feſtorum translatio, ne biduo continenti celebrarentur feſta duo, nullius in præſenti cauſa momenti eſse poteſt; ideoque rejicienda Pauli Burgenſis opinio.

Prob. Ut alicujus in præſenti cauſa momenti eſset ſyſtema de feſtorum translatione, duo neceſsaria forent, 1. ut translatio hæc jam a Chriſti ævo locum habuiſset apud Judæos; 2. ut poſito quod ſic, potuiſset Chriſtus in paſchatis celebratione nullam ejus habere rationem: atqui utrumque falſum eſt.

Et quidem 1. falſum eſt feſtorum translationem Chriſti ævo uſurpatam fuiſse: 1. enim Nicolaus Damaſcenus, qui ſub Herode infanticida vixit, teſtatur Judæos in Parthica Antiochi pii Syriæ Regis expeditione, biduo ad Lycum fluvium ſubſtitiſse, quia occurrebant feſta duo,* per quæ non licebat Judæis iter facere: *Et verum eſt*, ait Joſephus, *quod ille ſcripſit: nam Pentecoſte inſtabat poſt Sabbatum, quo tempore noſtris iter face-* *Lib. 13. * Orig. cap. 16.*

facere nefas habetur: ergo nec Hircani, nec Nicolai Damaſceni, nec Joſephi, proinque nec ævo Chriſti inter hunc & illum medio, obtinuerat mos ne feſta duo biduo continenti celebrarentur.

2. Quartodecimani morem Judæorum in celebratione paſchatis ad unguem æmulabantur: atqui Quartodecimani Paſcha * die 14. ſeu pridie Dominicæ, ſeu poſtridie celebrabant; ergo necdum his aut illis nota erat Feriarum translatio.

3. Feſtorum translationem recentis apud ſuos inſtituti eſse, fatetur in cap. 13. Levit. Rabbi Aben-Ezra, vir apud Judæos celebris. Idem docet Rabbi Maimonides Tract. Kidduſch, cap. 7. ubi translationis hujus ritum hodiernis Hebræorum faſtis antiquiorem non eſse confitetur: hi porro faſti non ante an. Chriſti 258. a R. Ada concinnati ſunt.

4. Idem ſuadent rationes multi momenti non paucæ, 1. enim vix ac ne vix quidem credi poteſt, Judæos, diem a Moſe juſsu ipſius Dei in primario Religionis ritu præſcriptam immutare auſos fuiſſe; 2. mutationis hujus, ſi facta ſit, nec volam, nec veſtigium in totis Scripturis detegi; 3. mutationem hanc futilibus de cauſis factam eſse. Has enim recenſent Pauli Burgenſis aſseclæ, quod in terra ſole æſtuanti, & coctæ dapes, & mortuorum cadavera biduo, ac proin cum manifeſto corruptionis periculo aſservanda fuiſsent: atqui utrumque futile eſt: primum, quia quibuſcumque extra Sabbatum diebus, licebat, *quæ ad veſcendum pertinent*, præparare, prout expreſse edixerat Deus, Exod. 12. 16. Secundum, quia in neceſſitate licitum erat utraque contigui duplicis feſti die defuncti cadaver mandare humo; die quidem prima per manus Cuthæi alteriuſve alienigenæ, quod hodieque feriatis etiam temporibus præſtant Judæi, die autem ſecunda per manus etiam Judæi, prout tradit Maimonides.

His adde, prædictis incommodis non occurri per feſtorum translationem, qualem exhibet Paulus Burgenſis. Cum enim Judæi non habe-
Exod. 12. 16. rent, ut habemus nos octavam, ſed, ſi ita loqui fas eſt, azymorum ſeptimam, Paſcha in ſabbatum remiſso, *ſeptima* dies, quæ *eadem* ac prima *feſtivitate venerabilis* erat, cadebat in feriam ſextam; ergo vel in feriam quintam retrahenda erat, & tunc ſex duntaxat erant azymorum dies, vel procraſtinanda in Sabbatum, & tunc octo dies perdurabant azyma.

2. admiſsa feſtorum translatio nullius ad explicandum poſtremum Chriſti paſcha uſus eſse poteſt. Nempe vero conſtat Chriſtum ſic paſcha peregiſse, ut nemini foret offendiculo: atqui fuiſset offendiculo gravi, ſi contra translationis hujus legem, pridie paſcha manducaſset. Hæc enim lex, utpote ab auctoritate publica dimanans, gentem totam devinxiſset, ut ſcite in Epiphanium advertit Petavius ad hæreſ. 51. ergo ſi Chriſtum, qui *etiam Sabbati Dominus* erat, non obligaſset, ceteros obligaſset Judæos, qui proin cœnaculum, multoque minus cœnaculum jam ſtratum, Chriſto non præbuiſsent. Certe qui ut tributum, a quo liber erat, exolveret, miracula in indigentiæ ſuæ auxilium advocavit,

ne.

* Haud tamen in omnibus ſecum invicem conſentiebant Quartodecimani, ut videre eſt apud Epiphanium Hær. 50. alii enim Paſcha celebrabant pridie mortis, alii ipſa mortis hujus die, quam ex iis aliqui diei 21. Martii, alii diei 15. aut 16. ob variantia Pilati acta alligabant.

Digitized by Google

ne cuiquam ſcandalo foret, non is erat qui decretum ab iis qui *ſuper cathedram Moyſis* ſedebant, pluribus ante ſæculis conſtitutum, tranſgrederetur.

CONCLUSIO IV. Opinio quæ duplicem menſi Neomeniam adſcribit, & proin menſis uniuſcujuſque diem geminat, rejicienda eſt, tum Bucherii, tum & Harduini ſenſu.

Prob. 1. pars: 1. quia nullum opinionis hujus fundamentum, ſeu in Scriptura, ſeu in antiquioribus Judæorum Scriptoribus reperire eſt: quod vel unum ſufficit; 2. quia Exod. 12. 6. præcipit Deus ut agnum immolet *univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam:* quæ verba denotant ſacrificium, quod univerſa gens ſimul, & una die offerret, ut tradit Philo, Lib. de Decalogo, ac de Septenario; 3. quia primum paſcha ceterorum norma eſse debuit; cum una eademque lex pro omnibus conſtituta ſit: porro paſcha primum ab omnibus eodem tempore celebratum eſt; 4. quia præceperat Deus, Num. 9. ut qui præ immunditia menſe primo non poſſet, faceret *phaſe Domino menſe ſecundo*, 14. *die ad veſperam:* porro ſi phaſe gemino continenter die fieri potuiſset, haud neceſſum erat, ut omnes promiſcue immundi ad menſem ſecundum remitterentur: cum immunditiæ plures una tantum die perdurarent, juxta tritum id: *Immundus erit uſque ad veſperam*, Levit. 11. 24. 25. 27. &c. 5. & id præceptum erat, ut jam *a primo* azymorum *die* ad ſeptimum uſque *non* eſſet *fermentum in domibus*, imo *in omnibus finibus* Iſrael: atqui fieri id non potuiſſet, ſi alii una ante alios die paſcha celebraſſent; aut ſaltem alii aliis diutius azymis uſi eſſent. *Exod. 2. 4. & 19.*

Prob. 2. pars, 1. quia quæ breviter modo contra Bucherium propoſuimus, contra Harduinum univerſa militant; 2. quia Galilæos una cum Judæis paſcha feciſſe tradit Talmud Babylonicum, hoc ſolum diſcrimine quod dies immolandi paſchatis a ſolis ortu apud Galilæos, a meridie tantum apud ceteros feſta eſſet; 3. quia ſecunda azymorum die, menſis 16. offerebatur Homer, ſeu ſpicarum manipulus; inde vero ad Pentecoſtem uſque numerabantur dies 50. ſeu hebdomades ſeptem plenæ, ſeptemque Sabbata, quæ ordine quæque ſuo vocabantur *ſecundo primum*, *ſecundo ſecundum*, &c. ideſt primum, ſecundum, tertium, poſt ſecundam azymorum diem. Jam vero ſi duplex Galilæis & Judæis fuerit 14. dies, fuit & eis duplex 16. fuit proinde gemina offerendi ſpicarum manipuli dies; fuit identidem his Sabbatum primo primum, quod aliis erat primo ſecundum; fuit proin & duplex Pentecoſte; fuit iſtis ſolemnis dies, quæ aliis lugubris & eſurialis foret. Inde vero quæ in eadem Republica confuſio rerum? quid dignum ſumma illa Judæorum Legislatoris ſagacitate? vel potius quid non indignum Deo, qui iis populum ſuum ambagibus implicuerit, quas a gente ſua avertere moliatur Legislator humanus. His adde, juxta Harduinum, paſcha a Sacerdotibus immolandum fuiſse, quod falſum paulo poſt evincemus.

Obj. 1. id Judith cap. 8. 6. juxta Græcos Codices: *Jejunabat omnibus diebus viduitatis ſuæ, præter Anteſabbata & Sabbata, & Anteneomenias, & Neomenias, & feſtivitates*, &c. ergo duplex tunc erat Neomenia, & utraque pari celebritate agebatur.

R. neg. conſeq. non enim magis erui poteſt ex objecto textu Neomenia

menia duplex, quam duplex Sabbatum; & hoc tamen a nemine hactenus admiſſum eſt. Is ergo eſt loci ſenſus, Judith ante Sabbata & Neomenias abſtinuiſſe a jejunio, ut jam a vigilia ſanctam ſequentis diei lætitiam prægustaret.

Obj. 2. Judæi hodie in more habent ut biduo continenti feſta celebrent; ergo id habuerunt ab initio.

R. Judæos extra Palæſtinam poſitos biduo ſervaſſe Neomeniam, Paſcha, Pentecoſtem, ac Feſtivitatem tabernaculorum; quia haud tempeſtive ſatis reſcire poterant, quæ iis ſolemnitatibus a Senatu Jeroſolymitano conſtituta eſſet dies: at monent ipſi, una eademque die celebrata fuiſſe hæc feſta ab iis qui Seniorum mandata recepiſſent. Porro quam hic expendimus difficultatem, tangit hæc Chriſti paſcha in ipſa Judææ Metropoli celebratum.

Obj. 3. Luc. 3. 1. Galilæorum *ſanguinem miſcuit Pilatus cum ſacrificiis eorum:* atqui niſi ſeorſim a Judæis ſacrificaſſent, non potuiſſent ſeorſim cædi; ergo.

R. fieri potuiſſe ut Galilæi non e loquela ſolum, ſed & ex veſtimento dignoſcerentur; item, ut, quod frequens erat, plures ex iis die profeſta ſacrificando necati fuerint, ſeu quia auctore Juda illo de quo Act. 5. tributum Romanis pendere nollent; ſeu ob aliam, quæ nos prætereat, cauſam.

Obj. 4. Act. 12. *Erant dies azymorum*, cum Herodes Petrum apprehendit, *volens poſt paſcha producere eum populo;* ergo erat tunc aliquis azymorum dies ante feſtum Paſchæ: id autem eſſe non poteſt, niſi fuerint octo dies azymorum. Quorſum id vero niſi quia Galilæi per regulam *Badu* azyma, una ante ceteros die inchoabant. Ita Harduin. §. 9.

R. ſenſum eſſe quod Petrus intra azymorum octavam comprehenſus fuerit, ut peracta tota ſolemnitate daretur neci. Ex hoc autem ſenſu, qui ſolide impugnari non poteſt, quid pro plenis octo azymorum diebus?

Conclusio V. Rejicienda etiam Ferrandi opinio.

Prob. quia ſi ſemel ratum eſt paſcha lunæ 14. exeunti alligatum fuiſſe, idque reſpectu gentis totius, jam ratum erit fictitiam eſſe, quam adinvenit Ferrandus, libertatem idem paſcha pro nutu prima vel ſecunda veſpera celebrandi: atqui ex dictis hactenus, ratum eſt, &c.

Obj. Paſcha dicitur immolandum *inter duas veſperas:* atqui, *inter duas veſperas*, idem eſt ac prima vel ſecunda veſpera. Hæc enim verba; *inter duas veſperas*, idem ſunt cum iſtis: *A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra:* atqui hæc non unius, ſed binæ diei civilis veſperas ſignificant; ergo.

R. ad 1. neg. min. illud enim, *inter duas veſperas*, idem eſt, ex omnium Interpretum conſenſu, ac, *declinante jam ſole*, ſecundum id Deuteron. 16. 6. *Immolabis phaſe veſpere ad ſolis occaſum*. Neque hæc duplex ejuſdem diei, labentis ſcilicet & lapſi, veſpera, quæ Matth. 14. v. 15. & 23. diſertiſſime exprimitur, apud Judæos ſolos, ſed & Græcos apud erat in uſu, ut videris apud Calmet Exod. 12. 6.

Ad 2. neg. maj. alioqui enim per viginti quatuor horas, qua quis maluiſſet, agnum immolare licebat, quod nec quiſquam ſomniavit hactenus, nec conciliari poteſt cum citato mox textu: *Immolabis veſpere*, &c.

Con-

CONCLUSIO VI. Paſcha conſtructo jam templo, nonniſi Jeroſolymis immolari poterat: an autem in templo, & Sacerdotum miniſterio immolari deberet incertum eſt, & ad poſtremum Chriſti paſcha prorſus inutile.

Prob. 1. pars, ex Deuteron. 16. 5. *Non poteris immolare phaſe in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi: ſed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus:* atqui locus ille, qui tabernaculo ſucceſſit, ex omnium confeſſo erat urbs ſancta quam elegerat ſibi Dominus; ergo. An autem belli turbarumque temporibus ſua eſſet legi iſti exceptio, ut volunt aliqui, vide Interpretes in cap. 16. Deuteron. & II. Paralip. 25. v. 3.

Hinc obiter colliges, quid ſibi velint hæc Chriſti verba Luc. 13. 33. *Non capit*, ſeu non oportet *Prophetam* * *perire extra Jeruſalem:* ſi enim ſacrificia Jeroſolymæ affixa erant, decebat ut ibidem compleretur ſacrificium crucis.

Prob. 2. pars, quia ſua ſunt nec contemnenda utrique parti momenta. Qui volunt paſchalem agnum privatis in ædibus citra Sacerdotum operam immolatum eſſe, pugnant 1. ex Exod. 12. 6. ubi ſic: *Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael:* nulla porro deinceps apparet conſtitutio, quæ facultatem huic multitudini conceſſam abroget; 2. ex Philone, erudito viro, qui eo floruit tempore, quo ſolemnis Paſchæ ritus vigeret in Palæſtina. Is enim in Opere de Decalogo: *In die*, ait, *quem Hebræi patrio ſermone paſcha vocant, univerſus populus, & in eo unuſquiſque victimas cædit non expectatis Sacerdotibus, hac una totius anni eximia die, lege dante Sacerdotium genti toti, ut ſacrificiis operetur;* 3. quia ſub Cœſtio Judææ Præſide cæſa ſunt ducenta quinquaginta ſex agnorum millia cum quingentis: quis vero tot agnorum, tot item qui eos deferrent hominum myriades in atrio templi, etiam alternis duas intra circiter horas conſtitiſſe autumet? quis ab omnibus etiam Sacerdotum familiis ſanguinem eorum recipi, fundi ante aram, atque a carnibus adipem ſeparari potuiſſe opinetur? hæc profecto ſi fidem non ſuperant, certe fatigant plurimum.

Contrarium tamen tenent viri docti complures, præcipue vero Lamycus Tract. Hiſtor. c. 7. 1. quia Paſcha, non modo Sacramentum erat, ſed & ſacrificium: erat enim *victima tranſitus Domini*, Exod. 12. 27. & 23. 8. idque expreſſe agnoſcit Paraphraſtes Chaldæus: atqui lege cautum erat, ne *in omni loco, ſed in eo* ſolum *quem* elegiſſet *Dominus*, offerrentur victimæ & holocauſta, Levit. 17. v. 3. & 4. Deuteron. 12. v. 13. & 14. ergo. 2. quia Lib. II. Paral. c. 30. v. 1. *Miſit Ezechias ad omnem Iſrael .... ut venirent ad domum Domini in Jeruſalem & facerent phaſe Domino*. Decretum deinde eſt v. 2. & 3. *ut facerent phaſe menſe ſecundo ..... quia Sacerdotes, qui poſſent ſufficere ſanctificati non fuerant;* proinde opus erat Sacerdotum opera: unde v. 16. *Sacerdotes, juxta legem Moiſi, ſuſcipiebant effundendum ſanguinem de manibus Levitarum*. Idem ferme videris cap. 35. v. 6. & 11. 3. quia I. Eſdræ 6. 20. *Fecerunt filii tranſmigrationis paſcha .... purificati enim fuerant Sacerdotes & Levitæ ..... omnes mundi ad immolandum*

paſcha

---

* Ergo gallice verti non debet: *Un Prophete*; quandoquidem conſtet Prophetas multos extra Jeruſalem periiſſe; bene vero: *Le Prophete*, is nimirum, qui per antonomaſiam Propheta eſt. *Duguet, Traite de la Croix, part. 2. c. 2. a. 2. p. 88.*

paſcha univerſis filiis tranſmigrationis; quo nihil eſſe poſſit diſertius; 4. quia
Lami cum Cœſtius Judæorum numerum reſcire vellet, id quo fieret brevius,
pag. 128. numerarunt Sacerdotes mactatos Jeroſolymis agnos in feſto Paſchæ: eos autem qui numerare potuerunt, ſi privatis in ædibus immolabantur? 5. quia idipſum docent Rabini omnes, quorum auctoritatem in re patria ſanus nemo aſpernari poſſit.

Nec nocent, inquiunt, alterius partis momenta. Non 1. quia nil mirum, ſi in Ægypto primum paſcha, non ſecus ac alia ſacrificia, a Patribus-familias immolatum fuerit; quandoquidem necdum tunc inſtituti erant Sacerdotes Aaronici. His vero ſemel conſtitutis debuit paſcha ceterorum ſacrificiorum conditionem ſequi.

Non 2. duplici enim ex capite ſuſpectus Philo, 1. quia, ut Alexandrinus civis, longius diſtaret a Jeruſalem, ubi Paſcha, quemadmodum
Lami Alexandriæ contra legem factitabatur, a populo immolari credidit; 2.
pag. 135. quia Schiſmaticus, utpote qui in Ægyptiaco Oniæ templo vel immolaret, vel a contribulibus ſuis immolari pateretur, contra citatam ſupra Dei legem Deuteron. 16. 5.

Non 3. etſi enim atrio templi ſpatium multo anguſtius dederis, quam a celebri Villapando datum ſit, ſtat trecenta ſimul hominum millia, qui humeris vel ſupra caput agnum deferrent, ſic in atrio templi occurrere potuiſſe, ut eorum quilibet quadrum ſeſquipedale occuparet. Id au-
Lami tem ſufficit ut trecenta circiter agnorum millia intra tres circiter horas
pag. 148. mactari poſſent: cum Sacerdotes, qui ad id officii per triginta dies ſe ſe antea exercebant, rem totam mira facilitate præſtarent.

Ex his reſponſionibus prima impugnari ſolide nequit. Tertia admodum difficilis eſt. Secunda, ut doctioribus videtur, aperte falſa: cum Philo, qui & Jeroſolymam ibat adoraturus, & in re notoria nec falli nec fallere poterat, & a Joſepho vir *omnimode illuſtris* nuncupatur, nec ſchiſmatis, nec imperitiæ, nec impudentis mendacii poſtulari poſſit; ut ſolide demonſtrat Tillemontius Epiſt. ad Lamicum, nu. 31. cum autem admiſſa in præſenti Philonis auctoritate, graviter convellatur faciendæ in templo immolationis ſyſtema; videndum paucis an non probabiliter ſolvi poſſint opinionis alterius momenta.

Ad 1. itaque dicerem, nomine loci quem elegerit Dominus, intelligi poſſe Jeroſolymam totam, ſaltem quando de paſcha agitur, quod brevi temporis ſpatio non potuiſſet ab omnibus in templo offerri, præſertim inſtante imbrium copia. Quin nec unquam generaliter adeo intellecta eſt lex ſacrificandi in Jeruſalem, ut nuſquam extra ſacrificatum ſit, ut patet ex facto tum Manue Judic. 13. v. 19. tum Samuelis, qui I. Reg. 7. in Maſphath, ibid. 11. in Galgalis, & 16. in Bethleem immolavit; tum Davidis & Eliæ, quorum prior ſacrificavit in area Ornam, II. Reg. 24. poſterior in Monte Carmelo, III. Reg. 18. Certe Philonis ævo etiam extra Jeruſalem agebatur paſcha, ſeu quia in id conſenſiſſet Deus, ſeu quia connivente Synagoga divinæ legi prævaluiſſet humana conſuetudo.

Ad 2. nihil eſt in objecto textu unde colligi poſſit neceſſariam fuiſſe Sacerdotum operam ad immolationem agni paſchalis. *Miſit Rex Ezechias ad omnem Iſrael, ut venirent in domum Domini, & facerent phaſe Domi-*

Domino. Ergo phaſe faciendum erat Domino, bene eſt. Ergo idem phaſe, ſumptum pro paſchalis agni immolatione, in ipſa domo Domini faciendum erat: male. Quid ergo pius Ezechias? id unum: Venite in domum Domini, prout jubet lex, & hac occaſione facietis phaſe Domino, in loco quem elegit.

Hæc autem verba v. 2. & 3. *Decreverunt ut facerent phaſe menſe ſecundo. Non enim potuerant facere in tempore ſuo, quia Sacerdotes, qui poſſent ſufficere, ſanctificati non fuerant;* exhibent quidem operam Sacerdotum ut neceſſariam, ſed vel ad immolationem victimarum, quæ paſchali tempore mactabantur, & quibus inditum erat nomen phaſe, ut infra videbimus; vel ſi ad immolationem agni paſchalis, non quia hæc abſolute a laicis fieri non poſſet, ſed quia ab iis hoc anno fieri non poſſet, eo quod omnes pene immundi forent, & ne comedendo quidem phaſe citra diſpenſationem idonei. Utrumque habes citato capite, v. 13. & 15. *Congregatique ſunt in Jeruſalem populi multi...immolaverunt autem phaſe 14. die menſis ſecundi. Sacerdotes quoque atque Levitæ tandem ſanctificati, obtulerunt holocauſta in domo Domini*. Ecce hic Sacerdotes offerunt holocauſta, populi vero immolant phaſe, non tamen populi omnes, ſed qui ad immolandum mundi eſſent: unde v. 17. *Eo quod multa turba ſanctificata non eſſet .... idcirco* immolarunt *Levitæ phaſe his, qui non occurrerant ſanctificati Domino*.

Ceterum nec cauſa vincerent adverſarii, ſi ſupponeretur Sacerdotes hic & alias pluries immolaſſe paſcha. Scilicet enim agnoſcit Philo paſcha a populo immolari, quia *lex Sacerdotium genti toti velut gratiam concedat;* erat ergo conceſſa hæc populo phaſe immolandi facultas, gratia ſeu favor & quaſi privilegium: porro nil mirum ſi Judæi non ſemper eo uterentur privilegio, ſeu quia mundi non eſſent, ſeu quia ex deſuetudine neſcirent ritus omnes in hac immolatione obſervandos, ut Eſdræ temporibus evenit; ſeu quia ex immolatione a Sacerdotibus facta non parum celebritatis feſto acceſſurum judicarent. Ita pene Janſenius Iprenſis, & ex ipſo Duguetus ubi ſup. p. 127. ex hac reſponſione corruit difficultas ex cap. 6. lib. II. Eſdræ petita.

Ad 4. nihil ex agnorum enumeratione ſub Ceſtio peracta inferri poteſt; tum quia juxta mox allatam ſolutionem potuit Judaica plebs eo anno facultate ſibi per legem facta non uti; tum quia ut animantium, quæ Pariſiis certa die occiduntur, numerum quis reſciat, haud neceſſe eſt omnia hæc eodem in loco jugulari. *Tillem. p. 41.*

Ad 5. eo uſque mendaciis turgent Rabinorum Libri, ut ab omni apud ſenſatos fide excidere debeant; eoque magis quod mendacia hæc adverſus Chriſtum manifeſte concinnata ſint. Præcipuorum ſeriem qui volet, adeat Mauduit Diſſert. 29. §. 11.

Prob. 3. pars, quia ſi paſchalis agnus immolari debuit Sacerdotum miniſterio, nihil eſt in Evangelii textu, unde Chriſtum praxi huic defuiſſe probari poſſit.

CONCLUSIO VII. Chriſtus pridie mortis legalem agni paſchalis Cœnam fecit, idque pro certo tenendum.

Prob. 1. ex trium Evangeliſtarum Concordia, Matth. 26. *Prima die azymorum*, Luc. 22. *in qua neceſſe erat occidi paſcha*, Matth. *acceſſerunt Diſcipuli dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere paſcha. At Jeſus dixit:*

Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magiſter dicit: Tempus meum prope eſt, apud te facio paſcha cum Diſcipulis meis. Et fecerunt Diſcipuli ſicut conſtituit illi Jeſus, & paraverunt paſcha. Marc. 14. *Veſpere autem facto venit cum duodecim, & diſcumbentibus & manducantibus, ait Jeſus*, Luc. *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum. Ex hoc enim non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei:* atqui verba hæc tam plana, tam aperta ſunt, ut mirum ſit fuiſſe aliquem qui eorum perſpicuitati non cederet. Scilicet enim illud paſcha manducavit Chriſtus, quod prima azymorum die immolari neceſse erat, quod ipſo jubente paraverunt Apoſtoli quod per eoſdem promiſit Chriſtus certo homini ſe in domo ejus manducaturum; quod ut manducaret, *facta hora*, ſeu *facto veſpere* in ejus domo di-
Luc. ſcubuit; cujus manducationem a ſe deſiderio deſideratam fuiſse ſignifica-
Matth. vit, quia hanc proxime ſecutura erat mors ipſius, & prævia morti Euchariſtiæ inſtitutio: atqui hæc omnia totidem ſunt legalis paſchatis characteres; ergo iſtud a Chriſto comeſtum fuiſse ambigi nequit.

Confirm. Vel agitur in prædictis textibus de paſchate ſub veſperam ejuſdem diei comedendo, vel cum Lamyco dicendum eſt, Apoſtolos nonniſi ſub veſperam, ideſt poſt occaſum ſolis diei 13. acceſſiſse ad Chriſtum, mandata ejus excepturos in diem ſequentem, qua morte præventus, non aliud quam corporis ſui in Cruce paſcha immolare potuerit: atqui poſte-
Tillemont p. 6. 7. &c. rius iſtud dici non poteſt: 1. quia a communi ſermone prorſus alienum eſt, ut de quopiam dicatur, juſſiſse eum poſt occaſum ſolis ſibi parari cœnam, eumque facto veſpere cœnaſse; ſicut ab eodem communi ſermone alienum eſt, ut quis oriente ſole Lutetia profectus dicatur, & mane facto deveniſse Nemptodurum; 2. quia acceſserunt Apoſtoli ad Chriſtum *qua die neceſſe erat occidi paſcha*: atqui ſi Apoſtoli horis circiter 22. antequam paſcha comedi deberet, acceſserint, non hac die, ſed ſequenti, paſcha immolandum erat; cum, ex ſupra probatis, profeſti Judæorum dies non a veſpera, ſed media a nocte initium ducerent; 3. quia *acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum prima azymorum die:* atqui dies 13. ſeu (ſi male
* Supra pag 341. dies omnes a veſpera auſpicari velis *) dies 14. non computabatur ut prima azymorum dies; tum quia ad meridiem, imo, ſi ſola legis verba ſpectes, ad veſperam uſque fermentato veſci liceret; tum quia alias octo fuiſsent azymorum dies; quod etſi propter ultimas labentis diei 14.
* Lib. 2. antiq. cap 5. horas alicubi admittitur a Joſepho, * nuſquam ſic admiſsum eſt ut tota dies 14. pro azymorum prima haberetur; cum Joſephus ipſe diem ſecundam azymorum, lunæ 16. primamque proin, lunæ 15. annectat; * 4.
* Lib. 3. cap. 10. cum ad Chriſtum acceſserunt Diſcipuli, jam cœnacula faciendo paſchati parata erant & ſtrata, ut liquet ex Marci 14. v. 15. atqui cœnacula haud parata erant ſub principium noctis, a qua dies 14. initium habuiſse gratis ſupponitur: totum enim diei hujus, vel potius, ſequentis diei mane uſque ad meridiem, in inquirendo ubicumque fermento, deinque in ornandis cubiculis, impendebant Judæi; ergo non ad finem, vel poſt finem diei 13. acceſserunt ad Chriſtum Apoſtoli.

Confirm. 2. ex his, quæ menſæ accumbens protulit Chriſtus, verbis Luc. 22. *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare, &c.* hæc enim vel Judaicum paſcha directe exprimunt, vel Euchariſtiam duntaxat, vel de deſiderio inefficaci intelligi debent, itaut, *Deſideravi*, idem ſit, ac *deſideraſſem, ſi fieri*

ſi fieri potuiſſet: atqui nullum ex duobus poſtremis dici poteſt. Non 1. tum quia *hoc paſcha* ad illud refertur de quo hactenus locutus erat Evangeliſta: is autem de Judaico paſchate pluries, nihil autem de Euchariſtia locutus erat; tum quia certum eſt, Chriſtum paſcha aliquod manducaſſe, incertum vero apud Patres, an Euchariſtiam comederit; tum quia verba Chriſti rem quæ jam peracta eſt, aut ſaltem quæ actu peragitur, demonſtrant; necdum autem inſtituta erat Euchariſtia, proinque necdum poterat manducari; tum quia hæc paſchatis expoſitio illa ipſa eſt quam ſevere adeo in Marcione redarguit Epiphanius hær. 42. * Non 2. cui tandem præcipue adhæſit Lamicus. Tum quia id, *deſiderio deſideravi*, ſeu, Hebraico more, ardenter deſideravi, efficax & abſolutum deſiderium exprimit; tum quia non erat cur tantopere deſideraret Chriſtus id quod, juxta leges a ſe ipſo conſtitutas, ſciret non eſſe implendum; tum quia quam legitimus eſt ſenſus iſte: *Deſideravi paſcha hoc manducare vobiſcum; quia erit hoc ultimum, quod vobiſcum manducem*, tam abſonus, ſibique parum cohærens eſt iſte: *Voluiſſem manducare hoc paſcha, ex hoc enim non manducabo illud*. Tillem. pag. 10.

Confirm. 3. quia capi non poteſt, Matthæum, Marcum, & Lucam ita de ultima Chriſti cœna ſcripſiſſe, ut ad Joannem uſque, qui poſtremus, & ſub finem primi Eccleſiæ ſæculi Evangelium ſuum edidit, lectoribus ſuis errandi occaſionem dederint: id autem in ſyſtemate Lamyci confitendum. Si enim ab ipſo Joannis tempore paſchalem Cœnam in Evangeliſtis tribus deprehenderint Chriſtiani pene omnes, quanto plus ante Joannis Evangelium, unde tota emerſit ratio dubitandi, eamdem deprehendere debuerunt?

Prob. 2. quia ab unanimi Eccleſiæ & Patrum ſenſu recedere non licet, præſertim in materia minime indifferenti: atqui id habet Lamyci opinio, quod & ab unanimi Eccleſiæ ſenſu recedat, nec ab eo recedat in materia quæ pro indifferenti haberi poſſit.

Primum patet, 1. ex controverſia quæ prioribus Eccleſiæ ſæculis habita eſt cum Ebionitis & Quartodecimanis: hi enim ut ſuam de celebrando cum Judæis paſchate opinionem tuerentur, adducebant exemplum Chriſti qui paſcha die 14. fecerat. Id autem etſi negare commodum fuiſſet, a Catholico nemine pernegatum eſt; 2. ex facto Marcionis, qui cum quarto ſæculo poſtremum Chriſti paſcha inficiari auſus eſſet, dure vapulavit a Patribus, præſertim autem ab Epiphanio; 3. ex his nono ſæculo Photii verbis contra Scriptores duos, qui Lamyci commento prælùſerant: *Chryſoſtomus & Eccleſia aiunt Chriſtum tunc temporis paſcha comediſſe*; 4. ex iſto Humberti Cardinalis pronuntiato contra Græculos aliquot, qui ut fermento ſuo patrocinarentur, negabant Chriſtum pridie mortis feciſſe paſcha: *Quis ſanum ſapiens hoc negat*, quod iſti negant; & reipſa id ex æquo confitebantur utriuſque Eccleſiæ Theologi, cum emerſit flebile illud ſchiſma, quo hodiedum Orientales ſcinduntur ab Occidentalibus; 5. ut alia id genus non pauca prætercam, ex Tridentino, ubi de hoc capite I. & II. Sæculo.

* „ Nec eſt quod dicat, Myſterium hoc ab illo quod erat peracturus *Euchariſtiam inſtituendo*, fuiſſe nominatum, cum ita diceret: *Volo paſcha manducare vobiſcum*. Nam „ ut pudorem omni ex parte ibi veritas faciat, non ei prius myſterio operari voluit, ne „ inficiandi occaſionem haberes: ſed cum cœnaſſet, inquit, accipiens hæc & illa, dixit: „ Hoc eſt hæc & illa: nullum ut cavillandi, calumniandique locum relinqueret. *Epiph. hær. 42.* „

quaſi indubitato hæc habentur Seſſ.22. c.1. *Celebrato veteri paſcha ..... novum inſtituit* Chriſtus; quibus verbis hæc diſerte approbatur doctrina, quam ex Euchariſtico S.Thomæ Officio mutuatam tota uſurpat Eccleſia: P. 309. *Poſt agnum typicum expletis epulis, &c.* Quod enim reponit Lamycus 2.p.c.2. Tridentinos Theologos ultimum Chriſti paſcha citra examen aſſeruiſſe, ſi ab eo citra examen dictum non eſt, at ſine piaculari irreverentia dici non potuit. Non eſt quod eidem Scriptori opponamus Patres, hos enim a partibus noſtris ſtare ingenue confitetur part.2. c.2.

2. quæſtio præſens pro levi & indifferenti haberi non poteſt. Si enim legale paſcha fecerit Chriſtus, dubio procul Euchariſtiam conſecravit in azymo, ſicque extra aleam eſt Eccleſiæ Romanæ praxis. Sin autem, uſus eſt fermento. Unde vero jam probabimus valere conſecrationem in azymis factam? Ex Eccleſiæ primitivæ uſu? at cum nobis adverſari contendunt Catholici plures. Ex natura panis, quæ in azymo ut in fermentato tota ſubſiſtat? at objiciet Græculus ſchiſmatis renax, & ſub-Tillem. ſtantiam & modum panis a Chriſto præſcripta eſſe; panem ſiligineum eſſe & dici panem, dubiam tamen eſſe conſecrationem in eo factam, &c. Solventur hæc quidem a nobis: ſed an ita invicte, an ita feliciter, ac in communi celebrati a Chriſto paſchatis ſententia? non opinor, nec opinantur viri paris cum Lamyco ſcientiæ. Ut quid igitur certum quo præliemur telum abjicimus? Jubet, inquis, veritas, & Evangelici Joannis textus evidentia, Age, experiamur.

Obj. 1. Si Chriſtus paſchalem Cœnam comederit, utique ineunte azymorum feſto, ut inviolati moris erat: atqui ultimam ſuam cœnam fecit Chriſtus plena die ante azymorum feſtivitatem.

Lamy Prob. min. ex eo Joan. 13. *Ante diem feſtum paſchæ, ſciens Jeſus, &c.* 216.218. ergo. Sicut enim non dicimus id quod factum eſt die cinerum, ante quadrageſimam factum eſſe; ſic nec ante feſtum paſchæ id factum diceretur, quod inchoato jam feſto peractum foret.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. fecit Chriſtus cœnam *ante diem feſtum paſchæ*, vulgariter, & civiliter ſumptum, C. ſumptum legaliter, N. itaque dies paſchæ legaliter & ſtricte ſumptus, ſicut & alii feſti dies, incipiebat ab occaſu ſolis; unde quidquid poſt ſolis occaſum aut tota nocte fiebat, dici poterat peractum feſto die: at idem dies ſumptus populari more is erat qui tranſacta hac nocte illuceſcebat; unde quidquid mediam ante noctem factum erat, ante feſtum, aut pridie feſti peractum cenſebatur. Si ergo ſemel conſtet Judæos Scriptores de feſtis populariter locutos eſſe, nulla erit in objecto Joannis textu difficultas. Id autem conſtat, 1. ex textibus ubi dies 14. etiam poſt occaſum ſolis exhibetur ut diſtincta a prima azymorum die, utque hujus pervigilium. Sic Levit. 23. 5. *Decima quarta die menſis ad veſperam phaſe Domini erit, & decima quinta die menſis hujus ſolemnitas azymorum eſt*, & tamen quæ hic dicitur decima quarta dies, ſi legaliter ſpectaretur, eſſet decima quinta. Sic Num. 33. 3. *Profecti* ſunt *de Rameſſe* filii Iſrael 15. *die menſis primi, altera die phaſe:* & tamen dies 15. non erat a comeſto paſchate *altera* niſi populariter. Sic Joſue 5. 10. *fecerunt phaſe* (ideſt manducarunt, ſecundum id Matth. 26. *Apud te facio paſcha*) 14. *die menſis ad veſperam, & comederunt die altero azymos panes*. Sic Joſephus Lib.3. antiq. c.10. ſcribit, *nihil e convivio paſchali*

ſerva-

ſervari licuiſſe in craſtinam diem, hoc eſt 15. *& ſolemnitatem azymorum feſto paſchatis ſucceſſiſſe*. Neque vero hæc loquendi ratio Judæorum duntaxat propria eſt. Sic enim receptum eſt, populari ſermone, ut quis ipſo natalis Chriſti die, dicat ſe heri mediæ noctis Miſſam in tali Eccleſia audiiſſe; non quia heri reipſa audierit, ſed quia quæ ſomno ſejuncta ſunt, non eadem die facta videntur. *Tillem. pag.* 13.

Nec idem eſt de cinerum die relate ad quadrageſimam; nulla enim hic occurrit noctis diviſio, quæ efficiat ut dies una veluti bina concipiatur; nulla item feſtæ & profeſtæ diei diſtinctio, qualis erat apud Judæos.

Confirm. 1. quia textus Joannis plus reipſa Lamyco nocet, quam proſit. Si enim Chriſtus Euchariſtiam inſtituerit ineunte 14. die, ideſt paulo poſt finem diei 13. jam melius dixiſſet Joannes ante pervigilium diei feſtæ, quam ante diem feſtum; quia reipſa tota dies 14. erat quaſi pervigilium paſchæ, cujus ſolemnitas nonniſi inchoata jam nocte diei 15. incipiebat.

Confirm. 2. quia, ut animadvertit D. Pienud, non dixit Joannes, in vulgata noſtra, *Ante feſtum*, ſed, *Ante diem feſtum:* porro vox *dies*, eam temporis partem indicare videtur, quæ nocti ſucceſſit. *Tillem. pag.* 14.

Inſt. 1. atqui verba hæc, *Ante diem feſtum*, idem ſunt ac ante veſperam ipſam, qua paſcha juxta legem immolandum erat; ergo. Prob. ſubſ. ex Joan. 18. *Erat autem mane, & ipſi non introjerunt in Prætorium ut contaminarentur; ſed ut manducarent paſcha*. Unde ſic: Judæi nondum manducaverant paſcha, cum Chriſtum ad prætorium Pilati adduxerunt: atqui in expoſitione noſtra pridie ad veſperam paſcha manducaſſent, ut & ipſe Chriſtus; ergo.

R. 1. neg. min. ſtando in expoſitione Chryſoſtomi ſuperius allata: juxta hanc enim debuerunt quidem Principes Sacerdotum, de quibus præcipue agitur apud Joannem, pridie paſcha manducare cum ceteris: ſed diſtulerunt, ne perdendi Chriſti occaſionem prætermitterent. *Hom.* 82. *in Matt.*

Hæc autem expoſitio præterquam ex ipſo ſuo Auctore commendanda eſt, hinc ſuaderi poſſit, quod non inſolitæ forent apud Judæos hujus generis diſpenſationes. Sic aliquando extra locum quem elegerat Dominus, ſacrificatum eſt, uti diximus paulo ante. Sic & ſub Ezechia *Magna pars populi, quæ ſanctificata non fuerat, comedit phaſe, non juxta quod ſcriptum* erat in lege, II. Paralip. c. 30. 18. *Supra pag.* 352.

R. 2. diſt. textum Joannis. Non introjerunt in Prætorium, ut manducarent paſcha, ideſt victimas paſchales, quæ azymorum diebus immolabantur, & quibus veſci poterant Laici ipſi, modo impolluti eſſent, C. ideſt ut manducarent agnum paſchalem, N. Paſchatis nomen triplicem in Scripturis ſignificatum habet: 1. enim ſumitur pro tota paſchali ſolemnitate quæ diebus ſeptem celebrabatur. Sic intelligi ſolet id apud Joan. 18. v. 39. *Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum vobis dimittam in paſcha;* 2. pro agno paſchali: ſic Matth. 26. 17. *Ubi vis paremus tibi comedere paſcha;* 3. pro victimis quæ tota azymorum ſeptimana offerebantur: ſic Deuteron. 16. *Immolabis phaſe Domino Deo tuo de ovibus & de bobus*, ſeu ut clarius adhuc vertit Maimonides: *Immolabis paſcha oves & boves;* & II. Paralip. 35. verſ. 7. *Principes domus Domini* ſub Joſia *dederunt Sacerdotibus ad faciendum phaſe pecora commixtim duo millia ſexcenta, & boves trecentos, &c.* Paſcha enim ſtricte ſumptum non bovis, ſed agni mactatione pera-

gebatur. Etſi porro vox *Paſcha*, paſchales omnes victimas exprimebat, eas tamen exprimebat præcipue, quæ die 15. offerebantur, uti olim prout indubium in Harmonia ſua agnoverat Lamycus, & ex plu- *Harm. pag. 226* ribus Hebræorum Doctorum teſtimoniis probat Ligfoot in hunc locum Joannis. Has autem victimas nemo niſi mundus poterat comedere, ſecundum id Levit. 7. 20. *Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum .... peribit de populis ſuis;* ergo poſſunt Joannis verba de victi- *Tillem. pag. 19* mis paſchalibus intelligi: ſi autem poſſunt, jam debent, ne tribus Evangeliſtis Evangeliſta alter oppoſitus exiſtimetur.

Confirm. quia ſi ingreſſus in Prætorium poterat quidem arcere Judæos ab eſu victimarum, non autem ab eſu agni paſchalis, nihil jam e textu *Ib. p. 21.* Joannis in gratiam Lamyci extundi poteſt: atqui ingreſſus in Prætorium, &c. ſiquidem immunditiæ legales ut plurimum non durabant niſi ad veſperam, ut ſupra oſtendimus; ergo haud diutius durare poterat immunditia, quæ Judæos ab ingreſſu Prætorii removit; præſertim cum nullibi vetet Scriptura, ne Judæus pagani judicis ædes ingrediatur; ergo immunditia quam verebantur Judæi, impedire quidem poterat, ne veſcerentur victimis quæ ante noctem offerebantur, non autem ne comederent agnum paſchalem, qui nonniſi facta nocte, & ideo poſt veſperam comedebatur. Quidquid porro hic obloquatur Calmet, Phariſæi qui pium nomen pro viribus aucupabantur, ſedulo removebant id omne, quo a victimarum ex ſola etiam devotione oblatarum eſu potuiſſent impediri.

Inſt. 2. Feria ſexta, qua cruci affixus eſt Chriſtus, *erat paraſceve Paſchæ*, ex Joan. 19. 14. atqui id cum expoſitione noſtra ſtare non poteſt. Juxta nos enim hæc dies neque fuit præparatio ad comeſtionem agni paſchalis qui jam comeſtus erat, neque præparatio ad diem 15. quæ pene jam tota effluxerat, cum eſſet *hora quaſi ſexta*, nobis meridiana; ergo ſupereſt ut Chriſtus cruci affixus fuerit ipſa paſchæ vigilia, quæ a meridie incipiebat.

R. diſt. maj. erat paraſceve Paſchæ, ideſt præparatio ad Sabbatum, quod in hebdomadam paſchalem incidebat, C. ideſt præparatio ad diem feſtum Paſchæ, N. hæc autem ſolutio quæ Lamyciani ſyſtematis jugulum *C. 15. v. 42.* petit, patet 1. ex Marco, qui rem indubiam facit his verbis: *Erat paraſceve quod eſt ante Sabbatum*, Græce, proſabbaton: proſabbati autem nomine intelligitur feria ſexta quæ ſabbatum præcedit; & eo ſenſu intel- *Judith 7 6.* ligunt id quod Græce ſcribit Auctor ſacer, Judith diebus omnibus jejunaſſe *exceptis ſabbatis & proſabbatis;* 2. ex ipſo Joanne, qui mentem ſuam diſerte his exprimit verbis c. 19. 31. *Judæi ergo, quoniam paraſceve erat, ut non remanerent corpora in cruce ſabbato; erat enim magnus dies ille ſabbati, &c.* ergo paraſceve illud non aliud erat quam ſabbati. Unde allatus Joannis textus verti non debet cum Montenſibus; *C'etoit le jour de la prepa-* *Duguet pag. 66.* *ration de la paque*, ſeu, ut in nota exponunt, *c'etoit la veille de paques;* bene vero cum aliis: *C'etoit la veille du ſabbat de paque;* vel, ut quidam: *C'etoit le jour de la preparation, qui concouroit avec le jour de paque.*

Confirm. quia ſi paſcha non habebat paraſceve, non potuit paraſceve de quo Joannes, eſſe paraſceve paſchæ: atqui paſcha nunquam habuit paraſceve. Paraſceve enim erat præparatio ciborum, quos die ſequenti parare & coquere illicitum erat: atqui nuſquam illicitum fuit parare cibos ipſo paſchatis die. Unde Exod. 12. expreſſe permittitur prima

ma & ſeptima paſchali die quidquid *ad veſcendum pertinet* ; ergo.

Inſt. 3. Joan. 13. v. 27. & 29. Cum *Jeſus dixit* Judæ : *Quod facis fac citius*, crediderunt quidam, *quod dixiſſet ei : Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum ..... Erat autem nox*. *Lamy pag. 220.* Unde ſic : Si dies qua hæc locutus eſt Chriſtus, non fuit præparatio ad feſtum Paſchale, fuit ipſa prima paſchatis dies : atqui non fuit. Qua enim die ſic locutus eſt Chriſtus, licebat mercari & emere, ut patet ex modo quo Chriſti verba intellecta ſunt ab Apoſtolis ; licebat quoque hac ipſa die ferre arma, ut patet ex facto tum Petri, Luc. 22. 28. tum eorum qui Jeſum comprehenderunt, Matth. 26. 47. licebat & Judæo ſepelire mortuos ; cum tunc a viris Judæis ſepultus fuerit Chriſtus : atqui nihil horum licebat feſtis diebus ; non emptio, ut tradit Maimonides ; non geſtatio armorum, ut ſcribit Joſephus ; non mortuorum ſepultura, ut teſtantur Rabbini omnes ; nihil demum ſervile, demptis *quæ ad veſcendum* pertinerent, ut habetur Exod. 12. ergo.

Confirm. quia verba hæc : *Eme nobis quæ opus ſunt ad diem feſtum*, indicant feſtum adhuc ſatis procul abfuiſſe : non abfuiſſet autem, quod jam in opinione noſtra inceperat.

R. ad 1. & 2. neg. min. nam 1. ſi feſtis omnibus præter ſabbatum, licuit facere & parare quæ ad victum pertinebant, licuit & ea emere his qui alioqui cărituri eſsent. Id autem ſi quoad uſus profanos licitum fuit, quanto plus circa res ſacris uſibus deſtinatas ; ergo credere potuerunt Apoſtoli Chriſtum ſummo mane ſacrificia oblaturum, & ideo jam tunc victimas emendas præcipere. Idque eo verius eſt quod Judæi nihil eorum quæ ad obeunda ſacrificia ſpectabant, templi ac Feſtorum ſanctimoniæ nocere opinabantur, *Marc. 15. 42. 46.* cum qui vel ipſum ſabbatum violabant in templo, ſine crimine eſsent, Matth. 12. 5. unde id eorum juris, *in templo non eſſe ſabbatum* ; 2. quia poſt mortem Chriſti, *cum jam ſero factum eſſet, Joſeph ab Arimathæa mercatus* eſt *ſindonem* ut involveret corpus Jeſu ; *Luc. 23. 36.* quo etiam tempore mulieres ſanctæ *paraverunt aromata & unguenta* : atqui tamen tunc Feſtum agebatur a meridie juxta Lamycum *Tract.* pag. 222. & 223. *Tillem. pag 15.* ergo quidquid ille velit, & emere, & quædam, quæ ad victum non attinerent, parare licitum erat.

Ad id quod additur de armorum geſtatione : R. ſumpſiſse Petrum arma ad Magiſtri ſui defenſionem, & ipſo monente, Luc. 22. 36. atqui arma in hac occaſione ſumi poſse ſolemniter decreverant Machabæi, idque citato mox loco confirmaverat Chriſtus.

Nihilo plus urget id quod de mortuorum ſepultura perhibent : hanc enim pro pietatis opere, non autem pro opere ſervili quod vetitum eſſet, habitam fuiſse probat agendi ratio juſti Tobiæ, qui *cum eſſet dies feſtus Domini ..... occiſi Judæi corpus portavit ad domum ſuam occulte, ut, dum ſol occubuiſſet, caute ſepeliret eum ; caute*, inquam, non Religionis ergo, ſed præ metu. *Tob. 2. 1. & ſeq.* Et vero fas erat feſtis diebus reos ſupplicio afficere, ut ſtatim videbimus ; ergo & fas eoſdem ſepelire : cum præciperet lex Deuter. 21. 23. ne *cadaver* hominis in patibulo appenſi permaneret *in ligno, ſed in eadem die ſepeliretur*.

Ad confirmationem dico ex ea erui contrarium ejus quod Lamycus intendit. Si enim, ut ipſi videtur, Feſtum horis circiter 22. abfuiſset, quorſum tanta feſtinatio ut emerentur quæ commodius die ſequenti com-

parari potuiſſent? Certe quæ quis nocte pene concubina emit, his primo mane egere cenſetur; ergo in mente Apoſtolorum Feſtum erat poſtera die, horis etiam matutinis.

Inſt. 4. Ergo Chriſtus ipſa feſta die, omnium maxime ſolemni, comprehenſus eſt, in judicium vocatus, condemnatus, & affixus cruci: atqui conſtans eſt Rabbinorum omnium vox, judicia omnia, multo autem magis capitalia quæcumque, feſtis diebus fuiſſe prohibita; ergo.

R. 1. tam potuiſſe Judæos has leges tranſgredi, quam potuerint in Chriſti morte non modo ſanctiſſimas æquitatis, ſed & Rabbinicas etiam leges violare, ex quibus tam confidenter argumentatur Lamycus: atqui & iſtas violavere. His enim cautum eſt ne judicia capitalia nocte inchoentur; ne qua inchoata ſunt die, eadem abſolvantur; ne pridie Feſti aut Sabbati exerceantur; ne rei duo ſimul judicentur; ne reus quis ante veſperam morte afficiatur: hæc porro cuncta violarunt Judæi in Chriſti judicio; quidni igitur & cetera violaverint?

2. perſuadere ſibi potuerunt viri furoris & vindictæ pleni, e religione ſua eſſe, ut in die feſto eum occiderent, quem Sabbati & Religioni ſuæ hoſtem infenſiſſimum judicabant, cujuſque mors citra gentis totius periculum differri non poſſet. Adde quod, ut tradit Auguſtin. Hom. 114. in Joan. omnem ſibi noxam demere viſi ſint, cum eum Romanis militibus, Romanoque judici tradiderunt: quod enim eum comprehenderint, atque vinculis oneraverint, lege prohibitum non erat: quandoquidem conſtet eum qui Sabbato ligna colligebat, eadem die conjectum fuiſſe in vincula, forſque traditum morti; unde nova nobis exurgeret probatio.

Tillem. pag. 77. *Num. 15. 32.*

3. Refert Lamycus ipſe varia Thalmudis loca, quibus is Hebræorum mos fuiſſe dicitur, ut facinoroſorum ſupplicia in proximum ſolemne feſtum reſervarent, quo plures intueri, plures etiam metu commoveri poſſent. Atque his favet quæ contra a quibuſdam objicitur Judæorum vox, Matth. 26. 4. *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.* Hic enim non Religionis honos, ſed turbarum & ſeditionis timor a Chriſto pet diem ſolemnem mactando avocabat.

Lamy p. 18. 242. 4. Juxta Lamycum crucifixus fuit Chriſtus poſt meridiem, quo tempore, juxta eumdem Lamycum, vetitum erat ſub excommunicationis pœna ne quis laboraret, quia tunc ex ipſo jam inceperat feſtum paſchale; ergo quas objicit difficultates, has ipſe ad minus ex parte ſolvendas habet. His poſitis, neg. min. prout mendacibus Rabbinis fidem habendam eſſe ſupponit.

Ob. 2. Id Pilati apud Joan. 18. 39. *Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum vobis dimittam in paſcha:* atqui per paſcha hic intelligitur dies, qua immolabatur agnus paſchalis. Minorem probat Lamycus, quia vincti dimiſſio exigeret judicialem ſtrepitum, qui magno azymorum die prohibitus erat.

Id. p. 230.

R. neg. min. ſcilicet enim vox *paſcha* ſolemnem azymorum diem ſignificat in Evangelio, ſecundum id Luc. 22. *appropinquabat dies feſtus azymorum, qui dicitur paſcha.* Et vero ſentiunt non pauci ex adverſariis noſtris poſt Ligfoot, hanc unius vincti dimiſſionem a Judæis poſtulatam eſſe in memoriam exitus Iſrael de Ægypto: porro diſerte teſtatur Scriptura Iſraelitas die 15. menſis Niſan ex Ægypto profectos eſſe; ergo locus iſte, ſi quibus, nobis certe favet.

Obj. 3.

Digitized by Google

Obj. 3. Idem Joannes cap. 19. 31. *Judæi ergo*, inquit, *quoniam paraſceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura*, &c. atqui verba iſthæc clare indicant, diem ſequentis Sabbati fuiſse ipſam azymorum ſolemnitatem. Alioqui enim ſcribere debuiſſet Joannes: *Erat enim magnus dies illud Sabbatum*; non autem, *Magnus ille dies Sabbati*, ſeu ut aliæ ferunt verſiones: *Erat hæc magna dies illius Feſti*; de quo vide editiones Rob. Stephani, Bezæ, &c.

Confirm. quia vix animo concipi poteſt, Judæos ferre non potuiſſe, ut crucifixorum corpora in cruce remanerent Sabbato, tuliſſe vero tam patienter, ſeu potius egiſſe tam furialiter ut in ſolemni azymorum die crucifigerentur.

R. ad 1. neg. min. quidquid enim dicat Lamycus, vix ac ne vix quidem fieri poteſt, ut Sabbatum altera azymorum die occurrens, non haberet aliquid ceteris ſolemnius, 1. quia duas complectebatur ſolemnitates, Sabbati ſcilicet & azymorum; 2. quia longe major in eo quam in ceteris erat populi concurſus, major proin numerus victimarum; 3. quia conſtat apud Judæos extitiſse Sabbatum aliquod, quod magnum nuncuparetur. Id autem a paſchalis hebdomadæ Sabbato aliud eſse non poteſt: quod enim Sabbato paſcha præcedenti denominationem hanc tribuunt aliqui, nihil fundamenti habet. Atque hinc vaneſcit grammaticalis difficultas textus. *Tillem.*
Ad quid enim vellicare verba, cum de ſenſu conſtat. *p. 23.*

Ad confirm. Fecit atrox Judæorum furor, ut Chriſti mortem accelerarent, quod quantum ad reos feſtis diebus illicitum non erat, ut vidimus. Fecit vero ſtudium aliquale Religionis, ut crucifixorum corpora tollerent e cruce, quia id lege præceptum erat.

Obj. 4. Uno ore docent Rabbini non potuiſse comedi paſcha niſi ab eo qui eadem die templum inviſiſset; qui immolationis tempore in urbe fuiſſet; qui expendiſset an agnus conditiones lege præſcriptas haberet, qui hunc jam a die 10. præparaſset. Conſtat rurſus paſcha a ſtantibus, quique renibus accinctis bacculum manu gererent, manducandum fuiſse, prout præſcribitur Exod. 12. atqui nihil horum fecit Chriſtus.

R. Rabbinos, ut Chriſtum, quem pridie mortis paſcha feciſse non dubitabant, in legis violatorem traducerent, duo priora quæ hic objiciuntur, finxiſse; prout & finxerunt, poſt cœnam paſchalem haud licitum fuiſse ab urbe egredi, ne peccaretur contra id Exod. 12. 45. *Nec efferetis* (etiam in ſtomacho, ajunt Rabbini) *de carnibus ejus foras*. Quo de vide Mauduit, diſsert. 20. §. 12. pag. mihi 313.

Quod additur de expendendis agni conditionibus, eoque jam a die decima præparando, nullam faceſſit difficultatem, quæ poſtremum Chriſti paſcha ſpectet magis, quam alia ejuſdem paſchata; unde ſi in his, tacente licet Evangelio, quidquid legis erat impleſse merito præſumitur, ita & in poſtremo impleſse præſumi debet. Quanquam aſserere auſim, nec opus, *Duguet*
nec potis fuiſse, ut centena tot millia Judæorum, qui ſub paſcha ex uni- *p. 129.*
verſis mundi partibus Jeroſolymam denſis agminibus confluebant, vel omnes ante decimam diem adventaſsent, vel omnes agnum mercarentur & expenderent. Unde quiſque hoſpitis ſui vel amicorum fidem ſequebatur, idque citra ſcrupulum fieri poterat apud gentem extra metas omnes

ſuper-

Digitized by Google

ſuperſtitioſam. Et vero Exod. 12. 4. præceptum erat, ut ſi in domo *minor* eſſet *numerus*, *ut ſufficere* poſset *ad veſcendum*, aſsumeret quis *vicinum ſuum*. Hæc autem vicinorum, vel hoſpitum *contubernia*, *non pauciorum*, *quam decem virorum* fiebant: *multi etiam* conveniebant *vicini*. Hi porro omnes quid præſtare aliud poterant, quam ut ſe quantum ad agni conditiones vicini ſui fidei committerent.

Joſeph. L. 7. de Bello Jud. c. 45

Circa ceteros ritus non conveniunt inter ſe ſeu Judæi, ſeu Chriſtiani Doctores. Alii, ut Epiphanius hær. 70. de his generatim intelligunt id Exod. 12. v. 25. *Obſervabitis cæremonias iſtas in perpetuum* ſcilicet, uti paulo ante dicitur. Alii eoſdem ritus ad ſolum Ægypti paſcha pertinuiſse volunt: ita Rabbini ipſi, quos inter Maimonides addit, non modo haud debuiſse, ſed nec potuiſse Judæos agnum ſtantes comedere. Certe quia bacculum in primo paſchate geſtarint Judæi, haud colligi poſſit ſtetiſse eos pedibus, cum agnum comederenr. Utut eſt, probari nequit a Chriſto prætermiſsum fuiſse quidpiam eorum quæ lege præciperentur. Quod enim *diſcubuiſſe* legitur, in cœnam communem, non in agni eſum refundi poteſt, ut notant Cornelius a Lapide, & Janſenius.

Lamy p. 193. Objicit 5. Lamycus demonſtrationem, ut vocat, mathematicam, quæ ſic paucis proponi poteſt. Spiritus S. in Apoſtolos deſcendit die Pentecoſtes Judaicæ, quæ in feriam primam nobis diem Dominicam incidebat, ut tota credit Eccleſia, & inter alios docent Auctor Conſtit. Apoſt. L. 5. c. 20. Auguſtinus in Pſalm. 50. & alibi, S. Leo Ep. 11. c. 2. & ſupponit Concilium Trident. atqui ſi Chriſtus mortuus eſset die lunæ 15. non deſcendiſset Spiritus Sanctus in Apoſtolos Dominica die.

Prob. min. feſtum Pentecoſtes contingebat poſt ſeptem hebdomadas plenas a die quo offerebatur Homer, ſeu novarum ſegetum manipulus, ex Levit. 23. 15. & conſequenter 50. poſt hanc oblationem die, ſicque ſemper eadem celebrabatur die, qua oblatus erat manipulus: atqui manipulus ille neceſsario offerebatur die 16. menſis Niſan. Offerebatur enim *craſtina die poſt primam azymorum*, ut habent LXX. Levit. 23. & expreſse tradit Joſephus Lib. 3. Antiq. c. 10. jam vero dies illa erat 16. menſis Niſan; cum prima dies azymorum eſset 15. cujus ad veſperam ineuntem factum erat phaſe; ergo anno quo mortuus eſt Chriſtus, oblatus eſt manipulus die, ut nunc loquimur, Dominica; cum eodem anno occurrerit Pentecoſte die Dominica; ergo eadem Dominica dies erat dies 16. ergo dies Sabbati erat dies 15. ſeu magna azymorum ſolemnitas; ergo rurſus agnus paſchalis feria ſexta ſeu veneris die ad veſperam comeſtus eſt; ergo cum Chriſtus hac ipſa die, hora poſt meridiem tertia, crucifixus fuerit, non potuit ſub ejuſdem diei veſperam comedere paſcha.

Tillem. Lettre n 13. R. hic equidem opus eſse demonſtratione mathematica, cum debiliori machina communis omnium ſententia impugnari nequeat; ſed reipſa mathematicum nihil afferri, quia nihil niſi incertum afferatur: 1. enim incertum eſt an Dominica die in Apoſtolos deſcenderit Spiritus Sanctus; nulla enim certa rei hujus apud veteres extat auctoritas, præter S. Leonis, qui nec in hujuſmodi factis admodum accuratus eſt, nec ante ſæculum V. ſcripſit. Auguſtinus enim rem habuit pro dubia, cum alibi, nempe in Pſalm. 9. & Epiſt. 55. ſcribat Spiritum Sanctum die ab occiſo Chriſto 50. deſcendiſſe.

2. ad-

Digitized by Google

2. admiſſa, cum Tridentino, communi opinione, quid tum? deſcendit, juxta Græcum textum, Spiritus S. *in compleri dies Pentecoſtes*, quæ vox jam exactum Feſti tempus ſignificare poteſt, ut ſignificat Levit. 12. 6. Eſther 1. 5. & alibi. Et vero, ajunt plures cum Ligfoot, decebat, ut, quemadmodum Judaicæ Religioni Chriſtiana, ſic & Judaicis Feſtis Chriſtianæ Solemnitates ſuccederent: idque jam ab initio curaſſe videtur legis novæ Artifex. Cum enim Judaicum paſcha die 14. immolaretur, voluit ipſe, *paſcha noſtrum*, die 15. immolari: die 16. offerri conſueverant primitiæ; Chriſtus, qui *primitiæ* dicitur ab Apoſtolo, die 17. Deo ſe redivivum obtulit; indeque effectum, ut Sabbato ſucceſſerit Dominica; ergo pari jure cavendum fuit ut Spiritus S. in Apoſtolos deſcenderet, non qua die celebrabatur Pentecoſtes Judæorum, ſed cum jam *completa* eſſet ejuſdem celebratio. Neque his nocere poteſt, quod *facta hac voce* quæ Spiritus illapſum annuntiabat, *convenit multitudo ex omni natione quæ ſub cœlo eſt*; ad id enim, ut fatetur hic Mauduit diſſert. 6. ſufficit ut qui pridie Feſtum celebraverant, necdum ad ſua reverſi eſſent: forſque major, altera poſt Pentecoſtem die, multitudo concurrere potuit, quam die ipſa, cujus *hora nona*, quæ ſacrificiis & orationi præcipue dedita erat, pars longe major fuiſſet in templo. *Act. 2. 5. & 6.*

3. nec prorſus conſtat dies 50. numeratos fuiſſe a die 16. incluſive, ut contendit Lamycus: aliter enim Penenudo videtur, neque is ex Scriptura revinci poteſt. Quin & cenſent Judæi Caraitæ, ii nimirum qui rejectis traditionibus ſoli Scripturæ inhærent, verba hæc Levit. 23. 15. *Numerabitis ab altero die* SABBATI, *in quo obtuliſtis manipulum primitiarum*, (Homer) *ſeptem hebdomadas plenas*, non de altero *Feſti* azymorum die, ſed de altera poſt *Sabbatum* paſchale ſtricte ſumptum die eſſe intelligenda: nec dubium quin in ſenſum hunc vehementer inclinet *Sabbati* nomen, quo utitur Moiſes. Sed quia non tam hic agitur de vero Scripturæ ſenſu, quam de uſu qui apud Judæos invaluerat; & aliunde ex Joſepho & Philone certum videtur dies quinquaginta a ſecundo azymorum die Chriſti ævo numerari conſuetos; idcirco *Tillem. ibid.*

4. dicimus, anno 33. quo contigit mors Chriſti, dies de quibus agitur, numeratos fuiſſe a die 17. quia dies 16. concurrebat cum Sabbato; per quod cum nec arare, nec metere liceret, Homer offerri non potuit. Jam vero ſi a die 17. quæ Judæis feria prima, nobis Dominica, erat, numerentur ſeptem hebdomades plenæ, perſpicuum erit diem Pentecoſtes, quæ dies erat 50. in eamdem feriam primam incidiſſe. Hæc ſolutio firmari poteſt teſtimonio Judæorum, qui apud Burmaum Tract. de Paſchate, demeſſionem Homer in feriam primam remiſſam eſſe volunt quoties azymorum dies ſecunda cum Sabbato concurrebat. *Diſp. 2. p. 284.*

At, inquit Lamycus, *Sacerdotes*, teſte Chriſto, Matth. 12. 5. *in templo Sabbatum* violabant, & erant *ſine crimine*. Bene quidem ſi Homer in templo demetendum fuiſſet, & non in agris. Certe quo in loco Scriptura manipulum offerri jubet, in eodem generatim & indiſtincte vetat, ne Sabbato aretur aut metatur: vid. Exod. 34. 21. & 22. Ex his patet meras pene a Lamyco objici probabilitates, quæ nuſquam ad demonſtrationem pertingere valeant. *Lamy p. 207.*

Obj. 6. Judæi non a conjunctione media, ſed a primo lunæ conſpe-

ctu

Digitized by Google

ctu menſes ſuos ordiebantur : atqui hac admiſſa computandi ratione dies 14. menſis Niſan an. 33. in feriam ſextam incidit ; ergo nonniſi poſt Chriſti mortem paſcha comedi potuit.

R. argumentum iſtud in eo, non ſecus ac cetera, peccare, quod ut certa ſupponit, quæ admodum dubia ſunt. Contendunt enim multi Judæos, præſertim ab Alexandri magni tempore, ſat aſtronomiæ peritos fuiſſe, ut conjunctionem lunæ æquo calculo computarent, & ab ea menſes ſuos ordirentur. Neque contrarium ex Philone probari poteſt, ut ſolide oſtendit Tillemontius, n. 15. 16. & 17. Alii etſi Judæos menſibus ſuis a prima phaſe initium feciſſe velint, exiſtimant tamen fieri facile potuiſſe, ut an. 33. decimaquarta menſis dies in feriam quintam inciderit; ſeu quia Judæi errorem ſuum circa conjunctionem corrigerent ex phaſe ipſa, judicando nimirum diem, qua lunam primum intuebantur, reipſa eſſe ſecundam menſis; ſeu quia tabulæ ſeu cycli quibus uti cogebantur, non poterant adeo accurati eſſe, ut nunquam deficerent. Si enim hodiernæ Chriſtianorum epactæ ſæpe ſæpius deficiunt a vero; quanto facilius potuit id evenire ævo illo antiquiori, ubi longe rudior erat aſtronomia? Utraque ſolutio admitti poteſt : verior tamen videtur prima, cum præſertim propter nubes non ſemper poſſet conſpici luna.

Obj. 7. cum R. P. Calmet in ſpeciali ea de re Diſſertatione : Poſtremi ſex vitæ Chriſti dies cum ſupremo ejus paſchate conciliari non poſſunt. Siquidem *ante ſex dies paſchæ venit Jeſus Bethaniam*, Joan. 12. 1. atqui harum ſex dierum prima, erat prima Sabbati, nobis Dominica; ergo ultima, quæ dies erat Paſchæ, erat feria ſexta, cujus ad veſperam Chriſtus jam mortuus paſcha facere non potuit.

** Die Domin. Niſan 9. Martii 29.* — ** Die Lunæ.* — ** Die Martis.* — ** Die Mercurii.*

Prob. min. prima hac * e ſex prædictis diebus cœnavit Chriſtus *in domo Simonis Leproſi*, Matth. 26. 6. Die ſecunda *, quæ Niſan decima erat triumphanter Solymam ingreſſus eſt, eique plebs cum palmis obvia venit, Joan. 12. 12. & 13. hac eadem die *cum jam veſpera eſſet hora* rediit *Bethaniam*, ibique noctem egit, Marc. 11. v. 11. Et *alia*, ſeu poſtera *die* *, quæ proin erat Niſan undecima, *cum exiret a Bethania*, ficui ſterili maledixit, ibid. v. 12. & 14. *Cum* autem *veſpera facta eſſet* egreſsus eſt *de civitate*, ibid. 19. & Bethaniam regreſſus eſt. *Mane* diei ſequentis *, qui proin erat 12. Niſan, *cum* Apoſtoli qui Chriſtum ſtipabant, *tranſirent*, *viderunt*, & mirati ſunt *ficum aridam factam a radicibus*. Diem hanc in templo egit Chriſtus; indeque egreſſus ad Oliveti montem, ruinam templi prædixit, Matth. 24. 3. & Marci 13. 3. *erat autem paſcha & azyma poſt biduum*, Matthæi 26. 2. & Marci 14. 1. ergo non die ſequenti, quæ Jovis erat, ſed poſtridie, quæ Veneris, celebranda; ergo.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. ut gratis fictam : unde enim revincet Calmetus eos qui primam hanc ſex dierum de quibus loquitur Joannes, ordientur a feria VI. præcedenti cum Cornelio a Lapide? unde rurſus eos impugnabit, qui eamdem diem cum P. l'Allemand auſpicabuntur a Sabbato? hinc forte quod Sabbatis iter facere non liceret : id autem de modicis itineribus falſum eſt; cum ipſa etiam Sabbati die ſtadia quindecim, ideſt parvam Galliæ leucam decurrere poſſent Judæi, ut ex Marci 11. v. 1. & Act. 1. v. 12. feliciter oſtendit idem P. l'Allemand. Nihil autem eſt in Evangelio unde conjici poſſit Chriſtum, ex civitate Ephrem in quam ſe rece-

receperat Joan. 11. 54. profectum fuiſſe, & eadem die adveniſſe Bethaniam. Imo ſi conſulatur Toinardi harmonia, profectus eſt Chriſtus ex Ephrem in Jerico, & in vicina loca: unde paulatim potuit Bethaniam regredi. Sed neque abſurdum eſt ut Joannes intra ſex de quibus loquitur dies eam numeraverit, qua Chriſtus Bethaniam ſe contulit; cum & id etiam faceret S. Evangeliſta in ſyſtemate Calmeti, niſi is omnes Judæorum dies a veſpera in veſperam duceret; quod ſupra oſtendimus male fieri; & plura id genus exempla ſuppeditent Scripturæ; ergo commoda illa ſex poſtremorum Chriſti dierum ordinatio, quam adinvenit vir pietate ut & doctrina inſignis, ad nutum ficta eſt.

Obj. 8. Gratis fingimus veteres Patres in aſtruendo ſupremum Chriſti paſcha conſpiraſſe. Contrarium enim docuere Apollinaris Hierapolitanus, Clemens Alexand. Hippolytus Portuenſis, & Petrus Alexand. Martyr, quorum excerpta exhibet Auctor Chronici paſchatis in Præfatione.

R. Auctorem hunc non ſubleſtæ modo, ſed & nullius prorſus fidei eſſe, cujus opus & mendaciis ſcateat & erroribus; quique quo poſtremum Chriſti paſcha convellat, magna apud antiquos nomina impudenter conquiſierit, ut quod ſolidis rationibus non poterat, id auctoritatibus aſtrueret ementitis, ſed tam pingui minerva ementitis, ut notioribus hiſtoriis contradicat. Sic, ut cetera omittam, quæ riſu quam confutatione digniora ſunt, inducit Petrum Alexandrinum quaſi qui Athanaſium ut Eccleſiæ totius lumen celebret, & Nicæni Concilii auctoritatem laudet: qui vero fieri poſſit ut Petrus an. 310. martyrii lauream adeptus, & Nicænam citaverit Synodum, quæ an. 325. habita eſt; & Athanaſium ut Eccleſiæ totius lumen prædicet, cum is an. 310. annos, ut magis, 16. aut 17. attigiſſet. Apage impoſtorem, & qui in uno mendacem nactus es, in ceteris mendacem ſuſpicare. Interim qui ad fictitia argumenta confugere coactus eſt, ſenſit ſe genuinis eſſe deſtitutum.

Inſt. Atqui antiqui Patres idem cum Patribus ab Auctore citati Chronici adductis ſenſere; ergo. Prob. ſubſ. ex Tertulliano qui Lib. contra Judæos cap. 8. docet Chriſtum occiſum fuiſſe *die prima azymorum, quo agnum ne occiderent* Judæi *ad veſperam, a Moiſe fuerat præceptum;* idque ut impleretur iſtud de Chriſto prophetice dictum: *Immolabit eum omnis multitudo filiorum Iſrael:* unde & adjecit Moſes, *paſcha eſſe Domini, ideſt paſſionem Domini; quod ita quoque adimpletum eſt*, ait ibid. cap. 10. Tertullianus Judæos alloquens, *ut prima die azymorum interficeretis Chriſtum;* ergo Chriſtus ea die & hora paſſus eſt qua immolabatur agnus paſchalis, quem proinde comedere non potuit. Idipſum docet Auguſtinus Tract. 50. in Joan. neque hinc recedit Irenæus L. 4. adverſus hæreſes c. 23. Unde inique prorſus Lamyci ſyſtema temerariæ novitatis incuſatur.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. dico ex paucis iis Patribus, qui Chriſtum cum mactaretur agnus, occiſum fuiſſe volunt, ne unum quidem eſſe, qui directe neget eum pridie mortis paſcha comediſſe; vel potius, ne unum quidem eſſe, qui contrarium alibi non aſſeveret, ut videre eſt apud Tertullianum Lib. 4. contra Marcionem, ubi ex poſtremo Chriſti paſchate probat, Chriſtum veteris legis adverſarium non fuiſſe; & Auguſtinum Ep. 31. c. 13. Quapropter vel exiſtimarunt Chriſtum paſcha præveniſſe, vel iſtud a Judæis fuiſſe dilatum, Deo ita res ordinante, ut qua die & hora immolabatur

paſcha-

paſchalis agnus, eadem immolaretur agnus qui tollit peccata mundi; vel, ut iis qui plura ſcribunt evenit, ex incogitantia ſolemnem azymorum diem confunderunt cum ea qua paſcha immolabatur; vel demum horam ſtricte ſumentes, diem latius ſumpſere; itaut reapſe hora tertia immolatus ſit Chriſtus, & quidem prima azymorum die, ſed computata inter azymos dies die 14. quia in ea a meridie aut circiter fermentato interdictum erat. Certe ſi qui Patres alicubi pro Lamyco, alicubi pro nobis pugnent, jam ſi proprie noſtri non ſunt, nec proprie Lamyci eſſe poſſunt: porro ex Patribus mediis quid contra unanimem ceterorum ſententiam?

CAPUT TERTIUM.

De Materia Euchariſtiæ.

CUm Chriſtus corpus ſuum in Euchariſtia per modum cibi, ſanguinem vero per modum potus dare voluerit, neceſſum eſt ut alia ſit materia *ex qua* corpus, alia *ex qua* ſanguis conficitur. Rurſus autem cum utraque tum ex Scriptura, tum & magis ex quotidiano Sacerdotum uſu plus ſatis intelligeretur, mirum ſi quid unquam erroris in præſenti irrepere potuerit. Irrepſit tamen, nec unus, circa utrumque caput.

1. enim Gnoſtici, miſeri Simonis miſera propago, humanum ſemen *cavis manibus* exceptum, horreſcens refero *ad univerſorum*, ut ajebant, *parentem offerebant, cum hoc ſolemni carmine: Hoc tibi munus, nimirum Chriſti corpus, offerimus*. Ita Epiphanius hær. 26. ubi & abominandum aliud fœtus ex utero, *quocumque iis tempore* videbatur, extracti, & *in mortario piſtillo* tunſi ſacrificium refert, quod illi ſacrilego furore *perfectum eſſe paſcha* blaſphemabant.

2. Artotyritæ, qui ut primorum hominum oblationes de ovium & terræ frugibus factas æmularentur, Euchariſtiam ex caſeo & pane conficiebant, & hoc nomine, licet reclamet Vaſquez, hæreticis adſcripti ſunt ab Auguſtino hær. 28.

3. Cataphrygæ, qui conſperſa, infantis anniculi ſanguine minutis punctionibus elicito, farina, Euchariſticum ſibi panem conficiebant; & infantem, ſi periret, pro martyre, ſi ſuperſtes ageret, pro magno Sacerdote habebant. Quo de adi Auguſt. hær. 26.

4. Aquarii, qui a vino *abſtinentes*, unde *Encratitæ* dicti ſunt, calicem in ſola aqua conſecrabant. Factum id potiſſimum fervente Decianæ perſecutionis æſtu, ne ex vini in myſteriis poti odore dignoſcerentur. Cyprian. Epiſt. 63. Auguſtinus hær. 64.

5. Armeni altaris vinum nulla miſcendum eſſe aqua ſenſerunt, jam a tempore Concilii Trullani, & hodiedum ſentiunt, niſi, quod in tribus Synodis polliceri viſi ſunt, ab ea praxi tandem receſſerint. Horum errorem amplexus eſt Lutherus Lib. 1. contra Regem Angliæ, ubi melius *An. 1522* eſſe dicit, ſi aqua vino non miſceatur, quia miſtio hæc humanum ſit commentum. Lutheri veſtigiis inhæſit Calvinus. Aliud ſtatuebat edita ſub Eduardo VI. an. 1548. Anglicana Liturgia. At Pſeudoreformatorum

qui

Digitized by Google

qui in Angliam confluxerant, clamoribus effectum eſt, ut miſtionis hujus præceptum eraderetur in Liturgia, quæ juſſu Londinenſis Curiæ an. 1552. promulgata eſt : atque hic grandis quæ etiamnum inter Anglicanos perſeverat controverſia, an in calice aquam vino miſceri oporteat. De his adi expoſitionem litteralem P. Le Brun, tom. 3. diſſert. 10. art. 12.

Pene exciderat, e Græcis plures eſſe, qui conſecrationem in azymo factam pro irrita habeant. Ita an. 1053. Michael Cærularius CP. Patriarcha, qui propterea Latinos invidioſo Azymitarum nomine donabat : quam accuſationem præterito ſæculo renovavit Hieremias CP. in cenſura Auguſtanæ Confeſſionis, de qua ſupra. De his ut aliqua methodo diſſeramus, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

De Materia ex qua ſit corpus Chriſti.

Expendam 1. an materia hæc ſit panis triticeus; 2. an ad Sacramenti ſubſtantiam perinde ſint azymus panis & fermentatus; 3. an cuivis alterutro uti licitum ſit ; 4. an uterque quovis tempore promiſcue & æqualiter fuerit in uſu. Sit

Conclusio I. Panis, iſque triticeus, neceſſaria eſt Euchariſtiæ materia.

Prob. 1. pars. Ea eſt neceſſaria conficiendi Chriſti corporis materia, quam Chriſtus uſurpavit, quam ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus uſurpari præcepit, quam iidem conſtanter uſurparunt, & ab omnibus uſurpari voluerunt : atqui 1. *accepit Jeſus panem, benedixit, fregit, deditque Diſcipulis, dicens : Accipite*, &c. Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 12. 2. idem ab Apoſtolis, quorum in perſona futuros deinceps Sacramenti ſui Miniſtros alloquebatur, fieri præcepit : *Hoc facite*, &c. 3. idem uſurparunt Catholici quicumque Eccleſiæ Miniſtri, ut declarant tot eorum teſtimonia, unde probavimus Chriſtum panem tranſmutaſſe in corpus ſuum, & vinum in ſanguinem; 4. idem uſurpari præceperunt in Conciliis Epiſcopi, quorum omnium inſtar ſint Patres Synodi III. Carthagin. an. 397. ubi hæc cap. 24. *In Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aquæ miſtum.*

Prob. 2. pars : 1. quia Chriſtus accepit panem : atqui panis pure & ſimpliciter dictus, eſt panis ex tritico ſeu frumento, ſicut aqua ſimpliciter eſt aqua elementaris; ergo ut hæc ad baptiſmi, ſic & ille ad Euchariſtiæ ſubſtantiam neceſſarius eſt ; 2. ex unanimi Eccleſiæ ſenſu, juxta quem interrogati a Rom. Pontifice Græci, his reſponderunt verbis Seſs. ult. Concilii Florent. *De pane, ſive azymus, ſive fermentatus fuerit, Græci non curant, dummodo ex tritico conſtet.* Unde Eugenius IV. in Decreto pro Armenis : *Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite.* Atque hinc Rubricæ Miſſalis Romani : *Si panis non ſit triticeus, non conficitur Sacramentum.*

Obj. 1. contra 1. part. Sacramentum Euchariſtiæ *in omni loco* offerri debet ex Malach. 1. proinque in materia quæ nullibi deſit : atqui multa ſunt loca ubi deeſt panis, ut conſtat ex plurimis Americæ Regionibus ; idem dixeris de vino, quod in Norvegiam tranſlatum, ſtatim ob ingens frigus aceſſit, ut in Geographia ſua ſcribit Vollateranus; un-

de,

&c, eodem teſte, conceſſit Innocentius VIII. ut ibidem ſacrificium fieret ſine vino; ergo.

R. neg min. ſi enim pluribus in locis non creſcit frumentum, at in omnia deferri poteſt, præſertim quantum ad Euchariſtiæ confectionem, ut in dies demonſtrat experientia. Idem dic de vino: unde fictitia eſt conceſſio, quam ab Innocentio VIII. factam ſupponit Vollateranus; præſertim cum & nullum ejus monumentum extet, & adeo frequens ſit vini uſus in Norvegia, ut incolæ ejus Euchariſtiam ſub utraque ſpecie recipere velint.

Obj. 2. Ea eſt legitima conficiendi corporis Chriſti materia, quam antiquitus ad altare offerre conſueverant Fideles: atqui non panem modo, ſed & lac, uvas, oleum, mel, &c. offerre conſueverant Fideles.

R. diſt. min. Fideles offerebant lac, &c. in actionem gratiarum, exercitiumve Religionis, aut Clericorum ſuſtentationem, C. ad conſecrationem, N. Solutio patet ex citato Can. 24. Concilii III. Carthag. ubi ſic pergunt Patres: *Primitiæ vero, ſeu mel, ſeu lac, ſeu alia quæ ſolent offerri, quamvis in altari, tamen habent propriam benedictionem, & a divinis Sacramentis diſtinctam*. Idem habent aliæ Synodi plures apud Fraſſen p. 445.

Obj. 2. contra 2. part. Concilia & Patres nihil aliud ad conficiendum Chriſti corpus requirunt, quam panem ex frumento: atqui ex S. Iſidoro L. 17. etym. c. 3. Plinio L. 18. Hiſtor. c. 7. & aliis, frumentum eſt genus ad omnem ſpeciem grani quod habet ariſtas; ergo granum quodcumque eſt Euchariſtiæ materia.

R. 1. neg. maj. ſi enim generale quid habeat frumenti nomen, at non tritici: porro triticum expreſſe requiſierunt Patres, ut patet tum ex Florentino textu ſupra; tum ex Concilio Calcedonenſi ubi Act. 3. conqueritur Iſchirion, Diaconus Alexandrin. *avaritia* Dioſcori *factum eſſe, ut incruentum Miſſæ ſacrificium in Libya non offerretur, defectu tritici, quod cum rarum eſſet, ab illo, maximo pretio divendebatur*. Porro quod per triticum Patres iſti, id alii per frumentum intellexere. Unde

R. 2. diſt. min. frumentum eſt genus, &c. apud profanos Auctores, & ſpectata vi ſola nominis, C. apud Auctores ſacros, & inſpecto nominis uſu, N. ſiquidem Geneſ. 46. *Joſeph juſſit miniſtris, ut implerent ſaccos fratrum ſuorum tritico, & illi portantes frumenta ſua profecti ſunt*. ubi frumentum idem eſt cum tritico. Et certe Deuteron. 7. Jeremiæ 41. Ezechiel. 4. & Joel. 1. frumentum ab hordeo, milio, aliiſque granis diſtinguitur, nec proinde habetur ut genus ad illa.

Obj. 3. Vinum quodlibet ad calicis conſecrationem ſufficit; ergo & quilibet panis.

R. neg. conſeq. vina enim, ſeu alba ſint, aut rubra, ſeu Gallica, aut Hiſpanica, nonniſi accidentaliter, nempe penes colorem & vim, differunt; unde de horum ſingulo quoque dicitur: *Eſt vinum*, licet non ſemper addatur, *generoſum*. At vero panes, ut & grana ex quibus conficiuntur, ſpecie diſcrepant; nec magis de hordeaceo dicitur ſimpliciter eſt *panis*, quam de oleo ex nucibus ſimpliciter dicatur, *Eſt oleum*.

Obj. 4. Chriſtus Euchariſtiam inſtituit in pane communi & uſuali: atqui triticeus panis non ubique uſualis eſt; cum populi pluribus in locis veſcantur hordeaceo, alibi caſtaneo, &c.

R. diſt.

R. diſt. min. non eſt uſualis, per accidens, C. per ſe, N. excolitur enim in majori terrarum parte, & ubique pani alii cuicumque præfertur.

Ex dictis colliges 1. contra Gabrielem, non id omne quod in ariſtas ſurgit, eſſe conficiendi corporis materiam: unde non valeret conſecratio ex milio, lentibus, fabis, item ex arborum fructibus, puta caſtaneis, nucibus, amygdalis; vel ex iis radicibus, vulgo *Caſſave*, quibus utuntur Americani; imo nec ex ſpelta, farre, vel hordeo: quia etſi priora duo aliqualem tritici figuram habent, non tamen naturam ejus; neque ex his confectus panis, ſimpliciter dicitur panis, ſed cum addito, puta farreus, hordeaceus, &c.

An autem ita ſit de ſiligine gravior eſt quæſtio. Negat S. Thomas 3. p. q. 74. a. 3. ad 2. ubi ſic: *Non ita eſt de ſiligine, quod frumenti genus ex vero tritico in malis terris ſeminato naſcitur, adeoque poteſt eſſe materia Euchariſtiæ*. Idem tradit Tournely. Ultra progreditur Eſtius, cui far etiam & ſpelta, idonea ſunt Euchariſtiæ materies, quia totidem ſint ſpecies frumenti, nec ab eo penes naturam diverſæ.

Tutior tamen eſt, ſolaque tuta, contraria opinio; tum quia panis ex ſecali non dicitur panis niſi cum addito; tum quia conſtat ex tritico in ſequioribus terris naſci etiam lolium & avenam; quod argumento eſt non quidquid ex alio naſcitur, ejuſdem cum ipſo ſpeciei cenſendum eſſe, ut bene advertit Alphonſus Coen e familia Recollectorum. Unde Catechiſmus Romanus part. 2. cap. 4. n. 12. *Nullus panis niſi triticeus, apta ad Sacramentum materia putandus eſt:* & Rubrica Miſſalis tit. de defectibus: *Si panis non ſit triticeus, vel ſi triticeus admiſtus ſit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel ſit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum*. Secus ſi grani alterius admiſtio modicæ adeo quantitatis ſit, ut panis inde exurgens morali hominum æſtimatione triticeus reputetur. Quanquam exigit ſumma quæ Sacramento debetur reverentia, ut ex ſolo eoque puriori frumento conficiatur panis Euchariſticus, ſitque niveæ, ſi poteſt, albedinis. Qua olim ſedulitate Cluniaci præparetur panis conſecrandus pie & fuſe deſcribit S. Udalricus Cluniacenſis Monachus in Tract. de celebris hujuſce Monaſterii conſuetudinibus, Spicilegii tom. 4. apud P. Longueval tom. 8. p. 235. *Diſp. 4. p. 205.*

Ex his contra Gonetum inferes, ne in eo quidem caſu, ubi vel plebs Miſſam auditura non ſit, vel æger deceſſurus ſine viatico, licere uti ſiligineo pane: quia nuſquam materia dubia uti licitum eſt extra caſum extremæ neceſſitatis: porro haud neceſſum eſt ut audiatur Miſſa, vel recipiatur Viaticum, cum haberi neutrum poteſt abſque eo quod Sacramentum nullitatis periculo exponatur. Nulla certe extat quæ tunc obliget Dei vel Eccleſiæ lex: unde nec apud nos Viaticum recipiunt ſontes ultimo mox ſupplicio plectendi; licet minus eo in caſu ſubſit periculum, quam in alio.

Colliges 2. nec valituram conſecrationem in amylo *, quia amylum, ſi non phyſice, at ſaltem moraliter a tritico diſcrepat, cum ex tritico corrupto fiat, ut acetum ex vino acri. * *Amydon.*

Colliges 3. eum duntaxat ad Euchariſtiam panem adhiberi debere, qui ex aqua naturali, & triticea farina compactus ſit, & igne coctus; quia is ſolus & uſualis ſit, & proprie dicatur panis.

Hinc 1. ſi aquæ loco adhibeatur lac, mel, butyrum, aliive id genus liquores, exurget placenta, libumve aut laganum, ſed non panis verus; proinque nec conſecratio. Aliud eſſet ſi aquæ accederet lactis aut butyri quantitas adeo modica, ut hæc quaſi nulla moraliter haberetur. Major eſſet difficultas de aqua roſacea, quæ ſecundum poſita in Tract. de Baptiſmo principia dubiam pareret materiam. Vide Lugo diſp. 4. ſect. 1. n. 4.

Hinc 2. irrita foret maſsæ crudæ conſecratio, quia maſsa moraliter ſaltem differt a pane, nec pro tali apud homines habetur. Neque cocta cenſebitur, quæ elixa, vel frixa fuerit; quia non eſt hæc vera & uſualis panem concoquendi ratio. An quæ ſolis calore cocta fuerit, adhiberi queat, inquirere ſuperfluum, cum id nullibi, quod legerim, in uſu ſit: ſiccatam tamen, torridamve crediderim magis quam coctam, ideoque dubiam ad minus. An autem panis in furno, vel ſub cinere, aut ferri calidi ope coquatur, non intereſt.

Colliges 4. nihil ad Euchariſtiam referre, an conſecrandus panis hujus vel illius figuræ ſit: Eum, quacumque foret figura, antiquitus conſecratum eſſe indicat Toletana Synodus XVI. cap. 6. Subinde formæ fuit rotundæ, ſpiſſior tamen quam nunc ſit: undecimo autem ſæculo ad tenuiſſimam nummorum imaginem redactus. De his ample diſſerentem vide Novarinum, e Theatinorum Ordine, in *Agno Euchariſtico*.

Conclusio II. Valet conſecratio, ſeu fiat in azymo pane, ſeu in fermentato: haud tamen utraque ex æquo omnibus licita eſt.

Prob. 1. pars, 1. quia uterque totam panis naturam habet; 2. nec uſquam Græcos quia fermentato uterentur, redarguerunt Latini, nec Latinos Græci ante XI. ſæculum, quo miſeram gentem invadere cœpit ſpiritus erroris & ſchiſmatis; 3. in Florentina Synodo ubi ſpirabat charitatis
Tom. 13. aura: *Definimus*, ajunt cum Latinis Græci, *in azymo, ſive fermentato pane*
p. 515. A. *triticeo corpus Chriſti veraciter confici;* 4. conſtat ex dictis Chriſtum in azymo conſecraſse: atqui non minus conſtat nullam ab eo ſancitam legem qua conſecratio aliter facta in irritam duceretur, ut patet ex antiqua Eccleſiæ praxi, de qua ſtatim; ergo.

Prob. 2. pars: quia peccat graviter Latinus, ſi apud Latinos conſecret in fermentato, ut & Græcus ſi apud Græcos conſecret in azymis: quia nemini gravem Eccleſiæ ſuæ ritum mutare licet, præſertim cum id legitima auctoritate vetitum eſt: porro ſanxit Florentina Synodus in Litteris unionis, ut unuſquiſque *juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem* conſecraret. Præiverat Honorius III. c. 14. *De celebrat. Miſſar.* ubi Sacerdotem qui *in pane fermentato & ſcypho ligneo Miſſarum ſolemnia celebrare* præſumpſerat, *officio & beneficio perpetuo privari jubetur*.

Dixi, *Latinus apud Latinos, &c.* Si enim Latinus apud Græcos iter faciat, aut Græcus apud Latinos, poterit uterque vel Eccleſiæ ſuæ ritum ſequi, prout paſſim videmus factitari a Græcis, qui ſeu in Italia, ſeu in Galliis conſecrant in fermentato; vel ejus ad quam devenerit Eccleſiæ morem ſequi, ſecundum id Auguſtini Ep. 118. ad Januarium c. 2. *Nec diſciplina ulla eſt melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quamcumque forte devenerit*.

Si autem Græcus Sacerdos mutato domicilio habitet inter Latinos, jam, niſi ſecum a Rom. Pontifice diſpenſetur, Latinæ Eccleſiæ praxim

ſequi

ſequi tenebitur, quia membrum ejus ſpecialiter evaſerit. Idem & eadem ex cauſa dicendum de Latino, qui Eccleſiæ Græcæ membrum fieret. Si vero vel Latinus in templo Latinorum quod in Græca Provincia reperiatur, vel Græcus in Græcorum templo Latinis in partibus ſito celebrare velit, neceſſum eſt habeat ſe perinde ac ſi propria in Eccleſia verſaretur; proindeque ut in fermento Græcus, Latinus in azymo ſacris operetur. Ita vulgo Theologi a quibus neſcio cur recedat Juenin pag. mihi 209.

Sed an licebit fermentato uti ne populus feſto die careat Miſſa, aut æger viatico, aut mutilum maneat ſacrificium, puta ſi conſecrata in pago utraque ſpecie, detegatur corruptam eſſe ſpeciem panis, nec alius a fermentato haberi poſſit.

R. 1. illicitum id eſſe in utroque priori caſu; tum quia alioqui pares ob cauſas liceret vel minime jejuno, vel ſacris veſtibus deſtituto ſacrum facere, quod nemo admittit; tum quia noluit Deus vel Eccleſia ſervari leges poſitivas cum tanta ſacri ritus immutatione; unde nullum extat facti hujus exemplum, etſi non defuerint occaſiones.

R. 2. aliter ſtatuendum pro tertio caſu; quia ſacrificii integritas longe prævalet circumſtantiæ accidentali; qua etiam de cauſa ſacrificium a pranſo perfici poteſt: unde non modo inſons foret, qui tunc uteretur fermentato, ſed & ſons qui non uteretur.

Objiciuntur nonnulla, 1. Chriſtus legalia abrogavit: atqui azymus panis pertinebat ad legalia: unde illud Quiniſextæ Synodi Can. 11. *Nemo eorum qui in Sacerdotali Ordine enumerantur, vel Laicus, Judæorum azyma comedat;* 2. fermentatus panis multo aptior eſt ad ſignificanda Euchariſtiæ myſteria: ſiquidem ex ſuavitate ſua longe majori ſuavitatem Euchariſtiæ demonſtrat; ex fervore, unde & fermenti nomen habet, *ab humo nos ad cælum extollit*, ut ajebat Michael Cœrularius, & Chriſti charitatem exhibet; id demum habet quod & ab Ebionitarum, qui legalia inſtaurabant, errore recedat magis, & præſtantius adumbret Incarnationem, in qua Verbum eo ſe modo humanæ immiſcuit naturæ, quo fermentum farinæ, quam acrimonia ſua totam pervadit; 3. is ſolum panis Euchariſtiæ materia eſſe poteſt, qui uſualis fuerit; porro nullibi uſualis eſt panis azymus; 4. ea ad minus ſanior eſt conſecrandi ratio, quam primitiva tenuit Eccleſia: porro primus omnium *azymo pane delectatus eſt* Alexander Papa, *ut narrant Hiſtoriæ*, & ex iis Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 43.

R. ad 1. diſt. abrogavit legalia, quæ Chriſtum venturum ſignificarent, aut Evangelicis inſtitutis adverſarentur, C. omnia prorſus, N. alioqui enim ne fermento quidem uti liceret; eſt enim illud etiam legale, ut patet ex Levit. 7. & 13. ubi fermentati panes Deo offerendi præcipiuntur.

Nec obſtat auctoritas Synodi Trullanæ, 1. quia hæc ab Apoſtolica Sede reprobata eſt; 2. quia adductus Canon nihil ad Euchariſtiam ſpectat; in eo enim tantum prohibetur ne in communi menſa, Judæorum inſtar, azymis utantur Chriſtiani.

R. ad 2. neg. ant. ut enim omittam, fermentum ſæpius deteriorem in partem ſumi, nimirum pro nequitia & hypocriſi, ut Luc. 12. fatendum eſt per azyma plenius & diſtinctius ſignificari 1. ſummam eam mentis ac corporis munditiem, quæ ad puriſſimam Chriſti carnem accedentibus neceſſaria ſit, ſecundum Apoſtoli I. Cor. 5. *Epulemur non in fermento ve-*

 teri,

teri, *ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*; 2. eximiam corporis Chriſti ſanctitatem, cui nihil unquam fermenti illius quod *totam maſſam corrumpit*, admiſtum eſt: Ceterum mirum eſſet quod Ebionitas ſaperent Latini, dum id unum faciunt, cujus in ultima cœna exemplum dedit Chriſtus.

R. ad 3. diſt. maj. qui uſualis fuerit, ideſt quo homines tanquam pane proprie & ſimpliciter dicto uti poſſint, C. ideſt quo frequentius uti conſueverint, N. certe non deſunt ampliſſimæ Regiones ubi rarior ſit triticei panis uſus, imo ubi vix in uſu ſit panis quo utuntur Græci & Latini; nec ideo tamen alio hic uti licet pane quam triticeo. Is ergo panis uſualis eſt, quo per ſe tanquam vero pane uti poſſumus, non quo *per accidens* utimur ut ſuaviori. Quamquam non adeo olim inſolens fuerit azymorum uſus, ac nunc eſt: iis enim nec raro utebantur Romani, aliique plures, prout animadvertit Card. Bona.

R. ad 4. mentiri hic, ut aſſolet, Calvinum; unde ne inſcitiam ſuam ſimul & malam fidem proderet, caute ſuppreſſit Alexandri hujus azymorum inventoris indicia. Jam de azymorum prioribus ſæculis uſu non una eſt omnium opinatio.

1. enim exiſtimat S. Thomas in 4. diſt. 11. q. 2. a. 2. inductum a Chriſto & ab Apoſtolis azymorum morem in utraque Eccleſia perſeveraſſe ad tempus Ebionitarum; quibus ne circa legalium obſervationem conſentire viderentur Catholici, fermentum azymo ſubſtituerunt; donec extincta ſectæ hujus hæreſi ad azymum reverti licuit.

2. Docent alii cum Sirmondo Eccleſiam Latinam per octo & amplius ſæcula fermentatum adhibuiſſe, neque ante ſchiſma Photii uſum eſſe azymis, quæ proin ab anno circiter 886. initium habuerint.

3. Sunt qui azymi perinde ac fermentati uſum apud Latinos pro variis temporum, locorum & perſonarum circumſtantiis viguiſſe contendant. Ita Card. Bona Lib. 1. rerum Liturg. c. 23. addit idem Emin. Scriptor Græcos conſtanti uſu azymum adhibuiſſe.

4. Mabillonius, vir pietate ſplendidior quam ſcientia, ſcientia autem Orbe toto celebratiſſimus, azymi panis uſum ab Apoſtolicis temporibus in Eccleſia Latina perpetuum, nec uſquam interruptum eſſe contendit. Idem docet Chriſtianus Lupus, ex Auguſtini familia Doctor Lovanienſis, ex immenſo ſtudio helluo Librorum nuncupatus: utrique præiverant ſæculo XI. Leo IX. & Humbertus Cardinalis, XII. Rupertus, XIII. Jacobus de Vitriaco, &c.

Etſi in hac tanta opinionum varietate haud facile eſt verum aſſequi, ut tamen paucis aperiam mentem, ſit

CONCLUSIO III. Rejicienda videtur opinio S. Thomæ.

Prob. 1. quia altum eſt de illa apud veteres omnes Scriptores Eccleſiaſticos ſilentium; 2. quia nititur hæc Epiſtolis Leonis IX. ad Michaelem Cœrularium, in quibus tamen nihil hodie reperias quod S. Doctoris ſententiam confirmet; 3. quia Ebion doctrinæ ſuæ virus an. æræ vulgaris 45.* ideſt duo-

* Ita Lenglet Dufreſnoi in Tabulis Chronologicis. At Ebioniticæ ſectæ primordia ad annum circiter 74. retrahit Theodorus Petreus Carthuſienſis in Catalogo hæretic. eique favet Epiphanius hær. 30. ab iis omnibus diſſentit Chronicon Alexandrinum, ubi hæreſis hujus primordia ad an. Trajani octavum, Chriſti 105. referuntur: ſed male, cum teſte Hieronymo ſcripſerit Joannes Evangelium ſuum adverſus Cerinthum & Ebionem.

duodecim poſt Chriſti mortem annis ſpargere cœpit : quis vero credat Eccleſiam tam brevi diſciplinam ſuam mutaſſe?

Conclusio IV. Frequentior fuit ab Eccleſiæ primordiis in Eccleſia Latina, præcipue vero Romana, azymi panis quam fermentati uſus ad conſecrationem.

Prob. 1. quia interrogati a Conſtantino Imperatore Legati, qui Agathonis nomine Concilio ſexto Generali præfuerunt, *qualiter Romana Eccleſia de ſacrificio corporis & ſanguinis D. N. J. C. ordinem teneret*. Reſponderunt : *In calice Domini non debet offerri ſolum vinum, ſed aqua miſtum.... Oblatio vero, quæ in ſacrificium altaris offertur, nullam commiſtionem aut corruptionem fermenti debet habere*, &c. ita refert Humbertus Cardinalis in Reſponſo ad Nicetum Pectoratum, ubi ſic proſequitur : *Tunc placuit piiſſimo Principi Conſtantino hæc traditio Sedis Apoſtolicæ*. Unde jam liquet, 1. Eccleſiam Romanam ſeptimo ſæculo in azymis, & quidem ſolis conſecraſſe, proinque convellitur radicitus opinio Sirmondi. Liquet 2. hunc azymi uſum in eadem Eccleſia conſtantem fuiſse ; tum quia eſt hæc traditionum ſuarum Cuſtos ſedula ; tum quia non hic recentem aliquam exponunt traditionem Legati, ſed antiquam, eique ſimilem ex qua offerri debet aqua vino miſta : hæc autem indubie manavit ab Apoſtolis. *Apud Baron. tom. XI. p. mihi 1005 aliis 712.*

Prob. 2. ex Alcuino qui in Epiſt. 69. ad Lugdunenſes ante finem VIII. ſæculi ſcripta : *Panis*, inquit, *qui in Chriſti corpus conſecratur, abſque fermento ullius alterius infectionis debet eſſe mundiſſimus* : atqui verba hæc, *abſque fermento ullius infectionis*, tam de fermento proprie dicto, quam de alio quocumque intelligi debent; tum quia fermentum illud acidum tam vere & proprie maſſam inficere, & quaſi corrumpere dicitur, quam aliud quodcumque ; tum quia non aliud pani, ei præſertim qui ad ſacrificium deſtinatur, admiſceri ſolet fermentum, quam quod ex aqua & farina aceſcente conficitur ; ergo. *Obiit an. 794.*

Prob. 3. ex Rabano Mauro, noni ſæculi Auctore, qui Lib. 1. de inſtit. Clericor. c. 31. ſic loquitur : *Panem infermentatum & vinum aqua miſtum in Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſanctificari oportet*; quod ille probat exemplo Chriſti, quem, inquit, *credimus in myſterium ſui corporis* panem *infermentatum* conſecraſse : atqui neceſſitas facto ipſius Chriſti munita, quam vox, *Oportet*, demonſtrat, praxim exhibet quæ nec recens ſit, nec libera; ergo. *Obiit an 856.*

Prob. 4. ex S. Leone IX. Ep. 1. ad Michaelem Cœrularium : *Ecce*, inquit ironice, *jam poſt mille & ferme viginti annos a paſſione Salvatoris noſtri incipit per vos diſcere Romana Eccleſia, qualiter memoria paſſionis ejuſdem ſit recolenda, quaſi nihil ei contulerit præſentia, converſatio, & diuturna inſtitutio illius venerabilis ſenis* Petri Apoſtoli. & Ep. 2. ad eumdem : *Quis non ſtupeat, quod poſt tot ſanctos & orthodoxos Patres, per* 1020. *a paſſione Salvatoris annos, novus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, anathematizans omnes.... quicumque participarentur Sacramentorum in azymis*. Hic habes 1. azymorum praxim e B. Petri inſtitutione manare ; 2. eamdem per decem ſæcula in Eccleſia Romana viguiſse; 3. eamdem, ſi non a Patribus omnibus ſervatam, at certe ab eorum nullo reprehenſam fuiſse.

Reponit quidem Doctiſs. Tournelyus, non plus valere Humberti &

Digitized by Google

Leonis IX. Scriptorum ſæculi XI. auctoritatem, ubi de demonſtrando veteri uſu agitur, quam valeant momenta quibus iidem innitantur, hæc autem valde infirma eſſe. Verum reſponſio hæc nec Leoni IX. honorifica multum, nec multum firma videtur: 1. enim cui notior eſſe potuit Romanæ Eccleſiæ uſus, quam viris profundæ ſcientiæ duobus, qui ut eum contra Græcos tuerentur, nihil operæ & ſtudii omittere debuerunt? 2. adeone levis eſt inſtitutio Chriſti a Petro ſervata, & hinc ad alios tranſmiſſa? 3. an nihili facienda eſt Legatorum Agathonis ad Conſtantini interrogata reſponſio, quæ dubio procul ex Eccleſiæ Romanæ ſcriniis deſumpta eſt? Haud quidem inſerta eſt Actis Concilii: ſed quia moris non eſt ut iis inſeratur quod privatis in colloquiis dictum fuerit.

Act. 2. v. 42. & 46. Obj. 1. Conſtat fideles primævos quotidie per domos fregiſſe panem, ideſt Euchariſtiam. Conſtat inſuper Sacerdotes, vel concluſos in carceribus, vel in cryptis aut ſpeluncis latitare coactos ſacra celebraſſe: atqui vix utrumque alio quam obvio, proinque fermentato pane præſtare potuerunt; ergo.

Confirm. ex Tertulliano, qui Lib. 2. ad uxorem c. 5. *Non ſciet*, inquit, *maritus* infidelis *quid ſecreto ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciverit panem, non illum credet eſſe qui dicitur*: reſcire autem potuiſſet, ſi panis ille ab uſuali & quotidiano fuiſſet diverſus.

R. 1. non deeſſe inter Catholicos, qui fractionem panis Act. 2. memoratam de ordinario victu intelligant: ſed quia is ſenſus & Syro Interpreti, qui pro *pane* vertit *Euchariſtiam*, & communi Patrum ſententiæ contradicit,

R. 2. neg. min. ſi enim in azymis conſecranda fuerit Euchariſtia, indubie ſolliciti fuere primi Fideles, ne ea vel ſibi deficeret, vel iis qui in carceribus incluſi erant: neque huc difficilius fuit azyma, quam vinum aut delicatiores cibos invehere*. Et vero Sacramenti reverentia exigebat utcumque, ut non communi & quolibet indiſcriminatim pane conficeretur, ne hinc facilius in contemptum veniret apud Gentiles, & Judæos ad fidem recens converſos, qui nonniſi ſelecta & ſingulari ſtudio præparata in ſacrificium offerre conſueverant.

* vid tom. 3. p. 654.

Ad confirm. Fateor obtuſioris me eſſe ingenii, quam ut aſſequar quid ex Tertulliani textu in fermenti gratiam extundi queat: ex eo enim quod infidelis haud facile diſcernere poſſet, an id quod a Chriſtiana conjuge guſtabatur, panis eſſet, ſponte colligerem non fuiſſe id panem qui in Africa menſis communiter apponeretur: is enim non a marito tantum, ſed & ab infante ſtatim cognitus fuiſſet: etſi neuter ſciviſſet ſub eo, vel potius ſub ſpeciebus ejuſdem involvi corpus Chriſti.

Obj. 2. Vetus in Eccleſia mos fuit ut Fideles panem & vinum ad ſacrificii materiam deferrent: atqui Fideles non alium, quam quo paſſim veſcerentur, ac proin fermentatum deferebant. Maj. conſtat ex Cypriano Lib. de opere & eleemoſynis, ubi divitem, ſed avaram feminam increpat, quia nihil ipſa offerret, *ſed partem de ſacrificio, quod pauper obtulit* ſumeret. Minor Prob. 1. ex S. Ambroſio, qui Lib. 4. de Sacram. c. 4. dubium præſentiæ realis Chriſtianum ſic inducit loquentem: *Tu forte dicis: Meus eſt panis uſitatus: meus*, inquam, quia obtuli; *uſitatus*, quia non alio veſcor; 2. ex reſponſione mulieris illius, quæ riſus ſui cauſam interrogata a S.

a S. Gregorio: Riſi, inquit, *quia panem, quem propriis manibus me feciſſe cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas*: nemini porro veniet in mentem ab incredula illa muliere paratos eſſe panes azymos; 3. ex Synodo Toletana XVI. Can. 6. ubi ſevere redarguuntur Hiſpani quidam Sacerdotes, quod *non panes mundos & ſtudio præparatos ſupra menſam Domini in ſacrificio offerant, ſed paſſim quomodo unumquemque aut neceſſitas intulerit, aut voluntas coegerit, de panibus ſuis uſibus præparatis cruſtulam in rotunditatem auferant, eamque ſuper altare cum vino & aqua pro ſacro libamine offerant*. Quid, amabo, hic culpant Toletani Antiſtites in Sacerdotibus ſuis? an quod azymum panem non conſecrarent? minime gentium: atqui hoc ante omnia redargui oportuit, ſi azyma requirebantur. Neque enim azymi, ſed fermentati erant panes quos *uſibus ſuis* plebs præparaverat, &c. 4. ex pluribus Conciliis, ut Carthaginenſi III. Bracarenſi IV. quæ quoties de ſacrificii materia loquuntur, panem præciſe & ſimpliciter requirunt, adeoque panem quotidiani uſus. Supra p. 251.

R. ad 1. neg. min. quæ nec certe ex objectis textibus eruitur, ut agnoſcit Tournely, nec vere ut contra Sirmondum opinamur. Et vero is vel ex ſeipſo retundi poteſt: *Vidimus*, inquit, *aliquando ipſi non injucundo ſpectaculo in Armoricis apud Leonices antiqui moris imaginem referentes matronas aliquot, quæ die feſto communicaturæ, cum in Dominicum veniſſent, adſtantique ad altare Miſſam celebraturo Sacerdoti, ſuam ſingulæ oblatam, ſed puram, & azymam, vel domo allatam, vel e ſacrario petitam obtuliſſent*, &c. Quid enim dictu proclivius eſt, quid rationi conſentaneum magis, quam olim viguiſſe offerendi ad ſacrificium azymi morem, cujus tam perſpicua hodieque in Armoricis ſuperſint veſtigia.

Confirm. Ex Sirmondo, praxis non alios, quam qui a Fidelibus oblati eſſent, panes conſecrandi, ad Photii uſque, ac proin ad Hincmari Remenſis ætatem perduravit: atqui Hincmari ævo fideles azyma offerebant. Sic enim loquitur Remenſis Præſul apud Sirmondum: *Ut de oblatis, quæ offeruntur a populo & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certe de ſuis, Presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido*, &c. Ecce hic apertum conſtituitur diſcrimen *oblatas* inter & *panes*, quos, utique ad eulogias, deferebant in Eccleſiam Fideles: atqui vix concipi poteſt, aliud inter hæc diſcrimen fuiſſe, quam quod azymus foret panis qui conſecrationi inſerviebat, qui vero eulogiis, azymus perinde ac fermentatus eſſe poſſet. Diſquiſ. de azymo c. 7.

Nec obſunt quæ contra objecta ſunt, 1. quia non aſſeruimus omnino ignotum fuiſſe primævis temporibus apud Latinos uſum fermenti: ſed facti hujus penes minus imperitos judicium eſſe volumus; 2. quia ex adductis in adverſum auctoritatibus nulla eſt quæ probabiliter ſolvi non poſſit.

Non 1. quæ plus ceteris urget: 1. quia azymorum uſus olim, & Mediolani forte, frequentior erat, quam nunc ſit: unde Humbertus in reſponſ. ad Cœrularium: *Azyma*, inquit, *ad communes uſus hominum & ceterorum animalium tranſeunt*. Concinit Card. Bona, qui apud Romanos, alioſque populos azymum & fermentum in uſu fuiſſe docet; 2. quia in objectione contra realem præſentiam, qualem ſibi proponit Ambroſius, & quæ, ut oratorii moris eſt, cum exageratione quadam proponi debet,

A a 4 panis

panis non tam ratione modi, quam ratione ſubſtantiæ ſpectatur: porro uſitati panis eadem eſt quæ azymi materia.

Non 2. ſi enim conſueverant S. Gregorii ævo Fideles azymum offerre, non eſt quod mulier ab eo increpata aliud feciſſe cenſeatur: porro viguiſſe tunc azymi offerendi morem liquet ex relata ſuperius Legatorum Agathonis reſponſione. Donec ergo aliunde didicerit Sirmondus feminam hanc (idemque dixeris de S. Radegunde, quæ teſte Fortunato, *veneralilibus locis panes conſecrandos diſpenſabant*) fermentatum obtuliſſe, non eſt quod hinc cauſam ſuam juvare poſſit.

Non 3. cum enim præcipiunt Toletani Patres, *ut non aliter panis in altari Domini Sacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer, nitidus*, & mundus *proponatur, quique ex ſtudio fuerit præparatus;* non is autem qui domeſticis uſibus deſtinatus ſit, plus certe azymis favent quam fermento. Neque azyma palam nominari oportuit, quia hæc ex uſu ſatis intelligerentur. Et vero Toletana Synodus XVI. anno poſt Conſtantinopolitanum generale tertium duodecimo celebrata eſt: Tunc autem in Occidente vigebat azymorum uſus, ut ex citatorum Legatorum reſponſione colligere eſt.

Non 4. exigit enim Synodus Carthaginenſis, *ut in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus* facto ſuo *tradidit, hoc eſt panis & vinum aquæ miſtum:* atqui non minus facto ſuo azymum tradidit Chriſtus, quam aquæ admiſtionem vino; ergo. Et vero quotidie in Catecheſibus, aliiſque ad plebem orationibus, Euchariſtiæ materiam dicimus eſſe panem & vinum, nihil plerumque vel de azymo, vel de aqua diſſerentes; quidni ergo in re per uſum conſtanti idem loqui potuerint Patres, nec azyma vel aquam excludere.

Obj. 3. Melchiades, teſte in ejus vita Anaſtaſio, ſanxit *ut oblationes conſecratæ, per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Siricius item *conſtituit, ut nullus Presbyter Miſſas celebraret, per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi* ſui *ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum:* atqui fermentum illud erat ipſum corpus Chriſti, 1. enim erat oblatio conſecrata; 2. ab Innocentio I. vocatur Sacramentum. Sic ille Ep. 1. ad Decentium c. 5. *Idcirco* civitatis noſtræ Presbyteri *fermentum a nobis per Acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra communione, maxime illa die non judicent ſeparatos: quod per Parochias* rurales *fieri non debere puto, quia nec longe portanda ſunt Sacramenta*, utique propter irreverentiæ periculum, cujus tremor rem arguit maxime ſacram; ergo.

R. ad 1. neg. min. id enim fermentum de ſimplicibus Eulogiis, quæ ab Epiſcopis in communionis ſignum mittebantur, explicant tum Hiſtorici Paparum, ut Ciaconius, Fr. Carriere Minorita, Guil. Burius; tum Interpretes, ut Binius, & Ant. Alteſerra in ſuis ad Anaſtaſium obſervationibus. Ex hoc autem intellectu, qui nec tantillum confutari poteſt, haud leve pro azymis Euchariſticis conficitur argumentum. Liquet enim Eulogias ideo fermentum toties nuncupari, ne cum Chriſti corpore confunderentur; adeoque iſtud non ex fermento, ſed ex azymis confici debuit Miltiadis, Siricii & Innocentii temporibus. Unde

Ad 2. diſt. erat oblatio conſecrata, ideſt per Epiſcopi benedictionem ſanctificata, quo ſenſu erat & Sacramentum latiori modo acceptum, C. obla-

oblatio proprie & ſtricte conſecrata, ſicque veri nominis Sacramentum, N. quod autem Sacramenti, adeoque & conſecrationis ad Sacramentum quodlibet requiſitæ nomina latius apud Patres ſumantur, invicte docet id Auguſtini Lib. 2. de peccator. merit. &c. c. 26. *Quod accipiunt* Catechumeni, *quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt:* id porro quod Catechumenis ante Baptiſmum tradebatur, vel ſal erat, vel panis benedictus: unde eo duntaxat Sacramentum dicitur, quia ex Eccleſiæ inſtituto ad ſignificandum aliquid ſacri Sacerdotali benedictione conſecrabatur.

Confirm. id de quo verba facit Innocentius I. *per Acolythos ad Eccleſias* deferri conſueverat: atqui creditu difficile eſt Eccleſiam Romanam paſſim & generaliter deferendi ad Eccleſias Corporis Chriſti provinciam demandaſſe Acolythis: cum grande hoc munus ſolis, qui ad id conſecrati ſunt, Diaconis competeret, ut videre eſt in Apolog. 2. Juſtini; ergo.

Quod de periculo irreverentiæ additur, nihil concludit: facile enim timet vir ſanctus, imo non impius, ne res ſancta digne minus excipiatur, quam par ſit.

Obj. 4. Sacrorum origo ad Latinos venit ab Oriente: atqui in Oriente ignotus fuit a crepundiis uſus azymorum. Quo enim pacto notati fuiſſent ab Epiphanio Ebionæi, quia inter ſacra azymis uterentur, ſi azyma viguiſſent in Oriente. Imo an in Ebionæis culpatum eſſet, quod tota ſervaſſet Occidentalis Eccleſia?

R. ad 1. data, non conceſsa minore, neg. maj. neque enim indiguit Romana Eccleſia, ceterarum mater, a Græcis edoceri. Unde huic ſacrorum origo non ab Orientalibus venit, ſed *ab illo venerabili ſene* Petro, ut ſupra ajebat S. Leo IX.

Ad 2. dico garrire hic adverſarios contra textus evidentiam: en S.Epiphanii verba, hæreſ. 30. *Ex Chriſtianorum & Eccleſiæ imitatione myſteria quotannis celebrant per azymos panes, & ad alteram myſteriis partem meram aquam adhibent*. Hic porro nihil eſt quod Ebionitis azymorum morem vitio vertat: alioqui culparetur & ipſe Chriſtus, qui in azymis myſteria celebravit. Is ergo eſt S.Doctoris ſenſus: Ebionitæ ut Eccleſiam imitentur, myſteria quotannis celebrant per azymos panes; at in eo ab illa diſcrepant, quod in calicis materiam aqua ſola utantur.

Obj. 5. Si tempore Photiani ſchiſmatis azymis uſi eſsent Occidentales, id ipſis indubie objecíſsent Græci, qui ut ſchiſmati ſuo colorem illinirent, quæcumque ſuis a moribus diſcrepabant, Latinis crimini dederunt: atqui etſi multa, & leviora objecerunt Latinis, nihil tamen circa azymum panem obmurmurarunt.

R. 1. argumentum illud & magis pugnare contra Sirmondum, qui azymorum initia medio inter Photium & Mich. Cœrularium tempore, ideſt intra an. 867. & 1054. conſignat. Sic enim impugnari poteſt vir eruditus: Si Latini rejecto, quem cum Orientalibus conſtanter, ut quidem Sirmondo videtur, tenuerant, fermenti uſu, azyma recenter introduxiſsent, neque mutationem tantam ignoraſsent Græci, neque objicere Latinis omiſiſsent: atqui de ea ne verbum quidem tunc temporis habuit Mich. Cœrularius; ergo fieri nequit ut eo tempore emerſerit novitas illa, proinque non aliud fecere Latini, quam hactenus fecerant. Et certe dicat

adver-

adverſarius, ſi poteſt, quo Auctore Latina Eccleſia fermentum poſt tot ſæcula repudiaverit: quis Pontifex, quæ Synodus novam praxim ſubſtituerit antiquæ; quæ tantæ novitati cauſa fuerit. Id enim nec citra gravem & graviſſimam cauſam contigiſſe potuit, nec niſi grandi & legitima auctoritate conſtitutum fuiſſe. Dicat rurſus qua ratione innovatio hæc totum adeo pervaſerit Occidentem, ut nulla ullibi præteritæ diſciplinæ veſtigia permanſerint. Quod ſi ſenſati nihil, nihil ſe ipſo digni regerere poteſt, ferat patienter ut diverſam ab eo viam ineamus.

R. 2. neg. maj. potuit enim Cœrularius, longe minoris ſcientiæ homo, quam Photius, multa objicere, quæ is auſus non fuerit. Sciebat nimirum Photius, eaque Græcorum vulgaris erat opinio, Chriſtum in azymis celebraſſe. Quid mirum ergo, ſi vir, ceteroqui poſt hominum memoriam impudentiſſimus, non potuerit in Latinis culpare, id quod in Chriſto approbare cogebatur. At ubi ſub Cœrularii tempus dubitari ab aliis, ab aliis negari inceptum eſt, Chriſtum pridie mortis paſcha feciſſe, jam & azymorum uſus Latinis objici incepit. Ut his quantum ad Græcos attinet, non nihil lucis accedat, ſit

Conclusio V. Nulla firma ratione probari poteſt Orientales Eccleſias ab Apoſtolorum ævo fermentatum conſecraſſe. Veri tamen ſimile videtur uſum hunc apud eas ante finem ſæculi VI. invaluiſſe.

Prob. 1. pars, quia Chriſtus indubie conſecravit in azymo, uti probavimus: atqui Orientem totum jam ab initio exemplum Chriſti neglexiſſe, res eſt quæ vix credi queat, nec credenda ſit, niſi validiſſimis probationibus demonſtretur, quæ profecto hic deſunt.

Objicit enim 1. Mabillonius indolem Græcorum, qui ritibus ſuis tenaciter inhærent. At gentem vix ullam Græcanica leviorem eſſe contendunt alii omnes; eoſque a Majorum ſuorum placitis receſſiſſe in pluribus demonſtrat Leo Allatius Lib. 3. de perpetua utriuſque Eccleſiæ conſenſione c. 13.

Objicit 2. Euſebium, qui Lib. 5. Hiſtor. c. 24. ſcribit, nonnullas ſalva charitate Latinos inter & Græcos fuiſſe varietates. At varietates illas in præſenti materia fuiſſe, ne verbo quidem uno indigitat Euſebius.

Objicit 3. Origenem in cap. 16. Matth. ubi *fermentum ſuper altare* offerri declarat. Verum incertum prorſus eſt, an de novo, an de veteri Teſtamento loquatur Origenes. Deinde quidni de Eulogiis intelligatur; has enim & ſuper altare oblatas fuiſſe, & a Græcis uſurpatas conſtat ex Concilio Laodiceno Can. 14. De his quidem ſilent Cyprianus & Tertull. ſed qui nec Græci erant, nec Eccleſiæ ritus omnes recenſuere. Demum eſto alicubi apud Græcos in fermento conſecratum ſit, an idcirco ubique?

Objicit 4. Chronicon Dacii Mediolanenſis Epiſcopi, ubi legitur S. Ambroſium præcipuis in feſtivitatibus fermentatum Græcorum cum azymo conſecraſſe. At ſuppoſititium eſſe Chronicon Dacii fatentur paſſim eruditi cum Card. Bona. Et vero quis Ambroſium fermentato ſimul & azymo uſum eſſe credat?

Prob. 2. pars, 1. ex allata Legatorum Agathonis reſponſione, quæ aliam apud Latinos, aliam ſaltem alicubi apud Orientales fuiſſe praxim quoad panis modum indicare videtur.

2. ex Joanne Philopono, qui juxta Guil. Cave, Got. Olearium, & Caſim. Oudin circa an. 601. claruit. Is enim in diſput. de Paſchate, quam

quam Balth. Corderius e S. J. edidit, probare nititur Chriſtum poſtremam Cœnam ante azymorum diem peregiſse. Alioqui enim, inquit, ſi in azymis inſtituiſset Euchariſtiam, *id etiam nunc fieret*.

Sunt tamen qui Tractatum hunc Philoponi eſse negent; tum quia de eo ſiluerit Photius in Bibliotheca; tum quia ignota tum erat apud Græcos opinio, quæ Chriſtum ad veſperam diei tertiæ dum adhuc plene liber eſset fermenti uſus, Euchariſtiam inſtituiſse contendit.

3. ex Clemente Galeno, qui refert Armenos circa tempus Generalis VI. Concilii, poſt amplexam Eutychetis hæreſim, relicto fermento azymis uti cœpiſse, quod Græcis adeo diſplicuit, ut redeuntibus ad ſe Armenis hanc præſcriberent formulam: *Si quis in panem oblationis non immittit fermentum & ſal, nec aquam cum vino in ſanctum calicem: anathema ſit*.

Non deſunt nihilominus qui & hoc anathema, a Cotelerio * licet deſcriptum, & totam Galeni narrationem habeant pro fabula, credantque Armenos & in azymi uſu conſtantes fuiſse, & non ante propter id a Græcis calumniam paſsos, quam cum hanc ab iiſdem Græcis ſuſtinuerunt Latini.

* *In notis ad Lib. V. Conſt. Apoſt.*

4. adducunt aliqui id Theodori Abucaræ Cariæ Epiſcopi Opuſc. 22. ubi inducitur Saracenus loquens: *Ex una farina duobus panibus confectis, unum in cibum communem relinquitis, alterum in particulas partitum populis diſtribuitis, nominatiſque Chriſti corpus*, &c. At textus ille parum urget, 1. quia Saracenus non dicit, *ex una maſſa*, ſed quod longe aliud eſt, *ex una farina*: ex una autem farina fieri poteſt fermentatus panis & azymus; 2. quia ex Abucara noni ſæculi Scriptore non alia quam noni ſæculi praxis colligi certo poteſt: nemo autem eſt qui fermenti uſum tunc temporis apud Græcos jam receptum fuiſse neget. Quamquam & negant plures hunc ubique tunc viguiſse. Duobus enim ferme poſtea ſæculis ajebat in Ep. ad Petrum Patriarcham Antiochenum Michael Cærularius: *Ad noſtras aures pervenit quod Patriarchæ Alexandrinus & Jeroſolymitanus, non ſolum alios azymis veſcentes recipiunt, ſed etiam ipſi aliquando in azymis ſacrum conficiunt ſacrificium*: & id quidem cum in Reſponſione ſua non negaverit Petrus, tacite confeſsus cenſeri debet. Unde palam eſt fermenti uſum ne ævo quidem Cærularii generaliter invaluiſse.

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia Calicis.

EXpendendum 1. an vinum neceſsaria ſit calicis materia; 2. an ei aquam immiſceri oporteat; 3. quo jure; 4. qua neceſſitate; 5. qua quantitate; 6. & an aqua hæc mediate vel immediate convertatur in ſanguinem Chriſti. De his duplici Sectione dicemus.

SECTIO PRIMA.

An materia Calicis ſit vinum, &c.

CONCLUSIO I. Vinum neceſsaria eſt calicis materia. Eſt de fide contra Encratitas, Ebionitas, & Manichæos, qui vinum fel draconis a malo principio conditum ſtolide mentientes, ab eo ſacris abſtinebant.

Prob. 1.

Digitized by Google

Prob. 1. quia in citatis ſupra Evangeliſtarum locis dicitur Chriſtum accepiſſe calicem, eumque benedictum dediſſe Diſcipulis: porro in phraſi Scripturæ & uſu conſueto, calicis nomine non intelligitur aqua, multoque minus lac aut mel, ut aliqui delirarunt; ergo vinum ſimpliciter dictum, adeoque vitigineum.

Prob. 2. tum ex recenſitis ſupra longo Ordine Patribus, qui omnes uno concentu docent Chriſtum vinum in ſanguinem ſuum convertiſſe; tum ex Conciliis, quæ *lacteos* & *melleos*, ſi ita cum aliquibus loqui fas eſt, damnavere. Sic inter alia Concilium Carthag. III. jam ſupra citatum: *In Sacramentis corporis & ſanguinis Domini, nihil amplius offeratur quam panis & vinum aquæ mixtum. Primitiæ vero, ſeu mel & lac, quod uno die ſolenniſſimo pro infantis myſterio ſolet offerri, quamvis in altari offeratur, ſuam habet propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominici corporis aut ſanguinis diſtinguatur.* Idem docet Florentina Synodus ſupra p. 685. nec jam ulla eſt ea de re in Orbe Chriſtiano difficultas.

Hinc deduces 1. ſuccum qui ex pomis, piris, ceraſis, malogranatis exprimitur, non eſſe materiam calicis: quia etſi aliquam vini ſpeciem, imo & quandoque nomen habet, non tamen ejus ſubſtantiam; unde non magis dicitur vinum ſimpliciter, quam panis ex hordeo confectus, ſimpliciter dicatur panis.

2. nec ejuſdem calicis materiam eſſe liquorem in uvis incluſum; tum quia nec dicitur vinum, ſed botrus vel racemus; tum quia non ſe habet per modum potus, ſed per modum edulii; unde uvas manducaſſe dicimur, non bibiſſe; tum quia non poteſt deſignari per pronomen *hoc:* neque enim oſtenſo botro dici magis poteſt, *Hoc eſt vinum*, quam oſtenſa oliva dici poſſit: *Hoc eſt oleum*. Nec obeſt, quidquid velit Fraſſen, quod vinum in dolio, ſicut & panes in pixide conſecrari queant: Longum enim eſt inter iſta diſcrimen; cum nec vinum, nec hoſtiæ, ſint partes dolii, vel pixidis; ſed tota quædam, quæ utpote in vaſis ſuis ordinariis incluſa, iiſdem demonſtratis intelliguntur: vinum autem, ſi tamen quod necdum e botro expreſſum eſt, vinum vocari queat, non eſt in uva, ut totum aliquod in continente ſuo, ſeu ut pars ejus ſubtilior, quæ per pronomen *hoc* non magis demonſtratur, quam aliæ ejuſdem partes. Hinc Bracarenſe Concilium c. 1. *Si neceſſe ſit, botrus in calice comprimatur, & aqua miſceatur.*

Fraſſ. pag. 446.

3. nec conſecrationis materiam eſſe, ſeu * defruſtum, ſeu * agreſtum vel omphacium, ſeu acetum; quia hæc vel a vino ſpecie differunt, vel morali hominum æſtimatione non reputantur vinum. Unde quod docet Innocentius III. Lib. 4. de Sacrif. Miſſæ, *vinum acidum, quod appellatur acetum, ſi in ſacrificium offeratur*, valere ad conſecrationem, de vino nondum plene in acetum verſo, ſed proxime convertendo intelligi debet. Hinc ibidem: *Licet diligenti ſtudio optimum vinum ſit quærendum, vitium tamen vini non maculat munditiam Sacramenti;* quæ poſteriora verba indicant hic agi de liquore, qui licet vitioſus ſit, necdum tamen deſierit eſſe vinum. Utrumque paucis docet Angelus Scholæ hic q. 74. a. 3. *Sicut*, ait, *de pane totaliter corrupto non poteſt confici hoc Sacramentum; ita nec de aceto* (quod ex vino *fit per corruptionem*) *poteſt tamen confici de vino aceſcente, ſicut & de pane qui eſt in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.*

* *Vin cuit.*
* *Verjus.*

4. valere conſecrationem muſti, ſeu vini recens ex uvis expreſſi; tum quia

Digitized by Google

quia ſimpliciter dicitur vinum, ut Jerem. 48. *vinum de torcularibus ſuſtuli*, & Luc. 5. 37. *Nemo mittit vinum novum in utres veteres*; tum quia a meraciori vino non diſcrepat niſi ſecundum magis & minus, caloris, v. g. tum quia ita fert longe communior Theologorum opinio, quam ſupra tradit Bracarenſe Concilium, & quæ iiſdem verbis a Julio docetur Can. 107. diſt. 2 *De conſecrat.*

5. nihil ad conſecrationem intereſſe an ea fiat in vino hujus vel illius regionis, ſaporis, vel pretii: quia tametſi varia vina, ut Hiſpanum, & Gallicum penes ſpeciem differre ſupponerentur; horum tamen quodlibet eſt verum vinum de vite, ejuſque eſſentiam participat. His tamen in locis, ut prudens obſervat Henno, haud facile conſecrandum in vino Hiſpanico, propter varias œnopolarum fraudes, qui ut vina multiplicent, extranea multa iiſdem addere conſueverunt. Si tamen Italico vino Gallicum vel Hiſpanum miſcueris, ſtabit conſecrationis materia, etſi non ſtet in pane quem partim ex tritico, partim ex alio quolibet ſemine confeceris: nempe quod ex his exurgit, non eſt panis ſimpliciter; quod autem ex variis vinis conſtat, eſt ſimpliciter vinum.

Sed quid ſi conſecretur vinum in panis fruſtulo imbibitum, vel conſtrictum gelu.

R. imprimis neutrum a conſecratione jam peracta excidere; quia neutrum ſic excideret ab intrinſeca ratione vini, ſi conſecratum non eſſet. Tandiu porro manet ſanguis Chriſti, quandiu maneret vinum, niſi conſecratum eſſet: unde præcipit Miſſale Romanum, ut congelatæ ſpecies liquefiant, & a Miniſtro deinceps ſumantur ut conſecratæ. Atque hinc augetur ſolvendæ quæſtionis difficultas.

R. tamen dubiam admodum eſſe vini omnino congelati, nullam vero vini in pane imbibiti conſecrationem.

Ratio primæ partis eſt, quod juxta communem loquendi uſum, corpus omnino denſatum gelu, nec aqua, nec vinum dicitur, ſed glacies. Ratio ſecundæ partis eodem recidit: nempe vinum in pane imbibitum, nec vinum uſu communi nuncupatur, ſed offa: nec per pronomen *hic* multo melius demonſtratur, dum in mica latet, quam dum in botro. Atque hinc ad minus incertum eſt, an verum ſit id quod principii inſtar aſſumunt aliqui, ſcilicet, id quod ad retinendum ſufficit, ſufficere ad recipiendum. Certe pretioſi ſanguinis gutta in aquæ dolium projecta non illico amitteret conſecrationem, nec tamen ibi recipiendæ conſecrationi idonea foret.

Quod ſi ſola vini ſuperficies gelu conſtricta ſit, haud dubitem reſiduum liquidi conſecrari valide, quia & vinum ſit, & ſatis præſens. Monet tamen Suares melius eſſe ut vinum etiam poſt oblationem, ſed ante conſecrationem congelatum, mutetur, & iterum fiat oblatio ac deinceps conſecratio.

Conclusio II. Vino conſecrando aquam admiſceri neceſſum eſt, non tamen neceſſitate Sacramenti.

Prob. 1. pars, 1. ex Conciliis. Carthaginenſe III. *vinum aqua mixtum offerri* jubet, ſupra p.709. Trullanum an.992. Can.32. Armenos aquam non miſcentes vino expreſſe damnat, tum citati mox Concilii Carthaginenſis, tum S. Chryſoſtomi auctoritate. *Si quis ergo Epiſcopus vel Presbyter*, ajunt

ajunt Trullani Præſules, *aquam vino non miſcens .... offert ſacrificium, deponatur*. Triburienſe an. 885. *Confirmamus*, inquit, *ne ullus ſine commixtione vini & aquæ myſteria ſacra perficiat*.

2. ex Patribus. Juſtinus in Apologia 2. quam Romæ edidit, *affertur*, inquit, *præcipuo fratri panis & calix aqua dilutus*. Cyprianus Epiſt. 63. ad Cœcilium: *A Domino admoniti & inſtructi ſumus, ut calicem Dominicum vino mixtum, ſecundum quod Dominus obtulit, offeramus*. Chryſoſtomus in Liturgia, quæ ejus nomine inſcribitur: *Deinde*, inquit, *facit* Diaconus *commixtionem, in calicem mittens vinum & aquam*, &c. *Bellarmin.*

Confirm. Quod tota per orbem frequentat Eccleſia recipere nolle apertiſſimæ eſt inſaniæ, ut docet Auguſtinus: atqui praxim vinum in calice aqua temperandi tota qua patet frequentat Eccleſia, ut erudite demonſtrat Bellarminus Lib. 4. c. 10. Id enim pro Syria evincit Theodoretus; pro Italia, qui ibidem ſcripſit, Juſtinus; pro Africa Cyprianus, & Carthaginenſes Synodi, quarum tertiæ interfuit Auguſtinus; pro Gallia Irenæus Lib. 5. c. 1. pro Hiſpania Iſidorus Lib. 1. de Officiis, c. 18. pro Luſitania Concilium Bracarenſe III. pro Germania Triburienſe prope Moguntiam; pro Anglia Beda, & qui textum ejus tranſcripſit in cap. 26. Matth. Anſelmus Cantuarienſis; pro Græcia, Gregorius Niſſ. Patres Trullani, &c. Idem evincunt Liturgiæ omnes, S.Petri apud Latinos, S.Marci apud Alexandrinos, SS. Baſilii & Chryſoſtomi apud Græcos. *Cum ergo*, aiebat Eugenius, an. 1438. in Decreto pro Armenis, *tam Sancta Romana Eccleſia a BB. Apoſtolis Petro & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum Græcorumque Eccleſiæ, in quibus omnis ſanctitatis & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſervaverint, & modo ſervent, inconveniens admodum videtur, ut quævis alia Eccleſia ab hac univerſali & rationabili diſcrepet obſervantia*: unde *decernimus ut ipſi etiam Armeni cum univerſo Chriſtiano Orbe ſe conforment, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ admiſceant*.

Merito igitur *monet ſancta Synodus* Tridentina Seſſ. 22. c. 7. *præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſceant*; idque triplici potiſſimum de cauſa, 1. quod *Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur* (neque id negabat Petrus Martyr) 2. *quia a latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur*; 3. quod *cum aquæ, in Apocalypſi B. Joannis, populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur*. Addunt aliqui cum Nicephoro Lib. 18. Hiſtor. c. 53. mixtione hac ſignificari duarum in Chriſto naturarum conjunctionem; nec alia de cauſa Armenos vinum aquæ expers obtuliſſe, quam quia Eutychetis hæreſim amplexi, perfectam integræ duplicis naturæ unionem ſuo hoc facto confiteri recuſarent.

S. Bernard. Ep. 69. ad Guidon Prob. 2. pars contra aliquos qui S. Bernardi ætate Euchariſtiam ſine aqua confici poſſe negabant; Prob. inquam, 1. ideo aqua ad validam calicis conſecrationem neceſſaria foret, quia vel ea uſus eſſet Chriſtus, vel ea utendum præcepiſſet: atqui neutro ex capite repeti poteſt prædicta neceſſitas. Non ex 1. Chriſtus enim & in azymis, & plena jam nocte conſecravit; neque tamen neceſſum eſt ut alterutro ritu conſecretur. Non ex 2. nulla enim præcepti hujus habetur mentio ſeu in Scriptura, ſeu in Traditione. Neque vero ſi extaret divina lex de aquæ uſu, hæc continuo

con-

conſecrationis aliter factæ nullitatem induceret. Utique enim divina lege cautum eſt, ne Sacerdos immundus Euchariſtiam conficiat; & tamen valet peracta ab impio Sacerdote conſecratio; ergo.

Prob. 2. ex Conciliis. Bracarenſe IV. ſequitur mentem & adoptat verba Cypriani: atqui Cyprianus, quo nemo magis aquæ mixtionem urget, ſine ea tamen Chriſti ſanguinem fieri confitetur. Sic enim loquitur citata ad Cæcilium Epiſtola: *Sic autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt: nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis, ſi vero aqua ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto;* ergo juxta S. Doctorem, qui vinum offert ſine aqua, peccat quidem, ſed valide nihilominus conſecrat, quia ſanguinem Chriſti efficit.

Florentinum in Decreto unionis, ubi eſſentialem Euchariſtiæ materiam recenſet, eam eſſe dicit *panem triticeum, & vinum de vite*. Nihil ibi de aqua: quorſum vero, niſi quia abſolute neceſſaria non ſit?

Trident. Seſſ. 13. c. 3. juxta quod *ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie exiſtere:* non ait: *Sub ſpecie vini aqua temperati;* ergo citra hanc conſecrari valide poſſe exiſtimavit. Et rurſum Seſſ. 22. c. 7. *Monet ſancta Synodus præceptum eſſe* AB ECCLESIA *Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſceant*. An porro ſolius Eccleſiæ præceptum allegaſſet Synodus, ſi qua extaret Dei lex de aqua vino miſcenda; atque a fortiori ſi lex illa clauſulam irritantem contineret.

Prob. 3. tum ex Miſſalium omnium Rubricis, quæ aquam, ſi forte ante conſecrationem omiſſa eſt, poſt conſecrationem immiſceri vetant, *quia non eſt de neceſſitate Sacramenti;* tum ex eorum Scriptis qui pravam hanc Armenorum omiſſionem redarguerunt: eorum enim neque unus eſt, qui calicem ab iis invalide conſecrari aſſerere auſus ſit. Quin etſi abuſum hunc in Armenis culpaverint Trullani Patres, haud ideo tamen a communione ipſorum propterea receſſiſſe videntur.

Obj. contra 1. part. cum Luthero. Admixtio vini & aquæ peſſimam habet ſignificationem, ſecundum id Iſaiæ 1. *vinum tuum mixtum eſt aqua*, ideſt, teſte eum in locum Hieronymo, Verbo Dei vanas hominum traditiones admiſcuiſti; ergo non debuit mixtio hæc ab Eccleſia præcipi.

R. neg. ant. generaliter intellectum, ut intelligi debet ne futilis ſit objectio. Si enim alicubi aquæ mixtio ex parte venditorum malam in partem ſumitur, ut citato capite, ubi Hieronymus legit: *Caupones tui miſcent vino aquam;* at alibi ex parte bibentium nihil exhibet niſi boni, ſobrietatem ſcilicet & ſapientiam, juxta id Proverb. 9. *Bibite vinum, quod miſcui vobis*. Porro quidni Eccleſia bonam in partem ſumere potuerit, id quod bonam in partem ſumpſit ipſe Spiritus ſanctus. Certe leo diabolum aliquando ſignificat, ut Pſal. 90. *Conculcabis leonem & draconem*, & I. Petri 5. *Tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret:* & tamen alibi Chriſtum gloria ſplendentem repræſentat, ut Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Juda*. De his adi Bellarm. L. 4. c. 11.

Vid. Cyprian. Ep. 63.

Obj. 2. Aqua miſcetur vino ad ſignificandam Chriſtianæ plebis cum Capite ſuo unionem: atqui eo ipſo male miſcetur ante conſecrationem. Conſecratio enim præceſſit effuſionem ſanguinis: atqui ante effuſionem

hanc

hanc necdum ſancita erat unio noſtra cum Chriſto; cum effuſio ſanguinis totum ſit unionis illius principium; ergo.

R. diſt. maj. ad ſignificandam unionem plebis cum Chriſto, ſed tempore ſuo, C. ad ſignificandam ipſo mixtionis momento, N. Sic, juxta Lutherum, panis conſecrandus fit ex multis granis, ut inde ſignificetur unio fidelium, qui de uno illo pane participant: atqui tamen & panis ex granis pluribus fit ante conſecrationem, & nonniſi poſt conſecrationem, ſanctam fidelium unionem ſignificat; ergo a pari.

Hic obiter adverto mixtionem hanc non ab alio quam vel a Sacerdote in Miſsa privata, vel a Miniſtro ſacro in ſolemnibus fieri debere; idque in ipſo calice, & in ordine ad ſacrificium: unde non valeret quæ antea vel a caupone, vel ab ipſo Sacerdote peracta eſſet. Haud tamen redarguerim ſi in Miſſa privata Diaconus ſuperpelliceo indutus aquam miſceat vino.

Obj. contra 2. part. 1. citatam Cypriani Epiſtolam ad Cœcilium, ubi ſic loquitur Sanctus Martyr: *Sic autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt ..... quando autem utrumque miſcetur, tunc Sacramentum ſpiritale ac cœleſte perficitur: ſic vero calix Domini non eſt aqua ſola aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur; quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage ſolidatum:* ex iis ſic: Non magis, ex Cypriano, vinum ſolum offerri in calice poteſt, quam aqua ſola: atqui pro certo aqua ſola valide offerri non poteſt.

R. diſt. maj. non magis vinum ſolum offerri poteſt, ideſt non magis per ſolum vinum repræſentari poteſt, id quod per calicis conſecrationem repræſentari vult Eccleſia, C. non magis, ideſt non magis conficitur ſanguis Chriſti, N. itaque duo habet Euchariſtia, 1. quod corpus & ſanguinem Chriſti ſignificet, & realiter contineat; 2. quod populi fidelis cum Chriſto unionem repræſentet. Prima ſignificatio eſt Euchariſtiæ eſſentialis; ſecunda ad integritatem ejus pertinet, non vero ad eſſentiam. Sublato vino tollitur prior, ſublata aqua poſterior. Quod autem tunc poſterior ſola tollatur, patet tum ex communi ſenſu Patrum, a quibus vel non receſſit Cyprianus, vel meruit ut a ſe recedatur; tum ex ipſo Cypriano, juxta quem, ut ſupra ponderavimus, *ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe*, licet non ſine defectu Miniſtri, quia *ſine nobis*.

Inſt. ex Cypriano, Eadem eſt vini cum aqua miſcendi neceſſitas, quam farinæ cum aqua miſcendæ: atqui poſterior hæc mixtio neceſsaria eſt neceſſitate Sacramenti; ergo & prior.

R. diſt. maj. eadem eſt vini cum aqua miſcendi neceſſitas, ut adæquatæ ſint Sacramenti ſignificationes, C. eadem eſt ut ſtet Sacramenti eſſentia, N. itaque quemadmodum ut grana multa fidelium unitatem ſignificent, neceſſum eſt ut mediante aqua totum unum efficiant; ſic ut per calicem repræſentetur unio fidelis populi cum Chriſto, neceſſum eſt duos in ipſo miſceri & confundi liquores. Verum non ideo par eſt utriuſque conditio. Panis enim qui ex granis pluribus aqua minime delibutis conſtaret, nec verus eſset panis, nec proin ad Euchariſtiæ conſecrationem ſufficeret: contra vero vinum ſine aqua totam habet vini rationem, & ideo ſolum conſecrari valide poteſt.

Inſt. 2.

Inſt. 2. Ex conceſſis aquæ & vini mixtio neceſſaria eſt ut plenæ & adæquatæ ſint ſignificationes Sacramenti: atqui ex Cypriano plenæ illæ Sacramenti ſignificationes ad ejuſdem Sacramenti eſſentiam neceſſariæ ſunt. Prob. min. 1. ex allatis jam verbis: *Quando utrumque miſcetur, tunc Sacramentum perficitur;* 2. ex iis quibus Epiſtolam concludit S. Martyr: *Sacrificium verum & plenum tunc offert Sacerdos in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Unde ſic: Illud ad Sacramenti ſubſtantiam neceſſarium eſt, quo Sacramentum perficitur, verumque & plenum offertur ſacrificium: atqui, &c.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. min. per mixtionem aquæ perficitur Sacramentum perfectione accidentaria & integrali, C. eſſentiali, N. ſolutionem ſubindicat vel ipſe qui objicitur textus: *Tunc offert Sacerdos ſacrificium verum*, en eſſentiam, *& plenum*, en adæquata ſignificatio, quæ cum ſacrificii veritatem præſupponat, præſupponit & eſſentiam. Unde rurſus ibid. S. Doctor: *Sanguis Chriſti non offertur, ſi deſit vinum;* hic habes ſubſtantiam rei: *nec ſacrificium Domini cum legitima ſanctificatione celebratur, niſi oblatio & ſacrificium noſtrum reſponderit paſſioni;* en quod neceſſarium eſt, ut ſacrificium licite & *legitime* offeratur, nimirum integritas ac perfectio accidentalis ex perfecta repræſentatione nata.

Confirmantur hactenus datæ ſolutiones. Nimirum, ut in ſimili cauſa animadvertit S. Hilarius, *intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi:* atqui Cypriani tota in Epiſtola ſcopus eſt ut Aquarios confutet; ergo verba ejus probant quidem abſolutam neceſſitatem vini, ſed non aquæ, niſi aut aliter flecti non poſſint, aut ambigua eorum ſignificatio ex ævi illius monumentis determinari queat: jam vero nec benignum ſenſum refugiunt verba Cypriani, nec ſi ſtrictius urgeantur, cum ævi Cyprianici traditione conciliari poterunt.

Ex his colliges paulo indulgentiorem fuiſſe S. Bernardum, cum Ep. 69. ad Guidonem liberum fecit ut crederetur, *non poſſe abſque pane, vino & aqua ſacrificium* valide offerri. Quamquam opinionem hanc interimit ibid. S. Doctor paucis his verbis: *Puto enim, quod ſi Domino poſt factum de pane ſuum corpus, vini conſecrationem placuiſſet aliquandiu intermittere, aut certe penitus omittere; nihilominus corpus manſiſſe quod fecerat ...... Nec nego panem & vinum, aqua quidem mixtum, ſimul debere apponi: quin potius aſſero haud aliter debere fieri: ſed aliud eſt ...... quod cauſamur non bene quidquam fieri, & aliud quod mentimur nec fieri.*

Obj. 2. Illud eſt de Sacramenti neceſſitate, quo ſublato tollitur primum ejus & directum ſignificatum: atqui ſublata aquæ mixtione ... Scilicèt enim ex Conciliis Florentino & Tridentino ſignificatum illud conſiſtit potiſſimum in repræſentatione paſſionis & mortis Chriſti, cujus e latere fluxit ſanguis & aqua: atqui ſublata aqua tollitur repræſentatio iſthæc.

R. ad 1. neg. min. Euchariſtiæ enim Sacramentum directe & primario corpus & ſanguinem Chriſti ſignificat: porro corpus & ſanguis ſignificari practice poſſunt, abſque eo quod aliud quidpiam directe repræſentetur, ac proinde per ſolam panis & vini conſecrationem.

Ad 2. n.maj. etſi enim Euchariſtiæ, non Sacramento, ſed ſacrificio eſſentiale eſt, ut Chriſti paſſionem & mortem repræſentet, non tamen ut repræſentet aquam & ſanguinem, quæ conſummato jam penitus ſacrificio e latere Chriſti

fluxerunt: porro paſſio & mors Chriſti aliter quam per vini & aquæ mixtionem repræſentantur, ut ſuo loco videbimus.

Obj. 3. In Sacramentis quod eſt neceſſarium neceſſitate præcepti divini, neceſſarium eſt neceſſitate Sacramenti: atqui aquæ mixtio ex divino præcepto neceſſaria eſt. Prob. min. 1. ex S. Juſtino, qui poſtquam ſub finem Apologiæ II. conſecrandi cum aqua vini ritum retulit, ſic proſequitur: *Nam Apoſtoli in Commentariis a ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepiſſe ſibi Jeſum;* 2. ex Concilio Carthag. III. Can. 24. ubi *panis & vinum aqua mixtum* offerri jubentur, quia hoc *ipſe Dominus tradidit;* 3. ex Concilio Aurelianenſi IV. Can. 24. quod eamdem mixtionem præcipit; *quia ſacrilegium judicatur aliud offerri, quam quod in mandatis ſacratiſſimis Salvator inſtituit;* 4. ex Cypriano cit. Epiſt. ad Cæcilium, ubi hæc: *Si in ſacrificio quod Chriſtus eſt, nonniſi Chriſtus ſequendus eſt; utique id nos obaudire & facere oportet, quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandavit.*

* *De re Sacram.* pag. 366. *Simonnet* pag. 193.

R. 1. neg. maj. licet a gravibus Theologis * conceſſam. Aliud enim eſt a Chriſto quidpiam præcipi, aliud id ſub nullitatis pœna præcipi. Sic juſſit ante doceri gentes, quam baptizarentur, nec tamen Baptiſmati indoctis collato ſuam abſtulit validitatem. Sic præcepit ut calix per ea queis uſus eſt verba conſecraretur; nec tamen omnia ſunt de neceſſitate Sacramenti. Sic utramque ſpeciem a Miniſtris conſecrari voluit; & tamen valet unius ſine alia conſecratio. Quapropter id unum neceſſitate Sacramenti neceſſarium videtur, quod Eccleſia verborum Chriſti interpres, ita ab eo præceptum fuiſſe judicat, ut eo omiſſo Sacramentum perire judicet.

R. 2. diſt. min. mixtio aquæ neceſſaria eſt ex divino præcepto largius ſumpto, C. ſumpto ſtrictiori ſenſu, N. itaque quod fecit Chriſtus exemplum dando quod ſequeremur; non inepte præceptum vocari poteſt; & ſic quadrageſimale jejunium a S. Leone *divinæ inſtitutionis* eſse dicitur. At hujuſmodi præcepta dum etiam obligant ſub gravi, non ideo actus contra facti nullitatem inducunt; ſecundum id Bernardi ſupra: *Aliud eſt non bene quidquam fieri, & aliud nec fieri.*

Nec nocet quod vox *præcepti* in textibus objectis ſtricte accipienda ſit, cum de pane & vino agitur; proinque & ſtricte videatur accipi debere, cum agitur de aqua. Is enim ſacrorum etiam Scriptorum uſus eſt, ut ſub generali lege involvant multa, quæ tamen non eodem modo præcipiuntur aut prohibentur. Sic Act. 15. 29. jubentur Fideles abſtinere ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione: neque tamen horum quatuor æqualis erat conditio. Et vero Juſtinus ante etiam commemoraverat ritum Laicos ſub utraque ſpecie communicandi, qui tamen a Chriſto præceptus non eſt.

Lib. 2. de Bapt. c. 7. & L. 4. c. 24.

Obj. 4. ex citata pluries Auguſtini regula; *Quod univerſa tenet Eccleſia*, ut eſt aquæ mixtio, *nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur:* atqui, ait Tertullianus, *Apoſtoli a Chriſto acceperunt, ſicut Chriſtus a Deo.*

R. diſt. min. relative ad præſentem materiam: Apoſtoli acceperunt a Chriſto velut exemplum quod ſequi oporteat ſub pœna peccati, C. velut legem quæ obliget ſub pœna nullitatis, N. ſolutionem dant hæc Catechiſmi Romani verba, 2. part. n. 7. *Quamvis aquæ miſcendæ ita graves rationes*

Digitized by Google

tiones ſint, ut eam ſine peccato mortali prætermittere non liceat; ea tamen ſi de-ſit Sacramentum conſtare poteſt: cur porro? quia ſicut azymi exemplum dedit Chriſtus, nec tamen fermentati uſum irritavit, ſic a pari, &c.

Quæres cujus ſpeciei & quantitatis aquam vino miſceri neceſsum ſit.

R. ad 1. aquam hanc debere eſse naturalem & elementarem; tum quia ſi quam, ut pro Orientalium more feciſse creditur, vino miſcuerit Chriſtus, utique naturalem; tum quia quam miſceri jubent Concilia & Patres, hanc ſimpliciter aquam vocant: aqua autem ſimpliciter dicta eſt elementaris; tum quia Eccleſiæ in aqua miſcenda ſcopus eſt, ut fidelis populi cum Chriſto capite fœdus repræſentetur: porro aqua quæ in Apocalypſi populum *Apocal.* repræſentat, eſt naturalis. Addunt aliqui hac etiam unione repræſentari 17. 15. aquam quæ e Chriſti latere fluxit, hanc porro ex Innocentio III. fuiſse elementarem; proinque *in corde Chriſti miraculo formatam*, ut tradit Menochius in Joan. c. 19. v. 34. Sed eſto quæ e Chriſti latere manavit aqua, fuerit ſeroſus humor, poteſt is apprime per aquam naturalem repræſentari. Unde Auguſtinus Tract. 110. in Joan. *Ille ſanguis in remiſſionem fuſus eſt peccatorum: aqua illa ſalutare temperat poculum: hæc & lavacrum præſtat* in Baptiſmo, *& potum* in Euchariſtia.

Nihil autem intereſt, ait Fraſsen, an frigida in calice apponatur a- *Pag. 465.* qua, ut a Latinis, an calida ut a Græcis, qui hac arte & Spiritus S. fervorem demonſtrare volunt, & conditionem aquæ quæ ex calente adhuc Chriſti corpore profluxit. Verum nonnihil aberrare videtur vir doctus: Græci enim frigidam, ante oblationem, aquam miſcent, dicendo: *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua:* calidæ vero guttas aliquot ante communionem ab annis circiter mille infundunt. *Diaconus*, ajunt Græcæ Liturgiæ, *accepta fervanti aqua, dicit Sacerdoti: Benedic Domine ſanctam hanc fervidam: Sacerdos vero benedicens ait: Benedictus fervor ſanctorum tuorum jugiter, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, amen: Diaconus vero infundit in modum crucis in ſanctum calicem dicens: Fervor fidei plenus Spiritu ſancto, amen, & ſtatim ſequitur communio corporis & ſanguinis Chriſti.* Vide Rituale Goarii p. 82. & 148. le Brun tom. 3. p. 126. &c.

Monet porro recens auctor Operis de re Sacramentaria p. 368. poſtremum hunc Græcorum morem incaute a Catholicis aliquot culpari, quibus id omne diſplicet quod a ſuis obſervari non vident: 1. enim ritus ille jam ineunte VIII. ſæculo vigebat apud Græcos, eumque explicuit S. Germanus, CP. Patriarcha; 2. interrogati ea de re in Concilio Florentino Græci, plene per Dorotheum, Mytilinenſem Epiſcopum, & ut ex Actis colligitur, doctiſſimum ſatisfecerunt; 3. nec tunc nec alibi uſquam damnati ſunt ob iſtam cauſam ab Eccleſia Orientales: quod autem non fecit Eccleſia, cur auſint privati?

R. ad 2. nihil hac de re ante IX. ſæculum a Majoribus conſtitutum legi. Prima quæ aquæ mixtionem ſpectet ſanctio, Triburienſis eſt Concilii an. 895. ubi ſic Can. 19. *Duæ ſint partes vini, quia major eſt majeſtas* *Tom. 9.* *ſanguinis Chriſti, quam fragilitas populi, tertia aquæ, per quam intelligitur in-* *Conc. p. 451. C.* *firmitas humanæ naturæ;* cujus Canonis ſenſus non eſt, miſcendam omnino eſse calici partem aquæ tertiam, ſed apponendam duplo majorem vini quam aquæ quantitatem. In eumdem pene ſenſum reſcripſit Honorius

Bb 2 III.

De celebr. Miſſar. c.13. III. ad Archiepiſcopum Ablaſen. *Perniciosus*, inquit, *in tuis partibus inolevit abuſus, videlicet quod in majori quantitate de aqua ponitur in ſacrificio, quam de vino: cum, ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis, plus in ipſo ſit de vino, quam de aqua ponendum*. Preſſiori ſtylo locutus eſt in ſuo ad Armenos Decreto Eugenius, forte ut eos ad generalem Eccleſiæ praxim lenius reduceret: ſic ille: *Vino ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri ſolet*. Eugenio conſonat Pius V. in Conſtitutione ab Antonio Auguſtino, percelebri Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo memorata: hic ſanctus & ſummus Pontifex eos redarguit, *qui non aquæ guttam, ut fieri debet, ſed plus aquæ quam vini in calicem infundebant*. Ut omnis in hac mixtione præcaveretur exceſſus, & locus demeretur ſcrupulis, quibuſdam in Eccleſiis calice inſeritur minutum Cochlear quo ſacris operans Miniſter aquam excipiat: idque juniores olim in Audomarenſi territorio fecimus. Idem paſſim ſervant PP. Minimi & Carthuſienſes. Morem hunc ubi viget ſervari cupiam, ubi non eſt, induci. Sunt qui aquæ miſcendæ copiam ex vini indole metiantur, adeo ut plus apponant, ſi generoſo, minus, ſi imbecilliori vino utantur. Morem hunc ſequuntur Orientales, prout in Copticam S. Baſilii Liturgiam obſervat Renaudotus, adeo ut nobilius vinum tertia aquæ parte, imbecillius decima, medium ſexta circiter temperent. De his placet nobis hæc Brunii

Le Brun Tom. 1. pag. 509. Regula: *Scrupuli expertem eſſe debere, qui tertiam ſolum aquæ partem offerendo vino miſcuerit;* præſertim cum generoſo vino utitur; nec vereri eſt, ne in via vel cavea baptizatum fuerit, ut loquitur Henricus a S. Ignatio, n. 71.

Cur autem minor adhibenda ſit aquæ quam vini quantitas, facilis eſt & obvia ratio: quia nimirum eſſentialis materia acceſſoriæ prævalere debet: porro vinum materia eſt Euchariſtiæ eſſentialis.

Sed quid ſi plus aquę adhibitum fuerit quam vini, eritne irrita conſecratio.

Lib. 4 pag 367. Negat recens Auctor Librorum de re Sacramentaria; *Niſi*, inquit, *tanta aquæ copia fuerit, ut corrupta vini natura ſit, & vis ejus penitus evanuerit*. Negandi ratio triplex, 1. quia contraria opinio nulla Majorum auctoritate, nullo Eccleſiæ Decreto innitatur; quin Triburienſe Concilium, dum eos redarguit, qui plus aquæ quam vini in calicem infunderent, haud tamen irritum declarat Sacramentum; 2. quia qui conſecrationem hoc modo factam habent pro irrita, id fieri volunt quia prævalente aquæ efficacia vinum in ipſam convertatur: atqui, ait idem Theologus, illationem hanc ratio & experientia reſpuit, medicorum & chymicorum conſtanti judicio confirmata. Juxta eos enim vinum, mixtum licet, vinum nihilominus eſt, nec vini naturam deperdit; ergo *valide conſecratur, quantumvis aqua præponderet;* 3. quia ſi, ut fert communis opinio, Chriſtus conſecrandum calicem aqua diluit; *aut plus aquæ in calice fuiſſe, aut ſaltem ad vini æquipondium redactam*, vel ex ipſa ſumma Chriſti ſobrietate conjiciendum. Hæc ille.

Verum paucis probabitur nova hæc viri docti opinio, 1. quia inſolita; 2. quia in materia ſacramentali ad minus dubia; 3. quia conſtat Euchariſtiam ex vino ſimpliciter dicto confici debere: atqui ubi eſt aqua *ad æquipondium vini*, & a fortiori ubi, *quantumvis aqua præponderat*, jam non eſt vinum ſimpliciter dictum, ſed mixtum aliquod proprio nomine carens; ſicut ubi eſt compoſitum ex tritico & hordeo, jam non eſt panis

ſim-

ſimpliciter. Quod enim aquam a vino ſeparare queant chymici, nihil ad rem facit; quia poſſet etiam, ſaltem divinitus, ſeparari id quod triticeum eſt ab hordeaceo; 4. quia ſecum pugnat opinio prædicta: ſi enim quia vinum haud excidit a natura vini, poſſit illud conſecrari quantumvis præponderet aquà, ut quid ergo reſtrictio hæc jam a limine: *Niſi tanta aquæ copia fuerit*, &c. nec multum urgent quæ objicit Doctor eruditus.

Non 1. quod petitur e Concilio Triburienſi; tum quia ſancita vini ſimpliciter dicti neceſſitate, ſatis ſanciebatur irritum eſſe quidquid hinc recederet; tum quia expreſſior definitio Miniſtros, in quibus, quia dolus probari non poſſit, bonam fidem ſuſpicari licet, graviter conturbaſſet & gratis, quia quod factum erat, infectum eſſe non poterat; tum forte quia hærent eruditiores, ubi patulo ore pronunciant temerarii.

Non 2. neque enim expendimus an in aquæ dolio naturam & vim ſervent vini aliquot guttæ, ſed quærimus 1. an compoſitum illud ex vino & aqua prævalente ſit vinum ſimpliciter; 2. an pronomine *hic*, demonſtrari poſſit ut vinum, id quod vinum multo minus fuerit quam aqua. Si enim utrumque vel non eſt, vel impendio dubium eſt, inutile, ne pejus quid dicam, eſt Auctoris ſyſtema.

Non 3. non enim fecit ſumma Chriſti ſobrietas ut aquam adhiberet in Sacramento, quod, ut veteres figuras, puta Melchiſedech & aliorum * adimpleret, vino perfici voluit; ſicut nec efficit ſumma ejus in mortificationem propenſio, ut atro pane in triticei locum uteretur. Deinde ſi conjici probabiliter poteſt impenſam a Chriſto parem, niſi majorem, aquæ & vini menſuram, ut quid ergo Concilia & Patres vini frequenter, aquæ multo rarius meminerunt? ut quid qui plus aquæ indulſerunt, ut Triburienſes, nonniſi tertiam partem permiſere? ne cum Goneto dicam fuiſſe id a Florentinis Patribus, & a ceteris ſubinde Pontificibus emendatum, cum ii vel *modiciſſimam aquam*, vel aquæ guttam adhiberi ſanxerunt.

* *Vid. Epiſt. 63. Cyprian.*

Quæres 2. an & quatenus materia conſecranda, ſeu panis, ſeu vini, Miniſtro præſens eſſe debeat.

Suppono duplicem eſſe præſentiam, phyſicam nimirum, cum res aliquo ſenſu, puta oculis vel manibus attingitur; & moralem, cum res etſi actu non cadat ſub ſenſum, in eo tamen eſt loco, ubi a conſecrante demonſtrari poſſit & percipi, ſi non in ſe, ſaltem in aliquo, vel ipſi conjuncto, vel ad eam continendam ordinato: quemadmodum oſtenſa lagena vel crumena oſtendi cenſentur vinum & argentum, quæ in his continentur. Jam

R. 1. requiri ut materia præſens ſit conſecranti. Ratio eſt 1. quia Chriſtus ſic facto docuit dum panem & vinum ſibi præſentia, imo accepta *in ſanctas ac venerabiles manus ſuas* conſecravit; 2. quia idipſum confirmat praxis Eccleſiæ, quæ nullam unquam materiam, niſi ſic præſentem conſecrat; 3. quia id exigit veritas formæ: iſtæ enim particulæ *hoc* & *hic* demonſtrativæ ſunt; nihil autem demonſtrari poteſt, niſi moraliter ſaltem præſens ſit demonſtranti. Et vero particula *hoc*, non minus rem præſentem demonſtrat in Euchariſtia, quam particula *te* in Baptiſmo & Pœnitentia; ergo non magis abſens materia conſecrari poteſt, quam abſens perſona baptizari aut abſolvi.

R. 2. nec requiri, nec ſufficere præſentiam phyſicam: 1. quidem non requiritur. Conſecrari enim valide poſſunt formulæ quæ vel ſub alio-

aliorum cumulo latitent; vel in pixide includantur: & eæ tamen cum nec videri nec tangi queant, phyſice præſentes non ſunt; 2. nec ſufficit. Alioqui enim diſtans uno milliari panis, qui vel ſua quantitate, vel mediis perſpiciliis videretur, conſecrari poſſet; quod & abſurdum eſt, & male cohæret cum forma, *Hoc eſt corpus meum*, quæ aliquid longe magis præſens ſignificat. Profecto quæ a nobis tantopere diſtant, pronomine *illud*, non autem pronomine *hoc* demonſtrantur.

Grand. pag. 13. Etſi autem, ut poſt Paludanum & Durandum monet Grandinus, definiri non poteſt quanta ſufficientem præſentiam impediat diſtantia, calumnioſe tamen ſupponunt & objiciunt Proteſtantes ratum eſſe apud Catholicos, panes quotquot in foro venum expoſiti ſunt, a Presbytero conſecrari poſſe. *Henric. pag. 86.* Neque enim, ait Henricus a S. Ignatio, omnes ſat propinqui ſunt, ſatque præſentes, ut ad ſenſum pronomine *hoc* demonſtrari valeant; uti nec vina omnia, quæ in ingenti cavea recluduntur; unde emptorem de loco in locum ire oportet, ut quod cupit determinet, dicens: *Hoc volo, non iſtud*. Adde, 1. incertum eſſe apud noſtros an non internæ intentioni adjungi debeat exterior Miniſtri conditio; 2. nec ſic conſtitutam eſſe Chriſti Religionem, ut myſteria ejus nulli profanationis periculo obnoxia ſint. Unde futilis eſt Heterodoxorum objectio quocumque ſenſu ſpectetur. Si cui ergo dubia videbitur, ut nonnullis videbitur, Henrici reſponſio, nihil factu melius viderim, quam quod, vero an falſo rumore, a Pariſienſibus Magiſtris deciſum accepi, videlicet ut hujuſmodi panes tenellis infantibus, juxta veterem ritum, caute & ſagaciter diſtribuantur.

Addit idem Theologus, haud etiam ſufficere, ut materia, ſi magnæ ſit molis, ſecundum aliquam tantum ſui partem cadat ſub ſenſus, ut quoad partes etiam magis diſſitas conſecrari poſſit. *Alias*, inquit, *Oceanus in vinum converſus, totus conſecrari poſſet a Sacerdote, cui ad ſenſum præſens eſſet ſecundum partem Dunkerkano littori adjacentem, quod dici nequit ob nimiam diſtantiam partium Oceani Indis adjacentium*. Sed de his, quæ ni fallor, Theologiam inhonorant, altercantes vide Suarem diſp. 43. ſect. 5. Vaſquem diſp. 171. nu. 25. & qui neutri adhæret Lugo diſp. 4. nu. 127. Lepide quidam: Sat mature, inquit, perpendentur iſta, cum in vinum pelagus converſum fuerit.

R. 3. requiri & ſufficere præſentiam moralem; cum enim aliqua requiratur præſentia, ut indicant particulæ *hoc* & *hic;* nec aliunde requiratur aut ſufficiat præſentia phyſica, neceſſaria eſt & ſufficit præſentia moralis.

Hic autem cum Grandino & aliis advertendum ad moralem præſentiam materiæ nullatenus requiri, 1. ut verba ad eam phyſice perveniant: quandoquidem abſque illa vocis diffuſione vere & juxta moralem loquendi uſum dicitur: *Hoc eſt corpus meum*. Quapropter improbanda eorum Sacerdotum praxis, qui admotis conſecrandæ materiæ labiis in eam quaſi verba & halitum inſpirant. Indecore profecto, nec appoſite ſatis ad Rubricas, quæ præcipiunt tantum ut conſecraturus Miniſter ſtet *capite inclinato, & verba diſtincte, ſecreto & reverenter proferat;* 2. ut materia actu aliquo ſenſu percipiatur; unde valet tum vini in calice cooperto, tum hoſtiæ vel in pixide clauſæ, * vel in corporali involutæ; tum etiam quæ a cæ-

* Monent quidem Rubricæ ut ante Offertorium aperiatur pixis, verum apertio hæc non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti ſed præcepti.

Digitized by Google

a cæco Sacerdote fit conſecratio. Tametſi enim rarum eſt, & eſſe debet, ut cæco ſacrum facere liceat, id tamen quandoque conceſſum eſt, ut Hincmaro Laudunenſi a Joanne VIII. in Concilio Tricaſſino, & noſtris diebus P. Natal. Alexandro ex ſpeciali Rom. Pontificis gratia. Nihil enim tale concedit Sacra Congregatio, ut patet ex ſequenti Reſcripto, quod ab Epiſcopis ſumme penſandum arbitror.

Die .... an. 1747. *Sacra Congregatio* Em. S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum benigne commiſit Ordinario, ut veris exiſtentibus narratis, & dummodo Orator non ſit omnino cæcus, memoriter non recitet, celebret in oratorio privato, ac etiam in publica Eccleſia, hora tamen a populo minus frequentata, & cum alio aſſiſtente Sacerdote, quatenus eo indigere videatur, petitam licentiam celebrandi diebus feſtis & duplicibus Miſſam votivam ſanctiſſimæ Virginis, diebus vero ferialibus Miſſam defunctorum per triennium proximum; ſi tamen diu enuntiatus defectus perduraverit, pro ſuo arbitrio & conſcientia Oratori gratis impertiatur; cum facultate hujuſmodi licentiam prorogandi ac renovandi toties quoties opus fuerit, ſi facto experimento cognoverit Oratorem in eadem viſivæ potentiæ debilitate perdurare, viceque verſa præfatam licentiam denegandi, ſi Orator in Sacro peragendo defecerit, aut omnino cæcus evaſerit, ſuper quibus ipſius Ordinarii & Oratoris conſcientia onerata remaneat. A. Card. Præfectus, &c. „

Etſi autem viros pios audivimus, qui Sacerdoti in pari caſu conſultius eſſe velint, ut a Sacro abſtineat; tum quia, inquiunt, videtur hæc eſſe voluntas Dei, qui cum vult finem, non negat media; tum quia magnum eſt periculum, ne non, ut decet, purificetur Patena; tum demum quia ſacrificii privatio, partim humili patientia, partim quotidiana communione compenſari poteſt: cenſemus tamen cum aliis indulgentiam hanc hominibus præſertim egregie piis, tribui poſſe, etiam ab Epiſcopo, ubi non reſiſtit conſuetudo loci: licet malint Præſules non uno nomine commendandi rem totam ad Apoſtolicam Sedem remittere, quia de gravi & publica Eccleſiæ lege agitur. Sed ne fuſius digrediamur a propoſito,

Adverte inſuper requiri 1. ut materia in eo ſit loco, ubi viſu ſaltem, ſi non celebrantis, at alterius qui ei præſens ſit, percipi queat; adeoque ſi tam procul diſtaret hoſtia, ut ne oculo quidem eſſet ſenſibilis, non poſſet conſecrari; 2. ut ſit obverſa anteriori hominis parti; alias non demonſtraretur a dicente *Hoc eſt corpus meum*, &c. niſi forte converſa facie reſpiceret Sacerdos, aut poſt ſe digitos in hoſtiam retorqueret; quo etiam in caſu vel nulla, vel admodum incerta foret conſecratio, cum Eccleſia nuſquam digito, nutibus, aliiſve ſignis, quibus pecunia, vel alia id genus demonſtrari poſſunt, uſa ſit ad demonſtrandam materiæ conſecrationem; 3. ut ſi contineatur in aliquo corpore, tale illud ſit ut juxta communem loquendi modum eo demonſtrato demonſtretur materia in eo contenta, ut demonſtrata crumena demonſtratur pecunia: unde ſi poſt parietem aut in tabernaculo clauſo lateret hoſtia vel ampulla vini, neutra conſecraretur. Idem videtur eſſe ſi hoſtia exiſtat ſub mappa, ſub corporali, quin & ſub pede calicis, aut alio opaco corpore, quod non ſit ordinarium ejus continens: ſic enim nullo perceptibilis eſt ſenſu, ſeu

Digitized by Google

ratione ſui, ſeu ratione continentis. Si hoſtia initio præſens abſit in fine; non conſecrabitur; quia verba non operantur niſi complete prolata.

Quæres 3. an materia per intentionem conſecrantis determinata eſſe debeat.

R. affirmat. 1. quia hæc determinatio in aliis Sacramentis neceſſaria eſt: non enim baptizat vel abſolvit, niſi qui hoc vel illud ſubjectum baptizare vult aut abſolvere; 2. quia voces *hoc* & *hic* ex ſe certi quid & fixi demonſtrant: fixum autem eſſe nequit quod indeterminatum eſt; 3. quia ſicut non conſecrat Sacerdos niſi conſecrare intendat, ſic nec certam materiam conſecrat, niſi hanc præ alia conſecrare intendat. Alioqui enim omnes quæ ſuper altare, præſertim in Feſto Natalis Chriſti, reponuntur formulas jam a prima Miſſa conſecraret, quod abſurdum eſt; 4. quia actio conſecrandi eſt practica: neceſſum eſt porro ut actioni practicæ ſuum ſit determinatum objectum, cum praxis vagum & incertum non attingat.

Hinc non conſecrat, 1. qui ex decem hoſtiis præſentibus vult ſolum conſecrare novem non deſignando quam excludere intendit; 2. qui mediam ſolum, tertiamve hoſtiæ partem conſecrare vult, non determinando quam conſecrare nolit.

An autem valeat in his caſibus conſecratio, ſi vel Deo, vel alii homini facienda relinquatur determinatio, dubium videri poteſt; tum quia offerri poteſt ſacrificium pro ea anima quam Deus voluerit; tum quia poteſt Sacerdos ex multis quæ audiit peccatis duo ſolum ad arbitrium Dei remittere; tum quia ſi pluribus quæ jam conſecratæ ſint hoſtiis, miſceatur una non conſecrata, poterit hæc conſecrari, etſi jam nec determinari poſſit, nec ullatenus diſtincte demonſtrari.

Dicendum tamen irritam eſse conſecrationem hanc, niſi Dei vel potius hominis voluntas manifeſta foret. Ratio eſt 1. quia determinatio hæc neque a Deo, neque etiam ab homine prudente contra regulas fieret; 2. quia ad veritatem formæ, in qua *hoc* ſtricte & rigoroſe ſumitur, neceſsum eſt ut materia conſecrata ad ſenſum quadantenus demonſtrari valeat a conſecrante; quod in hypotheſi præſenti locum non haberet. Nec nocent objecta. Unde

Ad 1. neg. conſeq. tum quia nihil eſt abſoni quod Deus certæ animæ quam eligere voluerit, applicet effectum ſacrificii; indecens autem eſt ut ad temerarii Sacerdotis phantaſiam hoſtias e pluribus aliquot determinet; tum quia in hac propoſitione: *Offero tibi, Deus, preces pro anima quam volueris*, nulla eſt vox quæ demonſtrationem exigat: ſecus in forma Euchariſtiæ, ubi pronomen *hoc* diſtincti quid & determinati reſpicit. Ita ferme Lugo diſp. 4. nu. 130. ubi tamen non improbat opinionem Vaſqueſii exiſtimantis oblatum pro indeterminata anima ſacrificium nemini prodeſse ſpecialiter, quia Miniſtri eſt, non autem Dei determinare. Et ita docet Martinon diſp. 29. nu. 14.

Ad 2. neg. ant. Sacerdos enim eſt Judex: porro ſi Judex decem habens criminis cauſas, dicat ſe ab una vel alia abſolvere, nullam prorſus determinando, ſententia & ridicula erit & invalida. Imo nec poſset Confeſsarius ab uno determinato crimine abſolvere, ſi ab aliis abſolvere nollet: quia eam ſolum abſolutionem largiri poteſt quæ hominem cum Deo reconci-

liet;

Digitized by Google

liet; hæc autem omnia prorſus lethalia peccata ſimul auferri poſtulat. Aliud eſſe videtur de venialibus peccatis, quorum cum dimiſſio haud neceſſario connexa ſit, non licite quidem, ſed valide dividi poſſe videtur, ea tamen lege ut intentio ſit ad hoc vel illud determinata.

Ad 3. maior eſt difficultas. Sunt enim qui velint hoſtiam hanc haud conſecrari poſſe abſolute; quia ſicut de aureo nummo ſub argenteis pluribus latente, dici nequit in communi ſermone *Hoc eſt aurum*, ſic nec de formula quæ ſub pluribus alterius jam ſpeciei latere poteſt, dici recte valet, *Hoc quod nunc eſt panis, mox eſt corpus meum*. Quapropter, inquiunt, hoſtia hæc conſecrari non poſſet per verba ad eam abſolute directa, ſed ſolum per formam ad hoſtias omnes in pixide incluſas directam ſub conditione: perinde enim foret, ac ſi ſuper ſingulas diceretur ſpeciatim: *Volo hanc conſecrare, ſi non ſit conſecrata*. Et ita poſſet Epiſcopus generatim ordinationem ſupplere, ſi ſuper aliquem ex Ordinandis, ſed in ſpecie ignotum; formam haud fuiſſe prolatam diſceret. Hujus autem, addunt, conditionalis formæ nulla foret neceſſitas ſufficiens; quia vitari poſſet incommodum quodcumque, dando ſcilicet communicaturis omnibus hoſtias duas: ſic enim certum foret ab unoquoque unam accipi conſecratam. Si vero conſecratis centum totidem admiſtæ eſſent non conſecratæ, ſufficeret ut Sacerdos ſingulis poſt ſumptum ſanguinem diebus, quatuor aut quinque ex ipſis ore ſumeret. Poſt ſumptum, inquam, ſanguinem, ne exponat ſe periculo ſanguinem ſumendi non jejunus. Ita Lugo ibid. num. 136. & ſeq. & ex eo Ethica amoris num. 91. & 92.

Brevius & minus ſcrupuloſe rem expedit Pariſienſis Theologus. Hæc illle: Si formulis jam conſecratis miſceres aliquas non conſecratas, poſſent eæ conſecrari, ad quod ſatis foret, ut moraliter præſentes eſſent, velletque Sacerdos id totum conſecrare quod nondum conſecratum fuiſſet. Nec obeſt quod diſtincte demonſtrari nequeant formulæ conſecrandæ; nam 1. poſſet in communi ſententia Miniſter mediam hoſtiæ partem conſecrare, nec tamen medietatis hujus terminos demonſtrare poſſet; 2. Sacerdos in ſecunda & tertia Natalis Domini Miſſa vinum reliquiis ſanguinis in priori Miſsa conſecrati miſtum conſecrat, nec tamen conſecratas partes a non conſecratis diſcernere valet; 3. demum etſi hoſtia hæc ab homine demonſtrari nequeat, eſt tamen de ſe demonſtrabilis, & ab Angelo demonſtrari poſset. Cavendum tamen ne conſecratis miſceantur non conſecrata. Unde improbanda eorum praxis, qui citra cauſam, ſuperſtitibus in pixide, quam purificare negligunt, particulis, hoſtias non conſecratas admiſcent. *Grav. T. p. 14.*

Ceterum hic ſufficit determinatio virtualis, quam habet, 1. qui ab initio conſecrare voluit formulam, quæ ſibi deinceps inter conſecrandum excidit a memoria; 2. qui licet actu de hac vel illa formula non cogitaverit, id tamen omne conſecrare voluit quod rite ſibi ad conſecrandum offerretur. Quapropter qui duas manu hoſtias tenet, ratus ſe unam tantum habere; aut qui ſex ſibi oblatas credit, cum oblatæ fuerint plures, cunctas valide conſecrat: quia error iſte ſpeculativus non obeſt intentioni practicæ id omne conſecrandi quod rite offeretur ad conſecrationem, ſecundum id Rubricæ Miſſalis: *Quilibet Sacerdos talem ſemper inten-*

intentionem habere debet, ſcilicet conſecrandi eas omnes formulas, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet.

Aliter ſentiunt bene plures ſi hoſtiæ vel inſcio Sacerdote in corporali poſitæ ſint, vel extra corporale ipſo advertente, nec de his rite collocandis deinceps cogitante. Cum enim nulla in ignotum ſit intentio, nec moraliter præſens ſit, ſed tantum phyſice id quod exiſtere ignoratur, nulla ex conſequenti videtur eſſe conſecratio. Sunt tamen qui in utroque caſu validam conſecrationem admittant. In primo quidem, quia Sacerdos ad mentem ſuperioris Rubricæ id omne conſecrare voluit quod in corporali reponeretur ad conſecrationem; nec magis caret intentione, quia formulas hic appoſitas neſcierit, quam careat, quia unam ſecum tuliſſe credit majorem, cum tulerit duas. In ſecundo autem, quia ſicut Sacerdos, qui aperiendæ pixidis ſuper corporali poſitæ oblitus eſt, conſecravit tamen, quia tacite & pie dixit: *Volo panes iſtos cum hoſtia majori conſecrare, prius tamen aperiam pixidem in qua continentur*. Sic & in præſenti caſu pie & tacite dixit: *Voto in vaſe iſto contentos panes conſecrare, prius tamen collocabo ſuper corporali*. Unde ſicut in primo caſu naturalis oblivio pixidem aperiendi, minime obſtat, ne virtualiter perſeveret ſufficiens conſecrandi voluntas; ſic nec idem impedit oblivio pixidem una cum formulis in corporale tranſvehendi. Et hæc opinio ita indubia eſt Gamachæo, ut ejuſmodi hoſtias citra neceſſitatem fidelibus porrigi poſſe exiſtimet.

Tutius, noſtro judicio, ſentiunt, qui docent 1. hoſtias illas reverenter tractandas eſſe, quia rationabiliter dubitari queat annon conſecratæ ſint; 2. eas infirmo, qui alioqui ſine Viatico deceſſurus ſit, porrigi poſſe, quia ſatius ſit dubium Sacramentum dare quam nullum; 3. extra caſum neceſſitatis curandum eſſe Sacerdoti, de conſecrationis hujus valore dubitanti, ut eas ſumat poſt ſanguinem, aut ſi nimio plures ſint, eaſdem vel ipſe die poſtera conditionaliter conſecret, dum ſacrificii ſui hoſtiam conſecrabit abſolute, vel ab alio ſic conſecrari ſatagat.

Hic obiter notandum cum Gavanto in Rubric. Miſſal. 3. p. tit. 10. n. 19. poſſe Sacerdotem oblatas ſibi poſt Offertorium ad populi communionem formulas, mentaliter offerre, ac conſecrare: quod de his etiam quæ poſt Præfationem oblatæ fuerint, admittit Poſſevinus non improbante Ethica amoris ibid. n. 100.

Quæres 4. quid ſentiendum de vini guttis, quæ calici a reliquo continuo diviſæ inhærent.

R. 1. eas quæ caſu ſupra calicis pedem, aut extra calicem fluxere, non conſecrari; quia id non intendit Miniſter, nec ſine gravi piaculo intendere poſſet.

R. 2. dubium eſſe inter Doctores, an quæ cuppæ interiori adhærent, conſecrentur; quia dubium eſt an intendi debeat earum conſecratio; an ejus ſolum materia quæ in calice ſit per modum continui. De hoc nobis pauca hæc ſtatuenda videntur, 1. curare debet Sacerdos, citra ſcrupulum tamen, ut quidquid a continuo diviſum eſt abſtergat: idemque ſervandum erga majores ſaltem hoſtias, quæ levi manu a particulis male adhærentibus ſolvi debent; 2. intendi poſſe videtur conſecratio guttæ omnis quæ ante communionem reliquo continuo acceſſura ſit per modum unius; 3. aut ſaltem volendum id quod nos velle vult Chriſtus: cum

autem

autem tunc dubium maneat an ex particulæ in Chriſti ſanguinem convertantur, cavendum erit Miniſtro ne eas poſt conſecrationem abſtergat, quia forte Chriſti ſanguinem abſtergeret. Eas igitur cum aliis ſpeciebus indubie conſecratis ſumet, *parum ſollicitus de periculo frangendi jejunii naturalis, ſi forte guttas minime conſecratas prius ſumat quam ſanguinem : cum in ejuſmodi circumſtantiis, humano modo, non in rigore metaphyſico agendum ſit, reverentiaque guttulis illis probabiliter conſecratis debita magis conſideranda ſit, quam ſollicitudo illa*. Hæc citatus pluries Henric. a S. Ignat.

Quæres 5. an panis & vinum quantælibet ſint molis aut parvitatis conſecrari valide poſſint.

R. affirmat. modo tamen nec tanta ſit moles ut materia non reputetur abſens ſecundum aliquas ſui partes, nec tanta ſit exiguitas ut materia ſit inſenſibilis.

Prob. 1. pars, quia conſtat Chriſtum Sacerdotibus dediſſe poteſtatem conſecrandi : atqui non minus conſtat poteſtatem hanc nullibi reſtrictam fuiſſe ad hanc vel illam materiam; ergo, etſi graviter peccat, qui plus conſecrat panem, quam a fidelibus abſumi poſſit, valide tamen conſecrat.

Dices cum veteribus nonnullis : Nihil poteſt Sacerdos contra intentionem & inſtitutionem Chriſti : atqui ea fuit Chriſti intentio ut nulla niſi in fidelium uſum fieret conſecratio; ergo qui plus conſecrat quam a fidelibus ſumi poſſit, valide non conſecrat.

R. diſt. maj. nihil poteſt licite Sacerdos contra intentionem Chriſti, C. nihil poteſt valide, N. valet enim conſecratio ad hypocriſim, lucrum aut veneficium peracta, & tamen longe pejor eſt hæc quæ ad abuſum fit, quam quæ duntaxat eſſe poteſt ad non uſum. Certe ſi non plus conſecrari poſſet materiæ, quam in uſus fidelium ſufficiat, perpetuis angerentur ſcrupulis Miniſtri. Quis enim in urbe ubi plures conſecrant, certo ſciat anne major conſecrata ſit hoſtiarum copia, quam a fidelibus abſumenda ſit, atque adeo an omnes conſecratæ ſint, imo an una : vel enim omnes conſecratæ ſunt, vel nulla, quia intentio & determinatio Miniſtri non in iſtas magis quam in illas fertur.

Prob. 2. pars. Tum quia nullibi irritavit Chriſtus conſecrationem tenuiſſimæ cujuſvis moleculæ; tum quia hæc, ſtatim ut ſenſibilis eſt, per conſecrationis formam demonſtrari valet, & ſub ea poteſt Chriſtus totus contineri, cum ſub ſpeciebus exiſtat modo indiviſibili.

Dices corpus Chriſti ſub particula etiam inſenſili conſervatur; ergo & ſub ea conſtitui poteſt.

R. omiſſo antecedente, quod aliqui negant, quia Chriſti corpus in Euchariſtia ſit per modum cibi; cibi autem rationem habere nequeat, quod inſenſibile fuerit; neg. conſeq. Negandi ratio eſt, quod ut conſecretur quidpiam, neceſſum eſt ut per pronomen demonſtrari poſſit, adeoque & percipi; ut autem ſub particula conſervetur corpus Chriſti, ſufficit ut ſub ea perſeverare potuiſſet ſubſtantia panis aut vini, quia manet Chriſtus ſub ea omni ſubſtantia, quæ panem & vinum continere poteſt.

Ceterum ut licita ſit conſecratio, ſervari debet uſus Eccleſiæ quoad molis copiam & tenuitatem; habendaque ratio finis propter quem panis & vinum conſecrantur : eſt autem finis ille ut conſecrata dona decenter ſumi & adorari poſſint.

Quæ-

Quæres 6. an & quo jure neceſſaria ſit utriuſque ſpeciei conſecratio.

R. eam haud neceſſariam eſſe neceſſitate Sacramenti, eſſe tamen neceſſariam neceſſitate præcepti divini, in quo Eccleſia diſpenſare non poſſit.

Prob. 1. pars, tum ex praxi fidelium, qui ante calicis conſecrationem corpus Chriſti adorant; tum quia verba practica ſtatim operantur ut prolata ſunt, niſi aliter conſtituerit Deus: atqui verba quibus conſecratur panis practica ſunt: neque eorum effectum ab aliis Chriſtus pendere voluit; ergo.

Prob. 2. pars, quia, ut animadvertit Tridentinum Seſſ. 22. c. 1. Chriſtus per verba iſthæc: *Hoc facite in meam commemorationem*, id *ab Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus* fieri *præcepit* quod ipſe fecerat: ipſe autem ſub utraque ſpecie Sacramentum ſuum celebraverat. Merito igitur Gelaſius diſt. 2. *De Conſecrat.* c. 12. Sacerdotibus mandat ut integra Sacramenta percipiant, adeoque & conſecrent, *quia diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire*. Et ea Eccleſiæ lex adeo urget, ut Sacerdos qui vini loco aquam ſumpſit, vinum reponere, offerre, conſecrare & ſumere jubeatur in Rubricis, quæ integritatis Sacramenti & ſacrificii legem legi jejunii anteponunt.

Obj. 1. Non magis utriuſque ſpeciei conſecrationem imperavit Chriſtus per verba, *Hoc facite*, &c. quam utriuſque receptionem per verba, *Manducate & bibite*: atqui, &c.

R. neg. min. hæc enim verba ad Celebrantes pertinent: hi porro ut utramque ſpeciem conſecrare, ſic & ſumere jubentur, ut liquet ex citatis Gelaſii & Tridentini textibus.

Obj. 2. Chriſtus apud Emaus in ſolo pane conſecravit; ergo &c.

R. Si conſecravit hic Chriſtus, ut volunt Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophilactus, Beda, & doctiſſimi paſſim Interpretes, vel vinum etiam adhibuit, licet hujus non meminerit S. Lucas; vel ita egit ex ſumma poteſtate cujus participem feciſſe Eccleſiam nullo argumento probari poteſt. Unde

Prob. 3. pars. Quæ juris ſunt divini relaxari non poſſunt niſi id permiſerit Deus: atqui conſecratio utriuſque ſpeciei ita eſt divini juris, ut nec Scriptura nec Traditio ullam hic diſpenſandi facultatem exhibeant; ergo.

Confirm. Non defuere ab Eccleſiæ primordiis abſtemii, quorum ſincera pietas iſta hac diſpenſatione digna fuiſſet: atqui tamen nemini unquam eadem diſpenſatio conceſſa fuiſſe legitur; ergo ſignum eſt quod non potuerit concedi. Unde fictitium eſt quod refert Volaterranus Lib. 7. c. 4. Norvegiis an. 1490. ab Innocentio VIII. indultum fuiſſe ob ſumma regionis frigora ne calicem conſecrarent: Tum quia non plus algebat Norvegia iis temporibus quam hodie, & hodie illic in utraque ſpecie conſecratur; tum quia non eo uſque deſipuit Innocentius ut vacui calicis conſecrationem permitteret; quod tamen aſſerit Volaterranus. Sed de hoc jam ſupra.

Obj. 1. Poteſt & debet Sacerdos a conſecrando vino abſtinere, ſi poſt conſecrationem hoſtiæ, ipſum advertat venenatum eſſe, ſibive ob impendentem templi ruinam, vel hoſtis irruptionem legitime timeat; ergo & fieri poteſt ut in aliquo caſu Papa diſpenſare poſſit.

R. neg.

R. neg. conſeq. ideo enim in aſſignatis caſibus poteſt Miniſter mutilum efficere ſacrificium, quia ſecluſo Religionis contemptu noluit Deus ut poſitivæ id genus leges cum vitæ diſpendio obligarent: at nullibi legitur voluiſſe ut tale quid permitteret Eccleſia ob cauſas quæ aliarum diſpenſationum motiva eſſe ſolent.

Obj. 2. Poteſt Eccleſia in matrimonio rato, votis & juramentis diſpenſare: atqui tamen ſunt hæc de jure divino; ergo.

R. neg. conſeq. peccat argumentum iſtud in forma, quatenus ſupponit poteſtatem a Deo in aliqua juris divini parte conceſſam, ad alias ejuſdem juris partes ſe extendere, quod falſum eſt. Quare vero id non conceſſit Eccleſiæ Deus circa conſecrationem, quod conceſſit in votis, 1. quia noluit; 2. quia graves quandoque exigunt cauſæ ut relaxentur vota, alioqui voventibus, imo & multitudini perniciosa; nihil vero occurrit unquam quod unius ſolum ſpeciei conſecrationem exigat. Etſi enim hinc, metaphyſice lóquendo, fieri poteſt ut æger ſine Viatico decedat, eſt id tam rarum ut forte a Chriſti temporibus nuſquam evenerit. Addunt aliqui vota, juramenta, aliaque id genus non eſſe de jure divino niſi dependenter a fidelium voluntate, in quam cum Pontifex tanquam eorum Caput jus habeat, tollere poteſt obligationem quam iidem ſibi impoſuere, tuncque ceſſat jus divinum, ſicque indirecte tantum relaxatur. Aliud eſt, inquiunt, de lege nonniſi utramque ſpeciem conſecrandi: hæc enim ex Dei ſolius, nullatenus autem ex hominis voluntate obligat, proinque ex ſola, quæ non apparet, Dei commiſſione auferri poteſt.

Obj. 3. Poteſt Eccleſia, ex Tridentino Seſſ. 21. c. 2. *in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatuere vel mutare, quæ ſuſcipientium utilitati magis expedire* judicaverit: atqui ſi unica conſecraretur ſpecies, ſalva maneret Euchariſtia; aliunde vero id moribundo quandoque expediret; ergo.

R. diſt. min. ſalva maneret Euchariſtia in ratione Sacramenti, C. ſacrificii, N. Porro ſacrificii integritas tantæ eſt conſiderationis, ut huic cedere debeat utilitas privata morientis, quæ minoribus aliquando cauſis cedit, ut in Gallia patet de iis qui ultimo afficiendi ſunt ſupplicio.

Ergo, inquies, mutilatio ſacrificii eſt intrinſece mala. R. ita prorſus ſi libere fiat; ſecus, ſi caſu: puta ſi poſt hoſtiæ conſecrationem diſpareat vinum, nec aliud haberi poſſit.

Objiciuntur inſuper minora quædam, puta 1. diſpenſare cum Laicis Eccleſiam, ut una tantum ſpecie reficiantur, licet Chriſtus geminam ſumi præceperit Joan. 6. v. 54. quod ipſis etiam Sacerdotibus in die paraſceves contingit; 2. noviter ordinatos utramque ſpeciem cum Epiſcopo conſecrare; & una tantum veſci; 3. moribundum una quandoque tantum unctione ungi, etſi quinque ſint de integritate Sacramenti; 4. Euchariſtiam ſub una ſpecie conſervari; ergo & ſub una conſecrari poſſe. At hæc impendio futilia ſunt. Unde

Ad 1. neg. ant. nulla enim eſt in Laicorum communione diſpenſatio, quia hi ſub una ſolum ſpecie corpus Chriſti manducant, & ſanguinem bibunt. Quod ſpectat ad Sacerdotes, his quidem geminæ ſpeciei uſus præcipitur quando Sacrum faciunt; at non faciunt paraſceves die, ubi

ubi nulla conſecratio; ſed ea ſolum Miſsæ impropriæ ſpecies, quæ *ex præſanctificatis* nuncupatur.

Ad 2. vere non conſecrant novi Sacerdotes, quia ſtatim ut a præeunte Epiſcopo vox ultima formæ prolata eſt, jam & peractum eſt conſecrationis opus.

Ad 3. quid ſit vel non ſit de eſsentia vel integritate Extremæ-Unctionis ſuo in loco expendemus.

Ad 4. neg. conſeq. diſparitatis ratio eſt quod Euchariſtia *in conſervari* ſolam proprie Sacramenti rationem habet; *in fieri* vero habet eſsentialiter rationem ſacrificii: huic autem utriuſque ſpeciei conſecratio neceſsaria eſt.

SECTIO SECUNDA.

An & quatenus aqua convertatur in ſanguinem Chriſti.

DUo hic inquirimus, 1. utrum aqua vino immiſta convertatur in ſanguinem; 2. an ut in ſanguinem convertatur, neceſse ſit ut prius convertatur in vinum.

De his autem jam ante Innocentii III. tempora triplex erat opinio. Alii enim, uti ex eodem Innocentio* refert S. Thomas q. 74. a. 8. dicebant, *quod aqua adjuncta vino, per ſe manet*, nec convertitur, *vino ſolo in ſanguinem converſo*. *Alii dixerunt, quod ſicut vinum convertitur in ſanguinem, ita aqua convertatur in aquam quæ de latere Chriſti fluxit*. Alii, quorum *opinio* D. Thomæ aliiſque pluribus, & tunc temporis, & diu poſt viſa eſt *probabilior*, contenderunt *aquam converti in vinum, & vinum in ſanguinem*. Alii demum, hodie præſertim, aquam per ſe & immediate cum vino in ſanguinem converti docent. Sit

* Cap. *Cum Martha* 6 *De celebr. Miſſ.*

CONCLUSIO I. Aqua non convertitur in aquam quæ de Chriſti latere fluxit.

Prob. quia verba conſecrationis eam ſolum efficiunt converſionem quæ per ipſa ſignificatur: atqui verba conſecrationis nec eminus nec cominus ſignificant converſionem in aquam, ſed in ſanguinem duntaxat. Dicit enim Sacerdos nomine Chriſti conſecrans: *Hic eſt ſanguis meus;* non autem: *Hæc eſt aqua lateris mei;* ergo.

CONCLUSIO II. Aqua non manet aqua in calice, ſed in ſanguinem convertitur.

Probant aliqui 1. cum S. Thoma, quia quidquid continetur in calice, latriæ cultu adoratur; quod, inquiunt, non poſset fieri citra periculum, ſi aqua remaneret aqua; 2. quia Sacerdos poſt calicis ſumptionem jejunus manere cenſetur, unde ſecundam Miſsam celebrare poteſt: porro jejunus non eſt qui aquam meram ſumpſit; ergo.

Verum neutra hæc probatio convincit. Non 1. ſicut enim ſi muſca vel gutta olei in calicem conſecratum decidiſset, poſset nihilominus adorari ſanguis ibi exiſtens, idque citra periculum idololatriæ, quæ adoratio ad ſanguinem ſolum dirigitur; ſic & a pari in opinione adverſariorum. Et vero Græci calentem aquam mittunt in calicem, ubi profecto non convertitur in ſanguinem: & hi nihilominus ſanguinem adorare poſsunt, & de facto adorant.

Non

Non 2. ſicut enim non violatur jejunium Eccleſiaſticum per ſumptionem partis alicujus terreæ, quæ fors ſpeciebus panis admiſta fuerit; ſic & multo minus violabitur per aquæ partem ex Eccleſiæ legibus vino admiſtam. Melius itaque

Prob. Concluſio, 1. quia ex Tridentino non remanent niſi ſpecies vini poſt conſecrationem: atqui falſum id eſset ſi aqua non tranſubſtantiaretur.

2. quia Chriſtus univerſaliter & indiſtincte dixit: *Hic eſt ſanguis meus:* atqui propoſitionis hujus rigoroſa veritas exigere videtur, ut ſanguis eſset quidquid erat in calice.

3. quia id expreſse docent Patres. Sic Hieronymus in cap. 14. Marci: *Format* Chriſtus *ſanguinem ſuum in calice vino & aqua miſtis, ut alio purgemur a vitiis, alio redimamur a pœnis:* atqui ſi aqua maneret aqua, non formaret Chriſtus ſanguinem ſuum ex aqua & vino, ſed ex vino ſolo.

Præterea quod operatur remiſſionem a pœnis, non remanet aqua, ſed factum eſse debet ſanguis Chriſti: atqui ex Hieronymo aqua redemptionem a pœnis operatur, ſicut vinum purgationem a vitiis; ergo ut convertitur vinum ſic & aqua.

S. Ambroſius Lib. 4. de Sacram. c. 3. *Vinum cum aqua in calice miſtum fit ſanguis conſecratione verbi cæleſtis;* ergo non unicum vinum, ſed *vinum cum aqua* tranſubſtantiatur.

S. Hildebertus Cœnomanenſis Epiſcopus: *Aqua in ſanguinem vertitur, ut populus qui per aquam figuratur, in melius ſe mutatum intelligat.* Accedunt alii proxime citandi. *Bibl. PP. Tom. 6.*

4. quia nequaquam hodie fundatior eſt opinio aquæ converſionem negans, quam fuerit labente XII. Eccleſiæ ſæculo, cum *ad partes Galliæ reverſus* Gaufredus Ciſtercienſis, *novam* hanc ſibique *hactenus inauditam ventilari inter aliquos* reperit *quæſtionem:* atqui teſte eodem in ea quam an. 1188. ad Cardinalem Epiſcopum Albanenſem ſcripſit Epiſtola, qui aquam converti in ſanguinem obſtinate negabant, *ex nullis antiquorum, ſive etiam modernorum ſcriptis evidentia teſtimonia protulerunt aſſertioni ſuæ;* neque hinc ad nos uſque novi quidpiam proferri potuit; ergo.

Conclusio III. Aqua haud mediante ſui in vinum converſione, ſed immediate convertitur in ſanguinem. Ita Lugo diſp. 4. ſect. 3. aliique paſſim recentiores, etiam Thomiſtæ, quos inter Auctor Operis de re Sacramentaria Tom. 1. p. 370.

Prob. 1. quia Patres, & ſtatim, & ſupra paſſim citati, ut certum quid docent *ex vino & aqua fieri ſanguinem*, ita Hieronymus & Ambroſius; *aquam in ſanguinem converti*, ita Paſchaſius * & Hildebertus; *panem vinum & aquam conſecrari*, & *hæc tria unum eſse in Chriſto Jeſu*, ita Martinus Bracarenſis in Concilio ſuo, & alii plures apud Lugo: atqui hoc nec vere ſatis, nec ut certum docere poſsent, ſi aqua prius in vinum convertenda eſset; tum quia in hac hypotheſi, non aqua, ſed vinum ſolum fieret ſanguis Chriſti; ſicque non magis dici poſset ex aqua factum ſanguinem, quam dici poſſit * B. Prudentium in aqua conſecraſse, quia in vino ex aqua Sequanæ per miraculum inter S. Marcelli manus facto conſecraverit, uti refert in ejuſdem Marcelli vita S. Fortunatus; tum quia certum non eſt aquam in vinum, præſertim ſi debile ſit, converti poſse ut ſta-

** Lib. de Corp. &c. c. 1.*

** Offic. Pariſ. die 3. Nov.*

tim

tim evincemus; tum quia a conſecratione calicis facta ſeu per Chriſtum, ſeu per eos qui SS. Jacobi & Baſilii Liturgiam ſequentes, aquam vino ſtatim ante conſecrationem admiſcent, haud ſatis effluxit temporis ut tertia aquæ pars in vini ſubſtantiam converteretur: quod hodieque contingit, cum quis in ipſo conſecrationis articulo aquam miſcet, vel quia tempore Offertorii miſcere oblitus fuerit; vel quia in ipſa calicis ſumptione animadvertit porrectam ſibi vini loco aquam; cui, denuo conſecraturus duas ad minus vini partes immiſcere debet. Atqui tamen in his caſibus unanimis fidelium opinio pro conſecrato habet quidquid continetur in calice; neque unam docuere Patres rem aliquando eſſe, aliquando non; ergo deciſionem tam firmam ab incerta admodum aquæ in vinum converſionis opinione, non repetierunt, ſed a duplici hoc principio, videlicet & Chriſtum cum vino aquam fudiſſe in calicem, & de eo omni quod in calice contineretur, dixiſſe: *Hic eſt ſanguis meus*.

Prob. 2. quia in quæſtione quæ tota juris eſt phyſici, Philoſophos naturæ indagatores audire præſtat, quam Theologos, eos præſertim qui phyſicam vixdum egreſſam ex ephebis nacti ſunt, ut S. Thomas, & alii ejuſdem ævi Scriptores: Eſt enim, ut vetus habet ſententia, *perito cuique in arte ſua credendum*. Atqui aquæ in vinum converſionem Phyſici, Chymici, Medici, nedum naturaliter poſſibilem fateantur, repugnare uno calculo contendunt. Docent ſcilicet elementa *formaliter remanere in miſto*, ſeu, quæcumque tandem eorum fiat in metallis, ſalibuſve aut liquoribus attritio, miſtio & reſolutio, nunquam in ſeſe invicem tranſmutari. Et vero unumquodque ex iis conſtat in quæ reſolvitur: atqui miſta quæcumque, ut vinum limphatum in aquam & vinum reſolvuntur. Aqua enim, tametſi diu permiſta vino, in eoque concocta & macerata, ab ipſo ſeparari poteſt, & reapſe ſeparatur: atque ad id ſola opus eſt junci medulla, ſpongiave oleo delibuta, vel vaſe ex hedera confecto, cujus e poris aqua, vino ſolo remanente, quaſi ad oculum guttatim effluere conſpicitur.

Reponit quidem S. Thomas, arte chymica non erui aquam, ſed aqueum humorem, qui ex vino etiam meraciori extrahi poſſit. Verum etſi agnoſcimus eſſe in omni vino tenuiores particulas quæ vel aqua ſint, vel ad aquam accedant, contendimus tamen ex eo illas etiam erui aquæ partes, quæ eidem admiſtæ fuerint; quia plures id genus particulæ a limphato vino eruuntur, quam a ſimili aut etiam majori meracis vini copia.

Probant 3. Juenin, & Auctor Lib. de re Sacrament. pag. 371. quia ſi aqua permiſta vino in ipſum converteretur, immunes eſſent ab omni fraude vinitores, qui tertiam aquæ partem cum duabus vini partibus miſtam venderent. Hi enim vinum merum venderent, quia, cum calici tertia aquæ pars miſceri queat ex Synodo Triburienſi, neceſſum eſt ut tertiam hanc partem in vinum converti fateantur. Id autem ii quos hic impugnamus, an a vinitoribus ſibi fieri velint expendant.

Juen. p. mihi 226 Verum ſi *lepida* eſt hæc argumentatio, vi certe vacua eſt; tum quia herus vel emptor jus habet exigendi vinum quale prodit e viti; tum quia vinitor, qui geminata aqua vinum multiplicat, impedit ne id herus vel emptor apud ſe efficere poſſint. Quod autem reponit poſterior Theologus, verum quidem id eſſe in hypotheſi quæ aquæ converſionem negat, non autem in ea quæ converſionem hanc admittit, quia ex philoſo-

loſophis *omne agens generat ſimile ſibi*, nihil ſolidi habet : 1. quia aliud eſt generatio, aliud converſio ; 2. quia plerumque ita vires ſuas exhaurit natura agendo, ut etſi tendat in ſimile ſibi, non tamen ſibi ſimile attingat : juxta id Poetæ : *Grandia ſæpe quibus mandavimus hordea ſulcis, infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ*.

Obj. 1. Innocentius III. cit. cap. *Cum Marthæ*, S. Thomas 3. p. q. 74. a. 8. Catechiſmus Tridentin. part. 2. tit. 18. Pontificale Romanum p. 1. Tract. 10. c. 2. uti probabiliorem amplectuntur ſententiam eorum, *qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum in ſanguinem ;* ergo.

R. diſt. amplectuntur ut probabiliorem propter momenta phyſica, quæ a vero deviare poſtmodum deprehenſa ſunt, C. amplectuntur ut probabiliorem propter momenta Theologica, quæ ex Scriptura vel Patribus deprompta ſunt, N. itaque magna ſane eſt D. Thomæ & aliorum in Theologicis auctoritas, nec quæ illi pro gravibus habuere argumentis, facile quiſpiam pro levioribus habere poteſt. Verum ubi de phyſicis agitur, non major eſſe poteſt eorum auctoritas, quam phyſices eorum ævo traditæ ; hanc autem rudem admodum fuiſſe nemo eſt qui inficiari poſſit. Quid ergo mirum quod ſubverſa pluribus experimentis aquæ in vinum converſione, ea nunc paſſim exulet ex ipſis etiam S. Thomæ Scholis, ut patet in recenti *de re Sacramentaria* tractatore. Hic igitur, ſi unquam, valet id Melch. Cani L. 8. de Locis Theolog. c. 4. *In Scholaſtica diſputatione plurium auctoritas obruere Theologum non debet ; ſed ſi paucos viros, modo graves, ſecum habet, poterit ſane adverſus plurimos ſtare : non enim numero hæc judicantur, ſed* rationum *pondere*.

Ceterum ambigi poteſt an Innocentius cit. cap. aquæ in vinum converſionem admittat. Etſi enim cum ſecundam refert opinionem, ſic ſcribit : *Alii vero tenent, quod aqua cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinem, cum in vinum tranſeat miſta vino*, indicat ſtatim cauſalem hanc dubiam eſſe, cum ſic pergat : *Licet Phyſici contrarium aſſeverent, qui aquam a vino per artificium poſſe aſſerunt ſeparari :* unde cum inferius ſententiam ſuam aperit : *Verum*, inquit, *inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari :* quæ verba ab aquæ in vinum converſione abſtrahunt, niſi forte converſionem illam excludunt : ſi enim hic aqua in vinum converſa ſupponeretur, male diceret Pontifex *eam cum vino* converti in ſanguinem ; ſicut male dixerim me herbam qua bos paſtus eſt, ſimul cum ejus carne in meum ſanguinem convertere. Adde quod non reſponderet Pontifex propoſitæ ſibi quæſtioni ; erat enim hæc, an aqua immediate convertatur in ſanguinem : ſi enim creditum fuiſſet eam in vinum converti, nulla fuiſſet quæſtio. Longe expreſſius loquitur Lib. 4. de Myſteriis : at in eo Opere quod ante obtentum Pontificatus apicem ſcripſit, privatum Doctorem agit. Vid. Conink. q. 74. n. 151. & ſeq.

Inſtab. Etſi non audiri poſſint privati Doctores, at audiri neceſſario debet Eccleſia, quam ne in phyſicis quidem errare patitur Deus : atqui Eccleſia aquæ in vinum converſionem docet. Jubet enim hæc vinum aqua modica temperari : atqui hoc jubet, *quia* aquam *in vinum converti oportet*, ut totidem verbis habent Pontificale Rom. & Catechiſmus Concilii Trident. ergo.

R. ad 1. data maj. neg. min. nedum enim definiat Eccleſia aquam converti in vinum, ne hactenus quidem diſerte definiit eam mediate vel immediate in ſanguinem converti.

Ad 2. neg. min. etſi enim ad philoſophicam hanc converſionem aliquando recurrerunt privati Doctores, quibus Ritualium aut Catechiſmorum elucubratio demandata eſt; at aliam, eamque multo potiorem modicæ aquæ vino immiſcendæ cauſam tradiderunt iidem agendo de materia Euchariſtiæ, nimirum materiam hanc eſſe vinum ſimpliciter, quale jam non certo fuerit, ſi magna ei aquæ quantitas miſceatur.

Nihilo ſolidius eſt quod objiciunt aliqui, Dominicanos nimirum & antiquæ Obſervantiæ Carmelitas, veteri ritu aquam prius cum vino infundere, quam Miſſam auſpicentur, ut vinum præ temporis ſpatio aquam in ſe convertat. Hujus enim eorum agendi rationis, non ea eſt quæ hic profertur cauſa; ſed quia veterem ſequuntur Eccleſiæ Latinæ ritum, quo cautum erat, ut non ante inchoaretur ſacrum, quam præparata foret ſacrificii materia: atque id etiamnum tota per Orientem ſervat Eccleſia.

Obj. 2. Illud ſolum in ſanguinem immediate converti poteſt, quod eſt materia calicis: atqui ſolum vinum eſt calicis materia. Prob. min. ex Florentino, ubi *materia calicis eſt vinum de vite*. Addit quidem, *cui aqua admiſceri debet*, at per hoc oſtendit aquam non eſſe materiam, ſed aliquid quod ad cæremoniam admiſcetur materiæ; alias materiam dixiſſet eſſe vinum & aquam, ſicut Confirmationis materiam dixit eſſe oleum & balſamum, non autem oleum cui balſamum admiſceri debet.

Confirm. 1. quia Tridentinum expreſſe tradens materiam calicis, Seſſ. 13. Can. 2. de vino tantum loquitur, de aqua ne obiter quidem.

Confirm. 2. quia idem Concilium definit ibid. poſt conſecrationem remanere tantum ſpecies panis & vini: atqui id falſum eſſet ſi aqua in ſanguinem immediate converteretur. Tunc enim remanerent etiam ſpecies aquæ; ergo. Ita Henno.

R. ad 1. diſt. min. vinum ſolum eſt calicis materia, quia in vino ſolo conſecrari valide poteſt, C. quia aqua non poteſt per ſe conſecrari cum vino, N.

Nec nocet id quod additur ex Florentino: ſi enim non expreſſe aſſeruit aquam verti in ſanguinem, non etiam id negavit, imo nec potuiſſet negare, niſi contradicendo Patribus bene multis, qui ex aqua fieri ſanguinem aſſeruere, de quo ſupra. Neque neceſſum fuit ut materiam calicis diceret in recto vinum eſſe & aquam: imo fuiſſet id nonnihil periculoſum; quia ſic reprobari credita eſſet quoad ſubſtantiam conſecratio Armenorum, qui vinum hactenus aqua non temperaverant. Adde, quod pauci diffitentur, non adeo ſevere caſtigatam eſſe Decreti Florentini locutionem, ut ex ea ſemper colligi certo poſſit, quæ ſit integra cujuslibet Sacramenti materia: unde quod vult Henno balſamum ad Confirmationem æque ac oleum requiri, falſum eſſe ſuo loco probavimus.

Ad 1. Confirm. non ſiluit de aqua Tridentinum, quia hanc in ſanguinem immediate verti non crediderit, ſed quia, omiſſis Scholaſticorum diſceptationibus, eam ſolum materiam definire voluit, quæ & ſufficiens ſit & omnino neceſſaria. Adde cum Gaufredo ſupra, *quod non*

conſue-

conſuevere homines miſturam vini & aquæ, præſertim ubi multo minor eſt aquæ quantitas, *aquam nuncupare*, *ſed vinum*.

Ad 2. Confirmat. neg. min. ſapienter enim & moraliter loquendo verum eſt ſolas ſupereſſe ſpecies vini, quia hic, ut alibi paſſim, denominatio a præcipua & nobiliori parte ſumitur; nec modicæ aquæ ſpecies, quæ vix ſenſu percipi poſſunt, ut quidpiam computantur, niſi forte a pædagogis, qui vel ipſa, ſi auſint, Scripturæ verba vellicent. Et certe locutio Tridentina plus adverſariis, quam aliis quibuſcumque nocet. Sciebat enim Tridentinum aquam quandoque vino immiſceri uno ante conſecrationem inſtanti, quo in caſu nolunt eam in ſanguinem converti: atqui tamen generaliter & indiſtincte pronuntiat Synodus, poſt conſecrationem ſolas remanere ſpecies vini; ergo ut in noſtra, ſic & illorum hypotheſi falſo locuta eſt.

Obj. 3. Vel Chriſti ſanguis ſub aquæ ſpeciebus exiſtens, ſub iis adhuc maneret, ſi per inſtrumentum a vini ſpeciebus ſepararetur, vel non. Si non, ut vult Platellus; ergo non erat antea ſub illis: cum ſub ſpeciebus conſecratis maneat quandiu incorruptæ perſeverant. Si ſic, ut placet Conink; ergo ſicut venialia ſola legitime deponuntur in confeſſione, ſic & aqua ſola legitime erit conſecrabilis; cum conſecrari id omne poſſit, ſub cujus ſpeciebus corpus aut ſanguis remanere poteſt, nec ſit ratio ulla cur ſub iis ſpeciebus ſenſibilibus poni nequeat, ſub quibus conſervari poteſt. Ita idem Henno.

R. etſi de re agitur, quæ a ſola Dei voluntate pendet, manſurum probabiliter Chriſti ſanguinem ſub aquæ ſpeciebus, nec tamen ſub iis ſolis poſſe conſecrari, quia conſtituit quidem Chriſtus ut aqua cum vino conſecrari poſſit, non autem aqua ſola. Sic, anima a corpore avulſa characterem Baptiſmi recipere nequit, quem tamen retinet acceptum. Sic & fatente Henno, conſecrari non poteſt vinum in pane totaliter imbibitum; & tamen ſi vini conſecrati ſpecies imbibantur in pane, non deſinet ibi ſubſiſtere ſanguis Chriſti; nec certe ut profani quid liquorem ex eodem pane expreſſum habere auderet. Et vero ſe habet aqua ad vinum ſicut furfures ad panem; ergo ſicut furfures tritici cum pane minus defœcato conſecrantur, nec tamen ſoli per ſe conſecrari poſſent, quia per ſe ſolos non efficerent panem; ſic & aqua cum vino, non tamen ſola conſecrari poteſt.

Nec nocet tactum obiter exemplum de venialibus, quæ ſola poſſumus confiteri: quia non valet argumentum a ſimili in Sacramentis, quæ Chriſtus ſingula arbitrio ſuo diverſa inſtituit.

Obj. 4. Non poteſt Eccleſia facere materiam Sacramenti: atqui ſi aqua ſit cum vino materia calicis, fecit Eccleſia materiam Sacramenti. Chriſtus enim, juxta nos, nec aquam calicis materiam fecit, nec præcepit neceſſario adhibendam; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. ant. Chriſtus enim pro conſecrationis materia inſtituit vinum uſuale: atqui vinum uſuale tam poteſt aqua temperatum eſſe, quam purum; ergo Chriſtus ipſe aquam fecit materiam calicis; materiam dico, non quæ eſſentialiter requiratur, ſed quæ vere conſecrari poſſit.

Obj. 5. Illud ſolum convertitur in ſanguinem, quod ſanguinem ſignificat: atqui aqua aquæve ſpecies ſanguinem ſignificare non poſſunt.

Cc 2 Do-

Docent enim Patres, & inter eos Cyprianus, ſanguinem per vinum, populos vero per aquam ſignificari; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. aqua populum ſignificat per quamdam analogiam, magiſque ex Eccleſiæ inſtituto, quam ex natura rei, C. ſignificat Sacramentaliter, N. aqua igitur cum vino miſta Sacramentaliter ſignificat id quod præſens eſt in calice: atqui in calice præſens non eſt populus, ſed ſanguis; ergo hunc non illum ſignificat aqua. Unde etſi non pauci Scriptores adoptata Cypriani ſententia, aquam vino miſceri voluerint, ut plebs cum Chriſto repræſentaretur, alii tamen miſtionis hujus cauſam ad legitime præſumptum Chriſti exemplum retulerunt; & hæc ſola pene ratio contra Proteſtantes utiliter urgeri poteſt.

Quæres an de fide ſit aquam quocumque tandem modo in ſanguinem converti.

R. ſic viſum gravibus Theologis, quos inter Alanus Cardinalis Lib. 1. de Euch. c. 13. *Si*, inquit, *exiſteret aqua in varias & abditas partes vini diffuſa, facerent nihilominus unum, non ſpecie, ſed permiſtione, & totum illud, modo vinum prædominantem partem obtineret, converteretur in ſanguinem Dominicum, idque certa fide tenendum eſt*. Non alia eſt opinio Baronii, qui ad an. 1192. contrariam opinionem vocat hæreſim illo ſæculo exortam.

Alii tamen hæreſis notam timidiori, ut decet, manu aſpergentes, negant quæſtionem hanc in objecto fidei contentam eſſe: 1. quia alioqui ex fidei fontibus conſtare deberet Chriſtum cum Euchariſtiam inſtituit, aqua vinum diluiſſe, eamque miſturam præcepiſſe ut eſſentialem: porro primum, etſi pie præſumitur, & qua pie præſumptum traditur a Patribus non paucis, haud tamen diſerte revelatum eſt in Verbo Dei. Secundum vero ex dictis aperte falſum eſt.

2. quia Innocentius III. citato capite *Cum Marthæ*, ſententiam quæ aquæ converſionem docet, inter opiniones recenſuit, nullamque ſententiæ converſionem hanc pure & ſimpliciter neganti cenſuram inuſſit: atqui ſi aquæ converſionem ad fidem pertinere ſenſiſſet, haud utique opinioni contrariæ ſuum opinionis gradum ſervaſſet; ſed de ea, ut exinde Baronius fecit, tanquam de hæreſi nuper exorta locutus fuiſſet: præſertim cum ibidem uti *nefariam* ſuggillet eorum aſſertionem, qui *dicere præſumpſerant, aquam* calicis *in phlegma converti*. Jam vero ab Innocentii ævo ad noſtram uſque ætatem nulla Synodus, nullus Rom. Pontifex quidquam ea de re definiit; ergo in eodem manet ſtatu controverſia hæc, in quo erat labente XII. ſæculo.

Obj. 1. Fidei eſt id omne quod Chriſtus dixit ſuum eſſe ſanguinem, revera eſſe ſanguinem Chriſti: atqui Chriſtus id omne quod calix continebat, dixit eſſe ſanguinem ſuum; & calix aquam continebat indubie, ut docet Traditio, & confirmat Synodus Tridentina; ergo.

R. neg. min. duplici de cauſa, 1. quia ad veritatem verborum Chriſti, ſatis eſt ut præcipua quæ in calice erat, vini nimirum ſubſtantia, in ſanguinem Chriſti converſa eſſet. Neque enim veriora fuere verba Chriſti, quam ſint hodie in ore Sacerdotis legitime conſecrantis: atqui tamen fieri poteſt ut is non id omne in ſanguinem Chriſti vertat, quod in calice fuerit; puta ſi quid alieni corporis inopinato caſu deciderit in calicem; ergo. 2. quia, ut ſæpius dictum eſt, etſi pie creditur vinum a Chriſto

aqua

aqua temperatum fuiſse, non tamen id ad fidem pertinet; neque hoc uſquam a Concilio Tridentino definitum eſt, ſed inſtar veritatis, quæ citra ſummam temeritatem negari nequeat, ſuppoſitum.

Inſt. De fide eſt juxta Tridentinum Seſs. 13. Can. 2. ſolas in Euchariſtia manere poſt conſecrationem ſpecies vini & aquæ: atqui non poteſt id de fide eſſe, quin de fide ſit aquam in ſanguinem vi verborum converti. Alioqui enim præter panis & vini ſpecies maneret aliquid aliud; quod prædictæ definitioni adverſatur.

R. diſt. maj. de fide eſt ſolas manere ſpecies panis & vini, ideſt totam panis & vini ſubſtantiam in Chriſti corpus & ſanguinem converti, C. ideſt, quidquid vel pani inerat, ut forte terra, vel vino, ut lac, oleumve vel aqua, in corpus & ſanguinem tranſmutata eſſe, N. legatur objectus canon, eoque tantum Lutheranos impeti apparebit; adeo autem parum tangi quæſtionem noſtram, ut qui de vino locuti ſunt Tridentini Patres, ne verbum quidem habuerint de aqua. Et vero ſi iſtic definitum eſt manere ſolas ſpecies vini, definitum etiam erit non manere ſpecies aquæ: id autem quod vel ipſis ſenſibus falſum aliquando deprehendi poteſt, quis definitum opinetur?

Obj. 2. Id totum quod eſt in calice populo adorandum proponitur: atqui proponi non poſſet totum, niſi facta eſſet totius converſio; ergo. Ita S. Thomas 3. p. q. 75. a. 8.

R. neg. maj. nam adoranda quidem proponuntur Chriſti corpus, ſanguis, anima & divinitas, ſed non abſolute quidquid in calice continetur: 1. enim fervidam aquam immittunt Græci in calicem conſecratum, nec tamen eam adorant; 2. ex phyſica compertum eſt intra vini, proinque intra ſanguinis vino ſuccedentis meatus aerem contineri: hunc porro ad adorationem proponi nemo ſomniaverit; 3. nec minus conſtat in corporibus etiam ſimpliciſſimis, varia animantium ſemina, ipſaque ſæpius animalicula involvi & latitare: hæc autem ſanguini etiam Dominico admiſta nec adorari debent, nec poſſunt. Ita Juenin, & ex ipſo, tacito tamen nomine, nuperus Auctor *de re Sacram.*

Atque hinc colliges S. Thomæ ratiocinationem minus in objecto loco æquam eſſe, quam conſueverit. Quanquam vult tantum S. Doctor probabiliorem eſſe doctrinam, quæ quidquid in calice continetur, tranſmutari in ſanguinem aſſerit: *Et ideo*, inquit, *ſicut Innocentius III. dicit, aliorum opinio probabilior eſt, qui dicunt aquam converti in ſanguinem*. Id autem nos lubenter & lubentiſſime confitemur.

CAPUT QUARTUM.

De Forma Euchariſtiæ.

EXplanata Euchariſtiæ materia, dicendum de forma ejus, ſeu de verbis quibus Euchariſtiæ conſecratio perficitur. Hic porro multiplex occurrit difficultas: prima an Chriſtus ipſe in conſecranda Euchariſtia verbis uſus ſit, & quibus; ſecunda an & quæ verba in perpetuum uſur-

Digitized by Google

uſurpanda præſcripſerit, ſeu ad panis, ſeu ad vini conſecrationem. De his omnibus triplici Articulo diſſerendum.

ARTICULUS PRIMUS.

An & quibus verbis conſecraverit Chriſtus.

DIfficultatis hujus ſolutio ex ipſo Evangelii textu repetenda. Sic porro inſtitutionis Euchariſtiæ hiſtoriam refert Matthæus c. 26. v. eod. & ſeq. *Cænantibus autem eis, accepit Jeſus panem & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum: Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Similia loquuntur Marcus cap. 14. Lucas cap. 22. & Paulus I. Corint. 11.

Ex his liquet, Chriſtum Euchariſtiam inſtituendo, & Diſcipulis adminiſtrando, verba quædam protuliſſe; nec de hoc ambigitur: at difficultas eſt an his verbis, ſolove voluntatis nutu præſentem panis & vini materiam in corpus & ſanguinem ſuum tranſmutaverit. Hic porro non una eſt omnium opinio.

1. enim Innocentius III. Lib. 4. de myſterio Miſſæ, quod opus ante edidit quam eſſet Summus Pontifex, Chriſtum *divina virtute*, ſoloque voluntatis imperio Euchariſtiam conſecraſſe docuit, formam vero expreſſiſſe *ſub qua poſteri benedicerent*. Idem tradidere Durandus Mimatenſis L. 4. de divinis Officiis c. 41. n. 15. Franciſcus Mayronis, Gabriel Biel, Chriſtophorus a Capite Fontium, Ex-Generali Franciſcanorum Miniſtro Cæſarienſis Archiepiſcopus, &, qui in novis facile occurrit, Ambroſius Catharinus, e Prædicatorum familia, Epiſcopus primum Minorenſis, tum Compſanus Archipræſul. Quanquam hinc a Capite Fontio differt Catharinus, quod prior externam benedictionem internæ additam cenſet, poſterior nonniſi internam admittit.

2. alii Chriſtum nec verbis, nec imperio præciſe, ſed externa benedictione conſecraſſe volunt. Ita nec ſolus Odo Cameracenſis.

3. nec defuere quibus placuerit Chriſtum conſecraſſe per verba, ſed quæ nobis plane incognita ſint, quia nullibi ſcripta.

4. demum cenſent ceteri omnes Chriſtum iiſdem in conſecrando verbis uſum eſſe, quibus etiamnum utimur. Ita utriuſque Scholæ Principes, aliique paſſim.

Ex hac opinionum varietate natum eſt, teſte Salmeron Tract. 13. Tom. 9. inter Tridentinos Patres litigium, an poſtrema hæc Angelici, ſubtiliſque Doctorum ſententia ad fidem pertinere definiretur, an non. Definitionem urgebant Thomiſtæ cum Scotiſtis: verum res ut prius intra opinionis metas ſtetit: *Auditis enim hinc & inde rationibus, nihil eſſe definiendum prudenter Patres cenſuerunt*. Habet certe Innocentii III. aſſertio, quod Dialecticas Sacramentariorum cavillationes, circa ſenſum pronominis *hoc* plane diſſipet. Verum non eo verior theſis quæpiam, quo facilior intellectu, niſi ſimul & Scripturæ & Traditioni congruat. Sit itaque

Salmeron ibid.

CON-

Digitized by Google

Concluſio. Chriſtus ſolo quidem nutu conſecrare potuit, at non aliter conſecravit de facto, quam per verba Evangelica.

Prob. 1. pars, de qua nemo ambigere poteſt. Quod enim verbo exterius ſonante, id etiam ſine verbo vel ſigno quocumque poterat is cui data eſt omnis poteſtas: atqui, &c.

Prob. 2. pars, 1. quia ea indubie ceteris præferenda eſt opinio, quæ plus in Traditione habet fundamenti: atqui opinio noſtra . . . . . Hanc etenim diſerte aſtruunt Tertullianus Lib. 4. contra Marcionem, ubi hæc loquitur: *Acceptum panem, & diſtributum Diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo*. S. Chryſoſtomus Homil. 2. in Epiſt. 2. ad Timoth. ſic ille: *Quemadmodum verba quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem eſt*. Ubi manifeſte ſupponit S. Præſul, conſecrationem eodem ritu a Chriſto factam eſſe, quo nunc fit a Sacerdotibus: atqui conſecratio fit a Sacerdotibus per verba; ergo & eam fecit Chriſtus non nutu ſolo, ſed *per verba quæ locutus eſt*. Et Homil. de proditione Judæ: *Hoc verbo: Hoc eſt corpus meum, munera propoſita conſecrantur; & ſicut illa vox quæ dixit: Creſcite & multiplicamini, ſemel quidem edita eſt, ſed omni tempore ſentit effectum, ita & vox illa: Hoc eſt corpus meum, ſemel quidem a Chriſto dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ uſque ad hodiernum diem, & uſque ad ejus adventum præſtat ſacrificio firmitatem*; ergo ſicut Deus per hæc verba, *Creſcite*, &c. animantibus fœcunditatem dedit, & hodieque dat, quia eadem ſemper pronuntiare cenſetur; ſic & Chriſtus per iſthæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, pani dedit fieri corpus Chriſti, & dat *uſque ad hodiernum diem*, quia eadem ſemper pronuntiat, cum a Sacerdotibus pronuntiantur. Idem, ne pluribus immorer, docet S. Joannes Damaſcenus. Sic ille Lib. 4. de fide, cap. 13. *Sicut Deus dicendo, Fiat lux, fecit lucem, ita dicendo: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus, perfecit hoc Sacramentum*.

Prob. 2. ex Tridentino Concilio Seſſ. 13. c. 1. ubi ſic: *Quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt .... apertiſſime profeſſi ſunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cum* POST *panis vinique benedictionem, ſe ſuum corpus illis præbere ac ſuum ſanguinem diſertis verbis teſtatus eſt*. Unde ſic: Ex Tridentino inſtitutum fuit Euchariſtiæ Sacramentum poſt panis & vini benedictionem: atqui poſt panis & vini benedictionem nihil apparet præter conſecrationis verba, per quod inſtitui potuerit idem Sacramentum; ergo.

Prob. 3. quia a communi Theologorum opinione recedere non licet ſine graviſſimis rationibus: atqui nullas id genus proferunt adverſarii. Quod enim facilius expediant ſe a Sacramentariorum tricis, non eſt ratio intrinſeca, ut per ſe liquet; ergo.

Obj. 1. Chriſtus panem benedicendo nulla protulit verba: atqui Chriſtus panem benedicendo conſecravit; ergo Chriſtus non per verba, ſed per benedictionem ſolam conſecravit.

R. 1. neg. maj. nihil enim obſtat quominus dicatur Chriſtum panem benedicendo, pronuntiaſſe verba: *Hoc eſt corpus meum*. Etſi enim apud Evangeliſtas verborum prolatio benedictionem ſequitur ordine narrationis, ſimul tamen cum ipſa eſſe potuit ordine temporis; poſſunt utique ſimul fieri, quæ non poſſunt niſi cum aliqua temporis & orationis ſucceſ-

ſione enarrari. Ita S. Thomas 3. p. q. 78. art. 1. ad 1. Quin & Patres non pauci per benedictionem de qua loquuntur Evangeliſtæ, ipſam verborum prolationem intelligunt, prout videris in Tractatu Theologico de forma conſecrationis Euchariſtiæ, Auctore R. P. Bougeant pag. 144. & ſeq. Verum aliud ſentire videntur Tridentini Doctores in textu mox citato, uti obſervat Eſtius in cap. 10. Epiſtolæ I. ad Cor. v. 16.

R. 2. neg. min. ſi enim benedictio habeatur ut aliquid verbis Evangelicis prævium (prout ſubindicat textus Græcus) nihil eſt in Scriptura unde inferri poſſit, Chriſtum per benedictionem hanc conſecraſſe. Eſt vero nonnihil in Traditione unde contrarium evincatur, prout ſuadent probationes noſtræ.

Inſt. 1. Benedictio Chriſti non fuit ſterilis & otioſa: atqui otioſa fuit, ſi Chriſtus per eam non conſecraverit.

R. neg. min. benedictio enim prout ab Evangelicis verbis diſtincta ſupponitur, vel ipſa erat interna oratio, per quam Chriſtus Patris potentiam invocaverit, prout facere conſueverat, quoties inſignis cujuſdam miraculi perpetrationem meditabatur; vel erat prævia panis & vini deſtinatio ad mox futuram Sacramenti conditionem; cujuſmodi ea eſt quæ aquæ impendi ſolet ante quam ad Baptiſmi uſum aſſumatur: atqui neutro ſenſu ſterilis & otioſa eſſe potuit. Et certe non magis otioſa fuit benedictio pani impenſa, etſi panem ipſa non converterit, quam oratio ſupra Lazarum fuſa, inanis fuerit, etſi per eam ſuſcitatus non eſt Lazarus, ſed tantum per efficax iſtud mandatum: *Lazare, veni foras:* atqui otioſam fuiſſe Chriſti ſuper Lazarum orationem nemo dicet niſi delirus; ergo.

Inſt. 2. Benedictio efficax panem e communi & profano ſacrum efficere debuit: atqui hoc eſt panem conſecrare.

R. diſt. maj. debuit panem e profano ſacrum facere præparatorie ac diſpoſitive, C. effective & immediate, quaſi nullis deinceps verbis opus eſſet, N. Nec obeſt quod benedictio ſola panes quinque multiplicaverit in deſerto; tum quia in iis quæ ab una Domini voluntate pendent, non eſt diſputandum a pari; tum quia decebat ut plura ad Sacramentum permanens adhiberentur, quam ad miraculum tranſiens; præſertim cum Chriſtus & in Sacramenti inſtitutione exemplum daret quod ſequeremur, & Sacramenta ſua materia & forma conſtare vellet.

Obj. 2. Verba rei jam præſentis aſſertoria, illam non producunt, ſed ſupponunt productam: atqui Chriſti verba, *Hoc eſt*, &c. aſſertoria ſunt corporis jam præſentis; ergo.

R. diſt. maj. verba aſſertoria ſpeculative, C. practice, N. porro Chriſti verba practice aſſertoria fuiſſe liquet, tum ex citatis Patribus, qui panem in corpus Chriſti per ea converſum fuiſse docent; tum ex ipſa Sacramentorum conſtitutione, in quibus verba id quod ſignificant operantur. Et certe hæc Chriſti verba, ſeu ad Regulum, Joan. 4. *Filius tuus vivit*, ſeu ad Paralyticum, Marci 2. *Fili, dimittuntur tibi peccata tua*, dubio procul aſſertoria erant: atqui tamen utraque id fecerunt, quod enuntiabant; ergo a pari.

Inſt. 1. Atqui verba Chriſti ſpeculative aſſertoria erant. Prob. ſubſ. ex Marci c. 14. ubi ſic legere eſt: *Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes; & ait: Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti*, &c. ex

quibus

Digitized by Google

quibus ſic in forma: Chriſtus non conſecravit vere & practice per verba, quæ non protulit niſi poſtquam Apoſtoli ſanguinem ejus jam biberant: atqui verba quæ falſo conſecratoria dicimus, non protulit Chriſtus niſi poſtquam Apoſtoli ſanguinem ejus biberant. Hi enim, ut ex adducto textu patet, prius *biberunt omnes* ex calice, quam a Chriſto dictum eſſet: *Hic eſt ſanguis meus*, &c.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. neg. min. hæc enim verba: *Biberunt ex illo omnes*, per anticipationem dicta ſunt. *Non* enim, ut bene advertit Doctor Angelicus, *ſemper eumdem ordinem in recitando ſervaverunt Evangeliſtæ, quo res ſunt geſtæ*, ut docet & late probat ſanctus Auguſtinus Lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum c.30. 31. & 44. Et vero conciliari debet S.Marcus cum Matthæo, Luca & Paulo, ne contraria locuti videantur: atqui juxta tres iſtos, quibus tota in Canone Miſſæ conſonat Eccleſia, prius verba: *Hic eſt ſanguis meus*, pronuntiavit Chriſtus, quam Apoſtoli de calice biberent; ergo ad hunc ſenſum flecti debet textus S. Marci, præſertim cum, juxta ipſum, ante Salvator pronuntiaverit verba, *Hoc eſt corpus meum*, quam idem corpus dederit Apoſtolis; nec probabile ſit, Chriſtum aliter corpus, aliter ſanguinem conſecraſſe.

Inſt. 2. Verba practice aſſertoria quovis tempore a Chriſto inter conſecrandum uſurpata fuiſſent: atqui tamen Evangelica verba non ſemper a Chriſto conſecrante uſurpata fuerunt. Vere enim conſecravit Chriſtus apud Emaus, cum *accepit panem, & benedixit, ac fregit*, porrexitque duobus Diſcipulis, quibus in itinere junxerat ſe ſocium; hanc enim Salvatoris actionem de Euchariſtia intelligunt Auguſtinus, Hieronymus, Theophilactus, Beda, aliique paſſim Interpretes; nec immerito, cum is Lucæ textus iis plurimum ſimilis ſit, quibus prima Euchariſtiæ inſtitutio refertur: atqui tunc nulla Chriſtus protulit verba; quæ dubio procul, utpote ſummi momenti non omiſiſſet ſacer Scriptor; ergo. *Luc. 24.*

R. 1. tranſeat major: neque enim verborum legi a ſe conſtitutæ ſic alligatus erat Chriſtus, ut ab ea eximere ſe non poſſet. Potuit ergo quandoque cum verbis, quandoque autem ſine verbis conſecrare.

R. 2. neg. min. & dico Chriſtum iiſdem in conſecrando apud Emaus pane uſum eſſe verbis, quibus paulo ante in inſtituenda Euchariſtia uſus erat; id autem a Luca prætermiſſum fuiſſe, quia ſatis colligebatur ex iis quæ dixerat cap. 22. ubi fuſe recenſetur Sacramenti noſtri inſtitutio. Reſponſionem hanc inſigniter confirmat id quod ibidem ſcribit Evangeliſta, nimirum apertos fuiſſe Diſcipulorum oculos *in fractione panis*. Enim vero ſi acceptum panem nulla proferendo verba benedixiſſet, fregiſſet, ac porrexiſſet, nihil præter ſolitum Judæorum morem egiſset, nec proin ſeipſum manifeſtaſset Diſcipulis.

Moram non facit auctoritas Innocentii III. tum quia is Libros *de myſterio Altaris* diu ante compoſuit, quam ad Summi Pontificatus apicem eveheretur, ac proinde admodum juvenis, quandoquidem, teſte Burio, Romanus Pontifex electus fuerit anno ætatis ſuæ 30. tum quia *opinative magis, quam determinative locutus eſt*, ut notat S. Thomas ubi ſupra; tum quia idem Innocentius jam Pontifex, cap. *Cum Marthæ*, ſupponit Dominum iis conſecraſse verbis quæ in Evangelio habentur. Unde ex objecto illius, aliorumque qui ipſum ſecuti ſunt, teſtimonio, id

unum

unum ſequitur, videlicet ſententiam quam modo amplexi ſumus, ad fidem non pertinere, quod ſponte confitemur, & ex adducto ſupra Salmeronis textu abunde liquet.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Forma Panis conſecrandi.

DUplex hic occurrit difficultas, altera quæ vini perinde ac panis conſecrationem reſpicit; altera, quæ nonniſi ad panem ſpectat.

Ut intelligatur prima, quæ grave non ita pridem duos inter magni nominis Scriptores bellum movit, revocandum in mentem eſt, apud Latinos ante verba hæc: *Qui pridie quam pateretur*, &c. fundi a Sacerdote orationem, qua precatur *ut nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi Filii tui D. N. J. C.* Eamdem hanc orationem; quam deinceps brevitatis cauſa deſignabimus invocationis nomine, aliis paulo verbis habent Orientales Eccleſiæ; at eam nonniſi poſt pronuntiata, ſatis longo antea tempore, conſecrationis, ut loqui conſuevimus, verba, recitant; uti patet ex ſequenti Armenæ Liturgiæ fragmento .... „ Ut viator pertranſiit per om„ nes paſſiones vitæ humanæ ſine peccato, & ſalvavit mundum, & pro„ pter ſalutem noſtram ſponte venit ad crucem. Accipiens panem in ſan„ ctas, divinas, immortales, immaculatas & creatrices manus ſuas, be„ ne†dixit, gratias egit, fregit & dedit ſuis electis, ſacratis & recum„ bentibus Diſcipulis, dicens: Accipite, comedite ex hoc omnes: Hoc „ eſt corpus meum, quod pro vobis diſtribuitur in expiationem peccato„ rum. Similiter & calicem accipiens, bene†dixit, gratias egit, bibit, „ dedit ſuis electis, ſanctis & recumbentibus Diſcipulis, dicens: Accipi„ te & bibite ex hoc omnes: Hic eſt (*vel* hoc eſt) ſanguis meus no„ vi Teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur in expiationem & „ remiſſionem peccatorum.

„ Et beneficus Filius tuus Unigenitus mandatum tradidit nobis hoc „ ſemper facere in ſui commemorationem; & deſcendens ad inferiora „ mortis ſecundum carnem quam accepit ex noſtra cognatione, & ve„ ctes inferni fortiſſime diſrumpens, te notum fecit nobis ſolum verum „ Deum, Deum vivorum & mortuorum.

„ Nos igitur, Domine, juxta illud mandatum in medium profe„ rentes hoc Sacramentum ſalutaris corporis & ſanguinis Unigeniti tui, „ memoriam agimus ſalvificæ Paſſionis, vivificæ Crucifixionis, tridua„ næ Sepulturæ, beatæ Reſurrectionis, divinæ Aſcenſionis, ſeſſionis „ ad dexteram tuam, Pater, terribilem & glorioſum ſecundum rur„ ſus adventum confitemur & benedicimus. Tua ex tuis tibi offerimus „ per omnia & pro omnibus.

„ Te merito, Domine, Domine Deus noſter, laudamus, & tibi ju„ giter gratias agimus, qui non habita ratione noſtræ indignitatis nos „ conſtituiſti Miniſtros hujuſmodi tremendi & inenarrabilis Sacramenti, „ non propter ulla merita noſtra & bona opera quorum nimis inopes „ ſumus, & ſemper vacui reperimur, ſed ſemper confugientes ad tuam „ multigenam indulgentiam audemus accedere ad miniſterium corporis

„ &

„ & ſanguinis Unigeniti tui D. N. Salvatoris J. C. quem decet gloria,
„ principatus & honor, nunc & ſemper, &c.
„ Adoramus & rogamus & petimus a te benefice Deus: Emitte ſuper
„ nos, & ſuper hæc propoſita Dona conſempiternum & coæternalem
„ ſanctum Spiritum tuum, quo panem hunc bene✝dictum Corpus vere
„ facias Domini noſtri & Salvatoris J. C. *Hoc repetit ter cum trina crucis*
„ *ſignatione, ſemper reſpondente Diacono ſubmiſſa voce, Amen. Idemque facit*
„ *ſuper calicem ſubmiſſa voce ter dicens:* Quo calicem hunc bene✝dictum
„ ſanguinem vere facias D. N. S. J. C. (*Diaconus, Amen. Tum Sacer-*
„ *dos accipiens panem cum patena, ponit ſuper calicem; & rurſus cruce ſignat*
„ *ter, & benedicit panem & calicem ſimul, dicens*) quo panem hunc &
„ vinum bene✝dictum corpus vere carne ipſa, & ſanguinem reipſa fa-
„ cias D. N. S. J. C. .... (*Ter cruce ſignat, & demum perficitur cor-*
„ *pus & ſanguis Chriſti.*) „

Ex his, quæ penes ſenſum paria occurrunt in omnibus Orientalium Liturgiis, naſcitur magni momenti quæſtio, an non Evangelicis verbis invocationem addi neceſſe ſit, ut panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti convertantur. Addendum eſſe, idque de neceſſitate Sacramenti, docent Chriſtoph. a Capite Fontium, in Tractatu *de neceſſaria correctione Theologiæ Scholaſticæ*, Catharinus in duplici, quod ea de re ſcripſit, & ad Tridentinam Synodum, cui per priores ſeptem Seſſiones interfuerat, tranſmiſit Opuſculo; ſed præ ceteris R. P. Petrus le Brun, e Congregatione Oratorii, tom.3. *Expoſitionis litteralis, hiſtoricæ & dogmaticæ ceremoniarum Miſſæ*, diſſert. 10. hunc vivide ſed & urbane confutavit vir Orbi Litterario non uno genere notus, R. P. G. H. Bougeant e Societate Jeſu, in Opere cui titulus: *Refutation de la diſſertation du R. P. le Brun*, &c. *Paris* 1727. ubi & ſubindicat Brunii opinionem male congruere fidei. Notam hanc dure tulit Brunius; unde opinionis ſuæ defenſionem * a Pariſienſibus Doctoribus 37. quos inter primas tenet doctiſs. Tournelyus, approbari curavit.

Mortuo interim Brunio, qui, inſtante fato, emiſſam a Conſtitutione *Unigenitus* ad Concilium nunquam forte futurum appellationem ſolemniter revocavit, prodiere in lucem lucubrationes duæ, quarum alteri; quæ Bugentium auctorem habet, titulus: *Traite Theologique ſur la forme de la Conſecration;* alteri: *Apologie des Anciens Docteurs de la Faculte de Theologie de Paris, Claude de Saintes, & Nicolas Iſambert*, quos infelici errantis oculi lapſu in ſui patrocinium adduxerat Brunius, vir ceteroqui animi candidioris, quam ut cuipiam fucum facere vellet. En ſummam famoſæ diſputationis, quæ paucos admodum Brunio aſſeclas fecit.

Haud tamen omnino conſentiunt inter ſe, qui conſecrationem ſolis Chriſti verbis peragi volunt. Ex his enim nonnulli id omne quod a Chriſto prolatum eſt requirunt, ideoque & hæc etiam verba: *Accipite & manducate*. Alii quæ antecedunt verba, volunt adjici, donec retrogrediendo, occurrat nomen Chriſti; non quod antecedentia hæc verba ad formam conſecrationis eſſentialiter pertineant, ſed tantum ut determinetur hujus formæ ſenſus. Alioqui enim, ait dubitanter Scotus, *ly* meum *non demonſtraret corpus* *In 4. diſt. 8. q. 2.*
Chri-

* Defenſe de l'ancien ſentiment ſur la forme de la conſecration de l'Euchariſtie. Paris 1737.

Chriſti, ſed corpus loquentis. Ex quo, nec admodum ſubtiliter colligit Doctor ſubtilis, Sacerdotem, ut certus ſit de validitate conſecrationis, certum eſſe debere, totum a ſe Canonem recitatum fuiſſe. Idem in *antididagmate* ſuo ſentiunt Colonienſes Theologi apud VVitaſ. p. 356.

Neque hic ſiſtunt Scholaſticorum diſceptationes: quidam enim quos refert & ſugillat Albertus Magnus, docuere, formam qua conſecratur panis, non ante plenum ſortiri effectum, quam cum abſoluta eſt ac perfecta forma, qua conſecratur vinum: *Quia*, inquiunt, *una forma aliam expectare debet*. Hæc quoad Catholicos.

Aliam iniere viam variorum temporum Hæretici: 1. enim Manichæi, teſte Auguſtino Lib. 20. contra Fauſtum cap. 13. Euchariſticum panem (non vinum, quod uti fel draconis averſabantur) apud ſe naſci, non conſecrari delirabant. Cui fabulæ nimium gratuletur ſenſatus homo, ſi eidem confutandæ immoretur.

2. e Sacramentariis alii, ut Martinus Bucerus in c.26. Matth. nullis ad conſecrationem verbis opus eſſe contendunt; quia juſſerit Dominus panem frangi & manducari, non autem ſuper eum dici: *Hoc eſt corpus meum*. Alii certa quidem requirunt verba, ſed per modum concionis ad inſtruendam fidem, non ad conſecrationem elementi: quia Chriſtus non alloquebatur panem, ſed Apoſtolos, cum ait: *Hoc eſt corpus meum*. Ita Calvinus * qui idcirco in Sacramentorum adminiſtrandorum formula præſcribit lectionem ex cap. 11. Epiſt. I. ad Corinth. & concionem Miniſtri, &c. Sententiæ huic præluſit Lutherus in Lib. de Captiv. Babyl. ubi cap. *De Baptiſmo* ſcribit parum referre quibus verbis conficiantur Sacramenta, modo adſit in accipientibus fides. Ab hac tamen ſententia jam diu receſſere Lutherani; atque imprimis Kemnitius in Examine Concili Trid. Seſſ. 13, c. 1. ubi ad conſecrationem omnia & ſola Chriſti verba requirit, quæ non hiſtorice tantum, ſive ad inſtruendum, ſed etiam ad conſecrandum adhibeantur. De ſyſtemate hoc, inſignique ejus a Catholicorum ſententia diſcrimine adi Bellarmin. Lib. 4. de Euchar. cap. 12.

* *L.4 Inſtit. c 17. §. 39.*

Ut in tanta diſputationum ſegete a notioribus ad difficiliora progrediamur, ſit

CONCLUSIO I. Ad Euchariſtiæ conſecrationem certa verba requiruntur; neque hæc requiruntur concionatoria.

Prob. 1. pars; quia juxta celebrem Auguſtini regulam L.4. de Bapt. c. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur:* atqui ubique ſemper in Eccleſia retentum eſt, nec ab ullo inſtitutum Concilio, ut certis verbis conficeretur Euchariſtia. Unde Auguſtinus Lib.20. contra Fauſtum, c.13. *Panis & calix certa conſecratione myſticus fit nobis*, quatenus ſcilicet *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, ut tradit idem S. Doctor. Concinunt ceteri Patres, quos paſſim in Operis decurſu citavimus. Sic Gregorius Nyſſenus in Orat. Catechetica: *Panis ſtatim per verbum in corpus mutatur, ut dictum eſt a verbo: Hoc eſt corpus meum*. Sic Chryſoſtomus ſupra p. 759. &c. Hinc jure a pluribus Galliarum Epiſcopis proſcripta eſt hæc P. le Courayer propoſitio: *C'eſt un abus que d'attacher la forme des Sacremens a certaines paroles excluſivement aux autres, & de croire que le reſte des prieres ne concourt point a la production du meme effet*.

Prob. 2.

Digitized by Google

Prob. 2. pars: 1. ex iis quæ diximus Tom. VII. ubi contra Novatores probavimus verba Sacramentorum conſecratoria eſſe, non concionalia. *Tom. 7. Pag. 289.*

2. quia Chriſtus in ultima Cœna vere & rite conſecravit, & rite conſecrandi exemplum præbuit: atqui nullam tunc temporis concionem habuit, ut ex Evangelio liquet.

3. quia ſi quæpiam ad conſecrationem requireretur concio, eam utique haud prætermiſiſſent veteres Liturgiæ, puta Clementis, Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, Ambroſii, & Romana, quæ Petri eſſe cenſetur: atqui earum nulla eſt quæ concionis mentionem aut ſpeciem habeat. Hic nempe cum precibus recitantur verba certo ritu, ut plane appareat confici Sacramentum, non vero concionem haberi; ergo.

Obj. 1. cum Bucero: Nullibi ſcriptum eſt a Sacerdotibus pronuntianda eſſe verba iſta: *Hoc eſt corpus meum;* ergo ſufficit panem benedici & frangi.

Confirm. Benedictio de qua Apoſtolus I. Cor. 10. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt*, eadem eſt de qua loquuntur Evangeliſtæ: atqui benedictio de qua loquitur Apoſtolus, eſt conſecratio; cum ex ea benedictione inferat, calicem eſſe ſanguinis Chriſti communionem, quæ profecto conſecrationem ſupponit.

R. neg. ant. 1. enim iſtud Chriſti: *Hoc facite*, præcipit ut totam ejus actionem imitemur: atqui Chriſtus panem non benedixit & fregit tantum, ſed & certa ſuper ipſum verba pronuntiavit; ergo.

Nec nocet quod non exerte juſſerit Chriſtus verba hæc pronuntiari. Neque enim etiam cum inſtituit Baptiſmum, dixit: *Baptizate, dicentes: Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. & tamen his, perinde ac Eccleſia Romana, verbis utuntur Calviniſtæ & Lutherani; 2. verba hæc pronuntianda eſſe docent, ſemperque docuerunt in Liturgiis ſuis, in Conciliis item, & in Patrum Scriptis Eccleſiæ omnes. Quod autem ubique gentium pro neceſſario habitum eſt, quis in fide Buceri ſuperfluum judicet?

Ad confirmat. neg. maj. Apoſtolus enim nomine benedictionis, non actionem ſingularem a ceteris diſtinctam intelligit, ſicut Evangeliſtæ, ſed totam Euchariſtiæ celebrationem, quæ conſecrationis verba importat. Unde totam actionem ab aliqua ejus parte denominavit: neque magis inferri poteſt benedictionem præciſe & ſpecialiter ſumptam, fuiſſe per ſe conſecratoriam, quam panis fractionem, de qua ſimiliter ait: *Panis quem frangimus, nonne communicatio Domini eſt*. Ita & bene Tournelyus.

Obj. 2. cum Calvino: Chriſtus cum ait: *Accipite & manducate: Hoc eſt corpus meum*, non alloquebatur panem, ſed Apoſtolos; ergo verba Chriſti non ad conſecrandum panem referuntur, ſed ad fidelium inſtructionem. Et vero quod Sacerdos ut panis naturam convertat, quædam in ipſum verba obmurmuret, magici quidpiam ſonat.

R. ad 1. neg. conſeq. nam Chriſti verba ad Apoſtolos quidem dicta ſunt, ſed de pane, & ſuper panem, ac proinde circa panem efficacia eſſe debuerunt, non circa Apoſtolos. Sic hæc Chriſti verba Luc. 7. *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa*, ad Simonem directa ſunt, ſed quia de Magdalena dicebantur, circa ipſam, non circa Simonem efficacia fuere. Idem eſt de his ejuſdem Chriſti verbis, Joan. 8. ad Regulum: *Vade, filius tuus vivit*, quæ licet ad Patrem dicta, in filio ſolo vim habuere.

Ad 2.

Ad 2. ſi magiam exercent Sacerdotes, cum in panem verba Chriſti pronuntiant, exercuit & ipſe Chriſtus; qui facti hujus exemplum dedit, illudque præcepit ſequendum. Exercuit & multo magis, cum luto & ſputo hominem a nativitate cæcum ſanavit. Apage nugandi calumniandique pruriginem.

Obj. 3. Si Euchariſtia verbis conficiatur, utique verbis Chriſti: atqui non iis conficitur apud Pontificios. Ii nempe ex verbis Chriſti hæc detraxerunt: *Accipite & manducate*, iſthæc item: *Quod pro vobis tradetur*. Addidere vero: *Elevatis oculis in cœlum ad te Deum*, rurſuſque. *Ex eo omnes*, poſt verbum, *Manducate*, &c. Ita Kemnitius.

R. ad 1. neg. min. ad 1. 2. conſtat ex ipſo Romanæ Liturgiæ intuitu verba hæc: *Accipite & manducate*, a Sacerdotibus noſtris pronuntiari. Quamquam, nec immerito, cenſent ea ſolum de Sacramenti uſu præceptum complecti, non autem ad eſſentiam conſecrationis pertinere: ſicut in his Chriſti propoſitionibus, Luc. 7. *Dico tibi: Remittuntur ei peccata multa*, & Joan. 8. *Vade, filius tuus vivit*, voces, *Dico tibi*, & *Vade*, circa dimiſſionem peccati, puerive ſanitatem nihil operabantur. Adde quod Luc. 22. omittuntur verba: *Accipite & manducate*, ut & I. Corint. 11. omittuntur iſta: *Accipite & bibite*; quapropter nec ſi a nobis omitterentur, culpandi eſſemus.

Quod attinet ad verba: *Quod pro vobis tradetur*, demi hæc potuere, 1. quia a Matthæo & Marco prætermiſſa ſunt, haud utique prætermittenda, ſi neceſſaria fuiſſent. Profecto veriſimile non eſt Matthæum iis in conſecrando verbis uſum eſſe, quæ in Evangelio ſuo ſuppreſſerit; 2. quia deſunt eadem verba apud Juſtinum in Apologia, Cyrillum Catech.4. Euſebium Emiſſenum; & hi tamen omnes conſecrationis formam indicant; 3. quia extabat Miſſæ celebratio, ac proinde quædam Liturgiæ ſpecies, antequam ſcripſiſſent SS. Lucas & Paulus, qui verba hæc addidere; 4. demum, quia forma calicis enuntiat ſanguinem pro nobis effundendum: atqui hoc ipſo ſatis intelligitur pro nobis traditum eſſe corpus unde ſanguis ille manavit; ergo nihil eſſentiale demptum eſt e verbis Chriſti.

Sed neque iis additum eſt aliquid culpandum. Non iſtud: *Et elevatis oculis*, &c. tum quia idipſum habent antiquæ SS. Jacobi & Clementis Liturgiæ, ſicut & Ambroſius Lib.4. de Sacram. c.5. tum quia erat id Chriſto in more, ut cum Patri gratias agebat, oculos tolleret in Cœlum, ut ex Matth.14. Marci 6. Luc.9. Joan.11. colligit Innocentius III. cap. *Cum Marthæ*; unde dubium eſſe non poteſt, quin & in hac inſigni & ultima gratiarum actione oculos in Cœlum levaverit.

Id vero *Ex eo omnes*, ſicut & vocula, *enim*, cum in calicis forma habeatur, *Bibite ex eo omnes; Hic eſt enim ſanguis*, &c. Matth. 26. ad formam conſecrandi panis transferri potuit. Quid enim abſurdi, ſi perſpi-
L. 4. c. 5. cue exprimatur, id quod alioqui ſubintelligendum foret. Unde hæc omnia habet Ambroſius, ſeu quivis Auctor Lib. de Sacramentis. De ceteris adi, quem ſemper fructuoſe conſules, Bellarmin. ibid. cap. 14.

Obj. 4. S. Gaudentius in Brixienſem Epiſcopum electus an.387. Tract. *De Paſcha in Exodum*, hæc habet: *Cum panem conſecratum & vinum Diſcipulis ſuis porrigeret Dominus, ſic ait: Hoc eſt corpus meum*; ergo ante conſecratus eſt panis, quam dictum eſſet: *Hoc eſt*, &c.

R. diſt.

R. diſt. conſeq. ante conſecratus eſt præparatorie & quaſi inchoate, C. formaliter & perfecte, N.

Conclusio II. Conſecratio ſolis Chriſti verbis peragitur: unde invocatio haud neceſſaria eſt neceſſitate Sacramenti. Eſt contra Græcos, eorumque vindicem Brunium.

Prob. 1. quia verba quibus conſecravit Chriſtus, ad conſecrationem etiamnum ſufficere debent, niſi conſtet præcepiſſe Chriſtum, ut iis neceſſario adderetur oratio invocativa: atqui & Chriſtus per ſola Evangelica verba conſecravit, ut cum Latinis pene omnibus fatetur ipſe Cabaſilas in explicatione Liturgiæ, c. 30. aliique paſſim Græci; & nullibi unquam præcepit ut verbis ſuis deinceps adderetur invocatio, multoque minus ut adderetur tanquam ad Sacramenti validitatem neceſſaria; ergo.

Prob. 2. verba Chriſti id efficiunt per ſe ſola, quod per ſe ſola plene & aperte ſignificant; alioqui falſa eſſent: atqui verba Chriſti per ſe ſola plene & aperte actualem corporis & ſanguinis præſentiam ſignificant; ergo eam per ſe ſola efficiunt. Porro non efficerent præſentiam actualem in ſyſtemate Græcorum, ſed neceſſario ſuſpenſam, donec prolata fuerit, quæ diu poſt profertur invocatio; ergo.

Confirm. eſt in Euchariſtiæ forma aliquid quod proprie & diſtincte realem corporis & ſanguinis præſentiam ſignificat: atqui poſita Græcorum opinione nihil eſt quod proprie & diſtincte præſentiam hanc ſignificet. Id enim vel ſitum eſſet in ipſis Chriſti verbis, vel in prece invocatoria, vel in utroque ſimul: atqui non 1. in hac enim opinione Sacerdos, qui in perſona Chriſti dicit: *Hoc eſt corpus meum*, necdum exhibet corpus Chriſti. Non 2. hæc enim oratio: *Fac hunc panem corpus Chriſti*, indicat quidem rogari & optari ut fiat corpus Chriſti; at nec proprie nec diſtincte præſentem deſiderii hujus effectum deſignat, ut per ſe evidens eſt. Non 3. tum quia gratis rurſus aſſeritur; tum quia verba quæ merum præſentiæ rei deſiderium ſignificant, rei hujus præſentiam hactenus ſuſpenſam proprie & diſtincte ſignificare non poſſunt: atqui non obſtantibus verbis: *Hoc eſt*, &c. ſuſpenſa eſt adhuc corporis Chriſti præſentia; aliunde vero invocatio merum præſentiæ hujus deſiderium exprimit; ergo fieri nequit, ut in opinione Græcorum, forma *propriam ſuam & apertiſſimam ſignificationem* habeat, prout habet ex Tridentino. Trid. Seſſ. 13. cap. 1.

Et vero ut preces Sacerdotis præſentiam corporis Chriſti, non dico *proprie & apertiſſime*, ſed utcumque ſignificarent, deberet conſtare de pacto, quo Deus præſentiam ſuam ſpopondiſset iiſdem precibus, a malo perinde ac bono Sacerdote factis; quale extat Jacobi ult. ubi agitur de Extremæ Unctionis forma, utique deprecatoria: atqui pacti hujus nulla ullibi eſt quoad Euchariſtiam mentio; ergo. Ita Bellarminus eod. cap. 14.

Prob. 2. ex Patribus. Juſtinus Apolog. 2. docet confici *Euchariſtiam per preces ab ipſo Verbo Dei profectas*: atqui preces per quas orat Sacerdos ut *fiat*, vel *nobis fiat* corpus Chriſti, humanæ ſunt & Eccleſiaſticæ, non autem ab ipſo Dei Verbo profectæ; præſertim autem in ſenſu Juſtini, qui per preces a Verbo Dei profectas, ea ibidem intelligit verba, quæ *Apoſtoli in Commentariis a ſe ſcriptis præcepiſſe ſibi Jeſum* tradiderunt; cum *pane accepto* & actis gratiis dixit: *Hoc eſt corpus meum*, &c.

S. Irenæus Lib. 5. adverſus hæreſes, c. 5. *Quando ergo*, inquit, *& mixtus calix*,

calix, & factus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti: atqui nullum aliud in Euchariſtiæ confectione occurrit Dei verbum, quam iſtud: *Hoc*, vel *Hic eſt*, &c.

S. Chryſoſtomus citata jam Homilia de proditione Judæ: *Stat Sacerdos typum adimplens, & illa verba fundens; virtus autem & gratia Dei eſt: dicit, Hoc eſt corpus meum; hoc verbo propoſita dona conſecrantur:* ſi *hoc verbo;* ergo non humana prece. Et Homil. 2. in Epiſt. II. ad Timot. *Quemadmodum verba quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem eſt:* atqui in opinione Græcorum Sacerdotes non pronuntiant, efficaciter nimirum, verba quæ pronuntiavit Chriſtus; cum his alia adjungi oporteat, quibus ſecluſis non ſtaret conſecratio; ergo haud probare poſſunt eamdem eſſe hodie Sacerdotum oblationem, quæ fuit Chriſti.

Tom. 1. S. Joannes Damaſcenus L. 4. de fide orthod. c. 1. hæc loquitur: *In principio* pag. 268. *dixit* Deus: *Producat terra herbam virentem; & ad hanc uſque diem, accedente imbre ...... fœtus ſuos profert. Dixit perinde Deus: Hoc eſt corpus meum,* & *Hic eſt ſanguis meus,* &c. *idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat efficitur;* ergo quemadmodum accedente imbre producit terra virentem herbam, vi verbi hujus: *Producat terra herbam virentem;* ſic, accedente Sacerdotis pronuntiatione, panis efficitur corpus Chriſti vi formulæ hujus: *Hoc eſt corpus meum.*

Græcis Doctoribus concinunt Latini Patres. S. Ambroſius, ſeu qui Ambroſii mentem reddere conſuevit Auctor Librorum de Sacramentis: *Quomodo,* ait L. 4. c. 4. n. 14. *poteſt qui panis eſt, eſſe corpus Chriſti? conſecratione. Conſecratio autem cujus verbis eſt? Domini Jeſu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur in ſuperioribus, a Sacerdote* in propria perſona loquente *dicuntur .... Ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus utitur Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum.* His qui lucem addere velit, velit & ſoli.

Bibliot. Idem cum ceteris quos omittere cogimur, tradit Euſebius Emiſſenus PP. T. 6. Hom. in Ramis Palmarum: *Tanta eſt,* inquit, *ejus verbi,* Hoc eſt, &c. p. 7.7 A. *virtus & efficacia, ut ſtatim fiat quod dicitur.*

Prob. 3. ex Conciliis. Lombarienſe cui an. 1176. cum Abbatibus, Dynaſtiſque plurimis interfuere Epiſcopi ſex, ſic habet art. 4. *In quarto Capitulo convincimus & judicamus iſtos* (de iis loquitur, qui *Bonos Homines* ſe nuncupabant, etſi parum aut nihil differrent a Manichæis) *hæreticos eſſe ..... quia Dominicum corpus non conſecratur niſi per Sacerdotem, ſive bonus ſit, ſive malus. Per verba enim ſacra quæ dixit Salvator, in Cœna, ſcilicet,* Hoc eſt corpus meum, &c. *conſecratur & conficitur Dominicum corpus ..... verba enim Domini nec variantur, nec maculantur:* atqui hic non modo prætermittitur, ſed & excluditur oratio quæcumque humana. Id enim excluditur quod Boni Homines facile crediidiſſent maculari poſſe: atqui, &c.

Hard. Concilium Exonienſe in Cantuarienſi Provincia, an. 1287. *Quia vero,* Tom. 7. inquit, *per hæc verba, Hoc eſt enim corpus meum, & non per alia,* p. 1077. *panis tranſubſtantiatur in corpus Chriſti, prius hoſtiam non levet Sacerdos, donec ipſa plene protulerit,* &c.

Concilium Cyprium an. 1298. *Tota,* inquit, *diligentia adhibenda* eſt, *cum venitur ad verba quorum virtute conficitur Sacramentum, Hoc eſt,* &c.

Hic

Digitized by Google

Hic eſt, &c. Idem ſanciunt Synodi aliæ complures in ſupra citato Burgentii Tractatu, part. 2. pag. 43. & ſeq.

Prob. 4. ſpecialius ex iis quæ in Florentino Concilio geſta fuere, quæque, quia ſummi ſunt in præſenti controverſia ponderis, paulo fuſius enucleanda ſunt, non ex Syropulo, qui quoad Florentinam Synodum idipſum præſtitit, quod erga Tridentinam Frater * Paulus Servita, ſed ex pluribus indubiæ fidei monumentis. Itaque cum Ferrariæ toto anno 1438. de Spiritus Sancti proceſſione Latinos inter & Græcos diſputatum eſſet, tandemque victi Orientales veritati ceſſiſſent, translato propter annonæ penuriam, graſſantiſque peſtis periculum Florentiam Concilio, id unum Eugenio IV. fuit in votis, ut, quo *omni ex parte* utriuſque Eccleſiæ *conjunctio* foret *abſoluta*, diſcuterentur reſidua controverſiæ capita, nimirum de Romani Pontificis primatu, de purgatorio, de azymis, & de conſecrandæ Euchariſtiæ forma. Interrogati ergo deputati a Græcis Præſules, reſponderunt: *Nos Pater Sanctiſſime, nullam habemus reſpondendi facultatem: tamen ex nobis ipſis* propriam ſententiam *proferemus*. Hanc porro circa præſens formæ conſecratoriæ caput ſic aperit Cariophilus: *De divino item Sacrificio quæſitum eſt a Latinis, quomodo prolatis Chriſti verbis:* Accipite, &c. *& ſacris donis* PER HÆC VERBA *ſanctificatis, vos*, Græci, *hanc poſtea orationem additis:* Et fac panem hunc, &c. *porro hoc ita diſſolutum eſt: fateri nos diximus* PER HÆC *Chriſti* VERBA *tranſubſtantiari ſacrum panem, & fieri corpus Chriſti: ſed poſtea quemadmodum & ipſi* Latini *dicitis:* Jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui ad ſublime altare tuum, *ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus ſanctus deſcendat* SUPER NOS, & efficiat IN NOBIS *panem hunc pretioſum corpus Chriſti tui, tranſmutetque ipſa Spiritu ſancto ſuo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remiſſionem peccatorum.* Eadem eſt Abrahæ Cretenſis relatio: *Reſponderunt* Græcorum deputati, ait, VERBIS ILLIS *Dominicis*, Accipite & comedite, &c. *Sacramentum fieri.*

* *Fra-Paolo.*

Abrabam Cretenſis.

Idem.

Erant hæc dubio procul quæ Latinis omnino ſatisfacerent; ſed quia præmonuerant Deputati, ſe ſuo tantum, non autem aliorum Græciæ Præſulum nomine loquendi facultatem accepiſse, inſtitit Eugenius apud Ruthenum, Nicænum & Mytilenenſem Epiſcopos, ut *quo* fieret *unio* SINE ULLO SCANDALO, *firma & ſtabilis*, explanarentur Articuli *de azymo, de purgatorio... de materiæ ſacramentalis conſecratione;* quod quidem diu quoad poſtrema duo capita Græci renuerunt, *quod neſcirent, ut opinor*, ait Cariophilus, *veram rei deciſionem;* timerentque, ut ſatis probabile eſt, ne ſi ſemel cum Latinis definiiſſent, conſecrationem ſolis Domini verbis peragi, Liturgias ſuas emendare rogarentur. Unde congregatis Epiſcopis ſuis Græcus qui Florentiæ aderat Imperator Joannes Palæologus, de azymo quidem, de primatu Papæ, & de additione particulæ *Filioque* diſputari permiſit, ſed itaut *de purgatorio, & conſecratione munerum nihil omnino diceretur.* Id ubi audierunt Latini ab Eugenio deputati ad Imperatorem, *reſtiterunt dicentes: Impoſſibile eſt uniri Eccleſiam, niſi hæ duæ controverſiæ addantur de Purgatorio & confectione ſacrificii.*

Cariophil.

Annuit ægre, ſed tandem annuit Imperator: unde in pleno Latinorum Græcorumque Conventu, Joannes de Turrecremata, exinde Cardinalis, celebrem hanc materiam pertractavit, non ut privatus Doctor, qui privatos ſuos

ſenſus efferat, ſed ut Concilii Theologus, qui Papæ, Latinorumque omnium ſententiam promat & declaret. Is itaque agitata azymorum quæſtione: *Venio*, inquit, *ad particulam, ubi tangitur forma conſecrationis ...... Pauca dicam, quia* NEMINEM CREDO VIRUM SAPIENTEM, *qui non debeat ſuſcipere hæc verba plena fide*, nimirum per ipſa Chriſti verba confici Euchariſtiam. *Tangam auctoritatem ad probandum, quod* PER SOLA VERBA *Salvatoris conficiatur corpus Chriſti*, &c. *His dictis Papa his verbis uſus eſt: Audiviſtis quæ dicta ſunt ad complacentiam veſtram, vobis morem gerendo, non autem ut* (quaſi) *credamus vos omnes non ea tenere, ut nos, ſpecialiter in conſecratione corporis D. N. J. C. quod perficitur verbis Chriſti ...... Viri ſanctiſſimi ...... omnes tenuerunt, quod* SOLIS VERBIS *Domini conficeretur ...... Et ideo rogamus charitates veſtras, ut hanc cedulam* (qua quid de hac re tenendum ſit, continetur) *placeat vobis acceptare*.

Lab. t. 3. p. 1134. A.

Ibid pag. 1144. C.

Biduo poſt, ideſt die 20. Junii rurſus eadem mota eſt quæſtio: tumque poſt multas hinc & inde diſceptationes, *Non puto*, ait Papa, *quod aliquis ſit* ITA PARUM INTELLIGENS, *quod credat quod poſſit confici corpus Chriſti aliter quam per verba Salvatoris noſtri. Rogo charitates veſtras ut videatis has rationes, & velitis conferre cum Imperatore, & dare concluſionem huic ſanctæ unioni.*

Carioph.

Narrat quidem Syropulus Marcum Epheſinum Imperatoris juſſu demonſtraſſe *ſanctos olim Patres divina myſteria ſic conſecraſſe*, ideſt per orationem una cum verbis Domini; tumque factam ſingulis pro nutu ſentiendi facultatem: At relationem hanc falſi arguunt quæ ſequuntur.

Die 26. Junii Papa, cum tempus inutiliter teri videret, ſex ex utraque parte deputatos convenire & de controverſis capitibus diſſerere curavit. Hujus porro colloquii exitum ſic renuntiavit poſtridie Julianus Cardinalis ſanctæ Sabinæ: *Et ut publicè conſtent omnia, fuit exorta alia difficultas, quæ quaſi perturbavit totum opus ..... Nam nuntiato Domino noſtro* Eugenio, *quod Græci in confectione Sacramenti certis aliis orationibus uterentur, viſum eſt Sanctitati ſuæ, ut ſciretur .... an tenerent illas orationes eſſe de ſubſtantia conſecrationis, & confeſſi ſunt auditis rationibus noſtris, quod ſemper tenuerunt quod ſolis verbis Dominicis conficeretur; & quod putarent* ANATHEMA *qui aliud crederet. Fuit inſtitutum ut hoc poneretur in definitione: dixerunt, quod hoc non erat neceſſarium, imo ſi poneretur, Eccleſia ipſorum reciperet confuſionem.* Et infra: *Dixerunt Græci: Ad hoc ut ſitis certi de credulitate noſtra, videatis Joannem Chryſoſtomum, qui hoc clare ponit, & ſumus parati* PUBLICE CONFITERI, *quod nos tenemus, ſicut vos, quod in* SOLIS *verbis Dominicis conficitur.* Nihil deeſt iſti Græcorum confeſſioni; eique multo minus defuit, cum *Imperator elegit decem primarios Archipræſules, cum quatuor crucigeris*, qui Græcorum ſententiam in publica Seſſione renuntiarent. Hi *Papam* invenerunt *ſedentem cum Cardinalibus, circumfundente* eum *tota Synodo Latinorum ...... ac ut primum os aperuit Nicænus* Metropolita, exinde Cardinalis Beſſarion, *Julianus* Cardinalis ſanctæ Sabinæ *alte vociferavit: Pronotarie, ſcribe*. Scripſit ergo Pronotarius *diligenter*. En porro Nicæni verba, non prout a Syropulo mendaciter & contradictorie, ſed prout in Actis Concilii referuntur, Edit. Lab. pag. 1163.

Lab. t. 13. p. 1160 &c.

Syrop.

Bougeant Trait. &c. pag. 502.

Beatiſſime & ſanctiſſime Pater ...... quoniam inter alias diſcuſſiones de differentiis inter nos, orta eſt dubitatio de conſecratione divini Sacramenti Euchariſtiæ,

riſtiæ, & aliqui ſuſpicati ſunt, nos & Eccleſiam noſtram non credere, illud Sacramentum confici per verba Domini noſtri, propter hanc cauſam, B. P. nos adſumus coram veſtra Sanctitate ..... Et quoniam ab omnibus SS. Doctoribus, maxime ab illo B. J. Chryſoſtomo, nos audivimus, verba Dominica eſſe quæ mutant & tranſubſtantiant panem in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem; & quod divina illa verba Salvatoris OMNEM VIRTUTEM *tranſubſtantiationis habent, de neceſſitate ipſum Doctorem, & eamdem ſuam ſententiam ſequimur*. Addidit Nicænus Præſul haud eſſe ignotum Græcis, ad Euchariſtiæ Sacramentum requiri materiam, *quæ debet eſſe panis triticeus, aut fermentatus, aut azymus; formam, quæ eſt iſta verba Salvatoris ſecundum ſententiam ſancti Joannis præfati*, &c. Ejuſdem declarationis autographum in theſauro Magni Hetruriæ Ducis, ab ipſo Concilii Notario ſubſcriptum reperit, & publici juris fecit Mabillonius: tum eo relato pergit: *Confeſſio hæc duas habet partes, nempe conſecrationem verbis Chriſti Domini confici, non precibus illis, quæ poſt verba ſacra fiunt a Græcis: atque his verbis panem & vinum in Chriſti corpus & ſanguinem mutari & tranſubſtantiari*. Muſæi Ital T. 1. pag. 243.

Ex iis, quæ, quia a P. le Brun haud parum permixta & turbata fuerant, latius referenda duxi, ſic in forma diſputo: Gravis ſane judicata eſt cauſa, non autem mera Scholæ opinio, propter quam pene corruit deſideratiſſima Latinorum cum Græcis unio; quæque ſemper eodem repoſita eſt ordine cum articulo de primatu Romani Pontificis: atqui ob controverſiam de qua agimus, pene corruit unionis negotium; nec id demum abſolvi potuit, donec palam & nitide profeſſi ſint Orientales, conſecrationem ipſis Domini verbis confici; ergo. Unde obiter dicam erraſſe Illuſt. Boſſuetum, qui rem a Florentinis Patribus in vado relictam eſſe tradidit.

At, inquies, ſi tanti momenti viſa ſit iſta hæc quæſtio, cur non inſtitere Latini, ut punctum illud, non ſecus ac alia in definitione fidei concluderetur.

R. id factum 1. ex prudenti œconomia, ut nempe conſuleretur honori Græcorum, quorum multi hactenus in re non ita difficili erraverant, nec tamen erraſſe videri volebant; 2. quia ſatis eſt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſi veritas in tuto ſit; erat autem hæc in tuto per eam quæ modo relata eſt Græcorum confeſſionem; cum & palam coram *tota Latinorum Synodo* emiſſa ſit, & Concilii juſſu, ſcriptis ad perpetuam rei memoriam mandata; 3. quia forte noluit Florentina Synodus articulum hunc velut fidei caput definire. Iſtud enim neque etiamnum fidei punctum eſſe cenſent plures Scholæ Pariſienſis Magiſtri, quos inter occurrit vir novitatum oſor clariſs. Tournely. Ut ut eſt, nec enim notæ hujus quæ hæreſim aſpergit, prodigus eſſe velim, mirum ſi debito honore Florentinos Patres proſequitur, qui ab eorum mente in præſenti negotio vel latum unguem recedit.

Obj. 1. Ea opinio admitti non poteſt, cujus oppoſitam per 12. ſæcula unanimiter docuere Patres: atqui opinionem aſſertioni noſtræ contrariam ..... Prob. min. ex ſelectis nonnullis textibus, qui in re aperta inſtar ceterorum eſſe poſſint. Irenæus Lib. 4. adverſus hæreſ. c. 34. *Panis*, inquit, *percipiens invocationem Dei, eſt Euchariſtia*. S. Cyrillus Jeroſol. Catech. 21. *Panis Euchariſtiæ poſt invocationem S. Spiritus non eſt communis pa-* Num. 3. pag. 317.

 nis,

Edit. nova. *nis, ſed corpus Chriſti*. Idem Catech. 23. quæ eſt quinta e Myſtagogicis: *Deum*, inquit, *exoramus ut emittat S. Spiritum ſuper* dona *propoſita, ut faciat quidem panem corpus Chriſti, vinum vero ſanguinem Chriſti*. S. Baſilius Lib. de Spir. S. c. 27. *Invocationis verba in confectione panis Eucharistici, & benedictione calicis, quis Sanctorum nobis reliquit* ſcripto? *Non enim his contenti ſumus, quorum Apoſtolus aut Evangelium mentionem facit; ſed ante & poſt dicimus alia, velut magnam vim ad myſterium habentia, quæ & doctrina ſcripto non tradita accepimus*. S. Auguſtinus Lib. 3. de Trinit. c..... *Corpus Chriſti & ſanguinem dicimus illud tantum, quod .... prece myſtica conſecratum rite ſumimus*. De ceteris adi P. le Brun cit. diſſert. 10. pag. 245. & ſequent.

R. ad 1. neg. min. nam 1. ſi aperte, ut quidem Brunio videtur, per ſæcula XII. docuerint SS. Patres, conſecrationem non minus invocatione perfici quam Chriſti verbis, tam de fide eſt invocationem requiri, quam prædicta Chriſti verba: nullibi enim unum præ alio definitum eſt, niſi in Florentina Synodo, quæ Brunio non eſt œcumenica: atqui ſi de fide ſit conſecrationem invocatione, non ſecus ac verbis Evangelicis confici, neceſſum eſt ut tota in errorem fidei contrarium lapſa ſit Eccleſia a quinque ad minus ſæculis; cum ex tunc oppoſitam opinionem unanimi pene calculo tradiderint Theologi; 2. qui fieri potuit ut Scholaſtici, qui certe Patrum Opera terebant, ut ex illorum Scriptis liquet, nullibi deprehenderint, id quod ubique deprehendit Brunius? qui factum eſt ut veræ fidei ſcientia nonniſi apud Græcos ſchiſmaticos, demptis Catholicis quibuſdam, ut Catharino, & Capite Fontio permanſerit? hæc profecto voratu difficilia ſunt.

Ad 2. admiſſis textibus nego conſeq. & dico apud antiquos Patres per invocationem aut benedictionem nihil aliud pene ſemper intelligi, quam ipſa Domini verba, quibus conficitur Sacramentum, etiamſi verba hæc nihil veræ orationis habeant. Id autem ne gratis dictum videatur, ex ipſis Patrum textibus probandum eſt. Et 1. patet id ex Irenæo, qui quod ſemel vocat invocationem, alibi nec ſemel vocat *verbum Dei*; 2. ex Cyrillo Jeroſol. hæc ille Catech. 3. de Bapt. *Deſcendis quidem in aquam ferens peccata, ſed gratiæ* INVOCATIO *animam obſignans, non te permittit ab immani ſorberi dracone*: atqui in eo Cyrilli loco vox *invocationis* ipſam exprimit Baptiſmi formam, quæ Græcis perinde ac Latinis abſoluta eſt, non autem deprecativa, ut alibi * probavimus; ergo. 3. ex Ambroſio qui Lib. 2. de Sacram. c. 5. Baptiſmi formam Latinis indubie abſolutam, invocationis nomine deſignat. *Sacerdos*, inquit, *precem dicit ad fontem* ..... INVOCAT *Patris nomen, præſentiam Filii & Spiritus ſancti, utitur verbis cæleſtibus. Cæleſtia verba quæ ſunt? Quod baptizemus in nomine Patris*, ubi oratio & invocatio, ipſiſſima ſunt verbi cœleſtis, ſeu formæ baptiſmalis recitatio; 4. ex Auguſtino, qui Lib. 6. de Bapt. c. 20. hæc loquitur: *Quomodo exaudit homicidam* DEPRECANTEM *vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam*: ubi deprecari ſuper aquam, eſt formam Baptiſmi proferre; 5. demum, ne nimius ſim, ex S. Joanne Damaſc. Hæc ille Lib. 4. de fide orthod. c. 9. *Etſi Apoſtolus dicit, In Chriſtum & in mortem ipſius baptizati ſumus, non tamen hoc vult, Baptiſmi invocationem ex his verbis debere conſtare*; ergo in ſtylo Damaſceni hæc Apoſtoli verba: *In Chriſtum & in mortem ipſius baptizati ſumus*, invocatoria dici poſſunt, licet non ea in-

* Tom. 7. pag. 579.

ea invocationis ſpecie, quæ pro Baptiſmo conſtituta ſit. Pergit Damaſcenus: *Aquam* INVOCATIO PER VERBUM *comitatur:* ubi verborum ſeu formæ pronuntiatio apertiſſime invocatio nuncupatur.

Neque vero mirum cuipiam accidere debet, invocationis vocabulum ad ſignificationem ſatis alienam flecti. Id nempe in aliis pluribus locum habet. Sic corpus Chriſti vocatur *Euchariſtia*, ideſt *gratiarum actio*, & tamen gratiarum actio a ſubſtantia late diſcrepat. Sic orationes quæ Euchariſtiæ conſecrationem ſtipant, dicuntur *Canon*, & tamen Canon, regulam ſignificat. Sic ſacrificium totam *Miſſam* dicimus, etſi, juxta plures, Miſſa ſit populi dimiſſio.

Inſt. 1. Qui ad conſecrationem, & Chriſti verba, & invocationem ab iis diſtinctam requirunt, haud utique invocationem ſumunt pro ipſis Chriſti verbis: atqui Patres ſaltem aliqui invocationem requirunt ut diſtinctam a verbis Chriſti. Prob. min. 1. ex citato S. Baſilii textu, ubi invocationis verba & neceſſaria ſunt ad conſecrationem, & utpote ſcripto non relicta, penitus diſcrepant a verbis Evangelicis quæ ſane ſcripta ſunt; 2. ex S. Joanne Damaſceno L. 4. de fide orthod. c. 14. ubi ſic: *Dixit* Deus *in principio: Producat terra herbam virentem; & uſque nunc imbre ſuperveniente producit ſua germina, divino impulſa & roborata præcepto. Dixit Deus: Hoc eſt corpus meum*, &c. *& omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur, &* PER INVOCATIONEM *virtus inumbrans Spiritus ſancti ſit imber huic novæ ſegeti*. Ubi invocatio ſe habet ad verba Chriſti, quantum ad tranſubſtantiationem, ſicut imber ad mandatum Dei ſe habet, quantum ad virentis herbæ productionem.

R. 1. aliud eſt unius aut alterius Patris ſuffragia habere, aliud perpetuam ſæculorum duodecim traditionem. Eſto igitur pro adverſariis militent Baſilius, Joan. Damaſc. & alii forte nonnulli: an potior erit eorum auctoritas, quam Latinæ, imo & Græcæ Eccleſiæ in Synodo Florentina?

R. 2. diſt. min. requirunt Patres invocationem, ut quid valde utile ad myſterium, idque non eodem ſenſu ac adverſarii, C. ut ipſam conſecrationis formam partialem, N. Fateor itaque preces ex quibus conficitur Liturgia *vim magnam* habere ad myſterium; eæ enim ad ſacrificii majeſtatem, Sacerdotis ac populi amorem inflammandum, ejuſque utilitatem non parum conducunt. Imo, juxta non paucos, ſunt conditiones ſine quibus non conſecraret Sacerdos, quia noluerit Chriſtus elementa tranſmutari, niſi a Miniſtro debite ſacris operante; quique & ſuam & Eccleſiæ intentionem certo ritu declararet. At nego in mente Baſilii eaſdem preces habere ſe per modum formæ etiam partialis: 1. quia, juxta Brunium, eæ duntaxat preces ad conſecrationis ſubſtantiam pertinent apud Græcos, per quas, poſt prolata Chriſti verba, precatur Sacerdos ut dona fiant corpus & ſanguis Chriſti: atqui non de his tantum precibus loquitur S.Doctor, ſed & de iis etiam quæ præcedunt; ergo. 2. quia preces illas, ſeu, ut loquitur Baſilius, *Prolegomena*, & *Epilegomena*, comparat idem S.Pater, ac in eodem reponit ordine cum aliis pluribus in Sacramentorum confectione adhiberi conſuetis, qualia ſunt baptiſmalis aquæ benedictio, unctio olei quo ungitur baptizatus, exorciſmi varii, crucis ſignum, aliaque id genus: atqui hæc licet vim ſuam habeant, nec perperam adhibeantur, haud tamen eſſentialia ſunt Baptiſmo; ergo.

Quod attinet ad S.Joan. Damaſcenum, dico iſthæc ejus verba, *per invocationem*, idem eſſe ac *per invocationem hanc*, ideſt per prædicta Chriſti verba, quæ, ut vidimus, invocationis nomine a Patribus non raro vocitantur. Quoniam vero conſtat nihil Græcis Scriptoribus familiarius eſſe, quam ut pronomen *hoc*, vel *illud* reticeant, ſupereſt ut reticentiam hanc in præſenti caſu agnoſcendam eſſe oſtendamus. Id autem evinci poteſt, 1. quia alioqui abſurde ratiocinatur Damaſcenus. Sic enim diſcurrit juxta adverſarios: * *Si ſermo Dei vivus eſt & efficax, & omnia quæcumque voluit Dominus fecit. Si dixit: Fiat lux & facta eſt: Fiat firmamentum, & factum eſt: Si verbo Domini cœli firmati ſunt*, &c. ergo pariter verbum ſeu oratio hominis elementa tranſmutare debet. Quid autem eo diſcurſu ineptius, in quo a divini verbi efficacia ad parem humani verbi efficaciam concluditur; imo in quo ſua verbo divino ſubtrahitur efficacia, cum verbum illud ab hominis prece ſejunctum nihil operari poſſe ſupponatur? 2. quia ibidem comparat Damaſcenus myſterium tranſubſtantiationis cum myſterio Incarnationis: atqui in iſto *virtus inumbrans Spiritus ſancti* ſuum abſque humanæ cujuſcumque precis interventu effectum habuit; ergo a pari, &c. 3. quia Samonas Gazæ Archipræſul, Dialog. cum Muſulmano, ubi totum pene hunc Joannis Damaſceni locum refert, pro *invocatione* legit, *divina inſpiratione & acceſſu Spiritus ſancti*: quis porro flatum ſeu Spiritus S. inſpirationem cum prece humana confundat?

Bougeant Traité p. 98.

* Verba Joan. Damaſc.

Inſt. 2. atqui SS. Patres orationem perinde ac Chriſti verba ad conſecrationem requiri ſanxerunt. Prob. ſubſ. Concilia mentem Patrum melius aſſecuta ſunt, quam privati Doctores: atqui Concilia non aliter ſanctos Patres intellexere quam Græci. Prob. min. ex Concilio Romano an. 1079. ſub S. Gregorio VII. ubi huic formulæ ſubſcribere juſſus eſt Berengarius: *Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari*, PER MYSTERIUM SACRÆ ORATIONIS, *& verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & ſanguinem Jeſu Chriſti; & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus*, &c. ubi quiſquis non ſit oculis læſus, ſtatim perſpexerit, orationem & Evangelica verba pari gradu ad conſecrationem concurrere.

Tom. 10. Conc. p. 378. E.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2 neg. min. ad 3. dico iſtud Concilii Romani, *& verba Redemptoris*, nihil eſſe aliud quam expoſitionem præcedentis membri; adeoque contextus totius hunc eſſe ſenſum, panem tranſubſtantiari *per orationem ſacram, ideſt, per verba Chriſti;* ac proinde nihil a Concilio definitum eſſe, quod vel Græcis faveat, vel opinioni noſtræ adverſetur. Scilicet enim verba Concilii eo intelligenda ſunt modo, qui & communi Patrum ejuſdem ſæculi ſententiæ congruat, & ſequentium ſeu Scriptorum ſeu Conciliorum fidem direxerit. Quis enim credat Romanos Patres, vel aliud docuiſſe, quam tunc paſſim crederetur; vel id docuiſſe quod nemo deinceps crediderit? Atqui nemo unus adduci poteſt, qui, circa Berengarii tempus, docuerit, verba Chriſti ad conſecrationem non ſufficere. Nulla poteſt exinde proferri Synodus, quæ orationem ad Sacramenti eſſentiam pertinere ſanxerit. Imo oppoſitum docuere tum præcipui Berengariani erroris impugnatores, tum & quæ paſſim deinceps habitæ ſunt Synodi; licet nulli earum ignota fuerit, quæ Orbem totum permeavit, Berengarii confeſſio. Minor pro prima parte liquet ex textibus non Hincmari tantum, ſed & Guitmun-

Digitized by Google

mundi, Lanfranci, Algeri Cluniacenſis, Hildeberti, & aliorum, quos fuſe refert * Bugentius. Eadem minor quoad Concilia pertinet, manifeſta eſt ex habitis poſtea Conciliis, quorum aliquot ſupra citavimus; ergo. Nec nocet quod ſit forte pleonaſma Romano Concilio attribuamus: Quandoquidem non raro paria in Conciliis occurrant, utique ſatius fuerit ſuperfluam in textu Concilii vocem agnoſcere, quam eidem ſenſum ab unanimi aliorum ſenſu diverſum adſcribere.

* *Traite, 1. part. p. 208 & ſeq.*

Obj. 2. In iis verbis non conſiſtit Euchariſtiæ forma, quibus prolatis nondum facta eſt tranſubſtantiatio: atqui prolatis a Sacerdote verbis: *Hoc eſt*, &c. Prob. min. ex omnibus Orientalium Liturgiis, quæ poſt prolata hæc verba, precem hanc fundunt: *Fac quidem panem hunc, pretioſum corpus Chriſti tui*. Ita Liturgia S. Chryſoſtomi, quibus congruunt aliæ omnes ad unam: ut Jacobi, Marci, Clementis, Baſilii, &c.

R. ad 1. neg. min. ad 2. R. 1. neg. conſeq. non enim ſufficit ut Orientalium Liturgiæ omnes id habeant quod objicitur, niſi & id habeant Liturgiæ omnino omnes Catholicæ. Si enim deſit vel uni invocatio, perſpicuum eſt, eam non eſſe de neceſſitate Sacramenti: atqui conſtat invocationem in omnibus omnino Liturgiis non reperiri, nec ſemper in iis fuiſſe ubi nunc reperitur. Et quidem 1. docet S. Gregorius Magnus Lib. 7. Epiſt. 63. Apoſtolos per ſola Chriſti verba, quibus orationem Dominicam addebant, conſecraſſe. Idem docent Honorius Auguſtodunenſis in *gemma animæ;* Valafridus Strabo Lib. 22. Hiſtor. Eccleſ. Rupertus Lib. 2. de divin. Offic. c. 21. & Cardin. Bona, * qui tamen Apoſtolos non ſemper brevem hanc Liturgiæ formam, ſed tunc tantum cum urgerent vel miniſterii officia, vel perſecutionis æſtus, ſervaſſe prudenter conjectat. Quod autem Gregorium hic aberraſſe contendit Brunius, facilis quidem eſt reſponſio, ſed quæ niſi valide & poſitive probetur, haud ſit admittenda; 2. vetus Eccleſiæ Gallicanæ Liturgia, quæ ſæculis octo viguit, in Miſſis pluribus, quæ a Cardinalibus Bona, & Thomaſi relatæ ſunt, ne umbram quidem habet invocationis. Sic Miſſa Natalis Domini, poſt *Sanctus*, hæc tantum habet: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia appropinquavit redemptio noſtra: venit antiqua expectatio gentium; adeſt promiſſa reſurrectio mortuorum; jamque præfulget æterna expectatio Beatorum, per Chriſtum Dominum noſtrum, Qui pridie quam pro noſtra omniumque ſalute pateretur*, &c. Nec ulla deinceps fit Græcorum more invocatio; 3. ſanciunt Miſſalium omnium Rubricæ, ut *ſi Sacerdos poſt conſecrationem advertat*, hoſtiam eſſe corruptam aut non triticeam, *etiam poſt illius ſumptionem, poſita alia, faciat oblationem ut ſupra, & a conſecratione incipiat, ſcilicet ab his verbis: Qui pridie quam pateretur:* atqui ſi ad conſecrationem neceſſaria foret invocatio de qua loquimur, Sacerdos non ab his tantum verbis: *Qui pridie*, &c. ſed & ab iſtis ſaltem, *ut nobis corpus fiat & ſanguis*, &c. incipere deberet; ergo. Hanc equidem Rubricam emendari cupiat Brunius, uti Scholaſticæ opinionis fœtum. Sed male: quæ enim Rubrica in Ambroſiano etiam Miſſali occurrit, & in Occidente toto a tanto tempore ſervatur, ut initium ejus aſſignari nequeat, nonniſi perperam in periculoſæ novitatis ſuſpicionem venire poteſt. His præmiſſis inutile eſt Orientalium Liturgiarum examen: jam enim conſtat eas, quocumque tandem intelligantur ſenſu, ad recentiorum Græcorum men-

Bougeant 2. p. pag. 137.

* *Berum Liturg. L. 1. c. 5.*

tem intelligi non poſſe ; niſi forte non aliter apud Græcos , aliter & apud Latinos Euchariſtia conſecrari dicatur ; quod ne Brunius quidem admiſit . Ne quid tamen in materia admodum implicata deſit labori noſtro ,

R. 2. diſt. ant. Liturgiæ Orientales poſtulant ut Deus ex pane faciat corpus Chriſti , faciat , inquam , ſalutare ſuſcipientibus , C. faciat abſolute & ſimpliciter , quaſi necdum exiſteret , N. itaque ſi phyſicam panis converſionem poſtulent Liturgiæ Orientales , eſto vicerint Græci ; ſi vero moralem tantum , & quæ ad ſuſcipientes relativa ſit , vicimus Latini : atqui moralem tantum poſtulant, non phyſicam : 1. quia id ſaniores quique Græci in Florentina Synodo confeſſi ſunt , ut vidimus ; 2. *Bouget-ant pag. 211.* quia in Liturgia Æthiopica , ſtatim ac prolata ſunt verba Chriſti , etſi necdum prolata ſit invocatio , exclamat populus : *Amen , amen , amen . Credimus & confitemur & laudamus te , o Domine , Deus noſter : hoc eſt vere corpus tuum ;* 3. quia teſte Arcudio , qui ut Græcus erat , Græcæ Ecclesiæ ritus ignorare non potuit , mox ut prolata ſunt a Sacerdote verba Chriſti , adſtantium plerique hanc privatim emittunt fidei confeſſionem : *Credo , Domine , & confiteor , quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi , qui veniſti in hunc mundum ſalvos facere peccatores , quorum primus ego ſum .* *Arcud. Lib. 3. cap. 25. de Euch* Unde autem confeſſio hæc , niſi quia ab initio creditum ſit Evangelica verba præſentiam redemptoris operari ? 4. quia in utraque SS. Baſilii & Chryſoſtomi Liturgia , ſtatim a prolatis Chriſti verbis ait Sacerdos : *Tua ex tuis tibi offerimus :* atqui iſtud : *Tua ex tuis* nihil aliud quam ſubſtantiam ex alia ſubſtantia productam ſignificare poteſt ; 5. quia in Cophtica S. Baſilii Liturgia Sacerdos ante invocationem Chriſtum tanquam qui jam præſens ſit , alloquitur & adorat his verbis : *Rogamus te Chriſte Deus noſter , & adoramus te .* Ex his porro quæ aperta ſunt , explicari debere quæ in nonnullis Liturgiis obſcura eſſe poſſint , nemo ſanus diffiteatur .

Apud Gobar p. 466. Inſt. 1. Liturgia S. Baſilii hæc habet : *Panem quidem hunc fac pretioſum corpus Domini .... hunc vero calicem pretioſum ſanguinem Domini* , &c. *Nos autem omnes qui de uno pane & calice participamus , junge ad invicem in unius Spiritus ſancti communionem ; & fac ut nemo noſtrum ad judicium vel condemnationem ſit particeps ſancti corporis & ſanguinis Chriſti tui :* atqui hic utraque converſio , phyſica nimirum & moralis, aperte poſtulatur ; ergo .

Idem habet Chryſoſtomi Liturgia , ubi poſt verba iſthæc : *Fac quidem* *Ib. p. 37.* *panem hunc pretioſum corpus Chriſti tui .... IMMUTANS Spiritu ſancto tuo* , pergit Miniſter , *ut fiat accipientibus in ſobrietatem animæ ad remiſſionem peccatorum* . Ubi poſtulatur 1. ut panis immutetur in corpus Chriſti ; 2. ut idem corpus fiat accipientibus ſalutare ; ac proinde diverſa duo poſtulantur , non unum , ut ſupponimus .

R. neg. min. & dico ſupponi econtra in iis Liturgiis converſionem phyſicam. Siquidem vox græca , *μεταβαλών*, quam Græcus interpres vertit , *immutans* , eſt in aoriſto ſecundo participii , & tempus præteritum denotat ; adeoque reddi debet : *Qui immutaſti ea Spiritu ſancto tuo* . Unde hunc Liturgiæ ſenſum tribuit Arcudius: *Tu , Deus noſter , qui mirabili virtute tua & Spiritu ſancto tuo jam tranſmutaſti panem iſtum , & propterea eſt pretioſum corpus Chriſti tui ; fac ut is fiat communicantibus in mundationem animæ ,*

Digitized by Google

animæ, &c. Eadem eſt Græci alterius, Rodini nomine, interpretatio ad fidem Codicum melioris notæ adornata. Sic ille cum Parethenſi legit & vertit: *Fac quidem panem iſtum pretioſum corpus Chriſti, & quod eſt in calice, pretioſum ſanguinem Chriſti tui (tranſmutaſti enim ea Spiritu tuo ſancto) eſſe ſuſcipientibus ad animæ ſobrietatem:* atqui juxta hanc Græcorum duorum expoſitionem, Liturgiæ Græcæ non modo nihil Latinorum aſſertioni nocent, ſed & plurimum opitulantur; ergo. Ita Gab. Muſſon e Regia Societate.

Inſt. 2. Atqui ſolutio hæc a recentioribus Græcis adinventa, & ipſi Baſilii Liturgiæ, & veteribus Græcis repugnat; ergo. Prob. ſubſ. Ut ſolutio noſtra & Liturgiæ Baſilii & veteribus Græcis repugnet, duo ſufficiunt, 1. ut S. Baſilius dona propoſita *antityporum* nomine donet ante invocationem; 2. ut juxta Græcos veteres dona ſemel plene & perfecte conſecrata nunquam vocentur antitypa: atqui conſtat 1. dona ante invocationem a S. Baſilio vocari antitypa. Sic enim in ejus Liturgia poſt recitata Chriſti verba proſequitur Sacerdos: *Sancto altari tuo appropinquamus, & proponentes Antitypa ſancti corporis & ſanguinis tui .... te rogamus & obſecramus ut Spiritus ſanctus tuus ad nos veniat, & ad hæc propoſita dona .... & efficiat panem quidem corpus*, &c. 2. nec minus conſtat dona apud Græcos veteres nunquam vocari antitypa poſt conſecrationem. Id enim diſerte tradit Epiphanius Diaconus Act. 6. Concilii Nicæni II. ubi *Tom. 7.*
hunc Baſilianæ Liturgiæ locum explicans, ſic habet: *Quod infertur, cer-* *Conc. p.*
tiorem Patris hujus, Baſilii, *perfecit intellectum, qualiter* dona *antequam ſan-* *450.*
ctificata fuerint, vocata ſint typi; poſt ſanctificationem vero corpus proprie & ſanguis Chriſti dicuntur, ſunt & creduntur. Hæc autem plena Synodo, nemine reclamante, prolata, invicte demonſtrant, panem Euchariſticum nonniſi ante conſecrationem antitypi nomen habuiſſe. Idem expreſſe docet S. Joannes Damaſcenus in textu a nobis ſupra * citato; cui haud * *Supra*
multum innitemur, quia hunc adjectitium eſſe opinantur Card. Beſſa- *p.* 252.
rion, Turrianus, & P. Bougeant, *Traitè* 2. *p. p.* 4.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. diſt. min. S. Baſilius dona vocat *Antitypa*, facta alluſione ad id quod erat ante prolata Chriſti verba, quo ſenſu nos quotidie hoſtiam conſecratam dicimus panem, quia antea panis erat, C. vocat *Antitypa* ſpectato præſenti eorum ſtatu, N. itaque S. Baſilius cum donis nomen antityporum tribuit, ea tantum ſpectet ſecundum ſtatum in quo erant, cum primum in eo minori altari poſita ſunt, quod Græci *protheſim* * dicunt, non autem juxta ſtatum in quo ſunt, cum translata ad *apotheſim*, per verba Chriſti ſanctificata ſunt, jam profecto nihil ex ejus textu adverſum nos concludi poteſt: atqui S. Baſilius reipſa hoc ſenſu loquitur. Siquidem græca vox προθέντες τὰ ἀντίτυπα, quam Interpres Latinus vertit *proponentes*, cum ſit in aoriſto ſecundo participii, præteritum indeterminatum ſignificat, adeoque verti debet per *qui propoſuimus;* præſertim cum

* Græci duplicem menſam habent, ſeu altare duplex. Priori inditum nomen protheſis, ſeu propoſitionis, poſteriori, nomen apotheſis ſeu depoſitionis. In protheſi proponuntur dona conſecrationi deſtinata; at inde multo cum apparatu, poſt recitata vel decantata multa, quæ præcipiunt Liturgiæ, deferuntur ad apotheſim. Protheſis idem pene eſt quod *credentium* dicimus, apotheſis, id quod nobis majus altare. Horum figuram reperies apud P. le Brun.

cum in omnibus Orientalium Liturgiis inauditum ſit, ut prothesis ſeu *propoſitio* fiat in ipſo apotheſis altari; & aliunde S. Baſilius de *propoſitione* ut præſenti loqui non poſſit, cum paucis ante lineis de eadem ut præterita locutus ſit, per verbum, *Propoſuimus*. His præmiſſis nullam quoad præſens caput difficultatem habent verba Epiphanii Diaconi. Is enim ſtatim ut intellexit Baſilii verba ut intelligi debent, ideſt prout ſignificationem præteritam habent, dicere potuit tunc ſolum dona dici antitypa, cum nondum ſanctificata ſunt.

Id tamen bona fide confitendum eſt erraſse hic Epiphanium: conſtat ſiquidem plures e Patribus dona etiam plene conſecrata nomine antityporum donaſse, prout oſtendunt Billius in Gregorium Nazianz. Harduinus Tract. de Sacram. altaris, & conſtat ex textibus pro reali præſentia paſſim ſuperius adductis. Neque hinc vel reali eidem præſentiæ, vel Nicæno Concilio II. quidquam deperit. Non præſentiæ reali, quia, ut ſuo loco obſervatum eſt, Patres qui Euchariſtiam dixere antitypum, hanc ſecundum externam partem ſpectavere, itaut hæc antitypum ſit, ſed plenum corporis & ſanguinis Domini. Non Nicæno Concilio, quia non quidquid dicitur in Conciliis, Conciliorum eſse cenſetur; ut vel ex iſto hoc Concilio alibi probabimus. Ceterum noſtra hæc Baſilianæ Liturgiæ expoſitio tota eſt Card. Perronii, Tract. de Euch. p. 299.

Inſt. 3. Ceteræ Orientis Liturgiæ non alium habent ſenſum quam Armena: atqui Armenæ Liturgiæ termini & Rubrica expreſse monent, tunc *demum perfici corpus & ſanguinem Chriſti*, cum invocatio completa eſt; ergo.

R. 1. neg. maj. id enim ſingulare habet Armena Liturgia, 1. quod per Rubricam mox allatam excludere videatur ſolutiones hactenus datas, quas non excludunt Liturgiæ ceteræ, ut ex probatis colligere eſt; 2. quod eruditi complures vel invocationem in ea Liturgia tranſpoſitam putent, vel ad malum ſenſum a Rubrica determinatam; 3. quod hunc ejuſdem Liturgiæ locum inter multos Armenorum errores jam ab an. 1341. recenſuit Benedictus XII. apud Raynaldum ad hunc annum, n. 68. Tom. 16. unde hunc Liturgiæ articulum an. 1670. emendarunt in editione Romana Romani Correctores, & loco phraſis hujus: *Vere facias corpus*, &c. appoſuerunt: *Corpus & ſanguinem feciſti*, &c. At, ſiquidem dederit Deus, nobis ſolutione hac opus non erit. Unde & Liturgiam primo, ac deinceps Rubricam fauſto ſenſu interpretabimur. Itaque

R. 2. neg. min. ideo enim ipſius Liturgiæ termini monerent conſecrationem necdum peractam eſse, quia iis petitur ut Deus panem & vinum vere faciat corpus & ſanguinem Chriſti ſui: atqui hæc ratio nulla eſt quam maxime: 1. propter hactenus datas ſolutiones, quæ hic recurrunt; 2. (eaque nova erit ſolutio) quia juxta Scripturæ & Eccleſiæ phraſim, moris eſt, ut quæ exoptamus impenſe, etiam poſtquam iis frui datum fuerit, ſancta quadam impatientia poſtulemus, ac ſi nondum eſsemus aſsecuti; ſeu ut Deus liberalitatem ſuam ſtabiliat & confirmet; ſeu quia id quod obtinuimus, tanti eſt pretii, ut id, etſi propriis oculis intueamur, vix ac ne vix quidem obtinuiſse credamus. Sic Rex Propheta etſi ab initio Pſal. 4. ſe a Deo exauditum eſse conteſtatus ſit his verbis: *Cum invocarem exaudivit me Deus*, ſubjicit continuo quaſi necdum voti compos: *Miſerere*

mei,

mei, & exaudi orationem meam. Sic petimus ut *fiat voluntas* Dei, etiam in his in quibus jam impleta eſt; item ut Chriſtus Eccleſiæ ſuæ perpetuo adſit, etſi jam conſtat nobis hunc ipſi non eſſe defuturum. Sic poſt prolatam Baptiſmi formam, qua profecto collata eſt Spiritus ſancti gratia, gratiam hanc conferri precantur Græci, Syri, Cophtæ, Æthiopes, idque olim apud Latinos erat in uſu: unde notat doctiſs. Renaudot, *Vetuſtiſſimam, omnibuſque Eccleſiis etiam Occidentalibus commmem diſciplinam dudum fuiſſe, ut inter ſacra Officia, non modo ante Sacramentum perfectum, ſed poſtea preces fiant ad Deum, quaſi nondum quod Eccleſia poſtulat, factum fuiſſet*. Sic Liturgiæ Gallicana & Gothica * quæ ut jam obſervavimus, pluribus in Miſſis nullam habebant invocationem, eamdem in aliis quibuſdam poſt prolata Chriſti verba habebant, proindeque ut non neceſſariam. His jungunt aliqui praxim Chriſti ipſius, qui quandoque ſe geſſit perinde ac ſi non feciſſet id quod jam fecerat. Sic licet jam *ſiccatus* eſſet *fons ſanguinis* feminæ illius, quæ Chriſti veſtimentum tetigerat, Marci 5. 29. ait tamen ad eam Dominus: *Eſto ſana a plaga tua*. Sic etſi mulieri peccatrici jam remiſſa erant peccata ſua, Luc. 7. 47. *Dixit* tamen *ad illam* Jeſus v. 48. *Remittuntur tibi peccata*. Quidni ergo Orientales de re jam facta perinde loquantur ac ſi nondum peracta foret.

Inſt. 4. Juxta noſtram hanc ſolutionem conſecratio prorſus perfecta eſt ante invocationem: atqui ex Rubrica Armena, tunc *demum perficitur* conſecratio, ſeu *corpus & ſanguis Chriſti*, cum invocatio prolata fuerit; ergo ſolutio noſtra Liturgiæ Armenæ prorſus contradicit.

R. neg. maj. & dico conſecrationem quoad eſſentiam quidem compleri per Chriſti verba, ſed non perfici in ſenſu Græcorum niſi per invocationis preces. Quemadmodum ergo in phyſicis habet quandoque homo id omne quod ad hominis ſubſtantiam pertinet, nec tamen ſemper id habet quod ad perfectionem ejus ſeu integritatem requiritur; ita & apud Græcos, aliud eſt eſſentia ſimplex Sacramenti, aliud perfectio ejus. Ad eſſentiam ſufficit poſitio rei ipſius; ad perfectionem requiritur inſuper ut eadem res finem ſuum conſequatur. Porro Euchariſtiæ finis eſt ut ſuſcipientibus ſalutaris ſit: id autem a Spiritu ſancto, non in Euchariſtia tantum, ſed & in aliis Sacramentis poſtulant Græci; unde in Cophtica S. Baſilii Liturgia orat Sacerdos, *ut adveniens* Spiritus *efficiat panem iſtum*, non ſimpliciter *corpus*, ſed *corpus vivificum*, *corpus ſalutare*, *corpus cæleſte*, *corpus animabus & corporibus ſalutem præſtans*, *corpus Domini Dei & Salvatoris noſtri J. C. in remiſſionem peccatorum & vitam æternam accipientibus illud*. De his adi P. Bougeant part. 2. pag. 251. & ſeq.

Inſt. 5. Græcorum Liturgiam nemo melius explicare poteſt quam Græci: atqui Græcorum ſapientiores exiſtimant conſecrationem ad minus partialiter confici per invocationis preces. Ita enim ſentiunt Cabaſilas, Simeon Theſſalonicenſis, Gabriel Philadelphienſis, & cum aliis plurimis Marcus Epheſinus, vir ut & eruditione, ſic & ſanctitate morum inſignis; ergo.

R. 1.

* Vetus Hiſpaniarum Liturgia, & Gothica & Mozarabica nuncupata eſt; Gothica quidem quia ea primum uſi ſint Gothi Hiſpaniæ invaſores; Mozarabica vero quia Chriſtiani qui ſub dura Maurorum ſervitute jam ab octavo ſæculo vixerunt, vulgo Mozarabes, ideſt Arabes externi, nominati fuere. *Le Brun Tom. 2, diſſert. 5. art. 1.*

R. 1. neg. maj. abſit enim ut Græci erroribus variis ac ſchiſmati tot ab annis miſere mancipati, quique utplurimum in levioribus aloæ quæſtionibus incerti hærent, ſua melius intelligant quam Latina Eccleſia, ubique florens, ubique a Spiritu ſancto illuſtrata.

R. 2. neg. min. conſtat enim ex brevi quam ſupra texuimus Florentini Concilii Hiſtoria e Græcis alios quidem neſciiſſe quid hac de quæſtione ſentiendum foret; alios non aliud a Latinis ſenſiſſe. Imo ad hanc quoque ſententiam facile adduci poteſt Marcus Epheſinus. Is enim in ſpeciali ea de re Tractatu: *Verba*, inquit, *quæ apud omnes in modum narrationis recitantur .... virtutem oblatis donis ingerunt, ut transmutentur;* & iterum fatetur, *has Chriſti voces vim propriam ſuam ſervare; Sacerdotis vero poteſtatem miniſterium omne complere per Spiritus invocationem, quæ in omni Sacramento adhibetur:* ubi non aliter neceſſaria eſt in Altaris Sacramento invocatio S. Spiritus, quam in ceteris Sacramentis: atqui invocatio licet quibuſdam in Sacramentis neceſſaria, haud tamen neceſſaria eſt in omnibus, ſed meri complementi rationem habet; ergo a pari. Idem de Cabaſila Gabriele, aliiſque in objectione oſtentatis probari facile poſſit, ſi res tanti foret. Verum ut his argumentis præcludatur via, ſic paucis interrogo: Vel qui opponuntur e Græcis, ſchiſmatici ſunt, vel non. Si 1. nulla eſt eorum auctoritas, a noſtris enim, non ab exteris divina dogmata quærimus. Si 2. aliorum multo graviori judicio corrigendum eſt, quod illi male ſenſerunt. Ceterum ſi Marcus Epheſinus plurimam ab eruditione, ſeveriſque moribus laudem meruit, æternum ab inexorabili pertinacia, quæ gentem totam in priſtinos ſchiſmatis fluctus revolvit, ſibi dedecus & opprobrium comparavit.

Obj. 3. S. Gregorius Papa Lib. 9. Epiſt. Ep. 12. alias 64. ait hunc primitus Apoſtolorum morem fuiſſe, *ut ad ipſam ſolam* Domini *orationem oblationis hoſtiam conſecrarent:* atqui ſi Chriſti verba ad conſecrationem neceſſaria fuiſſent, Apoſtoli non conſecraſſent per ſolam orationem Dominicam; ergo.

R. diſt. maj. S. Gregorius ait Apoſtolos ad ſolam Domini orationem conſecraſſe, ideſt præmiſſa ſolum ante conſecrationem oratione Dominica, C. ideſt per ipſam orationem Dominicam, N. Non expendit eo loco Gregorius quæ ſit, vel non ſit forma conſecrationis; ſed probat in Liturgia male aliquando omiſſam fuiſſe orationem Dominicam; quandoquidem eam ſemper inter ſacra recitaverint Apoſtoli; imo quandoque ſolam ante inſtitutionis verba; cum nempe vel anguſtia temporis, vel loci inopia a prolixiori Liturgia abſtinere cogebat.

Obj. 4. Verba inſtitutionis vel hiſtorice ſeu narrative proferuntur a Sacerdote, vel ſignificative: atqui neutro modo conſecrare poſſunt. Non priori, quia ſimplex hiſtoriæ recitatio nullam involvit applicationem formæ ad materiam. Non poſteriori; ſic enim non Chriſti, ſed Sacerdotis corpus ſignificarent; ergo.

R. verba Chriſti & hiſtorice & ſignificative recitari. Hiſtorici quidem, ut liquet ex Canonis contextu: *Qui pridie quam pateretur*, &c. ſignificative vero quia Sacerdos in Chriſti perſona loquens, id per ejus verba operari intendit, quod ipſe Chriſtus operatus eſt: unde non ſuam ſed Chriſti perſonam ſignificat Sacerdos, quia & Chriſti perſonam induit. Ut autem

eadem

eadem verba recitative ſimul & ſignificative proferantur, ſufficit intentio duplex: altera narrandi quod dictum eſt, altera exercendi ſignificationem verborum: id autem facile eſt. Sic ſi Beatus Antonius, cum a dæmone tentaretur, reſpondiſset: *Dixit tibi Chriſtus, quod & ego dico: Vade retro Satana*, recitative ſimul & ſignificative, ſeu, ut ajunt nonnulli, aſſertive locutus fuiſset. Et vero ſi Chriſti verba recitative ſolum proferrentur, haud neceſse foret materiam eſse præſentem; quia vere ſemper recitarentur, etſi materia abſens foret: porro materiam præſentem requirunt vulgo Doctores. De hac quæſtione, qua olim mire paſcebantur Theologi, vide Gonet diſp. 7. a. 4. Amicum, Vaſquem, &c.

Quo ſenſu vinum in die Paraſceves per contactum, ſeu per Corporis Dominici commiſtionem ſanctificari dicant Romani Ordines non pauci, expendemus ubi de Communione ſub duplici ſpecie.

Conclusio III. Solæ iſtæ voces: *Hoc eſt corpus meum* ſunt forma conſecrationis panis.

Prob. 1. quia Patres cum de tranſubſtantiatione diſserunt, omnia hæc & ſola verba recenſere ſolent.

Prob. 2. quia ea verba conſecrationis forma eſse debent, quæ panis converſionem ſufficienter ſignificant; ſi enim vere ſignificant, vere & operantur, quia practica ſunt: atqui citata verba, &c.

Prob. 3. ſi verba prædicta haud ſufficerent ad converſionem panis, vel requirerentur iſthæc: *Qui pridie quam pateretur*, vel vocula *enim*, vel demum hæc quæ reipſe a Chriſto pronuntiata ſunt, *Accipite & manducate*, iſtave quæ Chriſti ſermonem concludunt: *Quod pro vobis tradetur*: atqui ex his nulla ſunt quæ ad ſubſtantiam formæ pertineant. Non hæc *Qui pridie*, &c. ea enim hiſtoricam tantum rei a Chriſto geſtæ narrationem continent, quæ & ab Eccleſia condita eſt, & nullo momento probari poteſt eſsentialiter pertinere ad conſecrationem. Non vocula, *enim*, quæ & ipſa quoque ab Eccleſia addita eſt, deeſtque in pluribus Liturgiis. Non voces, *Accipite & manducate*, quæ Euchariſtiæ uſum ſpectant, non conſecrationem. Non demum iſtud: *Quod pro vobis tradetur*, ut jam ſupra probavimus; ergo.

Obj. Ad valorem conſecrationis neceſsum eſt ut Sacerdos loquatur in perſona Chriſti: atqui omiſſis iſtis: Chriſtus *pridie quam pateretur*, Sacerdos in ſua, non in Chriſti perſona loquitur. Qui enim ſignificat illud corpus quod in manibus gerit, ſuum eſse, non alterius cujuſvis, ille in ſua, non in alterius perſona loquitur: atqui Sacerdos, &c.

R. fuiſse qui propter momentum iſtud ſenſerint cum Scoto, invalidam eſse conſecrationem, niſi Sacerdos per objecta verba, aut alia ſimilia ſignificet ſe loqui in perſona Chriſti. Neque hi tamen eadem verba ſpectabant ut partem formæ, ſed ut conditionem ejuſdem formæ validitati prærequiſitam; quo fere modo intentio Sacerdotis ad Sacramentorum ſubſtantiam neceſsaria eſt. Opinio hæc non adeo diſsona eſt, ut omni careat probabilitate. Oppoſitam tamen tueri ſolent Theologi cum S. Thoma 3. p. q. 78. art. 1. ad 4. ubi hæc habet: *Etiamſi Sacerdos ſola verba*: Hoc eſt corpus meum, *proferret cum intentione faciendi hoc Sacramentum, revera Sacramentum perficeret; quia intentio faceret ut hæc verba intelligerentur quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiamſi verbis præcedentibus hoc non*

reci-

recitaretur. *Graviter tamen peccaret Sacerdos ſic conficiens hoc Sacramentum, utpote* gravem *Eccleſiæ ritum non ſervans*. Idem docent Silvius hic, aliique paſſim D. Thomæ diſcipuli; quibus conſonant nobiliores Scotiſtæ, puta Baſſolius, Aretinus, Hiquæus, & tandem, licet utcumque difficulter, Claudius Fraſſen, diſp. 1. art. 1. ſect. 2. q. 3. p. 482.

Confirm. quia Sacerdos quantumvis præfata verba ſuper præſentem materiam proferat, non conſecrat reipſa, ſi conſecrandi intentionem non habeat; etſi totam Chriſti actionem repræſentet, ideoque & in ejus perſona loquatur; ergo a contrario Sacerdos eſſentialia verba proferens, in perſona Chriſti loqui cenſebitur, ſi id intendat. Unde ad 1. neg. min.

Ad 2. nego iterum min. ſtatim namque ut proferuntur verba ſupra materiam a Chriſto inſtitutam, & cum intentione tum ea proferendi ſicut ea protulit Chriſtus, tum per ea efficiendi, id quod ipſe effecit, jam conſtat illa non in Sacerdotis, ſed in ipſius Chriſti perſona proferri.

Inſt. Verba quæ loquentis corpus expreſſius ſignificant, quam corpus alterius, debent per ſenſibile quid determinari ad unum magis quam ad aliud ſignificandum: atqui ſublatis verbis quæ prædicta quatuor verba præcedant, nihil eſt ſenſibile, quo iſtorum ſenſus determinetur, &c.

R. verba conſecrationis ad ſignificandum Chriſti corpus ſufficienter determinari, eo ipſo quo & cum ipſa Chriſti intentione, & in ipſis, ſi ita loqui fas eſt, Chriſti circumſtantiis proferuntur. Unde negant e noſtris plures, Sacerdotem, qui ad patibulum trahebatur, obvios in foro panes conſecrare potuiſſe.

ARTICULUS TERTIUS.

De Forma conſecrandi Calicis.

GRæci calicem conſecrando his utuntur verbis: *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*. Latini vero paulo fuſius dicunt: *Hic eſt calix ſanguinis mei, novi & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Quæritur 1. an ſingula poſtremæ hujus formæ verba ad conſecrationis eſſentiam pertineant; 2. an eadem ex omni parte legitima ſit.

Conclusio I. Verba: *Hic eſt ſanguis meus*, vel, *Hic eſt calix ſanguinis mei* formam calicis adæquate perficiunt. Ita vulgo Theologi contra Thomiſtas plures, & ipſum forte S. Thomam.

Prob. 1. ex SS. Patribus. Qui enim dum verba quibus conſecratur calix, referunt, non alia præter mox allata recenſent, ii dubio procul ſola hæc verba eſſentialia judicarunt: atqui SS. Patres .... Ita enim Juſtinus Apolog. 2. Auctor Sermonis de Cœna Domini apud Cyprian. Gaudentius citato Tract. 2. in Exodum, Ambroſius Lib. 4. de Sacram. c. 4.

Nullius autem momenti eſt, quod reponit Gonet, totam nimirum calicis formam ab iis, aliiſve Patribus adductam non fuiſſe. Siquidem Patres eo modo tradunt id quo vinum tranſmutatur in ſanguinem, ſicut tradiderunt id quo panis tranſmutatur in corpus; ergo quemadmodum, fatentibus adverſariis, totum id tradidiſſe cenſendi ſunt, quo tranſmutatur corpus, ſic & totum id cenſendi ſunt retuliſſe, quo vinum tranſmutatur.

Alio-

Alioqui & ego dicam, neceſſaria eſſe ad panis converſionem verba : *Quod pro vobis tradetur*, licet a Patribus omiſſa ſint ; quia Patres totam conſecrandi panis formam non retulerint.

Prob. 2. Si quæ præter adducta in Concluſione verba ad eſſentiam calicis pertinerent, vel hæc, *Novi & æterni Teſtamenti;* vel iſta, *Myſterium fidei;* vel demum quæ ſequuntur : *Qui pro vobis & pro multis*, &c. atqui ex his omnibus nulla ſunt, quæ ad eſſentiam conſecrandi calicis pertineant. Valide enim conſecrant Græci, valide & ceteri Orientales ; neque enim hi ſeu a Græcis, ſeu a Latinis violatæ quoad ſubſtantiam formæ incuſati ſunt : atqui ex his alii omittunt, *Novi Teſtamenti;* alii *Qui pro vobis effunditur;* omnes vero, *Myſterium fidei*. Unde Card. Lugo diſp. 11. ſect. 4. n. 60. *In Miſſa Æthiopum, quæ creditur compoſita ab Apoſtolo Matthæo, ſic dicitur :* Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum. *In Liturgia S. Sixti Papæ, forma eſt :* Hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi Teſtamenti. *In aliis vero Liturgiis, ſcilicet S. Joannis Evangeliſtæ, SS. Apoſtolorum*, &c. *verba ſunt :* Hoc eſt corpus meum : Hic eſt ſanguis meus. *In Liturgia S. Marci Evangeliſtæ :* Corpus meum eſt hoc; Sanguis meus eſt hic. *In Liturgia S. Matthæi Paſtoris :* Hoc caro mea eſt : Hoc ſanguis meus. *Quas formas ex Miſſali MSS. Maronitarum a Monte Libano Romam miſſo dedit mihi perdoctus vir Victorius Scialach, Abbas S. Gregorii, natione Maronita, & in urbe Roma a multis annis linguarum publicus Interpres :* ergo.

Prob. 3. ſi quid formæ calicis eſſentiale foret, maxime hæc verba : *Qui pro vobis effundetur*, quæ indubie a Chriſto prolata ſunt : atqui verba hæc non magis conſecrando calici neceſſaria ſunt, quam iſthæc conſecrando pani : *Quod pro vobis datur*, vel *tradetur*, quæ & a Chriſto non minus pronuntiata fuere ; ergo.

Prob. 4. quia verba ſacramentalia, utpote practica, id ſtatim efficiunt quod ſignificant : atqui ſola verba : *Hic eſt ſanguis meus*, antecedenter ad ea quæ ſequuntur, ſignificant id quod præſens eſt, eſſe ſanguinem Chriſti; ergo id ante alia quæcumque verba efficiunt. Ita idem Lugo n. 67. qui inde contra Suarem diſp. 60. ſect. 1. colligit, verba hæc : *Qui pro vobis fundetur*, non potuiſſe a Chriſto inſtitui, ut ad effectum conſecrationis neceſſaria, *retentis prioribus verbis in ſua ſignificatione rigoroſa, quam nunc habent*. Sed de ea nova lite utrumque adi.

Obj. 1. S. Thomas 3. p. q. 78. art. 3. opinionem noſtræ contrariam diſerte propugnat ; ſic enim loquitur : *Omnia ſequentia* has voces : *Hic eſt calix ſanguinis mei, ſunt de ſubſtantia formæ, uſque ad hoc quod poſtea ſequitur :* Hæc quotieſcumque feceritis, &c. ergo.

R. duplex eſt S. Thomæ Diſcipulorum circa Præceptoris ſui mentem opinio; alii eum nobis adverſari contendunt; nec dubium quin verba ejus primo intuitu ſpectata id ſonare videantur. Alii vero cum recenti Scriptore *de re Sacramentaria*, c. 3. §. 2. eum non de neceſſitate quoad eſſentiam, ſed de neceſſitate quoad integritatem & complementum interpretantur. Qui autem ſumus nos, ut tantam auſimus componere litem.

Inſt. 1. S. Pius V. juſſit e Cajetani in D. Thomam Commentariis expungi diſſertationem, quæ conſecrationem ſolis his adſcribebat vocibus : *Hic eſt calix ſanguinis mei*, &c. ergo.

R. Ca-

R. Cajetani diſſertationem expungi juſſam (non a Pio V. ait Tournely, ſed a Romanis Inquiſitoribus) quod vir ad reprehendendum paulo audacior, de S. Doctore, cui utpote ex inclito Dominicanorum Ordine addictior eſſe debuerat, haud ſatis honorifice locutus eſſet; non vero quia cenſeret pius & eruditus Pontifex, falſam eſſe, multoque minus cenſura dignam communem Scholæ ſententiam. Et vero conſtat ex dictis voces, *æterni*, & *myſterium fidei*, in nullis Græcorum & Orientalium Liturgiis præſcribi; alias vero, *Qui pro vobis*, &c. in pluribus eorumdem Liturgiis deeſſe: atqui rurſus conſtat non eum fuiſſe Pium V. qui a deceſſorum ſuorum Leonis X. & Clementis VII. ſententia recederet, a quibus, datis ea de re diplomatibus, cautum eſt, ne ulla Græcis inferretur moleſtia; quin & Græcis ipſis prohibitum, ne ritus ſuos cum Latinis commutarent; ergo.

Inſt. 2. Atqui ſenſit Pius V. imo tota ſentit Eccleſia, nullam e prædictis vocibus eſſe, quæ ad Sacramentum neceſſario non pertineat; ergo. Prob. ſubſ. Quæ præcipit, *ut ſi vel unam ex his vocibus contigerit prætermitti*, *Sacerdos formam ex integro repetat*, ſentit utique nullam non eſſe neceſſariam: atqui Eccleſia in Rubricis Miſſæ præcipit, *ut*, &c. ergo.

Confirm. tum ex Synodo Florentina, tum ex Catechiſmo Romano, ubi omnia hæc verba pro forma conſecrationis aſſignantur.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. 1. Retorqueo argumentum: Quæ probat conſecrationem factam ab Orientalibus, qui multas formæ Latinæ voces omittunt, non indubie credit ſingulas ejuſdem formæ voces eſſe de neceſſitate Sacramenti: atqui Eccleſia Romana, ut ex dictis patet, approbat, &c.

R. 2. neg. maj. ex eo enim Eccleſiæ præcepto ſolum ſequitur, quod non negamus, teneri Miniſtros id in praxi facere, quod juxta Eccleſiæ ſuæ morem tutius eſt. Latinis porro tutius eſt, & a peccandi periculo magis alienum, verba Rituali præſcripta ex integro recitare, quam eorum aliquod non ſine proterviæ nota reticere. Quanquam enim ſpeculative, ut Schola loquitur, probabilius, quin & certius ſit, his ſolis verbis: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, conſecrationem impleri; cum tamen alia quæ ſequuntur, apud Latinos omnino requiri Latini multi teneant; & aliunde certum ſit antiquiſſimo Eccleſiæ uſu præſcripta eſſe, prudenter jubet Eccleſia, vocem quamcumque, ſi forte exciderit, reſumi; ne videlicet in re omnium graviſſima ullum dubii vel ſcrupuli locum relinquat. Hinc merito ſcandaloſam hanc propoſitionem cum aliis ejuſdem meriti pluribus proſcripſit Innocentius XI. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti*, *relicta tutiore*. Ita & pene ad verbum citatus Auctor Lib. de re Sacramentaria, pag. 382. qui, neſcio ubi prædictam Rubricam repererit: quam enim iiſdem terminis habent Miſſalia Romanum & Pariſienſe, etſi ſatis obſcura eſt, ſenſum tamen concluſionis noſtræ redolet. Sic enim concludit: *Si Sacerdos valde probabiliter dubitat ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe*, *iteret formam ſaltem ſub tacita conditione*. *Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti*, *non reſumat*, *ſed procedat ulterius*: ubi non id omne quod habet forma, eſt de neceſſitate Sacramenti.

Nec nocent Florentina Synodus, & Catechiſmus Romanus. Non 1. aſſignat enim Synodus, prout faceremus nos, formam totam, ut recitari conſuevit; non vero dicit ſingula ejus verba eſſe neceſſaria: Imo in vulgata Concilii editione, ſolum generatim dicitur, conſecrationis formam

eſſe

eſſe verba, quibus Chriſtus hoc Sacramentum confecit. Non 2. haud enim dicitur in Catechiſmo formam ex iis omnibus verbis conſtare, ſed *in illis verbis comprehendi formam*, quod verum eſt, etiamſi non omnia ſint neceſſaria. Ita Lugo ibid. n. 92.

Quod urgent aliqui, omnia quæ ad calicis conſecrationem proferuntur verba, a Sacerdote coram ara inclinato, uno eodemque tenore recitari; nullius eſt ponderis. Nam & hæc quoque verba: *Quod pro vobis frangetur*, uno tenore proferuntur a Græcis, dum panem conſecrant; & ea tamen de neceſſitate Sacramenti non ſunt, ut ante probatum eſt.

Obj. 2. Euchariſtia, cum ſit ſacrificium, non poteſt confici niſi verbis, quæ ſacrificii rationem exprimant: atqui demptis verbis: *Qui pro vobis fundetur*, jam nihil eſt in forma conſecrationis, quod ſacrificii rationem exprimat. Siquidem ad ſacrificium requiritur effuſio ſanguinis, quocumque tandem modo ea fiat: atqui ſublatis prædictis vocibus, non exprimitur effuſio ſanguinis; ergo nec ſacrificii ratio.

R. 1. non deeſſe Theologos qui contendant, & unam ſpeciem ſine alia conſecrari valide poſſe, & in unius hujus ſpeciei conſecratione non exprimi rationem ſacrificii.

R. 2. ad 1. & 2. neg. min. tunc enim ſat exprimitur ſanguinis effuſio, cum ſanguis a corpore myſtice ſeparatur: atqui ſtatim ut corpus conſecratur ſeorſim a ſanguine, is ab illo per gladium verbi ſeparatur, ut infra ſuo loco dicemus; ergo. Ut ſolvantur aliqua,

Quæres 1. quid ſignificent ſingulæ voces formæ.

R. 1. per vocem, *Hoc*, & *Hic*, ſignificari, non panem & vinum diſtincte, aut utriuſque accidentia, ſed confuſe aliquid accipiendum per modum cibi & potus: itaut ſenſus ſit: *Hic cibus eſt corpus meum; Hic potus eſt ſanguis meus*, in fine ſcilicet propoſitionis. Ratio eſt, quia etſi pronomina hæc non magis de ſe cibum & potum ſignificant, quam aliud quodcumque, ad ea tamen demonſtranda determinantur, per hæc quæ præcedunt verba: *Comedite*, *Bibite*, &c. quod enim comeditur cibus eſt, & potus quod bibitur.

Dixi: *In fine propoſitionis:* quia propoſitiones practicæ, præſertim vero converſivæ, cum efficiant, non autem præſupponant objectum ſuum, id ſolum demonſtrant quod præſens eſt in fine locutionis. Nemo enim id demonſtrare vult quod deſiit eſſe, bene vero id quod incipit eſſe per propoſitionem, cujus pronomen eſt pars: unde ſi Chriſtus aquam convertens in vinum dixiſſet: *Hoc eſt vinum*, non demonſtraſſet aquam quæ deſierat, ſed vinum quod aquæ ſucceſſiſſet.

Atque hinc contra Vaſquem ſequi videtur, pronomen, *Hoc*, & *Hic*, non adjective ſumi in forma conſecrationis, ſed ſubſtantive, nimirum pro ſubſtantia quadam, cibi ſcilicet & potus, quæ confuſe demonſtretur. Favent hæc Tridentini verba Seſſ. 13. c. 4. *Chriſtus corpus ſuum id quod ſub ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit*. Vox enim *id*, cum ſignificet contentum *ſub ſpecie panis*, ſubſtantiam ſignificare debet.

Hinc colligere eſt, & id ab ipſo Vaſque admittitur, valere hanc formam, licet ceteroqui non uſurpandam: *Hoc eſt ſanguis meus;* quia perinde eſt ac ſi dicas: *Hoc ens*, vel, *Hoc contentum ſub ſpecie vini*, *eſt ſanguis meus*. Aliud eſt ſi adverbialiter dixeris: *Hic eſt corpus*, &c. *Hic eſt ſanguis*, &c.

&c. quia tunc non ſignificatur converſio unius in aliud, ſed exiſtentia in loco. Valeret tamen forma prior, ſi ex errore grammaticali *hic* poneretur pro *hoc*, ſicut valeret, ſi ex eodem errore diceretur: *Hoc eſt corpus meus.*

Forma: *Iſtud eſt*, validitati non nocet: noceret vero hæc: *Illud eſt*, &c. quia, inquit Silvius hic q. 78. art. 2. quæſ. 1. *iſtud* rem præſentem ſignificat, *illud* abſentem, non ſecus ac præſentem. Hæc forma: *Ecce corpus meum*, ad minus dubia foret, quia non exprimeret mutationem ſubſtantialem. Idem communiter docent Theologi de utraque hac: *Meum eſt hoc corpus*, vel, *Hoc corpus eſt meum;* quia ſic nulla exprimitur rei unius in aliam converſio, ſed tantum quod res quæpiam ad loquentem pertineat. Aliud eſt de relata ſuperius S. Marci forma: *Corpus meum eſt hoc*, quæ id ſolum habet quod mutatione non infrequenti attributum ante ſubjectum recenſeat.

R. 2. verbum *Eſt* non tropice intelligendum, ſed proprie prout extremorum identitatem deſignat; de quo fuſe ſupra. An autem ſublato hoc verbo conſecratio perficiatur, non convenit inter Doctores. Affirmat Silvius ibid. quæſ. 2. tum quia Latinis perinde ac Hebræis & Syris familiare eſt illud ſubticere, nec proin conſtat Chriſtum Hebraice, aut Syriace loquentem illud addidiſſe; tum quia deeſt in Græco S. Lucæ textu, & in citata a Lugo Matthæi Paſtoris Liturgia. Negant alii nec pauci, quia aliud eo in puncto Latinæ linguæ genium eſſe contendunt, quam Græcæ & Syriacæ. Etſi in affirmativam propendeo, fateor rem gravis dubii expertem non eſſe. Incertior adhuc, ſi tamen incerta tantum, forma hæc: *Hoc ſit*, vel, *Hoc fit*, aut *fiat* corpus meum: quia nec per eam actualis demonſtratur identitas prædicati cum ſubjecto, nec mira tranſubſtantiationis inſtantaneitas; quod enim fit aliud, ut lignum flamma, non ſemper tale fit in inſtanti.

R. 3. particulam *enim*, quæ præcedentia jungit cum ſequentibus, hic reponi ut cauſam quæ ad corporis & ſanguinis Chriſti ſumptionem moveat: perinde enim eſt ac ſi diceret: Confidenter manducate, quia hoc eſt corpus meum. An autem particulæ hujus omiſſio ſi abſque contemptu fiat, grave ſit peccatum, ambigunt Magiſtri, aliis cum Gavanto aſſerentibus, negantibus aliis. Quoniam vero non ſatis aſſequor qui fieri poſſit ut in re tam gravi omittat quis deliberate vel jota unum ſine aliquo contemptu, & aliunde peccati dubii mortalis periculum, certo mortale eſt, ab ulteriori examine temperabo.

R. 4. *corpus* eam hic organorum ſtruem ſignificat, ex qua conſurgit pars altera compoſiti humani, ut ſunt oſſa, nervi, carnes; non tamen directe ſanguis, qui cum repræſentetur ut a corpore ſeparatus per Paſſionem, nonniſi concomitanter ſub ſpecie panis reponitur. Unde ad veritatem formæ indifferens eſt an vivat corpus, vel mortuum ſit; proindeque, ajunt plures, conſecrans in triduo mortis, vere corpus ſub panis ſpecie conſtituiſſet.

Ex his colligunt non pauci, ut Silvius, Habert, idque nos olim ſenſimus, &c. haud conſecraturum, qui pro *Hoc eſt corpus*, diceret: *Hæc eſt caro*, &c. quia plus dicit corpus quam caro. Aliter tamen ſentiendum, ſi vera ſit, quam paulo ante ex Lugo adduximus, Paſtoris Liturgia; cui accedit, id quod corporis nomine expreſſit Chriſtus in Inſtitutione, ab eodem & pluries carnis nomine deſignatum fuiſſe in Promiſſione: *Caro mea vere*

eſt

Digitized by Google

eſt cibus : Qui manducat carnem meam , &c. Eſto ibi ſit ſynecdoche ; ſed quid tum, ſi nec a communi uſu, nec ab uſu Chriſti aliena ſit.

R. 5. *ſanguis*, eum exprimit humorem, qui vulgato ſanguinis nomine intelligi ſolet. Parvi autem refert, an dicatur *ſanguis*, vel, *calix ſanguinis:* eſt enim poſtremum id Metonymia, qua continens pro contento uſurpari conſuevit. Sic vas aquæ effundi dicitur, cum effunditur aqua vaſis. Merito tamen adhibita vox calicis; tum quia per hoc adumbratur Chriſti paſſio, calicis nomine non ſemel deſignata; tum quia potus, qualis eſt fidelibus ſanguis Chriſti, e calice ſeu vaſe hauriri debet.

R. 6. per *meum* & *meus*, ipſum Chriſti corpus, ipſum & ſanguinem deſignari; proinque Sacerdotem non in propria, ſed in ſolius Chriſti perſona loqui debere : unde nulla erit conſecratio, ſi dicat: *Hoc eſt corpus Chriſti*, quia tunc non Chriſti perſonam ſuſtineret, ſed ſuam duntaxat.

Quæres 2. an forma conſecrationis panis, ſuum ante habeat effectum, quam proferatur forma calicis.

R. affirm. cum S. Thoma ead. q. 78. art. 6. Ratio eſt, tum quia corpus Chriſti ſtatim & ante prolata formæ calicis verba adoratur ; tum quia alioqui falſa eſſet forma , quæ ut præſens ſignificaret corpus , quod reipſa nondum præſens eſſet.

Quæres 3. an formæ conſecrationis effectum ſuum operentur ut veræ, an ut ſignificativæ.

R. cum Scoto non operari ut veras, ſcilicet veritate ſpeculativa. Quod enim nonniſi poſt operationem effectus verum eſt, non operatur ut verum : atqui formæ conſecrationis nonniſi operato jam effectu veræ ſunt. Ideo enim verum eſt, *hoc eſſe corpus Chriſti*, quia hoc jam converſum eſt in corpus Chriſti ; ergo cum implicet ut prius ſit a poſteriori, implicat converſionem per formam, eſſe a veritate formæ.

Nec dicas 1. Tridentinum Seſſ. 13. c. 4. ex veritate : *Hoc eſt corpus*, &c. inferre Chriſti in Euchariſtia præſentiam. Hanc enim infert, vel a veritate practica, ideſt a ſignificatione ſacramentali, quæ id operatur quod ſignificat; non autem a veritate ſpeculativa, quæ ſolam propoſitionis cum objecto conformitatem importat; vel a poſteriori, quemadmodum a riſivo rationale inferunt Peripatetici.

Nec dicas 2. Sacerdotem, dum actu loquitur, affirmare id quod manu gerit, eſſe corpus Chriſti. Nam affirmat quidem id eſſe corpus Chriſti *in fieri*, ſeu in fine propoſitionis ; non autem *in facto eſſe*. Unde de forma antequam plene prolata ſit, dici poteſt, quod vera futura ſit, ſed dici non poteſt quod vera ſit, niſi cum integre prolata eſt : atqui ſtatim ut integre prolata eſt, facta eſt converſio ; ergo prior eſt natura converſio, quam veritas propoſitionis.

Quæres 4. quomodo pronuntianda ſint verba conſecrationis.

R. pronuntianda eſſe diſtincte, reverenter, continua ſerie, ut fit in ſermone humano, & modo naturali. Unde merito redarguuntur, ſeu qui tanto niſu ſacra hæc verba efferunt, ut ſingulis adjungant capitis motum, & quamdam trepidationem; ſeu qui veriti ne non totum pronuntient, tanto halitu reddunt voces, ut pro *hoc*, dicant, *hocche*, pro *meum*, *meumme*, &c. Cogitent iſti, quæſo, an Chriſtus Euchariſtiam inſtituens, caput eo modo qui vel invitis riſum excutiat, agitaverit; aut verba præ-

ter naturalem loquendi modum pronuntiaverit. At ſi ob ſcrupulum excuſari poſſunt Sacerdotes, qui in his punctis delinquunt, quo tandem pacto excuſabuntur, qui dum loquuntur nomine Chriſti, haud majorem exhibent pietatis & reverentiæ ſenſum, quam ſi profanum quid recitarent.

Quæres 5. quid facto iis opus ſit, qui non meminere, ſed dubitant an formam, ſingulave ejus verba pronuntiaverint.

R. 1. vix prudenter dubitari poſſe an omiſſa ſint, quæ dubio procul omitti non ſolent, conſecrationis verba; 2. ſi tamen contingat quempiam eſſe animi huc & illuc facile peregrinantis, ut ei eveniebat, qui teſte Roncaglia *, a *Memento vivorum* ad *Memento mortuorum*, facile avolabat, videndum erit an prudens dubitet, num formam totam, aut eſſentiale quid omiſerit, an quid accidentale: tuncque ſequendum erit id quod paulo ante ex Miſſalis Rubrica recitavimus. Ut ſolvatur difficultas ab initio Articuli propoſita, ſit

Conclusio II. Forma qua utuntur Latini, prorſus legitima eſt.

Prob. Forma quæ ex ipſis Chriſti verbis conſtat, paucis ex antiquo & pio Eccleſiæ uſu additis, non poteſt eſſe illegitima: atqui forma calicis, de qua una moveri quæſtio poteſt, 1. conſtat ex ipſis Chriſti verbis, ut ſtatim intelliget qui eam cum Evangeliſtarum & D. Pauli textu contulerit; 2. quæ pauca huic addita ſunt, ut ÆTERNI Teſtamenti, & MYSTERIUM FIDEI, vel ſunt ex aliis Scripturæ locis, ut vox *æterni*, quam habet Paulus Hebr. 13. v. 20. vel ex antiquiſſima, adeoque pia traditione; ut voces *Myſterium fidei*, quæ in pervetuſtis quibuſcumque Sacramentariis, ne uno quidem dempto, reperiuntur, teſte R. P. le Brun Tom. 1. pag. 476. ſicque non immerito ad Apoſtolicam Traditionem referri poſſunt. Et vero cum in Euchariſtia reclament ſenſus omnes, quidni in ejus conſecratione fidem invocet, fideique actum eliciat Sacramenti Miniſter?

CAPUT QUINTUM.

De Miniſtro Euchariſtiæ.

MIniſter Euchariſtiæ dicitur, qui corpus Chriſti vel conficere poteſt, vel confectum diſpenſare. Prior conſecrationis miniſter eſt, poſterior diſpenſationis. De utroque diſſerendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Miniſtro Conſecrationis.

MUlti, & a prioribus quidem Eccleſiæ ſæculis, circa Euchariſtiæ Miniſtrum fuere errores: 1. enim qui Tertulliani tempore graſſabantur hæretici (Marcionitas intelligit Bellarminus) omnem functio-

---

* Univerſa moralis Theologia . . . Auctore Conſtantino Roncaglia Congregationis Matris Dei, Lucæ 1730. Opus bonæ notæ, necdum a nobis citatum, quia non ante cognitum.

functionum hierarchicarum diſtinctionem ſubvertentes, ſacra miniſteria ab unoquoque obeunda eſſe ſanxerant. *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconſtantes ..... alius bodie Epiſcopus, cras alius : bodie Diaconus, qui cras Lector : bodie Presbyter, qui cras Laicus ; nam & Laicis ſacerdotalia munia injungunt.* *Tertul. de pr ſcr. cap 41. p 217.*

2. Marcoſſiani, ſeu Marcitæ, a Marco illo præſtigiatore de quo alibi diximus, nuncupati; Pepuſiani item & Collyridiani, eo proruperunt dementiæ, ut & ipſis mulieribus conficiendæ Euchariſtiæ poteſtatem facerent. Ita quoad priores docet fuſe Irenæus Lib. 1. adverſus hæreſ. c. 9. quoad poſteriores vero Epiphanius hæreſ. 49. & 79.

3. Vvaldenſes ut Euchariſtiam a malo Sacerdote conſecrari poſſe negabant, ſic & a laico bono rite confici opinabantur, teſte Reinero Lib. contra Vvaldenſes cap.5. In idem propendebat VViclefus, qui tamen non omnino rem definire auſus eſt.

4. Audacior VViclefo Lutherus exerte docuit pluribus in locis, potiſſimum autem Lib. de Captiv. Babyl. cap. de Ordine, & Lib. de inſtituendis Miniſtris, Chriſtianum quemlibet ex Baptiſmo poteſtatem habere conſecrandi Euchariſtiam; licet id officii aſſumere nemo debeat, niſi qui legitime vocatus ſit, ob nimiam quæ ſequeretur confuſionem, ſi quilibet quælibet Sacramenta conficere vellet. Etſi autem putidam hanc opinionem fixe adeo & immobiliter tenuerit Lutherus, ut in Libro de Miſſa privata, quem an. 1534. prælo dedit, Sacramentum, etiamſi a diabolo conficeretur, validum fore aſſeruerit; hic tamen a Propheta ſuo nonnihil, quanquam re minus quam ſpecie, recedunt Lutherani : ſed ut doloſo, ſic & irrito conatu. Eo enim vel invitos trahunt duo Sectæ principia : Primum, Sacramenta vere & ſolum operari excitando fidem; Secundum, nullam in ordinatione dari poteſtatem ſpiritualem, qua Miniſter a Laico vere & intrinſece diſtinguatur. Hæc enim ſi ſemel poſita ſint, indubie conſtat, valide confici Euchariſtiam ab eo omni qui fidem excitaverit; ut bene notat Bellarminus Lib. 4. cap. 16.

Lutheri opinionem, ſed cum aliquo moderamine, renovavit an. 1638. Grotius in Lib. *De Cœnæ adminiſtratione*, ubi Euchariſtiam ex ſpeciali Chriſti & Eccleſiæ ſtatuto, a quibuslibet etiam Laicis conſecrari poſse docet, ſi deſit Paſtor, & ſubſit Sacramenti neceſſitas. Commentum hoc confutavit doctiſs. Petavius ſpeciali Diatriba de poteſtate conſecrandi.

Ab his opinionum portentis ita receſſit Calvinus, ut in oppoſitum errorem lapſus ſit; is enim non Euchariſtiam modo, ſed & Baptiſmum, ſi ab alio, quam a publico Miniſtro conferatur, irritum eſſe voluit, Lib.4. Inſt. c.1. §.22. Idem ſanxit Henricus Bullingerus. Sed de hoc jam alibi.

Longe aliud, ut illico patebit, ſentiunt Orthodoxi omnes : at diſputant eorum aliqui, num olim Diaconi Euchariſtiæ conſecrandæ poteſtatem ſibi arrogaverint; affirmantibus nonnullis cum Morino Lib. 8. de Pœnit. c.24. aliis negantibus. Duplex igitur nobis in præſenti obverſatur quæſtio, juris altera, altera facti. Sit

CONCLUSIO I. Soli Epiſcopi & Sacerdotes Euchariſtiæ conſecrandæ facultatem habent.

Prob. 1. ex Scriptura. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* unde ſic : Ut ex iis verbis merito inferatur poteſtatem conſecrandi ſolis

competere Sacerdotibus, duo ſufficiunt, 1. ut verba hæc conſecrandi præceptum, adeoque & conſecrandi poteſtatem contineant; 2. ut eadem verba ad ſolos Apoſtolos, eorumque in ſacro miniſterio ſucceſſores dirigantur: atqui 1. citata verba præceptum, proinque & poteſtatem conſecrandi important; tum quia nulla alia aſſignari poſſunt, quibus detur & poteſtas & præceptum conficiendi Euchariſtiam; tum quia vel eadem verba præceptum dant conſecrandi, vel præceptum duntaxat recipiendi Euchariſtiam: atqui poſtremum hoc dici non poteſt. Hæc enim verba ſolus ex Evangeliſtis habet S. Lucas: atqui apud eum non referuntur ad actionem ſolam Euchariſtiæ recipiendæ; cum, providente Deo, non ante dixerit cum aliis: *Accipite & manducate*, ſed ſolum: *Accepit panem, benedixit, & dedit dicens: Hoc eſt corpus meum*. Unde cum ait Paulus I. Corint. 11. *Hoc facite quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem*, non reſtringit Chriſti verba, ſed in una bibendi actione ponit exemplum, quod & in aliis duobus ponere potuiſſet.

2. eadem verba ad ſolos Apoſtolos, eorumque in miniſterio ſucceſſores diriguntur, non ad baptizatos omnes: 1. quia alioqui non tantum poſſent, ſed & vi præcepti tenerentur fideles omnes Euchariſtiam conficere, ac diſtribuere; id autem & abſurdiſſimum eſt, & ab ipſa hæreticorum praxi alienum; 2. quia prædictas Chriſti voces noſtro hoc ſenſu univerſa ſemper intellexit Eccleſia. Unde

Pag. 97. Prob. 2. ex Patribus. Juſtinus Martyr Apolog. 2. hæc habet: *Qui Fratribus præeſt...offert Euchariſtiam*, juxta illud Domini mandatum: *Hoc facite in mei recordationem*: atqui in ordinatiſſimis priorum Chriſtianorum conventibus, non præerant fidelibus mulieres, aut Laici, ſed Epiſcopi ſoli aut Sacerdotes; ergo & hi ſoli Euchariſtiam offerebant.

Tertullianus cit. cap. 41. de præſcript. eos quos carpit, hinc probat hæreticos eſſe, quod apud illos *hodie Presbyter* ſit, *qui cras laicus*, &c. quod autem hæreſeos ſignum eſt, a Chriſto conceſſum non fuit.

S. Cyprianus Epiſt. 4. monet Presbyteros, qui Martyres carceribus detentos inviſunt, apud eos ſacris operaturi, ut caute id ſinguli cum ſingulis Diaconibus faciant non glomeratim, *ne ex hoc ipſo invidia concitetur, & deinceps introeundi aditus denegetur*: atqui ſi ſaltem in tanto neceſſitatis caſu potuiſſet a quovis Euchariſtia confici, haud neceſſum fuiſſet ut Sacerdotes cum tanto capitis diſcrimine, & Religionis ipſius detrimento, Martyres inviſerent, & myſteria celebrarent. Erant certe e laicis plures, qui cetera præſtare potuiſſent, ut Confeſſores ſolari, ad ærumnas ac ipſam mortem diſponere, &c.

Auctor Conſtitutionum Apoſtolic. Lib. 3. c. 10. *Sed nec laicis*, inquit, *permittimus quamlibet Sacerdotum functionem uſurpare .... nec enim quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo: Nam per impoſitionem manuum Epiſcopi datur hæc dignitas*. En aſſertionem noſtram, ejuſque probationem a fortiori: ſi enim *quælibet* Sacerdotum functio laicis interdicta eſt, quanto plus Euchariſtiæ confectio, qua major nulla cogitari poteſt.

S. Baſilius Lib. 2. de Bapt. c. 8. ex profeſſo docet, eſſe quidem omnes Chriſtianos largiori quodam ſenſu Sacerdotes, quia ſinguli ſpirituales hoſtias offerre teneantur; ceterum eos ſolos eſse vere & proprie Sacerdotes, qui ad id muneris ordinati ſunt.

S. Epi-

Digitized by Google

S. Epiphanius Epiſt. ad Joannem Jeroſolymitanum, excuſat ſe quod in
ejus Diœceſi, nimirum in S. Hieronymi Monaſterio, Presbyterum ordina-
verit, *ne multitudo ſanctorum Fratrum ibidem degentium ſacris privarentur my-* *Tom. 2.*
ſteriis, cum non haberent *, *qui ſibi divina Sacramenta conficerent :* atqui & *p. 312.*
excuſatio & ratio excuſationis abſurdæ fuiſſent, ſi Laico cuivis, potiſſi-
mum autem *SS. Fratribus* licitum fuiſset in hoc neceſſitatis caſu ſacra
conficere ; ergo. Hinc ſanctus Doctor hæreſ. 79. ubi Collyridianos im-
pugnat, oſtendit ne B. quidem Virgini, nec Diaconis datam fuiſse ſacra
obeundi facultatem.

S. Hieronymus Epiſt. 101. alias 85. *Quis*, inquit, *patiatur, ut ſupra eos* *Tom. 4.*
ſe tumidus Diaconus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiſque confi- *p. 802.*
citur. & Dialogo contra Luciferianos : *Hilarius*, inquit, *cum Diaconus de
Eccleſia receſſerit .... neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos & Presbyte-
ros non habens*. Ceteros omitto.

Prob. 3. ex Conciliis. Tridentinum Seſs. 22. Can. 2. ſic habet : *Si quis
dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſti-
tuiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent
corpus & ſanguinem ſuum ; anathema ſit :* atqui doctrinam hanc non tantum
ex Patribus modo adductis hauſerant Tridentini Præſules, ſed & a Sy-
nodo Florentina in Armenorum Inſtructione, ubi *Sacerdos in perſona Chri-* *Tom. 13.*
ſti loquens hoc Sacramentum conficere dicitur. Rurſum vero id acceperant *Concil*
Doctores Florentini a Patribus Concilii Lateranenſis IV. ſub Innocen- *p. 527.*
tio III. ſic ſancientibus : *Hoc itaque Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi* *Tom. 11.*
Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus. His demum prælufcrant Nicæni Patres *Concil.*
Can. 18. ubi Diaconos, qui Euchariſtiæ Presbyteris ipſis diſpenſandæ jus *p. 143.*
ſibi arrogaverant, hac potiſſimum ratione comprimunt, quod *nec regula,
nec conſuetudo tradidit, ut ab his qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui
offerunt Chriſti corpus accipiant*.

Prob. 4. ex variis Eccleſiaſticæ diſciplinæ ac hiſtoriæ monumentis : Et
quidem 1. conſtat Euchariſtiam Confeſsoribus in carcere detentis, nonni-
ſi a Sacerdotibus adminiſtratam fuiſse, ut jam docuimus ex Cypriano, &
liquet ex facto Euſebii Samoſatenſis, qui cum andiiſset, fugatos fuiſse, *Theodo-*
Valentis & Arianorum furore, pluribus ab Eccleſiis Sacerdotes, militari *ret. L. 4.*
habitu Palæſtinam & finitimas Regiones peragravit, & ubicumque po- *Hiſtor.*
tuit, Sacerdotes ac Diaconos ordinavit, qui gregem Chriſti non verbo *c. 23. a-*
tantum, ſed & Sacramentis paſcerent. Conſtat 2. Ægypti ac Thebaidos *lias 13.*
Anachoretas, viros Angelorum quam hominum ſimiliores, acceptam a
Sacerdote Euchariſtiam, ne ſibi tempore & loco deficeret, per annos in-
tegros ſervaſse. Conſtat 3. Laicos, qui quandoque infideles ad Chriſti fi-
dem perducebant, prout erga Indos fecit Frumentius, erga Iberos mu- *Theodo-*
lier quædam captiva, erga Mauros Victor Uticenſis, ſtatim, & longis *ret. L. 1.*
quidem ſæpe itineribus, recurriſſe ad Antiſtites, ut ab eis obtinerent *c. 23. &*
Presbyteros, qui Neophytis illis Sacramenta conferrent. Conſtat 4. col- *24.*
latum non raro a Laicis Baptiſma iis quos ad fidem convertiſsent; nuſ-

* Erant in eo Monaſterio duo Sacerdotes, Hieronymus ipſe, & Vincentius, ſed qui ex humilitate ſacrificium offerre non audebant : hinc credidit Epiphanius haud malum fore, ſi Paulinianum Hieronymi fratrem ordinaret. Inde tamen erupit gravis Epiphanium inter & Joannem Jeroſolym. diſſenſio circa an. 393.

quam autem ab iiſdem confectam Euchariſtiam. Subſumo : atqui ſi ſaltem in caſu neceſſitatis poſſent Laici Euchariſtiam conficere, hanc indubie ex generali Eccleſiæ aſſenſu confeciſſent in carceribus ſuis Confeſſores, in eremis Solitarii, in regionibus recens converſis ſæculares Apoſtoli, &c. ergo cum hujus agendi rationis nulla ubicumque exempla occurrant, ſed prorſus diverſa, pro certo tenendum Pſeudoreformatorum opinionem antiquitati toti adverſam eſſe.

Confirm. 1. Quibus ne vaſa quidem ſacra tangere datum erat, iis multominus licitum erat ſacra peragere : atqui nec ſacra vaſa tangere Laicis conceſſum erat; ut patet ex Epiſtola Synodi Alexandrinæ in Apologia 2. Athanaſii, & ex Nazianzeni Oratione contra Arianos; ergo.

Confirm. 2. Conſtans eſt Patrum doctrina ſacerdotalem poteſtatem longe majorem eſſe regia. Unde id Ambroſii ad Theodoſium : *Purpura Imperatores facit, non Sacerdotes*. Unde rurſum S. Martinus ipſius Imperatoris menſæ accumbens, Sacerdotem ſuum Imperatori prætulit, ut ſcribit Sulpitius Severus, & norunt omnes : atqui ſi ſacerdotale miniſterium mera ſit denominatio, Chriſtianis omnibus ex ipſa rei natura communis, jam longe inferior eſt dignitas ſacerdotalis dignitate regia, quæ certe communis non eſt; ergo.

Obj. 1. Iis omnibus competit facultas conſecrandi, quibus dictum eſt: *Hoc facite in meam commemorationem* : atqui id non Apoſtolis ſolis, ſed & fidelibus univerſis dictum eſt in perſona Apoſtolorum. Nihil enim habent verba hæc, quo ceteri fideles a conſecratione magis excludantur, quam iſta : *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. habeant unde excludantur Diaconi, imo & Laici a Baptiſmo ſaltem in caſu neceſſitatis conferendo : atqui poſtrema hæc verba : *Docete, baptizantes*, etſi ſolis Apoſtolis dicta, nihil tamen habent, quo Diaconi, &c.

R. ad 1. 1. neg. maj. ea enim verba : *Hoc facite*, &c. prout apud Lucam & Paulum extant, duplex important præceptum, aliud quidem celebrandæ, aliud autem percipiendæ Euchariſtiæ in memoriam Chriſti. Priori ſenſu ad Apoſtolos ſolos, eorumque ſucceſſores pertinent apud S. Lucam : poſteriori vero ad ſolos fideles apud Paulum, qui I. Cor. 11. ſolos communicantes alloquitur. Unde

R. 2. diſt. min. univerſis fidelibus dictum eſt, *Hoc facite*, dictum, inquam, quantum ad aliquid, nimirum Euchariſtiæ perceptionem, C. quantum ad omnia, N. itaque agnoſcunt nobiſcum Adverſarii in citatis Chriſti verbis non modo recipiendæ, ſed & conficiendæ Euchariſtiæ præceptum; alioqui nullum haberent in Scriptura ſuam Cœnam celebrandi præceptum: atqui præceptum illud, qua parte celebrationem ſpectat, ad fideles omnes extendi, nec probant, nec probare poſſunt ex Scripturis; unde tamen (idque qui contra eos diſputant, præ oculis ſemper habere debent) ſua omnia probare tenentur. Non extendi autem probamus 1. ex Luca, ſupra pag. 438. 2. ex conſtanti Traditione, ibid. pag. idem.

Ad 2. diſt. maj. nihil habent verba hæc, &c. præciſa a Traditione, & perpetua omnium mundi Eccleſiarum praxi, C. nihil habent intellecta prout ubique terrarum ſemper intellecta ſunt a Catholicis, N. itaque in præſenti negotio, ut in aliis compluribus, uſurpari poteſt id Tertulliani, Lib. de corona militis, c. 4. *Harum & aliarum hujuſmodi diſciplinarum, ſi legem*

legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies, Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix: rationem Traditioni, conſuetudinem fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit, diſces. Cur autem qui Baptiſmum ab ipſis etiam feminis, imo & ab infidelibus valide conferri voluit, Euchariſtiam a ſolis Sacerdotibus confici voluerit, ratio præcipue duplex, 1. quod longe major ſit Baptiſmi neceſſitas, quam Euchariſtiæ; 2. quod confectio corporis Chriſti eam exigat ſanctitatem, quæ cum difficile in Nazaræis Domino conſecratis reperiatur, multo minus in communi fidelium turba occurreret.

Inſt. 1. Ex conceſſis, Sacerdotibus omnibus facta eſt a Chriſto conſecrandi facultas: atqui fideles univerſi ſunt Sacerdotes. Prob. min. ex I. Petri 2. 9. ubi Chriſtianos omnes alloquens: *Vos autem*, inquit, *genus electum, regale Sacerdotium*. & Apocalypſ. 1. 6. *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo;* ergo.

R. diſt. min. ſunt Sacerdotes improprie & metaphorice, C. vere & proprie, N. itaque fideles cuncti eo ſenſu ſunt Sacerdotes, quod, ut ibid. ait Apoſtolus, *offerre* debent *ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum;* ideſt, uti cum ceteris interpretatur Auguſtinus in Pſalm. 94. ex *anima* ſua, quæ *eſt ara Dei* juge ac fervens orationis ſacrificium emittere: at non ideo verum hunc habent Sacerdotii gradum, qui ad obeunda ſacra requiritur: 1. quia eodem modo ſunt Sacerdotes, quo ſunt reges: atqui nonniſi metaphorice reges ſunt, quatenus affectibus ſuis imperant, eoſque moderantur; 2. quia alioqui & infantes, & feminæ ſacris operari poſſent; quod Luthero quidem, ſed ſenſato nemini in mentem venire poſſit. *Tom. 2. p. 1026.*

Inſt. 2. Atqui nihil abſurdi eſt, ſi Laici & feminæ ipſæ vere ſint Sacerdotes, & ſacra peragant; ergo. Prob. ſubſ. 1. ex Hiſtoria Frumentii, natione Tyrii, gradu Laici, qui, ut refert Theodoretus L. 2. c. 23. cum in India, ſeu Æthiopia regiæ domui præeſſet, Italos mercatores qui eo commeabant, hortatus eſt, ut pro Romanorum more, ſimul ad divina myſteria celebranda convenirent: atqui nec Frumentius, nec mercatores Sacerdotio inſigniti erant; ergo tunc perſuaſum erat, myſteria, ſaltem abſente Presbytero a Laicis poſſe celebrari; 2. ex Actis ſanctæ Petronillæ martyris ad diem Maji trigeſimum, ubi ſic: *Celebratis Dominicæ oblationis myſteriis, mox ut Chriſti Sacramentum accepit, emiſit ſpiritum;* ergo ipſa ſacram ſynaxim celebraverat.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 1. 2. dico 1. haud equidem mercatores Sacerdotio inſignitos fuiſſe, ac fieri potuiſſe, ut Sacerdotem haberent ſocium peregrinationis.

Dico 2. in Hiſtoria Frumentii conſulendum eſſe præſertim Rufinum, a quo ipſam hauſere Theodoretus & Socrates: atqui Rufinus Lib. 1. Hiſtor. c. 9. nullam prorſus facit mentionem Euchariſtiæ, ſed tantum orationis. En ipſius verba: *Admonuit* Frumentius, *ut conventicula per loca ſingula facerent, ad quæ ritu Romano orationis cauſa confluerent.* Non alio loquuntur ſenſu Sozomenus Lib. 2. cap. 23. & Nicephorus Lib. 8. c. 35. ergo vel male rem aſſecutus eſt Theodoretus; vel, quod multo probabilius videtur, per Liturgiæ vocem qua uſus eſt, ſacras intellexit preces, quæ citra myſteriorum celebrationem in fidelium conventu recitabantur.

Et

Digitized by Google

Et vero Frumentius Alexandriam profectus eſt, Sacerdotem poſtulaturus ab Athanaſio, qui ipſum dignitate illa exornavit: ad quid vero opus Sacerdote tam longe quæſito, ſi Laici omnes eo munere defungi poſſunt.

Ad 2. 2. nego conſeq. nam conſtat quidem ex Actis, celebrata fuiſſe myſteria; ſed a quo celebrata fuerint, diſerte ex iiſdem Actis non conſtat; ergo id aliunde petendum eſt: atqui non melius repeti poteſt quam ex univerſali Eccleſiæ praxi, quæ ſolos ad celebranda ſacra Sacerdotes admittit, excluſis Laicis, præſertim autem mulieribus, queis nec permiſſum eſt in Eccleſia loqui; ergo.

Obj. 2. Tertullianus Lib. de exhortatione caſtitatis, ſecundas nuptias ipſis etiam Laicis interdictas eſſe probat, eo quia & ipſi Laici ſint Sacerdotes; a Sacerdotio autem excludantur bigami. Sic ille: *Sed dices: Ergo ceteris licet* ſecundum matrimonium, *quos excipit*, ſeu quos lege ſua non comprehendit Apoſtolus, cum jubet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum. En objectio in gratiam ſecundi Laicorum conjugii. Hanc vero ſic diluit Tertullianus: *Vani erimus, ſi putaverimus, quod Sacerdotibus non liceat, Laicis licere.* Nonne *& Laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt:* Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri ſuo nos fecit. *Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo. Ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus, & offers; & tinguis, & Sacerdos es tibi ſolus: ſed ubi tres, Eccleſia eſt, licet Laici: unuſquiſque enim ſua fide vivit, nec eſt perſonarum acceptio apud Deum .... Igitur ſi habes jus Sacerdotis in temetipſo ubi neceſſe eſt, habeas oportet etiam diſciplinam Sacerdotis, ubi neceſſe eſt habere. Digamus tinguis? digamus offers? quanto magis Laico digamo capitale eſt agere pro Sacerdote, cum ipſi Sacerdoti digamo facto auferatur agere Sacerdotem? Sed neceſſitati, inquis, indulgetur. Nulla neceſſitas excuſatur, quæ poteſt non eſſe. Noli denique digamus deprehendi, & non committis in neceſſitatem adminiſtrandi, quod non licet digamo. Omnes nos vult Deus ita diſpoſitos eſſe, ut ubique Sacramentis ejus obeundis apti ſimus .... Uſque adeo niſi & Laici ea obſervent, per quæ Preſbyteri adleguntur, quomodo erunt Preſbyteri qui de Laicis adleguntur?* atqui hic dubio procul docet Tertullianus Laicos eſſe Sacerdotes; ergo.

Reſpondent non pauci cum VVitaſſio, Tertullianum cum Librum de Caſtitate ſcripſit, jam ad Montani partes deflexiſſe, ac proin ſubleſtæ admodum eſſe fidei, ſecundum id Hieronymi Epiſt. adverſus Helvidium: *De Tertulliano nihil aliud reſpondeo, quam* eum *Eccleſiæ hominem non fuiſſe.* Cui conſonat id Vincentii Lirinenſis c. 18. *Mutata deinceps ſententia fecit ad extremum, quod de eo B. Confeſſor Hilarius quodam loco ſcripſit* (in Matth. c. 5.) *Sequenti, inquit, errore detraxit Scriptis probabilibus auctoritatem. Et fuit ipſe quoque in Eccleſia magna tentatio*, &c.

Edit. Baluſ. pag. 345.

Quia tamen probabilius eſt lucubrationes de caſtitate ante exaratas fuiſſe, quam Montani dementiam amplexus eſſet Tertullianus; cum & in iis ſe adhuc Laicum eſſe ſubindicet, *Et nos Laici Sacerdotes ſumus;* & Hieronymus Lib. 1. adverſus Jovinianum, ſcribat, *Tertullianum adhuc adoleſcentem luſiſſe in hac materia*,

R. diſt. min. docet, Laicos eſſe Sacerdotes latiori ſenſu, diſpoſitive, & quaſi in actu primo, C. ſtricte, proprie & de facto, N. Ut intelligatur ſolutio,

lutio, notandum cum Theologo Pariſienſi mox citato, 1. moris olim fuiſſe ut haberentur ſynaxes etiam ſine Euchariſtiæ celebratione, ſive cum abeſſet Sacerdos; ſive cum etſi præſens Euchariſtiam conficere non poterat, puta quia jejunus non eſſet, aut inſtaret periculum effuſionis, ut in navi agitata, eæque Miſſæ vel *ſiccæ*, vel *nauticæ* dicebantur. Id autem, ſi Caroli Magni ævo necdum deſierat, quanto plus ſæviente perſecutionis æſtu, adeoque Tertulliani tempore in uſu fuit? Deficiente porro Sacerdote, qui omnia non poterant fideles, id ſaltem quod poterant pro pietate ſua exequebantur. Legebant nimirum aliquid Scripturæ, fundebant preces, panem offerebant, qui Euchariſtiæ loco ſingulis diſtribueretur in imaginem & ſupplementum communionis. Ad hujuſmodi ſynaxes alludere videtur Tertullianus L. de fuga in perſecut. c. 14. *Poſtremo*, inquit, *ſi colligere interdiu non potes, habes noctem .. . Non potes diſcurrere per ſingulos, ſit tibi & in tribus Eccleſia;* 2. Fideles qui tunc temporis Euchariſtiam apud ſe aſportabant, eam non ſumpſiſſe ſine adumbrata quapiam rituum in Eccleſia fieri ſolitorum repræſentatione. Extat hujus rei exemplum in Actis Martyrum Indæ & Domnæ. His enim ad id officii erat in penario Liber ſacroſanctus, thuribulum fictile, lucerna, & arcula lignea ſacram recondens oblationem, cujus participes futuræ eſſent. Quo autem ritu vel in altari domeſtico, vel in menſa, omnia hæc componerentur, quos Pſalmos recitari oporteret, quo pacto flecterentur genua, diſcimus ex vita Lucæ Junioris Anachoretæ, quam ad calcem Hiſtoriæ Monothelitarum edidit Combefiſius. Jam vero ſi hanc Liturgiæ ſpeciem ſuis quiſque in ædibus celebrabat, quanto magis cum plures convenerant, ac deerat copia Sacerdotis? Quis autem dubitet eo in caſu electum fuiſſe aliquem e Laicis, qui ſacro hoc ritu defungeretur. Aliquem dico, ut feminas excludam. Id enim muneris virilia inter munia recenſet, & ſimul a ſacerdotalibus officiis diſtinguit Tertullianus, Lib. de Virginibus velandis, c. 9. ubi hæc: *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec ullius virilis muneris,* NEDUM SACERDOTALIS OFFICII *ſortem ſibi vindicare.*

Surius 26. Decemb.

Si ergo hujus generis ſint oblatio & Sacerdotium de quibus loquitur Tertullianus, nihil utique a cetera Traditione diverſum docet: atqui hunc non modo poſſe, ſed & debere ſic intelligi ſuadent & omnino perſuadent tria: primum eſt quod, ut notant Petavius ſupra, & Rigaltius in hunc locum, vox *offerendi*, apud Tertullianum, ut & alios Scriptores, non ſemper conſecrationem ſonat, ſed ſæpius quamlibet panis oblationem: Sic in Lib. de Monogamia, cap. 10. loquens de marito: *Et offers*, inquit, *annuis diebus dormitionis ejus;* ſecundum quod, ut ſtatim dicebamus, has offerendi partes, ut & tingendi, annumerat inter munera virilia, quatenus ſecernuntur a Sacerdotalibus; tertium quod ſententiam ſuam ex eo probat Scripturæ loco, ubi Reges ac Sacerdotes dicuntur omnes Chriſtiani: atqui non eo uſque deſipuit vir ſapiens, ut Chriſtianos omnes vere & proprie Reges crediderit; ergo nec eos vere & ſtricte Sacerdotes eſſe credidit. Huc uſque citatus Doctor, quibus & id e Tournelyo addi poſſit, ſacrificium de quo loquitur Tertullianus, per fidem ſolam exerceri: id enim indicant hæc ejus verba: *Unuſquiſque ex ſua fide vivit, nec eſt perſonarum acceptio apud Deum.* Quod adje-

adjecimus, Laicos ipſos, in mente Tertulliani, eſſe diſpoſitive Sacerdotes, mox eluceſcet.

Inſt. 1. Qui monogamiæ onus, ſolis veris Sacerdotibus impoſitum, ad Laicos omnes extendit, is Laicos omnes pro veris Sacerdotibus habet: atqui Tertullianus, &c.

R. neg. maj. non enim eo Tertullianus Laicis imponit monogamiæ legem, quia eos actu & de facto pro veris Sacerdotibus habeat, ſed quia vult ut ſint diſpoſitive Sacerdotes, ſeu ut ſinguli idoneos ſe reddant, qui in veros Sacerdotes eligi poſſint. *Niſi*, inquit, *& Laici ea obſervent per quæ Presbyteri adleguntur, quomodo erunt Presbyteri, qui de Laicis adleguntur.* Et vero ſi nemo non ſit Sacerdos, quare alii dicuntur Laici, alii Sacerdotes? quare rurſus tot verba, ut legi monogamiæ ſubjiciantur, cui, utpote ex ipſa Baptiſmi ratione Sacerdotes, jam ſubjecti erant?

Inſt. 2. Si res ita ſit, Clerus a plebe ipſo divino jure diſtinguitur, non autem ſola Eccleſiæ auctoritate: atqui contra ex Tertulliano *differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas;* ergo.

R. diſt. min. differentiam ..... conſtituit auctoritas Eccleſiæ, conſtituit, inquam, inchoate & inadæquate, C. complete, N. itaque Ordinis & plebis diſcrimen inchoabat auctoritas Eccleſiæ, quatenus Clerus & populus e Laicis eligebant, qui in Altaris Miniſtros conſecrandi eſſent. Verum haud idonea erat externa hæc electio, quæ Laicum complete Sacerdotem efficeret. Unde ſubdit Tertullianus, *& honor per Ordinis conſeſſum* A DEO *ſanctificatus;* ſic enim, non autem, *adeo*, legendum eſſe animadvertit Illuſt. Albaſpinæus Lib. 2. de Euch. c. 8. itaut ſenſus ſit, Ordinis honorem *a Deo* ſanctificari, nimirum per conſecrationem & poteſtatem, quæ in ordinatione confertur.

Inſt. 3. Non eſt Eccleſia ſine vero & completo Sacerdote: atqui ex Tertulliano ibid. *ubi tres* ſunt, *licet Laici*, *Eccleſia eſt;* ergo.

R. diſt. min. ubi tres ſunt Laici, Eccleſia eſt, ratione fidei & charitatis, *unuſquiſque enim ſua fide vivit*, ait ibid. Tertullianus, C. ratione miniſterii, ſubd. miniſterii alicujus, Sacerdotale miniſterium, quantum poteſt adumbrantis, C. miniſterii totalis, ſeu Sacerdotii proprie dicti, N. ſolutio patet ex dictis. Ita iidem.

Obj. 3. Non is erat Levita Laurentius, qui jus ſibi indebitum uſurparet: atqui tamen conſecrabat S. Laurentius. Prob. min. ex his ejus ad Sixtum Pontificem verbis apud Ambroſium Lib. 1. de Officiis, cap. 41. nu. 214. *Quo Sacerdos ſancte ſine Diacono properas? Nunquam ſacrificium ſine Miniſtro offerre conſueveras ...... Cui commiſiſti Dominici ſanguinis* CONSECRATIONEM, *cui Sacramentorum conſummandorum conſortium, huic tui ſanguinis conſortium negas;* ergo Dominici ſanguinis conſecratio Diaconis competebat.

T. 2 pag. 541.

Idem docet Joannes Moſchus cap. 25. Prati ſpiritualis, quod Opus a Concilio Nicæno II. non ſine laude citatum eſt. Ibi nempe narrat Moſchus, Diaconum quemdam Monachum, cum forte conſecrationis verba ſuper panibus quos ferebat, pronuntiaſſet, conſecraſſe reipſa; conſecrationis autem factæ monitum ab Angelo fuiſſe Abbatem Joannem, qui exinde Cæſareæ Epiſcopus fuit.

R. 1. In vita tum B. Sixti apud Lipomanum, Venetæ editionis an. 1554. tum

tum S. Laurentii, ut habetur in Legenda Lombardica Jac. Genuenſis excuſa Nurembùrgi an. 1487. legi, *Dominici ſanguinis diſpenſationem;* quod quidem haud levi indicio eſt alicubi extare vetus aliquod exemplar, in quo ſic legatur. Unde non ita culpandi Romani Editores, qui lectionem hanc ſecuti fuere. Quia tamen *conſecrationem* habent editi & MSS. Codices omnes ad unum;

R. 2. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. ant. commiſſa erat ſancto Levitæ Dominici ſanguinis conſecratio, ideſt ſanguinis jam conſecrati diſtributio, C. ideſt actus ipſe conſecrandi, ſubdiſt. conſecrandi cooperando per modum Miniſtri actioni Sacerdotis, C. vere & efficienter conſecrando, N. Itaque conſecratio non raro ſumitur pro uſu rei jam conſecratæ: ſic in ipſo Miſſæ ſacrificio, dum corporis conſecrati particula immittitur in calicem, ait Sacerdos: *Hæc .... conſecratio corporis & ſanguinis*, &c. ergo conſecrare dicitur, qui quoquo modo utitur conſecratis; neque id dictum perperam, quandoquidem, uti notat Card. Bona Lib. 1. Rer. Liturg. c. 25. n. 4. ſanguis Chriſti diſpenſatus, eſt *conſecratio & ſanctificatio noſtra, & fons atque eſſentia omnis ſanctificationis*. Quamquam & alio ſenſu proprio magis conſecrant Diaconi, quatenus Sacerdotis actioni, tanquam primarii ejuſdem Miniſtri, per modum cujuſdam, ſi ita loqui fas eſt, concelebrationis cooperantur: quin & populum ipſum aliquo modo conſecrare aſſerit Guerricus Abbas, Serm. 5. de Purific. Male ergo Hoſpinianus Lib. 5. Hiſtor. Sacram. cap. 25. ex objectis Ambroſii verbis exprimere conatur licuiſſe olim Diaconis in abſentia Sacerdotum Euchariſtiam conficere. Neque enim hic ſacrificantem, ſed ſacrificantis Miniſtrum ſe profitetur Laurentius, nec de Sacerdotis abſentia loquitur, ſed de *conſortio*. Ita in hunc locum eruditi Benedictini.

Ad Diaconum, vel potius Laicum, de quo Moſchus, R. fuiſse id ſingulare prodigium, quo vim Eccleſiaſticæ benedictionis Deus extra ordinem demonſtrare voluerit: hic porro non diſputamus niſi de iis quæ ſecundum leges a Chriſto ſancitas fiunt.

Ceterum Pratum ſpirituale Moſchi, non ejus eſt auctoritatis, cui, ſi a Traditione ſeparetur, inniti poſſint fidei dogmata. Hic, verba ſunt docti juxta & pii Ant. Poſsevini, *nonnumquam inſerit Auctor*, Moſchus, *Appar.*
ea quæ parum fidem tutam habent; quin & vel relata a non fide dignis, atque *Sac. t. 2.*
interdum aſperſa mendacio, cum delectu ſecernenda ſunt ab aliis. Ecquis, ne a *pag. 426.*
propoſito divagemur, facile credat, hominem laicum deambulando, & ſine conſecrandi intentione conſecraſse? Quis ſicca avena baptiſmum conferri autumet, quod alibi ſubindicat Moſchus? Quis eo Auctore fabellam Athanaſii pueri pueros per ludum baptizantis admittat?

Nec obeſt quod caput 45. Prati ſpiritualis non ſine encomio in Synodo *De Scri-*
Nicæna II. laudatum fuerit; hinc enim tantum ſequitur, Librum hunc *ma-* *pte Eccleſ.*
gna ex parte utilem eſse, ut ait Bellarminus; non autem quidquid ab eo re- *ad an.*
fertur, *fidem habere tutam*, ſemperque a teſtibus *fide dignis* emanaſse. *630.*

Conclusio II. Nullo certo antiquitatis monumento probari poteſt Diaconos ſibi olim jus Euchariſtiam conſecrandi arrogaſse.

Prob. hujus enim Diaconorum uſurpationis ſi quid uſpiam extet veſtigii, *Lenglet*
maxime in Conciliis Arelatenſi I. an. 314. Ancyrano, an. eod. & Laodi- *Tab. T. 2.*
ceno, an. 320. ſeu ut Harduino videtur, an. 372. atqui nihil eſt in hiſce *pag. 216.*
Con-

Conciliis, unde prædicta Diaconorum uſurpatio firme colligi poſſit. Sic enim habet, qui plus hic moræ facere poteſt, Canon 15. Concilii Arelatenſis: *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis* OFFERRE, *placuit minime fieri debere*. Canon 2. Ancyrani Concilii ſic: *Diaconos qui* Idolis *ſacrificarunt, poſtea autem* idololatris ſtrenue *reluctati ſunt, alium quidem honorem habere, ipſos autem ab omni* SACERDOTALI MINISTERIO *ceſſare, & panem vel calicem offerendi, vel prædicandi*. Denique Canon 25. Laodiceni Concilii: *Non oportet Miniſtros panem dare, vel calicem* BENEDICERE: atqui ex his Canonibus ne unus eſt unde colligi certo queat Diaconos ſibi conficiendæ Euchariſtiæ jus arrogaſſe.

Tom. 1. Conc. Labb. p 1428.

Ibid pag 1455.

Non 1. ex Canone 15. Concilii Arelatenſis, quidquid in contrarium ſentiat Auctor Collationum ſub Dugueti nomine editarum. Vox enim, *offerre*, quæ ſcrupulum injicit, non ſemper ſignificat *conſecrare*, ſed idem ſæpiſſime eſt ac *miniſtrare, porrigere, diſtribuere*; quem ſenſum ſi habeat in prædicto Canone, eo quidem prohibebitur Diaconis, ne jure quaſi proprio, & citra Epiſcopi, aut Presbyteri licentiam, ſacram ſynaxim diſtribuant, non autem ne conſecrent: atqui per *offerendi* vocem ſolam hic Euchariſtiæ diſtributionem ſignificari, multa ſunt quæ perſuadeant: 1. enim merito præſumitur eam ab Arelatenſi Synodo repreſſam fuiſſe ſpeciem uſurpationis, quam alia ejuſdem ſæculi Concilia reprimere tentarunt: atqui quod Euchariſtiam paſſim & pro arbitrio ipſis etiam Sacerdotibus diſtribuere præſumerent Diaconi, genus fuit arrogantiæ, quod alia ejuſdem ævi Concilia comprimere ſtuduerunt. Sic Concilium I. Nicænum Can. 18. amare conqueritur, *quod in quibuſdam locis & civitatibus, Presbyteris gratiam ſacræ communionis Diaconi porrigant, etſi*, inquiunt Patres, *nec regula, nec conſuetudo tradidit, ut ab his qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Chriſti corpus accipiant*, &c. ergo. 2. quia ex dictis liquet, Euchariſtiæ a Diaconis confectionem, immane futuram fuiſſe crimen: an vero crimen tantum his duntaxat verbis repreſſiſſet Arelatenſis Synodus? *Placuit id minime fieri debere:* Non credo, nec facile credet qui ſanctam hujus temporis ſeveritatem perſpectam habuerit; 3. quia Canon 18. permittit Diaconis Urbicis, ſeu urbis Romæ, ut id de Presbyterorum conſenſu faciant, quod ceteris Can. 15. prohibetur; unde decimi quinti & decimi octavi Canonis eumdem eſſe ſenſum agnoſcit cum aliis Duguetus: en verba Canonis: *De Diaconibus Urbicis, ut non ſibi tantum præſumant, ſed honorem Presbyteris reſervent, ut ſine conſcientia ipſorum nihil tale faciant*: atqui dubio procul non permiſit Arelatenſe Concilium, ut, accedente etiam Presbyteri licentia, Urbici Diaconi Euchariſtiam conficerent; ergo de hac conſecratione neutiquam agitur Canone 15.

Duguet T. 2 p. 2.

Tom. 1. Conc. p. 1429.

Non etiam ex Canone 2. Concilii Ancyrani, qui ut in eum locum notat Cabaſſut. in Notitia Eccleſ. male redditus eſt a Gentiano Herveto, ut in objectione; ſed reddi debet: *Ab omni ſacro miniſterio* panem & calicem *circumferendi*, ſeu *perferendi*, non autem *offerendi*. Hac autem admiſſa lectione, quam & habet Labbeus, corruit difficultas e *Sacerdotalis miniſterii* vocibus petita. Quamquam nec inſolubilis foret nodus iſte, retenta etiam Herveti verſione; quia perſpicuum foret per *Sacerdotale miniſterium* haud intelligi ipſam conſecrandi actionem, ſed ſolam eam, quæ Diaconibus competit, Sacerdotali miniſterio cooperandi facultatem. Et vero per-

Cabaſſut. pag. 94.

Lab. T. 1. p. 1464.

Digitized by Google

permittunt Patres, ut Epiſcopi, qui Diaconorum lapſorum pœnitentiæ teſtes fuerint, eos reſtituant functionibus, quibus per objecta Canonis verba propter lapſum ſuum privati fuerant: atqui indubie non permittunt ut Diaconi reſtituantur poteſtati conſecrandæ Euchariſtiæ: cum omni ævo receptum fuerit iſtud S. Clementis Papæ, Lib. 8. Conſtit. Apoſtol. c. 46. *Diacono non fas eſt offerre ſacrificium;* ergo id quo privabantur Diaconi, non erat ipſa vere & ſtricte ſacerdotalis conſecrandi functio. Iſta utique non ſolum propter idololatriam, ſed & propter ſacrilegam Sacerdotii uſurpationem privati fuiſſent: non privantur autem in Canone, niſi quia idolis immolarunt.

Non denique ex Canone Laodiceno, qui extra rem eſt, cum de ſolis Subdiaconis loquatur, quos nemo uſquam attentatæ ſacræ conſecrationis incuſavit. Quæ ergo iis interdicitur, ſeu porrectio panis, ſeu calicis benedictio, non conſecratoria eſt, ſed mere miniſterialis, quæ a Diaconis quidem Sacerdoti ſacra peragenti ſervientibus fieri poterat, non autem ab inferioribus Miniſtris. *Labb. T. 1. pag. 1518.*

Dices cum Dugueto ubi ſupra: Vox *offerre*, qua utuntur Patres Arelatenſes, ubicumque ipſam conſecrandi actionem ſignificat; ergo detorta eſt noſtra Canonis 15. interpretatio.

R. neg. ant. ſiquidem *offerre*, idem eſt aliquando ac panem & vinum Epiſcopo vel Sacerdoti ad conſecrationem porrigere; aliquando idem ac dona jam conſecrata fidelibus ad communionem diſtribuere. Priori ſenſu fideles omnes dona ex quibus Euchariſtia vel eulogiæ confici ſolebant, ſuppeditantes, *offerre* dicebantur. Dicebantur & Diaconi, ſeu apud Græcos, cum a protheſi ad apotheſim panem conſecrandum deferebant; ſeu apud Latinos, cum celebranti conſecranda dona porrigebant. Sic Innocentius III. Lib. 1. de myſteriis Miſſæ, cap. 5. ait Diaconos *prædicare Evangelium, menſam componere, offerre Euchariſtiam*. Poſteriori ſenſu ſcribit Cyprianus Tract. de Lapſis, *Diaconum calicem præſentibus offerre*. Idem tradit Juſtinus Apolog. 2. Auguſtinus Serm. de S. Laurentio; idque in Ordine Romano tanquam Diaconorum munus exprimitur. *Tom. 1. pag. 508.* *Pag. 175.*

Inſt. Diaconi ex Ordinatione ſua habent quod Euchariſtiæ Miniſtri ſint: atqui noluerunt Concilia Diaconos ſuo hoc jure privare; ergo veri admodum ſimile eſt repreſſam a Conciliis fuiſſe audaciam, qua ſibi conſecrandi jus arrogarent.

Et vero Diaconibus olim concredita eſt ruſticæ plebis regendæ Provincia, ut liquet ex S. Cypriano Epiſt. 11. Synodo Eliberitana cap. 77. & Euſebio Lib. 2. de vita Conſtantini cap. 46. hinc vero temerariis hominibus facile fuit ad Euchariſtiæ conſecrationem, irrito licet conatu, aſſurgere.

R. ad 1. id habere Diaconos ab Ordinatione ſua, quod Epiſcopi vel Presbyteri juſſu Euchariſtiam miniſtrent: cum autem eorum nonnulli id proprio marte facerent, neque a Sacerdotibus pendere vellent, quod facile inſpirat livoris & ſuperbiæ typhus, non mirum ſi hac de cauſa repreſſi ſint a Conciliis; nec propter graviorem culpam repreſſi fuiſſe cenſendi ſunt, niſi id invicte probetur, quod hactenus factum non eſt.

Ad confirmat. regebant quidem Diaconi Parochias rureſtres, ſed 1. Baptiſmum & Synaxim in caſu neceſſitatis adminiſtrando; 2. commiſſas

ſibi

Digitized by Google

ſibi oves monitis fovendo, ut ait Cyprianus Ep.11. At eo uſque progreſſos eſſe Diaconos ut Euchariſtiam conficerent, nemo prodidit.

Quæres an Neomyſtæ, ſeu novi Sacerdotes, cum Epiſcopo conſecrent.

Supponit hæc quæſtio fieri poſſe ut plures, qui eamdem materiam eadem forma attingant, idem conficiant Sacramentum, quod & nos in Tractatu de Baptiſmo docuimus. Et vero ſi in phyſicis & moralibus plura agentia quandoque ad eumdem concurrant effectum, quem eorum ſingula parere poſſent; quidni & in Sacramentis, ſeu phyſice agant, ſeu moraliter, ut nobis videtur. Jam ad propoſitum,

Tom. 7. pag. 613.

Non defuere qui praxim qua Neomyſtæ cum Epiſcopo concelebrant, abolendam cenſuerint. Ita Durandus & alii quos refert Suares diſp. 57. ſect. 4. Verum cenſura hæc hodie non careret inſigni temeritate, cum & Eccleſiæ conſuetudinem redarguat, & Pontificali Clementis VIII. mandatis edito adverſetur. Imo teſte Vaſquez diſp. 218. c. 2. celebranti in Eccleſia Græca Epiſcopo ſemper adſtat Presbyter alius, qui eamdem cum ipſo materiam conſecrat.

Multiplex eſt circa præſentem controverſiam opinio. Alii enim cum Lugo diſp.11. n.160. cenſent Neomyſtas vere conſecrare. Alii cum Suare ubi ſtatim, & Conink q.81. art.2. quibus concinit Paulus Maria Quarti, * volunt ut Presbyteri illi habeant intentionem conſecrandi conditionatam; talem ſcilicet, ut ſi, quod conari debent, verba formæ abſolvant cum Epiſcopo, reipſa conſecrent; ſi vero non eodem præciſe inſtanti abſolvant, ſed prius vel poſterius, nolint conſecrare. Alii demum, iique plures numero, negant eos conſecrare: 1. quia in vetuſtiſſimo Pontificali præcipiebatur ut Neomyſtæ omnia dicerent cum Epiſcopo, *ſicut ſi celebrarent;* ergo non celebrant de facto; 2. quia nonniſi recitative alia quædam Canonis verba pronuntiant, puta hæc: *Calicem ſalutaris accipiam*, &c. *ſanguis Domini N. J. C.* &c. 3. quia ſi formaliter conſecrarent cum Epiſcopo, proinque conſecrandi intentionem habere deberent, periculum eſſet ne eorum plurimi verba proferrent ſuper materiam jam conſecratam; cum ſit moraliter impoſſibile ut omnes formam ſimul abſolvant. Imo periculum eſſet ne non ſacrificaret Epiſcopus ipſe ob inconſideratam aliquorum feſtinationem. Quod enim ſuadent aliqui ut novelli Sacerdotes intentionem conſecrandi ad illud referant tempus, quo Antiſtes formam abſolvet, nihil juvare poteſt, cum poſitis materia, forma & intentione conficiendi Sacramenti, non ſit liberum Miniſtro effectum ejus protrahere; 4. quia qui conſecrat, debet per utriuſque ſpeciei ſumptionem ſacrificium perficere, idque, juxta non paucos, de jure divino: atqui Neomyſtæ ſolam panis ſpeciem recipiunt apud nos; 5. quia in numeroſis Ordinationibus, quales Pariſiis celebrantur, dubium foret an non remotior eſſet materia conſecrationis, quam ut veluti ad oculum præſens per voces Hoc & Hic, demonſtrari poſſet.

Dices: In Rituali Romano jubetur Epiſcopus alta voce & tractim conſecrare, ut Ordinati formam ſimul cum ipſo abſolventes, ei concelebrent; ergo.

R. neg. conſeq. ne enim Rituale Pontificali adverſetur, dicendum eſt iſtud *ut ei*

* Rubrica Miſſalis Romani Commentariis illuſtratæ .... Auctore Paulo Maria Quarti, Andrienſi, Clerico Regulari. Romæ 1655. & melius auctiuſque ibid. 1674.

Digitized by Google

ut ei concelebrent, idem eſſe ac illud: *ſicut ſi celebrarent*, adeoque ſolam per Rituale indicari celebrationem materialem, ut Ordinantem inter & Ordinatos æqua ſit rituum conformitas. Forte etiam, ait Henno, hic præſcribitur cautela; *quia non obſtante ſententiæ noſtræ probabilioritate, non eſt ſatis certum, an formam proferre debeant materialiter, an formaliter*. Unde, ſubdit idem, *in praxi inſtruendi ſunt Neomyſtæ, ut id intendant, quod Eccleſia vult ab illis fieri, adeoque proferre verba formaliter, ſi talis ſit mens Eccleſiæ; ſin minus, materialiter; ſemper tamen cavendo, ne ante Epiſcopum abſolvant*.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Miniſtro Diſpenſationis.

QUæſtio eſt de adminiſtratione licita: conſtat enim Euchariſtiam a femina etiam hæretica, imo & pagana valide adminiſtratum iri. Porro circa legitimum diſpenſationis Euchariſtiæ Miniſtrum, quæritur 1. quis ille ſit; 2. an ad diſpenſationem hanc requiratur juriſdictio; 3. quibus tempore, loco & ritu communio diſtribuenda ſit.

CONCLUSIO I. Epiſcopus & Presbyter ſoli ſunt jure divino ordinarii Euchariſtiæ diſpenſandæ Miniſtri.

Prob. 1. quod utrique ſint ordinarii Miniſtri. Quibus enim pleno jure conceſſa eſt Euchariſtiæ conficiendæ facultas, his & eodem jure conceſſa eſt illius adminiſtrandæ licentia. Conſecratio enim ad diſtributionem ut ad finem ordinatur; cum dixerit Chriſtus: *Accipite, & comedite: bibite ex hoc omnes:* atqui Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus conceſſa eſt Euchariſtiæ conficiendæ facultas, ex dictis Articulo præcedenti; ergo.

Quod autem iidem & ſoli ſint ordinarii communionis Miniſtri, patet 1. quia eos ſolos in perſona Apoſtolorum alloquebatur Dominus, cum diceret: *Hoc facite*, &c. quæ verba & conſecrationem, & rei conſecratæ uſum complectuntur; 2. quia eo præcipue tendunt hæc Apoſtoli verba, I. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut ...... diſpenſatores myſteriorum Dei;* 3. quia ex Tridentino Seſſ. 13. c. 8. *in Sacramentali ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent .... qui mos tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, jure ac merito retineri debet;* 4. quia id docet S. Thomas 3. p. qu. 82. a. 3. & in hymno, ubi nota hæc habet: *Cujus officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant & dent ceteris*.

At, inquies, unuſquiſque olim, etiam Laicus, communionem ſibi adminiſtrabat, ſecundum id S. Auguſtini Serm. 252. de Tempore: *Omnes viri, quando communicare deſiderant, lavant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ut corpus Chriſti accipiant;* ergo.

R. Laicos manu quidem ſua Euchariſtiam ad os detuliſse, at receptam de manu Sacerdotis. Unde ſicut eleemoſynæ miniſter eſt, non inops qui eam in pera reponit, ſed qui eam erogat inopi; ita ſimiliter in propoſito.

CONCLUSIO II. Diaconi ex inſtitutione ſua, proinque ex jure divino

ſunt Euchariſtiæ diſpenſandæ Miniſtri, non tamen ſine commiſſione Epiſcopi vel Sacerdotis : unde Miniſtri ſunt extraordinarii.

Prob. 1. pars : Illi ex inſtitutione ſua communionis diſpenſandæ miniſtri ſunt, quibus id muneris ab initio Eccleſiæ tam in Oriente quam in Occidente commiſſum eſt : atqui Diaconis .... Prob. min. de Oriente ex Juſtino Apolog. 2. ubi ſic : *Qui apud nos vocantur Diaconi atque Miniſtri, diſtribuunt unicuique præſentium, ut participent eum in quo gratiæ ſunt actæ, panem & vinum & aquam, & ad abſentes perferunt*. Idem colligitur ex Nicæno Can. 18. qui cum ſolum prohibeat ne Diaconi Presbyteris Euchariſtiam adminiſtrent, exerte docet poſſe hanc ab iiſdem, ſeu Laicis, ſeu etiam inferioribus Clericis adminiſtrari. De Occidente vero patet, tum ex Cypriano Tract. de Lapſis, ubi ait Diaconum præſentibus calicem offerre, ſeu porrigere; tum ex iis quæ de S. Laurentio docet Augu- *Tom. 7. Concil. p. 1516.* ſtinus Serm. 37. de Diverſis; tum ex Concilio Aquiſgranenſi an. 816. cap. 7. ubi hæc legere eſt : *Sicut in Sacerdote conſecratio, ita in Miniſtro diſpenſatio Sacramenti eſt : ille oblata ſanctificat, hic ſanctificata diſpenſat*, poſitis tamen ponendis. Unde

Prob. 2. pars, 1. ex Conſtitutionibus Apoſtolicis Lib. 8. c. 28. ubi dicitur: *Oblatione ab Epiſcopo aut Presbytero facta, ipſe Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, ſed tanquam qui miniſtrat Presbyteris;* ergo & dependenter a Presbyteris; 2. & clarius ex Concilio Arelatenſi I. Can. 15. *In ſecretario Diacono inter Presbyteros ſedere non liceat, vel corpus Chriſti præſente Presby-* *Tom. 2. Concil. p. 1203.* *tero tradere non præſumat;* 3. ex Concilio Carthaginenſi IV. Can. 38. *Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam .... populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget;* *Tom. 4. Concil. p. 1190.* 4. ex Gelaſio I. Epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ : *Diaconi ſacri corporis Chriſti prærogationem ſub conſpectu Pontificis, ſeu Presbyteri, niſi his abſentibus, jus non habent exercendi*. Unde ſic : Qui non paſſim ut quilibet Sacerdos, ſed tantum vel abſente Sacerdote, vel eo quidem præſente, ſed juſſus ob neceſſitatem, ſacram ſynaxim diſpenſare poteſt, is etſi ex inſtitutione ſua ad Euchariſtiæ diſpenſationem deputari poſſit, non eſt tamen niſi extra- **Tom. 7. p. 602.* ordinarius ejus miniſter, prout in ſimili diximus * de ſolemni Baptiſmo: atqui Diaconus, etſi ex inſtitutione ſua, &c.

Obj. 1. Quæ quis ex ſola hominis deputatione facit, non facit ex jure divino : atqui ex conceſſis Diaconi nonniſi ex hominis commiſſione, &c.

R. neg. min. nam indigent quidem Diaconi hominis deputatione : at nonniſi ex jure divino habent, quod deputationis hujus ſolemniter & non ita difficulter exercendæ capaces ſint : unde non poſſunt Clerici Diaconis inferiores eodem modo, & in iiſdem circumſtantiis deputari, ſicut deputantur Diaconi.

Inſt. Iis ſolum jure divino Euchariſtiam diſpenſare datum eſt, quibus dictum fuit : *Hoc facite*, &c. atqui non eſt illud dictum Diaconis.

R. neg. maj. quemadmodum enim Diaconi, imo & Laici pie & licite baptizant, etſi ſolis Apoſtolis dictum eſt : *Baptizate*, ita & Diaconi Euchariſtiam licite porrigunt, etſi unis Sacerdotibus dictum eſt : *Hoc facite*. Ratio primigenia hæc eſt, quod aliud ſit præceptum & jus commune aliquid faciendi; aliud mera permiſſio in ſolis quibuſdam caſibus conceſſa. Porro verba *Hoc facite*, ſicut & *Baptizate*, præceptum & jus com-

mune

Digitized by Google

mune important; extraordinarios vero caſus ut non includunt, ſic nec excludunt: unde quid circa eos ſtatuendum ſit dijudicandum eſt ex Eccleſiæ praxi & Traditione: atqui ex utraque certo colligitur Diaconos id ab inſtitutione divina habere, ut certis in caſibus ad Euchariſtiæ diſtributionem deputari poſſint; ergo.

Obj. 2. Ex citato S. Thomæ textu, ſolis Presbyteris Euchariſtiæ miniſtrandæ officium committi voluit Chriſtus; ergo.

R. diſt. ant. officium miniſtrandæ Euchariſtiæ jure proprio, & ſine ſpeciali commiſſione, C. itaut facultas illa nulli niſi Presbytero committi poſſit, N. Quod autem jam poteſtas illa Diaconis minime communicetur, non hinc oritur quod deſit communicandi potentia (poteſt enim hodie Eccleſia quidquid olim potuit; unde etiamnum viget apud Græcos vetus diſciplina) ſed quia deeſt communicandi ratio propter Sacerdotum multitudinem.

Quin & poſſet ac proin teneretur hodieque Diaconus, abſente, vel impotente Presbytero, viaticum ad periculoſe ægrotantem deferre. Idque, ait Quarti, part. 2. tit. 6. dub. 2. etiamſi Sacerdos ille inique denegaret licentiam; quia tunc præſumitur licentia Superiorum, & ipſius Summi Pontificis. Addit idem Theologus, ſola gravi neceſſitate, non autem extrema, opus eſſe ut officium iſtud exerceat Diaconus. Unde, inquit, ſi Sacerdos in audiendis confeſſionibus impendio occupatus ſit, & immineat communio ſeu Paſchalis, ſeu ad lucrandum Jubilæum neceſſaria, poterit munus illud Diacono committere. *Pag.128. 2. edit.*

Verum utraque hæc Romani Doctoris opinio difficilis eſt. Prima quidem, quia, ut bene Silveſter v. *Diaconus* n.4. *ſi ſecundum jura nihil poteſt* Diaconus quoad Euchariſtiam *præſente Presbytero niſi juſſus, multo minus poteſt prohibitus: nec habet ipſe diſcutere, an recte prohibeat* Parochus, *necne, ſed obedire; maxime cum* Paſtor graves habere poſſit cauſas, quas aperire non tenetur; & aliunde *hoc Sacramentum non ſit neceſſarium*. Si tamen indubia eſſet mala Parochi voluntas, &, quod raro continget, nullum grave immineret ſcandalum, non immerito docet poſt Sotum Suares, præſentiam Sacerdotis poteſtate ſua ſacrilege abutentis pro nihilo reputandam eſſe; proinque recurrendum eſſe ad voluntatem interpretativam vel Superiorum, vel ipſius Chriſti, a quibus datam in hoc caſu facultatem non temere præſumitur. Secunda autem deciſio in his præſertim Regionibus abjicienda videtur; quia cum jam pridem extra uſum ſit ut Diaconi in Eccleſia ſynaxim porrigant; nec fieri poſſit ut rei novitas rumorem & ſcandalum non pariat, vix jam in ullo quam extremæ neceſſitatis caſu licita eſſe poteſt Diaconis ſacroſancta hæc functio, citra Epiſcopi licentiam: atque hæc neſcio an a S. Carolo Borom. conceſſa fuiſſet; cum is Parochos ſuos præmoneat, ut ſi diſpertiendæ populis ſuis communioni impares ſint, aliunde Sacerdotes accerſant. Ita ſentiunt VVitaſ. pag.445. Habert pag. 545. Collat. Andegav. pag. 213. *Suares diſp. 71. ſect. 1.*

Sed quid facto opus, ſi Diaconus in neceſſitatis caſu Viaticum deferat ad Sacerdotem.

R. triplex iſtud: 1. ut ſi in certo vel dubio lethalis peccati ſtatu verſetur, ipſum ſincera contritione diluere conetur; alias grave ſacrilegium commiſſurus; 2. ut Diaconalem habitum gerat, ſuperpelliceum ſcilicet

cum ſtola tranſverſa; 3. ut vel pixidem offerat Sacerdoti, qui propria manu ſumat Sacramentum, vel illud ipſe ori ejus imponat. Utrumque enim ex æquo fieri poſſe videtur. Prius quidem ſuadetur a Durando, ne Diaconus citra neceſſitatem tangat immediate corpus Chriſti: ſed poſterius mavult Vaſques ut tollatur quædam indecentia.

Conclusio III. Nemo Clericus Diacono minor ſynaxim uſquam in Eccleſia diſpenſavit: ſæpe tamen Clericis minoribus, imo & Laicis tradita eſt ad alios deferenda.

Prob. 1. pars, quia nullum diſpenſationis hujus in antiquioribus monumentis extat veſtigium.

Prob. 2. pars, de Clericis minoribus, ex Martyrologiis Bedæ, Adonis & Uſuardi, quæ ſic habent: *Romæ via Appia in Cœmeterio Callixti Natale S. Tharſicii Acolythi & Martyris, quem Sacramenta Domini deferentem Pagani cum reperiſſent, cœperunt inquirere quid gereret:* eo autem fuſtibus mactato, *evoluto ejus corpore ſacrilegi nihil Sacramentorum Domini in ejus manibus aut veſtibus invenientes, eo relicto fugerunt cum terrore*.

Idem quoad Laicos liquet ex facto pueri, qui a Sacerdote infirmo miſſus, *Euchariſtiam propria manu Serapionis ori admovit*, prout refert Theodoretus Lib. 6. Hiſtor. cap. 44.

Conclusio IV. Moris olim fuit ut Laici Euchariſtiam reciperent manu, ſibique tum in Eccleſia, tum privatim impertirentur. Verum alia nunc ubique fere inolevit conſuetudo: unde id jam illicitum in quocumque caſu, niſi accedat Eccleſiæ, vel Rom. Pontificis diſpenſatio.

Prob. 1. pars, 1. ex citato ſupra Auguſtini textu; 2. ex S. Baſilio Epiſt. ad Cæſariam, ubi ſic: *Sacerdos particulam tradit ..... is* autem *qui accepit, ori admovet propria manu;* 3. ex his Ambroſii ad Theodoſium e Theſſalonicenſi ſtrage recedentem, verbis, apud Theodoret. Lib. 5. c. 17. *Qui, quæſo, manus injuſta cæde reſperſas extendere audes, & eiſdem ſacroſanctum corpus Domini accipere?*

Id tamen viros inter & mulieres erat diſcriminis, quod viri nuda *Auguſt. ubi ſupr.* manu, mulieres autem *nitido linteolo*, quod *Dominicale* dicebatur, Euchariſtiam reciperent. *Non licet mulieri*, ait Concilium Altiſſiodorenſe Can. 36. *nuda manu Euchariſtiam accipere*. Synodus Quini-ſexta Can. 101. *Eos*, inquit, *qui ex auro vel alia materia, quædam loco manus receptacula* ſeu vaſa *efficiunt*, ideſt offerunt *ad divini muneris ſuſceptionem .... minime admittimus. Si quis autem deprehenſus fuerit immaculatam communionem iis impertiens, qui ejuſmodi receptacula afferunt, & ipſe ſegregetur, & is qui affert*.

Witaſ. Tom. 2. pag. 474. Prob. 2. pars ex univerſæ jam Eccleſiæ Occidentalis praxi, cujus teſtes facit recens Theologus Synodos Cæſarauguſtanam Can. 3. & Toletanam Can. 4. in quibus nihil tale reperi.

Apud Græcos vero *populus non ut olim* Euchariſtiam *in manus accipit; neque defert amplius domum, ſed Monachi tantum idque in itineribus longioribus:* verba ſunt Arcudii Lib. 3. cap. 59. pag. mihi 344.

Prob. 3. pars, quia *conſuetudo Eccleſiæ* in omnibus *ſemper æmulanda eſt*, ut docet S. Thomas; cumque ipſa vim habeat legis, ei qui reſiſtit, legi reſiſtit. Et vero ſi nequidem minoribus Clericis hodie licitum eſt vaſa ſacra contingere, quanto minus corpus Chriſti?

Prob. 4.

Prob. 4. pars, quia prohibitio qua auctoritate conſtituta eſt, eadem poteſt auferri. Atque hinc indulſit Pius V. Mariæ Stuartiæ Scotorum Reginæ, in vinculis ab Eliſabetha Anglorum Regina detentæ, ut apud ſe Euchariſtiam ſervaret, eamque ſibi propria manu ſubminiſtraret.

Ut ſolvantur difficultates ab initio propoſitæ, & aliæ quædam,

Quæres 1. an poſſit quis aliquando ſibi Euchariſtiam adminiſtrare.

R. 1. id poſſe Sacerdotem cum ſacra celebrat. *Si quis*, ait Tridentinum Seſs. 13. Can. 10. *dixerit non licere Sacerdoti celebranti ſe ipſum communicare, anathema ſit*. Atque id evincit conſtans Eccleſiæ univerſalis uſus, qui ad Apoſtolos merito refertur; cum teſtentur ſecundo ſæculo Juſtinus Apol. 2. & tertio ſæculo Tertullianus Lib. de Corona militis, cap. 3. eum qui Sacris præeſt, ita Euchariſtiam diſtribuere præſentibus, ut hanc ab eis non accipiat. Huc adduci ſolet exemplum Chriſti, qui teſtibus Chryſoſtomo Homil. 83. in Matth. & Hieronymo qu. 2. ad Hedibiam, ſe ipſum communicavit, fuitque *conviva & convivium*.

R. 2. ne Sacerdos quidem id poteſt extra Miſſam, ſi alterius Sacerdotis copiam habeat; quia cum Laicorum more communicet, neceſſum eſt ut ceterorum fidelium morem ſequatur, alias graviter peccaturus. Ita Suares diſp. 72. ſect. 3. Quarti part. 3. tit. 10. dub. 2. difficult. 3. & alii communiter.

R. 3. poſſe & debere Sacerdotem extra Miſsam in caſu periculoſæ ægritudinis, ac per modum Viatici ſibi ipſi communionem impendere: idque, ait Durandus in 4. diſt. 14. q. 4. etiamſi præſens ſit Diaconus. Idem docet Suares diſp. 72. ſect. 4. utrique concinnit Habertus hic cap. 16. quæſ. 3. ubi nec improbat, quod & alii nonnulli docent, idem extra neceſſitatis caſum, puta diebus ſolemnioribus, licitum eſse Sacerdoti, modo abſit ſcandalum. Horum ratio eſt, 1. quod id ipſis olim Diaconibus conceſſum fuerit a Concilio Nicæno I. Can. 14. ubi ſic: *Quod ſi non fuerit in præſenti vel Epiſcopus, vel Presbyter, tunc ipſi*, Diaconi, *proferant* (*ſacram Communionem*) *& edant*. 2. quia non extat jus in contrarium; 3. quia non adeo rigoroſa eſt Eccleſiæ conſuetudo, ut Sacerdotes, qui alias poteſtatem habent in corpus Chriſti, prædictis in circumſtantiis liget. *Labb. T. 2. pag. 49.*

R. 4. quod de Sacerdote pro caſu neceſſitatis, idem de Diacono probabiliter dicendum, 1. ob citatam Nicæni legem, quæ in his ſaltem rerum anguſtiis prodeſse debet; 2. quia ſi poteſt Diaconus moribundo alii viaticum præbere, quidni & ſibi? 3. quia id nullo, quod ſciam, jure prohibitum eſt. Ita Suarez ibid. Vaſquez diſp. 219. Quarti, &c. Monet autem poſterior iſte Rubricarius, ut tunc ſerventur ritus omnes ab Eccleſia pro aliorum communione præſcripti.

An autem in pari extremæ neceſſitatis caſu poſſint Laici ſe ipſos communicare, ambigunt Theologi. Affirmant cum Suare ibid. plures, qui proin docent potuiſse Mariam Stuartiam citra Pontificis diſpenſationem, hoc ſibimet officium impendere. Atque hinc ulterius colligunt Averſa, Quarti, & alii quos citat Diana, poſse tunc Laicum a Laico Euchariſtiam recipere. Neque vero, inquiunt, cenſeri poteſt voluiſse Eccleſiam ut tanto ſubſidio privarentur fideles.

Contraria tamen opinio prorſus tenenda, 1. quia a S. Thoma traditur: is enim in 4. diſt. 13. q. 1. a. 3. quæſt. 1. ad 3. poſtquam dixit, Laico

 etiam

etiam peccatori licitum eſſe corpus Chriſti tangere in caſu neceſſitatis, ut v. g. e loco immundo extrahatur, ſubdit: *Sed non eſt ſimile de diſpenſatione Sacramenti; quia receptio hujus Sacramenti non eſt neceſſitatis: unde ei qui non poteſt ſacramentaliter manducare, dicendum eſt: Crede & manducaſti*. 2. quia Euchariſtia, utpote quæ ad ſalutem omnino neceſſaria non ſit, nonniſi cum circumſtantiis ejus reverentiæ debitis diſpenſari debet: unde ſicut Sacerdoti veſtibus ſacris deſtituto, aut minime jejuno, non licet conſecrare, ut infirmo miniſtretur Viaticum; ſic nec hunc in finem Subdiacono, Laicove Euchariſtiam diſpenſare licitum eſt; 3. quia nullum a pluribus ſæculis occurrit praxis hujus veſtigium; etſi crebræ occurrerint hujus occaſiones, puta tempore peſtis. Ita nec ſoli Contenſonius diſſert. 3. c. 1. Henricus a S. Ignat. cap. 60. n. 776. Henno pag. 507. Gonet diſp. 10. nn. 18.

Limitant tamen hi poſteriores duo, ſi non tantum eſſet viatici utilitas, ſed etiam probabiliter gratiæ neceſſitas, puta ſi peccatori de contritionis ſuæ perfectione ſatis anxio deeſſet copia Confeſſarii: tunc enim, inquiunt, poſſet a Laico communicari, quia poſſet mediante Euchariſtia primam gratiam recipere. Neque caſum hunc comprehendit S. Thomas, cum tunc communio non utilis tantum ſit, ſed & neceſſaria. Nec eſt, ajunt, quod objiciatur caput *Pervenit*, 29 *De conſecrat* diſt. 2. e Rhemenſi Concilio deſumptum, ubi proſcribitur *horribilis* & *temeraria* eorum Sacerdotum *præſumptio*, qui *Laico vel feminæ ſacrum corpus Domini tradunt ad deferendum infirmis*: Hic enim ii tantum carpuntur Paſtores, qui per Laicos faciebant, id quod per ſe ipſos facere poterant. Id & nos quidem ſponte fatemur: ſed quia Euchariſtiæ per Laicum quocumque in caſu deportatio eo uſque jam inſolita eſt, ut vix cogitationem ejus patienter ferat Chriſtiana mens, praxim illam nec ſuadere nec tolerare auſim; præſertim cum ægro ad Dominum pro viribus reverti conantem, & facienti quod in ſe eſt, Deus non neget gratiam uberiorem. Quod ſicubi caſus ille probabiliter futurus conjiceretur, ad Epiſcopum recurrerem, qui, fallor, ſi tale quidpiam indulgeret.

Quæres 2. an ad Euchariſtiæ diſpenſationem requiratur juriſdictio, & quibus ea competat.

R. ad 1. affirmat. contra Gavantum p. 2. tit. 10. n. 6. 1. quia ea eſt Sacramentorum conditio, ut nonniſi ab habentibus juriſdictionem licite adminiſtrentur, etſi ſine illa valide nonnumquam adminiſtrari poſſint; 2. quia Paſtorum eſt oves ſuas paſcere: porro inter actus ſpiritualiter paſcendi primas tenet Euchariſtiæ diſpenſatio. Ideoque, ait Regularis quidam, qui actum hunc ſine debita juriſdictione exercere præſumit, grave incurrit peccatum, imo excommunicationem Papæ reſervatam, ſi ſit Religioſus, & Sæcularibus miniſtret, etiam Clericis; non tamen ſi vel Secularis ſit Presbyter, vel Regularis Regularibus miniſtret; ut patet ex Clementina *Religioſi*, 1. *De privilegiis*.

Henno pag. 509.

R. ad 2. juriſdictionem ſufficientem competere 1. Sacerdoti omni, qui ad ſacrum faciendum in aliqua Eccleſia admittitur, niſi Eccleſiæ Rector expreſſe contradicat, quod extra Paſchalem quindenam perrarum eſt. Certe optat Tridentina Synodus Seſſ. 22. c. 6. *ut in ſingulis Miſſis Fideles aſtantes Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione* communicent; 2. cum ex

privi-

Digitized by Google

privilegio in quibuſdam Oratoriis conſervatur Euchariſtia, ibidem diſtribui poteſt fidelibus, etiam extra Miſſæ ſacrificium; ad hoc enim, ait Habertus, præcipue conſervari permittitur. Haud tamen ſemper intra ſacrificii actionem exhiberi poteſt communio in Sacellis privatis; aut ſi quibuſdam, puta infirmo domino impendi poteſt, non ideo poteſt ceteris: qua de re ſedulo interrogare debet Sacerdos, etiam Religioſus ex communiori & tutiori ſententia, qui prima vice celebrat in hujuſmodi Capellis; ne, quod in Burdigalenſi territorio accidiſſe didici, & Capellam interdicto, & ſemetipſum ſuſpenſionis ac irregularitatis periculo exponat. Quamquam hic excuſare poteſt bona fides: neque vero vir ſapiens ſemper id omne attendit, quod attendi deberet; 3. Regulares, etſi per Clementinam citatam *ſpeciali Paræcialis Presbyteri licentia* indigent, ut alienis ovibus ſacram ſynaxim præbeant, poſterioribus tamen Julii II. Pauli III. & Pauli IV. privilegiis conſecuti ſunt, ut *omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ, Sacramentum Euchariſtiæ ..... quibuſvis perſonis licite miniſtrare poſſint*. Quibus privilegiis præfatæ Clementinæ derogatum eſt. *Romanus* enim *Pontifex, qui jura omnia in Scrinio pectoris ſui cenſetur habere, Conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem, quamvis de ipſa mentionem non faciat, revocare noſcitur*, Cap. 1. *De Conſtitutionib.* in vi.

Circa illud Pauli IV. privilegium quædam notanda, 1. in eo quidem non excipi Viaticum, at excipi tamen, tum expreſſa conſuetudine & communi etiam Regularium ſenſu; tum ex ſcopo Pontificis, qui id unum intendens ut Parochos cum Regularibus conciliaret, non utique intendit Viatici ad ægrotos deferendi curam, qua in Paſtorali miniſterio major nulla fingi poteſt, Parochis adimere contra expreſſam Pauli III. legem; unde etiamnum excommunicationem citata Clementina latam incurrerent Religioſi Viaticum adminiſtrantes, *niſi forte abeſſent, aut* injuſte prorſus *renuerent illi quorum intereſt miniſtrare;* 2. ambigi utrum in eodem Pauli IV. privilegio dies Reſurrectionis materialiter accipienda ſit, an formaliter tantum, ſeu pro die quam fideles paſchali præcepto ſatisfacere voluerint. Quod diximus Tom. VI. ad quintum Eccleſiæ Præceptum, quæſt. 8. 3. Sæculares qui apud Religioſos celebrant, poſſe de præſumpta ipſorum licentia Euchariſtiam, non ſecus ac in propria Eccleſia miniſtrare; 4. infantes juxta diſciplinam quæ ubique viget, nullibi prima vice ad ſacram Menſam admittendos eſſe ſine proprii Parochi judicio & conſenſu: quoti enim rudes & imparati admitterentur? cum experientia conſtet, plebejos eo ſolum ad Catecheſeon frequentationem, moreſque cautius inſtituendos compelli, quod norint ſe alioqui a prima communione excluſum iri; 5. eos qui præſcripto tempore annuæ communionis legem non impleverint, ſi ad extraneum in anni decurſu accedant, ſemper ad Parochum eſſe remittendos; quia urget ſemper lex tota, proinque legis modus; 6. vagos & advenas, ut extrema vitæ Sacramenta, ſic & Paſchalem Euchariſtiam non apud Regulares, ſed in ea quam ſortiti ſunt Parochia recipere debere. De quo diximus ubi ſupra q. 10. idemque exinde deprehendimus apud Habertum, pag. 549.

Habert pag. 548. vel 528.

Dices contra reſponſionem: Si Sacerdos nonniſi ex delegatione Euchariſtiam diſpenſare poſſit, nihilo plus habebit juris quam ſimplex Diaconus; & is enim ſi delegetur, Euchariſtiæ miniſter eſſe poteſt: atqui conſequens

ſequens & abſurdum eſt, & iis quæ ſuperius de ordinaria Sacerdotum poteſtate dicta ſunt, male congruit; ergo.

R. neg. maj. etſi enim ut ſervetur diſciplina, forſque ad ſynaxim non admittatur ab extraneo, quem juſtis de cauſis excluſerit proprius Paſtor, jure ſancitum eſt, ut nemo niſi delegatus Sacramenta quæcumque alienis ovibus conferat, habet tamen duo Sacerdos, quæ nec habet, nec habere poteſt Diaconus: primum, quod paſſim & ſine cauſa vices Paſtoris hac in parte obire poſſit; ſecundum quod obeundo, gratiam præſtet magis quam recipiat. Contra Diaconus, nec ſine qualicumque cauſa, eaque apud Latinos gravi, admitti poteſt, nec tam honoris cauſa admittitur, quam inſtar inferioris, qui exequitur quod jubent Superiores, nec per ſe exequi poſſunt.

Quæres 3. quo tempore diſtribui poſſit communio.

R. ſi excipiatur tempus interdicti, de quo fuſe dictum ubi de Cenſuris, poſſe communionem quocumque tempore, diurno proin ac nocturno, matutino & pomeridiano etiam ſanis diſtribui. Ratio eſt, quia etſi ſacrificii confectio certis horis alligata ſit, prout inferius dicetur, non tamen communionis diſtributio. Invaluit tamen uſus, ut, nec ipſa Paraſceves die, nec diebus ceteris poſt meridiem præbeatur bene valentibus Euchariſtia, extra certos inſolitarum ſolemnitatum caſus, in quibus lubenter indulget Epiſcoporum pietas, ut ab uſu communi recedatur. Sic nuper Aquis in feſtivitate D. Vincentii a Paulo protractum eſt ad horam quartam, imo & ſextam a meridie tempus communionis. Extra raros hujuſmodi caſus trita via gradiendum: quamquam redarguere non auſim ſi Sacerdos peregrino, qui lucrandæ indulgentiæ cauſa, e longe profectus, ſero advenerit, ſero tribuat Euchariſtiam.

Vie de ſaint Vinc. T. 2. p.584.

Quæres 4. quo loco & ritu adminiſtranda ſit communio.

R. ad 1. Euchariſtiam ſanis nonniſi in loco per Epiſcopum approbato, quales ſunt Eccleſia, Oratorium, Capellæ complures, conferri debere. Infirmis vero ubicumque reperiuntur, ſi urgeat neceſſitas, nec ad honeſtiorem locum transferri queant. Ea enim eſt Chriſti Domini benignitas ut aliqualem honoris ſibi extrinſecus debiti jacturam ſubire malit, quam languenti Chriſtiano deficere.

R. ad 2. vel communio datur intra Miſſarum ſolemnia, vel extra. Si primum, quod utique magis decet, niſi communicantium multitudo ceteris longiorem moram ac tædium afferre debeat, id unum curandum eſt Sacerdoti ut Rubricam exacte ſequatur, adeoque *poſt ſumptionem ſanguinis, antequam ſe purificet, facta genuflexione ponat particulas conſecratas in pixide, vel, ſi pauci ſint communicandi, ſuper patenam, niſi a principio poſitæ fuerint in pixide, ſeu alio calice*, tum proſequatur, ut norunt omnes, dicendo, *Domine, non ſum dignus*, etiam pro ſolis feminis, incipiendo a cornu Epiſtolæ, nullam dando benedictionem, *etiamſi Miſſa ſit pro defunctis, quamvis in fine Miſſæ non detur:* quæ Quarti verba ſupponunt in ipſis defunctorum Miſſis communionem dari poſſe. *Quod ſi*, pergit idem, *in eo altari ubi conſecratæ fuerunt particulæ, non ſit tabernaculum, & ibi remaneant particulæ conſecratæ*, poſt *finem Miſſæ alio*, nempe ad majoris altaris tabernaculum *transferendæ* erunt, interimque ſervabuntur,

Quarti p. 2. tit. 10. pag. 284.

quæ

quæ præſente SS. Sacramento, ſeu quoad genuflexiones, ſeu quoad ad modum ſe verſus populum convertendi, obſervari ſolent. Sunt tamen apud nos qui citra difficultatem, ſuperſtites populi formulas ſumant, ſi extra altare tabernaculi celebrent: quod, ut video, non admodum congruit Rubricæ.

Si communio extra Miſſam detur, vel ſanis in Eccleſia, vel intra domum infirmis, ſeu in urbe, ſeu ruri. Primum nihil difficultatis habet. Secundum hoc tantum requirit, 1. ut Sacerdos Alba vel ſuperpelliceo cum ſtola indutus, nudo capite, niſi ſecum juſta ex cauſa diſpenſatum ſit, præviis facibus, cereiſve, aut ſaltem lucerna, ſi ventus afflet vehementior, Pſalmos aut preces a Rituali præſcriptas recitet; 2. ut ſi fieri poteſt nuſquam gerat Chriſti corpus niſi ſub umbella, præcedente tintinnabulo, quo Creatorem ſuum adorare moneantur Fideles; 3. ut duplicem ad minus hoſtiam ferat, ne ſuus redeunti Domino cultus deſit; 4. ut ante curaverit, ægroti cubiculum decenter & honeſte mundari, inſtructa mundo linteo menſa, cum binis ſaltem candelabris & crucifixi imagine; 5. ut infirmi ædem ingreſſus, exploret an ſibi ſit animo præſens, annon ſubſit tuſſis vomituſve periculum; item amice ac ſuaviter interroget, num remordeat alicujus peccati conſcientia.

Si Viaticum per præruptas, ut alio ex capite difficiles vias in pagis deferendum ſit, debet Miniſter pedibus gradiens in burſa collo appenſa pixidem, qua una tantum hoſtia contineatur, geſtare; ne qua, ſi forte ceciderit, fiat injuria Sacramento. Nemo autem miniſterium iſtud equitando implere debet, niſi aut alias inacceſſa ſit infirmi domus, aut hunc equi uſum juſta de cauſa permiſerit Ordinarius. Ne ſacras ſpecies evomi contingat, modico vino, aut alio liquore juvanda eſt earum trajectio. Si tamen eveniat caſus ille, tunc vel ſpecies ſatis alteratæ ſunt, ut jam deſierit Chriſtus ſub iis eſſe ſacramentaliter, vel necdum corruptæ ſunt. In utroque caſu ſedulo colligendum eſt quidquid ejectum fuerit, ideſt ſpecies cum iis quæ ſpeciebus cohærent. In priori caſu, quando vel jam non apparent ſpecies, vel prudenter judicantur corruptæ, comburi debet vomitus & *cineres in ſacrarium* mitti: in poſteriori autem, vel integræ ſpecies *reverenter ſumantur, niſi nauſea fiat*: vel *caute ſeparentur, & in aliquo loco ſacro reponantur, donec corrumpantur, & poſtea in ſacrarium projiciantur*. Neque enim citra ſacrilegium ſpecies, quamdiu ſunt integræ, flammis tradi poſſunt. *Rubr. p. 3. tit. 10. n. 14.*

Hic quatuor obiter notanda, 1. caute arcendos a communione, de quibus ob frequentem & importunam tuſſim, vel vomitus periculum, vereri eſt ne quid ſpecierum ejiciant: Alioqui & Communicans & communionis Miniſter, gravis ſacrilegii reos ſe faciunt, ob gravem quæ inde ſequitur, aut probabiliter ſequi poteſt irreverentiam; 2. in uno tantum caſu licere ei qui a ſacra menſa recens eſt, vomitum ciere, nempe cum detegit receptas a ſe ſpecies veneno, aliave ſimili tabe eſſe infectas, quæ ſanitati valde noceant; tunc enim integræ licet, eo quo poſſent reverentiori modo expuandæ forent; ubi cum Gavanto animadverte, ea quæ fulmine tacta ſunt, prout an. 1601. & hoc an. 1749. evenit calici conſecrato, venenata cenſeri; 3. Sacerdotem, qui trajectas in ſtomachum ſpecies evomit, nec teneri, nec poſſe novam novæ ſumptioni materiam conſecrare; Tum quia ſacrificium & *Gavant. p. 3 tit. 10. n. 7.*

quoad

quoad ſubſtantiam, & quoad effectum gratiæ, per ipſam trajectionem, & independenter a ſpecierum digeſtione, omnino completum eſt, ex vulgari Theologorum placito: porro trajectionem non tollit vomitus, ſed ſupponit; Tum quia vel contingit vomitus, poſtquam Sacerdos ab altari jam receſſit, vel ante. Si 1. nova ejus conſecratio cum priori non conjungeretur ad integrandum unum idemque ſacrificium, ſed eſſet actio prorſus diſtincta: his porro eadem die offerri ſacrificium non poteſt. Si 2. recurrit idem vomitus periculum, quia moraliter perſeverat eadem indiſpoſitio; ergo cum denuo ſumi non poſſit, nec denuo conſecrari poteſt hoſtia; ergo & falſa eſt opinio noſtræ contraria, & inutilis in praxi; 4. quod diximus de ritu erga evomitas ſpecies ſervando, id dicendum in caſu quo vel putruerint, vel ex iis generentur vermes: quod enim ex iis manet integrum, vel reverenter ſervari debet, donec prorſus alteretur, vel a Sacerdote conſumi: cetera vero comburi, ut diximus.

Quæres 5. quoties Euchariſtiam miniſtrare teneatur Parochus, & an peſte, aut gravi alio morbo laborantibus.

R. ad 1. Paſtorem Euchariſtiam Parochianis debere, quoties eam rationabiliter poſtulant, ſolius etiam devotionis cauſa. Id enim ſi quoad materialem cibum debet proli ſuæ terrenus pater, debet & pater ſpiritualis quoad cibum, unde foveri anima, refici, & ſpiritualiter creſcere poſſit.

Dixi, *Quoties rationabiliter petunt*. Si enim vel petant frequentius quam ferat eorum conditio, vel quo tempore Parochus morbo, aliiſve juſtis impedimentis detinetur, poterit is liberam communionem differre; ſagaciter tamen & honeſte, ne quempiam retrahat a Sacramentis.

R. ad 2. conſtat 1. non poſſe ſine gravi peccato Parochum ab ovibus ſuis peſtis tempore recedere, prout ſolide ſimul & breviter probavimus Tom. III. pag. 34.

Conſtat 2. eumdem infantibus, vel peſte infectis, vel, quia in domo jam infecta habitent, proxime inficiendis, etiam cum certo vitæ periculo Baptiſmum largiri debere; quod & in ejus defectum præſtare tenentur Laici.

3. & id etiam moraliter conſtat, Parochum Pœnitentiam debere non iis tantum qui in extrema ſpirituali neceſſitate verſantur, quales ſunt qui vel fidei myſteria ignorant, vel neſciunt quid ſit contritio; ſed & iis etiam qui in gravi tantum neceſſitate conſtituti ſunt, puta eruditi ſatis ut juvante gratia perfectæ contritionis actum elicere poſſint. Ratio ex parte Parochi eſt, quod utpote ſtipendio conductus, plus indubie ovibus ſuis debeat, quam extranei, qui tamen in extremæ neceſſitatis caſu temporalem vitam pro ſpirituali fratrum ſuorum ſalute exponere tenentur; prout docuimus Tom. III. p. 330. Ex parte vero Parochianorum, quod multi defectu perfectæ contritionis, quæ & in ſe habitu difficilis eſt, & plerumque in infirmitatis ſtatu difficilior, perirent ex iis etiam qui probæ conſcientiæ judicabantur, & e quibus plures reperies, qui celata hactenus turpia quædam, nonniſi inſtante fato aperiant. Adde quod, ut ſapienter obſervat VVigers, neceſſitas quæ reſpectu unius alteriuſve perſonæ gravis ſupponitur, merito dicatur extrema reſpectu totius Communitatis; neque enim fieri moraliter poteſt, quin multi æternum pereant, ſi tota aliqua multitudo tempore peſtis Sacramento Pœnitentiæ deſtituatur. Nec dubium

quin

quin officii hujus prætermiſſio populum totum graviter offenderet. Unde obiter colligas teneri extraneos Sacerdotes id in præſenti caſu exequi, quod a Parocho male & ſacrilege neglectum fuerit. Concedunt tamen accurati plures Theologi, haud neceſſum fore ut inviſeretur vir vere pius, de cujus bono ſtatu nihil eſſet ſcrupuli: quanquam & ab iſto reſciri velim annon reconciliari cupiat. Imo reſtrictionem hanc vix ullius in praxi uſus eſſe poſſe ſequetur ex proxime dicendis.

Tota igitur quæſtio eſt an Parochus Viaticum peſtiferis, per ſe, ſi per Vicarium aut alios non poſſit, miniſtrare teneatur.

Negant quos alibi non redarguimus, Salmanticenſes, aliique non omnino pauci, ſi ſermo ſit de peſtiferis, qui rite facta peccàtorum exomologeſi merito præſumantur eſſe in gratia. Ratio eſt, tum quia Parochus debet ſe incolumem aliis ſervare; tum quia Sacramentum tunc quidem temporis utile eſt, non autem neceſſarium: huic porro utilitati præponenda videtur ſalus Paſtoris.

Si tamen, ajunt paſſim iidem, infirmus in eo eſſet ſtatu in quo indigeret gratia prima, quæ per Euchariſtiam quandoque tribuitur in opinione ſatis communi, tunc utique danda ei eſſet communio, non jam utilis tantum, ſed & vere neceſſaria.

Contrarium tamen cenſent alii & numero potiores & auctoritate, quos inter Suarez diſp. 44. ſect. 3. Vaſquez in Opuſculo de Beneficiis c. 4. a. 1. §. 2. Tannerus diſp. 7. de Extrema unctione q. 1. dub. 3. n. 2. Barboſa de officio Parochi c. 17. VVigers, Heſſelius, &c. 1. quia in re morali ſummopere attendendum eſt, quod ita obſervent Parochi quicumque Deum timent; quod ad id faciendum compellant Epiſcopi ſanctiores, ut olim D. Carolus Borrom. quod generalis eo tempore ſubtractio Viatici, gravi populis offendiculo eſſet: hæc enim omnia evidenter demonſtrant, miniſterium illud ex communi fidelium ſenſu tunc temporis Parocho graviter incumbere; 2. quia auxilium fidelibus e ſacra ſynaxi proveniens, etſi haud neceſſarium eſt ad abluendas animæ ſordes, quæ per pœnitentiam dilutæ ſupponuntur, moraliter tamen neceſſarium cenſetur ad perſeverandum in juſtitia, vincendaſque quæ tunc temporis acrius inſidiantur, hoſtis tentationes; 3. quia ſi per accidens gratiam primam conferat Euchariſtia, plures dubio procul ſunt in numeroſa Communitate, qui illa ad hunc effectum indigeant, etſi nec ipſi forſan indigere ſe credunt; 4. quia cum Paſtor confeſſiones peſtiferorum excipere teneatur, mirum ſi multo plus incurrat periculi, Viaticum adminiſtrando cum cautionibus proxime aſſignandis. Bene igitur Silvius Supplem. q. 32. art. 3. moderate ut ſolet, concluſionem hanc ſtatuit: *Securior & veriſimilior eſt aliorum ſententia, Parochum ſub mortali peccato teneri adminiſtrare Euchariſtiam ſuis parochianis, peſte vel alio morbo contagioſo infectis, etiam cum propriæ ſuæ vitæ periculo, niſi per aliquem alium id fiat, & niſi occurrant quædam circumſtantiæ propter quas merito poſſit excuſari.*

Sunt autem eæ, juxta eumdem Silvium poſt Suarem, Barboſam, &c. 1. *Si aliqui infirmi eſſent abſque confeſſione morituri, caſu quo Parochus velit aliis miniſtrare Viaticum;* quia nemo Parochum peſtiferos inviſentem apud ſe admittere volet; 2. *ſi periculum vitæ ſit valde magnum in Parocho, & neceſſitas valde parva aut nulla in ægroto, quia paulo ante communicavit, &*

Paſtor

Paſtor moraliter certo novit conſcientiam illius eſſe bonam, utpote qui ſit pius, prudens, doctus & de ſalute ſua ſollicitus; 3. rurſum ſi & grave ſit Parocho periculum, & ejus mors futura ſit magna populi deſolatio & jactura, ſicut ſi ipſe ſolus ſit, nec cito, nec facile habendus ſit alius qui peſtiferis ſuccurrat. In hoc poſtremo caſu, qui Algerii, aut Tuneti multo facilius, quam in hoc Galliæ Regno evenire poſſit, dubitarem an non ab adminiſtratione Viatici abſtinere deberet Parochus.

Iis porro qui peſte affectis Pœnitentiæ aut Euchariſtiæ Sacramenta miniſtrant, monita hæc dabat S. Carolus Borrom. in Concilio Mediolan. V. part. 2. tit. 15. nempe ut qui eorum *confeſſionem audit, loco audiat qui aliquantulum a lecto diſtet: cum vero ſine magno* ægroti *incommodo id fieri poteſt, curet licet ut ad feneſtram, aut oſtium, aut in porticum, veſtibulumve, aut ad impluvium, aliumve locum apertum accedat, ut illum confitentem audiat, ut ſic cubiculum declinet, in quo contagionis periculum timeri ſolet.* Addit Silvius, cavendum ne Sacerdos ſtatuat ſe inter ignem & infirmum, utique quia ignis halitum attrahit.

Pergit ibid. S. Carolus: *Eadem cautione* utendum *in SS. Euchariſtiæ miniſtratione .... ut dum* Sacerdos *intra ſepta curationis publicæ*, aut peſtiferi domum *eſt, veſtes contractiores, aut ita ſuccinctas, quæ infra genua vix protendant, adhibeat .... Sacræ Hoſtiæ particulam unam, aut plures quæ ad communicantium uſum ſatis erunt, ferre poterit, nec vero aliam præterea, quæ de more reportetur, dum ad Eccleſiam, Capellamve redit: At vero in omni Sacramento, multoque magis in SS. Euchariſtia miniſtranda cavebit ut evitandi periculi vel ſuſpicionis cauſa, ne vel minimum qui novus ſit adminiſtrationis ritum introducere; neve inſtrumentum, aliudve quid ſimile ad adminiſtrationem pro digitis, vel in iis ipſis adhibeat.*

Poſtrema iſthæc lex, ſi hodieque in Mediolanenſi territorio viget, at non in aliis pluribus Galliæ vel Belgii locis. Hic enim nec Euchariſtia, nec morientium unctio cruda & immediata manu prædictis in caſibus conferuntur, ut animadvertit Pontas v. *Curè*, caſ. 4. Quin & celebri Aletenſis Diœceſis Rituali, inſtruct. 15. præſcriptum eſt, ut Parochi & Vicarii Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, aut Extremæ Unctionis Sacramenta infectis miniſtraturi, ab iis novem aut decem paſſus diſtent, quod plerumque quantum ad Pœnitentiam ſervari nullo modo poteſt. Interim ſi pie ſibi conſulit Sacerdos Euchariſtiæ miniſter, æquum eſt ut multo plus reverentiæ Sacramento debitæ conſulat. Cavebit proinde ſedulo, ne ſacra Hoſtia, vel pars ejus decidat, ne vento agitante diffletur, ne frangatur injurioſe, ne ipſe ante recedat, ubi præſertim latent hæretici, quam eam æger deglutierit. Rurſus ne inſolita miniſtrandi Sacramenti ratio pro capitum varietate varietur, e re eſt ut Epiſcopi, præhabito Doctorum, eorumque præſertim qui peſtiferis olim miniſtraverint, conſilio, fixum quid & certum determinent, cui ab omnibus ſtandum ſit. Utique in his rerum anguſtiis alii Hoſtiam chartæ vel linteolo imponunt, unde ab infirmo poſſit manu apprehendi juxta antiquum Eccleſiæ morem, quod ſaltem erga Sacerdotes lue infectos ſervari poſſit. Alii longo utuntur Cochleari, ſaltem ſtanneo, quod & factitant Græci; alii Hoſtiam duas inter formulas haud conſecratas, & leviter madefactas includunt, ſicque ab ægro, vel ab alio qui totum ægro porrecturus ſit, apprehendi curant. De his omnibus,

quæ

quæ utinam diu inutilia ſint, videris fuſe diſſerentem Henricum Scaille, in Opere cui titulus : *Obligatio ac modus adminiſtrandi Sacramenta tempore peſtis*. Lovanii, 1704.

Diſputant aliqui an uſu pollicis & indicis propter chiragram, aliudve impedimentum carenti, liceat aliis digitis Sacramentum hoc diſpenſare. Negat Bonacina, affirmat Toletus : utrique aſſentior, illi extra neceſſitatem, huic in neceſſitate. Unde etiam contagioſo morbo captis ſynaxim læva manu dari poſſe putem cum citato mox Scallio, ſi ſic dando, ægri halitum facilius devitet Miniſter.

Quæres 6. quid facto opus ſit, ſi in mulieris ſinum decidat Hoſtia.

R. ex ſapienti ſancti Thomæ principio : *Ubi difficultas occurrit, ſemper eſt accipiendum illud quod minus habet de periculo* : porro minus eſt periculi & indecentiæ, ut femina per ſe ſolam malo huic medeatur. Unde videat 1. an non formulam, aut majorem ejus particulam ex veſtibus immittere poſſit in corporale quod ſuper ſcabellum aut menſam in loco ſecreto expanſum fuerit ; 2. an non ſaltem eamdem ope purificatorii mundi extrahere poſſit, prout alicubi factum eſſe ſcio ; 3. ſi major requiratur diligentia, quam in Eccleſia fieri non deceat, recipiat ſe mulier in domum ſuam, vel vicinæ alicujus, & inventum fragmentum vel ſumat, ſi haud nimio turbata ſit, vel ſervet reverenter, ut a Sacerdote ſecreto ad Eccleſiam deportetur. Ipſa vero, ſi ſacrum tetigit digitis, manum abluat, & lotio in piſcinam projiciatur, quia id generaliter præſcriptum eſt in Rubrica. Ita Quarti tit. 10. num. 15. dub. 1. Addit Henricus a S. Ignatio num. 780. quod ſi ſolus Sacerdos fragmenti tenuis caſum animadvertit, ne turbationis plurimum injiciat, *nihil tunc dicat, ſed pergat in miniſterio ſuo. Deinde poſt modicum tempus, communicatis omnibus, in diviniſſimi Sacramenti reverentiam, curet* mulierem *vocari ſecreto, blandeque moneat ne turbetur, ſed adhibeat diligentiam inveniendi ut ſupra*. 3 p. q. 83. a. 6. ad 2.

Sed quid ſi dum Monialibus diſtribuitur communio cadat Hoſtia intra earumdem clauſuram.

Reſpondet idem Quarti part. 2. tit. 10. ſect. 3. difficult. 4. præcipiendum alicui ex Monialibus, ut Hoſtiam reverenter cum fragmentis, ſi quæ deciderant, ſuper patenam elevet, ſeu mediante palla, vel etiam carta munda, vel, ſi aliter non poteſt, ipſa manu, & per eamdem feneſtellam porrigat Sacerdoti. Addit idem locum ſignari debere, ne conteratur pedibus; & facta communione radi pavimentum, & in ſacrarii piſcinam projici. Habet id commodi opinio iſthæc, quod nec clauſuram violari permittat, nec Sacramentum in loco indecenti diu manere patiatur. Quod autem ſacra contingat qui ſacrorum miniſter non ſit, res eſt non licita ſolum, ſed & præcepta in caſu neceſſitatis.

Quæres 7. an liceat vel hoſtiam grandiorem alicui tradere, vel plures ſimul formulas.

R. negat. cum Roncaglia, pag. 33. idque prohibitum eſt Decreto ſacræ Congregationis, die Februarii 12. an. 1679. ſi tamen e conſecratis in altari minori formulis aliquæ ſuperſint, ſatis receptum videtur ut uni duæ ſimul tribuantur; quod & aliquando fit in pagis, cum advocati e gemina Parochia Sacerdotes eamdem domum una ingrediuntur : præſertim

cum

cum ob Eccleſiarum diſtantiam, & aſperitatem locorum nonniſi ægre poteſt Sacramentum reportari.

Quæres 8. an poſſit Sacerdos Laico communionem petenti, partem hoſtiæ ſuæ dare.

R. id paſſim & ſine cauſa non debere fieri, ut quod Eccleſiæ conſuetudini adverſetur. Unde, ait poſt Averſa citatus mox Theologus, & cum eo Paſſerini ubi infra n. 959. qui talem ritum non ſervaverit, peccabit venialiter. Secus ſi juſta ſubſit a trito itinere recedendi cauſa, puta *ad communicandum infirmum, vel etiam perſonam gravem & nobilem, quæ ægre poſſet diutius expectare*, aut famulos qui conſueto ſervitio deerunt, &c. Sed audivi, reprobatam non ita pridem a ſacra Congregatione ſciſſionem majoris hoſtiæ in gratiam Laicorum: quod veriſimiliter ad infirmos non extenditur.

Quæres 9. an lethaliter peccet qui lethalis peccati conſcius Euchariſtiam adminiſtrat.

Negant aliqui cum Lugo diſp. 18. n. 17. ſed male: pro certo igitur tenendum eſt, eum qui deficiente Confeſſario non ſatagit pro virili actum contritionis elicere, graviter reum fieri, tum quia ſancta ſancte non tractat; tum quia ita docent ſaniores Theologi, quos fuſe refert Paſſerini in prolixo Opere *de hominum ſtatibus*, Tom. 2. q. 187. a. 1. n. 982. pag. mihi 242. Repete quæ diximus Tom. IV. p. 31. & ſeq.

Quæres 10. an etiam delinquat, qui allatas poſt majoris formulæ oblationem formulas, ſola mentali earumdem oblatione contentus, conſecrat.

Negat Quarti part. 2. tit. 7. dub. 2. & 3. modo & id fiat ex cauſa, puta *ob commoditatem communicaturi*, vel *ad vitandam perturbationem ejus qui tarde particulas attulit*. Docet tamen Rubricarius ille non eſſe conſecrandum quidquid *cæpto jam Canone* allatum fuerit. Idem tenent Gavantus, aliique quos citat Diana. Longe aliud ſentit Paſſerini, qui oblationis vocalis omiſſionem, utpote contra Rubricas & Pii V. præceptum, a mortali excuſari non poſſe cenſet. Quæ deciſio, etſi rigidior videri poteſt, ad id tamen inſervire debet, ut eæ ſolum conſecrentur formulæ, quæ cum majori vocaliter oblatæ fuerint.

CAPUT SEXTUM.

De ſubjecto Euchariſtiæ.

P*Atres noſtri tres rationes ſanctum* Euchariſtiæ *Sacramentum accipiendi diſtinxerunt. Quoſdam enim docuerunt ſacramentaliter duntaxat id ſumere, ut peccatores; alios tantum ſpiritualiter, illos nimirum, qui voto propoſitum illum cæleſtem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem ſentiunt; tertios porro ſacramentaliter ſimul & ſpiritualiter: hi autem ſunt, qui ita ſe prius probant & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti ad divinam hanc menſam accedant*. Ita Tridentinum Seſs. 13. cap. 8. cujus doctrinam ut tantiſper evolvamus, expendendum 1. qui capaces ſint Euchariſtiæ; 2. quæ ad ejus perceptionem requirantur diſpoſitiones ex parte

te corporis; 3. quæ ex parte animæ; 4. quantum delinquant qui iiſce conditionibus deſunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Qui capaces ſint Euchariſtiæ recipiendæ.

Conſtat 1. nullum eſſe hominem qui Euchariſtiæ materialiter recipiendæ capax non ſit; cum ea ſicut in pixide, & in animalis ſtomacho recondi poſſit.

Conſtat 2. omnem & ſolum hominem baptizatum ac viatorem, ejuſdem ſacramentaliter recipiendæ, non tamen ſemper cum fructu capacem eſſe.

Et quidem 1. ejuſdem capax eſt *omnis homo baptizatus*, quia Baptiſmus eſt janua per quam poteſt quiſque ad alia Sacramenta ingredi, niſi ab iis poſitive excludatur, ut ab Ordinibus feminæ.

2. baptizatus *ſolus*, quia ipſi etiam Catechumeni carent potentia ad aliorum Sacramentorum perceptionem, ex ipſius Chriſti inſtitutione neceſſario prærequiſita: quin & conſpectu, imo & omni Euchariſtiæ notitia privabantur olim Catechumeni. *Si quis* tamen Catechumenus, non per dolum, ſed *per imprudentiam*, ſacra *perceperit, eum ſubito inſtitutum initiate* Baptiſmo, ajunt Conſtitutiones Apoſtolicæ Lib. 7. c. 26. Vide Albaſpinæum Tract. de Euchar. cap. 1. & 3.

3. *viator*, quia Sacramenta pro ſolis viatoribus inſtituta ſunt; multoque magis Euchariſtia, quæ Viaticum dicitur, quia viatorum cibus ſit. Hinc tribuendæ mortuis Euchariſtiæ abuſum, qui certis in locis graſſatus erat, repreſſere Concilia Carthaginenſe vulgo III. * an. 397. Can. 6. Antiſiodorenſe I. an. 578. Can. 12. Trullanum an. 692. Can. 83. Carthaginenſis verba referre ſufficiat: *Placuit*, ajunt Patres, *ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur: Dictum eſt enim a Domino, Accipite & edite; cadavera autem nec accipere poſſunt, nec edere*. Morem hunc Euchariſtiam dandi defunctis duo genuerant: primum, quod ſancti quidam cum Euchariſtia ſepeliri voluiſſent, prout de S. Baſilio narrat Amphilochius in ejus vita, ſi tamen Amphilochii eſt; ſecundum, quod exiſtimaret quorumdam fidelium ſimplicitas præpoſtera hac communionis ſpecie impleri Eccleſiæ leges, quibus cautum eſt ne quis niſi ſacri Viatici particeps e vivis excedat. Vide Cabaſſut diſſert. 5. ad II. ſæcul. n. 10. p. 30. & Albaſpinæum Lib. 1. obſervat. 1. 9. p. 61. edit. 1623.

* Vide Guil. Cave.

4. *ſacramentaliter recipiendæ, non tamen ſemper cum fructu*: quia Euchariſtia certas exigit diſpoſitiones, quæ ubi deſunt, fit mors malis, quæ vita bonis futura eſſet.

Dices: Peccatores, utpote gratiæ mortui, non magis ſpiritualis cibi capaces ſunt, quam mortui corporaliter corporalis cibi: atqui hi, &c.

R. neg. maj. mors enim naturalis nihil vitale in cadavere relinquit, unde nullam prorſus functionem elicere poteſt: at peccatum etiam lethale vitalia quædam relinquit in anima, puta fidem, ſpem, ac præſertim, qui nunquam deletur, characterem Baptiſmi, quæ quidem ſunt veluti potentiæ ſupernaturales. Unde peccator haud penitus cum mortuo comparari debet,

bet, ſed cum homine graviter ægroto, qui licet pejus habeat ex alimentis, ea nihilominus in ſtomachum trajicere poteſt.

At, inquies, peccator induratus nequidem Sacramenti Pœnitentiæ capax eſt; ergo multo minus capax erit Euchariſtiæ.

R. neg. conſeq. diſparitas eſt quod ad Pœnitentiam requiritur eſſentialiter contritio: non autem in aliis Sacramentis.

His ſemel præſuppoſitis, tota hujus Articuli difficultas eſt, an dari debeat Euchariſtia, 1. infantibus, 2. energumenis, 3. ſurdis & mutis a nativitate, 4. amentibus aut ſemifatuis, 5. peccatoribus occultis vel publicis, 6. iis qui ingruente morte, nedumque exacta, aut etiam tentata pœnitentia, Viaticum petunt. De his ſit

Conclusio I. Dari abſolute poteſt, diuque data fuit infantibus Euchariſtia: ne autem hodieque detur, obſtat præſens & ſagax Eccleſiæ diſciplina.

Prob. 1. pars, quia quod olim & prioribus Eccleſiæ ſæculis, & a ſanctioribus Epiſcopis factum eſt, etiamnum poteſt abſolute fieri: atqui apud Eccleſiam ubique olim in more fuit, ut infantibus porrigeretur Euchariſtia, prout liquebit ex probatione ſecundæ partis.

Et vero qui capaces ſunt tum Sacramenti, tum & fructus ejus, his Sacramentum poteſt conferri: atqui infantes & Sacramenti capaces ſunt, utpote baptizati; & fructus Sacramenti, utpote per Baptiſmum vere juſtificati. Quod autem exigit Apoſtolus I. Cor. 11. ut quis, ne indigne ſumat, dijudicet corpus Domini, manifeſte in adultos cadit, non in parvulos; qui ſicut in Eccleſiæ fide baptizantur, licet dictum ſit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, &c. ſic & in ejuſdem fide Euchariſtiam recipere poſſunt, etſi dictum eſt: *Probet autem ſeipſum homo*, &c.

Prob. 2. pars, pro tertio ſæculo ex Sancto Cypriano Tract. de Lapſis, ubi memorabilem refert eventum lactentis puellulæ, quæ vino idolis oblato potata, oblatam ſibi ſacri vini ſpeciem, toto corpuſculo violenter commota, omni niſu reſpuit, ingeſtamque reluctanti mox evomuir: pro quarto ſæculo ex Sancto Ambroſio Lib. de Initiandis, c. 8. pro quinto ex Auguſtino Epiſt. 207. alias 107. ubi hæc: *Scimus parvulos ſecundum ea quæ per corpus geſſerunt, recepturos vel bonum vel malum .... quando baptizati, vel non baptizati ſunt, quando carnem Chriſti manducaverunt, vel non manducaverunt*. Idem de ævo in ævum aſtruerent alia, ſi opus eſſet, monumenta ad duodecimum uſque ſæculum, ubi mos ille necdum deſierat, teſtibus Paſchali II. S. Pontifice apud Baronium Tom. 12. Annal. ad an. Chriſti 1118. & Hugone Victorino Lib. 10. de Sacramentis c. 20. en ejus verba: *Pueris recens natis idem Sacramentum in ſpecie ſanguinis eſt miniſtrandum digito Sacerdotis; quia tales naturaliter ſugere poſſunt*. Quod & hactenus eodemque modo in multis Orientis Regionibus perfici teſtatur Abraham Echellen Maronita, Rituum Orientalium peritiſſimus. Vide Cabaſſut cit. diſſert. num. 5.

Prob. 3. pars, 1. ex Trident. Seſs. 21. c. 4. ubi ſic: *Sacroſancta Synodus docet, parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem: ſiquidem per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in qui-*

buſdam

buſdam locis ſervavit aliquando. Ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe ſine controverſia credendum eſt. Huic Concilii doctrinæ præluſerat, qui an. 1274. diem clauſit S. Thomas 3. p. q. 80. art. 9. ubi negat *pueris recenter natis ſacra myſteria danda eſſe, quamvis quidam Græci contrarium faciant.* Jam diu antea * *diſtricte* præceperat Odo de Soliaco *Presbyteris, ne hoſtias licet non ſacratas dent pueris ullo modo.* *Synodicon Pariſ. p. 18.*

Hujus in diſciplina immutationis ratio triplex potiſſimum, I. quod cum propter effuſionis periculum, uſus calicis in Occidente ſenſim abrogatus eſt, abrogata eſt & praxis dandæ infantibus Euchariſtiæ, quæ ipſis nonniſi ſub ſola vini ſpecie exhiberi conſueverat; II. quod hinc non raro quidpiam eveniret irreverentiæ, dum ſacræ ſpecies vel in ſtomachum non trajiciebantur, vel expuebantur ab infante; III. quod aſſueti Euchariſtiæ ab infantia pueri, eamdem necdum plene rationis uſu potiri recipere pergerent, & quidem (deficientibus exemplis pietatis domeſticæ, quæ plurimum lapſu temporis refriguerat) velut communem panem; unde & in conſueta irreverentia reliquum vitæ ſtadium decurrebant. Hinc & merito remoti a ſacra menſa pueri, donec attigerint annos diſcretionis, atque a Paſtoribus edocti fuerint & probati.

An autem pueris completo ſeptennio, & jam doli capacibus dari poſſit aut debeat Viaticum, diſputant Theologi. Dari poſſe, non autem eſſe dandi obligationem cenſent Navarrus Serm. c. 21. n. 57. Cajetan, &c. At dari debere docent Suares diſp. 70. ſect. 1. Lugo diſp. 13. aliique plures apud Leonardelli Tom. 2. caſ. 46. 1. quia viatici receptio juris eſt divini, quo tenentur quotquot rationis uſum habent; 2. quia fructus Euchariſtici capaces ſunt, eoque ſæpe indigent; 3. quia nihil præcepit Deus circa ætatem pueri; ergo lex viatici ab eo impoſita impleri debet, cum poteſt. Huic opinioni, poſita pia ſubjecti diſpoſitione, adhærerem, niſi obſtaret lex locorum, aut fixa conſuetudo.

CONCLUSIO II. Energumeni, ſeu a dæmone vere poſſeſſi, Euchariſtiæ conſpectu jure antiquo privati erant; variavit tamen ea de re diſciplina; unde iis ſi Clericorum monitis ſedulo parebant, quandoque dabatur Euchariſtia; alicubi nihilominus nonniſi urgente mortis periculo.

Prob. 1. pars, tum ex Conſtitutionibus Apoſtolicis Lib. 8. cap. 7. & 9. ubi Diaconus ante ſacrorum oblationem Catechumenos & Energumenos his abigit verbis: *Ite Catechumeni in pace: ite Energumeni;* tum ex Concilio Illiberitano Can. 29. ubi ſic: *Energumenum qui ab erratico ſpiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare ** cum oblatione recitandum:* cui autem offerre non licebat, nec licebat communicare: ſoli namque offerebant,

* Odo de Soliaco *votis omnium, ſed non ſuis*, an. 1196. in locum Mauritii Pariſienſis Epiſcopi ſuffectus eſt. Minus recte igitur citata in textu noſtro lex ipſius ad an. 1175. revocatur a Tournelyo Tom. I. p. 334. *Petrus Bleſenſis.*

** Fidelium qui munera ad rem ſacram contulerant, nomina ex ſcripto per Diaconum inter ſacra recitabantur, ſicut & ſummi Pontificis, Imperatorum, &c. *Vide Cabaſſut diſſert. 15. de diptychis Eccleſiaſticis.* Sunt autem diptycha tabulæ duplices, quarum uni Epiſcoporum pie defunctorum, alii vivorum nomina inſcribebantur. *Vide Onomaſticon Burii.*

qui communionis ſacræ futuri erant participes. Gravius quid important Canon 78. inter Apoſtolicos: *Si quis dæmonem habet, Clericus non efficitor, ſed nec cum fidelibus preces fundito*. Concilium Carthaginenſem IV. unum hoc miniſterium tribuit Energumenis ut Eccleſiarum pavimentum verrant, Can. 91.

Tom. 3. Concil. p. 1450. Prob. 2. pars, 1. ex Concilio Arauſicano I. Can. 14. ubi ſic: *Energumeni jam baptizati, ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſollicitudini Clericorum tradant, monitiſque obtemperent, omnimodis communicent;* 2. ex Timotheo Alexandrino, qui in Reſponſis Canonicis, reſponſo 3. ſtatuit, fidelem Energumenum, *ſi nullo modo blaſphemet*, debere ſanctorum myſteriorum fieri participem; 3. ex Caſſiano Collat. 7. cap. 29. & 30. ubi Germano interroganti, an ſacra donandi ſint communione Energumeni, *quos*, inquit, *non ſolum deſpici ab hominibus vel horreri, ſed etiam a communione Dominica in noſtris Provinciis videmus perpetuo abſtinere*, reſpondet Serenus Abbas: *Communionem ſacroſanctam a ſenioribus noſtris nunquam vidimus eis interdictam. Quin imo ſi poſſibile eſſet, eis etiam quotidie impertiri eam debere cenſebam. Nec enim ſecundum Evangelii ſententiam, quam huic ſenſui copulatis, Nolite dare ſanctum canibus, ad dæmonis eſcam ſacroſancta communio, & non potius ad tutelam corporis animæque pervenire credenda eſt, quæ ab homine percepta, eum qui in membris ejus inſidet ſpiritum, ſeu in ipſis latitare conatur, velut exurens fugat incendio. Hoc namque modo curatum & Abbatem Andronicum nuper aſpeximus*. Parem puellæ cognomento Arabæ, quæ propter inſpectum turpiter in balneo veneris ſimulacrum, a diabolo correpta erat, curationem legeris in egregio de prædictionibus Opere, Lib. 4. cap. 6. inter Proſperi Opera.

Obiit an. 385.

Alibi tamen, ut diximus, ſeveriori diſciplina uſum eſt. Sic Illiberitana Synodus jam citata Can. 17. *Eos*, inquit, *qui ab immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet; ſi fideles fuerint, dandam eſſe communionem*.

Tom. 1. Concil. p. 974.

Quid ergo nunc agendum, ſi cui Confeſſario Energumeni curam ſortiri contingat?

R. rebus cum Epiſcopo ad quem grandia hæc & inſolita pertinent, collatis, ſi commode poſſunt, expendendum an quis ſua culpa poſſideri meruerit, an non. Si non: videndum rurſus, an lucidis intervallis fruatur, an ſemper ſubjaceat dæmonis imperio, & quid hinc immineat irreverentiæ, turpiloquii, &c.

Si 1. non ante ad ſacram ſynaxim admittendus eſt, quam congruæ pœnitentiæ ſigna exhibuerit.

Si 2. nihil eſt cur eo ſubſidio privetur: Eſt vero propter quod eo non privetur, puta quia & patientia indiget ſingulari, ut hujuſce ſtatus moleſtiam ferat; & fortium robore, ne in dura adverſus ſæculi Principes lucta deficiat. Atque hinc energumenis Euchariſtiam dari permittit ſanctus Thomas 3. p. q. 80. art. 9. ad 2. ubi citata jam Caſſiani verba adducit. Idem paſſim tenent Theologi, ut Suares diſp. 69. ſect. 2. Vaſques diſp. 212. c. 4. Nat. Alexander hic cap. 5. propoſ. 5.

Si tamen eo uſque pateat æger impetui dæmonis, ut vereri ſit ne ſacrum corpus deglutire nequeat (prout pene contigit puellæ Veneris ſtatuæ ſpectatrici) erit is alio quocumque modo juvandus.

CON-

Digitized by Google

Conclusio III. Perpetuo amentium eadem eſt quæ infantium conditio : unde his Euchariſtia abſolute dari poſſet ſecluſa Eccleſiæ prohibitione. Semifatuis vero, ſeu debilem habentibus rationis uſum porrigi debet, tum in articulo mortis, ſi nihil timeatur incommodi ; tum & in Paſchate, ſi certo quodam pietatis & reverentiæ ſenſu erga hoc Sacramentum afficiantur.

Prob. 1. pars, 1. quia amentia hæc quædam eſt infantiæ ſpecies; 2. quia is eſt, juxta non paucos ſenſus Canonis 13. Concilii Arauſicani I. an. 441. *Amentibus quæcumque pietatis* ſunt conferenda; 3. quia non eſt per ſe illicitum Euchariſtiam iis præbere, qui ejus effectus capaces ſunt; cum Sacramenta ob effectum præciſe dentur : atqui amentes in perpetuum, ſicut & infantes, ſunt gratiæ Euchariſticæ capaces. Alioqui enim iis contra fas omne, & citra ullam probabilis cauſæ ſpeciem porrectus fuiſſet ab antiquis Patribus ſanguis Chriſti : atqui tamen hujus *facti ſui probabilem cauſam habuere* Patres illi ex citato ſuperius Tridentini textu; ergo.

Et vero ſi quid vel pueris, vel perpetuo amentibus deeſſet ad ſuſceptionem Sacramenti, maxime actualis ejus notitia, ut Amico placet : atqui hæc non magis ad Euchariſtiam, quam ad Baptiſmum aut Confirmationem requiritur; ergo ſicut hæc non quoad effectum duntaxat, ſed & quoad Sacramentum recipi poſſunt, ſic & illa.

Obj. 1. Chriſtus non dixit iis de quibus loquimur : *Niſi manducaveritis*, &c. ergo.

R. neg. conſeq. hinc enim ſequitur tantum communionem iſtis præceptam non eſſe: hæc porro & Sacramentum eſſe, & Sacramenti effectum habere poteſt, licet præcepta non ſit; cum præceptum ſit Sacramento mere extrinſecum.

Obj. 2. Ex S. Thoma q. 80. art. 9. ad 3. infantes ex denegata ſibi Euchariſtia *aliquod detrimentum vitæ non patiuntur* : atqui paterentur indubie, ſi ex recepta gratiam perciperent; ergo.

R. diſt. maj. non patiuntur detrimentum, ideſt peccatum, C. ideſt nulla privantur gratia, N. agit enim ſanctus Doctor contra eos, qui ex citato Chriſti textu, *Niſi manducaveritis*, parvulos, niſi communicarent, peccato teneri opinabantur : porro veſanum iſtud figmentum merito explodit S. Doctor.

Ceterum ut parvulis, ſic nec perpetuo amentibus Euchariſtiam dari patitur hodierna Eccleſiæ praxis; tum quia ſatius eſt ut non detur niſi ex prævio devotionis affectu expetita fuerit; tum quia majus adhuc ſubeſt indecentiæ periculum in amentibus, quam in pueris.

Prob. 2. pars, 1. auctoritate S. Thomæ, qui hanc citato mox articulo tradit; 2. quia, ut ait S. Doctor, *tales poſſunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere;* nec actu ſunt poſitive indiſpoſiti : cum in eorum pluribus haud levis appareat pietatis ſenſus, nec plerumque alias quam pueruli culpas committant.

Ne tamen Sacramenti tanti dignitas vileſcat, haud expedit ut ſemifatui ad ſacram ſynaxim crebro admittantur : unde admitti quidem debent urgente præcepto, proinque in Paſchate, & in articulo mortis, ſed non ultra, niſi gravior quædam urgeat ratio, puta Jubilæi, aut ſpecialem erga Sacramentum altaris præferant reverentiam.

Conclusio IV. Amentibus qui lucida habent intervalla, horum tempore tribui poteſt Euchariſtia : qui vero a rationis uſu in amentiam vel phreneſim incidere, Euchariſtia in articulo mortis, niſi obſtet privata lex, refici poſſunt, ſi vel laudabilem vitam duxerint, vel gravia pœnitentiæ ſigna dederint, nullumque ſubſit irreverentiæ, ut *vomitus vel expuitionis* periculum. Ita & ibidem Sanctus Thomas, Sanctus Antoninus, Navarrus, & late Diana.

Prob. 1. pars, quia amentes quo tempore lucida habent intervalla, diſpoſitionum quæ ad Euchariſtiam deſiderantur, omnino capaces ſunt.

Tom. 2. Conc. p. 1205. Prob. 2. pars, ex Concilio Carthag. IV. an. 398. ubi hæc ſanciuntur Can. 76. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit... in phreneſim verſus fuerit, donent teſtimonium qui audierint, & accipiat pœnitentiam: Et ſi continuo moriturus creditur, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.*

Dixi, *niſi obſtet lex*, &c. ſi enim, ut ait Habert, *plerique Libri Rituales* hanc Euchariſtiæ adminiſtrationem præcipiunt; at prohibent alii nec certe pauci, ut Argentinenſis pag. 79. Bleſenſis, atque ex eo deſumptæ inſtructiones Gallicæ, pag. 206. Rothomagenſis an. 1651. p. 151. &c. Quiſque igitur Diœceſis ſuæ legem ſervare debet : ubi autem moris eſt ut hujuſmodi perſonis detur communio, prout in articulo mortis dandam præſcribit Illuſt. Carolus Dargentré Tutelenſis Epiſcopus in ſua Sacramentorum expoſitione, Tom. 1. p. 290. operæ pretium eſt, ut Sacerdos formulam haud conſecratam ante in os phrænetici immittat, quam conſecratam; hac nimirum arte exploraturus an quid immineat irreverentiæ.

Conclusio V. Mutis & ſurdis a nativitate conferri poteſt Euchariſtia, non in articulo mortis tantum, ſed & tempore Paſchali, ſi & in his aliqua deprehendatur hujus Sacramenti cognitio, & peccata ſua nutibus exprimant. Ita Gilbert conſult. 31. Dargentré ibid. p. 291. Rituale Argentinenſe, ubi tamen prohibetur ne id fiat *inconſulto Epiſcopo, quantumvis iidem muti & ſurdi per ſigna & nutus peccata ſua declarent, & myſteriorum noſtrorum ſanctitatem & dignitatem intelligere ſe demonſtrent*. Quod etiam præcipiunt inſtructiones Bleſenſes, pag. 208.

Prob. quia id genus homines Sacramenti hujus naturam intelligere poſſunt, tum per imagines & ſigna; tum per exteriorem quam eidem impendunt ceteri Chriſtiani reverentiam; tum præcipue per auxilium gratiæ, quæ baptizatis plenius confertur; ergo ſi pie vivant, ſi officiis interſint devote, ſi de culpis ſuis, exhibito quadantenus e cœlis vindice, admoniti ſibi invigilent; ſi doloris ſenſum exhibeant, cum peccata ſua, ſeu per proprios nutus, ſeu per os aliorum quibus familiariter utuntur, apud Sacerdotem deponunt, non eſt cur in perpetuum a menſa cœleſti arceantur. Novimus qui recepto in extremis Viatico tantos exhibuerint piæ hilaritatis ſenſus, ut colligi hinc facile foret, eos divini quidpiam expertos fuiſſe. Ut quid ergo iis conſtanter recuſetur, quod prodeſſe queat, minus autem quacumque in hypotheſi obeſſe quam ceteris. Utique ad minus intelligunt, id quod ſunt recepturi, non eſſe profanum panem, ſed aliquid ad animæ ſuæ ſalutem inſtitutum. Unde pro gradu pietatis, non in Paſchate tantum, ſed & in aliis ſolemnioribus feſtis ad ſynaxim admitti poſſunt; modo, ait Layman Lib. 5. Tract. 4. cap. 4. peccatum

Digitized by Google

catum aliquod in ſpecie, non in genere tantum, per nutus accuſent: alias enim extra mortis articulum abſolvi non debent. Aliter dicendum de mutis, ſurdis, ſimul & cæcis; hi enim dignitatem tanti cibi nullatenus intelligere valent.

Conclusio VI. Peccatori occulto ſi publice petat, negari non debet Euchariſtia ſecus ſi privatim & abſque teſtibus; notorio autem, etiam ſola, modo vera notorietate facti, quocumque modo petat, omnino deneganda eſt. Ita Nat. Alexander ibid. Reg. I. Contenſon diſſert. 4. c. 1. &c.

Prob. ex iis quæ fuſe dicta ſunt ubi de Sacramentis in genere, cap. 2. art. 3. ſect. 5. pag. 187. iis porro quæ eo loci tradidimus de facti notorietate, id addi velim, quod exinde reperi in Opere inſcripto, *Paſtor bonus*, Auctore Joanne Opſtraet. Hæc ille cap. 8. §. 3. n. 3. pag. 351. *Neſcio quid in mentem veniat hodie quibuſdam, Theologis dicam, an Canoniſtis, qui ajunt Paſtorem negare non poſſe Viaticum notorie criminoſo, niſi talis a Judice declaratus ſit: qui profecto neque auctoritate, neque ratione ulla nituntur, ac præterea inſignem Eccleſiaſticæ diſciplinæ labem intentant. Quod enim ad auctoritatem attinet, neſcio an vel unum pro ſe Theologum, aut Canoniſtam inveniant. Quod attinet ad rationem, non minus publicum & certum eſt crimen evidentia facti, quam evidentia juris; adeoque non minus illud, quam hoc, ſatisfactione publica corrigendum.*

Niſi forte ideo ſententia Judicis expectanda ſit, quod alioquin metuendum ſit ne aliquando Paſtor aliquis ferventior pro notorie criminoſo habeat, qui revera talis haberi non deberet. Eſto id aliquando contingeret: an propterea enervari deberet lex diſciplinæ Eccleſiaſticæ de negando Viatico peccatoribus notorie criminoſis? & quæ demum lex eſt, qua non poſſet imprudentior aliquis certo caſu abuti: ſed an propterea leges paſſim enervandæ? Jam vero prorſus enervatur lex de negando Viatico notorie criminoſis, ſi prius criminoſi a Judice declarandi ſint, quam illis negari poſſit Viaticum. Etenim quis, quantumvis notorie criminoſus, non mox appellabit ad Judicem, dum audiet ſibi a Paſtore Viaticum negari? Ubi dum lis pendebit, priuſquam a Judice criminoſus declaretur, Viaticum ſibi ſuo jure dari poſtulabit. Neque id illi negare Paſtor audebit: nam ſi neget, tanquam qui injuſte negaverit a Judice condemnabitur.... Quare nullo modo ab Eccleſiæ Præpoſitis permittendum exiſtimo, ut lex illa novellis interpretationibus quorumdam enervetur, & convellatur, &c.

Circa denegandam peccatori occulto & occulte petenti, Euchariſtiam, *excipiunt communiter Theologi, niſi Sacerdos ex ſacramentali confeſſione peccatum cognoverit: quanquam*, ait Habertus pag. mihi 577. *nonnulli etiam magni nominis hanc exceptionem non admittant. Saltem*, inquit, *monendus videtur, qui minus ex malitia quam ex ſimplicitate, Euchariſtiam ſine teſte peteret; conſtat enim experientia rudiores expleta confeſſione pro more ad ſacram Menſam pergere, non attendentes fuerintne abſoluti, necne: in quo caſu, ubi ſupponitur nullum eſſe periculum infamiæ aut ſcandali, Sacerdos poteſt quærere ab hujuſmodi homine, num abſolutionis beneficium fuerit conſecutus*. Hactenus ille.

Quæres 1. an occulto peccatori porrigi poſſit Hoſtia non conſecrata, poſito quod niſi communicare videatur, grave ei periculum immineat; ut ſi maritus, cui nuper ſuſpecta eſt uxoris fides, per ſe, vel per alium obſervet, an ea pro more ſuo communicet.

 Affir-

Affirmarunt aliqui, quos inter citantur S. Bonaventura, Albertus, Anglez, aliique apud Quarti p. 2. tit. 10. ſect. 3. dub. 3. diffic. 3. Rationem dant plerique, quod hic nihil ſit vitii præter æquivocationem & fictionem, quæ ex gravi cauſa permitti poſſunt. At merito reclamant alii nec ſtrictiores: 1. quia fictio de ſe illicita eſt, & mendacium continet, quod in materia ſacramentali execrabilius eſt, & Religioni adverſum magis. Et vero indicat Sacerdos & facto & verbis præſentem hic eſſe Chriſtum, qui tamen revera præſens non eſt; 2. quia præbetur occaſio idololatriæ materialis: etſi enim, ut ſuadent primæ opinionis artifices, hoſtiam conſecratam manu gerat Sacerdos, dum dicit: *Ecce agnus Dei*, communem nihilominus gerit, dum ait: *Corpus Domini cuſtodiat*, &c. eamque adorant adſtantes, & a communicante adorari non dubitant; 3. quia graviter urget hic, tum factum Chriſti, qui Judæ ſacrilegium ſimu-
C. 6. De lata communione vitare noluit; tum deciſio qua ſtatuit Innocentius III.
celebr. *gravius offendere* Sacerdotem, qui conſecrationis verba ſupprimendo, *frau-*
Miſſar. *dulenter illud myſterium præſumebat ſimulare*, quam ſi *in mortali crimine conſtitutus* dona ſumpſiſſet vere conſecrata.

Quæres 2. quæ fuerit olim, quæve nunc ſit Eccleſiæ praxis quantum ad communionem iis dandam, qui poſtquam in peccato conſenuere, Viaticum ingruente morte poſtulant.

R. variam variis, quin & iiſdem temporibus fuiſſe ea de re diſciplinam: 1. enim, ait Cyprianus in celebri ad Antonianum Epiſtola, quæ Pamelio & Rigaltio eſt 52. Pearſonio autem 55. & ſcripta fuit an. 252.
Edit. *Apud Anteceſſores noſtros, quidam de Epiſcopis iſtic in Provincia noſtra dan-*
Pearſ. p. *dam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adul-*
247. & *teria clauſerunt; non tamen a Coepiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt......*
ſeq. *ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de Eccleſia ſepararetur*. En igitur primo aliam & aliam ejuſdem & in eadem occaſione Eccleſiæ praxim; nec proin ſatis conſulte ſcripſit Albaſpinæus, haud factam eſſe mœchis veniam ante Novatiani tempora. Pergit infra Cy-
Ib. p. 248. prianus: *Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate atque in periculo ceperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*. En utique ſummam erga tardos pœnitentes ſeveritatem.

2. eadem fuit in Hiſpaniis quoad Euchariſtiæ conceſſionem aſperitas, ut patet ex Concilio Illiberitano Can. 1. 2. 3. 6. 7. 73. 75. En Sexti verba: *Si quis maleficio interficiat alterum, eo quod ſine idololatria ſcelus perficere non potuit*, placuit *nec in fine impartiendam eſſe illi communionem*.

3. & is Gallias noſtras rigor pervaſit aliquando. Sic enim habet Conci-
Tom. 1. lium I. Arelatenſe Can. ult. *De his qui apoſtatant & nunquam ſe ad Eccle-*
Concil. *ſiam repræſentant, nequidem pœnitentiam agere quærunt, & poſtea infirmitate*
p. 1429. *correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi reva-*
C. *luerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ*.

Verum rigidior hæc diſciplina, nec ſemper, nec ubique ſimul viguit. Patet id 1. ex Concilio I. Nicæno Can. 13. ubi ſic: *Generaliter omni cui-*

libet

Digitized by Google

libet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis, ſeu ut vertunt alii cum Caballutio, *Euchariſtiæ gratiam tribui, Epiſcopus poſtquam probaverit, ex oblatione dare debebit*. Idque, ajunt ibid. Patres, ut *lex antiqua regulariſque ſervetur*: unde conſtat nec ubique, nec ab initio tam dure cum morituris actum fuiſſe, quam præcipiant citatæ ſupra auctoritates. *Tom. 2. Concil. p. 42.*

2. ex Conciliis, Ancyrano Can. *6.* & Carthaginenſi IV. Can. *76.* cujus verba retulimus Concl. IV. Arauſicano I. Can. 3. Agathenſi Can. 15.

3. idem antiquiori ævo tradidere Patres non pauci, ut Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium Lib. *6.* Hiſtor. c. 44. Innocentius I. Epiſt. 3. ad Exuperium, Toloſannm Antiſtitem, Cœleſtinus Epiſt. 2. ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis, &c. Siricius Epiſt. ad Himerium Tarracon. En Innocentii verba: *Et hoc quæſitum eſt quid obſervari oportet de his qui poſt Baptiſmum, omni tempore, incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo vitæ ſuæ fine, pænitentiæ ſimul & communionis reconciliationem expoſcunt. De his obſervatio*, ſeu diſciplina, *durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo tenuit prior, ut concederetur pænitentia, ſed communio negaretur.... ſed jam communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, quaſi Viaticum profecturis; & ne Novatiani hæretici negantis veniam, aſperitatem & duritiam ſequi videamur.*

Ne tamen hinc temere ſibi blandiantur peccatores, meminiſſe debent tritum id Auguſtini: *Sacramenta damus, ſecuritatem non damus.*

Quæres 3. an Reis ultimo ſupplicio damnatis tribuenda ſit Euchariſtia.

R. variam eſſe variis in locis ea de re conſuetudinem. Conſtat ſiquidem ex Concilio Mediolanenſi V. an. 1576. part. 1. cap. *9.* ejuſmodi reis dari Euchariſtiam in Italia, quod & in Germania uſu receptum eſt: poſſe vero tunc temporis reum communicare per modum Viatici, proinque non jejunum, ſatis fatentur exteri, ut Lugo diſp. 15. n. 73. Quarti p. 3. tit. *9.* ſect. 1. dub. *6.* cauſa 3. Cenſent tamen ii e re eſſe ut Judex executionem differri curet, quo poſſit ſons jejunus accedere ad ſynaxim; niſi obſtet quid ne dilatio hæc concedatur: puta ſi reus ſoluto mane jejunio vitam protraheret; ſi dilatus in craſtinum non poſſet eſſe terrori & exemplo pluribus, qui ad nundinas convenere, &c.

Alia jam pridem invaluit conſuetudo in Galliis: quin & hujuſmodi ſontibus olim denegabatur etiam ſacramentalis abſolutio. *Primus*, ait Morin. Lib. 10. de Pœnit. cap. 1. n. 4. *hunc morem, multorum Procerum Eccleſiaſticorum & virorum Principum precibus perſuaſus abrogavit Carolus VI. Edicto Pariſiis dato 4. nonas Februarii an.* 1396. Exinde vero, ut antea, conſtanter denegata reis ſacra communio, itaut hæc Ludovico Luxemburgo, qui ſub Ludovico XI. læſæ majeſtatis reus, capite damnatus eſt, petenti recuſata fuerit; eo conceſſo tantum, ut res divina, ſeu Miſſa coram illo fieret, & panis benedictus porrigeretur, *quem religioſe manducavit*: ita ſcribit Gaguinus Lib. 10. Hiſtor. Mos ille apud nos hodiedum perſeverat, viguit etiam in Hiſpania tempore Dominici Soto. *Pag.720. col. 1. C.* *An.1475*

Utra autem praxis alteri præferenda ſit, ambigi poteſt. An Itala Italis ipſis ſemper probata fuerit, neſcio: id ſcio, ne Gallis quidem omnibus probatam fuiſſe Gallicanam. *Cur*, inquit Synodus Remenſis an. 630. ſub Sonnatio, ſtatuto II. *cur ad mortem condemnatis renuitur Euchariſtia? cum eos maxime conducat ad ſpem & ſecuramen certi deceſſus, & præſentis ago-*

 nis.

D. Soto in 4. diſt. 12 q. 1. a. 2. nis. Eadem eſt Soti de Tribulibus ſuis querela: *Nulla*, inquit, *apparet cauſa cur rei, ſi ſint vere pœnitentes, tanto beneficio priventur*. His accedit Pii V. auctoritas: qua utitur Mexicanum Concilium an. 1585. Lib. 3. tit. 17. §. 4. En Concilii verba: *Cum cœleſtis iſte cibus animarum noſtrarum fortitudo ſit, præſertim in extremo vitæ certamine, nullatenus permitti debet, ut quiſquam ſine tanto Viatico ex hac vita diſcedat. Quare jus antiquum a felicis recordationis Pio Papa V.* (obierat an. 1573.) *ſuo proprio motu innovatum, & etiam lege Regia* in Hiſpaniis *ſuſceptum, decernit ac præcipit, ut omnibus fidelibus ad mortem damnatis, ante unum diem, quam pœna mortis executioni mandetur, hujus SS. Sacramenti Viatico reficiantur, ut eo roborati ad ſuarum animarum ſalutem*, pœnas *patienter ferant*.

Bene hic præcipitur ut uno ante lethalis decreti executionem die miniſtretur ſontibus Viaticum, prout *multis* Italiæ *locis piæ & laudatæ conſuetudinis eſt*. Neque enim decet ut corpus ſanguine Chriſti quaſi madidum, ignominioſe tractetur. Atque hinc major in Gallia reis conferendæ Euchariſtiæ difficultas, cum Regia circa ſontes Sanctio id ferat tit. 25. n. 21. *Les jugemens ſeront executès le meme jour qu'ils auront etè prononcès*. Adde futurum ut e reis multi ſacrilege communicarent. Plures enim, audita etiam capitali ſententia, vix plene peccata ſua deponunt, aut ſceleris conſcios detegunt, niſi cum tortorem ferali operi accinctum vident. Alii vero infamis leti horrore uſque adeo perciti ſunt, ut iis pene vox & ſenſus deficiant. De iſtis rurſus infra.

Concil. Mediol. V. — Ordonn. Crimin. de 1670.

Ex his obiter colliges, male a Confeſſario quodam, ceteroqui non imperito, negatam fuiſſe abſolutionem Judici, eo quia puellæ, ob ſuffocatam prolem ad patibulum damnatæ, Viaticum impendi renuerat. *Illud*, ait Hieronymus Epiſt. ad Lucinium, apud Gratian. Diſt. 12. c. 4. *breviter te admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ita obſervandas, ut a majoribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem, aliorum contrario more ſubverti*. Vide fuſe & erudite de his diſſerentem P. Gibert, Conſult. 25. de Euchariſtia.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Diſpoſitionibus ex parte corporis.

Diſpoſitiones ad Euchariſtiam requiſitæ ex parte corporis, tres aſſignari ſolent, jejunium ſcilicet, corporis munditia, & modeſtia exterior. De his bina Sectione dicemus.

SECTIO PRIMA.

De Jejunio.

Circa primum iſtud caput tria inquiri poſſunt, 1. an & qua lege ad jejunium teneantur communicaturi; 2. quali teneantur jejunio; 3. an nemo unquam ab ea lege diſpenſetur. Sit

Conclusio I. Jejunii Euchariſtici neceſſitas non eſt de jure Divino, bene tamen de jure Apoſtolico, quandoque tamen minus accurate obſervato.

Prob.

Prob. 1. pars, tum quia Chriſtus contrarium exemplo ſuo tradidit, inſtituta & præſtita Apoſtolis Euchariſtia poſt legalem cœnam; tum quia moris fuit ſaltem apud Corinthios, ut nonniſi celebratis agapis comederetur Euchariſtia, prout ex his Apoſtoli verbis I. Cor. 11. 20. *Unuſquiſque propriam cœnam præſumit ad manducandum*, ſeu antea manducare properat, colligere ſolent Interpretes cum Auguſtino contra Chryſoſtomum hic Hom. 27. Ibi quidem ſevere increpat Corinthios Paulus; ſed quia ex ea comedendi feſtinatione fiebat, ut eſuriret alter, alter vero ebrius eſſet; non autem quia violaretur jam conſtituta jejunii lex. Quamquam hanc, ut iis incommodis quæ in dies creviſſent, obviam iretur, ſancitam fuiſſe, conjiciat Auguſtinus Epiſt. mox citanda ex his Apoſtoli verbis: *Cetera cum venero, diſponam*. Hinc enim, ait S. Doctor, *intelligi datur ..... ab ipſo ordinatum eſſe quod nulla morum diverſitate variatur*.

Confirm. concluſio ex eodem S. Doctore Epiſt. 54. alias 118. ad Januar. Hæc ille: *Ideo non præcepit* Dominus, *quo deinceps ordine ſumeretur* Euchariſtia, *ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quod eum morem nemo variaſſet*. *Tom. 2. pag. 127. A. E.*

Prob. 2. pars, quia ex citata toties Auguſtini regula, Lib. 4. de Bapt. cap. 24. *quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica auctoritate traditum rectiſſime creditur*: atqui morem Euchariſtiæ nonniſi jejunis dandæ univerſa ab initio ſervavit Eccleſia, itaut communiter redarguerit contra facientes. Prob. min. 1. ex Tertulliano Lib. 2. ad uxorem cap. 5. *Non ſciet maritus*, inquit, *quid ſecreto ante omnem cibum guſtes*; 2. ex Cypriano Epiſt. ad Cœcilium: *Numquid ergo*, ait, *Dominicum poſt Cœnam celebrare debemus*, quia ita a Chriſto factum ſit? 3. ex Baſilio Hom. 2. de Jejunio, ubi ſic: *Jejunantem intra ſacrorum cancellos recipit Dominus*; 4. ex Chryſoſtomo Homil. 27. in I. Corint. *Tu*, inquit, *priuſquam communices, jejunas, ut quomodocumque communione dignus appareas*; 5. ex Auguſtino cit. Epiſt. 54. num. 7. ſic ille: *Liquido apparet, quando primum acceperunt Diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a jejunis ſemper accipitur. Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius corpus Domini intret, quam ceteri cibi: nam ideo per univerſum Orbem mos iſte ſervatur*: niſi quod, ut ibid. obſervat S. Doctor, aliqui *uno certo die per* annum, videlicet feria V. majoris hebdomadæ, ad exemplum Chriſti *poſt cibos Euchariſtiam offerrent & acciperent*. Atque hinc *Tom 10. p 140. C.* *Pag.169.* *Rigalt. 62. Famel. & Pearſon. 63.*

Prob. 3. pars, nimirum non ſemper a jejunis receptam fuiſſe Euchariſtiam; prob. inquam, ex Can. 29. Concilii III. Carthagin. ubi ſic: *Ut Sacramenta Altaris nonniſi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo Cœna Domini celebratur*. Quod & iiſdem verbis repetit Synodus Matiſconenſis II. an. 585. Can. 6. Idem & multo frequentius per abuſum erat in uſu apud Ægyptios. *In multis*, ait Sozomenus Lib. 7. cap. 19. *urbibus ac vicis Ægypti, contra receptam omnium conſuetudinem, die Sabbati ſub veſperam convenientes, jam pranſi ſacra Myſteria percipiunt*. *Tom. 2. Conc. p. 1171.* *Pag.735. B.*

CONCLUSIO II. Severa jejunii naturalis ſeu Euchariſtici lex exigit ut a media

media nocte diei illius, quo quis vel Euchariſtiam conficere vult, vel recipere, nihil omnino ſumpſerit, ſive per modum cibi & potus, ſive per modum medicinæ, aut rei cujuſvis, quæ conſueto more digeri poſſit.

Prob. tum ex univerſali Eccleſiæ uſu, tum ex unanimi fidelium conſenſu, qui ſi quid, minimum licet, incauti ſumpſerint, a ſynaxi etiam ardenter expetita abſtinent. Idem expreſſe ſanciunt Rubricæ Miſſalis p. 3. tit. 9. ubi hæc legnntur: *Si quis non eſt jejunus poſt mediam noctem, etiam per ſumptionem aquæ, vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcumque parva quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare.*

Id autem triplici de cauſa ſancitum eſt, teſte S. Thoma, ead. q. 80. art. 8. 1. *ſicut Auguſtinus dicit, in honorem hujus Sacramenti, ut ſcilicet in os hominis intret, nondum aliquo cibo vel potu infectum; 2. propter ſignificationem, ut ſcilicet detur intelligi, quod Chriſtus, qui eſt res hujus Sacramenti, & charitas ejus debet primo ſundari in cordibus noſtris, ſecundum illud Matth. 6. Quærite primum regnum Dei; 3. propter periculum vomitus & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur; ſicut & Apoſtolus dicit I. Corint. 11. Alius quidem eſurit; alius autem ebrius eſt.*

Ut ſolvantur quæ ad gravem hanc materiam pertinent, fuſiuſque explicetur præcedens Rubrica,

Quæres 1. qualiter, & quarum rerum ſumptione frangatur jejunium naturale.

R. hanc ut plurimum, paulo tamen generalius, ſtatui regulam: Id omne & ſolum naturale jejunium ſolvit, 1. quod ſumitur per modum cibi & potus in ſtomacho naturaliter alterabilis; 2. quod ſumitur per actionem, quæ proprie ſit comeſtio vel potatio. Ratio eſt, quia jejunium naturale conſiſtit in abſtinentia cibi & potus, prout ſunt formaliter tales; ergo quidquid ſumetur per modum cibi & potus, jejunium ſolvet, & non aliter.

Hinc non ſolvit jejunium, 1. quidquid per modum ſalivæ trajicitur in ſtomachum, ut pituita, vel ſanguis e cerebro, gengiviſve defluens: item vini & aquæ reliquiæ quibus os abluitur; * cibi quoque, qui cum remanſerint inter dentes, cum ſaliva & per modum ſalivæ trajiciuntur. Idem eſt, ajunt Silvius, Ethica amoris, & alii paſſim, ſi quis aut cibum momordit, aut juſculum, ut coqui ſolent, vinumve lingua ſolum & palato deguſtavit, aut *caſualiter* * & per modum ſalivæ deglutivit. Secus ſi deglutiantur ex propoſito *in quantumcumque parva quantitate;* tunc enim arcent a communione, uti cum aliis docent Salmanticenſes Tract. 4. cap. 7. nu. 67. Unde obiter colliges, tutum non eſſe id quod docet Quarti 3. p. tit. 9. ſect. 1. dub. 2. cum amico ſuo Diana, non violari jejunium, ſi reliquiæ cibi præcedente die ſumpti (v. g. grana aliquot aniſi, quæ intra dentes latitaverint) de induſtria deglutiantur, vel retineantur cum ſalivis trajiciendæ. Eſt enim hæc actio, nova quædam comeſtionis ſpecies, quæ ex vi prioris non ſequitur, ſed vera ac nova voluntate ſit. Unde differt a mera per ſalivam trajectione, quæ, ut ait ibid. S. Thomas, *vitari non poteſt:* ideoque per hanc ſolvi jejunium docent Vaſques, Filliucius, Layman, Lugo diſp. 15. n. 36. Silvius qu. 80. art. 8. ubi Gavantum citat.

S. Th. 3. p. q. 80. a. 8. ad 4.

2. nec

* Si lavando os, deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem, non impeditur communio. *Rubrica Miſſal.*

Digitized by Google

2. nec ſolvit jejunium, quod per reſpirationem attrahitur, ut pulvis, culex, pluvia, fumus item aſſæ carnis & ſimilium; tum quia hæc invitum ſubeunt; tum quia nihil eſt horum, quod vere cibi vel potus rationem habeat. Eſt tamen circa fumum tabaci ſpeciale quid, de quo infra.

Sed quid ſi trajiciatur in ſtomachum res quæpiam, vel non comeſtibilis, ut oſſiculum, aurum, creta, papyrus, unguis; vel comeſtibilis quidem, ſed non trajiciatur per os, bene vero per nares, ut tabacus, aqua Hungariæ, &c.

R. ad 1. Sunt qui exiſtiment his omnibus ſolvi jejunium: unde eum qui plumbeam glandem, nummumve aureum, vel ex levitate, vel ex latronis imminentis metu deglutiret, eadem die ſacrum facere poſſe negant. Ratio eſt 1. quia ex S. Thoma cit. art. 8. nihil intereſt ad violationem jejunii naturalis *utrum* id quod aſſumitur, *nutriat vel non nutriat, aut per ſe, aut cum aliis;* 2. quia venenum ad nutritionem non ordinatur, ſed ad excidium hominis, & tamen communioni obeſt; 3. quia feminæ, quæ terram, aut carbones comedunt, ſeu per modum medicinæ ad minuendum calorem, ſeu ex depravato guſtu, ex communi ſententia communicare non poſſunt; ergo a pari in ceteris caſibus. Ita Bonacina, Layman, Habert p. mihi 613. aliis 591.

Alii tamen, quibus adhærere juvat, ex iis nonnulla jejunio nihil obeſſe putant, ut aurum, plumbeam glandem, oſſicula quædam; nonnulla vero, ut chartam, papyrum, terram, carbones dentibus tritos, eidem probabiliter adverſari. Ratio eſt, quia priora nec per hominis ſtomachum digeſtibilia ſunt, nec ullatenus nutritiva; poſteriora vero & aliquid nutritivi humoris habent, & plus vel minus digeruntur. Hinc, juxta Dianam ipſum, creta quam mulieres quædam per modum medicinæ ſorbent, communionem impedit.

R. ad 2. Exiſtimant multi id ſolum quod excipitur ore, adverſari jejunio. Unde nec tabacus, nec aqua Hungarica, nec ipſe qui ex cerebro manaret ſanguis, & ſponte tranſmitteretur in ſtomachum, arcere poſſunt a communione. Ita idem Quarti, Henno, & quoad tabacum ſpectat, Van-Roy, & Zachias Tom. 2. qq. Medico legalium, Romæ pluries impreſſo, quem ſequitur Pontas v. *Meſſe*, caſ. 6.

Verum ex deciſiones, meo quidem judicio, nonnihil expoſitionis poſtulant. Et 1. non opinor jejunum fore, qui ſanguinem proprium, etiam non exceptum per os, ſed ab intus manantem ſponte ſorberet. Quis enim, niſi judaice ſentit, facile capiat, haud jejunum manere qui aliquot ſanguinis guttas e læſo digito fluentes ſugit & trajicit, ut expreſſe concedit Quarti; jejunum vero eſſe qui multo plures e gengivis manantes *de induſtria* haurit. Certe ſi res ita ſit, pro jejuno habendus eſſet, qui præciſam ſibi linguæ partem voraret; quod abſurdum eſt. *Tom* 2. *p.* 1388.

2. Hungaricam aquam, ſi quid ejus in os ingreſſum ſit, & inde trajectum, jejunio haud adverſari putem, quia id per ſalivæ modum excipi conſuevit: ſecus ſi de propoſito fiat.

3. quoad Tabacum attinet, quidquid ejus ad fauces devenit, prompte ejicitur; unde vix quidquam hinc oriri poteſt ſcrupuli. Si tamen, ait Silvius q. 80. art. 8. *os intret, & deglutiatur*, impedit communionem, *quia eſt medicina, licet multis noceat:* idque, juxta præcedens ejuſdem Auctoris prin-

principium, *etiamſi is qui ſumpſiſſet, mox evomeret*. Secus *ſi ſolum intraſſet in aſperam arteriam, & ſtatim expueretur; cum ex eo non* medicamen vel *nutritio; ſed potius ſuffocatio ſequi nata ſit ..... ſecundum Paludanum*.

Atque hinc timendum, ne qui paulo ante mediam noctem tabaco referti lectum ſubeunt, experti pulverem hunc fauces ſuas, & inde ſtomachum ſubire, haud ſatis ſibi conſulant. Tabacus enim non videtur comparari poſſe cum reliquiis cibi, quæ per modum ſalivæ deglutiuntur, ſed cum ſaccaro in ore ſenſim liquefaciendo, de quo paulo poſt.

Sed quid de iis qui tabaci folia mandunt, ut aquas ex ore eliciant; aut tabaci fumum per os, nareſve attrahunt.

R. ad 1. Sunt qui cum Van-Roy Tom.2. p.254. Ethica pag.75. Henno pag. 251. Paulo a Lugduno, *maſticationem* hanc jejunio naturali adverſam putent: quia fieri non poteſt, quin plurimæ tabaci particulæ ſucculentiores trajiciantur in ſtomachum, aut ſaltem ſemper periculum eſt ne trajiciantur: atqui trajectio hæc ad jejunii ſolutionem ſufficit. Trajiciuntur, inquies, per modum ſalivæ: Sed ſi ſuccus plurimus ſaccari (quod in ore, ad tollendam ejus amaritudinem, poſuiſſes ſugendum, non intendens deglutire, ſed expuere ſuccum, non ſecus ac tabaci) deſcenderet in ſtomachum, an, quæſo, communicare auderes: ſi autem in hoc caſu non auſis, cur in alio plane ſimili auſis?

Si tamen, & id forte a perſonarum conſtitutione pendet, certus quis ſit, ſe nullam tabaci foliorum particulam trajeciſſe, aut non aliter trajeciſſe, quam tranſmitti ſoleat quædam aquæ guttula, quæ dum os abluitur, ſimul cum ſaliva indeliberate pertranſit, non eſt cur ſibi a violato jejunio vereatur: etſi interim maſticatio hæc, vix militi, multominus Sacerdoti condonanda eſt, niſi gravi de cauſa. Ita ibid. Pontas poſt Zachiam.

R. ad 2. hic quoque hærere Theologos. Alii enim, iique numero pauciores, jejunium naturale fumo in ſtomachum trajecto violari docent; ita Pontas ibid. cui eo uſque deciſio hæc aperta eſt, ut hanc ne verbo quidem probare dignatus ſit. In idem propendet Ethica cum aliis quibuſdam. Alii ex adverſo pugnant: 1. quia jejunium non ſolvitur niſi vera comeſtione, vel potatione: atqui tractio fumi, nec comeſtionis veræ, nec potationis rationem habet; 2. quia alioqui qui cum fumigantibus iter facit, fumumque ore vel naribus invitus excipit, ſacrum poſtea celebrare non poſſet; idemque de eo foret, qui in culina ciborum fumos excepiſſet. Qui enim proprii tabaci fumum excipit, vulgo tam invitus excipit, quam qui circumſtant: unde vel totum per os & nares ejicit, vel nonniſi parum admittit per modum reſpirationis. Alii demum, quibus olim adhæſi, concedunt ſolvi jejunium, cum quis ope inſtrumenti fumum tabaci, aut carnium ad ſtomachum per fauces tranſmittit voluntarie, vel volens ore excipit: ſecus vero, ſi vel nihil in ſtomachum trajiciat, vel nonniſi involuntaria tranſpiratione; quomodo trajicitur muſca, aut herbarum fumus, qui viatorem pene ſuffocat. His, etſi parum ſatisfaciunt, nihil hodie melius dictu obverſatur animo.

Unum addam, eum nempe qui ad ſynaxim accedere cogitat, melius ſibi & multo decentius conſulere, ſi a quacumque tabaci ſpecie antea abſtineat; tum quia meræ hic ut plurimum occurrunt ſenſualitates, quibus nemo eſt, qui ſaltem per aliquot horas, juvante Deo reſiſtere nequeat;

Digitized by Google

queat ; tum quia uſus tabaci ſive fumo , ſive naribus vel ore ſumpti ante Miſſam vel communionem , in Conciliis Limenſi III. & Mexicano itidem III. ſevere prohibitus eſt , & *ſub reatu mortis æternæ* ; & hæc Concilia a ſacra Cardinalium Congregatione approbata ſunt . Et vero , ait Alphonſus Coen e Recollectorum familia , diſp. 4. p. 304. *Tom. 4.* ſi Urbanus VIII. in Bulla *Cum Eccleſiæ* 161. ſub pœna excommunica- *Bullar.* tionis ipſo facto incurrendæ prohibeat , ne in ulla Diœceſis Hiſpalenſis *pag. 227.* Eccleſia , ejuſve atriis & ambitu tabacus , ſive ſolidus , ſive conciſus in fruſta , ſive redactus in pulverem , ore , vel naribus , aut fumo per tubulos , aut alias quomodolibet ſumatur , quanto magis prohiberet ne eo ante ſacram communionem quocumque modo uti liceret ?

Quatuor hic ſuperſunt obſervanda , 1. jejunium frangi per id etiam quod quis invitus deglutierit : unde ſi cibi quid vel potus in ſtomachum meum ab alio per fiſtulam tranſmitteretur , haud poſſem ea die ſacris operari , quidquid contra ſentiat Ethica amoris . Ratio eſt , quia licet Eccleſia jejunium naturale ſanciendo , reſpirationem , & ea quæ , per ſe loquendo , cum reſpiratione & aere attrahuntur , ut floccum nivis , beſtiolam , paleolas , prohibere non intenderit : at ea prohibere potuit quæ non ab aere feruntur , ſed aliunde in fauces tranſeunt : ea enim vere nutriunt , ſicque aliquo ſenſu dici poſſunt comedi : unde de ægroto , qui aliquid incauto ſibi in os immiſſum deglutivit , dicitur quod ovum , v. g. juſculumve ſumpſerit . Et vero quis pro jejuno habeat hominem , cujus , etſi reluctantis , ſtomachum ampla vini lagena ingreſſa fuerit ? Ita Lugo diſp. 15. nu. 35.

2. eum qui lectulum ingrediens , glycyriſſam , ſaccarum , aut ſimile quid in ore liqueſiens , ori impoſuerit paulatim ſolvendum & trajiciendum , ad leniendam pectoris vel faucium raucedinem , ſequenti die ad ſynaxim accedere non poſſe , niſi moraliter certus ſit , ſe nihil poſt mediam noctem tranſglutiiſſe : in dubio enim non poteſt jejunum ſemet præſumere , qui expoſuit ſe periculo præſcriptum ab Eccleſia jejunium ſolvendi . Et certe id quod mediam poſt noctem trajici potuit , non eſt reliquia , ſed pars cibi illius , cujus comeſtio ſit per continuam liquefactionem & trajectionem . Ita omnes , ait ibid. Lugo , & Coninck , quæſt. 80. num. 48. Aliter tamen ſentiunt Tabiena , Bauny , & alii quidam apud Dianam , & Quarti , qui ab iis merito recedunt .

3. ut quis jejunus ſit haud neceſſum eſſe , ut ex quo comedit aut bibit , dormierit , vel ſit digeſtus : etſi quandoque conveniens ſit ut propter capitis gravitatem , aut torporem animi , quibus tollitur devotio , a communione abſtineat .

4. decere plurimum ut Fideles pridie diei illius quoad ſacram Menſam accedere decreverunt , jejunium celebrent , aut ſaltem parcius cœnent ; & quod pii aliquando ſolent , vel noctis partem piæ meditationi impendant , vel ſaltem prolixius & ferventius orent : ita S. Carolus in Inſtructionibus , & ex ipſo Nat. Alexander .

Quæres 2. an in hoc jejunii naturalis præcepto detur parvitas materiæ , ſeu ex parte rei ipſius quæ comederetur , ut ſi quis amygdalam , prunumve duntaxat ſumat ; ſeu ex parte temporis , ut ſi quis aliquot tantum minu-

minutis, vel ad ſummum uno poſt mediam noctem ſemiquadrante, vini vel aquæ ſcyphum hauſerit.

R. in neutro caſu dari materiæ parvitatem, quæ a gravi ſacrilegio excuſet. Non in primo, quidquid, quod ſatis mirari non potui, contra dicat P. Gibert Tom. 4. Conſult. 14. Probant aliqui ex iſto Pœnitentialis Romani Canone, quem refert Burchardus Lib. 19. c. 5. tit. de Irreligioſitate: *Accepiſti corpus & ſanguinem Domini poſt aliquam deguſtationem parviſſimam? ſi feciſti & ſemel & illud in pueritia, niſi pro Viatico, decem dies in pane & aqua pœnitere debes.* Verum nihil hinc certi concludere eſt; quia jure antiquo gravis quandoque indicitur pœnitentia, pro rebus quæ indecori quid habent, nihil tamen vere peccati. Sic ibid. tit. de illicitis cibis Canon iſte legitur: *Bibiſti urinam humanam ..... pro ſanitate aliqua? Si feciſti, viginti dies in pane & aqua pœniteas.* Melius itaque

Prob. 1. ex variis Conciliis, quorum alia depoſitionis, alia excommunicationis, alia ſuſpenſionis pœnam aut imponunt de facto, aut imponendam decernunt iis qui minime jejuni communicaverint. Bracarenſe III. an. 572. Can. 10. *Si quis Presbyter*, inquit, *poſt hoc Edictum noſtrum in hac veſantia fuerit deprehenſus, ideſt, ut non jejunus, ſed* QUOCUMQUE *jam cibo percepto oblationem conſecraverit, continuo ab officio ſuo privatus, a proprio deponatur Epiſcopo.* Matiſconenſe an. 585. Can. 6. *Injuſtum eſt*, ait, *ut ſpiritali alimento corporale præponatur: ſed ſi quis hoc attentare curaverit, dignitatem amittat.* Toletanum VII. an. 646. Can. 2. *Nullus*, extra neceſſitatis caſum, *poſt cibi potuſve* QUEMLIBET MINIMUM SUMPTUM *Miſſas facere præſumat omnino. Si quis hæc tentare præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.* * Nemauſenſe an. 1284. tit. de celebr. Miſſarum: *Prohibemus*, inquit, *ſub pœna ſuſpenſionis*, ne ullus *poſt cibum potumque minimum ſumptum, audeat celebrare*: atqui graves depoſitionis potiſſimum & excommunicationis cenſuræ nuſquam ob levem culpam infliguntur, aut infligendæ decernuntur, prout in ſpeciali ea de re Tractatu oſtendimus; ergo.

Prob. 2. quia a communiſſimo, peneque unanimi Eccleſiæ, doctorumque ejus & fidelium ſenſu ſine rationibus demonſtrativis recedere non
Sylvius licet: atqui communis eſt & communiſſima Doctorum ſententia, imo
pag. 348. & fidelium omnium, peccatum eſſe mortale, ſi quis poſt aquæ, vel
Quarti *pag.* 454. alicujus alterius, etiam inadvertenter & invite hauſti, ſumptionem in quantulacumque quantitate, eadem die communicet; ergo.

Prob. 3. quia licet materia de ſe levis non poſſit præciſe ratione ſui graviter præcipi, poteſt tamen, quando graviſſima fit ab extrinſeco, puta vel ob ſignificationem ſibi annexam, vel ob gravitatem intenti finis. Sic lethaliter peccat Sacerdos, qui vel modicam aquæ guttam non infundit in calicem; quia magni momenti ſignificationem prætermittit; vel contra Diœceſis legem, tabernam ingreditur; quia multiplici ſcandalo januam aperit: Atqui quod Euchariſtia a jejuno tantum conficiatur, aut recipiatur, eſt quid grave, tum penes ſignificationem, Chriſtum videlicet eſſe
Concil. potiſſimum fidelis animæ alimentum; tum penes finem, *ut* nempe *nul-*
Matiſc. *ubi ſupr.* *lus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino Miſſas concelebrare præſumat.*

Uti-

* Incaute igitur Sambovius Tom. 3. p. 34. & 35. ſcribit nullam per Canones indictam eſſe pœnam iis, qui non jejuni conſecraverint.

Utique enim, ut olim a pio Sacerdote animadverſum vidi, ſi Presbytero Sacra facturo, vel unciam vini delibare liceret, necdum expleto centennio ad aram aſcenderent homines mero temulenti. Neque id temere & gratis conjectum: reipſa enim id jam acceſſiſſe ſuadent citata hæc Concilii Matiſconenſis verba: *Item decernimus, ut nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, ſacrificia contrectare præſumat.*

Neque etiam in ſecundo caſu, ideſt in modico a media nocte intervallo datur materiæ levitas: 1. quia obſtat, ut in præcedenti caſu, communis Catholicorum ſenſus, qui nequidem lubenter hujuſmodi quæſtiones moveri audiunt; 2. quia admiſſa ſemel ea laxitate, brevi naſceretur laxitas alia: ex quo enim Scholaſtici litem hanc movere ceperunt, alii comedendi licentiam ad ultimum horologii mediam noctem annuntiantis pulſum tantummodo diſtulerunt; alii ad moram ſalutationis Angelicæ; alii ad ſemiquadrantem; alii ut Paſqualigus deciſ. 338. ad ſpatium quodcumque hora integra brevius: unde tandem ad horam totam, deinque ad duas, forte & tres, ideſt in Meridionalibus plagis, ad auroram, proinque ad ipſum ſacrificii, vel communionis tempus ſenſim progreſſum fuiſſet.

Objiciuntur tria, 1. quod levis materia nonniſi leviter ſolvit jejunium naturale, neque graviter adverſatur fini præcepti; 2. quod materiæ levitas peccatum facit leve, quoties diſſonantia cum lege non conſiſtit in indiviſibili: porro non conſiſtit in indiviſibili diſſonantia cum jejunii præcepto; cum alia aliam ſuperet exceſſu, major minorem; 3. quod ſimonia, licet ſacrilegium de ſe grave, materiæ levitatem admittat. Verum hæc non urgent. Unde

Ad 1. etſi levis comeſtio ſit materia levis, communio tamen poſt comeſtionem eſt ſemper gravis materia: jam vero præceptum de quo in præſenti agitur, non prohibet per ſe & primario comeſtionem, ſed communionem poſt illam: porro tam vere communicat poſt comeſtionem, qui poſt modicam, quam qui poſt multam communicat.

Ad 2. neg. min. ad ſenſum qui objectioni ineſſe debet. Tametſi enim jejunii violatio latitudinem habet: at quod abſolute violatum ſit jejunium, vel non ſit violatum abſolute, conſiſtit in indiviſibili; ergo communio poſt violationem hanc erit ſemper quid graviſſimi.

Ad 3. conſtat ex dictis ubi de Simonia, nullam in ea reperiri materiæ levitatem, nec ſi in hac reperiretur, illico in præſenti caſu contra communem Eccleſiæ totius ſenſum admittenda foret.

Perperam opponat quis id Salegunſtadienſis Concilii an. 1022. Can. 4. *Decretum eſt, ut Presbyter aliquis, poſt galli cantum æſtivis noctibus bibens, proximo die Miſſam non celebret*. Cum enim gallus non modo ante auroram, ſed & media nocte cantet, æquum eſt ut Canon ille, ne a ceteris diſcrepet, de mediæ noctis cantu intelligatur. *Lingeſtad*

Quæres 3. quid facto opus ſit ei qui dubitat an jejunus ſit, puta qui dubitat, vel utrum os abluendo aliquid per modum cibi & potus deglutierit; vel certus ſe deglutiiſſe, ambigit an ante mediam noctem, quia loci horologia alia ab aliis diſſonant.

R. quidquid ſentiant mali Probabiliſtæ plures, quibus ſponte adhæreſcunt Diana, Quarti, & ſimiles: R. inquam, ſi dubium prudenter ex-

cuti

cuti nequit, tenendam in hoc caſu partem quæ indubie removet a peccato; proinque abſtinendum a ſacra ſynaxi. Sequitur ex dictis in Tract. de Conſcientia: & ita docent Doctores haud ſuſpecti nimiæ aſperitatis, quos inter Roncaglia Tract. 18. c. 5. p. 36.

Quoad horologia, iis adhærendum, quæ prudentiore manu directa plus merentur fidei. Si quis tamen aſtrorum bene peritus, ex eorum ſitu certo cognoſceret horologia maturare gradum, poſſet iſtis denegare, illis habere fidem. Ceterum primus horæ pulſus, ubi præſertim unicum eſt horologium, diei ſequentis ac proinde jejunii initium indicat: unde ſi quis celebrare volens, primum mediæ noctis pulſum audit, buccellam quam forte mandit, expuere debet, & cavere ſedulo ne quid præcedentis deglutiat. Quamquam ſibi ab his anxietatibus carent timorati, nec convivia protrahunt, quandiu abſolute liceret. Poſſunt tamen deciſiones iſtæ in itineris caſu prodeſſe, meque teſte, Sacerdoti, Caſtrodunum tertio poſt noctis undecimam quadrante, adventanti profuerunt.

Duo addam paucis, 1. nulla lege cautum eſſe ut inter poſtremam comeſtionem, & communionem certum fluat temporis intervallum; 2. decere ut qui a communione recens eſt, non ante comedat, quam ſacræ ſpecies alteratæ ſint; niſi aliud exigat quædam neceſſitas. Ita vulgo Doctores, non vi legis, quæ nulla eſt, ſed vi decentiæ, quæ tam ſacra tam profanis miſceri ægre patitur. Eadem de cauſa monent, haud ſtatim poſt communionem expuendum eſſe, quamvis formula omnino ſubjerit ſtomachum; præſertim vero ſi ſputum e pectore aſcendat; quia id plus habet periculi & indecentiæ: quod ſi aliud exigat neceſſitas, in loco mundo ſpuendum erit.

Quæres 4. an, & quæ cauſæ ab auſtera jejunii naturalis lege excuſent.

R. cum Conſtantienſi Concilio an. 1415. Seſſ. 13. *Sacrorum Canonum auctoritas laudabilis, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit & ſervat, quod hujuſmodi Sacramentum non debet confici poſt cœnam, & a fidelibus recipi non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis, a jure, vel ab Eccleſia conceſſo, vel admiſſo*. Ut autem ii exceptionis caſus intelligantur,

Dico 1. excuſat vitandæ irreverentiæ neceſſitas, ut ſi periculum ſit ne Hoſtia ſacra in Magi alicujus, Judæi, alteriuſve infidelis poteſtatem deveniat; item ne comburatur, ne comedatur a bruto, aut ne aliud quid ſubeat inhoneſti: tunc enim & a laico contingi, & ab eo non jejuno, ſi deſit Sacerdos, aut qui jejunus ſit laicus, ſumi poteſt. Idem eſt ſi poſt conſecratum calicem deficiat Sacerdos, nec præſto ſit Sacerdos alius qui ſumat ſanguinem, neque is citra corruptionis, aut gravis alterius irreverentiæ periculum ſervari valeat; tunc enim & a laico non jejuno ſumi poteſt. Ita paſſim Doctores, quos inter adi Vaſquem diſp. 221. nu. 57. & 316. nu. 47. Suarem diſp. 68. ſect. 6. & diſp. 71. ſect. 3. Lugo diſp. 15. nu. 87. Deciſionis hujus ratio unica, ſed gravis hæc eſt, quod jejunii lex nonniſi in favorem & reverentiam Euchariſtiæ conſtituta ſit; ergo non obligat, quoties ipſa Euchariſtiæ reverentia contrarium poſtulat.

Huc etiam pertinet neceſſitas perficiendi ſacrificii: unde Sacerdos qui vini loco aquam poſuit, guſtavitque, vel totam, vel ex parte ſolum, ut debet, ſi ſtatim errorem detegat (licet non debeat expuere quod ore gerit, ne quid ſimul hoſtiæ projiciat) tenetur iterum conficere & ſumere. Idem

eſt,

eſt, ſi peracta jam alterius ſpeciei conſecratione recordetur ſe non eſſe jejunum. Imo, ait Suares cit. diſp. 68. qui poſt ſolutum jejunium ſcienter & mala fide ad ſacrum acceſſerit, ubi alteram ſpeciem conſecravit, jam deſiſtere non poteſt, ſed, præmiſſo ſinceræ contritionis actu, myſterium conſummare.

Quid autem facto opus ſit, ſi Miniſter ante conſecrationem recordetur ſe aliquid primo mane ſumpſiſſe, non una eſt omnium opinio. Ego quidem, ait modeſte S. Thomas hic qu. 83. art. 6. ad 2. *tutius reputarem, maxime in caſu manducationis & excommunicationis*, quarum quis oblitus eſſet, *quod Miſſam inceptam deſereret, niſi grave ſcandalum timeretur*, vel infamia Miniſtri. Sed quia hæc, nec immerito, propter rei novitatem timentur, niſi celebrans notæ ſit aut ſaltem præſumptæ probitatis; imo & inſuper iis coram quibus celebrat, dilectus, tot forte ſunt caſus in quibus ſacrum continuare oporteat, quam ab eodem deſiſtere. Interim operæ pretium foret, ut qui ob fractum jejunium Miſſam abrumperet, ceſſationis hujus innocentem cauſam aperiret populo.

Quæres quid juris ſi poſt ſumptam ablutionem ſuperſtites aliquot Hoſtiæ particulas perſpiciat Sacerdos.

R. id definitum eſſe his Rubricæ verbis, ubi de defectibus, tit. 7. nu. 2. *Si deprehendat Sacerdos etiam poſt ablutionem reliquias relictas conſecratas, eas ſumat, ſive parvæ ſint, ſive magnæ; quia ad idem ſacrificium ſpectant. Si vero relicta ſit hoſtia integra conſecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat, vel ſequenti Sacerdoti relinquat*, &c. Et vero non poteſt ſpirituale Euchariſtiæ convivium decenter perfici ſine ablutione: porro fieri nequit ut ablutio moraliter non præcedat ſumptionem particulæ alicujus, quæ vel remaneat in calice, vel dentibus faucibuſve hæreat, vel in patena aut corporali poſtmodum appareat; ergo qui hæc poſt ablutionem ſumit Miniſter, non violat Eccleſiæ præceptum; imo ſequitur Eccleſiæ intentionem, quæ eſt ut Sacramentum, ſecundum ſe totum, ideſt penes ſubſtantiam & ſubſtantiæ appendices ſumatur, eo modo quo moraliter ſumi poteſt.

Hinc nedum peccet qui Sacramenti reliquias ſumit poſt ablutionem, peccat venialiter, utpote Eccleſiæ legem tranſgrediens, qui eas citra rationabilem cauſam non ſumit. Neque deerit ibi lethale peccatum, ſi omiſſio hæc fiat cum gravi Sacramenti irreverentia, ut fieri facillime poteſt, cum celebratur in altaribus, ubi non aſſervatur in tabernaculo Euchariſtia. Interim ſedulo curare debet Celebrans, ut fragmenta quæ ſuperſunt, quantum moraliter fieri poteſt, citra ſcrupulum tamen, colligat, & ante ſanguinis ſumptionem in calicem mittat cum ipſo ſanguine ſumenda. Nec dubium quin lethaliter peccent Eleemoſynarii illi, qui ut breviorem, ideoque mulieribus plerumque indevotis probatiorem Miſsam celebrent, vix ſatis patenam purificant, imo, ut horrens propriis oculis vidi, nullatenus purificatam extergunt purificatorio; quaſi quod in hunc modum excutiunt, vilis atomi pars fuerit, non ipſum corpus Chriſti.

Monent hic Cajetanus, Silveſter, Navarrus, Lugo, aliique complures, quos ſequitur Quarti p. 2. tit. 10. ſect. 2. conceſſam ab Eccleſia facultatem ſuperſtites particulas poſt ablutionem ſumendi, de ablutione ſtricte & ad Eccleſiæ ſenſum accepta intelligi debere. Unde qui in caſu ſubitæ

Digitized by Google

debilitatis, aliquid ad ablutionem impertinens, ut electuaria, vel ſimile quidpiam, refectionis aut medicinæ cauſa ſumpſiſſet, peccaret mortaliter, ſi poſtea eaſdem particulas ſumeret. Eatenus ſiquidem Sacramenti reliquiæ poſt ablutionem ſumi poſſunt, quatenus ablutio ad ipſam communionem pertinet, unamque cum ipſa moralem actionem efficere cenſetur: unde & Sacerdos cenſetur totam communionem peragere jejunus, a principio quidem rigoroſe, ſed in progreſſu moraliter: atqui ſumptio rei cujuſvis prout ab ablutione diſtinctæ, nec ad communionem concurrit tanquam pars ejus, nec eadem cum illa moralis actio cenſeri poteſt; ergo extunc Sacerdos nec rigoroſe, nec moraliter jejunus erit; ergo ſi quid remanſerit Sacramenti, id tenetur ſervare, ſi citra irreverentiam poteſt.

Quod diximus, ſuperſtites hoſtiæ particulas poſt ablutionem ſumi poſſe, extendi ſolet ad grandiores: quod enim docent non pauci cum Suare diſp. 68. ſect. 6. Layman, &c. melius eſſe, ſi fieri commode poteſt, ut in pixide, aut aliter reſerventur, a Sacerdote jejuno ſumendæ; nec uſui Eccleſiæ, nec Sacerdotum praxi, nec Rubricæ, quæ generatim & indiſtincte loquitur, admodum congruit. Verum hic ubi difficultates aliæ ab aliis prodeunt, dubium exurgit multiplex. Itaque

Dubitatur 1. an eæ etiam reliquiæ, quæ non in eodem, ſed in præcedenti ſacrificio conſecratæ fuerint, ſumi poſſint poſt ablutionem.

Negat prima ſententia fere communis, cui adhærent Cajetanus, Silveſter, Navarrus, Suarez, Vaſquez, Bonacina, &c. Ratio eſt, quia non licet per Rubricam minime jejuno reliquias ſacrificii ſui ſumere, niſi quia eæ *ad idem ſacrificium ſpectant*, & ad integritatem ejuſdem communionis: atqui alterius ſacrificii fragmenta ad ſacrificium ſubſequens non pertinent; ergo a minime jejuno ſumi non poſſunt: unde vel intra pixidem in tabernaculo, vel intra calicem ſuperpoſita palla aut patena ſervari debent, aut ut conſumantur, Sacerdoti alii mox celebraturo tradenda: Quod ſi deſit tabernaculum, aut nemo proxime in eodem loco celebraturus ſit, tunc ad vitandam irreverentiam concedunt omnes, ut ſumantur a non jejuno: idque de levioribus fragmentis, quæ facilius perduntur, non ſine gravi Sacramenti injuria, nemo eſt qui ſponte non confiteatur.

Alii tamen, numero quidem pauciores, fragmenta alieni ſacrificii, ſicut & proprii, a Sacerdote etiam abluto ſumi poſſe contendunt: 1. quia fragmenta ex præcedenti ſacrificio, hoc ipſo quod in eodem conſumpta non fuere, pertinent ad ſacrificium ſubſequens, ſeu ejuſdem, ſeu alterius Sacerdotis, qui poſſunt & ſæpe tenentur ſacrificii præcedentis defectus ſupplere, ut conſtat ex Rubricis; ergo eadem eſt ratio de fragmentis ſacrificii præteriti, quæ de præſentis: unde hic caſus, etſi in Rubricis non continetur explicite, recte infertur a paritate rationis; 2. quia Hoſtiæ conſecratæ omnes, earumque fragmenta, eumdem Chriſtum continent: Chriſtus vero certam inter Miniſtros ſuos omnes relationem conſtituit, vi cujus alter in alterius jura ſuccedit; ergo reliquiæ præcedentis ſacrificii indirecte ſaltem ad integritatem ſacrificii præſentis pertinent, proinque ut propriæ ſumi poſſunt a præſente Miniſtro; 3. quia in opinione contraria nec videtur celebrans etiam ante ablutionem prædicta fragmen-

ta li-

Digitized by Google

ta licite ſumere poſſe. Si enim illa ne indirecte quidem ad integritatem præſentis ſacrificii pertineant, jam eorum ſumptio nova erit & diſtincta communio, contra præceptum binam eodem die communionem prohibens: atqui falſum conſequens, & quotidianæ praxi adverſum; 4. quia neque etiam poſſet Sacerdos ſacram pixidem purificans, fragmenta quæ in ea ſunt cum una vel multiplici ablutione ſumere: ſic enim dubio procul ſuperſtites præcedentis ſacrificii reliquias ſumit non jejunus: atqui & id prorſus falſum eſt; 5. quia haud facile diſcerni poteſt, an quæ in patena vel corporali deteguntur particulæ, ab alio præconſecratæ ſint, an a nobis; ergo idem de omnibus haberi debet judicium: & *ſic audivi prædicari in multis Religionibus eximiæ doctrinæ & ſanctitatis*, ait Marchini Tom. 3. part. 3. cap. 3. nu. 19. qui ex eodem principio colligit, poſt traditam laicis infirmis hoſtiam, tradi & iis poſſe, ſeu cum ablutione, ſeu paulo poſt, reliquias Sacramenti in pixide ſuperſtites; *ſicut*, inquit nu. 18. *moris eſt in ſanctiſſima & arctiſſima Religione ſanctæ Mariæ Fulienſis, & paſſim vidi in praxi apud multos in multis civitatibus & oppidis*.

Hæc opinio pro prima parte mihi tuta judicatur, imo & eo ſenſu tutior, quod plus Sacramenti reverentiæ conſulat. Pro ſecunda vero, quæ ſpectat fragmenta laicis danda paulo poſt ablutionem, communiter rejicitur a Theologis: quia laicorum communio per primam Sacramenti ſumptionem plene conſummata eſt; ſecus de Presbyteris, in quibus fragmentorum ſumptio non eſt communio nova, ſed conſummatio totius ſacrificii. Nec obeſt Rituale Pauli V. ubi tit. de Communione infirmorum ſic habetur: *Poſtea Sacerdos abluat digitos, & infirmo detur ablutio*; quia hinc ad ſummum ſequitur fragmenta infirmis cum prima ablutione dari poſſe, quod ſine ſcrupulo fieri poſſe docent vulgo Doctores contra Conink. Imo neque id ſequitur, ſi rigoroſe Rituale intelligas: cum in eo ſermo ſit de digitorum ablutione, quæ fieri debet excuſſis prius in pixidem fragmentis, ac proinde jam utcumque purificatis.

Dubitatur 2. quotum intra tempus ſuperſtites reliquiæ a Miniſtro conſumi poſſint.

R. poſſe quandiu necdum ab altari diſceſſit, etſi forte diu ibi fuerit moratus ad Euchariſtiæ diſpenſationem. Ratio eſt, tum quia id vulgo docent Theologi; tum quia quandiu altari adſtat Sacerdos, necdum vices ſuas implevisſe, ſed moralem unam ſacrificii actionem continuare cenſetur. Si vero ab altari in ſacellum, aut alio receſſit, jam etſi adhuc ſacris veſtibus indutus manet, eadem fragmenta, neque hic, neque alibi ſumere poteſt; eſſet enim id nova ac diſtincta communio, ſevere prohibita. Quod ſi eædem reliquiæ citra irreverentiam ſervari nequeant, tunc a Sacerdote etiam veſtibus ſanctis exuto ſumi poſſunt, vel tradi cuipiam ad communionem diſpoſito, qui caſus, ait Quarti p. 2. tit. 10. ſect. 2. dub. 4. ab omnibus conceditur. Ita & Henricus a S. Ignat. c. 55. nu. 726.

Dubitatur 3. an eadem ſit Hoſtiæ integræ ratio quæ fragmenti.

Reſpondet Suares diſp. 68. ſect. 6. melius eſſe ut integræ formulæ ſerventur, proindeque ſubindicat non omnino male facturum, qui, etiam poſt ablutionem, hoſtiam integram ſumeret. Verum aliud omnino ſentiunt Theologi pene omnes, nec immerito. Eccleſia enim ſeveram jejunii legem non temperavit quoad fragmenta, niſi quia ea ſunt veluti quædam

Digitized by Google

ſacrificii partes, & ut ſic ad ejus integritatem pertinent: atqui formulæ integræ non ſe habent ut partes ſacrificii; ſed ſolum conſecrantur, ut vel tunc, vel poſtmodum fidelibus diſtribui poſſint; ergo, ait Quarti ibid. dub. 3. graviter peccat Sacerdos, ſi poſt ablutionem, cum in rigore non eſt omnino jejunus, integras formulas ſumat; niſi id ad vitandam Sacramenti irreverentiam neceſſe ſit, puta quia deeſt vel tabernaculum in loco, vel Sacerdos qui ſacra peracturus ſit.

Dubitatur 4. quis decentior ſit pixidis purificandæ modus.

R. 1. eam ex uſu communi, licet nullibi in Ritualibus præſcripto, intra Miſſam purificari debere; 2. fragmenta, quotquot poterunt, e pixide, ſeu ciborio, in calicem infundenda eſſe, cum pretioſo ſanguine ſumenda; 3. infundendum deinde in pixidem ſemel vel pluries vinum, & ex pixide in calicem, ut quidquid particularum ſupereſt, cum prima vel ſecunda, imo & tertia ablutione ſumatur. Demum & calix & pixis purificatorio abſtergi debent. Aliam purificationis hujus methodum proponit Gavantus p. 2. tit. 10. nu. 7. quæ nemini probatur.

Dico 2. a jejunio excuſat neceſſitas vitandi ſcandali, alteriuſve damni notabilis: quia poſitivæ leges non obligant cum tanto diſpendio. Ita S. Thomas q. 83. art. 6. ad 2. & alii communiter. Atque hinc colligunt, Sacerdotem non jejunum (idem eſt quoad communionem de Laico) celebrare poſſe, 1. ut mortem vitet ſibi intentatam niſi celebret; modo non intentetur in contemptum fidei vel religionis: quod vix fieri poteſt; 2. ne incurrat gravem infamiam, ſi poſtquam ſacrum inchoavit minime jejunus, ab altari recedat; de quo jam fuſe ſupra.

Extendunt hoc aliqui ad ſæcularem jam publice ad menſam admotum, & qui grave ſcandalum, aut infamiam vereatur, ſi recedat. At caſum hunc vix admitti poſſe putem; tum quia non ita rarum eſt, ut qui ad menſam acceſſere, ab ea vel ad tempus, vel in totum ob aliquid ſcrupuli recedant; tum quia & ei aſſiſtunt plures, qui vel jam communicavere, vel communicare nolunt; tum quia quod laicus ſe jejunum non eſſe agnoſcat & fateatur, nihil habet regulariter ſcandali, aut veræ infamiæ, &c.

Dico 3. excuſat etiam ſumptio viatici, non ab infirmis tantum, qui naturali morbo tendunt ad interitum; ſed & bene valentibus a judice damnatis ad mortem. Caſum hunc admittunt omnes cum S. Thoma q. 80. art. 8. & colligitur ex Concilio VVormatienſi apud Gratian. diſt. 2. de Conſecrat. cap. 93. Sed hic quædam notanda, 1. non eſſe a peccato immunem Parochum, qui mane ad infirmum adhuc jejunum Euchariſtiam deferre commode valens, differt in veſperam, cum ille jam jejunus non erit; imo factum hoc pro mortali peccato habet Zambranus apud Quarti, pag. mihi 463. 2. (& ſic præcedens deciſio multum imminuitur, ac pene inutilis evadit) cavendum ſummopere, ne moribundus ob violatum jejunium communionem in craſtinum differat cum periculo vel ſine ea decedendi, vel eam recipiendi in ſtatu quo minus rationis compos fuerit; 3. nec proin ſcrupuloſius diſcutiendum eſſe, an certum ſit periculum mortis, ne dum deliberatur, interim excedat æger ſine viatico; 4. quamvis infirmus una vel altera poſt mediam noctem hora jejunus manere poſſit, non ideo, etiam inter Regulares, qui minus ab Eccleſia diſtant (niſi forte propter Officium aſtituri ſint) differendam

eſſe

eſſe ægroti communionem; quia Eccleſiæ conſuetudo, optima ſane legum interpres, non habet ut incommoda noctis intempeſtivæ hora, niſi tunc neceſſitas ſpecialiter urgeat, ad infirmos deferatur Viaticum. Nec moris eſt ut Paſtor, qui mane ut plurimum gravioribus populi negotiis diſtinetur, omnia ſtatim deſerat, ne non jejuno ſynaxim porrigat. *Ethica amor. p. 175.*

Duo hic moventur dubia: primum, an pluries infirmo non jejuno Euchariſtiam dare liceat; ſecundum, an ne æger ſine viatico decedat, licitum ſit Sacerdoti haud jejuno Miſſam celebrare.

R. ad 1. conſtat 1. Euchariſtiam infirmo etiam citra periculum mortis ſæpius deferendam eſſe, ſi petierit, & jejunus recipere poſſit. Atque ita poſt Rituale Romanum ſanxit Concilium Mediolanenſe IV.

Conſtat 2. eumdem, ſi jam ſatis a gravi morbo convaluerit, nonniſi jejunum Euchariſtia refici poſſe; quia nulla ſubeſt tunc neceſſitas a lege jejunii excuſans.

Conſtat 3. ei, qui poſtquam aliquantulum convaluit, in idem vel ſimile periculum relabitur, licitum eſſe communicare non jejuno, quoties hæc ſtatuum varietas contigerit; quia tunc urgent ægritudines quaſi diverſæ, novuſque redit neceſſitatis articulus.

Quæſtio itaque eſt an ei qui jam Viaticum recepit, & qui gravi ac diu durante morbo detinetur, liceat pluries, etſi non jejuno, Euchariſtiam recipere.

Negat Vaſquez diſp. 211. n. 49. Ideo enim, inquit, licitum fuit non jejuno communicare, quia præceptum Viatici, jejunii præcepto prævalet, quando utrumque ſervari non poteſt: atqui ceſſat ea ratio, cum infirmus jam munitus eſt Viatico; ergo nihil eſt quod tunc a jejunii lege eximat.

Verum affirmant & melius alii communiter: quia cœleſtis ille cibus infirmo datur, non tantum ut ſumendi Viatici præcepto morem gerat, ſed & in præſidium contra aſtutias inimici, qui tunc potentius inſidiatur: unde cum graves, diuturnique morbi dolores, gravis ſint ac diuturna tentatio, cui aliæ complures accedunt; plus urget muniendi ac roborandi athletæ neceſſitas, quam ſervandi jejunii. Ita Suares diſp. 68. ſect. 5. Tolet. Poſſevin. Silvius, Ethica cap. 55. nu. 722. VVitaſſius Tom. 2. pag. 461.

Quoto autem intervallo a Viatici receptione diſtare debeat communio ſequens a non jejuno facienda, mire diſputatur. Alii id Sacerdotis prudentiæ determinandum relinquunt; *modo ab una Viatici perceptione ad aliam dies non pauci effluxerint*. Alii, ubi plures a Rituali inter utramque communionem præſcribuntur dies, duos ſatis eſſe volunt; quia ex Reg. 40. Juris in VI. *pluralis locutio, duorum numero eſt contenta*: ita & fuſe Diana. Alii vulgo dies octo vel decem requirunt, prout antiquo Rituali Romano conſtitutum eſt; & huic Regulæ, ut communiori, & in pluribus Ritualibus præſcriptæ ſtandum videtur. Unde qui frequentius pro devotione communionem exoptat, jejunii legem ſervare, horamque ad id opportunam eligere debet. *Rituale Argent. pag. 85.*

R. ad 2. negant communiter Doctores, 1. quia exigit ſumma Sacramenti dignitas & reverentia, ut ſine ritibus ab Eccleſia præſcriptis non conficiatur extra caſum extremæ neceſſitatis: atqui, inquiunt, in præſenti caſu non urget neceſſitas extrema; quia Sacramentum hoc non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem moribundi; 2. quia ut celebret quis non jejunus, opus eſt diſpenſatione Eccleſiæ, quemadmodum ea opus eſt ut

quis non jejunus communicet: atqui nulla pro præſenti caſu extat aut præſumi poteſt Eccleſiæ diſpenſatio; 3. quia non magis parem ob cauſam non jejuno celebrare licet, quam liceat ſine altari, ſacris veſtibus, calice conſecrato, aliove ritu ex gravioribus prætermiſſo celebrare: atqui nullum ex his poſterioribus licet; ergo nec primum. Ita S. Antoninus, Paludanus, Navarrus, Suarez, Tolet, & alii quos ſequuntur Diana, Bonacina, Habert, &c.

Non deſunt tamen viri graves qui affirmativam teneant, 1. quia ſi Eccleſia jejunium cum eo rigore præciperet, quo veſtes ſacras, vel calicem conſecratum præcipit, ne infirmo quidem haud jejuno Viaticum recipere permitteret: atqui tamen permittit & pluries in eadem infirmitate, ut conſtat ex dictis; 2. quia per Epikejam ceſſant in eodem caſu alia & gravia Eccleſiæ præcepta: *Poteſt enim*, ait Quarti, pag. 465. edit. 2. *poteſt Sacerdos in eodem caſu celebrare ſine prævia confeſſione, vel ſine miniſtro, vel qualibet hora diei, vel bis eadem die; ergo* & id *etiam poteſt non præmiſſo jejunio;* 3. quia ex fere communi defenſorum * primæ ſententiæ conſenſu poteſt Sacerdos etiam pranſus celebrare ad propriam neceſſitatem, puta ſi immineat ſibi mors naturalis aut violenta; ergo & propter neceſſitatem proximi; quem ſicut nos diligere, cuique proin ut nobis ſuccurrere tenemur. Atque hinc convelluntur primæ opinionis fundamenta. Unde

* *Ingo, Palao, Layman, &c.*

Ad 1. reſpondent jejunii legem non eſſe ex iis ritibus, quorum omiſſio in caſu gravis neceſſitatis gravem irreverentiam inducat, ut patet ex dictis.

Ad 2. dici poteſt Eccleſiam diſpenſare a ſimili; neque obſtat quod nulla extet lex diſpenſans, quia caſus ille rariſſime contingit; & *pro raro contingentibus non conſtituuntur leges*.

Ad 3. negant maj. quia, inquiunt, ex ritibus Eccleſiæ alii primario & magis directe exiguntur ad majeſtatem ſacrificii, & ne ſacra myſteria apud populum vileſcant, unde ſine his nunquam celebrare licitum eſt, ejuſmodi ſunt altare, panis azymus, lumina, &c. proinque horum omiſſio nonniſi in neceſſitate vere extrema excuſatur. Alii vero ex parte ſubjecti requiruntur, ut fideles quantum digne poteſt fieri, Sacramentum ſuſcipiant, & in hoc ordine ſunt confeſſio & jejunium. Hi porro ritus, cum potius in ſuſcipientis utilitatem inſtituti ſint, quam in exteriorem Sacramenti reverentiam, videntur poſſe omitti, quando nonniſi cum ejuſdem ſuſcipientis diſpendio ſervari poſſunt. Et vero hujuſmodi diſpoſitionum defectus ſuppleri poteſt, confeſſionis quidem, ſincera contritione; jejunii vero, ſeu per aliam mortificationem, ſeu per actus virtutis, qua quis inducitur ad celebrandum non jejunus. Unde, ait Quarti, conſtat præceptum jejunii magis aſſimilari præcepto confeſſionis præmittendæ communioni, quam præcepto adhibendi veſtes ſacras, &c. Quare ſicut facilius admittitur cauſa excuſans in præcepto confeſſionis, quam in præcepto ſacrarum veſtium, ita & in præcepto jejunii. Atque ideo ita ſentiunt Major, Granado, & alii quos ſequitur Henricus a S. Ignatio nu. 723. Ego quidem primam opinionem, quia longe magis receptam ſequerer in praxi, tam quoad me infirmum, quam quoad alios: Sed qui ſecundam ex propriæ conſcientiæ judicio teneret, nec cominus, nec eminus redarguerem.

Hic

Digitized by Google

. Hic obiter notandum ex iis qui primam partem tenent, eſſe non paucos, qui Sacerdoti ante hauſtam ablutionem admonito, novam inchoare Miſſam permittant, ut in gratiam infirmi hoſtiam conſecret. Si enim, ait Henno pag. 515. id licitum eſt ut populus audiat Miſſam, licitum a fortiori præſumi poteſt, ut miniſtretur Viaticum; cum hujus receptio gravius obliget, quam auditio Miſſæ.

Dico 4. excuſat quoque ſacrificii perficiendi neceſſitas, puta cum Sacerdos peracta conſecratione ſolius etiam panis, deficit, nec haberi poteſt jejunus, qui Miſſam perficiat. Ita Doctores communiter: quia perfectio ſacrificii eſt de jure divino. Atque id tradit Concilium Toletanum VII. Can. 1.

Dico 5. excuſat diſpenſatio, quæ a ſolo Rom. Pontifice concedi quidem poteſt, rariſſime tamen extra aſſignatos infirmitatis caſus conceditur. Conceditur tamen de facto ex antiquo uſu uni de Cardinalibus, qui quotannis in nocte Nativitatis Domini primam Miſſam in Sacello Pontificio ante mediam noctem celebrat & perficit; quod etiam Venetiis in templo D. Marci obſervatur. Volunt quidem nonnulli iis in locis anticipari diem ſequentem, proinque ab hora circiter noctis decima inchoare: verum fictitia hæc diei anticipatio pro uno tantum & altero Orbis univerſi loco, mera eſt ſubtilitas.

Ceterum ex communiori Romanorum Caſuiſtarum opinione, non poteſt idem Cardinalis tres Miſſas die ſequenti celebrare, quia prima quam anticipate celebravit, eſt vere Miſſa Natalis Domini; Pontifex autem diſpenſavit quidem in hora, ſed non in numero Miſſarum. Haud tamen neceſse eſt ut idem Præſul a Miſsa Vigiliæ Nativitatis abſtinuerit; quia diſpenſatio ſeu privilegium celebrandi ante mediam noctem, non tollit id quod omnibus jure communi permiſsum eſt: unde ſtat poſse eum bis una & eadem die celebrare, ſicut celebrare poteſt non jejunus. Quoniam vero Miſsa hæc, etſi mediam ante noctem celebrata, vere dicitur pro ſolemnitate Natalis Domini, ideo ſeu celebrans ipſe, ſeu qui Miſsæ ejus interſunt, cenſentur ſatisfacere præcepto audiendæ Miſsæ in ipſa die Nativitatis. Unde a contrario, qui, Nativitatis vigilia in diem Dominicam incidente, Miſsam vigiliæ hujus omitteret, expectaretque eam quæ paulo ante diei hujus finem in Sacello Pontificio celebranda eſt, non ſatisfaceret præcepto Miſsæ Dominicalis: quia nocturna hæc Miſsa pro ſequenti feſtivitate computatur, non pro vigilia. An autem idem Miniſter, ſi ablutiones, aut quid aliud, prudens vel imprudens ſumpſerit, Auroræ & Diei Miſsas celebrare queat, diſputant Itali. Affirmant plures; eo quia vere jejunus ſit a media nocte. Sed negant alii, quia Sacrum illud, ex Pontificia conceſſione prima Nativitatis Domini Miſsa eſse cenſetur: porro in Miſſis Nativitatis, ad tertiam uſque differendæ ſunt ablutiones. Ita Leonardelli ubi ſtatim, contra Quarti, quem tamen conſule 1. p. tit. 15. dub. 7.

Quæres quid facto opus ſit in caſu ſequenti. Titius in arce Miniſter ſacrorum, a milite errante deceptus, Miſsam Natalis Domini uno circiter ante undecimam noctis horam quadrante inchoat, neque errorem detegit niſi peracta jam conſecratione. Si, ut moris eſt, uno tenore perficiat Sacrum, non communicabit jejunus. Si Sacrum abrumpat, & a trito ſacrificii ritu diſcedet, & aſtantium murmura ciebit. Quid juris?

Ex bene multis quos circa difficultatem hanc conſului, plures ſenſerunt tutius eſſe ac decentius, ut Miniſter communionem ad mediam uſque noctem differat, & temporis reſiduum det orationi & adorationi, aut hæreat in *Memento*. Alii tamen etſi numero longe pauciores, quos inter Vicarius quidam Generalis non infimæ doctrinæ, nihil redarguerunt ſi Miſſa ſolito more continuetur. Neque id quoque culpatim, ſi præſertim Sacerdos infirmus ſit, & qui adſtant, tantam moram ægre laturi. Addit Bonaventura Leonardelli Tom. 1. pag. mihi 504. moram in ſacrificio, etſi piorum quorumdam, qui Miſſam ad duas horas protraxerunt, uſu commendatam, plus generatim loquendo, vituperii mereri, quam laudis. Et vero, ait, mora tam longa non apte repræſentat Paſſionis Dominicæ myſterium, cujus figura fuit eſus Paſchalis Agni, qui feſtinanter fieri jubebatur. Verum quidquid ſit de ratione iſta, qua abuti pronum eſſet, haud videtur jejunii lex tanti eſſe, ut propterea tanta inter potiſſimas ſacrificii partes intercapedo ſit neceſſario ſtatuenda.

An autem idem Sacerdos, ſi forte ablutionem ſumpſerit; poſtridie duas alias Miſſas celebrare valeat, controverti poteſt. Affirmat idem Leonardelli; quia, inquit, non conſtat in hoc caſu Miſſam hanc cenſeri dictam in feſto Nativitatis, prout de ea conſtat, quæ coram Papa celebratur.

SECTIO SECUNDA.

De Munditia corporis, &c.

Corporis munditia, de qua agimus in præſenti, iis opponitur fœditatibus quæ humanum corpus inquinant, ut ſunt lepra, fluxus ſanguinis, feminarum menſtrua, præſertim autem conjugalis actus, & pollutio non plene voluntaria: quæ enim vel in ſe, vel in cauſa perfecte liberà eſt, a communione arcet, ut & aliud quodcumque lethale peccatum; imo plus quam alia plura, quia gravior eſt & tenacior.

An vero hæc a communione arcere debeant, inde dubitatum eſt, quod & filii Iſrael Paſchalem azymum renibus accinctis comedere juberentur; & Achimelech Sacerdos panes propoſitionis non ante Davidi ac ſociis ejus tradere voluerit, quam conſtaret ſibi eos a mulieribus mundos eſſe. Si enim tanta ad figuram opus erat munditie, quanta opus erit ad veritatem? De his ſequentes ſtatuimus regulas.

Conclusio I. Lepra, ſanguinis fluxus, menſtrua infirmitas, & alia id genus, quæ ſine patientis culpa eveniunt, per ſe non prohibent ab Euchariſtia.

Prob. 1. quia hujuſmodi labes non obſtant veræ devotioni, quæ ſumma eſt ad communionem diſpoſitio; 2. quia iis infecti, commiſeratione digniores ſunt quam pœna; nec ſibi ſolatium habere majus poſſunt qui laborant & onerati ſunt, quam a tenero afflictorum conſolatore; 3. quia id innuit ipſe Chriſtus, cum debiles & claudos ad nuptiale convivium invitavit.

Neque nocet Judaicæ munditiæ præceptum circa panes propoſitionis: quia alia eſt antiquæ, alia novæ Legis conditio. Illic præcipue imperari videbatur exterior mundities; hic ea inprimis requiritur animi ac cordis puritas,

puritas, quam Moſaicæ leges præfigurarunt. Illic beari qui affluebant bonis, hic multo beatior Lazarus ulceribus plenus, ſi ſortem ſuam ferat patienter.

Neque etiam obeſt quod Græci mulieres menſtrui, aut puerperii tempore abigant a ſacra ſynaxi. Alia eſt enim Eccleſiæ Latinæ praxis, eaque potior, utpote naturali æquitati conſentanea magis: *Rem etenim quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*. Unde ſanctus Gregorius Magnus Lib. 11. Epiſt. 64. alias 31. *Sanctæ communionis myſterium in eiſdem* Menſtruorum *diebus percipere non debet* mulier *prohiberi*. *Si autem ex veneratione magna percipere non præſumit, laudanda eſt: ſed ſi perceperit, non judicanda*. *Tom. 2. p. 1159.*

Si quis tamen ex tranſeunte morbo eo uſque fœdus ſit, ut aliquid injiciat horroris, ſatius fuerit ad aliquot dies differre, niſi forte moram excludat ſpiritualis neceſſitas.

CONCLUSIO II. Nocturna illuſio, tum in ſe, tum in cauſa inculpabilis, non obſtat per ſe communioni; obſtare tamen poteſt ex congruitate & decore.

Prob. 1. pars, quia ad communionem ſufficit ſtatus gratiæ cum devotione idonea: neutram porro per ſe excludunt hujuſmodi illuſiones, quæ non raro ex animis ceu ſomnia effugiunt.

Imo eas ſpiritus nequam deceptiones contemni debent, ſi advertatur eas potiſſimum ingruere, cum quis ad Euchariſtiam accedere decrevit.

Prob. 2. pars, quia poſtulat tanti Sacramenti dignitas, ne quis ad ipſum, vel corpore fœdus, vel ex præcedenti phantaſmate diſtractus ac perturbatus accedat. *Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit, poſtponi debet propter aliquam neceſſitatem*, puta, *ut Gregorius dicit, cum fortaſſe aut feſtus dies exigit, aut exhiberi myſterium, pro eo quod Sacerdos alius deeſt, ipſa neceſſitas compellit*. Ita S. Thomas q. 80. art. 7. in Corp.

Utramque concluſionis partem fuſe evolvit ſanctus Gregorius citata Epiſt. 64. ubi ſic ad undecimam ſancti Auguſtini Anglorum Epiſcopi interrogationem reſpondet: *In illuſione valde neceſſaria eſt diſcretio, quia valde ſubtiliter penſari debet ex qua re accidat menti dormientis: aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ ſuperfluitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illuſio non eſt timenda; quia hanc animus neſciens pertuliſſe magis dolendus eſt, quam feciſſe. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum; non tamen uſque ad prohibitionem percipiendi ſacri Myſterii, vel Miſſarum ſolemnia celebrandi, cum fortaſſe aut dies feſtus exigit, aut exhiberi Myſterium, pro eo quod Sacerdos alius in loco deeſt, ipſa neceſſitas compellit. Nam ſi adſunt alii, qui implere Myſterium valeant, illuſio per crapulam facta a perceptione* quidem *ſacri Myſterii prohibere non debet* (*ſed ab immolatione ſacri Myſterii abſtineri, ut arbitror, humiliter debet*) *ſi tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concuſſerit. Nam ſunt quibus ita plerumque illuſio naſcitur, ut eorum animus etiam in ſomno corporis poſitus turpibus imaginationibus non fœdetur ..... Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illuſio in mente dormientis, patet animo ſuus reatus ...... qui quod cogitavit ſciens, hoc pertulit neſciens*. En itaque triplex, ut ita *Ibid. p. 1162.*

dicam,

Digitized by Google

dicam, pollutionis genus; aliud a naturæ ſuperfluitate, & iſtud, niſi phantaſmata quæ animam fatigent & diſtrahant, reliquerit, communionem retardare non debet: aliud a levi crapula, ſeu ab aliquanto in alimentis exceſſu; & iſtud quoque communionem admittit, ſed non celebrationem Miſſæ, niſi id aliqua neceſſitas exigat; aliud denique in gravi cauſa grave eſſe poteſt, ideoque pœnitentia ante delendum eſt, quam ad ſacra accedatur.

Primam reſponſionis hujus partem tradit Caſſianus Collat. 22. ubi Germano inquirenti, *An ſomnii illuſione pollutis vitanda ſit, an præſumenda ſacroſanctæ ac ſalutaris Eſcæ perceptio*, Reſpondet Theonas cap. 5. *Omni quidem induſtria quantum in nobis eſt ſtudere debemus, ut immaculatam caſtimoniæ puritatem illo vel maxime tempore teneamus, quo venerandis aſſiſtere optamus altaribus .... Verum ſi hoſtis ille nequiſſimus, ut nobis cœleſtis remedii ſubtrahat medicinam, cuſtodiam ſopitæ mentis illuſerit, ita duntaxat ut nullo reprehenſibili interveniente pruritu, nullo contaminetur oblectationis aſſenſu ... poſſumus & debemus ad gratiam cibi ſalutaris confidenter accedere*. Atque id magno bono ſuo expertus eſt, ibid. cap. 6. Solitarius quidam, *qui cum caſtimoniam cordis & corporis ſumma circumſpectione atque humilitate promeritam jugiter poſſideret.... quoties tamen ſe ad percipiendam communionem Dominicam præparaſſet, immundo fluxu dormiens tentabatur*. Comperta enim hoſtis fraude, *ſacroſanctis eum Epulis debere miſceri confidentiſſime cenſuerunt* Patres .... *Quo facto mox virtute Dominici corporis protegente, illa præterita illuſionis conſuetudo ceſſavit*.

Si quis vero, ait S. Thomas in 4. diſt. 9. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. *ſi quis pollutionem paſſus, ad cauſam recurrens dubitet de conſenſu, a ſacra communione omnino abſtinere debet: ſi autem expreſſe inveniat conſenſum non præceſſiſſe*, Addiderim cum Nat. Alexandro, nec fuiſſe comitatum vel ſubſecutum, *& neceſſitas urgeat, aut aliqua cauſa potior*, ut juſtitiæ, vel obedientiæ, &c. *tollat obligationem qua teneretur alioquin non accedere, poteſt accedere, aut etiam celebrare, non obſtante corporis immunditia, aut hebetatione mentis: Alias ſi neceſſitas non incumbat, videtur non exhibere debitam reverentiam Sacramento; non tamen ſi celebrat, peccat mortaliter, ſed venialiter, ſicut cum quis quandoque evagationem mentis patitur*. Quando autem ex illuſione accidit, *ſi illuſionis cauſa in nobis præceſſit, puta cum quis indevotus ad dormiendum acceſſerit; idem eſt judicium ac de pollutione quæ ex cogitatione præcedenti cauſatur, id eſt, poteſt eſſe & mortale, & veniale peccatum. Et quia non ita de facili poteſt percipi ex qua cauſa contingat, ideo tutius eſt ſemper abſtinere, niſi neceſſitas incumbat*.

Quæ de pollutione in ſomnis, hæc de eadem etiamſi vigili accidat, dicta ſunt, modo & hæc involuntaria ſit; qualis eſſe poteſt quæ ex turpibus in confeſſione auditis oriretur. Ita Ethica amoris n. 660. eique concinit Nat. Alexander. Iis tamen qui tam facile moventur, cavendum eſt ſi poſſunt, ut prius ſacris operentur, quam iis unde prodeunt miſeri illi effectus: imo & quandoque prorſus recedendum a confeſſionis miniſterio, de quo alibi.

Conclusio III. Optandum ſummopere, ut qui ad ſacram Menſam accedere intendunt, aliquot antea diebus ab actu conjugali abſtineant. Haud tamen delinquunt, qui regulam hanc non ſervant, ſeu debitum

bitum reddendo, ſeu etiam ſolius prolis intuitu exigendo: quanquam & hos ex congruitate & decore ſatius eſt abſtinere; aliis vero utcumque neceſſarium.

Prob. 1. pars, 1. ex Concilio Illiberitano Can. 3. apud Grat. diſt. 2. de Conſecrat. c. 21. ubi ſic: *Omnis homo ante ſacram communionem a propria uxore abſtinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus;* 2. ex S. Hieronymo Epiſt. 1. ubi expendens illud Apoſtoli I. Cor. 7. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi*, ſic loquitur: *Quid eſt majus orare, an corpus Chriſti accipere? Utique accipere corpus Chriſti. Si per coitum quod minus eſt impeditur; multo magis quod majus eſt. Diximus in volumine* adverſus Jovinianum, *panes propoſitionis ex Lege non potuiſſe comedere David & ſocios ejus, niſi ſe triduo mundos a mulieribus reſpondiſſent; non utique a meretricibus, quod damnabatur a Lege, ſed ab uxoribus quibus licite jungebantur..... Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut Fideles ſemper Chriſti corpus accipiant; quod nec reprehendo, nec probo: unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundet; ſed ipſorum conſcientiam convenio, qui eodem die poſt coitum communicant..... Quare ad Martyres ire non audent? Quare non ingrediuntur Eccleſias? an alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt? Quod in Eccleſia non licet, nec domi licet. Abſtineam* igitur *me pauliſper ab uxoris amplexu, ut amori conjugis amorem Chriſti præferam*, &c. ubi Concluſio noſtra & traditur & ſolide probatur.

Idem docet S. Carolus Borrom. Actor. p. 4. *Præſtantiſſimi*, inquit, *hujus Sacramenti dignitas, hoc poſtulat, ut qui matrimonio junꝉti ſunt, aliquot dies a concubitu uxorum abſtineant*. Præiverat, imo gravius quid diu ante ſtatuerat S. Cæſarius Serm. 88. his verbis: *Ante dies plures caſtitatem ſervate, ut cum ſecura conſcientia ad altare Dei poſſitis accedere.*

Neque alia eſt noſtris temporibus Eccleſiæ Romanæ praxis: quod indubium faciunt hæc Innocentii XI. verba in Decreto de frequenti communione an. 1679. *Cum D. Apoſtolus nolit* conjugatos *invicem* debito *fraudari, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi, eos* SERIO ADMONEANT Confeſſarii, *tanto magis, ob ſacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam, continentiæ vacandum.* Recueil des Bulles p. 403.

Prob. 2. pars, ex S. Gregorio Magno qui citata Epiſt. 64. ſic loquitur in Reſponſ. ad decimam Auguſtini interrogationem: *Oportet legitima carnis copula ut cauſa prolis ſit, non voluptatis.... Si quis ergo ſua conjuge non cupidine voluptatis captus, ſed ſolummodo liberorum creandorum gratia utitur, iſte profecto de ingreſſu Eccleſiæ, ſeu de ſumendo corporis Dominici ſanguiniſque Myſterio, ſuo eſt relinquendus judicio; quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne poſitus neſcit ardere.* Tom. 2. pag 1160

Idem videtur eſſe S. Bonaventuræ ſenſus: ſic ille in 4. diſt. 12. q. 3. num. 90. *Raro contingit quod homo conjungatur* cum uxore *debitum exigendo, quin ſit ibi aliqua culpa. Si autem ſolum reddendo debitum, vel etiam cauſa prolis, non credo quod debeat* a communione *retrahi, niſi de congruo:* ſeu, ut loquitur ſanctus Thomas q. 80. art. 7. *ſecundum congruitatem & non ſecundum neceſſitatem*, nimirum propter corporalem immunditiam, &, ut exiſtimo, præcipue, diſtractionem mentis. Quanquam neſcio an certi quid ea de re conſtitui poſſit, cum conſtet eſſe non paucos, qui uno Dei timore debitum reddant, quoſdam etiam qui ſumma cum moleſtia.

ſtia. Hos autem quis ex torpore & evagatione mentis ad ſacra minus habiles exiſtimet?

Prob. 3. pars, quia, ut ait ibid. S. Gregorius, *Cum non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de ſua commixtione quod defleant;* aliunde certum evagationis, & carneæ delectationis ſpiritum gerunt, quo utcumque abſorpti vix ſatis cœleſtibus adhærere poſſunt; ergo, ait S. Thomas eod. art. ad 2. *tunc prohiberi debent, ne accedant ad hoc Sacramentum.*

Ex his colliges quam a ſaniori receſſerint inſtituto, qui hanc olim emiſere propoſitionem: *Communio multo magis conſulenda eſt conjugatis ipſo die copulæ habitæ cauſa voluptatis.* Sed quanto erravit atrocius, qui & iſtam proferre non erubuit: *Conſulendum eſt Sacerdoti & Laico, ipſo die voluntariæ pollutionis, fornicationis, adulterii, imo & peccati contra naturam, ad ſacram menſam accedere, dummodo doleant & confiteantur.* Iſtane Theologus evomuit, an dæmon abyſſi?

His, quæ, ut ita loquar, negativæ ſunt, corporis diſpoſitionibus, poſitivas quaſdam accedere neceſſe eſt. Eas porro ſic exprimunt S. Caroli Inſtructiones: *Parochus Fideles curæ ſuæ commiſſos moneat, ſatagatque ut ſumma reverentia, omnique humilitate ad ſacram communionem accedant, & ſumant, oculis non vagis, ſed in Chriſti corpus pie conjectis... ore ſupra pannum lineum ſuppoſitum modeſte porrecto; capite non demiſſo: lingua paululum labrum inferius intus attingente, non tamen extra os prominente, in qua particulam ſuſcipiant: neque linguam retrahant, priuſquam Presbyter manum removerit: tum vero caput humiliter demittant, ita etiam ut a ſuſpiriis abſtineant, quibus particulæ poſſint excuti. Manibus pectori admotis, inſtar crucis, ex veteri Fidelium diſciplina, aut ſupplicibus,* ſeu junctis, *iiſdemque nudis: pallio, quantum fieri poterit, adhibito, non birettis, pileiſve pluma inaniter ornatis, armis depoſitis; toto denique corporis habitu decenti, humili & modeſto, non ſordido. Mulieres non ſumptuoſis, non caudatis veſtibus, non crinibus inaniter intortis; non fuco aut pigmentis vultu illito; non pectore nudo, aut tenui velo obtecto; ſed ita veſtitæ ut ne præter faciem quidquam nudum cernatur: Non ita tamen,* ait Rituale Argentinenſe pag. 89. *ut difficulter in earum os ſacra hoſtia intromitti poſſit. Deponant quoque digitalia, villoſas manicas, flabella. Iis autem denegetur Euchariſtia quæ indecenter veſtitæ accederent.*

ARTICULUS TERTIUS.

De Diſpoſitionibus ex parte animæ.

Diſpoſitiones ex parte animæ, aliæ communionem præcedunt, aliæ ipſum communionis actum comitantur. De utriſque non omnibus quidem, ſed præcipuis dicemus; id unum, quod benigne indulgeat Deus, habentes in votis, ne in labido itinere vel laxiori vel ſeveriori pede gradiamur. Veterem, quod & alii plures fecere, Eccleſiæ diſciplinam jungemus cum nova, ut ex utriuſque intuitu ſecurum quid decerni queat. Sit igitur

CONCLUSIO I. Ut quis ad Euchariſtiam digne accedat, debet innocentiam baptiſmalem vel conſervaſſe, vel ſincera pœnitentia reparaſſe.

Prob.

Prob. 1. quia innocentia hæc, ex omnium Sanctorum judicio, illa ipſa eſt veſtis nuptialis, ſine qua qui ad nuptiale filii Regis convivium acceſſerit, *ligatis manibus & pedibus* projicitur *in tenebras exteriores*. Matth. 22. 2. quia præcipit Apoſtolus, ut *probet ſeipſum homo*, antequam *de pane illo* edat: atqui ex conſtanti omnium ſenſu probatio illa inprimis eo fine inſtituta eſt, ut nemo graviter reus Chriſti corpus contingere auſit: unde Chryſoſtomus Homil. 3. in Epiſt. ad Epheſios: Cogita, inquit, *qui de oblatione veteris Teſtamenti participabant .... quid non faciebant? omnino purgabantur ....: Et quomodo comparebis ante tribunal Chriſti, qui manibus ac labiis immundis ipſius audes contingere corpus.*

Sed quia non omnes ſatis capiunt quo niſu reparanda ſit innocentia, ſit rurſus,

Conclusio II. Antiqui Patres paſſim & ordinarie nemini certorum criminum reo, niſi gravis pœnitentiæ laboribus perfuncto Euchariſtiam concedebant.

Prob. 1. ex Apoſtolo, qui incœſtuoſum Corinthium nonniſi poſt annualis pœnitentiæ tempus in conſueta Fidelium jura reſtituit, poſtulata, ut ita loquar, in ipſius gratiam venia: *Ne forte*, inquit, *abundantiori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt;* II. Corint. 1.

Prob. 2. ex celebri hiſtoria adoleſcentis illius, qui poſt recepta Baptiſmi, Confirmationis & Euchariſtiæ Sacramenta, cum in omne vitiorum genus proruiſſet, quin & prædo, prædonumque dux evaſiſſet, ab Apoſtolo Joanne conquiſitus eſt. Etſi vero is illico *fletu & mœrore quoad poterat pro culpa ſatisfecit*, itaut *lacrymarum unda ſecundo* baptizatus ſit, non ante tamen Eccleſiæ, proindeque & ſacræ communioni reſtitutus eſt, quam & pro ſe, & pro eo Apoſtolus, *crebris precibus, continuiſque jejuniis* apud Deum egerit; prout narrat Clemens Alexandrinus apud Euſebium Lib. 2. Hiſtor. c. 17. ergo tunc prævia erat Euchariſtiæ receptioni gravis ſatisfactio.

Prob. 3. ex Patribus, quos inter eminet Cyprianus, ubi de iis actum eſt, qui cum in perſecutione ceſſiſſent Tyrannorum furori, citius in omnia Fidelium jura reſtitui ambiebant, adhibita Confeſſorum fidei interceſſione. *Perſecutione ſopita*, ait S. Martyr, Epiſt. 52. *in unum convenimus* Epiſcopi, *& Scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communionis & pacis lapſis denegaretur, ne plus deſperatione deficerent .... nec tamen rurſus cenſura evangelicæ ſolveretur, ut ad communicationem temere proſilirent, ſed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia.*

Idem Libro de lapſis, quem totum nec ſemel perlegi oporteat, hæc habet cap. 7. *Emerſit novum genus cladis .... acceſſit ſub titulo miſericordiæ malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini & Dei legem, temeritate quorumdam, laxatur incautis communio, irrita & falſa pax .... A diaboli aris revertentes, ad ſanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedunt .... vis infertur corpori ejus & ſanguini.*

Neque alia erat Eccleſiæ Romanæ praxis, ut indicant hæc Romani Cleri verba apud Cyprianum, Epiſt. 31. *Abſit ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis, everſa fidei majeſtate diſſolvere, ut cum adhuc non tantum jaceant, ſed & cadant everſorum*

fratrum

Digitized by Google

fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum, utique non profutura, præſtentur; & nova per miſericordiam falſam vulnera veteribus tranſgreſſionis vulneribus imprimantur, & miſeris ad everſionem majorem eripiatur & pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, ſi etiam ipſe Medicus, intercepta pœnitentia indulget periculis? ſi tantum operit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem? hoc non eſt curare, ſed, ſi dicere verum volumus, occidere.

Nec eſt quod exiſtimet, quis hanc diuturnæ pœnitentiæ ſeveritatem, pro iis ſolum eſſe conſtitutam, qui a fide per apoſtaſiam deſciviſſent. Nam Libellaticis quoque, iis nimirum, qui dato pretio emiſſent a Magiſtratibus Libellos, vi quorum Imperatoriis Edictis paruiſſe cenſebantur, indicta erat: atqui Cypriano & aliis *multo & gravior & pejor* videbatur *mœchi, quam Libellatici cauſa; cum ille neceſſitate, hic voluntate peccaverit*, ait S. Martyr cit. Epiſt. 52.

Idipſum adſtruere ſanctiſſimi Romanæ Eccleſiæ Pontifices. Innocentius I. Epiſt. 1. *De pondere æſtimando delictorum*, inquit, *Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis; ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem*.

S. Leo I. Epiſt. 91. *Chriſtus*, ait, *hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*.

Prob. 4. ex notis illis pœnitentiæ claſſibus, quas certorum peccatorum rei decurrere tenebantur, antequam, non dico, ſacra ſynaxi, ſed ſacramentali abſolutione donari poſſent. *Placuit*, verba ſunt Ancyranæ Synodi, *eos inter Audientes uno anno conſtitui, tribus autem aliis annis agere pœnitentiam, tertio autem anno reconciliari Sacramentis*. Verum de his fuſius & accuratius ubi de Pœnitentia.

Sed quorſum hæc? inquies: an ut ſuſcitemus veterem Eccleſiæ diſciplinam, quæ tot abhinc annis excidit? an ut præſentem culpemus? Neutro agimus fine. Sed exhibito Eccleſiæ ſpiritu, qui ſemper idem eſt, dum etiam mutatur diſciplina, veſanos eorum clamores compeſcere volumus, qui poſtquam diu in omni peccatorum cœno ſeſe volutarunt, ægre habent, ſi, ſtatim ut memoriam ſuam exoneravere in tribunali, haud ſtatim in omnia Sanctorum jura reſtituantur. Quæ tamen ne ad omnes lapſos temere extendantur, ſit

Conclusio III. Pœnitentia ſumpta pro ſatisfactione ſacramentali, non debet neceſſario ſacræ communioni ab iis præmitti, qui lethale peccatum admiſerint: ſumpta vero pro iis pietatis operibus, quæ ſinceram cordis converſionem demonſtrent, non raro præmittenda eſt. Ita non ii tantum qui rigidi audiunt, ut Juenin q. 8. art. 1. §. 2. Henricus a Sancto Ignatio cap. 54. Merbeſius Summæ Chriſtianæ Tom. 2. diſſert. 3. q. 3. & 15. ſed & alii omnium ordinum ſaniores, ut Contenſon. diſſert. 4. c. 2. Reg. 2. Nat. Alexander Theol. dogmat. c. 5. art. 4. Reg. 6. Maldonatus apud Merbeſium, Paulus Segnerus Hom. Chriſt. p. 3. diſcurſu 8. Domin. Viva ad propoſ. 22. Alexandri VIII. aliique vulgo contra perditæ Moralis Theologos.

Prob. 1. pars. Ut quis ad ſacram ſynaxim admitti poſſit, ſatis eſt abſolu-

ſolute, ut cum Deo in gratiam rediiſſe merito cenſeatur: atqui hæc in Dei gratiam redintegratio, in iis etiam qui ſacramentalem ſatisfactionem necdum impleverunt, præſumi & merito poteſt; cum ex iis alii timoratæ conſcientiæ, pene ſtatim ac culpam certo vel dubie gravem, detrahendo v. g. aut iraſcendo commiſere, ad Deum per contritionem & gemitus reverti properent; alii multorum & graviorum rei, antequam ſe Confeſſario ſiſtant, tanto ſe tempore omnimodis probaverint, ut Confeſſarium ab ulteriori probatione liberaſſe videantur.

Prob. 2. ſi ſatisfactio ſacramentalis communionem neceſſario præcedere debeat, vel quia peccatum niſi prævia eadem ſatisfactione remitti non poteſt, vel quia licet ſine ea remitti poſſit, remittitur ſine jure ad communionem: atqui neutrum dici poteſt.

Non 1. 1. quia prioribus etiam Eccleſiæ ſæculis concedebatur abſolutio moribundis, qui eam expetiiſſent; & ii tamen nihil ſacramentalis ſatisfactionis præmiſerant; 2. quia ad peccati remiſſam ſufficit vera cordis converſio; & hæc pœnalia ſatisfactionis opera præcedere poteſt: unde David, ſtatim ut tactus intimo dolore dixit: *Peccavi Domino*, id a Nathan *II. Reg.*
reſponſi tulit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum;* quod & contigit, 12. 13.
ſeu mulieri peccatrici, Luc. 7. ſeu filio prodigo *, Luc. 15. ſeu tot Judæorum Myriadibus a S. Petro una die baptizatis, Act. 3. 3. quia, ut variis temporibus emicuit doctrina, quæ ſatisfactionem ſacramentalem abſolutioni ex ipſa Chriſti lege, aut ex natura rei præmittendam eſſe tradidit, hæc mox ubicumque proſcripta eſt. Sic hæc Petri de Oſma, Salmanticenſis Theologi propoſitio: *Non ſunt abſolvendi pœnitentes, niſi ante pœnitentiam ſibi impoſitam impleverint*, primum ab Alphonſo Carillo, Toletano Archipræſule, tum deinde a Sixto IV. an. 1428. reprobata eſt. Sic & hanc theſim, e Libro cui titulus: *Le Pacifique veritable* depromptam: *L'abſolution ne peut ſe donner valablement & avec fruit, que la penitence & la ſatisfaction n'aient precedè*, damnavit an. 1641. Facultas Pariſienſis, cum aliis ejuſdem notæ, ut *temerariam*, *hæreticam*, & in Petro de Oſma a Sixto IV. prædamnatam. Sic demum Alexander VIII. & hanc quoque Propoſitionem num. XXII. notavit: *Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint;* 4. demum, quia iis etiam temporibus, queis ſeverior erga graviora quædam viguit diſciplina, viguit ſimul & mitior quoad peccata minus quidem gravia, ſed tamen mortifera. Rem ita declarat Morinus de Pœnit. Lib. 5. cap. 31. num. 2. *Secundum hoc peccati* *Pag* 344.
genus, ideſt peccata mortalia minus gravia, eodem plane modo curabat Eccle- *c.* 1.
ſia, *quo nunc univerſa fere mortalia curare ſolet*. & infra: *Denique, ut compendio dicam, peccatorum hoc genus, quantum diligenter legendo & inquirendo conſequi potui, eodem plane modo ab Eccleſia curatum & punitum eſt, quo ab*

annis

* Hanc patris (quo Deus ipſe adumbratur) erga filium prodigum benignitatem, quaſi laxus quidpiam ſpiraret, carpere auſus eſt Auctor Operis inſcripti: *La devotion du pecheur*. Hæc ille: Il ſemble que l'Enfant prodigue en fut trop tot quitte: le droit du „ jeu & de la juſtice voudroit, qu'il demeurat au moins pendant quelque tems, non plus „ par deſordre, mais .... par pénitence, exilé de la maiſon de ſon pere. Il falloit le „ laiſſer un peu avec les pourceaux enfoncé dans les ordures: & le bon de l'affaire au- „ roit été de l'y tenir noyé ſi long-tems, que crevant d'infection, il en conçut un dé- „ gout éternel. „

annis quadringentis ad hunc uſque diem omnia fere mortalia peccata legimus ex Doctorum Scholaſticorum præceptis & Eccleſiæ approbata praxi curata fuiſſe: ergo.

Non 2. nam ex Apoſtolo ad communionem ſufficit, ut quis ſe quantum ſatis eſt probaverit: atqui probatus eſt, cui rite diſpoſito, & pro peccatorum natura & gradu digne explorato, ſagax Chriſti Miniſter beneficium abſolutionis contulit; ergo abſolute ad Euchariſtiam admitti poteſt, niſi aliud quid exigant perſonæ vel peccati circumſtantiæ, ſecundum id Angelici Præceptoris in 4. diſt. 9. q. 1. a. 4. quæſtiunc. 2. ad 2. *Non eſſet conſulendum alicui, quod ſtatim poſt peccatum mortale, etiam contritus & confeſſus, ad Euchariſtiam accederet; ſed deberet, niſi magna neceſſitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abſtinere. Siquidem Confeſſio purgat maculam mentis; non autem immunditiam corporalem & hebetudinem, quæ contingit in mente, ex depreſſione ejus ad carnem.*

Prob. 2. pars, quia ut quis ad Euchariſtiam ſecure admittatur, certo moraliter conſtare debet, eum jam vere mundum eſſe: atqui multi ſunt, de quibus id, ne interventu quidem ſacramentalis confeſſionis, legitime præſumi poſſit; puta qui diuturnam peccati conſuetudinem habent, qui in proxima delicti occaſione verſantur, qui rem alienam, moniti licet, reſtituere differunt, &c. unde hi omnes competenti tempore probari debent. Ungant ergo qui hujuſmodi ſunt, pedes Chriſti, ſed non ſtatim ungant caput. Nempe vero ait S. Bernardus Serm. de B. Magdalena, *Eſt unguentum bonum, quod Maria pedibus Salvatoris infudit. Eſt & melius quod eadem (ſi tamen eadem) ſuper caput recumbentis effudit... Notanda utriuſque differentia, & ſecundi ſublimitas attendenda, quoniam illud eſt ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus,* pœnitentia videlicet; *& iſtud ſacrificium laudis quod honorificat Deum,* nimirum Euchariſtia. *Pedes igitur ungimus Salvatoris, cum de peccatis compungimur. Ungimus caput, cum de collatis virtutibus virtutum largitori gratias cumulamus,* quod quidem præſtantius nullibi quam in ſacra communione exequimur. *Interſtitii tamen moroſitas inter pedes eſſe debet & caput,* QUIA PROFECTO DIFFICILLIMUS ET PRÆSUMPTUOSUS SALTUS EST A VESTIGIIS AD VERTICEM DOMINI TRANSVOLARE. Unde *unxit Maria ſanctum Domini verticem, profecto jam electa, jam familiaris effecta, longeque a peccatricis illius obvoluta veſtigiis, quam infelix ille* dæmonum *ſeptenarius confundebat.*

Obj. 1. Id unum ad communionem ſufficit, quod unum ad eam requirit Synodus Tridentina: atqui hæc confeſſionem ſolam requirit. Sic enim loquitur Seſſ. 13. c. 7. *Communicare volenti revocandum eſt in memoriam* Apoſtoli *præceptum: Probet ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat;* ergo qui atrociora quæque admiſit, ad Euchariſtiam, modo hæc confeſſus fuerit, accedere poteſt.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. conſeq. nam definiit quidem ſacra Synodus, neceſſariam eſſe confeſſionem ei omni quem gravis peccati conſcientia remordet: at nec definiit, nec definire potuit, confeſſionem hanc per ſe ſufficere: porro inter ea quæ neceſſaria ſunt, & ea quæ ſufficiunt, ingens eſt diſcrimen. Sine baptiſmo v. g. nemo regnum Dei ingredietur, nec tamen ut intret quis in regnum Dei, ſufficit Baptiſmus.

Item

Digitized by Google

Item qui credit in Chriſtum vivet, nec vivet tamen niſi fidei adjungat pietatis opera.

Et vero ſi valeat objectio facta, jam facinoroſo cuicumque, etiam ab homicidio, a ſodomia, a beſtialitate & ſimilibus recedenti, modo largioris manicæ virum, non diſpenſatorem, ſed diſſipatorem inveniat, a quo abſolvatur, liberum erit una poſt hora ad Euchariſtiam accedere: atqui id & aures etiam minus pias offendit, & Patribus adverſatur. Hæc illa eſt, niſi pejor, agendi ratio, quam tantopere exhorrebat S. Cyprianus: *A diaboli aris revertentes*, ajebat, *ad ſanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiamnum faucibus .... Domini corpus invadunt.* Merito igitur Auguſtinus, vel potius Cæſarius Serm. 51. *Unuſquiſque*, inquit, *conſideret conſcientiam ſuam, & quando ſe aliquo crimine vulneratum eſſe cognoverit, prius orationibus, jejuniis vel eleemoſynis ſtudeat mundare conſcientiam ſuam; & ſic Euchariſtiam præſumat accipere. Si enim agnoſcens reatum ſuum, ipſe ſe a divino altari ſubtraxerit .... ab æterno illo & cœleſti convivio excommunicari penitus non timebit.* Hæc porro verba, quæ velut Auguſtini in ſecundo Feſti Dedicationis nocturno legit Eccleſia, ſua fecit approbando. *Tom. 5. Auguſt. Append. Serm. 229.*

Obj. 2. Ea quoad Euchariſtiam tenenda eſt praxis, quam viri graves commendant, ut benedictionis plenam: atqui peccatores, etiam necdum bene purgatos, imo & in eadem crebro relabentes flagitia, ad Euchariſtiæ perceptionem admittunt viri graves. Sic Molina Carthuſienſis Lib. de Sacerdotio part. 2. cap. 6. §. 1. *Si*, ait, *peccator ad me accederet undique onuſtus peccatis, ipſi auctor eſſem ut ſingulis diebus Dominicis Euchariſtiam ſumeret, ſi tamen ipſorum pœniteret, ac ſtatueret ab illis deinceps temperare. Si ſubſequenti proxime Sabbato, tot quot præcedenti, mihi peccata confiteretur, ſuaderem iterum, ſi videretur contritus, ut ſemel intra quamque hebdomadam ſacræ Menſæ accumberet; idque conſilii darem, quamvis ſingulis hebdomadis in eadem flagitia laberetur, modo tamen præ ſe ferret contritionem & emendationis propoſitum;* ergo.

R. neg. min. Non enim vere graves ſunt, ſaltem in particulari caſu, qui adverſus Patrum torrentem (erant enim ii vere & ſerio graves) totis viribus renituntur: atqui talis eſt in citato loco Molina; tales & qui eum ſequuntur. Minor patet ex iis quæ hactenus citata ſunt, Patrum teſtimoniis; quibus & iſtud addendum ex Iſidoro Lib. de Officiis Eccl. c. 18. *Si talia ſunt peccata, quæ quaſi mortuum removent ab altari, prius agenda pœnitentia eſt; ac ſi deinde hoc ſalutiferum medicamentum ſuſcipiendum ... Hoc enim eſt indigne accipere, ſi eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam;* quæ verba deprompta ſunt ex Auguſtino Epiſt. 54. alias 118. ad Januar. atque hinc laudandus Molinæ Liber, dum prima parte dignitatem Sacerdotii commendat, quia in ea totus pendet ab ore Patrum; ubi vero ex proprio ſenſu, & humana quadam benignitate, pœnitentiæ & communionis intervalla metitur, omnino deferendus eſt.

Obj. 3. In vita S. Marcelli Pariſienſis hæc legere eſt: *Quidam de populo, dum vellet ad communionem accedere, manibus retro ligatis, quaſi meta cœpit ſtare: quem conſpiciens Pontifex, interrogavit quid fecerit. Reſpondit ſe peccaſſe. Cujus confeſſionem agnoſcens, dixit ei: Veni, accede, & ultra non pecces: qua juſſione abſolutus ad communionem acceſſit;* ergo.

R. neg. conſeq. 1. quia miracula in exemplum trahi non debent; unde cum peccatoris illius converſio per miraculum contigerit, hanc adeo perfectam fuiſſe credendum eſt, ut prorſus deleverit eas peccati cicatrices, quæ debitam Sacramento reverentiam impediunt; 2. quia peccatoris hujus humiliatio lubenti animo acceptata, pro quadam pœnitentiæ ſpecie haberi potuit.

Conclusio IV. Qui peccati lethalis ſibi conſcius eſt, regulariter ante confiteri debet, quam vel Miſſam celebret, vel ad Euchariſtiam accedat.

Prob. 1. ex Concilio Trident. Seſs. 13. tum cap. 7. cujus verba paulo ante retulimus; tum Can. 11. ubi ſic legere eſt: *Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat ſancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.*

Prob. 2. Ad Euchariſtiæ confectionem vel receptionem requiritur ſtatus gratiæ, de quo certo moraliter conſtet; uti fatentur omnes, & abunde probant tum congeſtæ utraque præcedenti Concluſione Patrum auctoritates, tum textus Synodi Tridentinæ: atqui licet ſtatus gratiæ per contritionem haberi poſſit, non ſic tamen ut de eo moraliter cônſtet, & multo minus cum negligitur medium graviter præceptum, ut in præſenti; ergo. Vide quæ eam in rem ſolide diſputavimus Tom. IV. pag. 173. & ſeq.

Atque hinc colliges præceptum confeſſionis ante Euchariſtiam, non eſſe duntaxat Eccleſiaſticum, ut ſenſerunt Joan. Medina, Navarrus, & alii quidam, ſed divinum, imo & quadantenus naturale. Quod divinum ſit, ſuadetur 1. quia Apoſtolus præcipiendo, ut *probet ſeipſum homo*, antequam *de pane illo edat*, eam præcepit probationem, quæ fit via confeſſionis, prout *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat*, ex Tridentino ſupra: atqui Apoſtolus probationem hanc non tradidit a ſeipſo; ſed a Domino accepit. Hæc enim ejus verba: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*, ad id totum debent referri, quod ibi de Euchariſtia tradit Paulus; ergo. 2. quia ex citata toties Auguſtini regula, Lib. 4. de Bapt. c. 24. id ad jus divinum referri debet, quod nec ab aliquo Pontifice, nec a Concilio inſtitutum eſt: talis autem eſt lex de qua agitur. Unde Tridentina Synodus non dixit præceptum illud per Eccleſiaſticam conſuetudinem introductum eſſe, ſed per eam declarari.

Quod vero idem præceptum quadantenus ſit naturale, patet, quia juris eſt naturalis, ne quis in re omnium graviſſima incerta certis præponat: porro qui perfecta, quam habere opinatur, contritione confidit, & ideo abjicit confeſſionem, quæ utique longe tutior eſt, is ſecluſo etiam poſitivo præcepto, certis incerta præponit; ergo & hoc ſenſu jus naturale tranſgreditur.

An autem qui omiſſa culpabiliter confeſſione ad Euchariſtiam accedit, duplex committat ſacrilegium, aliud contra Euchariſtiam ipſam, quam in ſtatu peccati recipit, aliud contra præceptum confitendi, ambigitur,

gitur. Probabilius, quod non. Confeſſio enim non jubetur præmitti, niſi propter dignam Euchariſtiæ ſumptionem : ubi autem unum nonniſi propter aliud præcipitur, ibi unica cenſetur obligatio. Aliud fuerit ſi tunc urgeret per ſe præceptum confeſſionis.

Dixi in Concluſione, *Regulariter*, quia præceptum confitendi, licet divinum, admittit, ut & alia ejuſdem generis præcepta, cauſas excuſantes. Et ideo ſi deſit copia Confeſſarii, & urgeat celebrandi aut communicandi neceſſitas, poterit quis etiam non confeſſus, modo tamen contritus, celebrare aut communicare. Quæ ut certis expoſita regulis, amplius innoteſcant,

Dico 1. Deeſt Confeſſarii copia, ſeu, ut per ſe patet, cum is phyſice haberi non poteſt; ſeu cum ſine grandi incommodo adiri nequit; ſeu, cum etſi præſens adſit, perinde eſt ac ſi non adeſſet.

Hinc 1. qui ob viarum moleſtiam, aſperitatem cœli, diſtantiam itineris, populi diu expectaturi murmura, Confeſſarium adire non poteſt, eodem carere cenſetur. Ceterum in quo præciſe conſiſtat grande illud incommodum certa lege definiri non poteſt; quod enim ſeni graviſſimum eſt, leve eſt juveni, ut & ſano, quod grave fuerit ei qui podagra laborat. Ceterum noſtra hæc deciſio non ſpectat eos, qui, ut loquitur Silvius hic q. 80. art. 4. §. 2. perſiſterent *in concubinatu, ebrietate, vel aliquo alio peccato*.

Hinc 2. caret Confeſſario, cui præſto non eſt niſi Sacerdos vel excommunicatus denunciatus; vel carens juriſdictione, ſeu ſimplici, quia approbatus non ſit, ſeu neceſſaria, quia nihil poſſit in caſus reſervatos, quorum aliquem incurrerit is qui ad celebrandum tenetur: quia tunc nec a reſervatis, nec a non reſervatis, ob iſtorum cum aliis conjunctionem, abſolvi poteſt. Item cui is tantum ſuppetit confeſſionis Miniſter, a quo pœnitens revelationem confeſſionis, vel aliud quid grave timere poſſit. Tunc enim confeſſio poteſt omitti vel tota, ſi pœnitens eo tantum peccato gravetur, propter quod timet; vel quantum ad iſtud ſpeciale peccatum, licet non quoad alia, ſi mortalia ſint: ſecus ſi ſint tantum venialia; haud enim neceſſe eſt ea confiteri, de quo plenius dicam ſuo loco.

Hinc 3. & ei quoque deeſſe cenſetur Confeſſarius, qui nonniſi per Interpretem confiteri poteſt; aut cui injuſte negatur abſolutio, pro qua ad alium recurrere nequit. *Silvius in 3. p. q. 11 a 3.*

Quod ſi juſte negetur abſolutio, utique Euchariſtia indignus erit, qui nec abſolutione dignus eſt. Si tamen hunc ob graviſsimam cauſam hic & nunc celebrare oporteat, poterit id quidem, juxta plures, ſed ſi ſe vere contritum ſentiat; imo, ajunt, nec tunc confiteri tenebitur, quia inutile ſit citra ſpem abſolutionis confiteri. Sed de his quæ non parum difficultatis habent, plenius ubi de Pœnitentia. Interim legatur Quarti part. 3. tit. 8. ſect. 3. dub. 3.

Excuſantur etiam juxta aliquos a confeſsione, qui licet Confeſſarii copiam habeant, non habent eum quo utilius & confidentius uti ſolent; 2. qui licet præ manu habeant Regularem, aut alium quemlibet approbatum, non habent proprium Parochum; 3. qui ſine aliquo Ordinis ſui dedecore, gravem, cujus rei ſunt, culpam aperire non poſsunt; puta ſi fornicatus ſit Monachus, nec ad unum e Fratribus ſuis recurrere valeat; 4. quibus ſolum præſto eſt Miniſter, quicum inimicitias vel lites gerunt.

Sed abſit ut futiles id genus cauſæ inter gravia impedimenta recenſeantur. An enim deeſt Confeſſarius, cum ſuppetit idoneus Miniſter, a quo & ſalutis monita, & abſolutionis beneficium recipere poſſis? An magis infamatur Religioſus Ordo, quia lapſum ſuum Sæculari detegat Regularis, quam Ordo ſimpliciter Eccleſiaſticus, quia parem culpam Regulari detegat Sacerdos ſæcularis. *Illiacos intra muros peccatur, & extra*: nec ſatis prudentiæ vel ſecreto tribunalis conſulunt, qui gemebunda quadam, pietate, dicam, an arrogantia, tametſi generaliter exclamant. Proh, quantum apud Regulares mali! An demum, qui munus ſuum ante altare relinquere debet, ut fratri ſuo reconcilietur, pro grandi incommodo habebit agendi rationem plenam charitatis, & quæ concordiam revocare poſſit. Alia longe mens Hieronymi Ep. 62. *Ignoramus*, ait, *ſine pace communionem*. Alia Chryſoſtomi, qui Homil. 4. de Paſch. agnum eſſe vult, qui agnum comedit.

Dico 2. ut quis abſque prævia confeſſione ad ſacer accedere valeat, præter inopiam Confeſſarii requiritur gravis quæpiam neceſſitas; tum quia grave præceptum gravem excuſantem cauſam requirit; tum quia Tridentinum cit. cap. 7. Seſs. 13. urgentem cauſam, proinque gravem exigit. Atque ita docent Magiſtri omnes, e quibus adi Suarem diſp. 66. ſect. 4. Vaſquem diſp. 208. cap. 2. &c. Sed ne gravium inſtar cauſas aſſignemus leviores, juvat hic paululum immorari. Excuſat itaque

1. inſtans mortis periculum. Unde celebrare poteſt, pro virili tamen contritus, quod hic ſemper ſupponendum, tum is cui mors inferenda ſit, niſi celebret; modo tamen non in contemptum Religionis; tum & is cujus celebratio neceſſaria ſit ut moribundo viaticum detur. Quin &
Silvius tunc celebrare poſſet etiam *excommunicatus*, ſecundum Lugo diſput. 14.
p. 344. ſect. 5. num. III. quod ad *denuntiatum* etiam extendunt Diana & Quarti ibid. dub. 4. Id tamen vix citra grave ſcandalum fieri queat, niſi forte notum ſit, excommunicatum hunc omnimodis agere apud Superiorem, ut Eccleſiæ reconcilietur.

Neque, inquiunt, dictis obeſt, quod ne quidem ut moribundo viaticum detur, ſine veſtibus ſacris vel altari celebrare liceat. Irreverentia enim quæ ex iſtorum omiſſione naſcitur, non poteſt aliunde compenſari, confeſſionis autem omiſſio ſincera & abundanti contritione compenſari poteſt, ut advertit Lugo ibid. n. 108. unde hanc deciſionem, qua parte viaticum a nobis vel ab aliis recipiendum ſpectat, admittunt rigidiores, ut Henricus a S. Ignatio cap. 52. n. 68.

Ego quidem, qui ob communiorem in contrarium ſententiam, non auſim pranſus celebrare, ut mihi aut alii viaticum darem; neque hoc auſim in ſtatu lethalis peccati. Quanquam id in hoc caſu, quam in præcedenti facilius fieri poſſe putem: quia infamaret ſe Sacerdos, ſi miſerum hunc ſtatum aperiret; non autem ſi ſe jentaſſe declaret. Utut eſt, haud ægre patiar ut hic quiſque in ſenſu ſuo abundet.

2. periculum ſcandali & infamiæ, ſi nempe futurum ſit ut ex celebrationis omiſſione plebs graviter obmurmuret, ac temeraria multa effutiat de Sacerdote; & is proinde grave famæ ſuæ detrimentum ferat. Utrumque enim incommodum, cum charitati inſigniter adverſetur, impendio vitandum eſt. Et ita docent ſaniores quique poſt Suarem diſp. 66. ſect. 6.

Nota

Notat is tamen, cavendum ne populi admiratio inſtar ſcandali habeatur. Quod enim miretur populus, aut habeat te pro minus devoto, non eſt malum adeo grave, ait ubi ſupra n. 681. Henricus a S. Ignat.

Sed quid juris, ſi Sacerdos in altari jam conſtitutus, vel inchoata jam Miſſa, mortalis peccati recordetur?

R. 1. eum ſi nec Confeſſarium a quo abſolvatur accerſere, nec ab altari recedere poſſit citra infamiæ notam, proſequi poſſe, imo & debere, præmiſſo contritionis actu: ita communiter Doctores. Unde colligo vix ac ne vix quidem unquam fieri, ut qui in Eccleſia publica coram pluribus ſacrum facit, Miſſam abrumpere teneatur; quia vix unquam fiet ut gravi non ſit ſcandalo. Et vero interrogatus, ut certo erit, cur receſſerit ab altari, quid tandem dabit reſponſi? dicet ſe correptum morbo? mentietur. Dicet ſe inopina perturbatione concuſſum? quæretur tantæ perturbationis cauſa, & grave quid conjectabitur, &c. Interim ſi Sacerdos ſine nota confiteri poſſit, ſeu dum habetur concio, ſeu dum prolixius quidpiam cantatur, erit id faciendum, ut monent Diana & Silvius: at poſterior iſte non vult id fieri poſt conſecrationem, quia, inquit, *non expedit ſacrificium ſubſtantialiter inchoatum ſic interrumpere*.

R. 2. ſi quis vel in Sacello, vel in Eccleſia coram uno aut altero tantum, qui notæ ſint diſcretionis celebret, ambigere Doctores quid facto opus ſit. Alii nempe, eum etiam non advocato Confeſſore proſequi debere opinantur elicito contritionis actu. Ita Henriquez, Sa, Tolet, Sotus, Victoria, Layman, aliique quos ſequitur Quarti 2. part. tit. 3. ſect. 2. dub. 3. p. mihi 200. & rationem dant, tum quia reverentia ſacrificio quomodolibet inchoato prævalere debet; tum quia ſola hæc opinio tollit perplexitatem, quæ in his anguſtiis facile occurrit, ſubſitne an non infamiæ periculum; tum quia etiamſi unus Sacerdoti adſtet Miniſter, poteſt is aliis quod coram ſe contigerit, narrare, non ſine infamia celebrantis. Poſtrema hæc probatio, utique ceteris validior, caſum præſentem abſolute non tangit, quia ſupponimus nihil probabiliter imminere periculi ex parte eorum coram quibus Sacerdos recederet ab altari.

Alii contra cenſent Sacerdotem hunc, ſi necdum conſecraverit, nec Confeſſarii copiam habeat, ab altari recedere debere. Ita Suares diſp. 66. ſect. 4. Lugo ubi ſupra, Silveſter v. *Euchariſtia*, q. 7. Navarrus in Summa cap. 15. Silvius & alii plures: 1. quia hæc opinio tutior eſt, juxta S. Thomam q. 83. artic. 6. ad 2. *maxime* ſi Sacerdos recordetur ſe excommunicatione irretitum eſſe; 2. quia Rubrica tit. 8. de defectibus diſpoſitionis animæ, id expreſſe tradit num. 4. & 5. his verbis: *Si ante conſecrationem Sacerdos recordetur ſe eſſe in peccato mortali, aut ſe eſſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, aut locum eſſe interdictum, & non timetur ſcandalum*, DEBET *Miſſam inceptam deſerere*. Eſto Miſſalis Rubricæ, de quo alibi, omnes præceptivæ non ſint, ſed directivæ tantum: Sed quis proprio ſe judicio dirigere malit, quam per ſanctas eas leges, quæ non prius emiſſæ ſunt, quam in æqui & veri trutina diu perpenſæ. Ceterum raro admodum fiet ut Sacerdos inceptam Miſſam deſerens, nemini ſit ſcandalo; atque hinc forte S. Bonaventura in 4. diſt. 3. ſimpliciter negat teneri Sacerdotem ab altari diſcedere, ut confiteatur.

Quod de Sacerdote quoad celebrationem, idem de Laico quoad

 com-

communionem dicendum: & is enim, ait Henricus a S. Ignatio, n. 684. *dum ſine nota*, utique gravi, *& periculo infamiæ* a ſacra Menſa abſtinere *non poteſt*, haud abſtinere tenetur. Sed cave, gravem infamiam dixeris, quod quis jam *exiſtens in ſcamno communionis*, hinc recedat, ſeu in totum, ſeu ad tempus. Id enim faciunt ii etiam e Laicis, qui plus pietatis habent, præſertim ſi miſta ſit pietas grano ſcrupuli. Sed de his ſupra ubi de Jejunio.

3. excuſat a confeſſione obligatio aliud præceptum præponderans obſervandi. Hæc cauſa primo intuitu æquitati admodum conſentanea videtur. Qui enim duo ſimul præcepta ſervare nequit, illud ſervare debet, quod, licet juris ſit inferioris, ſtrictius obligat, maxime cum præceptum omiſſum ſuppleri poteſt, prout in præſenti contingit, ubi confeſſionis defectus contritione compenſari poteſt. En principium, quod neſcio an in praxi magnopere profuturum ſit: quia haud ſatis conſtat, an, vel quale præceptum confeſſionis ante-Euchariſticæ præcepto præponderet.

Præponderare cenſent plures, 1. cum alioqui vel Sacerdos ipſe, ſeu in loco domicilii, ſeu in itinere Miſſam non audiet, niſi celebraverit; 2. cum incolis deerit Miſſa; 3. cum annuæ communionis officium non poterit impleri; 4. cum populus hoſtiarum conſecratarum defectu, Jubilæi gratiam non lucrabitur; 5. cum Regularis ex Ordinis ſui lege ad certis diebus celebrandum obligatus, ſuo huic officio deeſſe cogetur; 6. cum celebrationem hac die præcipit Capellaniæ fundatio; 7. cum deerunt Sacerdoti alimenta, niſi celebret. Addunt aliqui opportunitatem communicandi in ſolemni feſto, neceſſitatem orandi pro defuncti anima, quæ ſacrificio indigere credatur; item in die depoſitionis, vel ad benedicendum nuptias. Verum ex his ſi forte quædam admitti poſſunt, multo plura rejici debent. Itaque

1. non præponderat præceptum audiendi Miſſam feſta die, vel Dominica. Hoc enim pure eſt Eccleſiaſticum; confeſſionis vero Euchariſticæ lex non improbabiliter cenſetur divina, & quadantenus naturalis.

2. nec præponderare videtur præceptum annuæ communionis, ſiquidem de ſolo Sacerdote ſermo ſit: quia Eccleſia divinum de communione præceptum ad certum tempus determinando, noluit id fieri cum præjudicio præcepti de confeſſione communioni præmittenda. Et ita ſentiunt S. Antoninus, Suarez, Tannerus, & alii plures.

3. idem a fortiori dicendum in quarto & quinto caſu, niſi ſubſit gravis notæ timor, qui raro in his occaſionibus ſubeſt. Ratio eſt, quia & Ordinis ſtatuta, & fundationes Beneficiorum intelliguntur ſalvis reverentia, & debita probatione. Aliunde vero his oneribus deinceps ſatisfacere poterit Sacerdos, ſeu per ſe die alia, ſeu eadem per alium. Interim videant qui Miſſarum celebrationem urgent impenſius, ne actionis ſanctæ loco ſacrilegium eliciant.

4. nec aliud quoad Sacerdotem egenum ſanciri velim, niſi forte, ait Quarti, extrema aut maxime gravi neceſſitate obrutus ſupponatur; quam hypotheſim ratio minus quam cupiditas aſtruere poteſt. Utique qui a penuria ſibi timet, quæſtum aliunde quam de altari facere debet, & ante omnia quærere regnum Dei, ut ſibi adjiciantur cetera.

Cete-

Digitized by Google

Ceteros feſti ſolemnis, Miſſæ pro defuncto, vel pro nuptiis caſus omitto: in his enim, ſi nihil aliud ſupponas, deeſt neceſſitas illa ſimpliciter dicta, quæ a Tridentino requiritur. Et quoti minoribus multo de cauſis a celebrando in prædictis caſibus abſtinent? aliter tamen dicendum ſi grave hinc immineat ſcandalum: unde hæc notanda habet Liber Synodicus Eccleſiæ Nemauſenſis an. 1284. editus, quem laudat Nat. Alexander hic c. 5. art. 2. pag. 408. edit. fol. *Si non poſſit* Sacerdos *alium Sacerdotem habere cui confiteatur, non celebret, niſi neceſſitas immineat, quæ ſine gravi ſcandalo nequeat præteriri, ut ſi dies feſtivus advenerit, & populus jam convenerit ad divina, vel corpus alicujus Parochiani defuncti præſens ſit in Eccleſia, vel Nubentes ad Eccleſiam convenerint Matrimonium contracturi, propter quæ, ut ſcandalum evitetur, ipſum oporteat celebrare. In ipſis vero caſibus, ſi veram contritionem habeat Sacerdos de illo peccato mortali in quo eſt conſtitutus, & proponat, quam cito poterit, confiteri alii Sacerdoti: credimus, Magiſtrorum noſtrorum ſententiis inhærendo, quod valeat celebrare: ſed ſi eam contritionem non haberet, nec propoſitum confitendi, celebrare in his caſibus non præſumat, quantumcumque neceſſitatem vel ſcandalum videat imminere.*

Superſunt igitur, quæ plus habent dubitationis, hypotheſes duæ: I. cum niſi celebres, deerit populo Miſſa; II. cum idem populus Jubilæi gratiam non aſſequetur. Et ego quidem, ſalvo Magiſtrorum jure, in utroque hoc caſu a non confeſſo celebrari poſſe putem: 1. quia moraliter impoſſibile eſt, ut Sacerdos, præcipue vero Parochus, Miſſa populum privet, quin gravia undecumque murmura concitet, & triſtem in omnium pene animis notam ſuſtineat; 2. quia, quod ad rem directe facit, Parochi obligatio erga gregem ſuum ſtrictior videtur, quam præmittendæ confeſſionis. Huic enim profecto graviſſime incumbit diebus Dominicis & Feſtis celebrare, ubi ſaltem deeſt alius qui vices ejus excipiat: atqui ex Tridentino Seſs. 13. cap. 7. Sacerdotes *quibus ex officio incubuerit celebrare*, confiteri debent, *modo non deſit illis copia Confeſſoris;* ergo videntur tunc temporis celebrare poſſe. Certe hunc præcipue caſum reſpexiſſe videtur ſacra Synodus, utpote qui ceteris omnibus longe communior ſit, & ideo magis debuerit prævideri.

Quod ad Jubilæum ſpectat, tam largi ſunt, tamque raro aperiuntur hujus gratiæ fontes, ut qui iis privatur, graviſſimum ſubeat detrimentum: quæ ratio præcedentibus juncta celebrationem permittit, ſi non imperat.

Superſunt hic quædam magni momenti dubia, quæ ut pro tenui noſtra facultate excutiantur,

Quæres 1. quid juris, ſi delata ad moribundum Euchariſtia, is poſtulata a Miniſtro reconciliatione, fateatur ſe pluries ſacrilege confeſſum, puta quia ſcelus aliquod conſtanter reticuerit: unde iteranda ſit ei annorum 20. aut 30. confeſſio.

R. ut jam alibi, ſed paulo latius & accuratius; vel æger ad interitum vergit, vel ſat virium & temporis habet, ut deinceps plene confiteri valeat. Si I. eliciendum eſt ab eo quidquid poterit, præſertim quoad graviora; ſic ut nec omnino defatigetur, nec gravis adſtantibus ingeratur ſuſpicio. Si II. videndum an legitimo aliquo prætextu, puta animi perturbati, ſibique (quod veriſſimum eſſe debet) male præſentis, Viatici receptionem differre poſſit; annon differendo gravem ſubeat boni nominis

jacturam. In priori caſu dicat ipſe, vel ejus nomine alius, mentem haud ſibi ſatis eſſe liberam, ut jam nunc Chriſti corpore reficiatur. In poſteriori autem conabitur Sacerdos, ut in eo plenam contritionem accendat, & Euchariſtiam porriget; denique ab ægro ſub aliquo ſolatii prætextu revocatus, integram, ut poterit, confeſſionem ejus excipiet, & abſolutionem largietur.

Quæres 2. an qui inter confitendum peccati alicujus inculpate oblitus eſt, illud ante communionem aperire teneatur.

Affirmant pene omnes, & eo uſque, ut contraria opinio Dianæ ipſi improbabilis videatur, eamque ex operibus Cornejo expungi juſſerit Inquiſitio Hiſpanica, teſte cum aliis Henrico a S. Ignatio num. 691. Ratio eſt 1. quia fideles divino præcepto jubentur mortalia omnia memoriæ occurrentia ante communionem confiteri: hoc porro præceptum non implet, qui mortale ſibi memoriæ occurrens, necdumque confeſſum non confitetur; 2. quia fidelium omnium conſenſio & praxis, quæ optima eſt legum interpres, confeſſionem hanc præcipit. Eorum enim nemo eſt, qui haud denuo confeſſus, ad ſacram menſam accedere auſit. Neque hæc ſimplicium duntaxat eſt fides, ſed & Doctorum, itaut ne unum quidem legerit Lugo, qui contrarium docuerit. Non deſunt tamen qui aliud ſenſerint, de quibus ſtatim; 3. quia divinum præceptum confitendi abſolute peccata omnia, ſeu certo, ſeu dubie mortalia, quæ memoriæ poſt debitum examen occurrant, extendit ſe ad ea etiam quæ in confeſſione oblita ſint, & indirecte abſoluta; ergo pari jure divinum præceptum de confeſſione communioni præmittenda, extendit ſe ad peccata etiam indirecte per confeſſionem remiſſa; 4. quia oppoſitæ partis fundamentum in præcipitium trahit. Si enim fidelis, quia judicio clavium Deo reconciliatus eſt, oblitum peccatum hic & nunc confiteri non tenetur, nec tenebitur deinceps; cum ideo tantum teneri poſſit ut Deo reconcilietur: atqui ſequela hæc in præcipitium trahit; ergo & principium a quo ipſa dimanat. Ita Henricus a S. Ignatio per totum caput 53. ubi n. 697. deplorat Græcorum & Ruſſorum cæcitatem, qui teſte Arcudio Lib. 3. c. 60. & Lib. 4. c. 2. vix unquam, licet ſcelerum rei, confeſſionem celebrationi præmittunt; ne ex antiquorum Canonum rigore, qui apud ipſos hodieque perſeverat, in grave, fornicationis præſertim, crimen lapſi, ab Ordinum executione perpetuo ſuſpendantur.

Lugo diſp. 14. n. 126.

Etſi, propitio Numine, non is ego ſum, qui ſeu in theoria, ſeu in praxi, a trito itinere recedere amem, candide tamen profiteor me in oppoſitam ſententiam penitus propendere, quam ut certam vel probabilem tenent Præpoſitus, Ferrantinus, Hieroni. Garcias, Arriaga, Cornejo; quamque, ceu indubiam habebat vir clariſſimus, P. Gibert, a me ante annos facile viginti ea de re conſultus; cui & adhærere vidi homines pietate ſpectatos & doctrina. Hujus autem opinionis hæc mihi ſunt momenta.

I. ideo ad Euchariſtiam prærequiritur confeſſio, ut cuipiam moraliter conſtet, ſe cum Deo in gratiam rediiſſe, idque ſecundum leges a Chriſto Domino ſancitas: atqui omnia hæc præſtitit pœnitens in propoſito caſu. At, inquis, manet obligatio confitendi peccati quod oblitus eſt. Fateor: nec de eo lis movetur. Quæſtio eſt tantum, an hic & nunc teneatur

neatur confiteri. Id vero aſſeris tu quidem, ſed non probas. Quod enim præcipit Synodus Tridentina, ut quis quamprimum confiteatur, non de eo qui in Tribunali jam abſolutus eſt, præcipit, ſed de illo qui ex Confeſſoris penuria non potuit abſolvi.

II. ex majori contra ſentientium numero vix certi quidpiam extundi poteſt, ſi reipſa inter ſe non conſentiant: atqui non conſentiunt de facto. Alii enim exigunt tantum cum Ethica amoris ibid. Silvio pag. 345. Navarro c. 21. n. 49. &c. ut pœnitens ille ad Confeſſarium redeat, *ſi commode poteſt;* quod quiſque facile admiſerit; qui enim præſentem habet Confeſſarium, actu confiteri malet, quam deinceps reverti. Alii novo doloris ſenſu, novaque abſolutione opus eſſe cenſent, apud Quarti part. 3. tit. 8. ſect. 3. dub. 2. Alii, melius quidem eſſe volunt ut nova impendatur abſolutio, id tamen haud omnino neceſſarium eſſe opinantur, quia ſufficit abſolutio præcedens: ita Pontas v. *Confeſſion*, caſ. 41. Alii demum & plures, ut Habert cap. 20. & Babin *, cautius licet, ab obligatione iſta eum eximunt, qui jam ſacræ Menſæ aſſidet, propter periculum infamiæ; nec tamen, credo, ea de cauſa a confeſſione eximerent hominem, qui peccatum mortale reticuiſſet. Ex his autem quid certi?

* *Confer. d'Angers* p. 321.

III. non debet graviſſimum onus ſine graviſſima cauſa imponi: atqui onus ad Confeſſarium revertendi, quoties in memoriam redit culpa vel certo, vel dubie mortalis, 1. graviſſimum eſt, iis præſertim Sacerdotibus, qui cum nuper generalem confeſſionem emiſerint, novi quid quod memoriæ exciderit, ſingulis fere paſſibus detegunt. Vidi ego, qui unius horæ ſpatio quinquies confiterentur, ſibique & Confeſſariis oneri eſſent pene intolerando. Quid de iis igitur qui media leuca diſtant a Directore? Forſan dixeris, vel legem pro iis non eſſe conſtitutam, vel iis a Miſſa aut communione abſtinendum, donec animæ pacem nacti ſint. Sed 1. ſi lex confitendi generalis eſt, ut adverſarii volunt; cur non omnes liget? Forte quidem hic locum habebit exceptio illa Ethicæ amoris: *Si commode poteſt;* non enim commode poteſt, qui nonniſi cum magna corporis animique defatigatione poteſt: Verum non omnes qui theſim admittent, lenem hanc exceptionem probabunt; ſicut nec probarent, ut homo graviter reus, qui in die feſto Euchariſtiam recipere vult, moneretur ad Pœnitentiam recurrere, ſi commode poteſt; 2. grave profecto eſt Sacerdoti, qui & Deum amat, & nemini obtrectationis anſam præbere vult, a Miſſa diu abſtinere: nec grave minus perſcrutari, an in eo ſit neceſſitatis caſu, ubi licitum ſit prætermiſſa confeſſione ſacris operari.

2. onus denuo redeundi ad Confeſſarium ante communionem nulla, meo quidem judicio, nititur ratione probabili. Quæ enim objiciuntur, ſeipſis abeunt in fumum. Unde

Ad 1. neg. maj. in ſenſu objectionis: nam jubentur quidem fideles ita ante communionem deponere peccata, ut cum Deo reconcilientur: at poſita hac reconciliatione nullibi jubentur ſtatim ad Confeſſarium reverti; præſertim cum is abſolutionem illis impendere non teneatur, ut agnoſcit Pontas ubi ſupra: imo nec, juxta Silvium ibid. teneatur Sacerdos, qui inter celebrandum peccati in confeſſione obliti recordatur, de illo tunc contritionem concipere.

Ad 2.

Ad 2. id credunt fideles quod a Paſtoribus accepere; unde ut plurimum credunt ſibi nova opus eſſe abſolutione, quod tamen negant non pauci ex adverſariis. Videndum igitur quo motivo nitantur Paſtores. Fallor autem ſi grave quid proferant; cum generatim & indiſtincte novam præcipiunt confeſſionem. Voces illas *generatim & indiſtincte* paulo poſt exponam.

Ad 3. neg. conſeq. quæ gratis fingitur. Neceſſum eſt equidem ut quiſque oblita primum peccata confiteatur; quia hæc nonniſi in ordine ad confeſſionem, & vi voti ipſius dimiſſa ſunt: ſed per ſe neceſſum non eſt ut eadem peccata in ipſo, ut ita dicam, inſtanti confiteatur: quia id nulla lege præceptum eſt. Unde Tridentinum eos ſolum confiteri jubet, *quos conſcientia peccati mortalis gravat; quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment;* quia & arduum eſt ut quis vere contritus ſit; & contritus vere eſſe non poteſt niſi in ordine ad confeſſionem. Jam vero non gravat mortalis peccati conſcientia eum, qui tam certus eſt ſe ab eo, quam ab aliis omnibus abſolutum eſſe; ergo.

Ad 4. neg. ant. ejuſque probationem. Licet enim vere a peccato oblito abſolutus ſit, qui ad ſacrum tribunal acceſſit rite diſpoſitus, neceſſum tamen eſt ut peccatum illud deinceps confiteatur, quia alioqui deerit conditioni vi cujus reconciliatus eſt Deo, proinque excidet a reconciliationis gratia: atqui nec probatur, nec probari poteſt, reconciliatum fuiſſe hominem ſub conditione, ut ſi quid ſemel, bis, & tertio ſibi in memoriam redeat ante communionem, illud ſtatim confiteatur. Alias enim ad id teneretur, perinde ac ſi jam confeſſus non eſſet, adeoque non ſolum cum poſſet *commode;* ſed etiam cum non poſſet niſi per ea incommoda, quibus quandoque ſubjacent, qui Deo reconciliari volunt.

Hic quædam notanda, 1. ei qui Confeſſarium adhuc paratum habet, eidem id quo gravatur aperire debere; cum id nec ſibi, nec aliis, qui adſtant pœnitentibus, oneri erit: quod facilius eſt laico, quam Sacerdoti; is enim vel ſcrupuloſi, vel forte depravati notam apud plebem facile conſequeretur.

2. quæ hactenus dicta ſunt, iis potiſſimum prodeſſe poſſe, qui Sacramenta frequentant, puta qui octavo quoque, vel quindeno die peccata confitentur. Si enim oblita peccata confiteri neceſſe ſit, neceſſe etiam eſt obligationem hanc longum in tempus non protrahere. Unde qui raro confitentur, vel ante confiteri debent quam ad ſynaxim accedant, vel paulo poſt, quia debiti ſolutio diu differri non debet.

3. non eamdem eſſe omnium, quæ memoriæ exciderunt, peccatorum conditionem; quædam enim talia ſunt, ut ea confeſſio dilata fuiſset abſolutionis gratia, proinque Euchariſtiæ participatio: abſit autem ut de iſtis loqui velimus. Unde opinio noſtra piis quidem & intelligentibus ſeu Eccleſiaſticis, ſeu etiam Laicis, potiſſimum vero quoad peccata pridem commiſsa & exoſa prodeſse poteſt, non ceteris. Hæc interim corde & animo, non Eccleſiæ duntaxat, ſed & Magiſtrorum noſtrorum judicio ſubjecta eſse volumus.

Quæres 3. an qui obliti in confeſſione peccati recordatur, cum jam confiteri illud non poteſt, puta quia coram numeroſa plebe celebrat, actum contritionis illico elicere teneatur.

R. id

Digitized by Google

R. id admiſsa præcedenti noſtra opinione haud eſse neceſsarium; quia homini integre & abſolute juſtificato ſufficit juſtificatio ſua. Qui vero confeſſionem novam requirunt, novam quoque contritionem requirere debere videntur. Non requirunt tamen eorum plerique, ut Lugo diſp. 14. nu. 122. Quarti pap. 447. Silvius ubi ſupra; & hi minus cohærenter loquuntur.

Quæres 4. an qui jam ſacra celebrans recordatur ſe eſse in peccato mortali, ſtatim actum contritionis elicere teneatur.

Reſpondet Lugo ibid. nu. 134. & alii plures, ſatis eſse ut ante conſecrationem, vel, ſi peccati ſui poſt eam meminerit, ante communionem contritioni vacet: quia ſtatus gratiæ tunc ſolum neceſsarius eſt, cum quis vel conficit, vel recipit Sacramenta.

Tutior tamen, ut & probabilior eſt opinio Cajetani, quæ Miniſtrum hunc ſtatim ut moraliter poteſt, in intimum doloris ſenſum erumpere præcipit; quia tanta eſt ſingularum ſacrificii partium dignitas, ut nulla ſit quæ a Sacerdote fœdato congrue poſſit exerceri.

Dixi, *ſtatim moraliter*, &c. haud enim decet, ut qui Evangelium legit aut canit, hæreat in medio. Unde ſatius eſt ut elevata tunc quaſi curſim ad Deum mente, proſequatur; & idoneum, brevem nihilominus, contritionis actum eliciat in fine.

Quæres 5. an qui prætermiſsa ob Confeſsarii defectum confeſſione ſacris operatus eſt, quamprimum ſub gravi teneatur ad confeſſionem.

Negant Tamburinus Opuſc. de Communione c. 1. §. 48. Ledeſma & alii quidam, qui in mox citandis Concilii Trid. verbis, vel piam ſolum adhortationem, vel ad ſummum, præceptum ſub veniali obligans agnoſcunt. At contrariæ aſsertioni prorſus inhærendum: 1. quia iſtud Tridentini Seſs. 13. cap. 7. *Quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur*, præterquam per ſe præceptum indicat, præceptive redditur in Rubrica Miſsalis, quæ habet: *Quamprimum confiteri debet:* atqui in materia ſecundum ſe gravi, qualis eſt iſthæc, præcepta graviter obligant; 2. quia hæc propoſitio: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum*, ab Alexandro VII. damnata num. 38. rurſus a Clero Gallicano num. 82. proſcripta eſt, ut *falſa & pernicioſa;* haud utique tam gravibus inurenda notis, ſi de re levi ageretur. Et vero, ut notat hic Domin. Viva, pag. mihi 123. præceptum antonomaſtice ſumitur apud Theologos pro mandato graviter obligante, niſi deſit gravitas materiæ.

Quod autem addit idem Viva, præcepto hoc nec adſtringi laicos, qui ex neceſſitate citra præviam confeſſionem, nec Sacerdotes, qui laicorum inſtar communicant; nec demum Sacerdotes ullos, ubi receptum non ſit Concilium Tridentinum; eo quod præceptum illud juris ſit mere Eccleſiaſtici, & non reſpiciat niſi Sacerdotes ſolos, qui celebrant: id, inquam, licet a Silvio, aliiſque pluribus traditum, mihi pro triplici parte & laxius videtur, & periculoſum: 1. enim exigere videtur ipſa naturæ lex, ut cui certo non conſtat an digne communicaverit, quamprimum ſatagat dubium hoc excutere; 2. ubi militat ratio legis, ibi lex implicite conſtituta cenſetur: atqui etſi Tridentina lex de Sacerdote tantum

Silvius q 80 a 4. quær. 2.

tum

tum celebrante loquatur, militat tamen ratio ejus in ipſis etiam laicis. Quis enim legis Tridentinæ finis, is utique, ut nemo gravi culpa ligatus ad communionem, niſi prævia confeſſione accedat; qui vero ſecus ob urgentem neceſſitatem fecerit, quamprimum omiſſionem hanc reparet: atqui hæc etiam in laicis locum habent; ergo. Atque ita ſentiunt Azor, Sa, Henriquez contra Suarem diſp. 66. ſect. 7. &c.

Unde a fortiori colliges, Presbyterum in die Paraſceves celebrantem, lege hac teneri; quia etſi defectu conſecrationis ſacrificium non offert, dicitur tamen celebrare: Et ita docent Suarez, Diana, & ex iis Lugo ead. diſp. 14. nu. 139. Eadem tenentur obligatione, tum Sacerdos qui ex malitia celebrat non confeſſus; tum qui in ipſo ſacrificii actu mortaliter peccat præſertim ante communionem; tum qui ad complendum alterius deficientis ſacrificium aſſumitur. Hi enim omnes actionem Sacerdotis propriam faciunt: priores vero duo haud debent a confitendi lege immunes eſſe, quia nequiores ſint. Ita Silvius q. 80. art. 4. a quo male recedit Lugo ibid. nu. 150.

Quæres 6. an & qualem confeſſionis poſt Miſſam dilationem patiatur vox *quamprimum*.

R. 1. damnatam fuiſſe tum ab Alexandro VII. nu. 39. tum a Clero Callicano, nu. 83. propoſitionem hanc: *Illa particula*, Quamprimum, *intelligitur*, *cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur;* nec immerito, 1. quia ſic impoſitæ confitendi legis obligatio plures in menſes retardari poſſet: quis autem id dicat *quamprimum* fieri, quod poſt tres, quatuorve menſes perficitur; 2. quia vi definitionis Tridentinæ tenetur Sacerdos ille confiteri: atqui ſi non debeat confiteri, niſi cum primum, ideſt poſt tres, quatuorve menſes celebrabit, jam corruet obligatio a Tridentino impoſita: quia independenter a Tridentino præcepto tenebitur ad minus illo tempore confiteri ante aliam celebrationem; videlicet propter mortale nondum Eccleſiæ clavibus ſubjectum; ergo.

R. 2. voces, *quamprimum*, *ſtatim*, *mox*, *incontinenti* & ſimiles, non habere certam & determinatam ſignificationem, ſed ex materiæ & circumſtantiarum varietate diverſam; itaut aliquando *quamprimum* fieri dicatur, quod fit intra ſex menſes, quandoque etiam id quod fit intra aliquot an-
Viva p. 126. nos, ut probat hic Viva. Porro exigit præſentis materiæ ratio, ut vox *quamprimum*, ſtrictiſſimo ſenſu ſumatur: unde etſi cenſent non pauci Sacerdotem hunc confiteri *quamprimum*, ſi intra triduum confiteatur; quia ex Leg. fin. Cod. *De judiciis*, quamprimum fieri dicitur, quod fit intra triduum; multo æquius eſt ut & tutius, ut talis Sacerdos, ſtatim atque poſt celebrationem nactus fuerit copiam Confeſſarii, confiteatur, ipſo etiam celebrationis die, ſi ſine magna difficultate poſſit. Ita Lumbierus in dictam Propoſitionem n. 811. idque adhuc certius eſt, ſi Confeſsarius qui finita Miſsa præſens eſt, paulo poſt ad dies aliquot abeſse debeat: atque multo magis, ſi alioqui craſtina adhuc die ſine confeſſione celebrandum eſset: quia, ut bene Lugo ibid. nu. 162. dilatio, licet parva quoad tempus, eſset magna in qualitate, quatenus cauſa foret novæ celebrationis ſine confeſſione.

Quæres 7. an frequens confeſſio, iis etiam qui a lethalibus liberi ſunt, optima ſit ad communionem diſpoſitio.

R. affir-

Digitized by Google

R. affirmat. *Si enim*, ait Tridentinum Seſſ. 22. in Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ, *neceſſario fatemur, nullum aliud opus adeo ſanctum ac divinum a Chriſti fidelibus tractari poſſe, quam hoc ipſum tremendum Myſterium ..... ſatis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quanta maxima fieri poteſt, interiore cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis ſpecie peragatur*: atqui interiorem hanc cordis munditiam maximopere juvat confeſſio frequens, modo pie & ſancte fiat, non ex habitu, & cum modico vel nullo dolore; ut ſæpius contingit. Ubi vero moris eſt ut Sacerdotes, aliive ſemel vel bis in hebdomada confiteantur, decet maxime, ut quo certiorem faciant Sacramenti materiam, grave aliquod, ut plurimum tamen quaſi generaliter, præteritæ vitæ peccatum accuſent. Quid autem erga peccatum jam pœnitentia dilutum præſtet abſolutio expendit Suares de Pœnit. diſp. 19. ſect. 2. & Quarti ead. part. 3. tit. 8. ſect. 3. dub. 8. ſed nos de his alibi.

Quæres 8. an iis qui venialium duntaxat rei ſint, negari a Confeſſore poſſit Euchariſtiæ participatio. Pro reſponſione ſit

CONCLUSIO V. Poteſt homo juſtus aliquando utiliter vel communionem differre, vel ea privari ad tempus, ut venialia quædam delicta ſalubri pœnitentia eluat.

Prob. 1. pars: quod ſancte factum juſtis olim profuit, & iiſdem etiamnum, ſi ſancte fiat, prodeſſe poteſt: atqui juſti olim quandoque communionem diſtulere ad tempus, ut venialia quædam eluerent pœnitentia. Sic S. Chryſoſtomus, teſte in ejuſdem vita Palladio, *animo commotiore* ob effuſa ab Epiſcopo in Epiſcopum alium convicia, *ſacrificium offerre noluit*, ſed rogato ut in ſui locum celebraret, Epiſcopo, exceſſit e Baſilica, ubi vel invitus veſanos clamores audierat. Sic S.Hieronymus Lib. adverſus Vigilantium, de ſe ipſo ait: *Quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitavero, & me nocturnum phantaſma deluſerit, Baſilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & animo pertremiſco*: porro quem ſubrepens iracundiæ motus, nocturnave illuſio, quæ ſæpius, potiſſimum vero in Sanctis vacat ab omni culpa, a Martyrum Baſilicis arcebat, magis arcebat a communione. Sic Theodoſius Magnus, referente & laudante in funebri oratione ejus Ambroſio, *Præclaram* de Eugenio tyranno *victoriam adeptus, tamen quia hoſtes in acie ſtrati ſunt, abſtinuit a conſortio Sacramentorum*; neque ad Deum Pacis manibus iniquo etiam cruore tinctis accedere auſus eſt. Sic S. Carolus Borromæus, eo quia in ritibus Miſſæ nonnihil incautus peccaſſet, multos dies a ſacro altari receſſit. Sic mitiſſimus hominum Franciſcus Saleſius in Epiſt. ad Matronam pietate præſtantem: *Quod*, inquit, *Confeſſario morem geſſiſti, recte ac prudenter a te factum eſt, ſive tibi frequentioris communionis ſolatium eripuerit, ut probaret te; ſive quod impatientiæ frangendæ, ſanandæque non ſatis ſtuderes .... tibique in ea pœnitentia, quoad juſſerit, perſtandum eſſe exiſtimo*. *Lib. 2. Epiſt. 39.*

Confirm. quia Sacramenti fructus creſcit pro gradu præparationis: atqui dolor & pœnitentia de venialibus optima ſunt præparatio ad Euchariſtiam; ergo hæc ipſi præmittere maxime congruum eſt. Modo tamen nec ſub præparationis velamento lateat, ut ſæpe, teporis & ſocordiæ ſpiri-

ſpiritus; nec eo modo gerat ſe fidelis, quaſi id omne ante Sacramentum habere velit, quod a Sacramento amanter expectari poſſit.

Prob. 2. pars, quia quod quiſque ſibi prudens præſcripſerit, id & aliis præſcribere poteſt: atqui ex mox dictis, viri ſancti ſibi quandoque Euchariſtiæ dilationem ob culpas veniales præſcripſerunt; ergo, &c. Unde praxim hanc approbavit Franciſcus Saleſius cit. Epiſt. 39.

Objiciuntur præcipue tria, 1. eum qui ab altari recedit etiam ad tempus, peccare contra id venerabilis Bedæ, quod Sacerdotibus omnibus in præparatione ad Miſſam propoſitum eſt: *Sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in eo eſt, privat ſanctam Trinitatem laude & gloria; Angelos lætitia; peccatores venia; juſtos ſubſidio & gratia; in purgatorio exiſtentes refrigerio; Eccleſiam ſpiritali beneficio; & ſe ipſum medicina & remedio;* 2. juſtum, qui ut venialia eluat, abſtinet a ſynaxi, plus perdere, quam acquirat: quia major ab Euchariſtia, quam aliunde acquiratur gratia; 3. poſita Concluſione noſtra, nemini permittendam fore quotidianam Communionem: cum enim *ſepties* in die *cadat juſtus;* erit ei ſemper aliquid pœnitentia detergendum.

R. ad 1. Bedam de iis loqui, qui ab Euchariſtiæ præ ſegnitie recedunt; non de iis qui abſtinent identidem ut dignius recipiant. *Si quis* enim, ait aureus Liber de Imitatione Chriſti, *interdum abſtinet humilitatis gratia, laudandus eſt de reverentia*. In eumdem ſenſum hanc conſtituit regulam S. Bonaventura, vir, ſi quis unquam, inter extrema certum eligere peritus: *Circa Sacerdotes*, ait Lib. de profectu Relig. c. 77. *poteſt hæc forma teneri; ut nec nimis raro, nec nimis continue celebrare, vel inprætermiſſe ſacram hoſtiam ſtudeant immolare. Nimis enim continue celebrare, aliquam videtur notare irreverentiam, cum vix aliquis ſit tam devotus, qui ſemper eadem devotione ferveat, quod ſemper cum debita reverentia illud faciat & cordis ardore, quin aliquando reperiat quantulumcumque quod impediat.*

L. 4. c. 10.

Ad 2. reſpondet idem Auctor Lib. de Imitatione, ibid. nu. 6. Poteſt quilibet devotus, omni die & omni hora ad ſpiritualem Chriſti communionem ſalubriter & ſine prohibitione accedere: *Cum ergo legitime præpeditus eſt* ſacramentaliter communicare, habendo *ſemper bonam voluntatem, & piam intentionem communicandi ...... non carebit fructu Sacramenti*. Quibus adde ex communione una, quæ cum ſingulari fervore facta fuerit, plus percipi gratiæ, quam ex aliis pluribus, quæ tepide, peneque frigide peractæ fuerint.

Ad 3. non jubemus abſtinendum a ſacra menſa propter ea peccata, quæ ex ignorantia, infirmitate, aut ſubreptione naſcuntur: alioqui cum in multis offendamus omnes, nec quiſquam ſit, qui crebro cum Apoſtolis dicere non debeat: *Dimitte nobis debita noſtra*, nemo unus eſſet, cui vel crebro, vel raro ad ſynaxim accedere liceret. Id unum dicimus, viro vel pio utile eſſe ut labes ſuas, eas potiſſimum quæ ex majori advertentia & deliberatione contractæ fuerint, quæque ſæpius recurrunt, ſalubri ad ſapientis Confeſſarii judicium, pœnitentia abſtergat; exemplo celebris illius Paulæ, quæ ut in ejus Epitaphio teſtis eſt Hieronymus: *ita levia peccata plangebat, ut illam graviſſimorum criminum crederes ream*.

Sed hæc ne piæ, quin & crebræ communioni obicem faciant, ſedulo legi velim caput decimum Libri IV. de Imitatione; cujus doctrinam

qui

qui animo imbiberit & corde, nec ad communionem accedet iners & pene frigidus; nec ab ea ex nimia etiam habendæ devotionis ſollicitudine diu recedet.

Præter innocentiam vitæ, cui, ob Theologicas quas involvit difficultates, fuſiori forte ſtylo incubuimus, plures alias animi diſpoſitiones requirunt vitæ ſpiritualis Magiſtri. In hoc ordine ſunt,

1. fides viva, qua menſa Domini a profanis menſis diſcernatur, & inviſibilis tanquam viſibilis ſuſtineatur. Unde hic præcipue ſervandum id Hebr. 10. *Accedamus cum vero corde in fidei plenitudine*.

2. ſincera intentio finis, quem in hujus Sacramenti inſtitutione ſibi propoſuit Chriſtus. Hunc porro finem his Chriſtus verbis expreſſit Joan. 6. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me;* ergo ut pacti hujus conditiones ex parte ſua impleat fidelis, in id totus eniti debet ut propter Chriſtum vivat, eo, ut ſic loquar, gradu, quo ſe ei Chriſtus tradit.

3. effuſa in proximum charitas, itaut ante quis cum fratre ſuo reconcilietur, quam munus ſuum offerat ad altare. Certe, ait Auguſtinus Serm. 272. ad infantes, *Dominus Chriſtus Myſterium pacis & unitatis noſtræ in ſua menſa conſecravit. Qui accipit Myſterium unitatis & non tenet vinculum pacis, non Myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe*. Unde Auguſtana Synodus an. 1548. præſide Othone Cardinali, Dilingæ celebrata: *Qui erga proximum inimicitias, aut invidentiam ulciſci meditantem animo gerunt, aut qui proximos inique opprimunt, aut eorum exiſtimationi & honori falſo derogant, ii omnes ad Venerabilis Sacramenti perceptionem non admittuntur, donec vel pacem conciliando, vel aliena damna reſtituendo ſatisfaciant, & irrogatam pœnitentiæ mulctam perſolverint*.

4. humilitas ingens exemplo Salvatoris, qui Sacramenti ſui inſtitutionem a profunda ad ipſius etiam Judæ pedes demiſſione auſpicatus eſt. Dicat ergo etiam qui juſtus fuerit, ſed dicat medullitus cum Centurione: *Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum*. Dicat qui peccaverit, cum Auguſtino, Lib. 9. Confeſſ. cap. 1. *Quis ego, & qualis ego? quid non mali ego?* De his, quæ fuſius proſequi non licet, adi Nat. Alexandrum, ubi ſupra. Adi &, cautius licet, Duguetum Tract. de Diſpoſitione ad ſancta Myſteria.

ARTICULUS QUARTUS.

De peccato eorum qui male diſpoſiti ad Euchariſtiam accedunt.

EX diſpoſitionibus modo recenſitis, aliæ ad communionem neceſſariæ ſunt *ſimpliciter*, ut ſtatus ſanctitatis, aliæ quaſi *ad melius*, ut immunitas a veniali noxa. De poſterioribus iſtis loquemur Capite ſequenti; de prioribus hic dicendum. Quod ut fiat, expendemus 1. an grave ſit peccatum Communio in ſtatu peccati ſcienter facta; 2. an peccatum illud omnium graviſſimum æſtimari debeat. Sit

CONCLUSIO I. **Immanis peccati reus eſt, qui mortalis culpæ conſcius ad Euchariſtiam accedit.**

Prob. paucis, ſed heu! efficacius, 1. quia ex Apoſtolo *judicium ſibi man-*

manducat & bibit; qua voce vix expreſſior quæpiam fingi poteſt ad exhibendam ſceleris gravitatem, & pœnas inde conſequentes.

Prob. 2. quia ex eodem Gentium Doctore, Hebr. 10. 28. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magis* ergo *putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit?* Profecto, ait S. Baſilius Lib. 2. de Bapt. q. 3. *ſi tales minæ adverſum eos poſitæ ſunt, qui temere ad ea ſacra accedunt, quæ ab hominibus ſanctificantur, quid dicendum eſt de eo, qui in tantum ac tale myſterium temerarius eſt? ...... ſi in immunditia tantum* legali *conſtitutus tam terribile judicium habet, quanto magis qui cum in peccato ſit, corpus Domini contingere audet, gravius ſibi arceſſit judicium?*

Idem vivide tradit S. Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus in Paræneſi ad Pœnitentiam, ubi poſt relata Apoſtoli verba: *Quicumque manducaverit panem hunc .... indigne*, &c. ſic proſequitur: *Intremuiſtis, an non? Humanæ animæ reus non poſſet abſolvi: Dominici corporis violator evadit?* Qui manducat, *inquit*, & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit. *Evigila peccator, time in viſceribus tuis præſens judicium, ſi quid tale feciſti.* Ceteros, quos fuſe dabit Nat. Alexander cap. 5. art. 1. propoſ. 2. omitto, ut qui in idem omnes ad unum conſonent.

Prob. 3. rationibus Patrum. Sane enim graviter peccarunt, ſeu Ju-
Matth. 27. 29. dæi, qui *genuflexo ante* Chriſtum, *illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum;* & percuſſa ejus quam velaverant facie, *interrogabant eum dicentes: Prophetiza quis eſt qui te percuſſit;* ſeu qui eum clavis figebant cruci; ſeu rabidi illi Chriſtianorum tortores, qui poſt tentatas mille nocendi artes, *mortua quin etiam jungebant corpora vivis:* atqui facinora hæc æmulantur, qui ad Eucharistiam accedunt indigne. Annon enim dum flectunt genu, cor a Chriſto averſum gerunt? annon eum, quaſi ſub ſpeciebus velatum nihil videret, nec eſſet Propheta, flocci faciunt? annon eum rurſus, non ut Judæi qui non ſciebant quid facerent, ſed ſcii & volentes, crucifigunt triplici iniquitatis clavo, vitæ nimirum ſordidæ, pœnitentiæ larva, temeritate communionis? annon viventis, nec jam morituri Chriſti corpus corpori ſuo, centies quandoque per peccatum mortuo conjungunt. De his vide prolixe diſſerentem Contenſon pag. 278. edit. in fol.

Obj. 1. Chriſtus non eſt majoris dignitatis ſub ſpecie Sacramenti, quam olim fuerit in vivis ſub ſpecie propria: atqui peccatores Chriſti corpus ſub propria ſpecie tangentes non peccabant; quin & peccatorum veniam conſequebantur, ut patet ex Luc. 7. & Matth. 14. ergo.

R. cum S. Thoma hic qu. 80. a. 4. maximum eſſe diſcrimen inter Chriſti dum in terris degeret contactum, & ipſius in Euchariſtia receptionem, non ex majori objecti dignitate, ſed ex Sacramenti inſtitutione. Nam 1. Chriſtus vivens nonniſi exterius tangebatur, in Sacramento autem recipitur totus; 2. in terris tangebatur phyſice atque inſtar corporis alterius, in Sacramento tangitur *in ſignum ſpiritualis unionis ad ipſum: & ideo peccatores eum in propria ſpecie tangentes non incurrebant crimen falſitatis circa divina, ſicut peccatores*, qui hoc Sacramentum ſumendo, publice ſed & perfide proteſtantur, ſe Capiti & membris arcta charitate conjunctos eſſe; cum ab iis per peccatum mortale prorſus ſint alieni.

Obj. 2.

Obj. 2. Euchariſtiæ Sacramentum, ſicut & aliud quodcumque, ſpiritualis eſt medicina: atqui medicina hujuſmodi magis neceſſaria eſt peccatoribus quam juſtis, ſecundum id Matth. 9. *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus.*

R. diſt. maj. eſt medicina jam fortium, ut fortiores fiant, C. graviter infirmorum, N. porro, ait S. Thomas ibid. ad 2. *Medicina, quæ datur jam liberatis a febre, ad confortationem, noceret, ſi daretur adhuc febricitantibus.*

Obj. 3. ex Auguſtino Epiſt. 54. alias 118. ad Januar. *Peccata, ſi tanta non ſunt, ut excommunicandus quiſquam homo judicetur, non ſe debet a quotidiana medicina Dominici corporis ſeparare:* atqui pauca ſunt lethalia peccata propter quæ homo excommunicandus judicetur; ergo ſaltem ob alia plura non erit a communione ſeparandus.

R. 1. verba hæc non eſſe Auguſtini, ſed alicujus apud eum de frequenti communione cum alio diſputantis; quem expreſſe quidem non improbat, ſed nec expreſſe approbat S. Doctor. Dato autem quod approbet non improbando,

R. 2. neg. min. ad ſenſum Auguſtini: loquitur enim S. Doctor vel de ea excommunicationis ſpecie, quæ ſubinde *minor* dicta eſt; hæc autem propter culpas etiam ſatis leves, licet non ob quaſcumque hujus ſpeciei incurrebatur; vel de excommunicatione, ideſt de ſeparatione ab altari poſt Confeſſionem præcepta ab Antiſtite; itaut ſenſus ſit: Communicet quotidie, quem Epiſcopus non judicaverit tam graviter deliquiſſe, ut & a divinis arceri, & pœnitentiæ publicæ addici mereatur. Ita Vaſques diſp. 207. cap. 1. nu. 15. & 16. Quod autem Auguſtinus mortiferum peccatum habuerit ut obicem communioni, aperte declarant hæc ejus verba Tract. 26. in Joan. nu. 11. *Videte ergo, fratres, panem cœleſtem ſpiritaliter manducate: innocentiam ad altare apportate. Peccata .... non ſint mortifera,* &c. & num. 13. *Qui vult vivere* per Euchariſtiam, *non ſit putre membrum quod reſecari mereatur, non ſit diſtortum de quo erubeſcatur: ſit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum,* &c.

Obj. 4. ex Auguſtino Lib. 2. de lib. arb. cap. 19. Maximis bonis nemo male uti poteſt: atqui Euchariſtia bonum eſt maximum; ergo ea nemo male uti poteſt; ergo iterum nemo eadem utendo peccat.

R. cum S. Thoma ibid. ad 3. *quod per maxima bona intelligit Auguſtinus virtutes animæ, quibus nullus male utitur quaſi principiis mali uſus: Utitur tamen eis aliquis male quaſi objectis mali uſus: ut patet in his qui de virtutibus ſuperbiunt: Ita & hoc Sacramentum quantum eſt ex ſe, non eſt principium mali uſus, ſed objectum.* Unde Auguſtinus Tract. 72. in Joan. *Multum intereſt non quid accipiat, ſed quis accipiat, nec quale ſit quod datur, ſed qualis ſit ipſe cui datur. Nam & bona obſunt, & mala proſunt, ſicut fuerint quibus dantur .... Quid ergo miraris, ſi datus eſt Judæ panis Chriſti, per quem,* ut objectum mali uſus, *manciparetur diabolo; cum videas e contrario datum Paulo Angelum diaboli, per quem perficeretur in Chriſto.*

Obj. 5. Contingit quandoque ut peccator peccati ſui conſcientiam non habeat: atqui non peccat is ſumendo corpus Chriſti. Alioquin nemini non periculoſum eſſet ad Euchariſtiam accedere; quia nemo eſt qui non vereri debeat etiam poſt accuratum examen, ne quid adhuc in corde ſuo lateat mali, ſecundum id I. Corint. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non*

Digitized by Google

in hoc juſtificatus ſum; ergo non peccat neceſſario, qui in ſtatu peccati ad Euchariſtiam accedit.

R. bifariam fieri ut quis peccati conſcientiam non habeat, 1. ex ejus culpa, *vel quia per ignorantiam juris, quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum, quod eſt peccatum*, ut ſi quis fornicationem ſimplicem pro levi aut nullo peccato habeat: *Vel quia negligens eſt in examinatione ſui ipſius ...... Et ſic nihilominus peccat peccator* ille *ſumens corpus Chriſti; quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum. Alio modo poteſt contingere ſine culpa ipſius; puta cum doluit de peccato, ſed non eſt ſufficienter contritus: & in tali caſu non peccat ſumendo corpus Chriſti: quia homo per certitudinem ſcire non poteſt utrum ſit vere contritus: ſufficit enim, ſi in ſe ſigna contritionis inveniat; puta ſi doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris*. Ita S. Thomas ibid. ad 5.

Conclusio II. Indigna Euchariſtiæ ſuſceptio eſt quidem ſacrilegium grave, non tamen ceteris quibuſcumque peccatis gravius.

Prob. 1. pars, non de gravitate, quæ conſtat ex dictis, ſed de ratione ſacrilegii, quia ſicut Chriſti adoratio ad religionem ſpectat, ita & veneratio Sacramenti hujus in quo Chriſtus continetur: atqui peccatum contra religionem pertinet ad ſacrilegium; ergo. Unde S. Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtochium: *Ebrietati*, inquit, *ſacrilegium copulantes, ajunt: Abſit, ut ego me a ſanguine Domini abſtineam*.

Prob. 2. pars: quia *dupliciter peccatum aliquod poteſt dici gravius alio: uno modo per ſe; alio modo per accidens: per ſe quidem ſecundum rationem ſuæ ſpeciei, quæ attenditur ex parte objecti*, & virtutis quæ per peccatum læditur: *& ſecundum hoc, quanto id contra quod peccatur eſt majus, tanto peccatum eſt gravius: Et quia divinitas Chriſti eſt major humanitate ipſius; & ipſa humanitas eſt potior, quam Sacramenta humanitatis, inde eſt quod graviſſima peccata ſunt, quæ committuntur in ipſam divinitatem, ſicut eſt peccatum* odii Dei, *infidelitatis*, deſperationis *& blaſphemiæ: ſecundario autem ſunt gravia peccata quæ committuntur in humanitatem Chriſti: unde & Matth. 12. dicitur:* Qui dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: Qui autem dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. *Tertio autem loco ſunt peccata quæ committuntur contra Sacramenta quæ pertinent ad humanitatem Chriſti: & poſt hæc ſunt alia peccata* contra puras creaturas. *Per accidens autem unum peccatum eſt gravius alio ex parte peccantis; puta peccatum quod eſt ex ignorantia, vel infirmitate, eſt levius peccato quod eſt ex contemptu vel ex certa ſcientia*, &c. *Et ſecundum hoc, iſtud peccatum in quibuſdam poteſt eſſe gravius; ſicut in his qui ex actuali contemptu cum conſcientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt: in quibuſdam vero minus grave; puta in his qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conſcientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt. Sic ergo patet quod hoc peccatum eſt multis aliis gravius ſecundum ſuam ſpeciem, non tamen eſt omnium graviſſimum*.

Et vero *qui projiceret hoc Sacramentum in lutum, vel canibus ad manducandum, multo gravius peccaret, quam qui cum conſcientia peccati mortalis ad hoc Sacramentum accedit: quia ille faceret ex intentione injuriam faciendi huic Sacramento: quod non intendit peccator indigne corpus Chriſti accipiens*.

Quapropter cum *peccatum indigne ſumentium hoc Sacramentum comparatur*

Digitized by Google

tur peccato occidentium Chriſtum, id fit *ſecundum ſimilitudinem* (*quia utrumque committitur contra corpus Chriſti*) *non tamen ſecundum criminis qualitatem. Peccatum enim occidentium Chriſtum fuit multo gravius: 1. quidem, quia illud peccatum fuit contra corpus Chriſti in ſpecie propria: hoc autem peccatum eſt contra corpus Chriſti in ſpecie Sacramenti; 2. quia illud peccatum proceſſit ex intentione nocendi Chriſto: non autem hoc* indignæ communionis *peccatum*. Ita S. Thomas cit. q. 80. art. 5. cujus doctrinæ, etſi mihi in pluribus difficilis videtur, adhærendum puto, quia ei doctiores quique adhæreant, ut Suares hic diſp. 66. ſect. 2. Vaſques ubi ſupra, Silvius, &c.

Addunt iidem peccatum homicidii, & adulterii, graviora eſſe poſſe peccato indignæ communionis. Hæc enim, licet injurioſa Chriſto, nullum ei reipſa nocumentum infert; illa damnum pariunt irreparabile.

Duo hic ſuperſunt dubia, 1. an ſemper gravius peccet qui cum majoribus peccatis communicat, quam qui cum levioribus; 2. uter in hujus Sacramenti receptione gravius peccet, an fidelis peccator, an infidelis, vel hæreticus.

R. ad 1. cum S. Thoma ibid. ad 2. *tanto magis* peccare indigne communicantem, *quanto peccata ejus ſunt graviora. Secundum quid tamen peccatum fornicationis, magis reddit hominem ineptum ad perceptionem hujus Sacramenti; in quantum ſcilicet per hoc peccatum ſpiritus carni maxime ſubjicitur*. Idem dicendum de aliis contra caſtitatem criminibus. Unde & Paſchaſius Lib. de hoc Sacramento, docet luxurioſis pericoloſius eſſe ad ſacram ſynaxim accedere, quam peccatoribus aliis: *Quod*, ait Suares ibid. *verum exiſtimo, propter majus periculum incidendi in pravam ac deteſtabilem conſuetudinem, & paulatim contemnendi*.

Ex quibus obiter colligo contra Vaſquem eadem diſp. 207. cap. 1. num. 11. eum qui cum multis gravibuſque peccatis ad Euchariſtiam acceſſit, teneri ad circumſtantiam hanc notabiliter aggravantem in confeſſione declarandam, ſaltem in genere; imo & aliquatenus in ſpecie. Unde ſi in generali confeſſione oblitus ſit ſacrilegæ communionis, non dicet tantum ſe in ſtatu lethalis peccati ad Euchariſtiam acceſſiſſe; ſed dicet acceſſiſſe ſe multiplici irretitum peccato, ut luxuriæ, ebrietatis, injuſtitiæ. Sic enim, & non aliter, ſacrilegii ab eodem commiſſi gravitas intelligetur.

R. ad 2. cum S. Thoma ibid. *Peccatum infidelitatis, quod funditus ſeparat hominem ab Eccleſiæ unitate, ſimpliciter loquendo, maxime hominem ineptum reddit ad ſuſceptionem hujus Sacramenti, quod eſt Sacramentum Eccleſiaſticæ unitatis. Unde & gravius peccat infidelis accipiens hoc Sacramentum, quam fidelis peccator, & magis contemnit Chriſtum, ſecundum quod eſt ſub hoc Sacramento: quia quantum eſt in ſe diminuit ſanctitatem hujus Sacramenti, & virtutem Chriſti operantis in hoc Sacramento; quod eſt contemnere Sacramentum in ſe ipſo: fidelis autem qui cum conſcientia peccati ſumit, contemnit hoc Sacramentum, non in ipſo, ſed quantum ad uſum, indigne accipiens. Unde & Apoſtolus I. Cor. 11. aſſignans rationem hujus peccati, dicit*, Non dijudicans corpus Domini, *idest non diſcernens ipſum ab aliis cibis: quod maxime facit ille qui non credit Chriſtum eſſe ſub hoc Sacramento*.

Hæc tamen moraliter accipienda ſunt, & ex genere ſuo. Siquidem

 in

in individuo fieri poteſt, ut tanta ſit & multitudo & acerbitas peccatorum hominis fidelis, ut ſimpliciter indignior ſit quam infidelis. Ita Suares ibid.

CAPUT SEPTIMUM.

De proprietatibus Euchariſtiæ.

EUchariſtiæ proprietates, aliæ Sacramentum ipſum reſpiciunt, aliæ Fideles quorum in gratiam Sacramentum inſtitutum eſt. Priores iis demptis de quibus paſſim diximus, potiſſimum vero Cap. 1. ſub finem, ſpectant Chriſti in Euchariſtia permanentiam, & exteriorem, qui in Eccleſia Romana eidem defertur, cultum. Poſteriores ſunt Sacramenti hujus neceſſitas, cui & ejuſdem effectus jungi poſſent, niſi moris eſſet ut de iis in ſpeciali capite ageretur. De his ſigillatim dicendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De permanentia & cultu corporis Chriſti in Euchariſtia.

QUæſtio primum hic agitanda, in eo eſt, an corpus Chriſti ſit aliquid in Euchariſtia permanens, annon totum Euchariſtiæ Sacramentum ſit res mere tranſitoria.

Duplex porro eſt ea de re ſententia: prima Calvinianorum & Lutheranorum; ſecunda Catholicorum. Calviniſtæ & Lutherani contendunt Euchariſtiæ Sacramentum eſſe actionem mere tranſitoriam, quæ in ſolo ſignorum uſu, ſeu in ſola panis & vini ſumptione conſiſtat, ſive ſub iis ſumatur ipſum Chriſti corpus, ut volunt Lutherani; ſeu idem corpus nonniſi per fidem apprehendatur, ut placet Calvinianis.

Primus omnium opinionem hanc invexit Martinus Bucerus, qui a Luthero primum nova multa edoctus, hanc mutua vice Luthero novitatem an. 1536. perſuaſit, corpus Domini non eſſe in Euchariſtia niſi dum ſumitur. Idem erroris portentum Secta tota lubenter amplexa eſt, quod hinc adorationem Euchariſtiæ, & alia quædam Catholici Ritus capita ſubverti conſpiceret.

Neque tamen ſi idem apud omnes error fuit, fuit & idem ubique gradus erroris. Calvinus enim, P. Martyr & Illyricus ſubſiſtentiam Sacramenti adeo quantum ad tempus coarctant, ut panem & vinum, eo tantum inſtanti quo comeduntur & bibuntur, Sacramenti rationem habere velint; ſicut aqua Baptiſmi tunc duntaxat Sacramentum eſt, cum abluit: unde negant manere Sacramentum, ſi ad ægrotos deferatur. Kemnitius vero 2. part. Exam. cap. 3. & 6. ut a Patrum teſtimoniis ſe ſe expediat, docet manere Sacramentum in tota Cœnæ actione, ſeu dum panis benedicitur, frangitur, diſtribuitur, & ex ipſa cœna immediate defertur ad ægrotos vel abſentes, ut comedant, non ut ſervent. Quin & eo etiam progreſſi

greſſi ſunt aliqui, ut Euchariſtiam propter ægrotos toto triduo ſervari poſſe crederent. Sed profecto, ait Bellarminus hic Lib. 4. cap. 1. qui triduum concedunt, mirum etiam eſt cur quatriduum & octiduum, & eadem ratione menſem vel annum non concedant. Sit

Conclusio I. Sacramentum Euchariſtiæ eſt aliquid extra uſum permanens.

Prob. 1. quia ſtatim ut Chriſtus protulit verba: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*, corpus ejus fuit in Euchariſtia vere præſens: atqui verba hæc ante uſum protulit Chriſtus. Minor patet, quia prius fuit Sacramentum eſſe, quam Diſcipulis porrigi. Prob. itaque maj. tum quia verba Chriſti ſtatim ut pronuntiata ſunt, vera fuere; tum quia dum accedit verbum ad elementum, fit Sacramentum, ut docet Eccleſia tota cum Auguſtino, Tract. 80. in Joan. ergo. Jam vero ſi per minuta duo ſtetit Euchariſtia ante uſum, dicant Adverſarii, cur ſtare non poſſit per tria & quatuor: rurſuſque ſi per hæc, quidni per plura?

Reſpondent Calvinus, Kemnitius & alii, Chriſtum de pane dum jam in uſu eſſet, ſeu dum actu ſumeretur, locutum fuiſſe: quod & ſuadere poſſit id Matth. 26. *Accepit Jeſus panem & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis & ait: Accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum.*

Refelluntur. Siquidem Matth. 26. invitantur Diſcipuli ad bibendum, quia eſt ſanguis; ut indicat particula cauſalis *enim: Bibite: hic eſt* ENIM *ſanguis meus;* ergo ratio bibendi fuit ipſa vini in ſanguinem converſio; ergo prius fuit ſanguis, quam biberetur. Quod autem Evangeliſtæ aliqui ordinem hunc in narratione non ſemper ſervaverint, nihil ad rem facit, quia ex aliis indubie conſtat panem antea conſecratum fuiſſe, quam Diſcipulis porrigeretur. Sed de his adi Bellarminum ubi ſupra fuſe diſſerentem.

Prob. 2. ea incunctanter doctrina admitti debet, quæ jam ab Eccleſiæ initio ubique Gentium admiſſa eſt: atqui talis eſt doctrina quæ Euchariſtiam habet pro Sacramento permanente. Prob. min. 1. quia, teſte in Apolog. 2. Juſtino, poſt peracta ſacra *Diaconi ad abſentes* ſacra myſteria deferebant; 2. quia moris primævi fuit ut magnarum Sedium Epiſcopi, alii ad alios Euchariſtiam in ſignum Communionis mitterent, itaut eam ad Aſiaticos Præſules tranſmitterent Pontifices Romani, prout de Aniceto erga Polycarpum teſtatur S. Irenæus in Epiſtola ad Victorem Papam, apud Euſeb. Lib. 5. cap. 24. quod Paſchali tempore, ubi omnibus ad ſynaxim accedendum erat, fieri vetuit Laodicena Synodus Can. 14. his verbis: *Ne ſancta inſtar Eulogiarum, in Feſto Paſchæ, in alias Parœcias tranſmittantur;* 3. quia etiam in uſu fuit, ut, ne, imminente a tyrannis morte, ſacrum illud munimen deeſſet Fidelibus, hi ſecum ſacra dona domum aſportarent, & privatim ſumerent, ſecundum id tum Tertulliani: *Non ſciet maritus quid in occulto ante omnem cibum guſtes;* tum Cypriani *Lib. 2. ad uxor. c. 5.* Serm. de lapſis: *Mulier quædam, cum arcam ſuam, in qua ſanctum Domini fuerat, indignis manibus tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt.* 4. ſolebat etiam Euchariſtia in gratiam infirmorum recondi, ne forte viatico neceſſario reficerentur. Patet id ex facto Serapionis, ad quem in extremis agentem Presbyter ipſe ægrotans, Euchariſtiam miſit per puerum, uti narrat Dionyſius Alexandrinus apud Euſeb. Lib. 6. Hiſtor.

cap. 44. 5. Diaconi abſente Presbytero ſanis & infirmis Euchariſtiam dabant; ergo reſervatam, cum nunquam ipſis conſecrare licitum fuerit. Antecedens patet ex Can. 14. alias 18. vel 20. Nicæni Concilii apud Ruffinum Lib. 10. Hiſtor. c. 6. idem liquet ex Can. 13. ubi *de his qui ad vitæ exitum vergunt*, *lex antiqua* ſervari jubetur, *ut ſi quis egreditur e corpore*, *ultimo & maxime neceſſario viatico minime privetur*: atqui, ut bene arguit Bellarminus, non potuit Euchariſtia hic & nunc pro iis omnibus qui ad vitæ exitum vergerent, conſecrari; ergo hanc in omnem eventum paratam ſemper & reſervatam eſſe oportuit; 6. iter facientes Euchariſtiam ſecum deferebant; unde & eam collo ſuo, inſtante naufragio, appendit Satyrus, ſeque, eo fretus auxilio, in mare projecit, & evaſit incolumis; prout de eodem Satyro fratre ſuo narrat Ambroſius in Orat. de ipſius obitu, cap. 7. Quod autem regerit Petrus Martyr, excuſari non poſſe Ambroſium, quia factum illud Satyri laudaverit; merito reſpondet Bellarminus, ad defenſionem Ambroſii ſatis eſſe quod ſit Ambroſius, ſicut ad probrum Petri Martyris ſatis eſt quod ſit infelix apoſtata; 7. Euchariſtiam Quadrageſimæ tempore e Dominica in ſingulos hebdomadis dies ad Sabbatum uſque reſervabant Orientales, ut ex præſanctificatis communio fieret; prout apud Latinos fit feria ſexta majoris hebdomadæ: atqui ritus ille antiquus, qui Can. 52. Synodi Trullanæ præcipitur, ſupponit Euchariſtiam omni ævo pro re permanenti habitam fuiſſe; ergo. 8. Hieronymus Epiſt. ad Ruſticum laudat S. Exuperium Tholoſanum Antiſtitem, quod ex voluntaria paupertate corpus Chriſti in caniſtro deferre cogeretur; ergo ſtat Chriſti corpus independenter ab uſu.

Sed ut quid congerimus plura? Audiatur Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 39. *Sed enim*, ait, *qui ſic faciunt*, *habent veteris Eccleſiæ exemplum*. *Fateor*, jam vero, quidquid garriat Novator, tutius eſt veritatem in veteri Eccleſia inquirere, quam in Scriniis Pſeudoreformatorum; unde tot abſurda eruperunt; ergo.

Obj. 1. cum Calvino ibid. §. 37. Ut Euchariſtia non ſit Sacramentum niſi in uſu, ſufficit ut inſtitutionis verba non verificentur niſi in uſu: atqui verba iſthæc: *Hoc eſt*, &c. *Hic eſt*, &c. non verificantur niſi in uſu. Chriſtus enim præceptum uſus ſeu manducationis conjunxit cum promiſſione præſentiæ ſuæ. *Accipite & manducate*, en præceptum uſus: *Hoc eſt corpus meum*, en promiſſionem præſentiæ ſacramentalis: atqui ubi una quæpiam res non promittitur niſi ſub conditione alterius, ibi ſublata conditione res ipſa tollitur; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. ant. pro ſecunda parte. Chriſtus enim non promiſit ſe præſentem futurum, ſi manducaretur; ſed præaſſerta jam præſentia ſua voluit manducari.

Confirm. 1. quia promiſſiones per tempus futurum exprimi ſolent, ut Marci ult. *Qui crediderit*, *& baptizatus fuerit*, *ſalvus erit*: porro in verbis, *Hoc eſt*, &c. *Hic eſt*, &c. nihil occurrit quod futurum deſignet; 2. quia alioqui Fideles non acciperent corpus Chriſti, imo nec manducarent, ſed tandem manducatum haberent in ſe; quia prius eſt impleri conditiones promiſſionis, quam haberi effectum ejus: ſic prius eſt hominem ablui in Baptiſmo, quam a peccatis mundari: atqui abſurdum & inauditum conſequens; 3. quia tota Traditio Chriſtum in altari eſſe

ante-

Digitized by Google

antequam ſumatur, agnovit; unde & Auguſtinus air Chriſtum in manibus corpus ſuum portaſſe; ergo Calvini commentum omni ex parte labaſcit. Vide Bellarm. L. 4. c. 2.

Obj. 2. Sacramenta non ſunt niſi ſecundum inſtitutionem Domini: atqui juſſit quidem Dominus Euchariſtiam diſtribui & manducari, non autem ſervari in pixide; ergo erit quidem Euchariſtia in uſu, ſed non ultra.

Et vero, ut bene Melanchton, Sacramenta reliqua in uſu poſita ſunt; ergo & Euchariſtia.

R. ad 1. 1. neg. maj. in ſenſu Adverſariorum: eorum enim mens eſt, Sacramenta in id ſolum aſſumi poſſe, quod Dominus expreſse deſignavit: id autem falſum eſt: quia Chriſtus quædam expreſſe ſignificando, non alia quæcumque excluſit, & multo minus ea, quæ ex conſtanti ſæculorum omnium Traditione conſtat ab eo non fuiſſe excluſa.

2. neg. min. Chriſtus enim Euchariſtiam in uſum fidelium omnium inſtituendo, hanc præcipua quadam intentione inſtituit in eorum uſus, qui plus ea indigerent, quales ſunt infirmi in ultimo agone contra hoſtis inſidias muniendi: atqui ad hoc neceſse fuit illam aſſervari poſse; ergo.

Ad confirmat. neg. conſeq. in iis quæ ex inſtituentis arbitrio pendent, non fictitiæ rerum paritates requiri debent, ſed auctoris voluntas; quæ certe in præſenti negotio tam aperta eſt quam juſta.

Obj. 3. cum Kemnitio, ut ex antiqua Traditione nihil circa præſens punctum definiri poſſit, duo ſufficiunt, 1. ut Patres qui a nobis ſtant, errare potuerint; 2. ut præſumi debeant erraſſe de facto: atqui 1. errare potuerunt, ut ii dubio procul errabant, qui Cypriano teſte, aqua ſola ad conſecrationem utebantur; 2. præſumi debent erraſſe de facto. Quorum enim opinio & a variis Patribus ejuſdem ævi damnata eſt, & poſtmodum in pluribus Conciliis reprobata, ii merito præſumuntur erraſse: ut a pari arguimus in negotio Millenariorum: atqui 1. Patrum qui a nobis ſtant opinio damnata eſt ab aliis Patribus. Sic Clemens Romanus Ep. 2. præcipit, *ut tanta duntaxat in altari holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debent: quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſerventur, ſed cum timore ac tremore, Clericorum diligentia conſumantur*. Sic Origenes Homil. 5. in cap. 17. Levit. *Dominus*, inquit, *panem quem Diſcipulis dabat, non diſtulit, nec differri juſſit in craſtinum*. Sic Iſichius, Presbyter Jeroſolymitanus, qui ſæculo V. floruit, Lib. 2. in Levit. c. 8. morem eſse ait, ut id quod ex Euchariſtia ſupereſt comburatur; 2. eadem opinio pluribus in Conciliis demum reprobata eſt, ut Toletano I. Can. 14. & Cæſarauguſtano Can. 3. ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 1. 2. longa eſt diſparitas inter aquæ uſum a Cypriano impugnatum, & Euchariſtiæ aſservationem. Aqua nimirum vini loco a Sacerdotibus perpaucis, iiſque admodum ſimplicibus, in calicis materiam uſurpata eſt. At vero Euchariſtiæ aſservandæ conſuetudo, nec apud paucos, ſed ubique Gentium, nec pauco tempore, ſed omni ævo cuſtodita eſt, & ab ipſo Nicæno Concilio generali confirmata.

Ad 2. 2. neg. ant. & min. ac dico ne unum quidem in tota retro anti-

Kk 4 quita-

quitate eſſe Scriptorem, qui nobis adverſetur. Neque enim nocet 1. Clemens Romanus, tum quia ejus non ſit quæ objicitur Epiſtola, ut jam receptum eſt apud eruditos, & ſcite, ſed petulanter contra Turrianum demonſtravit Blondellus; tum quia Pſeudoclemens vetat quidem ne plus, quam præſentibus & abſentibus neceſſe ſit, conſecrati panis in craſtinum reſervetur, ſed non vetat abſolute ne reſervetur, quantum neceſſe fuerit. Unde ibidem ait: Miniſtri *cum timore & tremore reliquias fragmentorum corporis Dominici cuſtodire debent, ne qua putredo in ſacrario inveniatur, ne cum negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur injuria*: at quod timere erat putredinis periculum, ſi nihil ſervandum fuiſſet? quæ metuenda portioni Dominici corporis injuria, ſi quidquid ejus erat, cum timore & tremore conſumptum eſſet?

Non 2. Origenes; quia aliud eſt Dominum non præcepiſſe ut *in craſtinum* differretur panis, quem Diſcipulis dedit, aliud vetuiſſe ne differretur. Primum docet Origenes, de ſecundo ſilet. Ceterum totus eſt, pro more ſuo, eo loci Adamantius, ut allegorias conquirat, quibus probet placere Deo ſacrificium laudis recens ac novum, non vetus: hunc in finem utitur exemplis, tum Domini, qui panem a ſe conſecratum continuo manducari juſſit; tum Gabaonitarum, qui in Libro Joſue redarguuntur, quod panes veteres attuliſſent; ad quod etiam refert eum Evangelii locum, ubi Chriſtus panem in via deferri prohibet: ſicut ergo non negat Origenes, ab iis qui alioqui inedia conficerentur, panes deferri poſſe; ſic neque negat reſervari poſſe vivificum panem in eorum gratiam, qui alioqui eo privarentur.

Non 3. Iſichius, ſeu Heſychius: is enim id ſolum vult comburi, quod vel ob diuturnitatem temporis, vel alia de cauſa per manducationem conſumi non poteſt. Quo etiam ſenſu putridas ſpecies flammis abſumi præcepit Aurelianenſis Synodus apud Ivonem Carnotenſem part. 2. Decreti. Quod autem Heſychius idem nobiſcum ſentiat, aperte declarant hæc ejus verba: *Eſt locus ſanctus altare, ibi enim Sanctus Sanctorum requieſcit*.

Nihilo plus urget quod objicit Kemnitius, moris olim fuiſſe, ut ſuperſtites Sacramenti reliquiæ innocentibus pueris veſcendæ darentur; prout ſcribunt Evagrius Lib. 4. Hiſtor. cap. 35. Gregorius Turonenſis Lib. 1. de Gloria Martyrum, cap. 10. & Nicephorus Lib. 17. Hiſtor. cap. 25. quod & ſanxit an. 585. Concilium II. Matiſconenſe, Can. 6.

Hæc enim objectio nobis ex parte cedit in probationem; quia conſtat reliquias illas non ſtatim, ſaltem ubique, pueris poſt celebratam Miſſam traditas fuiſſe, ſed quatuor aut quinque poſtea diebus. Sic Canon Matiſconenſis: *Quæcumque*, inquit, *reliquiæ ſacrificiorum poſt peractam Miſſam in ſacrario ſuperſederint, quarta vel ſexta feria innocentes .... indicto eis jejunio .... conſperſas vino percipiant*. Adde id tantum pueris datum eſſe, quod ſuperabundare detegebatur; non autem omnes adeo particulas, ut earum nihil pro infirmis ſupereſſet; ergo nihil habet antiquitas tota quod Novatoribus opituletur.

Certe nihil iis proſunt Synodi Toletana & Cæſarauguſtana. Utraque enim ſancit ut Fideles in Eccleſia communicent, non autem, ut pro more antiquo Euchariſtiam domum aſportent; ne ſcilicet, ut a Concilio Lateranenſi

raunenſi IV. Can. 20. ediſcimus, aliqui tanto Sacramento ad ſcelus abuterentur: atqui & prohibitio hæc & ratio ejus Catholicam ſententiam mirifice confirmant. Si enim panis Euchariſticus extra uſum ſit merus panis, ut quid tantus ſacrilegii timor? ut quid tanta ad arcendam vel profanationis umbram ſollicitudo?

Ceterum mos Euchariſtiæ proprios in lares deferendæ, etſi in Hiſpaniis proſcriptus eſt ob Priſcillianiſtas, qui ea in magicis præſtigiis abuti deprehenſi ſunt, extra Hiſpaniam, quo ſe hæreſis illa non extenderat, diu perduravit, ut notat Cabaſs. in Notitia, ad ſæculum II. diſſert. 5. Et vero conſuetudinis hujus perſpicua extant monumenta apud Gregorium Mag. Lib. 3. Dialog. c. 6. ac proin ſæculo VI. apud Bedam Lib. 4. Hiſtor. cap. 26. ſæcul. VII. & ineunte VIII. apud Michaelem Studitam, ſæculo IX. imo & XII. in Actis vitæ Laurentii, Dublinenſis in Hibernia Epiſcopi, apud Baronium ad an. 57. num. 156. unde erravit doctiſs. Annaliſta, cum ibid. num. 152. morem hunc in Occidente ſub Hormiſda Papa defeciſſe ſcribit.

Merito igitur Tridentina Synodus Seſs. 13. c. 6. *Conſuetudo*, inquit, *aſſervandi in ſacrario ſanctam Euchariſtiam, adeo antiqua eſt, ut eam ſæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipſam ſacram Euchariſtiam ad infirmos, & in hunc uſum diligenter in Eccleſia conſervari, præterquam quod cum ſumma æquitate & ratione conjunctum eſt, tum multis in Conciliis*, puta Carthaginenſi IV. Can. 77. Agathenſi Can. 15. Ancyrano Can. 6. &c. *præceptum invenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more eſt obſervatum. Quare hæc ſancta Synodus retinendum omnino & ſalutarem hunc & neceſſarium morem ſtatuit.*

Ibid. cap. 5. *Declarat ſancta Synodus, pie & religioſe admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, ut ſingulis annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione ac ſolemnitate celebraretur, utque in proceſſionibus reverenter & honorifice illud per vias & loca publica circumferretur.* & Can. 6. *Si quis dixerit in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ, etiam externo, adorandum; atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus, ſecundum laudabilem & univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem, ſolemniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idololatras; anathema ſit.* Qui ritus ut mage magiſque vindicetur, ſit

CONCLUSIO II. Cultus Euchariſtiæ ab Eccleſia Catholica præſtitus nihil non habet pii & laudandi.

Prob. 1. Cultus ille duo importat, nimirum interiorem reverentiam, & ritus exteriores quibus ea declaretur: atqui neutro ex capite redarguendus venit, ſed magis laudandus.

Minor patet, 1. ex iis quæ jam dicta ſunt Cap. 1. ſub finem, p. 334. 2. quia, ut ait cit. cap. 5. Tridentina Synodus, *Æquiſſimum eſt ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies*, quibus *Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria & triumphus repræſentatur*; 3. quia ſic *oportuit victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu* *Id. ibid.*

tanti

Digitized by Google

tanti ſplendoris, *& in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti*, *vel debilitati & fracti tabeſcant*, *vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant*.

Prob. 2. Cultus exterior ab Eccleſia Catholica Chriſto ſub ſpeciebus exiſtenti præſtitus, in eo conſiſtit ut circumferatur in proceſſionibus, ut thure & luminibus honoretur, ut coram eo procumbant fideles, prout coram vivente eo procumbebant qui aliquid ab eo expectabant gratiæ: atqui nihil eſt in his omnibus quod jure culpari queat, nihil quod laude dignum non ſit. Si enim Deo acceptum fuerit Arcam fœderis ſolemniter circumferri, II. Reg. 6. & 7. & III. Reg. 8. quidni & ei acceptum ſit circumgeſtari Sacramentum, in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter. Si eadem Arca, ut Dei ſedes, ſpeciali quodam honore habita fuerit, quin & tanto, ut eam tangere, vel propius intueri non liceret; quidni coram Sacramento ſument *Sabæi vapores* & accedantur lumina? Certe lampadum in Eccleſiis uſum pene ab initio probavit Deus inſigni miraculo. Cum enim in die ſolemni vigiliarum Paſchæ Jeroſolymis deeſſet oleum luminaribus, Narciſſus ejuſdem urbis Antiſtes, aquam e puteo deferri juſſit, & a ſe benedictam infundi lampadibus; tumque, ait Euſebius Lib. 6. Hiſt. c. 7. *repente miro & ſæculis inaudito genere virtutis*, *natura aquæ in olei pinguedinem verſa*, *ſplendorem luminum etiam ſolito reddidit clariorem*: cui par miraculum refert S. Gregorius Lib. 1. Dialog. c. 5. ubi & Lib. 3. cap. 30. narrat, lampades immiſſo divinitus lumine accenſas fuiſſe. De quibus adi Tractatum de ritibus Eccleſiæ, auctore viro clariſſimo Joan. Stephano Duranti, Senatus Toloſani primo Præſide, Lib. 1. cap. 8. Quod de lampadum & cereorum uſu, idem de uſu thuris dicendum, qui ut loquitur idem pius juxta & eruditus Præſes ibid. c. 9. n. 10. a veteribus tantopere receptus eſt, quam ab hæreticis noſtri temporis inepte rejicitur. Et vero incenſi benedicendi formam exhibent veteres Liturgiæ Baſilii & Chryſoſtomi: idem habet Miſſale Neſtorianum; ubi *Sacerdos*... *adorat*... *& thure honorat myſteria*: neque in Oriente tantum thuris uſus erat, ſed & in Occidentali Eccleſia. *Utinam*, ait S. Ambroſius in Lucam cap. 1. *nobis adolentibus altaria aſſiſtat Angelus*. Plura in idem argumenta indicat Vvitaſſius Tom. 2. q. 5. art. 1.

Certe eo uſque recepta erat Chriſti in Euchariſtia adoratio, ut eam aſtruxerint Calvinianæ ſectæ parentes. *Nos*, inquit Joannes Hus Lib. de ſanguine Chriſti, *adoramus corpus Chriſti & ſanguinem in dextera Dei Patris exiſtentem*, *& in venerabili Sacramento*, *quod Sacerdotes conficiunt*. *Quicumque*, ait Rocquiſana, cap. 22. de Sacramentis, *non afficiuntur ad colendum venerandum Chriſti corpus in Sacramento*, *tales non ſunt de vera fide*. & cap. 15. *Patet error impie dicentium*, *quod corpus Chriſti vel Sacramentum ſolum ſit datum ad manducandum*, *& ſanguis in calice ſolum ad bibendum*, *& non ad adorandum*.

Objiciuntur quædam, & 1. adorationem Sacramenti novam eſſe, ut quæ ab Honorio III. inſtituta ſit; cui & ſolemniorem diei feſtæ ritum addidit Urbanus IV. an. 1264. 2. hujuſmodi ritus, qui ſine Dei mandato exercentur, Deo diſplicere, ut hinc patet quod cum filii Iſrael, bona quidem intentione; ſed proprio motu Arcam Dei circumgeſtaſſent; & adduxiſſent in caſtra, grandi ſtrage fuſi ſunt, nedum, ut ſperaverant, victoriam de hoſtibus referrent; 3. nihil ex uſu thuris aut lampadum

primis

primis Eccleſiæ ſæculis adhibito colligi poſſe; cum hæc non in Chriſti honorem uſurpata fuerint, ſed ob cauſas mere naturales, puta ut a ſubterraneis, ubi propter tyrannorum formidinem ſacra fieri neceſſe erat, tenebræ & fœtor abigerentur, prout e Catholicis bona fide agnovit Claudius le Vert; 4. uſum hunc cereorum pluries culpatum fuiſſe, ut a Lactantio Lib. 6. cap. 2. ab Hieronymo adverſus Vigilantium, ubi cereos coram Martyribus ab iis ſolum accendi ſcribit, qui zelum habent, ſed non ſecundum ſcientiam; demum, quod gravius eſt, a Concilio Illiberitano, Can. 34. ubi ſic: *Cereos per diem placuit in cœmeteriis non incendi: inquietandi enim non ſunt Sanctorum ſpiritus;* 5. eos qui contra Iconoclaſtas egerunt; ut Stephanus junior, Damaſcenus, &c. ex cultu Euchariſtiæ cultum imaginum probaſſe, quod non feciſſent, ſi tunc temporis Euchariſtia latriæ cultu adorata fuiſset. Ita Miniſter Claudius. At hæc nihil habent quod moveat. Unde

Ad 1. neg. ant. non enim inſtituit Honorius III. adorationem ſacroſanctæ illius carnis, quam nemo unquam manducavit, *niſi prius adoraverit*, ut docet Auguſtinus: ſed ſolum monuit Eccleſiæ Præſides ut operam darent, ne tantum Sacramentum debito honore privaretur. Quod autem ſubjungit, plebem frequenter docendam, *ut cum in celebratione Miſſarum elevatur hoſtia ſalutaris, ſe reverenter inclinet*, ſi forte novum quid præſcripſit quoad modum, non certe quoad ſubſtantiam. Sane in Liturgia Maronitarum clamat Diaconus poſt orationem Dominicam: *Inclinate capita veſtra coram Deo miſeratore .... & coram corpore & ſanguine Servatoris noſtri*, &c. *De celebrat Miſſar. c.10.*

Quod ſpectat ad Feſtum Corporis Chriſti, ejuſque ſolemnitatem, conſtat equidem hæc ab Urbano IV. inſtituta, & deinceps a Clemente V. & Concilio Viennenſi an. 1311. approbata eſſe. Verum inſtitutio hæc ſi reprehendi poteſt, vel ut analogiæ fidei contraria, vel quia nova præciſe, vel quia citra cauſam introducta: atqui nullo ex his titulo redarguenda venit. Non ex 1. cum exigat fides, Chriſtum ubicumque ſit præſens, honorari; prout fatentur nobiliores Calviniſtæ. Non ex 2. tum quia nulla Feſta carerent vitio, quia omnia, ne excepta Trinitatis ſolemnitate, aliquando nova fuere; tum quia penes Eccleſiam eſt, ut olim penes Synagogam fuit, Feſta indicere, ut alibi probavimus. Non ex 3. graves enim fuerunt, ut ex Tridentino vidimus, hujus inſtitutionis cauſæ; quibus & hanc addi oportet, quod cum Hæretici Sacramentum amoris Chriſti omni probrorum genere dehoneſtaverint, æquum eſt ut Catholici illud idem omni cultus ſpecie honorent. Ceterum etſi fatemur ſolemnem Corporis Chriſti circumgeſtationem prout nunc fit, recentis eſſe inſtituti, imo, ſi Juenino fides * poſteriorem tempore Urbani IV. qui de ea in Bulla *Tranſiturus*, non loquitur: conſtat tamen jam a S. Gregorii Magni ævo idem ſacrum Corpus ſolemniter translatum fuiſse, nimirum a templo in oratorium Epiſcopi, & hinc poſt aliquot dies in templum: qua de re inſigne miraculum refert Gregorius Turonenſis Lib. 1. de Gloria Martyr. c. 86. *Clement. unic. De reliq. &c.* *Tom. III.*

Ad 2. non cæſi ſunt Iſraelitæ ob Arcæ circumgeſtationem, ſed propter

* Juenin cap. 3. art. 4. §. 2. pag. mihi 318. Contra ſentit vir in his aliiſque materiis verſatiſſimus Jacobus Eveillon Tract. *De proceſſionibus Eccleſiaſticis*, cap. 25. p. 266. & ſeq.

per immania tum populi, tum vero præcipue Sacerdotum Ophni & Phinees peccata. Et vero Arca erat in caſtris, ſeu cum Saul inſignem victoriam retulit, I. Reg. 14. ſeu cum Joab filios Ammon debellavit, II. Reg. 11. Quin & cum Iſraelitæ Num. 14. ab Amalecitis devicti ſunt, monendum judicavit Scriptura non fuiſſe tunc Arcam Dei cum illis qui præliabantur.

Ad 3. thuris cereorumque uſus partim naturalibus cauſis, ſed & partim ſolemnitati originem ſuam debet. Unde inſigniter aberravit Claudius de Vert, qui in Eccleſiaſticis ritibus nihil non phyſici admiſit. Et vero, ut breviter ac nervoſe animadvertit R. P. le Brun, in Opere pluries a nobis citato, ſi thus non alio fine inſtitutum ſit, quam ut a ſynaxibus abigeretur fœtor, ut quid ſolemnis illa incenſi benedictio, quæ in antiquioribus SS. Jacobi & Chryſoſtomi Liturgiis perlegitur? Ut quid Pontifex ipſe altari thus adolebat? ut quid rarior primis tribus Eccleſiæ ſæculis, ſi quis tamen tunc, thuris uſus, etſi eo tunc plus indigerent Chriſtiani, qui tenebroſas magis latibula inquirere tenebantur? &c. Sed de his quæ fuſius proſequi per otium non licet, conſule Scriptorem mox citatum Tom. 1. p. 149. &c.

Le Brun Præfat. p. XXVI.

Ad 4. carpit Lactantius eos, qui Deo cereorum lumen offerebant, quaſi dator lucis luce indigeret, prout indigent terreni dii: hæc porro ſtoliditas, mali paganiſmi mala progenies, adeo evanuit, ut nulla ullibi ſuperſint ejus veſtigia. Idem Hieronymi ſenſus: invehitur nempe in eos, qui Martyres cereolis illuſtrari credebant, aut credere fingebantur a Vigilantio. Ceterum lumina coram Martyribus pie accendi approbat S. Doctor in Epiſt. ad Riparium: *Ergo*, ait ironice, *accenſi ante tumulos Martyrum cerei, idololatriæ inſignia ſunt*? Et ipſo contra Vigilantium Libro: *Abſque Martyrum reliquiis per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Evangelium, accenduntur luminaria jam ſole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.*

Ad Canonem Illiberitanum; notandum eo non prohiberi ne cerei intra Eccleſias incendantur, ſed ſolum ne incendantur in cœmeteriis, ubi tantum, tunc temporis, & diu poſt, fidelium corpora ſepelire licitum erat. Unde objectus Canon non cæremonias divini cultus interdicit; ſed necromantiæ impietatis præſtigias, quibus utebantur multi, & quæ ex ſchola Simonis Magi, & ipſius Diſcipulorum, Baſilidis nempe, Menandri, Saturnini prodierant. Hi ſcilicet ſacrilega curioſitate evocabant aut evocare nitebantur mortuos, ut ab iis quaſi ab oraculis abditiſſima quæque ſecreta, & ventura facta edifcerent, prout olim fecerat Saul, & qui non ita pridem Achillis manes evocaverat Apollonius Thianæus teſte Philoſtrato. Ideo autem *inquietandi* verbum uſurparunt Illiberitani Patres, quia Samuel, ejuſve effigies idem adhibuit verbum: *Quare inquietaſti me ut ſuſcitarer*: ſancti porro, ipſiſſimi ſunt fideles, quos utplurimum Sanctorum nomine deſignat Apoſtolus. Ex his autem quid, amabo, contra cereorum praxim colligi queat? Vide Cabaſſut. in prædictum Canonem.

Ad 5. Iconomachorum tempore triplex agitabatur quæſtio, 1. an puræ materiæ quæcumque ea foret, honos aliquis impendi poſſet; quod ob materiæ vilitatem negabant Iconoclaſtæ; 2. an, quod & hi quoque inſi-

cia-

ciabantur, admitti poſſet ſpecies aliqua cultus relativi; 3. an abſurdus foret cultus aliquis divino minor; quod & hi ut plurimum nolebant. Triplex illud erroris genus uno Euchariſtiæ exemplo revincebant Catholici, primum quidem, quia in ea honoratur Chriſti corpus, quod certe materia quædam eſt; & in hunc ſenſum loquitur Damaſcenus Orat. 1. & 2. de Imaginibus. Secundum, quia caro Chriſti in Sacramento non adoratur ſupremo cultu, niſi propter Verbum cui hypoſtatice conjuncta eſt, proinque cultu relativo. *Tametſi* enim, ait S. Athanaſius Epiſt. ad Adelphium, *caro ipſa per ſe ſit pars rerum creatarum, attamen Dei corpus effecta eſt: neque hujuſmodi corpus ſeorſum diſcriminatum a Verbo adoratione proſequimur*, ſed cum Verbo & propter Verbum. Tertium, quia ipſum Sacramentum, quatenus concipitur ut aliquid a corpore Chriſti diſtinctum, certo quodam infra latriam cultu affici poſſet, nimirum ad modum illius, quem Chriſti veſtimentis, ſi præſentia forent impenderemus.

Unde cum Cyrillus Neſtorium idololatriæ redarguit, quod Chriſti humanitatem adoraret, loquitur ad hominem, & argumentum deſumit ex impia hæretici illius opinione: qui enim Chriſtum pro mero homine habebat, non poterat eum cultu ſupremo venerari.

Quæres 1. an antiqua ſit praxis, quæ nunc tam frequens eſt, palam exponendi corporis Chriſti.

R. id videri incertum, quia non ſatis conſtat an Gregorii Turonenſis tempore palam circumferretur Sacramentum, an non in *turre* undecumque opaca. Cenſent non pauci expoſitionem Euchariſtiæ ut nunc fit, tunc tantum in uſu eſſe cœpiſſe, cum fabricari cœperunt Oſtenſoria, quæ a Colonienſi Concilio an. 1452. Monſtrantiæ, ab aliis Cuſtodiæ vocantur. Portatilia vero hæc tabernacula necdum quadringentos antiquitatis annos habere fatentur harum rerum periti. Ut ut eſt, expoſitio venerabilis Sacramenti nihil niſi pium & ſalubre habet; cum & qua talis ab Eccleſia approbata ſit, & pietatem inflammare idonea.

Quæres 2. an paſſim & pro nutu Sacramentum exponi poſſit.

R. negat. 1. enim requiritur gravis cauſa: unde S. Carolus Borrom. in Synodo Diœceſana XI. *Ne*, inquit, *quavis cauſa Euchariſtia palam & aperte exponatur, ſed publica tantum, eaque gravi: aliis vero de cauſis licebit orationem inſtituere, ſed non Sacramento aperte expoſito*. Idem ſancitum eſt tum in Synodo Mechlinienſi an. 1570. *ne* ſcilicet *nimia frequentia minuat reverentiam;* tum a Clero Gallicano annis 1625. & 1635. ubi publica cauſa ad expoſitionem illam requiritur. Eſt autem publica cauſa quæ ad bonum publicum conducit, puta Religionis.

2. requiritur expreſſa Diœceſani Epiſcopi facultas: ita nec ſemel ſanxerunt tum in Ritualibus libris, tum & in Comitiis generalibus Gallicani Præſules, quorum placitis Ludovicus Magnus, ut Eccleſiaſticarum Conſtitutionum defenſor, robur additurus, ſuo an. 1665. decreto vetuit ne Sacerdotes ſeu ſæculares, ſeu regulares ineant contractus fundationum, quibus ſtatis diebus SS. Sacramentum exponere teneantur, niſi pro cauſa publica, eaque ab Epiſcopo approbata.

Quæres 3. an ad eſtinguenda incendia, turbineſve avertendos corpus Chriſti deportare liceat.

R. id

R. id prorſus illicitum eſſe, 1. quia id prohibuere ſapientiſſimi quique Antiſtites. Sic S. Carolus Borrom. in Concilio Mediolanenſi III. *Cum*, inquit, *nimbi, procella, turbines aut grandines impendent, ne Sacerdos ad tempeſtatis procellam arcendam vaſculum adhibeat, in quo SS. Euchariſtiæ Sacramentum aſſervatur: ſed tabernaculum, ubi illud in altari reconditur, patefaciat; tumque in ejus conſpectu Litanias, aliaſque religioſas preces, ejus rei cauſa inſtitutas, pie ſanctéque pronuntiet*. Idem quoad incendia, ſed gravius, nimirum ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ prohibetur Pariſiis; 2. quia licet nonnunquam ad Euchariſtiæ præſentiam extincta ſint incendia, cujus rei exempla duo refert Merbeſius, contigit tamen aliquando, & rurſus contingere poteſt, ut non extinguantur: tunc autem deperit aliquid pietati, non in hæreticis tantum & perditis hominibus, ſed & in mulierculis, aliiſque id genus, qui de rerum ſanctitate, non ab intrinſeco, ſed ex eventu judicant; 3. quia fieri nequit in tumultu incendiis annexo ut debitus tanto Sacramento honos impendatur; 4. quia, ut bene advertit Jueninus, quem hic libenter ſequimur, periculum eſt ne Euchariſtiæ ad incendia vel contra procellas deportatio, quamdam Dei tentationem invehat: quode conſule principia ſancti Thomæ 2. 2. quæſt. 97. artic. 1.

ARTICULUS SECUNDUS.

De neceſſitate Euchariſtiæ.

NEceſſarium illud eſt ſine quo finis obtineri non poteſt, vel abſolute, vel ſecundum quid, prout id quod ad finem conducit, vel abſolute neceſſarium eſt, vel ſecundum quid.

Præcipua neceſſarii diviſio eſt in neceſſarium neceſſitate medii, & neceſſarium neceſſitate præcepti. Neceſſarium neceſſitate medii illud eſt, quo etiam inculpabiliter omiſſo finis obtineri nequit: neceſſarium neceſſitate præcepti eſt illud ſine quo, ſi inculpabiliter deſit, finis obtineri poteſt. Neceſſarium neceſſitate præcepti, vel eſt neceſſarium neceſſitate præcepti divini, vel Eccleſiaſtici. His quæ alibi latius expoſita ſunt, (Tom. IV. p. 337.) præſuppoſitis, quæritur 1. an Euchariſtia neceſſaria ſit neceſſitate medii; 2. an neceſſaria ſit neceſſitate præcepti, & qualis; 3. quando & quoties; 4. quomodo neceſſaria ſit, an nimirum ſub utraque ſpecie. Prima quæſtio ſolos infantes, aut qui inſtar infantium ſint, reſpicit; ſecunda & tertia adultos duntaxat; quarta, niſi ſolveretur per primam, infantesque & adultos ſpectaret.

SECTIO PRIMA.

An Euchariſtia infantibus neceſſaria ſit.

COnſtat Euchariſtiam per plura ſæcula infantibus collatam fuiſſe: quæſtio eſt an ut abſolute neceſſaria collata fuerit, hodieque conferri debeat. Neque una eſt ea de re omnium opinio.

1. enim Novatores, imprimis vero Albertinus & Dallæus, qui Ec-

cle-

Digitized by Google

Eccleſiam hujus temporis veteri opponere amant, concordi cum aliis Sectæ ſuæ Scriptoribus ſententia aſſirmant, antiquis pene omnibus, ſed Auguſtino præſertim perſuaſum fuiſſe, realem Euchariſtiæ perceptionem ipſis etiam infantibus prorſus eſſe neceſſariam. Neque ab iis ſatis recedit Maldonatus, qui Commentario in cap. 6. Joan. p. 719. ſcribit opinionem neceſſitatis Euchariſtiæ per annos ſexcentos viguiſſe in Eccleſia. Idem tradiderat Cl. Sanctefius Repetit. 6. de veritate Euchariſtiæ cap. 7. ſed eo excuſandus, *quia cum ad Concilium* Trident. *veniſſet inter Theologos Regios paucis menſibus poſt emiſſa ea de re Concilii decreta, non potuit eorum ſenſum ſatis cognoſcere:* verba ſunt Pallavicini Lib. 17. Hiſtor. Trid. cap. 12.

2. docent Græci, non omnes quidem, nec *communiter*, ſed aliqui tantum, Euchariſtiam re ipſa perceptam, omnibus etiam parvulis medium eſſe ad ſalutem neceſſarium. Ita Simeon Theſſalonicenſis, Nicolaus Cabaſillas, Hieremias Patriarcha CP. & Philadelphienſis, apud Arcudium Lib. 3. de Sacram. Euchar. cap. 40. Qui vero præter iſtos labentis ævi Græcos *neceſſario exigant pro infantibus Sacramentum Euchariſtiæ*, prout tradit idem Arcudius, mihi non conſtat. Solus quem e Calvinianis conſuluerim Joannes VVollebius in compendio Theologiæ Chriſtianæ cap. 24. num. 18. *Baptiſmus*, inquit, *infantibus quoque, ſacra Cœna tantum adultis & probatis debetur*. *Arcud. p. 324.*

3. Catholici varias hic abeunt in partes; alii nempe Euchariſtiam, neque in re, neque in voto medium ad ſalutem neceſſarium eſſe cenſent: alii eamdem volunt neceſſariam eſſe in voto ſaltem implicito: & ita ſentit S. Thomas 3. part. q. 73. art. 3. & qu. 79. art. 1. ad 1. ſed quæ hic apparere poſſit varietas non tam in rebus eſt, quam in verbis: quod ut intelligatur,

Not. 1. Euchariſtiam recipi poſſe, vel in re, cum de facto recipiuntur ſacræ ſpecies; vel in voto, ſeu deſiderio; quæ vox, cum admodum æquivoca ſit, prius dividenda eſt, quam definienda. Itaque

Not. 2. votum aliud eſſe explicitum, quo directe & formaliter deſideratur receptio Sacramenti diſtincte cogniti; aliud implicitum, quo deſideratur in genere receptio rei omnis a Deo ad noſtram ſanctificationem inſtitutæ; ſeu, ut loquitur Contenſonius, quo res quæpiam deſideratur, non in ſe ipſa ut diſtincte cogitata, ſed in aliquo alio, quamdam cum illa connexionem habente. Porro utrumque iſtud voti genus, vel eſt perſonale, cum a perſona propriæ actionis capace elicitur; vel alienum, cum ab alio tanquam ſponſore elicitur pro iis, qui ejuſdem eliciendi capaces non ſunt. *Part. 2. differt. 2. cap. 1.*

His poſitis jam liquet Euchariſtiam ipſis etiam infantibus aliquo ſenſu, latiori tamen poſſe dici neceſſariam in voto. *Quod dicit* S. Thomas, ait Silvius hic qu. 73. art. 3. *in Baptiſmo includi votum Euchariſtiæ, de voto improprie & per accommodationem dicto eſt accipiendum; quatenus cum Euchariſtia ſit finis omnium Sacramentorum; omnis autem res inclinatione quadam, ſeu deſiderio propendeat in ſuum finem, is qui baptizatur, quaſi ipſo pondere & inclinatione gratiæ baptiſmalis, propendet in perfectam unionem cum Chriſto, quæ habetur per Euchariſtiam. Imo gratia baptiſmalis diſponit quodam modo baptizatum, ut ſuo tempore velit eam ſuſcipere: hæc autem diſpoſitio votum quoddam, ſeu deſiderium eſt illius ſuſcipiendæ; ſicut* *Pag. 288.*

acce-

acceptatio medii eſt quoddam [deſiderium] finis , & inchoatio rei alicujus eſt tacitus quidam appetitus conſummationis. Sit

CONCLUSIO. Nemini , ac proinde nec infantibus Euchariſtia neceſſaria eſt neceſſitate medii, ſeu in re, ſeu etiam in voto proprie dicto.

Prob. 1. pars. Si Euchariſtia infantibus in re ad ſalutem neceſſaria foret neceſſitate medii , infantes etiam ſuſcepto Baptiſmo morientes ab æterna beatitudine excluderentur: atqui tamen infantes illos a beatitudine non excludi conſtans eſt tum Scripturæ vox, tum & Traditionis. Et quidem 1. Scripturæ: Quibus enim nihil eſt damnationis, ii profecto a beatitudine non excluduntur: atqui infantibus, ubi ſemel abluti ſunt, nihil eſt damnationis. Patet utrumque ex Apoſtolo: Rom. 8. *Nihil ergo nunc* , inquit, *damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu:* porro ex eodem Galat. 3. 27. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*.

2. Traditionis: Infantes enim mox a Baptiſmo, citra aliud quidpiam , in cœlum recipi docent utriuſque Eccleſiæ Patres , quos quia jam plures adduximus in Tract. de Baptiſmo, e Græcis unum, unum & e Latinis , de quo ambigi utcumque poſſit, hic proferemus. Itaque S. Cyrillus Jeroſolymit. in Procatecheſi ſic habet : *Magnum eſt propoſitum hoc Baptiſma , captivorum liberatio , peccatorum remiſſio , animæ regeneratio* , REGNI COELESTIS CONCILIATIO , *adoptionis filiorum chariſma* , & Catech. 2. myſtagogica : *Nemo igitur exiſtimet , quod Baptiſma tantum remiſſionem peccatorum præſtet , ſed etiam quod gratiam filiorum adoptionis conciliet*. Auguſtinus vero , qui plus in præſenti, ut alibi pluries , negotii faceſſit , ſic habet Tom. 2. pag. 268. Epiſt. 98. alias 23. ad Bonifacium , num. 10. *Valebit parvulo Sacramentum* Baptiſmi , *ad ejus tutelam .... & tantum valebit , ut ſi ante rationis uſum ex hac vita migraverit , per ipſum Sacramentum .... ab illa condemnatione , quæ per unum hominem intravit in mundum , Chriſtiano adjutorio liberetur*, & Lib. 1. de peccat. meritis, &c. cap. 19. *Si parvulus percepto Baptiſmate de hac vita emigraverit , ſoluto reatu cui originaliter erat obnoxius , perficietur in illo lumine veritatis , quod incommunicabiliter manens in æternum juſtificatos præſentia creatoris illuminat* : atqui in his textibus & liberatio a reatu originis, & quæ ipſam conſequitur gloriæ participatio uni Baptiſmo tribuitur ; ergo.

Præceptori ſuo concinit S. Fulgentius ; is nempe a Ferrando Diacono interrogatus de ſalute juvenis cujuſdam Æthiopis, qui Baptiſmo tinctus ante deceſſerat , quam Euchariſtia reficeretur, multis Scripturæ textibus, ſimul & Auguſtini auctoritate ducta ex Sermone ejus ad infantes , probat adoleſcentem illum per Baptiſma membrum evaſiſſe Chriſti , adeoque & participem effectus Euchariſtiæ , & regni cœlorum conſortem .
Pag 227. En ipſius verba: *Arbitror , ſancte frater , diſputationem noſtram præclari Doctoris Auguſtini ſermone firmatam ; nec cuiquam eſſe aliquatenus ambigendum , tunc unumquemque Fidelium corporis , ſanguiniſque Dominici participem fieri , quando in Baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur , nec alienari ab eo panis caliciſque conſortio , etiamſi antequam panem illum comedat , & calicem bibat , de hoc ſæculo in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat*. Qui textus eo gravioris eſt momenti, quod & theſim noſtram continet , & petitas ex Auguſtino difficultates elevat, ut infra videbimus.

Prob. 2. ratione multiplici: I. nemo eſt qui credat Eunuchum Canda-

cis

Digitized by Google

cis Reginæ, de quo Act. 8. non fuiſſe a Philippo ad procurandam ejus ſalutem ſpecialiter miſſo, iis omnibus donatum, quæ ad vitam æternam requiruntur: atqui Eunucho Baptiſmum quidem contulit Eunuchus, ſed non Euchariſtiam, quam tamen apud ſuos haud facile recepturus erat; ergo.

II. nuſquam dubitavit Eccleſia quominus ſalutem conſecuti ſint, qui cum perfecto Baptiſmi voto extremam diem clauſerant; prout tradunt Ambroſius Orat. de obitu Valentiniani junioris, Auguſtinus Lib. 4. de Bapt. c. 22. Innocentius III. c. 2. *De Presbytero non baptizato*, & abunde probat ubique recepta Baptiſmi diviſio, in eum qui flaminis, qui aquæ, qui ſanguinis eſt: atqui tamen Catechumeni illi Euchariſtiam nec perceperant re, nec percipere potuerant.

III. ſi judicaſset Eccleſia Euchariſtiam medium eſse ad ſalutem omnino neceſsarium, nec morem ejus cum Baptiſmo tradendæ immutaſset, nec adminiſtrationem illius tam caute Presbyteris, & ad ſummum Diaconibus reſervaſset: quin & laicis ipſis, imo & mulieribus, eamdem, non ſecus ac Baptiſmum in caſu neceſſitatis conferre permiſiſset: atqui nihil horum fecit, ſed contrarium, ut norunt omnes; ergo.

Prob. 3. ſi Euchariſtia infantibus abſolute neceſsaria ſit, vel ad conferendam eiſdem primam gratiam, eam nempe quæ de non juſtis aut injuſtis juſtos facit, vel hanc conſervandam: Quod enim gratiam tantum auget, non eſt ſimpliciter neceſsarium ad ſalutem. Atqui Euchariſtia neque neceſsaria eſt ut prima baptizatis infantibus gratia conferatur; cum hæc ipſis jam indita ſit *per lavacrum regenerationis in verbo vitæ*, ut loquitur Apoſtolus ad Titum cap. 3. neque etiam ut in iis conſervetur juſtitia; cum ab ea, donec infantes ſunt, excidere non poſſint; ergo.

Prob. 2. pars. Ut Sacramentum ſit proprie neceſsarium in voto, oportet ut vel illud idem in re ſuſceptum per ſe præciſe conferat media ad ſalutem neceſsaria; vel ut quidquid eadem media confert, hæc non conferat niſi per ordinem ad illud Sacramentum, in re, ſi fieri poteſt, ſuſcipiendum. Obſcura hæc paululum propoſitio, clarior fiet exemplo Baptiſmi. Quare is enim neceſſarius eſt neceſſitate medii, niſi quia vel per ſe præciſe remittit peccatum originale; vel id quod peccatum hoc remittit, v. g. contritio, ſeu Baptiſmus flaminis, dicit neceſſario ordinem ad Baptiſmum: atqui Euchariſtia nec per ſe & unice media ad ſalutem neceſſaria confert; nec ſi quid ea confert, hæc confert per ordinem neceſſarium ad Euchariſtiam: 1. enim in parvulis gratia prima, per quam ſalutem conſequi poſſunt, non producitur per Euchariſtiam, quæ ex ſe, utpote Sacramentum vivorum, juſtificationem primam ſupponit, non facit; ſed per Baptiſmum; neque vero Baptiſmus magis primam hanc gratiam producit per reſpectum ad Euchariſtiam, quam Confirmatio ſecundam gratiam producat per reſpectum ad eamdem Euchariſtiam; 2. neque etiam adultis prima gratia conceditur per Euchariſtiam, ſeu in re, niſi forte per accidens, de quo capite ſequenti; ſeu in propoſito: cum poſſit quis & juſtificari, & in juſtitia perſeverare ſine voto Euchariſtiæ recipiendæ; ut in eo patet, qui poſt acceptum Viaticum mortaliter delinqueret,

& per pœnitentiam reconciliaretur Deo: is enim ſi morti proximus foret, poſſet nullam recipiendæ deinceps communionis intentionem habere; ergo.

Confirm. 1. eorum quæ in voto neceſſaria ſunt hæc eſt conditio, ut non differantur dum haberi commode poſſunt, vel ſaltem ut diutiſſime non differantur: utrumque patet tum in Baptiſmo, tum & in Pœnitentia: Qui enim horum voto reconciliati ſunt, neutrius in re ſuſceptionem diu, aut ſaltem diutiſſime differre poſſunt: atqui tamen Eccleſia diu & diutiſsime, nimirum ad duodecim, quatuordecim annos, & eo plus, Euchariſtiæ adminiſtrationem differt baptizatis; imo nec eos ante ſufficientem rationis uſum ſalutari eo Viatico reficit in periculo mortis; ergo nec ipſi pro ſe, nec pro ipſis Eccleſia votum habet Euchariſtiæ.

Confirm. 2. quia in adverſariorum opinione, eadem foret Euchariſtiæ neceſsitas, quæ Baptiſmi: atqui id dici non poteſt. Minor patebit ex objectionum ſolutione. Prob. maj. quia ſicut Baptiſmus re ſuſceptus, non eſt abſolutæ neceſsitatis, cum per martyrium, aut perfectum Dei amorem ſuppleri poſsit, eſt tamen in voto neceſſarius; ſic & Euchariſtia re quidem omnino neceſſaria non foret, eſſet tamen in voto prorſus neceſſaria. Neque vero, ait Tournelyus, dici poteſt, Baptiſmi votum debere eſse explicitum, Euchariſtiæ vero ſufficere implicitum: namque qui perfectum Dei amorem haberet, nec de Baptiſmo quidquam audiiſſet, is certe implicitum dumtaxat Baptiſmi votum haberet; & tamen ſalvus eſſet, quia qui diligit, non manet in morte.

Dixi, *in voto proprie dicto;* nihil enim vetat, quominus Euchariſtia latius dicatur neceſſaria in voto, tum ſupra expoſito ſenſu, qui juxta Silvium eſt S. Thomæ; tum & quatenus qui baptizantur, generalem per ſe aut per alios habent voluntatem id omne adimplendi, quod a Chriſto præſcriptum fuerit. Verum generalis illa voluntas, non Euchariſtiam tantum reſpicit, ſed & alia quæcumque Chriſti præcepta: hic autem loquimur de ſpeciali neceſsitate.

Obj. 1. Id Chriſti apud Joan. 6. 54. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:* unde ſic. Illud eſt medium ad ſalutem abſolute neceſſarium, ſine quo vita haberi non poteſt: atqui ex ipſo Chriſto ſine Euchariſtia, &c.

R. diſt. min. ſine Euchariſtia vita haberi non poteſt ab infantibus, N. ab adultis, ſubd. plena & perfecta, C. inchoata & ſaluti ſufficiens, ſecluſis ſcilicet negligentia & contemptu, N. itaque eſt quidem Euchariſtia medium ordinarium obtinendæ illius fortitudinis, per quam invitis hoſtium conatibus pervenitur uſque ad montem Dei: ſed non ideo prorſus neceſſaria eſt ad eam juſtitiæ & ſanctitatis ſubſtantiam, quæ obtinendæ ſaluti ſufficiat. Siquidem, ajebat ibidem Chriſtus v. 47. *Qui credit in me, habet vitam æternam;* & Marc. ult. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit:* ſed non omnes qui hactenus vere crediderunt, & baptizati ſunt, Euchariſtiam recepere; ergo ſtat poſſe quempiam ſalvari, nec tamen Euchariſtiam recipere.

Confirm. Eatenus ex objectis Chriſti verbis plena & generalis Euchariſtiæ neceſsitas inferri poſſet, quatenus eadem indiſtincte ad omnes, cum adultos, tum & infantes directa eſſent: atqui nihil eſt in toto ſexto Joannis

Digitized by Google

nis capite, unde generalis ille ſenſus deduci poſsit. Indubie enim loquebatur Salvator ad adultos, non ad infantes; ergo.

Inſt. 1. atqui verba Chriſti & abſolutam medii neceſsitatem important, & ad univerſos, etiam infantes, diriguntur; ergo nulla ſolutio.

Prob. ſubſ. citata Chriſti verba, nec minus generalia ſunt, nec minorem important neceſsitatem, quam iſthæc, Joan. 3. *Niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei:* atqui, &c.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. neg. maj. nam 1. aliud omnino eſt dicere, *Niſi quis hoc fecerit*, aliud: *Niſi hoc feceritis*. Primum omnes prorſus complectitur, ne excepto quidem infantulo, *cujus eſt unius diei vita ſuper terram*. Secundum ad eos tantum pertinet qui audiunt, quique præcepti & annexæ ei comminationis ſenſum intelligere poſsunt; 2. idem demonſtrat ſubjecta materia: Baptiſmus enim inſtitutus eſt ad regenerandum; unde cum naſci cœlo non poſſit, niſi qui juſtitiæ renatus fuerit, conſtat Baptiſmum omnimodis neceſsarium eſse: atque hinc in Symbolo profitemur *unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*. At vero Euchariſtia, non ad regenerandum, ſed ad confirmandum in gratia hominem inſtituta eſt: porro non egent in gratia confirmari infantes, qui ab ea excidere non poſsunt; 3. demum non eſt certior ac luculentior verborum Chriſti interpres, quam Eccleſia: hæc autem conſtanter iis cœlum aſseruit, qui cum Baptiſmi gratia, licet ſine gratia Euchariſtiæ, e vivis raperentur.

Inſt. 2. Verba hæc: *Niſi manducaveritis*, &c. idem ad minus ſignificant ac iſta: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* atqui poſtrema hæc verba, & generalia ſunt, & medii neceſſitatem important. Prob. min. verba hæc Marci 16. verſ. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, indubie & generalia ſunt, & medii neceſſitatem declarant: atqui citata verba: *Qui manducat hunc panem*, &c. nihil minus exprimunt, quam iſthæc: *Qui crediderit*, &c. ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. maj. verba hæc: *Qui crediderit*, &c. neceſſitatem medii important vi materiæ, C. vi verborum præciſe, N. itaque verba: *Qui crediderit*, &c. neceſſitatem medii important, ſed vi materiæ; quia cum fides radix ſit totius juſtificationis, impoſſibile eſt ut juſtificationem adipiſcatur, qui credere renuerit: unde ut omnem dubii locum auferat Chriſtus, addit ibidem: *Qui non crediderit, condemnabitur:* at vero eadem verba vi ſui præciſe generalem medii neceſſitatem non indicant, quia Scriptura quoties ſolam præcepti neceſſitatem indicat, eadem vocum textura utitur, ut patet in his Chriſti verbis: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Unde nec ex verbis, *Qui manducat hunc panem*, &c. medii neceſsitas colligi poteſt, niſi eam alibi indicet Scriptura vel Scripturæ interpres Traditio: quod certe neutra facit.

Obj. 2. Ut Euchariſtia infantibus neceſsaria dicatur, duo ſufficiunt, 1. ut Eccleſia Euchariſtiam infantibus per duodecim ſæcula tradiderit; 2. ut iis hanc non tradiderit, niſi quia eam ipſis neceſsariam judicavit, non neceſsitate præcepti, cujus parvuli ſunt incapaces, ſed neceſsitate medii: atqui Eccleſia, &c.

R. neg. min. 1. quia impoſsibile erat ut Euchariſtia omnibus omnino infantibus daretur, cum tunc, ut hodie, ex iis non pauci tam cito ad interitum vergerent, ut vix Baptiſmus, nedumque Euchariſtia, quæ Con-

Ll 2 firma-

firmationem ſequebatur, conferri poſſet : atqui probari nequit extorres à ſalute judicatos fuiſſe, qui tunc decederent : imo contrarium diſerte aſtruunt Patres in probatione Concluſionis adducti ; ergo. 2. quia non magis ex eo quod tunc temporis una cum Baptiſmo daretur Euchariſtia, judicari poteſt eam fuiſſe neceſſariam, quam quia tunc daretur Confirmatio, eamdem prorſus neceſſariam fuiſſe judicari poſſit : atqui, &c. ergo dicendum cum Synodo Tridentina, Patres probabilem dandæ pueris Euchariſtiæ cauſam habuiſſe, at id eos nulla ſalutis neceſſitate feciſſe credendum eſt.

Inſt. 1. Quæ pari loco Baptiſmi & Euchariſtiæ neceſſitatem habuit ; Euchariſtiam utique medii neceſſitate neceſſariam eſſe judicavit : atqui Eccleſia pari loco, &c. Prob. min. ex unanimi Doctorum quarti & quinti ſęculi conſenſu. Hi nempe ut revincant Pelagianos (qui inducta inter regnum cœlorum & vitam æternam diſtinctione, fatebantur quidem propter hæc Chriſti verba, *Niſi quis renatus fuerit ..... non poteſt introire in regnum Dei*, infantes ſine baptiſmo mortuos a Regno Cœlorum * excludi ; at ſimul eoſdem a vita æterna excludi negabant) ut ergo novitatem hanc refellant Patres, atque infantes illos ab utroque ſimul arceri probent, duplex ex Scripturis argumentum petunt, aliud quidem ex Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. vi cujus parvuli jam a Regno Cœlorum excluduntur ; aliud verò ex Joan. 6. *Niſi manducaveritis*, &c. vi cujus excluduntur a vita quicumque carnem Chriſti in Euchariſtia non manducant ; ac proinde & ipſi infantes, qui Euchariſtia necdum recepta moriuntur: atqui tota hæc ratiocinatio ſupponit pari loco habitam fuiſſe a Patribus Baptiſmi & Euchariſtiæ neceſſitatem. Minor conſtat : major ut probetur ſatis fuerit præcipuos hic Patrum textus recenſere. Itaque

Innocentius I. Epiſt. ad Patres Concilii Milevitani, inter Auguſtinia-
Tom. 2. nas 182. alias 93. *Illud vero*, ait de Pelagianis loquens, *quod eos veſtra*
p. 610. *fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam ſine Baptiſmatis gratia poſſe donari perſatuum eſt. Niſi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint ejus ſanguinem, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur ipſum Baptiſmum velle caſſare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur nonniſi Baptiſmate conferendum. Si ergo nihil volunt officere, non renaſci fateantur neceſſe eſt, nec regenerationis ſacra fluenta prodeſſe.*

Hanc Innocentii definitionem crebro commemorat Auguſtinus, puta Epiſt. 180. alias 106. ad Paulinum, c. 8. Lib. 2. ad Bonifacium cap. 4.
Tom. 10 Lib. 1. contra Julian. cap. 4. ubi ſic Julianum alloquitur: *Sancto Innocentio*
pag. 504. *vide quid reſpondeas.... qui parvulos definivit, niſi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorſus habere non poſſe. Huic reſponde ; imo ipſi Domino, cujus ille Antiſtes uſus eſt teſtimonio.*

At nullibi diſertius mentem ſuam evolvit S. Doctor, quam Lib. 1. de
Ib. p. 15. peccat. merit. &c. cap. 20. ſic ille : *Terrentur* Pelagiani *ſententia Domini dicentis : Niſi quis renatus fuerit denuo, non videbit regnum Dei ; quod cum exponeret, ait :*

* Regnum Cœlorum juxta Pelagianos erat eximia quædam gloria ſolis baptizatis concedenda : vita vero æterna erat ipſa beatitudinis ſubſtantia, ſed ſine illo baptizatorum fulgore.

ait : Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cælorum : Et propterea conantur parvulis non baptizatis innocentiæ merito ſalutem ac vitam æternam tribuere ; ſed quia baptizati non ſunt, eos a regno cælorum facere alienos, nova quadam ac mirabili præſumptione, quaſi ſalus ac vita æterna poſſit eſſe præter Chriſti hæreditatem, præter regnum cælorum. Habent enim videlicet quo confugiant, atque ubi deliteſcant, quia non ait Dominus : Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non habebit vitam ; ſed ait : Non intrabit in regnum Dei. Nam ſi illud dixiſſet, nulla hinc dubitatio poſſet oboriri. Auferatur ergo dubitatio : jam Dominum audiamus . . . . non quidem de hoc Sacramento lavacri dicentem, ſed de Sacramento ſanctæ menſæ ſuæ, quo nemo, rite niſi baptizatus, accedit : Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Quid ultra quærimus ? quid ad hoc reſponderi poteſt, niſi pertinacia pugnaces nervos adverſus conſtantiam perpetuæ veritatis intendat ? An vero quiſquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc ſententia non pertineat, poſſintque ſine participatione corporis hujus & ſanguinis in ſe habere vitam ; quia non ait : Qui non manducaverit ; ſicut de Baptiſmo : Qui non renatus fuerit ; ſed ait : Si non manducaveritis ; velut eos alloquens qui audire & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli ? ſed qui hoc dicit, non attendit, quia niſi omnes iſta ſententia teneat, ut ſine corpore & ſanguine Filii hominis vitam habere non poſſint, fruſtra etiam ætas major id curat. Poteſt enim, ſi non voluntatem, ſed verba loquentis attendas, eis ſolis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur ; quia non ait : Qui non manducaverit ; ſed, Si non manducaveritis.

Ibid. cap. 24. *Optime*, inquit, *Punici Chriſtiani Baptiſmum ipſum nihil aliud quam ſalutem, & Sacramentum corporis Chriſti nihil aliud quam vitam vocant. Unde ? niſi ex antiqua, ut exiſtimo, & Apoſtolica Traditione, qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent, præter Baptiſmum & participationem menſæ Dominicæ, non ſolum ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quemquam hominum pervenire*, & paulo poſt : *Si ergo ut tot & tanta divina teſtimonia concinunt, nec ſalus, nec vita æterna ſine Baptiſmo, & corpore & ſanguine Domini cuiquam ſperanda eſt, fruſtra ſine his promittitur parvulis. Porro ſi a ſalute ac vita æterna hominem niſi peccata ſeparant, per hæc Sacramenta nonniſi peccati reatus in parvulis ſolvitur.* *Ib. p. 19.*

Et Lib. 3. contra Julianum : *An dicente Chriſto : Si non manducaveritis carnem meam & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis ; dicturus fueram parvulum habiturum vitam, qui ſine iſto Sacramento finiſſet hanc vitam ?* *Ib. p. 554. E. F.*

Idem iiſdemque momentis firmat Gelaſius Papa ; ſic enim Epiſt. 7. ad Epiſcopos per Picenum diſputat contra Pelagianos : *Ipſe D. J. C. cæleſti voce pronuntiat : Qui non manducaverit carnem Filii hominis*, &c. *ubi utique neminem videmus exceptum : nec auſus eſt aliquis dicere, parvulum ſine hoc Sacramento ſalutari ad vitam æternam poſſe perduci ; ſine illa autem vita, in perpetua futurum morte non dubium eſt.*

Ex iis ſic contracta argumentatione diſputo : Qui defectu Euchariſtiæ a vita æterna excluduntur, ſicut defectu Baptiſmi a regno cælorum, iis non minus neceſſaria eſt Euchariſtiæ receptio quam Baptiſmi ; atqui ex citatis Patribus infantes defectu Euchariſtiæ excluduntur, &c.

R. ad 1. neg. min. propter rationes in præcedenti reſponſione allatas.

Ad 2. duplex eſt reſponſio: alii enim objectos Patres de vera & orali Euchariſtiæ manducatione loqui exiſtimant, cum doctiſs. Tournelyo; alii cum S. Thoma ceteriſque pene omnibus eoſdem Patres de ſpiritali tantum & interpretativa manducatione exponunt. Utramque ſolutionem, quia gravis eſt difficultas, referre juvat. Juxta primam itaque

Tournel. Tom. 2. pag. 24. R. ad 2. diſt. min. ex Patribus infantes defectu Euchariſtiæ excluduntur a vita, ex Patribus, inquam, qui non ex ſua, ſed ex ſuppoſita, non conceſſa Pelagianorum opinione diſputant, C. ex Patribus juxta propriam ſuam mentem loquentibus, N. itaque ſi Auguſtinus non ex propria, ſed ex Pelagianorum opinione diſſerat, eoſque aliunde impugnet, quantum procaces hæreticos impugnari neceſſe erat, nihil utique contra nos ex ipſius teſtimoniis colligi poteſt: atqui 1. conſtat, eum non ex propria mente, ſed ex Pelagianorum loqui. En enim ſumma argumentationis ejus: Nemo non baptizatus particeps eſt corporis Domini; atqui nemo non particeps corporis Domini habere vitam poteſt; quia ſicut de Baptiſmo dicitur: *Niſi quis renatus fuerit non poteſt introire in regnum Dei;* ita & dicitur de Euchariſtia: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis ..... non habebitis vitam in vobis;* ergo data, non conceſsa, veſtra regnum inter cœlorum & vitam æternam diſtinctione, ſtat adhuc infantes ſine Baptiſmo morientes, non modo a Dei regno excludi propter Baptiſmi defectum, ſed & a vita æterna propter defectum Euchariſtiæ. Et vero caute obſervandum eſt S. Doctorem in omnibus textibus ante citatis nunquam directe fictitiam regni cœleſtis a vita æterna diſtinctionem impugnare; imo quaſi hæc vera foret argumentari: atqui tamen dubio procul diſtinctionem hanc rejiciebat S. Doctor; ergo arguit ex hypotheſi data, minime autem conceſſa.

2. nec male Pelagianos revincit Auguſtinus: cum enim ubique tunc temporis vigeret mos Euchariſtiæ infantibus dandæ, ſicut vigebat mos dandi Baptiſmi, conſequens videbatur, ut quemadmodum fatentibus Pelagianis infantes Baptiſmo deſtituti a regno cœlorum arcebantur, ſic & a vita æterna excluderentur, qui Euchariſtia necdum ante mortem refecti erant.

Dices: Ut valere potuiſſet illud Auguſtini ratiocinium, quod ad hominem dicimus, neceſſe fuiſſet ut Pelagiani conceſſiſſent, realem & actualem Euchariſtiæ perceptionem neceſſariam eſſe ad vitam, ſicuti concedebant Baptiſmum eſſe neceſſarium ad regnum cœleſte: alioqui enim aſſumpſiſſet S. Doctor inſtar principii probantis, non modo rem in quæſtione poſitam, ſed & a Pelagianis negatam aperte: atqui Pelagiani reipſa non concedebant Euchariſtiam perinde requiri ad vitam, ſicut Baptiſma ad regnum cœleſte: quandoquidem illud Chriſti: *Niſi manducaveritis*, &c. ad ſolos adultos pertinere contendebant; ergo nihil contra eos profeciſſet Auguſtinus. Contra vero ſi S. Doctor ex propria mente, quæ tunc communis erat Eccleſiæ fides, locutus ſupponatur, recte & invicte concludit.

Ib. p. 27. Reſpondet idem Tournelyus, neg. maj. quia, inquit, ut ſtet vis & robur argumentationis S. Auguſtini adverſus Pelagianos, neceſse non eſt ut ſupponat tanquam ab ipſis conceſsum, actualem Euchariſtiæ perceptionem neceſsariam abſolute eſse ad habendam vitam; ſed ſatis eſt ut ex certa

con-

Digitized by Google

conſecutionis lege adigat eos id fateri, quod ex eorum principiis neceſſario ſequitur. Idcirco enim dicebant neceſsarium eſse Baptiſmum ad regnum cœlorum, quia dixit Chriſtus: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. at idem ad habendam vitam de Euchariſtia dixit: *Niſi manducaveritis*, &c. ergo, concludit S. Doctor, tam neceſsaria eſt Euchariſtia ad vitam æternam, quam Baptiſmus ad regnum cœlorum, etiam ſuppoſita fictitia regnum illud inter & vitam æternam diſtinctione; & conſequenter infantes ſine Baptiſmo & Euchariſtia morientes excluduntur & a regno cœlorum & a vita æterna. En, ait Tournelyus, argumentum S. Doctoris, quod optimum eſt, ac recte premit Pelagianos.

At, pace Magiſtri noſtri dicere liceat, peſſima eſt illa quam S. Doctori affingit ratiocinatio; eaque uno hoc & obvio entymemate obrui poterat: Vel credis, Auguſtine, hæc Chriſti verba: *Niſi manducaveritis*, &c. ad ipſos infantes extendi, vel non credis. Si non credis, cur ex falſo diſputas? Si credis: habes contra te ſenſum Eccleſiæ totius, quæ & prædicta verba ad adultos cujuſcumque temporis reſtringit; &, licet Euchariſtiam conferat infantibus, non confert ut ad ſalutem abſolute neceſsariam. Ad hæc quæ perfecto inventu ardua non ſunt, nihil erat quod reponeret S. Doctor, Africanæ, imo totius Eccleſiæ lumen. Itaque cum agmine Theologorum

R. ad 2. diſt. maj. qui defectu Euchariſtiæ excluduntur a vita, his neceſsaria eſt Euchariſtiæ receptio vel ſacramentaliter, vel ſpiritaliter: ſpiritaliter C. ſacramentaliter abſolute, N. itaque duplex eſt Euchariſtiæ manducatio, altera realis & ſacramentalis, qua corpus Chriſti oraliter percipitur; altera ſpiritualis, per quam fit quis ſpiritualiter pars corporis Chriſti, & membris ejus ſociatur, ut loquitur Auguſtinus Lib. 3. de peccat. meritis, &c. Fatemur SS. Patres poſteriorem hanc ipſis etiam infantibus neceſsariam judicaſse; nec immerito, cum vitam habere nemo poſſit, qui Chriſto incorporatus non fuerit: at contendimus ſimul, illam eamdem, ſecundum Patres, obtineri per ipſam Baptiſmi receptionem, ſine actuali & orali Euchariſtiæ receptione. Atque id multiplici aſtruimus momento: 1. enim loquitur Innocentius de certo manducationis genere, quod ipſo *Baptiſmate conferendum* ſit, & non aliter: porro manducatio ſacramentalis Euchariſtiæ per Baptiſmum præciſe & ſimpliciter non habetur.

2. Auguſtinus, qui plus faceſſit difficultatis, diſerte mentem pluribus in locis exerit. Sic Lib. 3. de peccat. meritis, &c. cap. 4. *Quid apertius*, inquit, *tot tantiſque teſtimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidiſſime apparet, nec præter Chriſti ſocietatem ad vitam ſalutemque æternam quemquam hominum poſſe pervenire, nec divino judicio injuſte poſſe aliquem damnari? .... Unde fit conſequens, ut quoniam nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, niſi ut incorporentur Eccleſiæ, ideſt Chriſti corpori membriſque ejus ſocientur, manifeſtum ſit eos ad damnationem, niſi hoc eis collatum fuerit pertinere .... Numquid etiam illud, quia niſi manducaverint homines carnem ejus, hoc eſt participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam .... Nonne veritas ſine ulla ambiguitate proclamat, non ſolum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non poſſe, ſed nec vitam æternam poſſe habere præter Chriſti corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptiſmatis imbuuntur.* Hic, juxta Auguſtinum, parvu- *Tom. 10. p. 74. D.*

lis & aliis quibuſcumque ad ſalutem ſufficit, ut non ſint *præter*, ſeu citra *corpus Chriſti:* atqui ex eodem S. Auguſtino iidem parvuli dum *Sacramento Baptiſmatis imbuuntur*, non ſunt ſine corpore Chriſti; quia per ipſam Baptiſmi receptionem incorporantur Eccleſiæ, ideſt corpori Chriſti; ergo eo ipſo jus habent ad ſalutem.

Idem S. Doctor Tract. 26. in Joan. ad hæc verba: *Qui manducat meam carnem*, &c. ſic loquitur: *Qui hanc ſumit* carnem, *habet vitam*, *& hanc utique æternam. Hunc itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, ſicut rei Sacramentum, ideſt virtutem corporis & ſanguinis Chriſti. Alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica menſa ſumitur, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium: res vero ipſa cujus Sacramentum eſt, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit.* Ecce hic virtus corporis Chriſti ab ipſo naturali Chriſti corpore diſtinguitur: atqui ex Auguſtino hæc virtus & ad ſalutem ſufficit, & ab iis omnibus recipitur, qui Chriſti membra efficiuntur per Baptiſmum; ergo. Hinc Lib. de dono perſev. cap. 12. n. 30. *Abſit*, Tom. 10. p. 837. B. ait exerte S. Doctor, *ut eſſe nobis dicamus incertum, utrum in Chriſto regenerati, ſi moriantur parvuli, tranſeant in æternam ſalutem.*

Denique idem plene aſtruunt hæc Canon. *Nulli*, 131. diſt. 4. verba, quæ licet Auguſtini non ſint, cui a Gratiano tribuuntur, ſed Fulgentii ubi ſupra, Patrum quarti & quinti ſæculi, præcipue vero Auguſtini ſenſum luculenter aperiunt, *Nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, ſanguiniſque Dominici participem fieri, quando in Baptiſmate membrum Chriſti efficitur, nec alienari ab illius panis, caliciſque conſortio, etiamſi, antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſæculo in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipſe hoc, quod illud Sacramentum eſt, invenit;* ſeu, ut paulo ante loquebatur Auguſtinus, quando invenit rem Sacramenti, licet non recipiat Sacramentum rei; id eſt, ipſum realiter Chriſti corpus & ſanguinem. Hinc enim liquet, Auguſtinum non aliam Euchariſtiæ receptionem neceſſariam judicaſſe, quam quæ ſpiritaliter habetur in Baptiſmi ſuſceptione.

Inſt. 1. atqui loquitur Auguſtinus de manducatione ſacramentali, ut parvulis neceſſaria; ergo nulla ſolutio.

Prob. ſubſ. loquitur Auguſtinus de manducatione quæ ſpectat majores ætate ut & parvulos: atqui manducatio quæ majoribus neceſſaria eſt, eſt manducatio vera & oralis; ergo.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. diſt. loquitur Auguſtinus de manducatione quæ ſpectat majores, ut & parvulos, ſecundum aliquem modum, C. quæ ſpectat.... omnimode, N. itaque manducatio Euchariſtiæ parvulos & majores æque ſpectat hoc ſenſu, quod nec parvuli, nec majores vitæ æternæ capaces ſint, niſi in Baptiſmo ſpiritaliter & aptitudinaliter manducent corpus Chriſti: ſed aliunde infantes a majoribus inſigniter differunt: hi enim ſi ſacramentaliter manducare negligant, id quod ſpiritaliter manducarunt in Baptiſmo, indubie pereunt: atqui idem de infantibus nec dici poteſt, nec dici patitur Auguſtinus. *Abſit* enim, ait S. Doctor, *ut eſſe nobis dicamus incertum, utrum* parvuli, ſtatim ut in Chriſto ſunt *regenerati*, *ſi moriantur, tranſeant in æternam ſalutem.*

Nec

Digitized by Google

Nec obeſt quod Auguſtinus aſſerat non teneri majores ad Euchariſtiæ receptionem, ſi ad eam non teneantur parvuli: ideo enim unum ex alio inferre licitum ſibi credidit ſanctus Pontifex; quia credidit ex reſtrictione propoſitionis Chriſti ad ſolos adultos, ſequi reſtrictionem ejuſdem ad eos ſolos, quos actu alloquebatur Chriſtus, cum dixit: *Niſi manducaveritis*, &c. At non ideo ſenſit eamdem parvulis manducationem eſſe neceſſariam, quæ adultis neceſſaria eſt. Etſi enim lege generaliter lata ii omnes tenentur, quorum eadem eſt ratio, ſive præſentes ſint, dum lex fertur, ſive non; haud tamen ea ſecundum eumdem modum tenentur ii omnes quorum diſpar eſt conditio: atqui diſpar eſt parvulorum & adultorum conditio; ergo ſi omnes eadem lege tenentur, non tamen tenentur ſecundum eumdem modum. Sic indubie & adulti & parvuli Baptiſmatis lege obligantur, ſed itaut adulti per ſe credere debeant, parvuli vero ſolum per ſponſores.

Inſt. 2. Qui Sacramenta duo diſtincta vult infantibus neceſſaria eſſe ad vitam, ille loquitur de Euchariſtia tam realiter infantibus quam adultis neceſſaria: atqui S. Auguſtinus vult Sacramenta duo infantibus ſicut & adultis neceſſaria eſſe. Prob. min. 1. ex citato cap. 24. Lib. 1. de peccat. meritis, ubi S. Doctor expreſse ait plurali numero, quod *nonniſi* PER HÆC Baptiſmi & Euchariſtiæ SACRAMENTA *peccati reatus in parvulis ſolvitur*; *Pag.* 15.
2. ex cap. 21. ejuſdem Libri, ubi neceſſarium dicit illud *Sacramentum* C.
ſanctæ menſæ, quo nemo rite niſi baptizatus accedit. Jam vero in hypotheſi noſtra, neque neceſsaria forent Sacramenta duo, ſed ſufficeret unum, Baptiſmi ſcilicet; nec ex his unum neceſsaria foret diſpoſitio ad aliud *rite* ſuſcipiendum; quia uno recepto totum reciperetur; ergo.

R. diſt. maj. qui vult infantibus neceſsaria eſse Sacramenta duo, tum quoad ſignum ſenſibile, tum quoad rem ſeu effectum, C. quoad effectum duntaxat, N. igitur docet quidem Auguſtinus infantes duplici indigere Sacramento quoad rem ſeu effectum, quia juxta Theologiam ejus neceſse eſt, ut infantes & regenerentur, & Chriſto incorporentur: at poſteriorem hunc effectum, licet participatio corporis & ſanguinis Domini vocetur, per ſolum Baptiſmi ſymbolum haberi non negat, ſed potius diſerte aſserit, in textibus ſupra citatis. *Manducare*, inquit Tract. 26. in Joan. *illum cibum, & illum bibere potum, eſt in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere*. Quapropter requiritur quidem Baptiſmus ad Sacramentum ſanctæ menſæ, ſed non neceſsario requiritur ſignum exterius ejuſdem ſanctæ menſæ ad conſequendum ejus effectum: is enim in mente Auguſtini ab ipſo etiam Baptiſmo derivatur.

Inſt. 3. Auguſtinus eam exigit manducationem, quam præcepit Chriſtus, quæque quarto ſæculo poſt Baptiſmum erat in uſu: atqui manducatio hæc ſigno ſenſibili perficiebatur. *Illis*, ait de infantibus S. Doctor *Tom.* 10.
Lib. 2. Oper. imperf. nu. 30. *miniſtratur ſanguis quem bibunt, ut vitam ha- Pag.* 967.
bere poſſint, & Serm. 75. alias 8. de verbis Apoſtoli: *Infantes ſunt, ſed* D.
menſæ ejus participes ſiunt, ut habeant in ſe vitam; ergo.

R. diſt. maj. eam exigit manducationem ſpiritali ſenſu, & quoad *Tom.* 5.
rem ſeu effectum, C. exigit ſacramentaliter, & abſolute, N. eam enim *pag.* 834. A. B.
ſolum manducationem exigit S. Doctor, per quam fiat homo corporis & ſanguinis Dominici particeps: atqui juxta ipſum, ejuſque Diſcipulos,

nulli

nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium, corporis ſanguiniſque Dominici participem fieri, quando in Baptiſmate membrum Chriſti efficitur; ergo non oralem ſeu ſacramentalem manducationem exigit Auguſtinus, ſed tantum ſpiritalem.

Inſt. 4. atqui Auguſtinus manducationem ſacramentalem neceſſario exigit; ergo, &c.

Prob. ſubſ. vel Auguſtinus ſacramentalem manducationem exigit, vel nihil probat contra Pelagianos, ſed pro ſolutione affert quæſtionem: atqui abſurdum conſequens. Minor aperta eſt. Prob. itaque maj. Quæſtio erat Auguſtinum inter & Pelagianos, an infantibus ad vitam æternam neceſſaria foret incorporatio cum Chriſto per Baptiſmum. Negabant Pelagiani toto mentis impetu, aſſerebat Auguſtinus: atqui poſitis reſponſionibus noſtris ſupponebat Auguſtinus incorporationis hujus neceſſitatem, non autem probabat. Siquidem ſpiritalis Euchariſtiæ manducatio, quam ſolam ab Auguſtino admiſſam contendimus, nihil eſt aliud quam incorporatio cum Chriſto: atqui peſſime probat quis neceſſariam eſſe incorporationem cum Chriſto, quia neceſſaria eſt; ergo non probat de facto id quod in quæſtione eſt, ſed ſupponit.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. neg. maj. ad 3. neg. min. ſic enim data, non autem conceſſa regni cœleſtis a vita æterna diſtinctione argumentabatur Auguſtinus. Nemo niſi baptizatus carnem Chriſti quocumque modo manducare poteſt: atqui nemo vitam ingredi poteſt, niſi carnem Chriſti quocumque tandem modo manducaverit; quia verba hæc Chriſti: *Niſi manducaveritis*, &c. & generalia ſunt, & generali ſenſu a S. Innocentio intellecta; ergo parvuli Chriſtum ſaltem ſpiritaliter manducare debent. Jam vero id nonniſi vi Baptiſmi facere poſſunt; ergo niſi manducent, non ſolum a regno cœlorum, ut vultis Pelagiani, ſed & a vita æterna excludentur. Hic porro novo medio theſim ſuam probat Auguſtinus, non autem idem per idem; ergo nec ſupponit id quod eſt in quæſtione.

Aſt, inquit Tournelyus, manducatio hæc ſpiritalis, quæ nihil aliud eſt quam incorporatio cum Chriſto, ipſiſſimus eſt Baptiſmi effectus: ſed 1. quid tum? an non recte probatur rem eſſe neceſſariam, quia neceſſarius ſit certus quidam effectus, qui niſi per ipſam haberi non poſſit? 2. duplex eſt, ut ita loquar, effectus Baptiſmi, prior alter, qui eſt expulſio peccati per gratiam regenerantem; alter ſubſequens, qui eſt incorporatio cum Chriſto per ſpiritalem carnis ejus participationem: quidni autem unus ex alio probetur? 3. incorporatio cum Chriſto ita eſt Baptiſmi effectus, ut non tam dimanet a Baptiſmo, prout eſt ablutio a culpa, quam prout eſt aptitudinalis quædam & inchoata carnis Chriſti participatio: ipſa enim eſt Euchariſtia per quam Chriſtum in nobis ſubſtantialiter recipientes, eidem vere & plene incorporamur; itaut tamen ei ſuo etiam modo incorporentur, qui etſi corpus ejus non recipiunt actu, quadantenus tamen recipiunt in potentia & voto, quod fit per Baptiſmum ſenſu ſupra expoſito.

Inſt. 5. Tota hæc ſolutio ſupponit Auguſtinum loqui de incorporatione ſpirituali quæ fit in Baptiſmo: atqui Auguſtinus contrarium expreſſe teſtatur. Qui enim aſſerit ſe loqui non de Sacramento lavacri, ſed de Sacramento ſanctæ menſæ, non loquitur de incorporatione ſpiritali quæ fit

in

in Baptiſmo: atqui Auguſtinus aſſerit ſe loqui ...... *Sed*, inquit, *Dominum audiamus, non quidem de hoc Sacramento lavacri dicentem, ſed de Sacramento ſanctæ menſæ ſuæ, quo nemo rite niſi baptizatus accedit: Niſi manducaveritis carnem meam*, &c. ergo.

R. ut ſæpius diſt. min. aſſerit Auguſtinus ſe loqui de Sacramento menſæ ſuæ, prout eſt ſpiritalis incorporatio, per quam homo fit pars corporis Chriſti; quæ quidem incorporatio eſt veluti alter Baptiſmi effectus, cum prior ejuſdem Baptiſmi effectus ſit regeneratio ſpiritalis, C. aſſerit ſe loqui de Sacramento ſacræ menſæ prout eſt corpus Chriſti ſub ſignis ſenſibilibus, N. contrarium patet ex citato Fulgentii textu, qui ipſiſſimam Auguſtini doctrinam complectitur.

Objectiones ex eo petitas quod Euchariſtia ſit animæ cibus, expendam ubi ad nuperi Scriptoris ſyſtema devenero.

SECTIO SECUNDA.

An neceſſaria ſit Euchariſtia neceſſitate præcepti, & qualis.

Rem totam bina propoſitione complectemur, ſit

Conclusio I. Euchariſtiæ perceptio neceſſaria eſt neceſſitate præcepti divini.

Prob. 1. ex Joan. 6. *Niſi manducaveritis*, &c. atqui hæc verba Chriſti præceptum continent, & quidem grave, utpote ſub interminatione mortis æternæ; ergo.

Prob. 2. ex Luc. 22. 19. ubi Chriſtus per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, id ab Apoſtolis, & in eorum perſona a Sacerdotibus præcipit fieri, quod ipſe prior fecit: atqui Chriſtus non tantum Euchariſtiam conſecravit, ſed & diſtribuit præſentibus; ergo ad idem tenentur Sacerdotes. Porro qua lege ad diſtribuendum tenentur Sacerdotes, eadem ad recipiendum tenentur fideles.

Prob. 3. ex citatis Innocentii, Auguſtini, & Gelaſii teſtimoniis, quæ ſi pene Euchariſtiam faciunt neceſſariam infantibus, invicte neceſſariam faciunt adultis.

Prob. 4. quia Euchariſtia cibus eſt ad vitæ ſpiritualis conſervationem inſtitutus: atqui jure divino tenentur fideles in id eniti ut ſpiritualem vitam ſibi conſervent; ergo.

Obj. 1. Si Euchariſtiæ præcepto teneantur adulti, vel baptizati, vel non: atqui neutrum dici poteſt. Non 2. tum quia qui Euchariſtiæ recipiendæ capaces non ſunt, nec ejus recipiendæ lege teneri poſſunt; tum quia non baptizati haud tenentur ad confeſſionem peccatorum; ergo nec ad Euchariſtiæ receptionem. Non etiam 1. præcepta enim, præſertim Chriſti, quamprimum impleri debent: atqui tamen non patitur Eccleſia ut pueri ætatem adultam nacti Euchariſtiam ſtatim recipiant; ergo.

R. neg. min. pro utraque parte, & ad 1. dico adultos omnes etiam minime baptizatos Euchariſtica lege teneri, ſicut tenentur Baptiſmi lege; quia ſicut univerſaliſſima quoad omnes eſt hæc Chriſti propoſitio, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. ita & quoad adultos generaliſſima eſt iſthæc: *Niſi manducaveritis*, &c. Et vero non ad ſolos Fideles, ſed ad omnes qui audiebant, direxit Chriſtus citata verba: *Niſi manducaveritis*.

Niſi

Nec obeſt 1. quod non baptizati Euchariſtiæ incapaces ſint : quia penes eos eſt ut recepto Baptiſmate capaces fiant . Unde ſicut reus eſt fidelis, qui poſt peccatum mortale non confitetur , ut communicare poſſit tempore Paſchali ; ita & reus eſt infidelis, qui , quem recipere poſset, Baptiſmum negligit, & ex conſequenti Euchariſtiam . Quod ſi nullam Baptiſmi notitiam habet , tunc nonniſi materialiter ad ejus receptionem obligatur.

Nec obeſt 2. id quod de confeſſione objicitur : quia confeſſio pro iis tantum peccatis obligat , quæ in materia gravi poſt Baptiſmum commiſsa ſunt.

Ex his obiter inferes cum Suare diſp. 69. ſect. 2. Catechumenum , qui in exitu vitæ Baptiſmum & Euchariſtiam voluntarie omittit, duo committere peccata, quia duo tranſgreditur præcepta.

Ad 2. diſt. maj. præcepta Chriſti quamprimum impleri debent , cum impleri poſsunt ut decet, C. ſecus, N. Ut autem rite adimpleatur communionis præceptum , neceſse eſt ut & homo ſe ipſum probet , & corpus Domini dijudicare poſſit : porro prudenter judicavit Eccleſia non poſse id fieri primo quaſi rationis diluculo. Satius ergo , niſi immineat periculum mortis, judicavit expectandum donec judicium matureſcat ; quod anno circiter decimo quarto evenire conſuevit. Qui vero pie diſpoſitis ultra illud tempus Euchariſtiam protrahunt, non ſunt a culpa immunes. Peccant quoque , & multo gravius, ſeu parentes, ſeu Paſtores, niſi curent, ut creſcente cum annis rationis lumine , creſcat & affectus atque reverentia erga tantum Sacramentum.

Obj. 2. Si extaret divina lex de Euchariſtiæ uſu, hæc utique ſtato & fixo tempore obligaret: atqui nullum aſſignari poteſt hujus obligationis tempus. Si quod enim poſset aſſignari, maxime articulus mortis: atqui ne hoc quidem tempore urget præceptum communionis: Alioqui peccaret Eccleſia Gallicana, quæ Euchariſtiam reis morte afficiendis denegat; peccaſsent item , idque ſanctioribus ſæculis, Eccleſiæ Hiſpana & Africana, quæ certorum criminum conſcios, etſi jam proximos morti, tam neceſsario Viatico contra Domini præceptum per longam annorum ſeriem privaverunt, non reclamante Romana Eccleſia; imo approbante, ut liquet ex Rom. Pontificibus Syricio Epiſt. 1. & Innocentio I. Epiſt. 3. atqui tot tantaſque Eccleſias gravis erroris poſtulare, ad minus temerarium fuerit ; ergo.

R. ad 1. neg. min. & dico divinum de communione præceptum obligare aliquando per accidens, aliquando per ſe : per accidens quidem , quando medium illud neceſsarium eſt ut gravi cuipiam tentationi reſiſtatur ; quo ſenſu alia quæcumque præcepta extraordinarie obligare poſſunt. Per ſe vero, non ſolum ſemel in vita , ut male dixerunt Cajetanus, Ledeſma, Victoria & Paludanus, quos affert, & merito rejicit Suarez diſp. 69. ſect. 3. ſed pluries in decurſu vitæ: quia, ut ſolide animad-
Lugo p. 491. vertit Lugo diſp. 16. num. 27. Euchariſtia per modum cibi ad nutriendam ſpiritualiter animam inſtituta eſt : porro ea eſt cibi conditio , ut non ſemel, ſed pluries ſumatur.

An autem pluries, quantum ad divini præcepti obſervantiam ſufficit, recipi cenſeatur Euchariſtia, ſi ſemel tertio vel quarto anno ſumatur, ambigunt Caſuiſtæ. Affirmat ibid. Suarez: at melius docent alii, Chriſtum non deter-

determinaſſe tempus, ſed Eccleſiæ determinandum, cum id exigeret Fidelium negligentia, reliquiſſe. Cum enim, ait ibid. Lugo n. 28. Sacramentum illud ſic inſtitutum fuerit, ut Fideles in ejus uſu debeant omnino dependere a propriis Paſtoribus, *quibus ſic congruit, ut ſumant, & dent ceteris*, communionis præceptum non tam ad Fideles dirigi debuit, qui fruſtra poſtularent, id quod Miniſtri renuerent dare; quam ad Miniſtros ipſos, qui omnibus ſagaciter penſatis dijudicare debent, quando vel utilis, vel etiam neceſſaria ſit communio. Id autem variis temporibus aliter & aliter conſtitutum eſt: de quo infra.

Ad 2. neg. min. & dico 1. contra S. Bonaventuram, Silveſtrum, Armillam, communionis præceptum obligare in articulo mortis: Tum quia id ſubindicat Canon 13. Nicæni Concilii, ubi *de his qui ad vitæ exitum veniunt*, *lex antiqua* ſervari præcipitur, *ut ſi quis egreditur e corpore, ultimo & MAXIME NECESSARIO Viatico minime privetur*. Hic Viaticum dicitur neceſſarium eſſe: atqui non videtur ſermo eſſe de neceſſitate ex præcepto Eccleſiaſtico; *quia lex Eccleſiaſtica non bene redderet pro ratione neceſſitatem provenientem ex eadem vel ſimili lege Eccleſiaſtica*; ergo intelligi debet de neceſſitate, quæ aliunde, nimirum a divina lege proveniat. *Lugo nu. 34.* Tum quia ſi quando urget hujus Sacramenti recipiendi obligatio, tunc utique quando major eſt ejus neceſſitas: nulla autem gravior eſſe poteſt, quam in articulo mortis, unde pendet æternitas tota, & gravior imminet lucta cum hoſte; ergo.

Dico 2. haud tamen argui poſſe Eccleſias, quæ ſeu reis, ſeu certorum criminum conſciis Viaticum negarunt olim, aut hodieque negant; quia cum ex Tridentino Seſſ. 21. cap. 2. Chriſtus hanc Eccleſiæ poteſtatem conceſſerit, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, quæ Sacramentorum venerationi expedire judicaret, potuit hæc pro jure ſuo eos a ſacra ſynaxi arcere, qui in ſolo mortis periculo veniam deprecari cœpiſſent. Abſit ergo ut culpandi veniant vel Carthaginenſes Epiſcopi cum Cypriano, vel Synodi Illiberitanæ, aut Arelatenſis I. Præſules, cap. 23. vel Galliæ noſtræ Antiſtites, quorum alii ſeros pœnitentes, alii ſontes morti deſtinatos a ſacra communione prohibent. Hi enim dubio procul factæ ſibi a Chriſto poteſtatis limites non tranſiliunt: ſed ut bonos aut vacillantes ſalubri terrore coerceant, quibuſdam ſubtrahunt incerti admodum effectus ſolamen. *Credibile eſt*, ait Contenſonius part. 2. diſſert. 4. cap. 1. ſpecul. 3. p. 282. edit. fol. *Patres noſtros piis rationibus permotos, morem illum* dandæ reis morti adjudicatis Euchariſtiæ *abrogaſſe; tum ut* illa *ſubtractione aliis criminoſis timor incuteretur, & ea pœna, quæ Chriſtianis maxima eſt, a peccandi facilitate cohiberentur: tum quia experientia rerum magiſtra compererunt, rariſſime hujuſmodi ſceleratos ad dignam communionem ſatis eſſe compoſitos, qui de ſalute animæ parum ſolliciti, & crimen inficiari, & actores odiſſe, & teſtes infamare, & judices deteſtari uſque ad locum ſupplicii ſæpius ſolent. Dedeceret autem in infami ſupplicii theatro, in quo duntaxat odia & ſimultates deponunt, adorandum Chriſti corpus circumgeſtare & miniſtrare: & præter quod in illis repentinæ mortis terroribus, nec animus ſatis eſt ſibi compos, corpus etiam torturis debilitatum, mortiſque* violentæ *metu oppreſſum ad manducandum ſacrum epulum haud idoneum eſt. Nec expediret corpus a carnifice ignominioſe tra-*

tractandum, avibus, canibus, lupis, aliiſque feris quamprimum exponendum; Chriſti Domini receptaculum & tabernaculum fieri: redundaret quippe in hoſpitem divinum hoſpitio illata injuria. Unde *Canones*, qui ſontibus Euchariſtiam permittunt, *intelliguntur, quando inter ſupplicii & confeſſionis dies tanta intercapedo intereſt, ut rei & pœnitentiæ fructus edere, & mortem patienti animo ſubire, & ad communionem neceſſariis Chriſtianarum virtutum exercitationibus ſe apparare facile poſſint.*

Ex quibus, proſequitur laudatus Scriptor, *obiter intelliges vulgi ſententiæ periculum, exiſtimantis ſecuram & tutam eſſe hominum ultimo ſupplicio adjudicatorum mortem, utpote minime inopinatam, & ad extremum uſque ſpiritum rationis & judicii facultate gaudentem: unde ortum eſt commune adagium:* „ Sicut nunquam difficilius quam ex aquis ſubmergentibus; ita „ nunquam facilius, quam e patibulo in cœlum conſcenditur: *Et aliud* „ *ei affine:* Submerſorum vix unus non perit; ſuſpenſorum vix unus „ perit. „ *Ego contra apud Auguſtinum Hom.* 40. *legi:* Non præſumo, „ non vos fallo. Fidelis bene vivens ſecurus hinc exit: baptizatus ad „ horam ſecurus hinc exit: agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Unde ſecurus „ ſum, ſecurus ſum, & do ſecuritatem: unde non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Vis te de dubio liberare? vis quod incertum eſt evadere? Age pœnitentiam dum „ ſanus es. Tene certum, dimitte incertum. „ Plura hanc in rem a Theologo cordis & mentis pie & docte congeſta ibidem legeris.

Quæres, an Viatici recipiendi lege teneatur, qui paulo ante morbum communicavit.

Negant Suares, aliique multi, quos ſequitur Lugo diſp. 16. n. 37. Aſſerunt econtra Vaſques & alii quidam quos ſequitur Habert: atque his adhærendum cenſeo; tum quia eo inclinat communis, ſaltem in his partibus, fidelium ſenſus; unde nemo Sacerdos Viatici receptionem omittere auſit, quia ante aliquot dies ſacrum fecerit; tum quia certum non eſt per actum minime præceptum ſatisfieri præcepto: unde alibi diximus, Subdiaconum (idemque eſt de Novitio in die Profeſſionis) qui paulo ante quam ordinaretur, officium totum recitavit, teneri ad repetendam eam hujus partem, quæ ordinationis ſuæ tempori reſpondet. Neque ideo Sacerdos qui primo mane in loco profeſto ſacrum fecerit, tenebitur deinceps audire Miſſam, cum venerit ad locum, ubi Feſtum agitur, prout objicit Lugo; quia univerſali Doctorum conſenſu receptum eſt, ut qui Miſſam, ſeu hac die præceptam ſciret, ſive non, ſemel audiit, ab illa rurſus eadem die audienda immunis ſit.

Quæres 2. an qui communionem fecit ſacrilegam in exitu vitæ, denuo communicare teneatur.

R. 1. eum non ſatisfeciſſe præcepto Viatici, ſicut nec ſatisfacit annuæ communionis præcepto, qui ſacrilege communicavit; prout indicat propoſitionis hujus cenſura, tum ab Innocentio XI. die 2. Martii, an. 1679. tum a Clero Gallicano, an. 1700. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Et vero ideo laxiores Caſuiſtæ, præcepto communionis annuæ per impiam communionem ſatisfieri docuerunt, quia, inquiebant, modus præcepti ſub præceptum non cadit: atqui hæc ratio &

quoad

quoad Viaticum, & quoad annuam communionem prorſus abſurda eſt ; quoad Viaticum quidem, quia potuit utique Chriſtus eam præcipere communionis ſpeciem, qua muniretur infirmus contra inſidias inimici, & quæ ſalutis arrha foret; ſi autem potuit, indubie fecit, ut qui perpetuam habuerit ſalutis noſtræ ſitim. Quoad communionem vero annuam: 1. quia modus præcepti in ipſo præcepto expreſſus pertinet ad ſubſtantiam præcepti: atqui Eccleſia diſertis verbis præcipit, ut omnis fidelis adultus corpus Domini ſemel in anno, idque in Paſchate *devote & reverenter* accipiat ; ergo ipſa reverentia & devotio, quæ ſunt modi hujuſce præcepti, ad ejuſdem ſubſtantiam pertinent; 2. quia ex Auguſtino, manducare carnem Domini, eſt in ipſo manere : an autem manebit quis in Chriſto per communionem ſacrilegam? 3. quia Eccleſiaſticum annuæ communionis præceptum eſt tantum præcepti divini determinatio quoad temporis circumſtantiam; ergo in eo imbibitur ratio tota præcepti divini: atqui dubio procul præceptum divinum eam exigit communionem in qua homo ſe ipſum probaverit; ergo. 4. quia contrarii erroris fundamentum illud eſt, quod Eccleſia actus internos præcipere non poſſit: atqui neque id certum eſt, ut liquet ex dictis Tom. II. pag. 135. neque ſi certum foret, quidquam probaret in præſenti, quia ſicut Eccleſia præcipiendo ut quis feſta vel dominica die ſacro interſit, indirecte præcipit, ut pie ac devote interſit; ſic præcipiendo ut communicet, indirecte præcipit ut pie *& reverenter* communicet.

Objiciuntur tria, 1. indigne communicantem vere recipere corpus Chriſti : atqui, ajunt, nihil aliud exigit Eccleſia; 2. in præcepto de communione duo includi præcepta, poſitivum aliud de ea ſumenda, aliud negativum de ea non ſumenda indigne: atqui per communionem malam primum præcepti genus impletur, licet non ſecundum; 3. eum qui in ſtatu peccati baptizatur, ſatisfacere præcepto de recipiendo Baptiſmate; etiamſi non obtineat finem propter quem inſtitutus eſt Baptiſmus; ergo a pari. Verum abſit ut miſeris iis ſubtilitatibus moveatur anima Chriſtiana.

Ad 1. itaque neg. min. ſi quid enim præcipit ſancta Chriſti Eccleſia, ad minus, ut qui Euchariſtiam recipit, novi Teſtamenti ſanguinem pollutum non ducat, ſed eo recipiat modo, qui ad finis conſecutionem neceſſarius eſt.

Ad 2. poſitivum communionis præceptum includit negativum vitandæ indignæ communionis: quia homo Euchariſtiam recipere jubetur ad vitæ ſpiritualis munimen; unde & ſe ipſum ſerio probare tenetur: atqui ut homo mediante Euchariſtia ſpiritualem vitam conſervet, neceſſe eſt ut ab ipſa malæ communionis ſpecie abſtineat; ergo poſitivo ſimul & negativo præcepto aſtringitur.

Ad 3. 1. neg. ant. qui enim male affectus accedit ad Baptiſmum, recipit quidem Baptiſmum; at ſi proprie loqui velis, non ſatisfacit præcepto Baptiſmi, quo vera & interior, non autem materialis aquæ receptio imperatur: imo præceptum Baptiſmi tranſgreditur, quia nihil tam prohibetur, quam quod ille facit. Equidem non jam amplius baptizari poteſt, ſed non quia legem Chriſti impleverit; bene vero quia Baptiſmus etiam male ſuſceptus characterem imprimit, vi cujus iterari non poteſt. Unde

2. neg.

2. neg. conſeq. Baptiſmus enim quocumque modo receptus ſemper boni aliquid in anima operatur; Euchariſtia vero indigne ſuſcepta, nihil præter animæ mortem. Præterea Baptiſmus reviviſcere poteſt per ſincerum de peccatis dolorem; unde aliquando ſaltem prodeſſe poteſt: at vero non reviviſcit Euchariſtia, ut Tom. IV. probavimus pag. 179.

R. 2. teneri ergo eum qui indigne Viaticum receperit ad novam ejus receptionem: ſed quia vix id fieri poſſit citra ſcandalum, & gravis ſuſpicionis occaſionem, ideo communiter receptionis hujus omiſſio ingenti animi dolore, & humili ac ſubmiſſa ægritudinis perpeſſione compenſari debet. Idem eſt & eadem de cauſa, ſi æger poſt acceptum Viaticum in gravem culpam labatur: at ſi aliquot diebus, manente eodem mortis periculo ſupervixerit, expedit Viaticum ad eum deferri: ſæpius enim, ut diximus, in eodem lethali morbo miniſtrari poteſt non jejunis.

Quæres 3. quid in præſenti per articulum mortis intelligatur.

R. intelligi non tantum morbum naturalem, ſed & imminens aliunde periculum mortis, ut ſi inſtet prælium, aut ſubeundum ſit mare procellis famoſum. Et in hoc conſentiunt Doctores, teſte Lugo ibid. n. 47.

Quæres 4. an qui in prædictis caſibus officio ſuo defuit etiam culpabiliter, teneatur quamprimum communicare.

R. negat. quia præceptum erat duntaxat pro articulo mortis; ergo eo ceſſante, ceſſat & præceptum: quo fere modo qui homini ad extremas anguſtias redacto ſtipem negavit, haud eam tenetur largiri, ſi evanuerit caſus extremæ neceſſitatis. Aliud eſt de præcepto annuæ communionis, ut dixi Tom. III. pag. 664.

An qui mane communicavit, eadem die, ſi morbo oppreſſus totis pedibus feſtinet ad domum æternitatis, denuo per modum Viatici communicare debeat; expendi Tom. III. pag. 668. Hic obiter addam, id non præcipi quidem, ſed permitti in certis Ritualibus, puta Argentinenſi.

Conclusio II. Euchariſtiæ receptio eſt etiam neceſſaria neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici. Hujus autem præcepti varia fuit variis temporibus extenſio.

Prob. 1. pars, 1. ex Concilio Lateranenſi IV. an. 1215. ubi ſic cap. 21. ſtatuitur: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum; niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioqui & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura.*

2. ex Tridentino Seſſ. 13. Can. 9. ubi ſic: *Si quis negaverit omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ; anathema ſit.*

3. quia, ut optime S. Thomas q. 80. art. 11. tenentur omnes Euchariſtiam manducare ſpiritualiter ut Chriſto incorporentur: hæc autem ſpiritalis manducatio ſincerum & non fictum Euchariſtiæ percipiendæ votum includit: atqui fictum & fallax eſſet votum quod non impleretur, ſaltem quando id impleri exigit Eccleſia; ergo.

Into-

Digitized by Google

Intoleranda igitur eſt Calvini impudentia, qui Lib. 4. Inſtit. c. 17. §. 47. hæc furialiter ſcribere auſus eſt: *Conſuetudo quæ ſemel quotannis communicare jubet, certiſſimum eſt diaboli inventum, cujuſcumque tandem miniſterio invectum fuerit*. Quaſi vero rem ſanctam ſancte præcipere non poſſit Eccleſia. Utique, ajebat Hieronymus Epiſt. ad Cteſiphontem: *Sententias iſtas prodidiſſe, ſuperaſſe eſt: Patet prima fronte blaſphemia. Non neceſſe habet convinci quod prima ſtatim profeſſione blaſphemum eſt*.

Prob. 2. pars, 1. enim naſcentis Eccleſiæ fideles, ebulliente adhuc Chriſti ſanguine fervidi, corque unum & animam in multis unam gerentes, non tam lege aliqua, quam pietatis ſuæ ardore ad ſacram hanc menſam diebus ſingulis accedebant.

2. multiplicata Chriſtianorum gente, non autem magnificata lætitia, ſenſim imminui cœpit flamma charitatis; unde jam imperari neceſſe fuit, quod propria ſponte non fiebat. Quædam porro circumferuntur Anacleti & Fabiani decreta, quorum priori, quod habes diſt. 2. *De conſecr.* cap. 10. jubentur Miniſtri, qui ſacrificio interſunt, Euchariſtia refici; poſteriori vero quod extat ibid. cap. 16. mandatur, ut *ſi non frequentius, ſaltem in anno ter, Laici homines communicent, niſi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur, in Paſcha videlicet, & Pentecoſte & Natali Domini*. Verum ſpuriæ eæ Decretales vix aliam quam ſeptimi aut octavi ſæculi, quo ævo fabricatæ judicantur ab eruditis, diſciplinam exhibere poſſunt. Tutius quid dabit id Agathenſis Concilii an. 506. cap. 38. *Cives qui Paſchæ, ac Natalis Domini, vel Pentecoſtes ſolemnitatibus cum Epiſcopis intereſſe neglexerint, cum in civitatibus communionis vel benedictionis accipiendæ cauſa poſitos ſe poſſe debeant, triennio communione priventur Eccleſiæ*.

3. cum temporum lapſu eo languoris & tædii deveniſſet Chriſtiana pietas, ut nedum ſervaretur ſalubris illa ſanctio, ſed in plures etiam annos communio protraheretur, conſtituta eſt lex Lateranenſis, qua imperatur annua Euchariſtiæ participatio, & graves ejuſdem tranſgreſſoribus pœnæ indicuntur.

Quæſtiones hic agitari conſuetas pro modulo expendimus Tom. III. ubi de quinto Eccleſiæ præcepto.

SECTIO TERTIA.

An quotidiana, vel frequens Euchariſtiæ receptio neceſſaria ſit, & quibus conſulenda.

ALiquorum pietas, teſte Lugo diſp. 17. adeo acriter quotidianæ communionis partes ſuſcepit, ut integrum ea de re volumen prodierit, Auctore Petro Vincentio de Marzilla Benedictino, apud Compoſtellanos primario Theologiæ Profeſſore. Operis hujus paucis, ut remur, noti, jam pridem obſoleverat memoria, cum, malis utique avibus, emerſit an. 1745. Liber inſcriptus: *L'Eſprit de Jeſus-Chriſt & de l'Egliſe ſur la frequente Communion*. Voluminis Auctor R. P. Joannes Pichon e Societate Jeſu, vir nobis probe notus, & bonus, quique ut inexhauſtam habet Euchariſtiæ famem, ſic & omnes ejus participes eſſe cupiat: at id quia

 peri-

periculoſa methodo tentatum, tentatum infelici ſucceſſu: unde exploſum pene ubicumque Opus, ab ipſo etiam Auctore ſuo reprobatum eſt. Atque utinam qui tot ex Scriptoris hujus lapſu triumphos egere; quaſi vero mirum ſit hominem pede labi, pœnitentiam ejus imitentur; & ſaltem ad Eccleſiæ totius vocem & anathemata reſipiſcant. Dum id præſtolamur, magis quam ſperamus, quæ ſpectant ad Euchariſtiæ uſum certis propoſitionibus complectemur. Sit itaque

CONCLUSIO I. Laudabilior eſt frequens Euchariſtiæ uſus, quam rarior.

Prob. Si perfectius eſſet abſtinere quam accedere, haud utique frequentiam deſideraret Eccleſia; quia tunc minus perfectum deſideraret: atqui tamen communionis frequentiam impenſe deſiderat Eccleſia, poſitis nimirum ponendis, de quibus infra. Prob. min. ex Trid. Seſſ. 22. c. 6. ubi ſic: *Optaret ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles aſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi hujus ſacrificii fructus uberior perveniret*, & Seſſ. 13. c. 8. *Paterno affectu admonet ſancta Synodus, hortatur, rogat & obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut omnes & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſentur .... hæc ſacra myſteria corporis & ſanguinis ejus ea fidei conſtantia, ea animi devotione, ac pietate & cultu credant & venerentur, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint.*

Prob. 2. ex deciſione ſacræ Congregationis apud Lugo ibid. ſect. 1. n. 2. quæ ſic habet: *Obſtat Concilium Tridentinum Epiſcopo volenti præſcribere certa tempora, ut dies Dominicos, quartam & ſextam feriam, quibus tantum liceat viris Laicis, conjugatis, negotiatoribus, & mulieribus etiam non conjugatis ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere; etiam ob irreverentiam, quam poteſt quotidiana hujus Sacramenti ſumptio in ſua Diœceſi parere. Hoc fuit deciſum in menſe Januario 1587. obſtare, quia antiquo tempore peracta conſecratione omnes aſtantes ſumebant Euchariſtiam; & ideo licitum eſt quotidie Euchariſtiam ſumere:* quod autem licitum eſt, bonumque & ſanctum, generali lege interdici non decet.

Prob. 3. ex celebri Decreto quod de frequenti communione an. 1679.
Recueil des Bulles pag. 404. die 15. Februarii emiſit Innocentius XI. ubi ſic: *Etſi frequens quotidianuſque ſanctæ Euchariſtiæ uſus a SS. Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus; nunquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi, certos ſingulis menſibus aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantum indicavit*, &c. ubi *frequens quotidianuſque Euchariſtiæ uſus* ut quidpiam a SS. Patribus *ſemper in Eccleſia probatum* exhibetur. Idipſum diu ante, nimirum an. 1437. docuerat Synodus Baſileenſis: *Quod autem*, inquit, *ſæpe accedere ad Euchariſtiam percipiendam digne & devote & cum diſcuſſione debita ſit utile & valide proficuum, imo ſumme neceſſarium cupienti & deſideranti in via Domini non regredi, ſed progredi, omnes Doctores Catholici laudant, hortantur, admonent, obſecrant inceſſanter fidelem populum.*

Prob. 4. quia eo ſanctior eſt praxis quæque, quo plus ad Apoſtolica tempora regreditur: atqui conſtat Apoſtolicis, & quæ eis viciniora fuere, temporibus frequentem fuiſſe Euchariſtiæ uſum: 1. enim priori Ec-
Act. 2. cleſiæ ſæculo Fideles *erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communica-*

nicatione fractionis panis & orationibus: quæ verba de Euchariſtica communione intellexerunt Patres. Favet verſio Syriaca, quæ pro *communicatione fractionis panis*, legit: *In communione ſanctæ Euchariſtiæ*.

2. Juſtinus qui altero Eccleſiæ ſæculo vixit, in Apologiâ 2. quam Antonino Imperatori obtulit, hæc habet: *Solis qui dicitur die*, nunc Dominico, *omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit ...... & diſtributio communicatioque fit eorum in quibus gratiæ ſunt actæ* CUIQUE PRÆSENTI, *abſentibus autem per Diaconos mittitur*.

3. Cyprianus qui circa medium ſæculi tertii Carthaginenſi Eccleſiæ præerat, in expoſitione orationis Dominicæ: *Euchariſtiam*, inquit, QUOTIDIE *ad cibum ſalutis accipimus*.

4. Hieronymus Epiſt. 50. *Scio*, inquit, *Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod non reprehendo, nec probo*. Cur autem non omnino probaret vidimus ſupra.

Prob. 5. quia ubi quotidianæ communionis uſus refrigeſcere cœpit, eum omni niſu revocare ſtuduerunt Patres. Ambroſius, ſeu quivis alius Auctor Librorum de Sacram. Lib. 45. c. 4. *Si quotidianus eſt panis*, inquit, *cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci quidam ſegniores in Oriente facere conſueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit: ſic vive ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere*, ſi mores non mutet.

S. Chryſoſtomus Hom. 61. ad Populum Antiochenum, de iis ſegnibus amare conqueritur, qui ter ſolum in anno, in Epiphaniis nimirum, in Paſchate, & in Natali Domini ad ſacram Cœnam accedebant. *O conſuetudinem!* inquit, *o præſumptionem! ſacrificium fruſtra quotidianum. Incaſſum aſſiſtimus Altari, nullus qui communicetur. Hæc non dico, ut temere communicemini, ſed ut vos dignos reddatis. Non es hoſtia dignus vel communione? igitur nec oratione*.

Hac illa tamen ætate non ubique apud Orientales deſierat communio frequens, ut patet ex S. Baſilio in Epiſt. ad Cæſariam Patriciam, ubi hæc habes: *Communicare ſingulis diebus & ſanctum Chriſti corpus percipere præclarum eſt & utile, cum ipſe dicat:* Qui manducat meam carnem, &c. *Quis igitur ambigat vitam aſſidue participare, nihil aliud eſſe quam multifariam vivere. Nos autem quater in ſingulas hebdomadas divina Sacramenta participamus, Dominica die, quarta feria, in Paraſceve & in Sabbato, & aliis diebus, ſi quando Dominica memoria, vel Sancti alicujus fuerit*. Ergo creber piæ & ſanctæ communionis uſus præſtat rariori.

CONCLUSIO II. Non eſt tamen abſolute neceſſaria ad ſalutem communio quotidiana, aut frequentiſſima.

Eſt contra citatum Opus: *L'Eſprit de J. C.* &c. ubi Auctor pluribus in locis neceſſitatem hanc inculcare videtur: ſic p. 20. & 21. Theophilo ſic objicienti: *Je conviens que J. C. veut que nous le mangions ce pain .... mais il ne dit pas que nous le mangions tres frequemment, encore moins tous les jours*. Reſpondet Auctor ſub Doctoris nomine: C'EST BIEN LE DIRE: *car, ſelon l'idee & l'uſage univerſel, manger, c'eſt prendre chaque jour de la nurriture ..... Qu'un medecin diſe: Mangez de cette viande, tout malade comprendra* QU'IL DOIT *en faire ſa nourriture ordinaire & journaliere*. Pag. 26. *Le vrai pain de vie eſt J. C.* ON DOIT DONC CHAQUE JOUR

S'EN NOURRIR. Pag. 81. *S. Paul parle ſi poſitivement de l'Euchariſtie comme d'un pain, qui tout celeſte qu'il eſt,* DOIT ESTRE *l'aliment journalier des Chretiens; il aſſure ſi nettement, que le pain que nous rompons eſt une nourriture ordinaire, qu'on ne peut ſe refuſer a ſon temoignage*, &c.

Prob. 1. Si ad ſalutem neceſſaria foret frequentiſſima aut quotidiana communio, gravi defuiſſent officio, tum priores illi Eremorum incolæ, qui nedum frequenter, imo rariſſime accedebant ad Euchariſtiam; tum ſancti Eccleſiæ Doctores, qui illos ab hac ſua agendi ratione non deterruerunt: atqui id ſeu de Ægypti ac Thebaidos Angelis, ſeu de SS. Patribus ſuſpicari nefas fuerit; ergo. Tota propoſitionis hujus difficultas in ipſo facto verſatur: de hoc autem audiatur Chryſoſtomus Hom. 17. in Epiſt. ad Hebræos, ſic ille: *Multi ſemel in anno ſacrificii hujus participes fiunt, alii bis, alii ſæpius: ad hos ergo omnes mea convertitur oratio: Nec ſolum ad eos qui hic adſtant, ſed ad eos etiam qui in eremo degunt, quippe qui ſemel tantum in uno, plerumque etiam poſt duos annos ſacra communione impartiuntur. Quos igitur potiſſimum laudabimus? an qui ſemel? an qui frequentius? an qui rarius communionem adeunt? Neque hos, neque illos; ſed eos demum qui cum puræ mentis conſcientia, qui mundo corde, ac vita integra atque inculpata Chriſti corpore reficiuntur. Tales ſemper accedant; ceteri nec ſemel accedant.* Huc referri poſſint Thaidis, Mariæ Ægyptiacæ, & ſimilium exempla.

T 4 part. 2. 579.

Prob. 2. ex S. Hieronymo Epiſt. 52. ad Lucinium, ubi ſic: *De Sabbato quod quæris utrum jejunandum ſit; & de Euchariſtia an accipienda quotidie, quod Romana Eccleſia & Hiſpania obſervare perhibentur ...... illud breviter admonendum puto, Traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ita obſervandas ut a Majoribus traditæ ſunt, nec aliarum conſuetudinem, aliarum contrario more ſubverti: atque utinam omni tempore jejunare poſſimus .... Euchariſtiam quoque abſque condemnatione noſtri & pungente conſcientia ſemper accipere, & Pſalmiſtam audire dicentem: Guſtate & videte quam ſuavis eſt Dominus*, & Epiſt. 30. ad Pammachium: *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo: unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat*, &c. atqui quod ſolum eſt conſuetudinis Eccleſiaſticæ, quod inculpate hic & illic aliter & aliter obſervatur, quod ſi generatim non reprehenditur, neque etiam generatim approbatur, illud jure divino ſancitum non eſt; ergo.

Prob. 3. ex S. Auguſtino Epiſt. 118. cap. 3. ubi librata duorum agendi ratione, quorum alter ad Euchariſtiam reverenter accedit, alter pari reverentiæ ſenſu accedere dubitat, ſic concludit: *Rectius inter eos fortaſſe quiſquam dirimit litem, qui monet ut præcipue in Chriſti pace permaneant. Faciat autem unuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit Zachæus & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum: Alter dixerit: Non ſum dignus ut intres ſub tectum meum. Ambo Salvatorem honorificantes diverſo & quaſi contrario modo:* atqui in ſyſtemate Scriptoris quem impugnamus, non honorificaret Dominum qui

Cen-

Centurionis exemplo a Chriſti corpore recederet; quia non honorat Dominum qui legi divinæ deeſt: unde non patitur Auctor ut in Chriſti pace permaneant, quos in eadem Chriſti pace permanere vult Auguſtinus. Pag. 94. & 95.

Prob. 4. ex ſanctis Scholæ Doctoribus, hi enim licet directe non expendant, an quotidiana, aut pene quotidiana communio juris ſit divini, quia nec ipſis in mentem venerat, futuros aliquando eſſe, qui ita ſentirent, varia tamen ſtatuunt principia quibus fictitia perpetuæ communionis neceſſitas ſubvertatur. S. Thomas 3. p. q. 80. art. 10. *Circa hujus Sacramenti uſum*, inquit, *duo poſſunt conſiderari, unum quidem ex parte ipſius Sacramenti, cujus virtus eſt hominibus ſalutaris, & ideo utile eſt quotidie ipſum ſumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat .... Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat; & ideo ſi aliquis quotidie ad hoc ſe paratum inveniat, laudabile eſt quod quotidie ſumat ..... ſed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter indiſpoſitionem corporis vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, ſed quotieſcumque ſe ad illud homo invenerit præparatum: unde in Libro* Gennadii *de Eccleſ. dogmatibus dicitur: Quotidie Euchariſtiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero*.

S. Bonaventura in 4. diſt. 12. part. 2. art. 1. q. 2. *Si ergo quæritur utrum expediat frequentare Euchariſtiam alicui; Dicendum quod ſi videat ſe eſſe in ſtatu Eccleſiæ primitivæ, laudandum eſt quotidie communicare: Si autem in ſtatu Eccleſiæ finalis,* * *utpote frigidum & tardum, laudandum eſt quod raro: Si autem in medio modo, medio modo debet ſe habere, & aliquando debet ceſſare ut addiſcat revereri, aliquando accedere ut inflammetur amore*.

Idem S. Doctor Lib. 2. de profectu Religionis cap. 77. *Vix*, inquit, *aliquis ita religioſus eſſe videtur & ſanctus (exceptis Sacerdotibus) quin ſemel in ſeptimana ſufficiat ei ex conſuetudine communicare, niſi ſpecialis cauſa quandoque, vel ratio plus ſuadeat, vel infirmitas ſuperveniens, vel ſingulariter feſtivitas ſolemnis*.

Alexander Alenſis 4. p. art. 4. §. 1. quæſtiunc. 2. expendens an hæc Auguſtini, vel potius Gennadii verba: *Quotidie Euchariſtiam ſumere, nec laudo, nec vitupero*, de bonis, an de malis intelligenda ſint, ſic habet: *Auguſtinus loquitur de bonis; & poteſt eſſe in bonis, quod quotidie communicare generet faſtidium, & minorem reverentiam & devotionem*, &c. *In aliquibus vero ipſa frequentia auget devotionem & reverentiam; & tunc laudabile eſt quotidie accipere; & ideo nec laudat, nec vituperat; quia aliquando bene poteſt fieri a bonis, quandoque bene omitti a bonis*, & infra quæſtiunc. 4. *Per ſe loquendo magis expedit alicui digne accedere, quam expediat eidem ceſſare: occaſionaliter tamen magis expedit ceſſare ad tempus, quam frequenter accedere; quia aliquando contingit quod ceſſatio eſt cauſa majoris devotionis & reverentiæ.* Idem videris apud Richardum in 4. diſt. 12. art. 6. qu. 1. Dionyſium Carthuſ. qu. 5. Albertum diſt. 13. art. 27. & 28.

Idem vero Albertus Lib. de Miſſa, in fine: *De his*, inquit, *qui mulieres omni die communicant, videtur quod acriter reprehendendi ſunt,*

* Eccleſia *finalis* non dicitur quæ ſeneſcit: *quod* enim *ſeneſcit, prope interitum eſt*, ait Apoſtolus Hebr. 8. ſed ea in qua longe minus reperire ſit fervoris, quam in primitiva Eccleſia.

quia nimio uſu vileſcere faciunt Sacramentum, & potius ex levitate mulierum putatur eſſe deſiderium, quam ex devotione cauſatum.

Ex his quæ concluſionem proxime ſequentem diſerte ſtabiliunt, ſic diſputo pro præſenti: Citati hactenus Doctores ad crebram communionem pro virili hortantur, nec utique pro adverſariis ejus haberi poſſunt: atqui ne unus quidem eam divino jure præſcriptam aſſerit; etſi dubio procul ex hac divini juris aſſertione haud parum roboris ſumpſiſſent eorum adhortationes; ergo divini juris obligationem ne eorum quidem unus cognovit.

Prob. 5. ex citato jam Innocentii XI. Decreto, quod a nupero Scriptore in cauſæ ſuæ ſubſidium, cum eidem conceptis terminis repugnet, adductum fuiſſe mirum eſt. Ibi ſic: *Porro Epiſcopi & Parochi ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes communionem quotidianam eſſe de jure divino.* Aſſerebant tamen aliqui etiam poſt Decretum, aut ſaltem eo in praxi modo ſe gerebant, ac ſi aliquam divini juris obligationem admiſiſſent; atque hinc tanta in Neapolitana Diœceſi emerſit Communionum frequentium multitudo, citra ullam fervoris ſpeciem, ut Cardinalis Caraccioli, Neapolitanus Archipræſul, de ſummo illo abuſu apud Innocentium XI. conqueſtus fuerit datis litteris die 30. Januarii an. 1682. Ejuſdem Decreti lectionem & uſum Parochis ſuis commendavit Illuſt. d'Arenton d'Ales Epiſcopus Anicienſis.

Prob. demum ex cenſuris quas contra prædictum Opus tulere complures Galliarum Epiſcopi, quibus unanimi conſenſu applauſere ſaniores Ordinum omnium Theologi. Certe improvido huic partui ne amici quidem Auctoris pepercerunt. Verum adeo nota ſunt præcipua, quæ hac occaſione eruperunt Documenta Paſtoralia, ut his etiam recenſendis immorari neceſſe non ſit.

Obj. 1. Joan. 6. Caro Chriſti dicitur animæ cibus: atqui cibus animæ ut & corporis frequentiſſime ſumi debet; ergo.

R. 1. ex hoc ratiocinio confici Euchariſtiam, non modo quotidie, ſed & in die pluries ſumendam eſſe, prout tempore & occaſione S. Franciſci Borgiæ docuiſſe perhibentur Hiſpani quidam Doctores, quode videris ejuſdem Sancti vitam a P. Verjus editam Pariſiis an. 1672. pag. 72. & 73.

R. 2. diſt. maj. eſt cibus animæ, ſed qui aliis mediis compenſari poteſt, ut in Solitariis Ægyptiacis indubie compenſabatur. Item eſt cibus, ſed qui ſemel pie & fervide acceptus plus proſit, quam pluries ſi languide & ex habitu. Item eſt cibus, cujus familiaritas nimia contemptum, aut contemptui quidpiam affine parere poſſit. Denique eſt cibus, qui nec modicas, nec admodum frequentes in ſuſcipiente diſpoſitiones requirit, C. eſt cibus inſtar corporalis cibi, N. nulla eſt hujus ſolutionis pars quæ partim ex dictis, partim ex dicendis non innoteſcat.

Inſt. Chriſtus ibid. v. 49. & 50. Euchariſtiam cum manna comparat. *Patres veſtri*, inquit, *manducaverunt manna & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur*: atqui manna neceſſarius omnino erat cibus Iſraelitarum in deſerto; itaut ſine ipſo vitam conſervare prorſus non potuiſſent; ergo a pari, &c.

R. diſt. maj. comparat Chriſtus Euchariſtiam cum manna quantum ad aliquid, C. quantum ad omnia, N. itaque conveniunt Euchariſtia & manna potiſſimum in duobus, 1. ratione originis, quia uterque cibus

erat

erat e cœlo; 2. ratione aliqualis effectus, quia ut conferebat manna ad nutrimentum & conſervationem corporis, ſic & ad ſpiritalis vitæ augmentum impendio confert Euchariſtia. Verum utriuſque alimenti comparatio, ut moris eſt, claudicat & deficit in pluribus; & 1. quantum ad effectus continuitatem: manna enim non præſtabat immortalitatem corpori terreno: *Manducaverunt manna & mortui ſunt*. Euchariſtia vero immortalitatem animæ tribuit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* 2. & id quidem in præſenti capitale eſt, quantum ad neceſſitatem. Alioqui ſicut deficiente ſibi etiam invincibiliter manna, periiſſet Hebræus, ſic deficiente etiam citra ſui culpam Euchariſtia, periret Chriſtianus: quod hactenus nemini venit in mentem; 3. penes legem recipiendi: unde Iſraelita, qui multos dies a colligenda manna abſtinuiſſet, ſui homicida ab omnibus judicatus eſſet; Fidelis vero ad longum etiam tempus a participanda Euchariſtia abſtinere aliquando poſſet, prout contingebat Solitariis quos laudat Chryſoſtomus. Hujus autem rei ratio jam ſubindicata eſt, tum quod manna nonniſi ad diem aleret corpus, Euchariſtia autem fervide recepta ad multum tempus; tum quod mannæ defectus nullo alio cibi genere ſuppleri poſſet in deſerto; Euchariſtia vero ſuppleri abſolute poſſit, ſeu communione ſpirituali, ex qua non raro uberes fructus capiunt, qui ab orali abſtinent; ſeu fide incenſa, ex qua vivit juſtus; ſeu charitatis eximiæ operibus, quæ gratiam accerſunt & conſervant, ſecundum id Chriſti Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*.

Obj. 2. Parabolam hominis illius, qui Luc. 14. & Matth. 22. *fecit cœnam magnam, & invitavit* multos: ii vero cum variis de cauſis adeſſe tenuiſſent, *iratus Paterfamilias* in eorum locum *pauperes ac debiles & cæcos & claudos* ad convivium ſuum introduci juſſit, terribili hac contra cœnæ ſuæ contemptores adhibita comminatione: *Dico vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam*. Ex iis ſic: Cœna de qua hic agitur, Euchariſtici convivii figura eſt luculenta, ut paſſim intelligunt Doctores: atqui cœnæ hujus participatio divino jure præcipitur, & quidem graviter, nimirum ſub comminatione interitus æterni; ergo.

R. 1. neg. maj. etſi enim cœna illa in ſenſu morali de Euchariſtico convivio intelligi ſolet, conſtat nihilominus eam in ſenſu proprio de vocatione ad fidem, & ex conſequenti ad futuram gloriam intelligi debere, uti poſt Origenem, Hilarium, Hieronymum, Gregorium & alios docent Cornelius a Lapide, Calmet, aliique melioris notæ Interpretes. Bene & breviter Menochius in cap. 22. Matth. v. 2. *Videtur Chriſtus hac parabola duo ſignificare voluiſſe; Alterum, multos ad regnum cœlorum, ideſt ad Eccleſiam vocari, paucos venire, ut concludit v. 14.* Multi ſunt vocati, pauci vero electi. *Alterum, non omnes, qui ad Eccleſiam vocati veniunt, ſalvos fieri, ideſt, dignos eſſe cœleſti convivio; quia aliqui veſtem nuptialem non habent, ut ſignificat v. 11. ubi unus ille, qui ſine veſte nuptiali deprehenditur, inſtar eſt ceterorum omnium, qui fidem nudam, non autem opera charitatis ſummo Judici exhibebunt*.

Confirm. quia ad Euchariſtiam non invitantur, ac multo magis non compelluntur boni & mali: atqui tamen ſervi Patrisfamilias ad convi-

vium ejus congregaverunt omnes quos invenerunt, *bonos & malos*, ibid. v. 10. ergo. Hac poſita ſolutione evaneſcit tota objectio. Dato tamen, quod gemina Matthæi & Lucæ parabola, quæ, ut fatentur omnes, unum & eumdem utraque ſenſum habet, de Euchariſtia intelligi poſſit,

R. 2. conc. totum. Quid inde? communio Euchariſtica præcipitur divino jure: fateor; ergo præcipitur quotidiana, frequenſve, vel frequentiſſima: non ſatis video unde id eruatur. Si hinc, quod Euchariſtica cœna, non ſemel, ut nuptiale Matthæi convivium, ſed quotidie celebretur; ergo, inquam, non modo diebus ſingulis, ſed & eadem die pluries communicandum erit; quod etſi a Devoto quodam enixe optatum vidi, vidi & a ceteris rejectum. Interim qui crebram ſacræ cœnæ frequentationem tantopere urgent, meminerint eum qui convivii nuptialis aulam ingreſſus eſt *non habens veſtem nuptialem*, *ligatis* illico *manibus & pedibus in tenebras exteriores* immiſericorditer fuiſſe projectum.

Joan. 6. Matt. 14. Marci 6. Luc. 9. Obj. 3. Celebre miraculum panis ſemel & iterum in deſerto multiplicati, præſtans quidam eſt Euchariſtiæ typus: atqui typi hujus ratio crebram Euchariſtiæ receptionem ſtricte imperatam eſſe perſuadet. Si enim præcipit Chriſtus, ut Apoſtoli populis, ne in via corporaliter deficiant, panem ad victum ſuppeditent, præcipit, quo veritas reſpondeat figuræ, ut iiſdem populis, ne deficiant ſpiritaliter, panem ſuperſubſtantialem præbeant: unde & eum, non identidem, ſed perpetuo ſibi tradi poſtulat pia plebs, his verbis: *Domine*, SEMPER *da nobis hunc panem;* ergo.

R. diſt. maj. præſtans eſt typus Euchariſtiæ, quantum ad omnipotentiam Chriſti, ad ſummam ejus erga homines benignitatem, ad diſpoſitiones Euchariſtiæ prævias, &c. C. quantum ad frequentiam communionis, ejuſque præceptum, N. Itaque panum multiplicatio & præludium fuit Euchariſtiæ, & imago ejus in plurimis: 1. enim ut multiplicatio panum quinque ſummam arguit omnipotentiam, ſic & arguit panis in corpus Dominicum converſio; 2. ſicut ſingulari ſua in homines benignitate commotus eſt Chriſtus ad multiplicandos panes, ne plebs defatigata in reditu deficeret; ſic & pari pietate ad Sacramenti ſui inſtitutionem commotus eſt, ut cum ſuis uſque ad finem remaneret, iiſque contra vitæ hujus aſperitates ſolatio foret & munimini; 3. quemadmodum ante ſanavit Chriſtus *languidos* omnes, quam eis per Diſcipulos ſuos panem
Matt. 14 v. 14 miraculo partum diſtribueret; ſic & ante ſanari vult Fideles, quam ad vivificum panem accedant. Unde, nec erat id omittendum, in panum multiplicatione ſervatur idem ordo, qui in Euchariſtiæ receptione ſervari debet, ſecundum id S. Ambroſii Lib. 6. in Luc. c. 9. *Myſterii ordo ſervatur. Nemo cibum accipit Chriſti, niſi fuerit ante ſanatus.* Verum nihil eſt in gemina panum multiplicatione, unde erui poſſit frequens communio, multoque minus ut a Chriſto imperata. Quod enim Joan. 6. v. 34. exclamat populus: *Da nobis ſemper hunc panem*, nec ad Euchariſtiam ſpectat, quæ necdum annuntiata erat; nec a plebe certo pia dictum eſt, cum ex iis multi, audita paulo poſt tanti Sacramenti promiſſione, murmuraverint, & abierint, ibid. v. 53. 62. & 67.

Obj. 4. Primi Chriſtiani ſingulis diebus ſacra Euchariſtia reficiebantur,

Digitized by Google

tur, ut liquet ex Act. cap. 2. ubi *quotidie circa domos panem* fregiſſe dicuntur, & *in communicatione fractionis panis* perſeveraſſe: atqui praxis hujus neceſſitatem ab Apoſtolis didicerant Chriſtiani, Apoſtoli autem ab ipſo Chriſto; ergo praxis communionis quotidianæ ab ipſo Chriſto dimanat.

R. neg. min. aliud eſt enim praxim aliquam ſervaſſe, aliud eamdem ſervaſſe ut neceſſariam, & a Chriſto per Apoſtolos imperatam. Singulis ergo diebus ad Euchariſtiam acceſſerint Chriſtiani omnes, non refragabimur: etſi acceſſum hunc metaphyſice ſumptum non exigat Littera Scripturæ: at eos praxim hanc ut neceſſariam, ſibique divinitus imperatam ſervaſſe, nec probatur, nec probari poteſt. Ceterum quibus *cor unum erat, & anima una*, qui in oratione & doctrina Apoſtolorum perſeverabant, qui omnibus fortunæ bonis nuntium remittebant perpetuum, qui ſolo martyrii ſpiritu accenſi erant, haud mirum, ſi quotidianæ panis fractioni idonei forent.

Obj. 5. S. Paulus a Domino acceperat, id quod primis Eccleſiæ Fidelibus tradidit, prout teſtatur ipſe I. Cor. 11. v. 23. atqui tradidit indubie praxim quotidianæ communionis, ut neceſſariæ. Sic enim loquitur ibid. v. 26. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*: atqui verba hæc quotidianæ communionis praxim ut neceſſariam exhibent: 1. enim eo loci, ut & alibi ſexcenties, Euchariſtia deſignatur nomine panis: atqui panis uſuale eſt & quotidianum hominis alimentum; 2. exhibetur eadem Euchariſtia, tanquam id per quod mors Domini quotidie annuntianda ſit, *donec* ipſe *veniat*, ideſt, uſque ad exitum ſæculi: atqui id per cujus ſumptionem mors Domini quotidie annuntiari debet, quotidie debet recipi; ergo.

R. ad 1. neg. min. ſi enim quotidianæ communionis neceſſitatem tradidiſſet Apoſtolus, hanc, quæ indefectibilis eſt, Eccleſia Chriſti de ſæculo in ſæculum ad nos uſque tranſmiſiſſet: atqui non tranſmiſit, ut conſtat ex citato, quod ubique ſummo cum plauſu receptum eſt, Innocentii XI. Decreto; ergo.

Ad 2. neg. min. quæ ex neutra S. Pauli locutione colligitur. Non ex voce *panis*, tum quia hæc non convenit proprie Euchariſtiæ; tum quia Euchariſtia, non ad horas aliquot ſuſtentat hominem, ut terrenus panis; alioqui non quotidie tantum, ſed & in die pluries * ſumi deberet; tum quia panis defectus vix apud ſanos alio cibo ſuppleri poteſt, non ſic Euchariſtia. Adde quod ut ægrotis compluribus caute ſubtrahitur panis, ſic & ſpiritaliter infirmis ſubſtrahi poſſit Euchariſtia, ut paulo inferius dicetur. Non etiam ex reliquo contextu: Siquidem ut mors Domini annuntietur quotidie, ſufficit ut munda carnis ejus oblatio & manducatio ubique gentium perficiatur: ad id autem neceſſe non eſt ut quotidie ab iiſdem perficiatur.

Obj. 6.

* Quod Auctore Valafrido Strabone ſæculi IX. Scriptore tradit P. Pichon pag. 178. S. Leonem magnum ſepties, aut etiam novies in die ad ſacram ſynaxim acceſſiſſe, haud omnino accuratum videtur: de hoc ſic loquitur D. Fleury Tom. X. Lib. 46. pag. 184. „C'eſt comme on croit ce Pape Leon III. dont un Auteur du tems (Valafride Strabon *de reb. Eccl. cap.* 21.) temoigne, qu'il diſoit quelquefois ſept Meſſes par jour; „meme juſques a neuf. C'eſt-a-dire, que quand la ſolemnite de la fete, & la multitude du peuple obligeoit a en dire pluſieurs, il avoit la devotion de les dire toutes.„

Obj. 6. Acta Martyrii B. Andreæ a Preſbyteris & Diaconis Achajæ conſcripta, eumdem Apoſtolum Proconſuli Ægeæ his reſpondentem verbis inducunt: *Ego omnipotenti Deo immolo* QUOTIDIE *immaculatum agnum in altari, cujus carnem poſteaquam omnis populus ore manducaverit, agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat & vivus;* ergo quotidiana communio praxis eſt Apoſtolica, ſicque a Domino ipſo indubie dimanans.

Reſpondent aliqui prædicta Acta, vel ex ipſis quæ objiciuntur verbis, convinci falſi: quia Euchariſtiæ myſterium palam & aperte referant, contra morem primævi illius temporis, ubi vigebat tritum illud Sacramenti noſtri velamen: *Norunt Fideles*.

Verum ſolutio hæc difficilis videtur, 1. quia prædicta verba, etſi Chriſtiano perſpicua, Gentili tamen, qualis erat Ægeas, ambigua admodum & obſcura eſſe debuerant; nec facile vir animalium ſacrificio aſſuetus concepiſſet, agnum quem immolabat Andreas, ipſam eſſe Deihominis carnem; 2. quia Euchariſtiæ myſterium non evidenter minus habetur in 2. Apologia Juſtini, quam in prædictis verbis; licet Juſtini tempore Euchariſtica veritas arctiori quam uſquam ſilentio premeretur; 3. quia qui contra Baronium & Nat. Alexandrum Acta B. Andreæ pro dubiis, aut ſpuriis habet Tillemontius, eadem non ex illo capite, ſed aliis ex pluribus impugnat. Unde

Tillemont. Tom. 1. p. 620.

R. 1. ex Actis Martyrii S. Andreæ nihil poſſe colligi, 1. quia dubia ſunt, aut certe interpolata, ut oſtendit P. Germon; 2. quia aliud eſt quotidianæ communionis praxim Chriſti ſpiritui admodum conſentaneam eſſe, & qua talem ab Apoſtolis adhibitam; quod Catholicus nemo inficiari auſit; aliud eam ſevera lege imperari, quode ſolo in præſenti diſputamus.

Apud Cabaſſ. pag. 9.

Obj. 7. Canon VIII. inter eos qui Apoſtolici dicuntur, ſic habet: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quicumque ex Sacerdotali conſortio, oblatione facta, non communicaverit, cauſam dicito: Et ſi bona ratione ſubnixa ſit, veniam promeretor. Sin minus dixerit, a communione excluditor, tanquam qui populo auctor offenſionis fuerit.* XI. vero ſic exprimitur: *Quicumque Fideles Eccleſiam ingrediuntur, & non communicant, eos tanquam qui ordinis in Eccleſia perturbationem inducant, a communione arceri,* ideſt, excommunicari *oportet;* ergo.

R. ex his Canonibus, quos recens Auctor mala fide citavit, nihil inferri poſſe; non ex 1. qui ad ſummum probat, eos e Sacerdotali conſortio, qui oblationem faciebant, tunc temporis ad communionem aſtrictos fuiſſe, niſi *bona ratio* aliud juberet. Non ex 2. qui ſic habet: *Quicumque Fideles Eccleſiam ingrediuntur, & Scripturas audiunt, neque apud preces & ſanctam communionem permanent,* ſeu, ante ſacrificii finem ab Eccleſia egrediuntur, *eos tanquam*, &c. inde autem quid contra nos, quid pro adverſariis? De prædictorum Canonum auctoritate vide Cabaſſut. in Notitia Eccleſiaſtica, ubi hæc refert Iſidori Hiſpalenſis, vel potius Eccleſiæ Toletanæ verba: *Canones qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec Sedes Apoſtolica recepit, nec SS. Patres illis aſſenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur, quamvis in eis utilia inveniantur; tamen ab auctoritate Canonica atque Apoſtolica, eorum geſta conſtat eſſe remota, atque inter apocrypha deputata.*

Obji-

Digitized by Google

Objiciuntur alia quædam, & 1. id S. Ignatii Martyris Epiſt. 14. ſub finem: *Feſtinate ergo frequenter accedere ad Euchariſtiam & gloriam Dei:* 2. id Juſtini Apolog. 2. *Die qui dicitur ſolis, convenimus .... diſtributio & communicatio quæ fit eorum in quibus gratiæ actæ ſunt cuique præſenti, abſentibus per Diaconos mittitur:* 3. id Tertulliani Libro ad uxorem, cap. 5. *Non ſciet maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes:* ubi communio, non ſecus ac oratio, atque ſignum crucis inter actiones quotidie exerceri conſuetas recenſetur; 4. id Cypriani Serm. 6. de Orat. Dominica: *Hunc panem dari nobis* QUOTIDIE *poſtulamus, ne qui Euchariſtiam* QUOTIDIE *ad cibum ſalutis accipimus, intercedente graviori delicto, dum abſtenti & non communicantes a cæleſti pane prohibemur, a Chriſti corpore ſeparemur:* 5. id Anacleti Epiſt. 1. apud Gratian. cap. *Epiſcopus*, diſt. 1. *De conſecrat. Peracta conſecratione omnes communicent; qui* vero *noluerint, Eccleſiaſticis carere liminibus: ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia*. Ceteros omitto qui nihil ultra exprimunt.

R. ex his textibus alii indicant frequentem communionem aliquando fuiſſe in uſu, quod nemo in dubium vocat; alii optatum ſemper in Eccleſia fuiſſe, ut Fideles crebro ad ſacram menſam accederent; quod etiam admittunt omnes: at ne unus quidem ex iis eſt, qui divini præcepti neceſſitatem demonſtret. Textus enim Pſeudo-Anacleti, quem plures de ſolis Clericis interpretantur, legem mere humanam, quæ aliquando viguerit, exhibere poteſt: imo ſic intelligi, ut a ſacrificio abſit, qui communicare noluerit. *V. Suar. diſp 69. ſect. 3.*

Ceterum ſpurii ſunt textus, tum affictæ Ignatio Epiſtolæ, tum & illius quæ præfert nomen Anacleti: idque jam adeo eruditos inter receptum eſt, ut mirum ſit quemquam hic cæcutire.

CONCLUSIO III. Ut quis frequenter & frequentiſſime communicet, non ſufficit ut a peccato mortifero immunis ſit. Eſt 1. contra eumdem Marzillam de quo ſupra; 2. contra P. Falconi, in Opere cui titulus: *El pan nueſtro de cada dia*, ideſt, Panis noſter quotidianus, quod magnopere laudat P. Pichon pag. 126. ſed non ita laudarunt Gallicani Præſules, quorum alii, ut Archiepiſcopus Pariſienſis, Librum hunc in Diœceſi ſua novis typis edi vetuerunt; alii Auctorem velut Molinoſſimi parentem exſufflaverunt, ut Boſſuetus Meldenſis; 3. contra eumdem P. Pichon, apud quem nec ſemel id legeris: *Celui qui n'eſt pas coupable de peche mortel peut communier tous les jours*. Vide pag. 93. 94. 121. 274. 294. nec moveant te citati ab Auctore Patres, quia frequenter interpolati. Jam *Vie de S. Fr. de Borgia pag. 73.*

Probatur concluſio 1. argumento quodam præſcriptionis. Opinio, quæ ſtatim ut ſæculo proxime elapſo in Hiſpaniis, noſtro autem in Gallia emerſit, a Theologis primum, tum & ab Epiſcopis rejecta eſt, utique rejici debuit; neque enim tam unanimi conſenſu diſſufflantur quæ nihil habent periculi: atqui opinio quæ fideli cuique, modo a lethalibus peccatis immuni, quotidianam, frequentiſſimamve communionem permittit, ſtatim ut emerſit, in Hiſpaniis quidem decimo ſexto ſæculo, in Galliis autem ætate noſtra, rejecta fuit, &c. *Boſſuet Etats d'Oraiſon. Mgr. de Sens, &c.*

Prob. 1. pars minoris ex Card. de Lugo, qui Marzillæ opinionem non ſuo tantum, ſed & veterum, recentiorumque nomine feliciter impugnat diſp. 17. n. 13. & ſequent. ubi adductis SS. Thomæ, Bonaventuræ, Antonini,

Victo-

Victoriæ, Durandi, Dom. Soto, Vegæ, Petri & Bartholomæi de Ledeſ. ma auctoritatibus ſic proſequitur: *Uno verbo* OMNES THEOLOGI *Scholaſtici, Morales, & Myſtici, inter quos M. Joannes de Avila* contrarium tenent. *Omitto Auctores noſtræ Societatis, quæ licet ab ejus ortu in frequentiam hujus Sacramenti valde fuerit propenſa, ſemper tamen cautiſſime communionem quotidianam dari voluit,* ET NON NISI PROBATÆ VITÆ ET EXIMIÆ VIRTUTIS TESTIMONIO PRÆEUNTE. *Videatur Suares diſp. 69. ſect. 4. Henriques Lib. 8. de Euchariſtia cap. 53. P. Ægidius in præſenti, Valentia diſp. 6. qu. 8. punct. 4. Nec mirum eos ita ſentire, quos proprii inſtituti ratio ad hanc doctrinam prævenerat, utpote quæ in Regula 26. Sacerdotum præſcribit omnibus Societatis Confeſſariis, ne ſint faciles ad communionem quotidianam pœnitentibus concedendam, ſed potius conjugatos moneant, ne crebrius quam octavo quoque die accedant: Quam Regulam licet Marzilla oppugnare tentaverit per Epiſtolam ad Præpoſitum generalem Claudium, qua enixe poſtulabat, & ſperabat, ut abrogaretur, fruſtra tamen talem ſpem de noſtra Societate concepit, quod tam facile diſſuaderetur ab ea opinione, quam a primis Parentibus adeo prudenter imbiberat.*

Prob. 2. pars Minoris ex denſa illa Scriptorum nube, quæ, nemine quoad præſens punctum reclamante, prædictum nuperi Auctoris Li-
Lugo nu. 26. brum obruit, ut jam monuimus, & norunt omnes. Jam vero, ut ſcite obſervat præcitatus Cardinalis, credibile non eſt *Scholaſticos & Doctores graviſſimos*, tot item magni nominis Præſules, *ſine firmiſſimo fundamento in hanc* noſtram *ſententiam conſpiraſſe*, Chriſti & Eccleſiæ ejus ſpiritum ignoraſſe, omneſque ad unum cœcutiiſſe in re aperta, dum unus & alter Scriptor clare oculis viderent; ergo.

Prob. 2. ex S. Chryſoſtomo, quem in ſui juvamen temere aſſumebat Marzilla. Sic ille Homil. 17. in Epiſt. ad Hebræos: *Quando dicit* Diaconus: *Sancta ſanctis, hoc dicit: Si quis non eſt ſanctus, non accedat: Non ſimpliciter dicit, a peccatis mundus, ſed ſanctus: ſanctum enim non mundatio peccati tantum facit, ſed etiam præſentia Spiritus, & bonorum operum opulentia. Non enim, inquit, volo a cœno vos mundos eſſe, ſed etiam albos & pulchros.* Haud aliter loquitur S. Doctor Hom. 47. & Hom. 61. ad Populum Antiochen.

Concinit Gennadius Lib. de Eccleſ. dogmatib. cap. 53. ubi trita hæc habentur verba: *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere nec laudo, nec reprehendo: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Euchariſtiæ perceptione quam purificari .... Hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant;* ergo qui peccandi affectu tenetur, licet a capitalibus immunis ſit, ne ad hebdomadariam quidem ſynaxim admitti debet.

S. Auguſtinus Tract. 26. in Joan. hæc loquitur: *O Sacramentum pietatis! o ſignum unitatis! o vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur ut vivificetur .... Non ſit putre membrum quod reſecari mereatur. Non ſit diſtortum de quo erubeſcatur. Sit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum, hæreat corpori, vivat de Deo, nunc laboret in terra ut poſtea regnet in cœlo .... Chriſti Sacramenta aliquis non digne ſumit, niſi qui mundus eſt, de quibus dicitur: Beati*

mun-

mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Jam vero qui a mortali noxa liber eſt, etſi putre membrum non ſit, diſtorti tamen aliquid habere poteſt, neque ſi aliquo ſenſu ſanus ſit, eſt tamen vere pulcher; ergo ut minimum diſtat ab eo ſtatu qui frequentem communionem admittit.

S. Thomas 3.p. qu.80. art.10. *Quia*, inquit, *multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere*. Atqui nemo dixerit, ut ſolide advertit Lugo, nomine *magnæ devotionis & reverentiæ* intelligi ſolam lethalis peccati carentiam; cum hæc admiſceri poſſit tepiditati maximæ, nec affectui ſolum, ſed & actuali propoſito innumera peccata venialia deliberate committendi. *Ego ſane*, ait idem Cardinalis, *iſtam magis dicerem indevotionem & irreverentiam, quam magnam devotionem & reverentiam*. Quod autem magnam hanc devotionem & reverentiam exigat Sacramentum illud, oſtendit ipſa tremenda Domini majeſtas. Si enim Moyſes ad Dominum ſub ardentis rubi figura apparentem, non niſi cum reverenti pavore, ſolutiſque terrenarum affectionum calceamentis accedere juſſus eſt, multo magis jubetur Chriſtianus, ad Dominum in ipſa rei veritate ſe præbentem, non niſi cum magna devotione & reverentia accedere. Quia ergo & *multoties & in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere*.

Idem S. Doctor in 4. diſt.12. qu.3. art.1. quæſt.3. ubi idem argumentum ea verſat ſagacitate, qua conſuevit. *Simpliciter loquendo*, inquit, *melius eſt Euchariſtiam ſumere, quam ab ea abſtinere: ſed in caſu aliquo nihil prohibet eſſe melius abſtinere, quando aliquis probabiliter præſumit ex ſumptione reverentiam minui*. Unde ait idem ibid. art.1. quæſtiunc.2. *Si ſentiret quis per quotidianam frequentationem reverentiam minui, & fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abſtinere, ut cum majori reverentia & devotione poſtmodum accederet*: ſi quibus porro timendum eſt, ne ex frequentiori communione haud multum fervorem ſuum adaugeant, & quid primævæ reverentiæ perdant, iis certe qui tantum non verſantur in exitiali gravium peccatorum habitu.

S. Bonaventura in 4. diſt. 12. poſt citata ſuperius verba: *Secundum illam partem, ſecundum quam viderit* Chriſtianus *ſe melius proficere, ad illam magis declinet, quod homo ſolum experientia diſcit. Omnes ergo rationes pro frequentia* communionis *intelliguntur ſalva debita præparatione, quæ in pauciſſimis eſt*: atqui non eſſet in pauciſſimis debita ad Euchariſtiam præparatio, ſi in omnibus etiam laicis a lethali peccato rite abſolutis reperiatur.

Prob. 3. Ex omnium conſenſu communio & utiliter & reverenter fieri debet: atqui utraque ex parte deficiet frequens & frequentiſſima communio eorum, quorum tota religio fuerit ſola a gravibus peccatis immunitas: 1. quidem non fiet utiliter ea utilitatis ſpecie, quam & in ſeipſo Pœnitens, & in Pœnitente Director intendere debent. Nempe vero utrique curandum eſt, ut plus ex tribus aut quatuor communionibus percipiatur emolumenti, quam ex unica: ſed qui tepidi ſunt & languidi, nec plus habent vitæ, quam neceſſe ſit ut mortui non ſint, non plus ex multiplici communione, quam ex unica, percipient fructus. Enim vero

certum

Digitized by Google

certum eſt communionis fructum pro menſura præparationis creſcere: atqui vix ac ne vix quidem fieri poteſt, ut qui duntaxat non odere Deum, eam adhibeant præparationis ac fervoris menſuram, quæ geminatæ communionis fructum geminet. Tum quia optima præparatio eſt fames quædam & eſuries ſpiritualis, juxta iſtud Auguſtini: *Panis hic interioris hominis eſuriem deſiderat*; hæc autem fames quam experiuntur fervidi, vix unquam a ſegnibus & tardis ſentitur. Tum quia apud imperfectos pretioſa quæque uſu vileſcunt, nimiaque cum ſacris ut & cum profanis familiaritas deſpectionem parit & faſtidium uti quotidiana experientia compertum eſt; unde & præparationis diligentiam aufert. Tum quia tepidi in eo ſunt ſtatu, quem niſi emendaverint, a Deo prope diem evomendi ſunt. An porro grandem ab Euchariſtia fructum percipient, qui in eo opere, ſicut in ceteris ſuis languidi, impendentem ſibi ruinam avertere negligunt; ergo hic rurſus dicendum cum S. Bonaventura ubi ſupra in 4. diſt. 12. quod *majorem efficaciam recipit homo in una Miſſa, vel manducatione, cum bona præparatione, quam in multis, ſi non ſe præparet diligenter.*

Lugo. Confirm. quia quotidiana communio in eo torporis ſtatu vix ſine multiplici culpa antecedente & concomitante fieret. Si enim qui in eo verſantur ſtatu vix ſe ſe componere & præparare ſatis ſolent ad communionem poſt quindecim aut eo amplius dies recurrentem; qui fiet ut diebus ſingulis eam adhibeant devotionem & diligentiam, quam poſtulat tanti Sacramenti dignitas? imo an non vereri eſt, ne ſæpius ex aliqua ſaltem parte finem venialiter malum ſibi proponant, nempe inanem gloriam, vanam æmulationem, aut ſimile quidpiam? Unde

2. Nec eadem communio fiet ſatis reverenter. Communio enim quæ cum modica & frigida præparatione percipitur; cui annexum eſt, quod in tepidis facile occurrit, ſpiritualium faſtidium; uno verbo quam antecedit & comitatur culpa venialis multiplex, haud utique fit ſatis reverenter: atqui ex dictis talis eſt eorum communio, quorum virtus tota in ſimplici vitiorum gravium per gratiam carentia conſiſtit. Atque utinam intra illas imperfectæ communionis metas diu conſiſtant! Timendum profecto, ne brevi ad ſacrilegia progrediantur, tum ob intentatam tepidis maledictionis proximæ comminationem Apocal. 3. tum quia id jampridem flebili experientia compertum eſt, ut patet ex citatis Cardinalis Caraccioli querelis ſupra.

Prob. 4. Hactenus tota in Eccleſia perſuaſum fuit, aliis ad frequentem communionem opus eſſe diſpoſitionibus, quam ad raram: atqui communis hæc fidelium perſuaſio novo quod impugnamus ſyſtemate convellitur.

Prob. 5. Euchariſtia comparatur pani: porro qui ardenti febre quatiuntur, abſtinent a pane. Qui a morbo convaleſcunt, ſumunt modicum. Qui valetudine ſunt integra, eumdem pro cibo ordinario habent; ergo a pari. Unde ſi metuendum eſt, ne dæmon a frequentiori communionis uſu præcellente quaſdam animas deterreat; haud metuendum minus ne ad eam multo plures, vel peſſime, vel non æque diſpoſitas inducat. Ita nec ſolus monebat in ſuo ann. 1595. Decreto Illuſt. Guido de Seve Epiſcopus Atrebatenſis, cujus doctrinam approbarunt Epiſcopi ad minus 30.

Prob. 6.

Prob. 6. *Utrum ſingulis menſibus, vel hebdomadis, vel diebus* communicare *magis expediat*, quam non *certa omnibus regula præſcribi non poteſt*, ex Catechiſmo Pii V. atqui adverſarii unam omnibus communem regulam aſſignant: nimirum ut qui ſine lethali eſt, accedat, recedat vero qui non eſt; ergo labilem ac caducam, ut mitiſſime loquar, regulam præbent.

Prob. 7. quia opinio ſingularis & nova ſine gravibus fundamentis admitti non debet: atqui opinio quæ ſolum juſtitiæ ſtatum, una cum defectibus quos idem ſtatus compatitur, ad quotidianam communionem ſatis eſſe contendit, nulli vere ac ſolide gravi fundamento innititur: prout ſtatim ex probabili objectionum ſolutione patebit; ergo.

Obj. 1. S. Chryſoſtomus Orat. de Beato Philogonio hæc habet, Tom. 3. edit. Lugdun. 1687. *Qui ſibi nullius mali conſcius eſt, hunc oportet ſingulis* Pag. 289.
diebus ad Euchariſtiam *accedere*; ergo ad quotidianam communionem ſuf- col. 2. C.
ficit ſola a gravibus peccatis immunitas. Neque enim is erat Chryſoſto- aliis To. 1. p. 499.
mus, qui ab homine infirmo innocentiam mali cujuſcumque expertem, ac proin Angelicæ parem exigeret.

R. neg. conſeq. ea enim nullius mali conſcientia quam requirit S. Doctor, multiplici ſtipata eſt diſpoſitione, quam non importat ſola a gravioribus vitiis immunitas, ut liquet ex ipſo contextu: ſic enim pergit os aureum: *Quapropter adhortor vos omnes, ne negligenter, veluti feſto die cogente, ad divina myſteria accedatis, ſed* SI QUANDO *parabitis hujus ſacræ hoſtiæ fieri participes, multis ante diebus repurgetis vos ipſos per pœnitentiam, precationem, eleemoſynam; denique per hoc ut vacetis ſpiritualibus..... An non enim abſurdum.... huc adducere animam nudam incultamque.... Ne igitur acceſſeris ſtipulam adſerens, non ligna, non fœnum.... ſed accede ferens lapides pretioſos, aurum, argentum, quo puriorem reddas materiam, multoque cum lucro diſcedas. Si quid mali eſt, abigas ab animo.* Ad hanc normam explicari debent alii quidam S. Doctoris textus, quibus, præſertim decurtatis, pronum ſit abuti.

Obj. 2. S. Ambroſius Lib. 5. de Sacram. cap. 4. nu. 25. hæc habet: *Si* T. 2. pag.
quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in 378. D.
Oriente facere conſueverunt? ACCIPE QUOTIDIE, *quod quotidie tibi proſit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum.... Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus eſt quia ſub peccato ſumus: medicina eſt cæleſte & venerabile Sacramentum:* atqui hic ſupponit Ambroſius ſolam a lethalibus culpis immunitatem ſatis eſſe ut quis Euchariſtiam quotidie percipiat. Supponit enim S. Doctor, eos quos ad communionem adhortatur, vulneratos eſſe, peccatis ſcilicet venialibus: ſed qui venialibus gravantur, unam a gravibus culpis immunitatem ad Euchariſtiam deferre poſſunt; ergo.

R. 1. vel ex eo qui objicitur textu conjiciunt doctiſſ. Benedictini, Librum de Sacramentis non eſſe Ambroſii fœtum, ſed poſterioris cujuſpiam Scriptoris, cujus ævo longe plus intepuerit communionis uſus, quam Ambroſii tempore; etſi jam tum minui incipiebat.

R. 2. ad 1. neg. min. Hæc enim Auctoris vox: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere*, etſi quoad ſonum brevis, plura eaque magna complectitur. Certe ſanctitas Job, qui quia *pro filiis ſuis offerebat quotidie ſacrificium*, Euchariſtiæ ſacrificio longe inferius, Chriſtianis in exemplum Ibid.

propo-

proponitur ab Ambroſiaſtro, non in ſola a gravibus peccatis immunitate poſita erat.

Ad 2. ſupponit quidem Auctor in genere, eos, quos ad communionem hortatur, vulneratos eſſe, quia ſunt *ſub peccato*: verum ad id neceſſe non eſt, ut eos venialibus peccatis ex affectu adhærere ſupponat, proinque non alterius participes juſtitiæ, quam quæ lethalis peccati ſtatum excludit: ſed ſatis eſt ut ſupponat, neminem eorum eſſe, quem non premat durum illius concupiſcentiæ imperium, quæ & a malo eſt, & ad malum ſanctos ipſos indeſinenter ſollicitat. Abſit autem ut eos omnes qui hoc modo vulnerati ſunt, a frequenti, imo & a quotidiana communione arceamus: alioqui ex Adæ filiis nemo unus foret, qui ab ea non mereretur excludi.

T. 4. par. 1. p. 579. Obj. 3. Id S. Hieronymi Epiſt. 52. alias 28. ad Lucinium: *Utinam omni tempore jejunare poſſimus..... Euchariſtiam quoque abſque condemnatione noſtri, & pungente conſcientia ſemper accipere;* ergo quem non pungit mortalis peccati conſcientia, Euchariſtiam *quotidie* recipere poteſt, prout, ait ibid. Hieronymus, *Romana Eccleſia & Hiſpania obſervare perhibentur*.

R. neg. conſeq. quæ nullum in objecto textu fundamentum habet. Optat enim tantum S. Doctor, ut Chriſtiani quotidiana communione dignos ſe præſtent: at ſimul ſubindicat ſe vereri, ne tam frequens Sacramenti tanti participatio in condemnationem cedat, & conſcientiæ murmura excitet. Unde ſi non diſerte improbat Romanæ & Hiſpanicæ Eccleſiæ uſum, certe nec approbat. *Scio*, inquit Epiſt. 30. ad Pammachium, *Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut Fideles ſemper corpus Chriſti accipiant, quod nec reprehendo, nec probo: unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat, ſed ipſorum conſcientiam convenio, qui eodem die poſt coitum communicant, quare ad Martyres ire non audeant, quare non ingrediantur Eccleſias? An alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt. Quod in Eccleſia non licet, nec domi licet.* Ubi id ſaltem ægre fert Hieronymus, quod ſponſi poſt coitum, non in Eccleſia quidem, quo ingredi non audebant, ſed domi communicarent: qui porro hujuſmodi continentiam ad communionem exigebat, an non aliquid ultra ſimplicis juſtitiæ ſtatum exegiſſet?

Obj. 4. Id S. Hilarii apud Gratian. cap. *Si non ſunt*, 15. diſt. 2. *De conſecrat. Si non ſunt tanta peccata, ut excommunicetur quis, non ſe debet a medicina corporis & ſanguinis Domini ſeparare:* atqui eo ipſo quo quis ab omni gravi noxa immunis eſt, haud utique tanta ſunt ejus peccata ut excommunicari poſſit; ergo non eſt cur ſe a communione ſeparet.

R. verba hæc non eſſe S. Hilarii, cui perperam a Canonum Collectoribus attribuuntur. Cujus ergo ſunt? probabilius Auguſtini, vel potius interlocutoris illius quem pro frequenti communione diſſerentem inducit S. Doctor Epiſt. 54. alias 118. ad Januarium. Quis autem eorum ſit ſenſus, jam a nobis indagatum eſt ſupra pag. 513. Ceterum poteſt homo, qui non raro in leves culpas labitur, frequenter accedere ad Euchariſtiam, abſque eo quod nutet aſſertio noſtra: non enim quicumque venialiter & pluries delinquit, ex affectu delinquit, ut dicemus Concluſione ſequenti.

Obj. 5. ex Auguſtino Serm. 28. de verbis Domini: *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere*. Quibus conſonat id

Chry-

Chryſoſtomi Hom. 5. in I. ad Timoth. *Hoc eſt quod univerſa perturbat ? quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiore conſtare meritum putas; ſummamque arbitraris reverentiam ac religionem eſſe, ſi non ſæpius cæleſtem illam adeas menſam. Ignoras, quoniam indigne accedere, etiamſi ſemel tantum fiat, te ſupplicio tradit: digne vero, etiamſi ſæpe accedas, ſalutem inde conquiris?* & Hom. 3. in Epiſt. ad Epheſ. *Tempus non efficit dignos tanti aditu Sacramenti; ſed ſola animæ ſinceritas atque expurgatio: cum tali puritate accede ſemper; ſine hac ne præſumas unquam;* ergo.

R. cum Card. de Lugo diſp. 17. nu. 38. hæc omnia debere intelligi cum S. Bonaventura in 4. diſt. 12. *Salva ſemper debita præparatione, quæ in pauciſſimis eſt, ut ſemper.* Suadent ergo Sancti frequentem communionem; ſed & ſimul debitas diſpoſitiones exigunt, juxta laudatum iſtud: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* „ Fateor, ſolam temporis dila- „
tionem per ſe non conferre ad meliorem præparationem, nec frequen- „
tiam reddere minus aptum, imo potius magis, per ſe loquendo: per „
accidens tamen poteſt alicui occaſionaliter frequentia parere irreveren- „
tiam, ut ſupra probatum eſt. Cum vero dicit Chryſoſtomus, cum vi- „
tæ puritate *ſemper* accedendum, debet accipi illud *ſemper* cum propor- „
tione, ideſt, ſuis temporibus congruis, pro majori vel minori con- „
gruitate & neceſſitate: ſicut *ſemper orandum*, debet accipi cum eadem „
proportione. „

Quod autem dicitur, eum qui non eſt dignus quotidie, non eſſe dignum poſt annum, etſi in iis verum eſt, qui vel indignitatem ſuam falſo prætendunt, vel ex torpore & ſocordia nihil moliuntur unde dignos ſe præſtent, quoſque hic perſtringit Auguſtinus: at in aliis pluribus falſum eſſe poteſt, qui cum hodie ſint indigniſſimi, ſeriis tamen pœnitentiæ laboribus, & vigili ad ſingulos ſuos greſſus attentione, dignos ſe præſtant cum tempore. „ Ceterum, pergit Lugo, licet aliquis poſt „
annum non ſit dignus condignitate adæquationis, poteſt tamen acce- „
dere ſine indecentia, quæ eſſet, ſi cum eadem tepiditate accederet quo- „
tidie: quia poſt annum datur gravior neceſſitas, qua excuſatur & com- „
penſatur illa irreverentia. „

Obj. 6. Euchariſtia vocatur panis quotidianus, ideſt, quotidie accipiendus; ergo.

Reſpondet idem Cardinalis cum S. Bonaventura uti ſupra. „ Eucha- „
riſtiam panem eſſe quotidianum per ſe loquendo, & ſuppoſita debita „
diſpoſitione, quam obiter petimus, petendo panem illum fieri nobis „
quotidianum. Eodem ſenſu intelligi debet admonitio Tridentini Cate- „
chiſmi docentis Parochum, ut hortetur Fideles hunc panem quotidie „
ſumere, ſicut corpori alimentum in dies ſingulos ſubminiſtrant. Hæc „
enim verba explicari debent ad mentem ejuſdem ubi ſupra dicentis, „
diſpoſitiones ad Euchariſtiam latitudinem habere, atque ideo non poſ- „
ſe unam pro omnibus regulam præſcribi. „

Obj. 7. Uſum primitivæ Eccleſiæ, in qua Fideles omnes quotidie communicabant.

R. cum eodem S. Bonaventura ibid. „ fervorem illius ſæculi „
proportionem habuiſſe cum illa frequentia: „ quare qui ſe experiatur, vel potius quem ſagax Director expertus fuerit, ſapere illud

Digitized by Google

ſæculum, habeat etiam frequentiam illius ſæculi. „ Quamquam, ut no-
Lugo. „ tat Avila Tom. 1. part. 3. Tract.23. credibile non eſt, quod conjuga-
„ ti etiam poſt copulam quotidie ad Euchariſtiam accederent; cum ex
„ priorum temporum Decretis conſtet, quam ſerio ab Euchariſtia remo-
„ verentur poſt copulam.

Obj. 8. Sola quam exigat S. Paulus, diſpoſitio, eſt puritas a lethalibus, qua poſita homo edat & bibat; ergo ſi hæc quotidie præſto ſit, quotidie expedit communio.

R. inprimis argumentum hoc probat ſimiliter, poſt nocturnam illuſionem veniali delectatione ſtipatam expedire communionem; quod tamen diffitebatur Marzilla. Deinde probatio, quam communioni præviam requirit Apoſtolus, ad venialia etiam cum proportione quadam extenditur a S. Gregorio Reg. 1. Is enim cum dixiſſet, peccata etiam minima evacuari debere, ut vividam Euchariſtiæ famem habeamus, ſtatim ſubdit: *Quid eſt hoc* Apoſtoli *loco probare, niſi evacuata peccatorum nequitia ſe probatum ac purum ad Dominicam menſam exhibere*. Sic porro nequitiæ hujus gradum explicat S. Doctor: *Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus; quia ipſa ſola virtus eſt quæ evacuet, quod in ventre animæ culpa coadunat; & tunc vere famelici ſaturantur: quia quo ſtudioſius mundamur lamento pœnitentiæ, eo uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in ſpirituali refectione*.

Obj. 9. Ex principiis noſtris ſequitur hominem tanto ſanctiorem eſſe debere, quo frequentius ad Euchariſtiam accedit: atqui id admitti non poteſt. Alioqui vix e Sacerdotibus quiſquam erit, cui ſingulis diebus ſacrum facere liceat; ergo.

R. ad 1. neg. min. ſicut enim frequens communio uberioris ſanctitatis principium eſt, ſic & ſanctitas plenior ad crebram communionem diſpoſitio eſſe debet: atque id diſerte docet jam citatum iſtud, & in tota Eccleſia receptum: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere*.

Ad 2. conſtat dubio procul e Sacerdotibus eſſe non paucos, quibus ceſſatio a Miſſa ſit in præcepto; alios quibus eadem ceſſatio ad tempus
Lugo nu. 45. optimi ſit conſilii, quales ſunt, ait Lugo, quibus ex nimia celebratione imminet *culpabiliter, vel incupabiliter periculum irreverentiæ & indevotionis*. Habent tamen Sacerdotes, juxta citatum mox Cardinalem, unde cum pari diſpoſitione frequentius ſacrum facere poſſint, quam Laici communicare, 1. quia in eis ardoris defectus, per majorem quam ex officio habent celebrandi obligationem compenſatur: cum enim ipſius Eccleſiæ nomine a qua pro populis oraturi deputantur, celebrent, certam ab Eccleſia ipſa recipiunt puritatem, vi cujus Deo acceptiores efficiuntur; 2. quia ratione ſtatus mentem habent expeditam a pluribus, quæ Laicis obicem præſtant, puta a ſæcularibus curis, ab uxore, a filiis, &c.

Obj. 10. Si homo ſimpliciter juſtus hodie a communione arcendus ſit, erit & arcendus poſt octo dies; quia haud tunc futura eſt major ejus puritas.

R. cum eodem, 1. abſtinentiam a ſacris eſſe occaſionem, ut quis deinceps cum majori devotione actuali, & diligentia ſe præparet. Sane enim multiplex una eademque die communio multum parere poſſet utilitatis: Sed quia, ait Gabriel ſect.87. in Can. *ad dignam ſumptionem hujus Sacra-*

Sacramenti requiritur meditatio excellentiæ ejus, & propriæ indignitatis, ut excitetur animus ad ſumendum illud *cum timore: hæc autem difficulter digne exhibentur pluries una die; unde tandem in conſuetudinem veniret ſine hac præparatione ſumere, & per hoc minus reverenter;* idcirco jure cautum eſt, ne quis eadem die pluries accederet: atqui hæc ratio contra multiplicem eadem hebdomada communionem militat in iis qui & modica devotione præditi, & negotiis pluribus diſtenti, ſegniter admodum & languide faciunt id quod frequenter facere ſolent; ergo.

R. 2. etiamſi haud major poſt octo vel quindecim dies adhiberetur diſpoſitio, minus tamen haberet indecentiæ octidua hæc vel quindena communio, quam multo frequentior; quia major eſt poſt octo vel quindecim dies neceſſitas Euchariſtiæ, quam pro ſingulis diebus: porro neceſſitatis gradus minuit vel tollit indecentiam; ut patet in amente, cui dum ſanus eſt, non datur Euchariſtia propter irreverentiam, datur tamen in articulo mortis propter majorem, quæ tunc inſtat, neceſſitatem.

Conclusio IV. Etſi certa pro omnibus lege definiri non poteſt, an communio frequentior eſſe debeat, an rarior: at illud definiri poteſt, a frequenti communione arcendos eſſe, qui licet nulla lethali labe infecti ſint, vel ex affectu adhærent peccato veniali, vel modicum Euchariſtiæ deſiderium habent.

Prima pars, quæ obiter docet certam pro omnibus frequentioris, rarioriſve communionis legem aſſignari non poſſe, totidem verbis habetur in adductis ſupra Catechiſmi Tridentini verbis. Et vero ſicut tot ſunt hominum ſenſus, quot capita, ſic pene tot ſunt animarum varietates, quot & animæ. Unde S. Bonaventura citato jam cap. 77. de Profectu Religioſ. *Si*, inquit, *deſiderat experiri utrum ſit melius ſæpius aut rarius corporis Chriſti ſuſcipere Sacramentum: videtur mihi quod non poſſit ſuper hoc omnibus dari regula uniformis. Varia ſunt hominum merita & diverſa hominum ſtudia, & differentia deſideria, & multiplices Spiritus ſancti operationes in ſingulis, & diverſi etiam ſtatus in Religione: Et ideo ſicut ægrotantibus non poteſt una forma ſervari in dandis medicinis corporis, propter diverſitatem complexionum aut loci, aut temporis, aut diætæ, aut aliarum conſiderationum, pro quibus aut rarius, aut ſæpius, aut majori, aut minori quantitate eadem medicina datur: ita & de medicina ſpirituali, quæ eſt corpus Chriſti, eſt intelligendum. Mundanis enim curis occupati rarius poſſunt ſe ad illud recipiendum expedire, quam illi qui tantum ſpiritualibus ſtudiis ſunt intenti; & alii magis, alii minus ſunt circumſpecti in cuſtodia vitæ ſuæ & morum & conſcientiæ ſuæ puritate. Alii etiam ardentiori ſtudio trahuntur ad illius ſalutaris cibi perceptionem. Alii vero quodammodo terrentur, cum debent accedere; & niſi conſcientia urgeret, & conſuetudo Religionis induceret, vel timor majoris elongationis a Deo impelleret, valde raro accederent ad illud mirificum Sacramentum. Vix tamen aliquis ita Religioſus eſſe videtur & ſanctus, exceptis Sacerdotibus, quin ſemel in ſeptimana ſufficiat ei ex conſuetudine communicare; niſi ſpecialis cauſa quandoque vel ratio plus ſuadeat, ut infirmitas ſuperveniens, vel ſingulariter feſtivitas ſolemnis, vel inuſitatæ devotionis fervor, & intemperata deſiderii ſitis ſit pro illius ſuſceptione, quo ſolum ſufficit intemperantis animæ ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetus nonniſi a Spiritu ſancto infunditur, ideo legibus humanæ conſuetudinis, &* ſtatu-

ſtatutis mortalium non arctatur. Quæ verba & primam aſſertionis noſtræ partem evidenter tradunt, & in præcedentibus dicta egregie confirmant. Itaque

Prob. 2. pars. Circa frequentiam communionis nulla poteſt lex ſanior conſtitui, quam quæ a prudentioribus animarum directoribus conſtituta ſit & approbata: atqui lex quæ ab octidua aut frequentiori communione eos arcet, qui vel ex affectu adhærent venialibus, vel nullam aut modicam Euchariſtiæ famem, & a prudentioribus, &c. Prob. min. ex S. Franciſco Saleſio, cujus doctrina circa præſentem materiam eo uſque comprobata eſt, ut non jam privati cujuſpiam Scriptoris, ſed Eccleſiæ ipſius ſenſum exhibere videatur. Sic porro habet ille part. 2. Introduct. cap. 20. *Quotidie Euchariſtiam percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis communicandum ſuadeo, ſi tamen mens ſine affectu peccandi fuerit* .... *At cernis, Philothea, Auguſtinum*, ſub cujus nomine ſententia illa circumferri ſolebat, cum ſit Gennadii, *vehementer ſuadere atque hortari, ut die quoque Dominico Euchariſtia percipiatur. Hoc ergo, quoad poteris, facito*. Qua porro conditione? Audiatur S. Præſul. *Cum enim te* AB OMNI *tum mortalis, tum* VENIALIS PECCATI STUDIO *alienam exiſtimem, eam plane quam requirit Auguſtinus animi affectionem ac præparationem es adepta*.

Idem Lib. 2. Epiſt. 38. aliis 44 p. 1005. nobili puellæ communiones dirigens, ſic ſcribit ad matrem ejus: *Nolim filiam tuam ad frequentem adeo communionem adducas, niſi ante quid ſit communio frequens recte perpendere noverit. Aliud eſt communionem ab aliarum rerum perceptione; aliud frequentem communionem a rariori ſecernere. Si tenella illa anima ſatis perſpicit ad hoc myſterium crebrius adeundum magna mentis puritate, magnoque fervore opus eſſe, ſi ad eum enitatur, & eo ſe ornare ſtudeat, tunc equidem illam ſæpe, hoc eſt decimo quinto quoque die, ad ſynaxim admovendam eſſe cenſeo. Si vero communionis tantum percipiendæ, non autem levium juventutis imperfectionum expungendarum ſtudio tenetur, arbitror futurum ſatis ut octiduis ſingulis peccata confiteatur, ſed nonniſi poſt menſem communicet. Nimirum ſacra communio ſummum eſt perfectionis comparandæ medium: at eam a nobis adiri oportet cum ſtudio & cura e corde noſtro avellendi quidquid Deo, quem recipere volumus, diſplicet*. His quæ theſim noſtram continent regulis inhæreant ſpiritualis vitæ arbitri, brevi ſane fiet ut eos inter nihil remaneat controverſiæ.

Idem ſufficienter adſtruit Avila, tum a S. Franciſco Saleſio, tum ab Alphonſo Rodriguez, pio ac ſapienti conſcientiarum moderatore, ſummo in pretio habitus. Sic ille 1. part. Epiſt. 64. Directorem quemdam dirigit ipſe & moderatur. *Vulgus Fidelium ter quaterve per annum; alios novies aut decies; Religioſos decimo-quinto die communionem percipere ſatis fuerit. Conjuges tertia quaque hebdomada, vel ſingulis menſibus idem præſtare commode poterunt. In quibus autem eximium quemdam Dei zelum atque amorem ſic fervere perſpexeris, ut eorum in vitæ ſanctitate incrementum atque progreſſus quaſi ad oculum pateat, iis octavo quoque die ſacra communione veſci licebit. Hæc enim B. Auguſtini* (Gennadii) *ſententia eſt: Communio crebrius indulgenda minime eſt, niſi forte aliud videatur ſuadere aut fames ardentior, aut reverentia inſignior, aut neceſſitas manifeſtior*.

Quæ

Quæ quidem animadvertenda in nonnullis, & prudenter gubernanda ſunt. Rarum autem eorum genus exiſtimo; quibus ſæpius quam octavo quoque die communionem frequentare expediat. Atque hinc qui ſingulari enituere prudentia Ordinum Inſtitutores, huic regulæ ſuos adhærere voluerunt. Sic S. Ignatius in Conſtitutionibus Societatis, part.4. cap.4. §.3. *Frequentius*, inquit, *quam octavo quoque die communicare, nonniſi peculiares ob cauſas, & potius neceſſitatis, quam devotionis habita ratione permittatur.* Sic B. Thereſia, quæ cœleſtis Sponſi amplexus æſtimare noverat & metiri, part.1. Conſtitut. capit. 37. §. 4. communionem non permittit Sororibus niſi ſingulis Dominicis ac Feſtis Chriſti, B. Virginis, S. Alberti, S. Joſeph & Patroni, &c.

Non alia fuit mens Ludovici Granatenſis præſertim Concione 2. in feſto Corporis Chriſti, & alibi paſſim; verum a referendis ejus, aliorumque complurium textibus, quia in idem conſpirant omnes, abſtinendum reor. Interim ſic paucis arguo: Iis tantum, juxta probatiores vitæ ſpiritualis Magiſtros, concedi debet frequens ſeu octidua communio, qui tam eximio Dei zelo & amore fervent, ut eorum in ſanctitate progreſſus quaſi ad oculum pateat: atqui tales non ſunt, qui venialibus ex affectu adhærentes, nihil moliuntur, ut a mente innumeras quibus ea fœdatur, labes abſtergant; ergo illi frequenti communione privandi ſunt, ſecundum illud Gennadii ibid. *Habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quam purificari.* Unde rurſus

Prob. 2. ideo communionem frequentem aut frequentiſſimam tam enixe commendant Adverſarii, quia hanc contra hujus vitæ lapſus antidotum eſſe credunt: atqui communio iis, qui culpis venialibus ex affectu adhærent conceſſa, certum id genus antidotum non dabit: 1. enim non muniet contra eos lapſus quibus communicans ex affectu inhærere ſupponitur; imo ex hac præſertim parte deficiet, & fructum pariet minorem; 2. nec tam certo contra eas etiam culpas muniet, quibus mens ex affectu non adhæreſcit, quam credunt Adverſarii. Communio enim quæ ex defectu communicantis plus ad malas communiones diſponit, quam ad bonas & omnimode ſalutares, haud certo minuit contra culpas: atqui talis eſt communio frequens tepide, ſegniter, & languide facta. Communio enim quæ pene vitioſa eſt ob aliquem devotionis & reverentiæ defectum, quam antecedit & comitatur culpa multiplex, cui timendum a fine venialiter malo; plus utique ad malam aliam, quam ad vere & omnimode ſanctam communionem diſponit: atqui talis eſt, plus vel minus, frequens eorum communio, qui venialibus plus vel minus ex affectu adhærent; ut ex ſupra poſitis Cardinalis de Lugo principiis colligere eſt; ergo.

Et vero ex duobus remediis quorum aliud plus habet dubii & periculi, aliud longe certius eſt, poſterius utique præferendum eſt priori: atqui communio una *cum bona præparatione majorem* contra inimici inſidias *efficaciam* habet, quam multiplex ſegniter facta, uti paulo ante monebat Doctor Seraphicus; ergo.

Prob. 3. ſi Chriſti & Eccleſiæ ſpiritus quotidianam, aut valde frequentem, iis qui ex affectu venialibus culpis adhærent, communionem concedat, ac pene præcipiat, Directores qui propter venialia ſola abſolutionem

& communionem differunt, non immerito dicuntur Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta perimere: atqui tamen damnata eſt a Doctoribus Sorbonicis ad minus certum, inſtigante S. Pontii Epiſcopo, propoſitio iſthæc num. VIII. *Illi Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta abolent, qui perſonis venialium duntaxat reis abſolutionem differunt*, damnata, inquam, uti *falſa, erronea, & praxi, ſanctiſque Eccleſiæ regulis adverſa;* ergo.

Concluſionem noſtram firmat, qui hodie (ann. 1749.) toti Eccleſiæ præeſt Benedictus XIV. ſic ille de Synodo Diœceſana Lib. 7o. cap. 12o. *Si in Synodo inſtituatur ſermo de frequenti, aut etiam quotidiano SS. Euchariſtiæ uſu, non eſt deviandum ab hujus Decreti* (Innocentii X.) *ſemita: ſed ſi qua Parochialis tradenda eſt inſtructio, curandum eſt ut hæc illi adamuſſim reſpondeat. Præcipue vero monendi ſunt Confeſſarii, ne frequentem ad Euchariſtiam acceſſum iis aut ſuadeant, aut permittant, qui in gravia peccata ſæpe labuntur, nec de pœnitentia peragenda, ſuaque vita emendanda ſunt ſolliciti; ſicuti nec illis, qui etſi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhærentem: qua de re legendi ſunt S. Franciſcus Saleſius Philot. part. 2. cap. 2o. & Joannes Taulerus Serm. 4. in Feſto venerabilis Sacramenti.*

Obj. 1. Non eſt arcendus a communione, is cui eadem communio prodeſſe poſſit, non autem obeſſe: atqui homini, etiam ex affectu venialibus addicto, prodeſſe poteſt communio frequentiſſima; non autem obeſſe. Et quidem 1. non oberit: Sola enim obeſt communio ſacrilega: atqui hominis juſti communio, tepida licet, ſacrilega cenſeri non poteſt; 2. & conſequenter proderit: Communio enim cum remiſſis diſpoſitionibus facta, aliquem, remiſſum licet, effectum parere debet; ergo.

R. 1. nego maj. 1. quia in Sacramentorum diſpenſatione non ad ſolam ſuſcipientium utilitatem attendendum eſt, ſed ad ipſam quoque Sacramentorum venerationem, prout indicat Trident. Seſſ. 21. cap. 2. atque hinc Eccleſia nec parvulis, nec fatuis Euchariſtiam quotidie diſtribuit, quia quod decederet venerationi Sacramenti, non compenſaretur ſuſcipientium utilitate: atqui frequens eorum communio, qui in venialia ex affectu perpetuo relabuntur, ex veneratione Sacramento debita multum detrahit, ſeu ex parte frequenter communicantium, qui *appropinquare Deo volunt, quaſi gens quæ* plenam *juſtitiam fecerit*; ſeu ex parte eorum, qui frequentis hujus communionis teſtes, nullius teſtes ſunt emendationis, ſed eumdem ſemper ſuperbiendi, alios dure carpendi, mentiendi, ac detrahendi morem, in levibus licet, indignabundi conſpiciunt; 2. quia qui certiori & meliori via ad eumdem, imo ad meliorem ſcopum devenire poteſt, ab ea recedere non debet, ut incertiorem aliam teneat, præſertim cum hæc non parum habet periculi: atqui, ut jam monuimus nec ſemel, qui minus frequenter, ſed pie magis communicat, plus inde recipit emolumenti, quam qui frequenter ſimul & languide: aliunde vero poſterior iſte multiplici ſe periculo obnoxium facit. Unde

R. 2. neg. min. qui enim tepide, ſegniter, tantumque non ſacrilege communicat, accedit ad ordinem eorum qui opus Dei faciunt negligenter: hi porro diſpoſitive maledicti ſunt. Vide quæ poſt Lugo diximus Concl. 3. prob. itidem 3.

Obj. 2. Qui venialibus ex affectu adhæret, ad annuam communionem

nem admitti poteſt; ergo & ad menſtruam. Si ad hanc; ergo & ad octiduam, octiduaque frequentiorem.

R. 1. pio Directori ſatagendum eſſe, ut Pœnitentem quacumque anni tempeſtate a venialium affectu dimoveat; cum hæc, etſi quantumvis geminata, per ſe non inferant animæ mortem, ad eam tamen ſenſim, quin & aliquando citiſſime diſponant. Unde dilata tunc abſolutio congruit Eccleſiæ praxi, ſanctiſque ejus regulis, ut ex allata Sorbonicorum Theologorum cenſura a contrario colligi poteſt.

R. 2. communionem, quæ ſemel tantum in anno recurrit, etſi ob ipſam hanc infrequentiam non uni obnoxia ſit incommodo, eo ſaltem minus habere periculi, quod nec funeſtam nauſeam pariat, nec noxiam familiaritatem inducat, nec vanitatem nutrire idonea ſit. Aliud eſt de crebra hominis admodum languidi communione, ut ſupra monebat Lugo.

Obj. 3. Si a crebra communione removeri quis debeat, quia venialibus adhæret ex affectu, vix juſtiores quique ad eam erunt admittendi: atqui falſum conſequens; ergo, &c. Minor patet ex perpetua totius Eccleſiæ praxi. Prob. itaque major. Conſtat juſtiores quoſque offendere *in multis*, puta vaniloquio, impatientia, nimia curioſitate, potiſſimum autem otioſo verbo: ſed qui tam crebro & ex habitu in certa peccata labuntur, iiſdem adhærent ex affectu; ergo ſi a communione arcendi ſunt, qui venialium ſtudio tenentur, arcendi erunt juſtiores quique.

R. ad 1. neg. maj. juſti enim quos indigitat objectio, provident *Dominum in conſpectu ſuo ſemper*, verentur *omnia opera* ſua, *ab occultis ſuis* mundari ſtudent, ſibique *ab alienis*, quibus occaſionem imprudentes fecere, parci enixe deprecantur: atqui hi, licet adhuc *in multis* offendant, non tamen ex affectu. Unde

Ad 2. neg. min. ut enim animadvertit pius æque & doctus in Sorbona Profeſſor: Aliud eſt peccare venialiter, & quidem ſæpiſſime; aliud affectu ad venialia detineri. Prius inadvertentiam, ſubreptionem, meramque naturæ infirmitatem ſonat: poſterius vero certam denotat ex inordinata complacentia peccato adhæſionem. Priori igitur modo peccant quidem viri etiam pietate pollentes, quia homines ſunt, infirmo adhuc & mortali corpore circumdati, necdumque eum, qui alteri vitæ reſervatur, perfectæ & conſummatæ juſtitiæ ſtatum adepti: at poſteriori modo non peccant; & nedum ex affectu ad venialia peccata delinquant, ii ſunt qui jure cum Apoſtolo Rom. 7. 19. dicere poſſint: *Quod nolo malum, hoc ago*. Et hæc eorum diſpoſitio hinc elucet, 1. quia quotidianas culpas quotidianis ſtudent eluere gemitibus, eodemque fere inſtanti & cadunt & reſurgunt; 2. quia declinandis ejuſmodi peccatis incumbunt jugiter, & ad id media aſſumunt aptiſſima, ſenſuum nempe mortificationem, occaſionum fugam, & ſimilia; 3. quia ſi quid ipſis exciderit unde charitas fraterna lædi vel leviter queat, id extemplo congrua ſatisfactione reſarciri curant. Jam vero haud dicimus veniales, quæ quotidie irrepunt, culpas, obicem eſſe frequenti communioni, ſed affectum ad ipſas: quod maxime attendendum. Hactenus ille. *D. Machet.*

Obj. 4. Affectus ad venialia eſt deliberata voluntas in iiſdem perſeverandi: ſed nemo Chriſtianus, dum ad ſynaxim accedit, deliberatam hanc denuo peccandi voluntatem habet; ergo.

Nn 4 R. neg.

R. neg. maj. ad ſenſum objectionis: neque enim ut quis ad venialia affectum habere dicatur, neceſſe eſt ut actu formali & explicito in eadem peccata relabi intendat; ſed ſufficit, ut licet generalem quamdam ſibi habere videatur a peccato quocumque abſtinendi voluntatem, ſentiat tamen, aut ſentire poſſit, ſe tam profunde, tam delectanter, tam ex tota cordis propenſione certis addictum eſſe paſſionibus, ut nonniſi remiſſe ac imperfecte conaturus ſit ne deinceps in actum erumpant. Patet id in eo qui e proximis quempiam non odit quidem, ſed nec diligit quantum poſtulat Chriſtiana norma: is enim & mores illius lubenter vellicabit, & deridicula ejus ſponte aperiet, & in congreſſu vix quidquam loquetur quod teneram charitatem ſpiret, facile vero quod duritiem & antipathiam redoleat. Hæc equidem, ſi tamen ſemper, in ſacro tribunali deteſtari credet, ſed ita ſegniter, ut illuſorie: unde reipſa eumdem conſtanter gerit ſenſum, quem antea: atque iſtud eſt periculoſæ diſpoſitioni genus, quod, cum frequenti communione male cohærere contendimus.

Confirm. Recepta eſt ubique & ab omnibus commendata ea S. Franciſci Saleſii regula, quæ venialibus peccatis ex affectu mancipatos ab octidua ſeu frequenti communione arcet: atqui contra explodi debuerat eadem regula, ſi, ut Adverſarii volunt, nemo venialibus ex affectu adhæreat, niſi qui in eadem relabi deliberate proponit: quandoquidem, juxta eoſdem Adverſarios, nemo ad ſacram menſam acceſſurus, eo uſque deliret, ut deliberatam hujuſmodi voluntatem gerat; ergo.

Obj. 5. Sanctitas alia eſt *præcepti*, quæ in actuali a lethalibus immunitate ſita eſt; alia *conſilii*, quæ etiam venialia excludit, & actualem fervoris diſpoſitionem importat. Hac poſita diſtinctione ſic progredior: Ut quis digne communicet, ſufficit ut ſanctitatem a Chriſto imperatam poſſideat: ſed qui a gravibus immunis eſt per abſolutionem, habet illud ſanctitatis genus; ergo digne communicare poteſt. Si hodie, quidni cras & deinceps?

R. 1. diſtinctionem ſanctitatum, quarum altera quæ mortalia excludat, ſit præcepti; altera vero quæ venialia abigat, ſit conſilii, novitatem eſſe profanam. Nulla enim eſt ſanitas peccatum excludens, quæ ſtricte imperata non ſit, licet non omnis hujuſmodi ſanctitas abſolute requiratur ad communionem. Et vero ſanctitas in charitate conſiſtit, ipſe vero ſanctitatis gradus prout peccatum quodcumque excludit, conſiſtit in perfectione charitatis: atqui & charitas & ipſa charitatis perfectio ſub præceptum cadunt. Non enim, ait S. Thomas 2. 2. qu. 184. ar. 3. in corp. *dilectio Dei & proximi cadit ſub præcepto ſecundum aliquam menſuram, ita quod id quod eſt plus, ſub conſilio remaneat; ut patet ex ipſa forma præcepti, quæ perfectionem demonſtrat*, cum dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. & infra ad 2. *Sicut Auguſtinus dicit in Lib. de perfect. juſtitiæ*, cap. 8. & alibi paſſim: *Perfectio charitatis homini in hac vita præcipitur, quia non recte curritur, ſi quo currendum neſciatur. Quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur. Cum autem id quod cadit ſub præcepto, diverſimode poſſit impleri, non efficitur tranſgreſſor præcepti aliquis ex hoc quod non optimo modo implet, ſed ſufficit quod quocumque modo impleat illud*. Unde *non eſt tranſgreſſor præcepti, qui non attingit ad* ſupremos, aut etiam ad *medios perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum*. Data tamen, & non conceſſa prædicta ſanctitatis diviſione,

R. 2.

Digitized by Google

R. 2. diſt. maj. ſufficit ut poſſideat ſanctitatem imperatam, ſed ſanctitas illa non ſufficit ut frequens ejus communio libera ſit a pluribus periculis, quæ ſerio caveri debent, C. & ſufficit ea ſanctitas, &c. N. itaque qui conſcientiam gerit a gravibus noxis immunem, haud equidem in communione ſingulari ſacrilegium committet. At dubio procul, ſi ſæpius ad ſacram menſam in eo teporis ſtatu accedat, multiplici ſe ſe periculo exponet, irreverentiæ nimirum, nimiæ cum cœleſti pabulo familiaritatis, &c. prout jam pluries obſervavimus.

Ex his non immerito colliges, ſibi plurimum illudere Chriſtianos complures, Sacerdotes etiam & Religioſos, qui quoniam a mortalibus abſtinent, idoneos ſe ad frequentem, fructuoſamque communionem exiſtimant. *Si noſſe cupis*, ait Taulerus Serm. 1. in Feſto venerabilis Sacramenti, *utrum digne hoc Sacramentum perceperis, vide ſi cor tuum magis ab omnibus abſtractum ſit extra Deum: & ſi vita, quam ipſum* idem Sacramentum *in te operatum eſt, foris appareat, & operetur in exteriori homine tuo, in ſenſibus, in moribus, in converſatione, in verbis, in actibus tuis..... Quod quiſquis in ſe non ſentit, ſed potius cor ſuum vanitati & otio deditum, ac vacuum, & ſe diſſolutum extrinſecus, ac levem in riſu, in verbis, in cultu corporis, ſtoliditati quoque vacantem, ac pretioſiſſimum per immoderatas ſui recreationes perdentem tempus; & cor denique ſuum miſere negligentem invenit, atque ſciens & ſponte talis perſeverat, ac nihilominus ad hoc reverendiſſimum accedit Sacramentum, magno ſe periculo exponit. Credite, mihi, ut ſtomachus cibum inconvenientem rejicit, ſic* rejicit *Dominus Deus ejuſmodi hominem ex ore ſuo; multoque* magis *præſtaret ei non accedere*. Legantur ſubſequi ejuſdem ea de re Sermones, & præcipue IV. Edit. Colon. 1615 pag. 315.

Non alia erat S. Bonaventuræ ſententia: Is enim laudata toties Apoſtoli verba: *Probet autem ſe, ipſum homo*, &c. ſic exponit cap. 5. præparat. ad Miſſam: *Proba te ipſum, ex quanta charitate, & quali fervore accedis: non ſolum enim mortalia vitanda ſunt, ſed etiam venialia peccata; quæ per negligentiam & otium multiplicata, & etiam per inconſiderationem, ac per diſtractionem diſſolutæ*, ſeu diſſipatæ *vitæ, & malæ conſuetudinis, licet* ratione ſui præciſe quatenus venialia *non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem & obnubilatum, & indiſpoſitum & ineptum ad celebrandum, niſi dicti pulveres & ſtipulæ venialium per afflatum Spiritus, & flammam charitatis ventilentur & conſumantur, exardeſcente igne cordis ex conſideratione propriæ vilitatis. Ideo cave ne nimis tepidus & inordinatus accedas & inconſideratus: quia indigne ſumis, ſi non accedis reverenter, circumſpecte & conſiderate.*

Præiverat S. Baſilius Magnus Lib. 1. de Bapt. c. 3. ubi hæc habet ſerio ponderanda: *Non enim terribile tantum judicium habet, qui in carnis ac ſpiritus inquinamento ad ſancta accedit indigne...... ſed & otioſe & inutiliter edens ac bibens...... Nam veluti ſine conſcientia & inutiliter tantum ac tale bonum irritum facit; & ſicut abſque ulla gratiarum actione accedit ad tale myſterium, judicium habet ſegnitiei; cum Dominus nec eos innoxios eſſe ſinat, qui verbum aliquod otioſum proferunt, & vehementius quoque otioſitatis judicium declaret in eos, qui talentum acceptum in otio & deſidia integrum ſervaverant*, &c. Ed. 1638. p. 581. D.

Et vero ad dignam fructuoſamque communionem ea ſaltem requiritur proba-

Digitized by Google

probatio, ex qua poſſit quis rationabiliter confidere, vitam ſuam vere eſſe Chriſtianam: quandoquidem ſoli vere Chriſtiani jus habent ſedendi ad Chriſti menſam, & faciendi Paſcha cum ipſo, juxta id, tum Matth. 26. *Facio Paſcha cum Diſcipulis meis*; tum cœleſtis Sponſi Cantic. 5. *Comedite propinqui mei*: Porro ad vitam vere Chriſtianam duo requiruntur, 1. amor Dei prædominans; 2. perpetuus & conſtans in illo amore magis magiſque creſcendi conatus; ita ut nunquam dici poſſit, *Satis eſt*: quia, ut ait Auguſtinus apud Proſperum Sent. 134. *Qui dixerit, Sufficit, remanſit; & hæſit in via ante finem, qui non perſeverabit uſque in finem. Non enim*, ait idem Auguſtinus Lib. de perfect. juſtitiæ c. 8. *ad ſaturitatem juſtitiæ, cum hinc exierit, quiſquam perveniet, niſi ad eam, cum hic eſt, eſuriendo & ſitiendo cucurrerit*. Unde juxta eumdem S. Doctorem Tract. 4. in Epiſt. Joan. *Tota vita Chriſtiani boni deſiderium eſt*; deſiderium, inquam, non otioſum & ſterile, ſed vi cujus cum Apoſtolo dicere liceat: *Quæ*
Philip. 3. *retro ſunt obliviſcens, ad ea quæ priora ſunt extendo me ipſum, ad deſtinatum perſequor*, &c. Jam vero qui nihil, aut pene nihil molitur, quo ſe ſe ab innumeris quæ Deo diſplicent, expediat & liberet; qui nedum creſcat in charitate, charitatem ſuam primam reliquit; qui vitam degit Angeli
Apoc. 2. 4. & 3. 16. Laodiceni vita tepidiorem, &c. is profecto magis ac magis in amore Dei creſcere non conatur; ergo niſi ſibi periculoſe illudit, vitam vere Chriſtianam in ſemetipſo detegere non poteſt; ergo rurſum illam Auguſtini ſententiam in ſtatera cordis ſerio appendere debet: *Quamvis ſingula venialia peccata non lethali vulnere ferire ſentiantur: tamen omnia ſimul congregata*, quia neglecta, *velut ſcabies, quo plura ſunt, necant, & noſtrum decus ita exterminant, ut ab illius Sponſi ſpecioſi forma præ filiis hominum caſtiſſimis amplexibus ſeparent, niſi medicamento quotidianæ pœnitentiæ defecentur*.

Ergo, inquies, *arcendi ſunt a ſacra communione, quibus non ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis miſtionis expers*. Abſit: neque enim tanta perfectio præſentis eſt vitæ, ſecundum id Auguſtini Lib. de ſpir. & lit. cap. ult. *Hoc præceptum juſtitiæ, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, in illa vita implebimus, cum videbimus facie ad faciem*: at ſi vitam cujuſcumque miſtionis, ſeu venialis noxæ expertem agere non datur, penes nos tamen eſt ut irreprehenſibilem & certo ſenſu immaculatam ducamus; juxta iſtud ejuſdem S. Doctoris Lib. de perfect. juſt. cap. 9. *Ingredi ſine macula non abſurde ille dicitur, non qui jam perfectus eſt, ſed qui ad ipſam perfectionem irreprehenſibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipſa peccata venialia non negligens corrigere, & mundare eleemoſynis*, aliiſque pœnitentiæ operibus: quo ſenſu idem Pater Lib. 2. de peccat. merit. cap. 7. ſcribit nonnullos *ideo vere irreprehenſibiles dici, quia ſeipſos reprehendunt*.

Præſenti materiæ, cui diu, nec forte diu ſatis incubuimus, finem impoſituri, generales quaſdam trademus regulas, quæ ut Parochis, ceteriſque animarum Directoribus proſint, haud ſigillatim ſpectandæ erunt, ſed aliæ ex aliis metiendæ.

REGULA I. Circa rariorem, frequentioremve communionis uſum; una hæc ſimplicium fidelium lex eſſe debet, ut reſeratis animæ ſuæ penetralibus ſapienti Directori, conſilium ejus exquirant; & ſequantur. „ At ubi Directorem hunc ſapientem reperies? Rarum hunc tempore ſuo

„ dice-

„ dicebat S. Franciſcus Saleſius, & adeo rarum, ut unus ex millibus „ decem eligendus foret. Minuſne rarus noſtro hoc tempore? Inveniuntur tamen qui tales ſint, nec difficulter cognoſcuntur, dummodo de „ illis, juxta Evangelicas Apoſtolicaſque regulas, diſcretionis judicium feratur. „ *Ita Guido de Seve, Atrebatenſis Epiſcopus Reg.* 27. quibus adde, ei præſertim Directori adhærendum eſſe, qui paribus ab utroque extremo diſtans intervallis, nec via incedet aſperiori, quæ animos frangit, nec latiori via, quæ ducit ad perditionem.

Regula II. Quod ad ipſos Directores attinet, cavebunt ſedulo ne indiſcretis ſermonibus a frequenti communione retrahant; „ tum quia „ populus noſtro hoc ſæculo multo magis inclinat ad raritatis, quam „ ad frequentiæ vitium: unde ſi reprehendatur frequentia, facile fiet, „ ut plures deſidiam ſuam reverentiæ velo ſimulare velint; tum quia, „ cum, ut plurimum, ad frequentiam non declinent niſi pii & timorati, iſtis nocebunt, nihil autem aliis proderunt ejuſmodi declamationes: unde ab hebdomadaria ſynaxi recedent, qui eam digne frequentabant. „ Atque hinc graviter vetuit S.Carolus Borromæus, ne quis Fideles a crebra communione removeret. *Lug. diſp. 17. n. 48.*

Neque vero ſatis fuerit non deterrere Fideles a crebro Euchariſtiæ uſu: enitendum inſuper Paſtoribus ut eo gregem ſuum deducant: perſuaſi nimirum, ibi populum ſanctorum fore, ubi viguerit pia & frequens communio.

Regula III. Neque tamen reticendæ, vel quaſi ad nihilum redigendæ erunt diſpoſitiones ad ſacram ſynaxim requiſitæ. Sane & terminum, & viam quæ ad terminum ducit, una eademque oratione complexi ſunt SS. Patres, quos qui e veſtigio ſequitur, recta incedit. E re tamen erit, ut ſicubi vigeat indiſcreta communionis aſſiduitas, hic plus urgeantur indignæ communionis pericula: ſin vero alibi, quod in piis Sanctimonialium Communitatibus evenire poſſit, nimium a ſacra menſa revocet tremor quidam inordinatus, urgenda erit ſumma illa charitas, qua Chriſtus ad convivium ſuum ſollicitat.

Regula IV. Qui in unius, vel multiplicis peccati habitu vixere; ſerio ac proin competenti tempore probandi erunt, prius quam menſæ Chriſti aſſidere permittantur. Quin & tandem abſoluti a peccatis, ad dies aliquot cœleſti pabulo privari poterunt, ut in ipſum eo pio impetu proruant, quo lactentes pueri in ubera matrum. Haud tamen nimio diuturnam eſſe oportet ſubtractionem hanc; quia cum Euchariſtia ſit *antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervemur*, qui adhuc in charitate novi ſunt, per eam contra relapſus firmari debent. *Trident. Seſſ. 13. c. 2.*

Regula V. Ut quis primæ ſuæ poſt recuperatam gratiam communionis fructum ſervet & adaugeat, monendus eſt inſtanter, ut Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta, quam ſæpe & digne poterit, frequentet. Sunt enim hi gratiæ fontes præcipui, quibus ad utrumque, ſervandæ ſcilicet & adaugendæ gratiæ finem tutiſſime devenitur.

Regula VI. Neque tamen quia quis acceptam in ultima communione gratiam per dies octo aut quindecim ſervaverit, ideo ſemper octiduæ aut quindenæ communioni par judicabitur. Stat enim hominem & gratiam

gratiam ſervaſſe, & eo uſque languidum manere, ut nec proficere conatus ſit, nec ſerio renuntiaverit affectibus, venialiter quidem malis, malis tamen; nec ullam pene habeat famem cœleſtis cibi, ſuper quo utcumque nauſeat anima ejus. Huic autem, utpote qui convaleſcat tantum a morbo, necdumque ſit valetudine integra, non licet pane uti tanquam ordinario cibo. Idem ad minus de iis perſonis eſto judicium „ quæ „ majorem diei partem tranſigere ſolent in ſe ornando, viſitando, ambulando, ſe recreando, uno verbo quarum vita tota ſæcularis eſt, & „ mundana; quarum etiam tota devotio conſiſtit in exterioribus, quæ „ ſibi præſcripſerunt, exercitiis ex conſuetudine obeundis, vel obſidendis aſſidue Directoribus, quos inutilibus colloquiis fatigant, & a „ melioribus avertunt. Nihilominus permittenda eſt communio frequens addictis luſui, luxui, vaniloquio, qui non modicam vitæ partem in otio conſumentes, pro ſuaque facultate eleemoſynas non erogantes, tam vacui ſunt ſpiritu Dei, quam pleni ſpiritu mundi; tametſi eos, quod ſatis difficile eſt, non judicaret Director eſſe in ſtatu „ peccati mortalis. „ *Epiſcopus Atrebat. ibid. Reg.6. & 7.*

Regula VII. „ Eſt quoddam Chriſtianorum genus, qui aliis in eminentiori perfectionis & ſanctitatis gradu poſitis comparati, imperfecti „ vocari poſſunt. Virtutem amore, vitium odio proſequuntur, mortalia „ peccata perhorreſcunt, ad perfectionem aſpirant, opera bona multa faciunt: ſed frequenter in venialia etiam craſſiuſcula labuntur, non ex „ affectu illis inhærente, ſed vel ex conſuetudine quam contraxerunt, vel „ ex violenta quadam naturalique ad ea propenſione, contra quam non „ ſatis decertant, & cui proinde non raro ſuccumbunt. Tales conſilio boni Directoris indigent circa communionis uſum magis minuſve frequentem. Ipſis communio magni plerumque eſt adminiculi, nonnunquam „ etiam magnæ neceſſitatis. „ *Idem ibid. Reg.8.*

„ Quin etiam, cum non ſtatim expellatur ad certas quaſdam culpas veniales affectus, a Confeſſariis prudenter toleratur ad tempus in pœnitentibus, qui gravioribus culpis declinandis toti occupantur & feliciter „ inſudant. „ Hi proinde Euchariſtia identidem (plus, vel minus pro natura & gradu tentationum, quibus affligitur, & quandoque cruciatur anima) donandi ſunt, ut cœleſti munimine adjuti, invitis dæmonum conatibus, in accepta juſtitia perſeverent, & reſecandis, qui animæ decorem obnubilant, inordinatis hujuſmodi affectibus manum paulatim adhibeant validiorem. *Ita idem qui ſupra Sorbonicus Magiſter*. Neque vero infructuoſa cenſeri debet communio, quæ animam validis undecumque ictibus laceſſitam ſic roborat, ut conſtantem de adverſariis ſuis, necdum quidem in omni, ſed tamen in graviori & perieuloſiori materia, triumphum reportet. Novimus certe pœnitentes, qui cum adhuc in levioribus multis offenderent, iniquam & gravem honoris ac fortunæ jacturam, reclamante licet & infremente natura, crebro Euchariſtiæ uſu muniti, placide & conſtanter inimicis ſuis condonarunt.

Regula VIII. Generatim loquendo, triplex eſt juſtorum genus. „ „ Sunt qui a vitiis emergunt, & virtutem exercere incipiunt. Sunt alii „ provectiores. Sunt & perfecti. Juxta diverſos hos ſtatus, aut rarior, „ aut frequentior debet eſſe communio. *Epiſcopus Atrebat. ibid. Reg.3.* Ra-

„ rum

,, rum autem eorum genus exiſtimo, quibus ſæpius quam octavo quoque
,, die communionem adire conveniat. Hinc D. Bonaventura (vir uti-
,, que in animarum regimine verſatiſſimus) teſtatur ex omnibus quos
,, notos habuerit, ſe prorſus reperiſſe neminem, cui frequentior expedi-
,, ret communio.--- Nolim igitur ulli ſæpius quam octavo quoque die
,, porrigi, niſi forte quis tanto alimento præter alios egeat, aut tanta
,, illius appetentia & fame teneatur, ut tantæ cupiditati res tantopere
,, concupita vix ſine injuria denegari poſſe videatur. Reliqui decimo-
,, quinto quoque die, vel menſe, cibo illo paſcendi, monendique ut ſi
,, hoc convivio delectantur, aliquo pretio ac ſymbolo ſibi redimendum
,, meminerint, adducendi ad corrigendæ vitæ ſtudium.--- Sane multum
,, errant qui ſolam communionis cupiditatem, a conſuetudine potius
,, quam à ſolida ratione natam, pro idonea ad Euchariſtiam præparatione
,, habent. Quod ſi præterea, dum Chriſti corpus recipiunt, lachrymulam
,, extillent, magnopere ſe profeciſſe arbitrantur. Verum eo falluntur,
,, quod communionis fructum, quem nullum capiunt, non ſatis atten-
,, dunt; neque intelligunt, unicum probæ communionis ſignum, animæ
,, profectum eſſe, atque in pietate progreſſionem; quam ſi aſſequantur,
,, recte ad Euchariſtiam ſæpius recurrunt: ſin minus ab ea debent ab-
,, ſcedere. ,, *Avilla Epiſt.64. 65. & 66.*

Regula IX. Quæ de ſimplicibus Chriſtianis hactenus, eadem, ſervata proportione, de Sacerdotibus dicta ſunto. Et his ergo, non ſecus ac aliis, imo plus aliquo ſenſu quam aliis, ponderandum iſtud: *Sic vive; ut quotidie merearis accipere*. Is porro unus ſic vivit, ut quotidie accipere mereatur, qui ſpiritualem vitam quotidiana communione ſemper adauget.
,, Fructus enim ſpiritualis hujus cibi non eſt ſolum actualis refectio,
,, ſed augmentum gratiæ: quoniam per totum tempus præſentis vitæ ſu-
,, mus in ſtatu augmenti. Propter quod crebro vel quotidie celebrantes
,, diſcutiant in ſe ipſis fructum præteritæ celebrationis, & ſecundum
,, profectum, vel defectum, proſequantur, vel a proſecutione deſiſtant.
,, Qui vero multis celebrationibus peractis ad actus virtutum non me-
,, lius ſe habet quam ante, parum aut nihil proficit. *Card. Cajetan. 3.p.*
,, *qu.*80. *art.* 10. Unde, ut quidam excitandi ſunt, ne immodico timore
,, correpti ab altari recedant, ita alii perterrefaciendi, ne indigne acce-
,, dant, illi præſertim, qui partim ex præſcripta legum ſuarum neceſſi-
,, tate, partim ex ſola conſuetudine ad illud frequenter accedunt. ,, *Ludovicus Granat. Conc.* 2. *in Feſto Corporis Chriſti*. Omnes porro, ut ſupra monuimus, provide ſibi conſulent, ſi rei tam gravi definitionem prudentis arbitri, quem non ita ſollicite quærunt Sacerdotes plerique, judicio relinquant. Is enim, ut Laicis, *quid cuique pro ratione ſtatus, & conditionis, & virtutis profectu expediat* ſapienter determinabit, ſic & determinabit Sacerdoti, an & quando hærendum ſit.

Regula X. ,, Non minoris æſtimat Auguſtinus eos qui ex reveren-
,, tia & humilitate aliquando abſtinent a communione (idem prope
,, eſt de celebratione) quam qui ex ſanctæ devotionis, ſeu fiduciæ &
,, amoris affectu ad eam accedunt. Utraque hæc ſententia optima eſt,
,, utraque ſanctiſſima. Si tamen fas eſſet decidere, quod ſibi deciden-
,, dum Sanctus ille non cenſuit, poſterior priori præferenda videretur.

Epiſto-

Digitized by Google

*Epiſcopus Atrebat. Reg.*23. Quibus adde, eorum, qui ut raræ ſuæ celebrationi colorem obliniant, reverentiam prætendunt, plures eſſe, qui torpore mero, meraque inertia teneantur. Nimirum ut quis frequenter celebret, neceſſum eſt ut ſerium cordis ſui examen ineat, ut crebro recurrat ad Confeſſarium, ut orationi vacet, ut temporis jacturam habeat pro malo, quod vel unum ad ſervi inutilis reprobationem ſufficiat, &c. Quam porro hic impugnamus devota gens ſic vivit plerumque, ut nec ſpiritaliter communicare idonea ſit. Quin nec ſæpius intereſt ſacro, niſi forte ut Horas recitet. Neſcit orationem: neſcit ejus, quam in ſe agnoſcit indignitatis odium & deteſtationem. Neſcit ſic vivere, ut ſi non quotidie, ſaltem frequentius accipere mereatur. Ex his regulis plures tradit, nullam vero, quantum mihi videtur, excludit R. P. Neveu, eximius vitæ ſpiritualis magiſter, in Libro cui titulus: *Conduite Chrètienne*, cap. 12.

SECTIO QUARTA.

De Communione ſub una vel duplici ſpecie.

NOn inquirimus, an communio ſub utraque panis & vini ſpecie; vel Sacerdotibus dum celebrant, neceſſaria ſit, vel Laicis de ſe, ſeu ſtando in ſolo divino & naturali jure, permiſſa. Utrumque enim ſponte confitentur Catholici; & quoad Sacerdotes liquebit ex dicendis ubi de Sacrificio; quoad Laicos vero ex proxime dicendis. Præſens igitur quæſtio in eo verſatur, an ex Chriſti inſtitutione Euchariſtia Fidelibus neceſſario tradenda ſit ſub utraque ſpecie.

Aſſeruerunt primi omnium exeunte ſæculo XIV. Petrus Dreſdenſis, Pragæ in Bohemia Ludimagiſter; qui cum in hæc incidiſſet Domini verba: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis;* miratus quod contra tam apertam, ut ſibi videbatur, Domini ſententiam, Laici omnes calicis uſu defraudarentur, auctor fuit Jacobello Miſnenſi, qui tum Pragæ concionatorem agebat, ut e ſuggeſtu doceret, neminem poſſe ſalvari, niſi qui de calice Domini biberet. Ita refert Æneas Sylvius, Hiſtoriæ Bohemorum cap.35.

Placuit opinio hæc novitatum amatoribus, eamque amplexi ſunt, non quidem Vvicleffus, cui nec a Gregorio Papa XI. nec ab ulla e tribus Synodis Londini contra ipſum habitis, nec a quopiam ſeu in hæreſeon ejus catalogo, ſeu alibi uſpiam attributa fuiſſe legitur; ſed 1. Joannes Hus, qui poſt aſſertam primum utriuſque ſpeciei utilitatem, ad aſſerendam utcumque neceſſitatem paulatim devenit.

2. Bohemi poſt Huſſi ſupplicium. Horum alii, qui Taboritæ, ab urbe hujus nominis, nuncupati ſunt, duce Ziſca, viro tam ſanguinolentis facinoribus, quam militari virtute & ſucceſſibus famoſo, in omne ut ſcelerum, ſic & errorum genus proruerunt. Alii auctore Joanne de Roqueſane, Calixtini dicti fuere, quia calicis uſum divino jure ad ſalutem neceſſarium contenderent.

Hiſtoire Eccleſ. t. 22. p. 529.

3. Carloſtadius an.1521. in Vvitembergenſi Eccleſia, ubi jam primas egerat radices Lutheranum virus, communionem ſub utraque ſpecie reſtituit;

ſtituit; ratus iniquos eſſe Romanæ Eccleſiæ Sacerdotes, qui eam populis contra Evangelii præſcriptum ſubtraherent.

4. Lutherus, cui ſemper familiare fuit proficere in pejus, variis temporibus varia ſenſit in præſenti negotio, ut oſtendit Bellarminus Lib. 4. cap. 20. 1. enim communionem ſub una vel duplici ſpecie eos inter ritus recenſuit, qui ad divinum cultum, populorumque ſalutem, parum vel nihil conferant. Unde Carloſtadium redarguit, quod per reſtitutionem communionis ſub utraque ſpecie, Chriſtianiſmi ſummam in rebus parvi, vel nullius momenti conſtitueret; 2. calicis uſum, nonniſi ab Eccleſia ipſa in Concilio generali congregata permitti poſſe opinatus eſt: *Non dixi*, ait in expoſitione Sermonis cujuſdam a ſe de Euchariſtia habiti, *neque conſului, nec eſt intentio mea, ut unus aut aliquot Epiſcopi propria auctoritate incipiant alicui utramque ſpeciem porrigere, niſi ita inſtitueretur in aliquo Concilio generali*; 3. at non diu poſt, factus utique oculatior, ſuum illud aſſertum in aliud mutavit. *Conſultum mihi videtur nunc*, inquit in aſſertione articuli 16. *ut non modo per Concilium, ſed per quamque Diœceſim, quilibet Epiſcopus, etiam invito Papa, Chriſtum ſecutus in Evangelio, rurſum utramque ſpeciem Laicis daret*; 4. ſeu caperet ſe ipſum, ſeu uni quo agebatur furori ſerviret, *Si*, ait in formula Miſſæ, *ſi quod Concilium ſtatueret, aut permitteret utramque ſpeciem, nos nequaquam utraque uti vellemus, ſed in deſpectum Concilii, ejuſque ſtatuti, aut una, aut neutra, & minime utraque uti vellemus, maledicturi univerſos, qui ex poteſtate, aut ſtatuto Concilii utraque uterentur.*

Eodem circa Laicos communicantes modo progreditur. Siquidem citato Sermone de Euchariſtia ſcribit aperte, utramque ſpeciem Laicis non eſſe neceſſariam. Subinde tamen in Lib. de Captiv. Babyl. cap. 1. fuſe probat, teneri Sacerdotes jure divino utramque Laicis, ſi modo hi petant, ſpeciem porrigere: addit tamen his licitum eſſe ut vel una ſpecie contenti ſint, vel utramque petant, vel neutram. Verum in aſſertion. art. 16. pro impiis habet eos, qui cum utramque ſpeciem obtinere non poſſint, utramque ſincere non deſiderant; & ab iis Chriſtum negari contendit. Demum in Lib. de Viſit. Saxonica communione ſub una tantum ſpecie rejicit uti divinæ inſtitutioni contrariam. Atque hæc tandem communis eſt ſectatorum ejus opinio, ut videris apud Bechmannum pag. 998.

5. Calvinus Lib. 4. Inſtitut. cap. 17. §. 47. rotunde affirmat ex diaboli officina prodiiſſe conſtitutionem, quæ dimidiam Cœnæ partem populo Dei vel furata eſt, vel eripuit. *Edictum æterni Dei eſt*, inquit, *ut omnes bibant; quod homo nova & contraria lege antiquare & abrogare audet, edicens ne omnes bibant.*

Orthodoxi omnes ſpeciem unam ad ſalutem ſatis eſſe docent: differunt tamen in nonnullis: 1. enim aliqui cenſent Chriſtum a principio utriuſque ſpeciei receptionem præcepiſſe, ſed per legem, quæ ad tempus tantum duratura eſſet, aut ſaltem quæ ab Eccleſia poſſet relaxari. Ita Claudius Sanctesius repetit. 10. cap. 4. apud Suarem diſp. 71. ſect. 2.

2. Alii, etſi fictitiam hanc legem unanimi calculo explodunt, fatentur tamen plus ab eo recipi gratiæ, qui ſub ſpecie duplici communicat, quam qui ſub una tantum. Atque ita, teſte Pallavicino Lib. 12. c. 2. in Tridentina

dentina Synodo cenſuerunt Melchior Canus e familia Prædicatorum ; Antonius Uglioa, & Sigiſmundus Fedrius, uterque ex Ordine S. Franciſci. Quin & Franciſcus Blanco, Compoſtellanus Archipræſul, qui Tridentino Concilio interfuerat, aſſeruit fuiſſe hanc unanimem Patrum ſententiam, quam tamen definire noluerint, ne hæreticis vociferandi occaſio præberetur. Eidem adhærent Vaſquez diſp. 215. cap. 2. Lugo diſp. 12. num. 68. &c. Contrarium tenent communiter alii Theologi, quos refert & ſequitur Suarez diſput. 63. ſect. 6. Quin & id poſt Synodum Tridentinum ita certum eſſe volunt aliqui, ut jam in dubium revocari nequeat.

3. non defuere in Tridentino Conventu, qui calicis uſum, & Imperatoris, & Caroli IX. Galliarum Regis, aliorumque Principum nomine reſtitui poſtulaverint, tum ad ſedandos populorum animos, tum præcipue ad præripiendam Novatoribus calumniandi occaſionem. His, etſi fautores haberent non infimæ notæ Theologos, nequaquam ceſſit ſacra
Trid. ſeſſ. 22. Synodus, ſed Pontificis Romani judicio determinandum reliquit, an Nationi cuipiam, vel Regno, uſum calicis concedi expediret: & eum quidem de facto quibuſdam Germaniæ populis, inſtante Ferdinando Imperatore reſtituit Pius IV. ann. 1564. prout diu antea Bohemis & Moravis indulſerat Concilium Baſileenſe. Verum utraque, Concilii nimirum & Pii IV. conceſſio infeliciter ceſſit. Hinc enim, uti conjicere erat, anſam arripuere Novatores clamandi, Romanam Eccleſiam ſubtrahendo calicis uſum erraſſe, erroremque ſuum agnoviſſe. Unde anno ſequenti Pius V. id quod Germanis a prædeceſſore ſuo conceſſum fuerat revocavit. Vide Pallavicinum Lib. 24. cap. 12.

Obiit an. 1566. Unum hic obſervatu ſupereſt, nempe Gregorium Caſſandrum Brugenſem Theologorum, ita veterem in Tractatu de Communione ſub utraque ſpecie, diſciplinam circa uſum calicis commendaſſe, ut novam impugnare videatur. Scribit nimirum, utramque ſpeciem ad pleniorem Sacramenti ſignificatum conferre, & ſemper antiquitus obſervatam, extra aliquot neceſſitatis caſus, qui legi ac conſuetudini præſcribere non poſſunt. Addit eam, non in perpetuum a Conſtantienſi Synodo ſublatam fuiſſe, ſed ad tempus: unde & utramque reſtitui debere concludit. Hunc ex profeſſo confutavit Joannes a Lovanio; improbavit & ſacra Congregatio, quæ ejuſdem Opus in Indicem Librorum prohibitorum referri voluit.

His hiſtorice prænotatis, videndum 1. an calicis uſus Laicis, & Clericis non conficientibus ſubtrahi potuerit; 2. an ſi ſic, legitimis de cauſis ſubtractus fuerit; 3. an quibus ſubtrahitur, inde quid detrimenti ferant; 4. an idem uſus reſtitui poſſit.

Conclusio I. Calicis uſus ceteris extra Sacerdotes fidelibus ſubtrahi potuit.

Prob. 1. ſi calicis uſus ſubtrahi non potuerit, vel quia neceſſarius eſſet ex natura rei, vel quia ſpeciali Chriſti lege præceptus; vel quia tantæ foret utilitatis, ut jacturam ejus facere non liceret, quidquid tandem occurreret obicis: atqui nullum ex his dici poteſt. Minor tres habet partes ſigillatim probandas: itaque

Prob. 1. pars. Si calicis uſus ex natura rei neceſſarius dicitur, utique vel quia alioqui non recipietur totus Chriſtus; vel quia Sacramentum recipietur mutilum; vel ſaltem quia non recipietur tota gratia Sacramenti:

menti: atqui dempto calice recipitur & Chriſtus totus, & Sacramentum totum, & tota Sacramenti gratia: 1. quidem dempto calice, ideoque ſub ſola ſpecie panis, recipitur totus Chriſtus, prout contra quoſdam e ſuis fatentur inſignes Lutherani, ut Brentius, Kemnitius, & quicumque Ubiquitatem defendunt. Siquidem Joan. 6. ubi de Euchariſtia ſermonem inſtitui probavimus, ait Chriſtus ipſe: *Qui manducat me, vivet propter me*. Porro non manducatur Dominus niſi in ſpecie panis; ergo in ſpecie panis non eſt ſolum corpus, ſed Chriſtus totus; neque enim de ſolo corpore diceret: *Qui manducat me*. Præterea ubi eſt corpus Chriſti vivens ac divinitati conjunctum, ibi Chriſtum totum eſſe neceſſe eſt: atqui ſub ſola panis ſpecie, eſt corpus Chriſti, ut nobiſcum inferunt Lutherani ex verbis inſtitutionis. Eſt inſuper corpus Chriſti vivens, ac proinde cum anima & ſanguine, ſine quibus non vivit corpus: quandoquidem ex Rom. 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur*. Eſt denique corpus divinitati conjunctum; quia ex quo *Verbum caro factum eſt*, non aliam habet Chriſti corpus ubicumque ſit, ſubſiſtentiam, quam ipſius Verbi, quod humanitati ſemel aſſumptæ individuo nexu coadunatum eſt; ergo ſtat 1. totum ſub una ſpecie Chriſtum recipi. Atque id confirmant, tum ſenſus unanimis Fidelium, quibus ſemper perſuaſum fuit, ſe ſub ſpecie panis, non cadaver aliquod exangue, ſed ipſum vivum atque integrum Chriſtum recipere; tum Euchariſtica illa miracula, in quibus non ſemel ex fractione panis viſus eſt ſanguis ſtillare, ne diffiteamur in corpore involvi ſanguinem.

2. Nec minus conſtat, totam in ſpecie qualibet occurrere rationem Sacramenti. Cum enim Sacramentum ſit ſignum ſenſibile, & quidem gratiæ productivum, duo ad ipſum requiruntur & ſufficiunt, nimirum ſignificatio & cauſalitas: atqui duo hæc in qualibet ſpecie ſeorſim ſumpta reperiuntur. Et quidem 1. ſignificatio. Significatio enim Euchariſtiæ, quatenus Sacramenti, quadruplex tantum cogitari poteſt, prima nimirum Chriſti præſentis; ſecunda ejuſdem quatenus olim in cruce mortui; tertia internæ refectionis, de qua dicitur Joan. 6. *Caro mea vere eſt cibus*; quarta demum unionis fidelium inter ſe, & cum Chriſto, de qua 1. Cor. 10. *Unus panis, & unum corpus multi ſumus, qui de uno pane participamus*: atqui quadruplex hæc ſignificatio in qualibet ſpecie reperitur, 1. quidem reperitur ſignificatio Chriſti præſentis; quia qui totus præſens eſt ſub una ſpecie, totus per eam ſignificari poteſt; 2. reperitur & ſignificatio mortis Chriſti, quæ licet magis pertineat ad ſacrificium, ut dicemus in ſolutione primæ objectionis, ſatis tamen in una ſpecie intelligitur, quia hæc vi verborum vel corpus ſine ſanguine, vel ſanguinem ſine corpore repræſentat; 3. reperitur & internæ refectionis ſignificatio; quia licet non idem ut plurimum ſit corpori cibus, qui potus, idem tamen eſt animæ: unde qui eſuriunt juſtitiam, eamdem ſitire dicuntur, & ea ſola, tanquam cibi ac potus vices gerente ſaturari, Matth. 5. Pariter qui edunt ſapientiam, & eam bibere perhibentur, Eccli. 24. *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient*; 4. demum reperitur ſignificatio unionis fidelium inter ſe & cum Chriſto: panis enim quatenus ex granis multis in unum redactis conficitur, fidelium unionem repræſentat; idem vero, prout ex farina & aqua coaleſcit, Chriſti cum Eccleſia unionem ex-

hibet, uti teſtatur S. Cyprianus Epiſt.68. ad Cæcilium. Quocirca cum dixiſſet Paulus: *Unum corpus ſumus, qui de uno pane participamus*, haud judicavit addendum: *Et qui de uno calice bibimus* *. Quod autem de ſpecie panis, idem de vini ſpecie dicendum: vinum enim, prout ex uvis multis confluit, unionem fidelium inter ſe deſignat; prout vero non ſolum offertur in ſacro calice, ſed aqua miſtum, eodem teſte Cypriano, unionem Chriſti cum Eccleſia repræſentat. Ergo inprimis unaquæque ſpecies totam habet Sacramenti ſignificationem.

Sed & æque habet totam ejus efficientiam. Siquidem tota Sacramenti cauſalitas oritur ex ipſo Chriſto, qui ſub ſpeciebus illis continetur: atqui Chriſtus totus eſt ſub ſpecie qualibet ſeorſim ſumpta, ut paulo ante probavimus; ergo. Atque hinc

3. Inferimus recipi totam Sacramenti gratiam, eam ſaltem quæ ad ſalutem pleniſſime ſufficiat. Nimirum vero gratia Sacramenti hujus, vel in fidei excitatione conſiſtit, ut male Lutheranis placet; vel in infuſione gratiæ ſanctificantis, per quam animæ vita conſervatur, ſicut per nutritionem ciborum conſervatur vita corporis: atqui fructum hunc pleniſſime parit ſola panis ſpecies vel vini. Parit quidem apud Lutheranos, non modo ſpecies actu recepta, ſed & oculis tantum objecta; imo melius parit objecta oculis, quam manducata; quia dum manducatur, continuo perit ſignificatio ejus; dum autem cernitur & cogitatur attente, indeſinenter revocantur in animam promiſſiones divinæ, ſicque perpetuo excitatur fides. Rurſum parit apud Catholicos, qui Chriſtum totum ſub una ſpecie recipiendo, totum recipiunt gratiæ fontem: unde Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: ergo communio ſub bina ſpecie haud neceſſaria eſt, ut recipiatur vel Chriſtus totus, vel totum Sacramentum, vel tota, qua ad ſalutem opus ſit, gratia. Jam vere neque eadem communio neceſſaria eſt ut divino quopiam Chriſti mandato præcepta. Unde

Prob. 2. pars primæ minoris. Si communio ſub duplici ſpecie imperata ſit, utique in Scripturis, quæ ſola ſunt Pſeudoreformatorum & Proteſtantium regula: atqui nullum extat hujus generis præceptum in univerſo Scripturarum contextu; ut ex objectionum ſolutione liquebit.

Confirm. 1. quia figuratum figuræ reſpondere debet, cum hæc ad illius ſpecimen inſtituta ſit, ſecundum id 1.Corint. 10. *Omnia in figura contingebant illis*: atqui nobiliores Euchariſticæ communionis figuræ, eamdem ſub ſpecie cibi ut plurimum, raro autem ſub ſpecie potus exhibent. Scilicet enim figuræ illæ ſunt lignum vitæ, agnus paſchalis, manna, panes propoſitionis, panis Eliæ ſubcinericius, & ſacrificiorum participatio: atqui figuræ illæ Euchariſtiam ſub una edulii ratione ſignificant; ergo id quod in Euchariſtia per modum cibi ſuſcipitur, totam habet rationem Euchariſtiæ. Eſt quidem alia & præſtans Euchariſtiæ figura in oblatione Melchiſedech. Verum hæc ſacrificium multo magis adumbrabat, quam populorum communionem: unde Scriptura & Melchiſedech Sacerdotis titulo inſignit, & Chriſtum ipſum vocat Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech.

Con-

* Habentur quidem poſtrema hæc verba in quibuſdam Bibliis Editionis vulgatæ, ſed 1. in paucis; 2. in minus correctis; 3. in nullis Græcis.

Digitized by Google

Confirm.2. quia ſi a primis temporibus creditum fuiſſet, utriuſque ſpeciei receptionem lege divina imperari, neque uſpiam permiſiſſet Eccleſia ſpeciem alterutram populis eripi, neque ſe hac vel illa privari permiſiſſent Fideles, eorum quæ ad Religionem, imo & ad ſummum Religionis caput ſpectant, tenaciſſimi: unde quidquid ea in re ſubortum eſſet mutationis, grandes dediſſet turbas, neque ſine ingenti animorum commotione, & ſuperſtite memoria contigiſſet: atqui tamen vel a prioribus Eccleſiæ ſæculis, nemine mortalium reclamante, data eſt identidem & accepta communio ſub una ſpecie. Atque id hodieque obſervant Calviniani ob cauſas non admodum graves. Sic enim in Diſciplina Eccleſiaſtica ſtatuunt cap.12. art.10. *Poteſt non dari calix iis quibus grave eſt poſt alios eum ſumere*. Idem meliori jure decreverant art.7. erga eos, *qui vinum bibere nequeunt*. Porro ſi utraque ſpecies lege divina & Sacramenti neceſſitate neceſſaria ſit, quo fit ut contra ire auſint Novatores? Nulla profecto eſt neceſſitas, quæ ad mutilanda Chriſti Sacramenta nos adigere poſſit: tutiuſque ac conſultius fuerit abſtinere a Sacramentis, quam inſtitutionem Chriſti violare. Quin & ſubverſa illa Chriſti inſtitutione Sacramentum ſubverti neceſſe eſt: unde ſicut ſubſtituto in vini locum oleo non conficitur Cœna Domini, ſic nec ſtat eadem ſublato calice, ſi calix ad ejus ſubſtantiam pertineat. Ergo dicendum ſumptionem utriuſque ſpeciei nulla Chriſti lege imperatam eſſe. Unde ſupereſt ut probemus tertiam minoris noſtræ partem, videlicet calicis uſum non eſſe tantæ utilitatis, ut nulla ratio jacturam ejus facere permittat.

Prob. itaque, 1. quia ſi calicis uſus ſummæ illius utilitatis foret, cui incommodum quodcumque ex eodem uſu profluens cedere debeat, jam ad eum compelli deberent ii etiam quibus grave ſit eum poſt alios ſumere: eſt enim iſthæc incommoditatis ſpecies, quam facile vincat quiſquis pro ſalute ſua mortem oppetere paratus eſt, imo quiſquis non erit paulo delicatior: atqui tamen Novatores eos eximunt ab uſu calicis, *quibus grave eſt poſt alios eum ſumere*.

2. Si calicis uſus ob magnam ſuam utilitatem retineri debeat, ideo ſane quia plus ex utraque ſpecie percipitur fructus, quam ex una: atqui in hac etiam hypotheſi, quam infra falſam eſſe evincemus, potuit dimitti uſus calicis. Ut enim dimitti potuerit, ſatis eſt ut ex eodem uſu plus in Sacramentum redundaret irreverentiæ, quam ex ejuſdem defectu homini decederet utilitatis: ex duobus enim malis ſemper eſt eligendum minus: atqui ex calicis uſu plus in Sacramentum cederet irreverentiæ, &c. Gravis eſt enim irreverentia, quod Domini ſanguis in terram effundatur; & id ægre admodum ferebant Fideles, teſte Tertulliano: atqui fieri moraliter non poſſet, quin Chriſti ſanguis ſæpe funderetur, ſi populis daretur communio ſub ſpecie vini, prout apud Græcos evenire teſtatur Relator itineris Conſtantinopolim in gratiam captivorum ſuſcepti. Quis porro malum tantum accidentalis alicujus gratiæ diſpendio avertere dubitet? præſertim cum gratia illa, & per humilem Eccleſiaſticæ legi obedientiam utcumque compenſetur; & per dignam frequentemque communionem abunde compenſari queat. Si enim lucretur ut duo, qui ſingulis menſibus ſemel ſub utraque ſpecie communicat, multo plus lucrabitur, qui ſub una tantum, ſed quindena quaque aut octava die communicabit;

Oo 2 ergo

ergo ne ipſa quidem quæ ex uſu calicis perciperetur gratia, ſufficiens foret ejuſdem retinendi cauſa.

Prob. 2. concluſio. Quod prioribus Eccleſiæ ſæculis factum eſt, potuit fieri & poſterioribus: atqui non raro prioribus Eccleſiæ ſæculis adminiſtrata eſt communio ſub una ſpecie.

Prob. min. multiplici exemplo: 1. enim Chriſtus ipſe Diſcipulos in Caſtello Emmaus ſacra Euchariſtia refecit: atqui non refecit niſi ſub ſpecie panis. Minor patet, 1. quia S. Lucas, qui hanc Domini apparitionem diligenti, fuſoque calamo refert, de ſpecie vini altum ſilet; 2. quia ſtatim ut benedictionem ac fractionem panis perſpexerunt Diſcipuli, *aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt* Jeſum, *& ipſe evanuit ex oculis eorum*; *Luc. 24.* ac proinde nihil præter panem benedixit. Prob. itaque major, 1. quia ita ſentiunt Interpretes multi, ſive antiqui, ſive recentiores, quos ſequitur Phil. Melanchton in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ. In hoc ordine ſunt Auguſtinus Lib. 3. de Conſ. Evang. c. 25. & Epiſt. 149. ad Paulinum, ubi hæc habet: *Quod ab illis duobus in fractione panis eſt agnitus, Sacramentum eſſe, quod nos in agnitionem ſuam congregat, nullus debet ambigere.* Auctor Operis imperfecti in Matth. Homil. 16. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, Iſichius Presbyter Jeroſolymit. Lib. 2. in Levit. cap. 9. aliique quos dabit Pariſienſis Theologus in Gallica Hiſtoria communionis ſub una ſpecie; *Gravesolas p. 21. &c.* 2. quia id palam oſtendere videtur ſacer contextus. Ea enim fuit panis a Chriſto fracti efficacia, ut potuerit, quod nec potuerat præſentia Chriſti, nec vividi ejuſdem in tota via ſermones, nec miſta ſermonibus exprobratio incredulitatis. Nimirum Diſcipulorum oculos & corda aperuit, fidem ingeſſit reſurrectionis, vimque animis de Domini nece triſtibus tantam addidit, ut *ſurgentes eadem hora regreſſi ſint in Jeruſalem*, & eo certum redivivi Chriſti nuntium detulerint: atqui non ii ſunt tales, tantique effectus, qui communi pani attribui poſſint; ergo.

II. idem luculente aſtruit primævorum Fidelium praxis: Ii videlicet ex Act. 2. *erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: atqui iſthæc fractionis panis communicatio, ipſiſſima erat Euchariſtia, ſub ſola panis ſpecie. Quod Euchariſtia foret, conſtat, tum quia communicatio hæc cum doctrina & orationibus conjungitur; tum quia nec mirum, nec laude & memoria dignum fuiſſet, quod Fideles uſuali pane quotidie refecti eſſent; tum quia trita eſt hæc & communis doctrina Patrum, quos recenſere ſuperfluum ſit, quia hanc quoque admittunt Lutherus in Serm. de Euchariſtia, & Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 35. tum quia Syriaca verſio legit: *Erant perſeverantes in fractione Euchariſtiæ.* Quod autem eadem panis communicatio eſſet Euchariſtia ſub ſola panis ſpecie, liquet, tum quia textus ſacer de ſolo pane loquitur, non autem de vino; tum quia qui cum Kemnitio reſpondent, panem hic pro toto ſumi, nempe panem pro vino, addunt litteræ Scripturæ, quod Proteſtantibus ſummopere prohibitum eſt; tum quia erant tunc temporis Nazaræi plures, ut conſtat ex Act. cap. 21. v. 20. hi autem non bibebant vinum uſque ad finem dierum voti ſui ex Num. 6. v. 3. ergo a calice Domini abſtinere tenebantur, juxta Adverſarios, qui vel in eo vinum merum, ſi Calviniani ſint, vel vinum ſub quo deliteſcat

ſanguis,

ſanguis, ſi ſint Lutherani, admittunt: atqui nemini in mentem veniet Nazaræos illos ab Euchariſtia prorſus abſtinuiſſe, ut Moſaicum ritum, qui tantum tolerabatur, explerent; ergo velint, nolint, neceſſe eſt ut fateantur Adverſarii, primos Fideles Euchariſtiam ſæpe ſæpius ſub una tantum ſpecie recepiſſe. Atque hinc nec ſine cauſa Apoſtolus I. Cor. 10. de calice dicit: *Calix benedictionis, cui benedicimus;* de pane autem: *Panis quem frangimus:* ut intelligatur panem ſemper quidem fractum, ſeu diſtributum; calicem vero non ſemper diſtributum, licet ſemper benedictum, ſeu conſecratum.

III. Idem colligere eſt ex ritu, quo moribundis adminiſtrabatur Euchariſtia; hæc enim quandoque ſub ſola ſpecie panis, quandoque ſub ſola ſpecie vini præbebatur. Quod aliquando ſub ſola ſpecie panis præberetur, triplici potiſſimum exemplo conſtat.

Primum eſt Serapionis cujuſdam, qui cum in extremis poſitus eſſet, ſuum ex filia nepotem miſit de nocte ad Presbyterum, ut hujus ope Eccleſiaſticæ paci a qua per apoſtaſiam defecerat, reſtitueretur. *Presbyter qui ægrotabat ..... exiguam Euchariſtiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam, ſeni in os inſtillaret.* Ita ex S. Dionyſio Alexand. refert Euſebius Lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 44. verſionis Valeſianæ: atqui nec mutilum Sacramentum ſibi porrigi conqueſtus eſt Serapion: Imo, ait ibid. Dionyſius, *perſpicue apparet, eum reſervatum fuiſſe* in vivis, ut *deleto jam defectionis crimine, pro multis quæ geſſerat bonis operibus a Chriſto agnoſci poſſet;* nec de Sacerdote ſuo, tanquam qui moribundum media Sacramenti parte defraudaſſet, conqueſtus eſt Dionyſius; nec ullam ſive Presbyter, ſive Epiſcopus ea de cauſa notam ab Euſebio ſuſtinuere; ergo conſtat & Sacramentum totum, &. totum Sacramenti effectum, in ſola panis ſpecie conſtitiſſe, &c.

Secundum exemplum ſuppeditat Paulinus in vita S. Ambroſii, ubi narrat S. Honoratum Vercellenſem, cum in ſuperiori tabulato decumberet, ter cœleſti voce admonitum eſſe, ut amico jam morituro ſuccurreret: *Qui deſcendens*, ait Paulinus, *obtulit Sancto* Ambroſio *Domini corpus, quo accepto, ubi glutivit, emiſit ſpiritum.* Idem de S. Baſilio ſcribit Amphilochius his verbis: *Circa horam nonam magnus Pater noſter Baſilius ad Miſſæ miniſterium ſtetit in templo cum electis Clericis; iterumque cum eis panem* conſecratum *ſumens, dimiſit eos .... & in lectulo recumbens .... reddidit Domino ſpiritum:* atqui hic ſolius ſpeciei panis fit mentio, nec quidquam habetur de ſpecie vini.

Tertium eſt Monachorum Ordinis Cluniacenſis, quibus, cum infirmi decumberent, dabatur Euchariſtia ſub ſpecie panis, quæ prius in vino minime conſecrato tingebatur. Ita refert Uldaricus Cluniacenſis Monachus Lib. 3. antiquarum ejuſdem Ordinis conſuetudinum: atqui conſuetudo hæc in Ordine tot Sanctorum feraci non invaluiſſet, ſi divinæ legi fuiſſet adverſa; ergo. Plura id genus exempla dabit citatus Auctor Hiſtoriæ communionis ſub una ſpecie; duo autem imprimis, aliud famoſi Abaelardi, qui, ut refert in Epiſt. ad Heloiſſam Paracleti Abbatiſſam Petrus Cluniacenſis, *Summo affectu viaticum peregrinationis, corpus ſcilicet Redemptoris Domini accepit;* aliud ſanctæ Adelaidis Imperatricis, quæ ut narrat S. Odilo, Abbas itidem Cluniacenſis, *Sacri olei unctione peracta, Sacramentum Domini corporis ...... adorando percepit.* *Tom. 4. Spicileg. L. 2. c. 30.*

Quemadmodum autem ſub ſola panis ſpecie, ſic & aliquando ſub ſpecie ſola vini miniſtrabatur infirmis Euchariſtia, ut conſtat tum ex Concilii Toletani XI. an. 675. Canone 11. ubi ſolius hujuſce ſpeciei adminiſtrationem concedunt Patres, quia, inquiunt, *in multorum exitu vidimus, qui .... collatam ſibi a Sacerdote* ſub ſpecie panis *Euchariſtiam rejecerunt, non quod infidelitate hoc agerent, ſed quod præter Dominici calicis hauſtum, traditam ſibi Euchariſtiam non poſſent deglutire;* tum ex Conſtitutione Paſchalis II.
Baron. qui Epiſtola ad Pontium Cluniacenſem Abbatem, anno juxta Baronium
T. 10. ad 1118. data, mandat *ut utraque ſpecies ſeparatim ſumatur, præter in parvulis,*
an. 1118. *ac omnino infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt.*
num. 4.
Lab. T. Haud tamen inficiamur, aliquando datam infirmis utramque panis &
10. pag. vini ſpeciem; forſanque hunc in finem corpus una cum ſanguine deferre
555. ſolitus erat S. Exuperius Toloſæ Epiſcopus, cujus locupletem inopiam his vocibus æri inſculpendis celebrat Hieronymus Epiſt. 95. alias 4. ad Ruſticum: *Nihil illo ditius, qui*, quoniam omnia in pauperes erogavit, *corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro*. Verum aliud eſt Euchariſtiam interdum ſub gemina ſpecie collatam fuiſſe; aliud hanc eo ſolo ritu ſemper fuiſſe collatam. Eſto primum identidem contigerit: at ſecundum multo frequentius eveniſſe contendimus. Duplex enim, ut plurimum, erat occaſio, in qua infirmi utraque ſpecie reficerentur: prima, cum immediate poſt ſacra publica, ad abſentes, quos inter haud dubie comprehendebantur infirmi, deferebatur Euchariſtia, prout delatam fuiſſe teſtantur Juſtinus & alii; ſecunda, cum in ipſo ægrotantium cubiculo celebrabatur ſynaxis, * prout in gratiam Ludovici VI. cognomento Craſſi factum eſſe narrat Sugerius Abbas, apud Ducheſne, Tom. 4. Scriptorum Hiſtoriæ Francorum. Extra hos caſus raro contingebat ut Euchariſtia ſub duplici ſpecie adminiſtraretur; quia vini ſpecies facile aceſſit & corrumpitur: unde inter vaſa, in quibus olim aſſervatam fuiſſe Euchariſtiam legimus, nullum animadvertitur ſervando vino deſtinatum. Tandem, non ubique quidem ſimul & ſemel, ſed ſerius alibi, alibi ocius, antiquata eſt conſuetudo dandi infirmis, ſicut & ſanis, ſan-
V. Oudin guinem Chriſti. Eam in Tractu Leodienſi defeciſſe, jam circa an. 1110.
pag. 375. teſtatur Radulphus S. Trudonis Abbas, his verſibus:

Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter ægris,
Aut ſanis tribuat Laicis de ſanguine Chriſti.
Nam fundi poſſet leviter; ſimplexque putaret,
Quod non ſub ſpecie ſit totus Jeſus utraque.

Unde quod ad marginem Conſtitutionum quas edidit Uldaricus, ex alio Codice obſervatur, Cluniacenſem ritum Euchariſtiæ ſub ſola panis ſpecie infirmis porrigendæ, aliarum Eccleſiarum Conſuetudini repugnare: id, inquam, temere ſcriptum videri poſſit, forſanque ab homine, qui quod in Eccleſiis Cluniacenſi vicinis fieri conſpiceret, ubique locorum fieri arbitraretur. Neque enim ab ævo Uldarici, qui poſt an. 1080. denatus

eſt,

---

* Miſſam haud infrequenter celebratam fuiſſe non in Magnatum duntaxat, ſed & in privatorum cubiculis demonſtrant hæc Ahitonis ſæculo IX. Baſileenſis Epiſcopi verba in Capitularibus: *In domibus, niſi forte viſitandi gratia in infirmitate detentos, Miſſarum ſolemnia non celebrent.*

eſt, ad Radulphum uſque tanta occurrit intercapedo, ut pene univerſalis in tam gravi Eccleſiaſticæ diſciplinæ puncto varietas ſuboriri potuerit.

IV. Eamdem unius ſpeciei praxim confirmat ritus, quo Euchariſtia infantibus miniſtrari conſueverat: hanc enim ſub ſola ſpecie vini fuiſſe collatam exerte docet celebris Hiſtoria, quam ſcribit Cyprianus Tract. de Lapſis, & ex ipſo refert ac ponderat Auguſtinus Epiſt. 98. alias 23. ad Bonifacium. En ſumma rei faſtigia: Cum infantula quædam, inſcia matre ad Idolorum ædes a nutrice deducta eſſet, ibique panem vino mixtum de idolothytis comediſſet; ad Eccleſiam deinceps delata, ipſo ſacris operante Cypriano, *Ubi ſolemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus ceteris locus ejus*, puellulæ *advenit, faciem ſuam parvula inſtinctu divinæ majeſtatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus: in corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit*. Unde ſic: Puella de qua Cyprianus, recipiendæ panis ſpeciei capax erat, cum Idolothytum panem comediſſet: atqui tamen ei data eſt Euchariſtia ſub ſola vini ſpecie; alioqui & ſacrum panem illico evomere debuiſſet, ut vinum evomuit, ne *in ore violato* permaneret *Euchariſtia*. Neque vino huic quidquam additum eſt panis, cum intinctæ communionis uſus Cypriani ætate omnino incognitus eſſet; ergo. *Pag 175.*

Idem ſæculo V. aut VI. factitatum in Græcia evidenter aſtruunt, hæc quæ nobis a Photio conſervata ſunt Jobii Monachi verba, Lib. 3. de Incarnat. Verbi, cap. 18. *Primo baptizamur, deinde unguento ungimur, inde pretioſo ſanguine dignamur*. En quo ritu ſacris initiarentur infantes: hic porro nihil de ſpecie panis. Eumdem apud Græcos etiamnum vigere morem teſtantur Leo Allatius in Annotationibus de communione Orientalium additis ad Tractatum de conſenſione utriuſque Eccleſiæ; & Arcudius Lib. 2. cap. 40. quibus concinunt Abraham Echellenſis, Gabriel Sionita, Goarius, &c. *Biblioth. Cod. 222.*

Eumdem uſum XI. ſæculo confirmat Paſchalis II. citata Conſtitutione: confirmat & XII. Hugo Victorinus * Lib. 1. de Sacramentis cap. 20. ubi digitum a Sacerdotibus pretioſo ſanguine intingi præſcribit, quo eum ſugere poſſint infantes recens baptizati. ** Obiit an. 1140.*

Quemadmodum autem lactentibus puerulis ſola offerebatur ſpecies vini, ſic & grandioribus ſolæ ſuperſtitis panis reliquiæ tradebantur, ſeu ſtatim a ſacrorum celebratione, ſeu *quarta vel ſexta feria* ſequenti, ut Tradit Concilium Mediolanenſe II. an. 585. Can. 6. atqui ſpecies illæ, ſeu *vino conſperſæ* traderentur, ut ibid. præcipit Concilium; ſeu ſiccæ, ut videtur factum Conſtantinopoli, quo tempore *contigit memorabile* illud miraculum Hebræi pueri in ardenti fornace triduo conſervati, hæ, inquam, ſpecies citra ſanguinem tradebantur; cum nec ejus tunc dati mentio ulla ullibi fiat; nec, ut diximus, vas ullum foret aſſervando ſanguini deſtinatum, ut clariſſime liquet ex Apologia 2. Athanaſii; nec demum panis ſanguine intingendi conſuetudo unquam fuerit Conſtantinopoli approbata, ut ex Michaele Cerulario, Nicæta Pectorato & aliis evincit Grancolaus ubi ſupra pag. 42. *Evagr L. 4. c. 36. pag. 155.*

V. Idem unius tantum ſpeciei ritus abunde colligitur ex communione

ne domeſtica. Nempe vero Fidelium multi, qui publicis Eccleſiæ ſynaxibus intereſſe non poterant, ſeu quia id non paterentur infideles mariti; ſeu ne palam conſpicerentur; qua de cauſa raro palam prodibant Chriſtianæ virgines, quarum agendi rationem comprobat Hieronymus; ſeu quia obſtaret tyrannorum perſecutio, ne convenirent Fideles; ſeu demum, quia longius diſtarent ab Eccleſia, prout diſtabant Solitarii; hi, inquam, omnes Euchariſtiam domi propria manu ſibi magis, minuſve frequenter, & aliquando quotidie adminiſtrabant: atqui non adminiſtrabant communiter niſi ſub ſpecie panis. Prob. min. 1. ex Tertulliano Lib. 2. ad uxorem cap. 5. ubi quo conjugem ſuam a ſecundis, præſertim autem cum infideli, nuptiis deterreat. *Non ſciet*, inquit, *maritus* infidelis, *quid ſecreto ante omnem cibum guſtes: & ſi ſciverit pa-* Pag.196. *nem, non illum credit eſſe qui dicitur?* ideſt, interprete Rigaltio, Si ſciverit panem eſſe, nonne continuo ſecum reputabit, panem illum eſſe, qui per ſummam Gentilium calumniam dicitur infanticidii cruore tingi? atqui hic de ſolo pane ſermo eſt, nihil autem de vino: quia nec obſcure excluditur vinum, quod ex ſolo odore ſtatim a marito detectum fuiſſet; ergo. Atque huic loco conſonant alia quædam Ter- Pag.183. tulliani. Sic Lib. de Orat. in fine: *Accepto corpore Domini & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii*, &c. & Lib. de Monogamia: *Illi plane dabunt viros & uxores, quomodo buccellas*.

2. ex S. Cypriano Lib. de Lapſis, ubi commemorans factum hominis, qui etnicis ſacrificiis pollutus, Euchariſtiam accipere, & ſuas in ædes deferre veritus non fuerat, *Partem*, inquit, *cum ceteris auſus eſt latenter accipere: ſed ſanctum Domini edere & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus invenit*. Et hic quoque plenum de ſpecie vini ſilentium.

3. ex S. Baſilio Epiſt. 289. ad Cæſariam Patriciam, ubi ſic: *Quod autem tempore perſecutionis nihil mali ſit, ſi quis abſente Sacerdote Euchariſtiam propria manu ſumat, ſuperfluum eſt demonſtrare, propterea quod longa conſuetudo id reipſa confirmavit: omnes enim qui in eremis ſolitariam vitam agunt, ubi Sacerdos nullus eſt, communionem Domini ſervantes, per ſe ipſos*, ſeu, *de ſuis manibus*, ut vertunt alii, *participant: in Alexandria vero & Ægypto unuſquiſque, etiam ex Laicis, ut plurimum, habet domi ſuæ communionem, & cum vult per ſe ipſum communicat. Etenim Sacerdos in Eccleſia particulam*, ſeu, ut alii reddunt, *partem aliquam in manus tradit; detinet autem eum libertate, qui ſuſcipit; ac ita ori admovet* Arcud. *manu propria*. Hic, cum Arcudio loquor, hic habemus, 1. Euchari- L.3.c.53. ſtiam populo in manus tradi ſolitam; 2. quandoque domi ad longum pag.331. edit. fol. tempus (puta ad annum integrum, ut refert Moſchus in prato ſpiritali cap. 79.) aſſervatam; 3. diſtributam in particulas, græce μερίδα, ideſt micas, ſeu partes quæ aliæ ab aliis avellendæ ſint: atqui horum nulla quadrant in vinum; quod utique nec dividitur in particulas, nec manu excipitur, ſed vaſe; nec tantum temporis in calidiſſimis Alexandrini Patriarchatus, & Ægypti regionibus aſſervari potuiſſet; ergo.

Et certe, ait idem Arcudius, ſi vinum una cum pane diſtribuebatur, vel in notabili quantitate, ut quoties domi per ſe aliquis Euchariſtiam ſumere voluiſſet, hoc eſt, ferme quotidie, vini quoque conſe-

crati

crati particeps fieret; vel in quantitate modica. Porro neutrum dici poteſt. Non 1. tum quia probabile non eſt, tantam vini copiam in Eccleſia conſecratam fuiſſe, ut ſingulis in templo quantum ſatis erat, diſtribui poſſet; tum quia grave inſtitiſſet periculum effuſionis in terram, e calice in vaſa ſingulorum infundendo, domum aſportando, forſanque rurſus in minus vas transfundendo. Non 2. quia ſi minima conſecrati vini quantitas data eſset, hæc dubio procul ad communionem non ſuffeciſset per dies multos, præſertim ſi ſermo ſit de Anachoretis, qui degebant in ſolitudinibus, & raro admodum civitates vel Monaſteria frequentabant. Adde quod, generatim loquendo, unicuique dabatur ſanguis ore bibendus ex eodem calice, non aliquo vaſe excipiendus, ut demonſtrat Cyrillus Catech. 5. ergo. Quod autem objiciunt aliqui, S. Gorgoniam Gregorii Nazianzeni ſororem, corporis ac ſanguinis Dominici antitypa recepiſse, nihil probat; tum quia ex contextu liquet, ſolidum quid a Gorgonia manu receptum fuiſse, quod & ipſius ſanguinis, utpote in ipſo contenti antitypum vocari poſſit; tum quia exceptio in caſu ſingulari regulam generalem pro aliis caſibus confirmat.

4. idem colligere eſt ex vita Lucæ junioris, Monachi, cujus excerpta edidit Combefiſius Tom. 2. Auctarii Biblioth. PP. Cum enim quæſiiſset Lucas ille a Corinthio Archiepiſcopo, quomodo tremenda myſteria percipere poſsent Solitarii, apud quos nec ſynaxis erat, nec Sacerdos: Reſpondit Præſul, Ubi deeſt Sacerdos, conſervandas ſanctas particulas, ſumptoque Chriſti corpore, loco ſacri laticis hauriendum vini, utique non conſecrati, poculum: atqui communio hæc apud Solitarios frequens, nonniſi ſub panis ſpecie fiebat, aut fieri poterat.

VI. domeſticæ communionis exemplo accedet exemplum communionis publicæ. Etſi enim hæc prioribus duodecim Eccleſiæ ſæculis ſub duplici ſpecie fieri conſueverat, non raro tamen fiebat ſub unica. Id autem evincimus, 1. ex S. Leone, * qui Serm. 4. de Quadrageſima, cap. 5. hæc habet de Manichæis: *Ut interdum tutius lateant, ore indigno corpus Chriſti accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant*, quia nempe vinum habebant pro felle draconis? *Quod ideo*, pergit ſanctus Pontifex, *veſtram volumus ſcire ſanctitatem, ut vobis hujuſcemodi homines his manifeſtentur indiciis*, &c. Unde ſic: Latebant, tandiuque latuerant inter Fideles Manichæi, Euchariſtiam ſub una tantum ſpecie recipiendo, ut coactus fuerit Rom. Pontifex jubere ad eos cautius attendi: atqui ſi communio ſub duplici ſpecie, divina lege omnibus mandata eſset, adeo ut ab ea non liceret recedere, jam ne momento quidem latuiſsent Manichæi, nec ulla opus fuiſset obſervatione, ut deprehenderentur, quos vel unica communio ſub una ſpecie ſtatim prodidiſset; ergo nec rarum erat, nec inſolens tunc temporis, ut fideles ſub una tantum ſpecie communicarent. Et vero nec Epiphanius, nec Auguſtinus, nec ullus eorum qui contra Manichæos ſcripſere, eoſdem ut divini præcepti, ob unius ſpeciei uſum, tranſgreſsores redarguit.

At, inquies, ſi libera erat communio ſub una ſpecie, non poterant

per

* *Sedere cæpit anno* 440. *obiit anno* 461.

per eam ſecerni a ceteris fidelibus Manichæi, utpote qui id facerent unum, quod ceteri Fideles.

R. neg. ant. ſatis enim ab aliis ſecernebantur Manichæi, quia hi numquam ſub ſpecie vini communicabant; ceteri vero, etſi quandoque ſub una tantum, quandoque tamen & ſæpius ſub utraque. Nec dudium, quin poſt S. Leonis mandatum frequentior fuerit utriuſque ſpeciei uſus; ne quis vel pro Manichæo gratis haberetur, vel Manichæorum impoſturæ & latibulis faveret. Quanquam haud ſatis ad vini ſpeciem reverſos eſſe fideles, conjici poſſit ex nova lege, quam ea de re tulit Gelaſius S. Leonis poſt annos circiter triginta ſucceſſor; & de qua inferius, ubi ſolventur objectiones.

2. Idipſum conficimus ex facto quod narrant Nicephorus Lib. 13. Hiſtor. c. 7. & Sozomenus Lib. 8. cap. 5. Nimirum quædam e ſecta Macedoniana mulier, cum mariti ſui a S. Joanne Chryſoſtomo converſi fidem ſimulatura, ad ſacram in Eccleſia Catholica ſynaxim acceſſiſſet, *id quod acceperat*, panem ſanctum videlicet, *retinens*, *quaſi Deum oratura*, *caput ſubmiſit*. *Ancilla vero quæ ei* ex condicto *aſtabat*, *id quod domo attulerat*, uſuarium panem nimirum, *clanculum ei tradidit*. *Quod cum mulier dentibus admoviſſet*, *inſtar lapidis obduruit*. *Tum mulier verita*, *ne quid ſibi gravius eveniret*, *tanto erga ſe patrato miraculo*, *confeſtim ad Epiſcopum pergens*, *ſeipſam accuſavit*; *ſimulque lapidem oſtendit*, *qui morſus veſtigia retinebat*...... *Quod ſi cui forte hæc minus credibilia videntur*; *teſtis eſt lapis ipſe*, *qui in theſauro Eccleſiæ CP. etiamnum ſervatur*: atqui ſi calix omnibus omnino, utique ſtatim a recepta panis ſpecie præſtitus fuiſſet, vix ac ne vix quidem fraus illa potuiſſet habere locum. Illico enim ſenſiſſent omnes feminam a communi omnium uſu recedere. Idque calicis miniſter, veluti apertam divinæ legis tranſgreſſionem redarguiſſet. Imo quorſum vitare voluiſſet receptionem panis ſacri, quæ vini receptionem vitare non potuiſſet.

3. Idem aſtruit communio abſtemiorum, qui ſolam panis ſpeciem recipiebant. Sane obſervat Hieronymus, fuiſſe Romæ virgines, quæ ſic abhorrerent a vino, ut ab ipſius ſpecie in myſteriis abſtinerent; quæque idcirco a laſcivis quibuſdam mulieribus *miſeræ & Manicheæ* per calumniam appellabantur: atqui ſi tunc temporis creditum fuiſſet, duplicis ſpeciei uſum *æterno Dei edicto* imperari, prout delirat Calvinus, vel vino paulatim aſſuefactæ eſſent, quæ ipſum refugiebant, vel ipſo panis uſu privatæ: ſicut Baptiſmo, etſi ſumme neceſſario, privati fuiſſent, quibus is in aqua conferri non potuiſſet.

Epiſt. 22. *ad Euſt.*

4. Huc facit quæ inoleverat ſæculis X. & XI. conſuetudo, grandem Sacerdotibus recens ordinatis formulam dandi, ex qua per quadraginta dies communicabant. Ita referunt S. Fulbertus Carnotenſis * Epiſt. 2. ad Picardum, ubi morem hunc a Comprovincialibus Epiſcopis ſuis approbatum eſſe ſcribit, Ordo Romanus tit. de Ordinat. Alcuinus, aut quiſquis ſub Alcuini nomine Auctor eſt Lib. de divinis Officiis: unde praxim hanc & Romæ & in Galliis obſervatam fuiſſe liquet: Atqui eadem praxis ſupponit viguiſſe tunc uſum unius tantum ſpeciei. Quin & quæcumque ſuperſunt ſæculi XI. Liturgiæ ſolis Presbyteris aut Diaconibus concedunt ſacri calicis hauſtum; Subdiaconi vero, ceterique Clerici inferiores

* *Obiit an.* 1028.

riores

riores inſtar plebis, vel *ſicco ſacrificio*, vel ad ſummum pane intincto communicare jubentur, prout in Eccleſia ſua fieri præceperat Joannes ex Abrincenſi Epiſcopo Archiepiſcopus Rothomagenſis, * & Cluniaci obſervabatur. * Obiit an. 1079.

VII. idem invicte confirmat Miſſa præſanctificatorum: hæc enim & in utraque Eccleſia vetus eſt, & calicis uſum excludit. Quod in Eccleſia Græca veteris ſit inſtituti, patet tum ex Can. 49. Concilii Laodiceni ſæculo IV. habiti, ubi ſic legitur: *Non oportet in Quadrageſima panem offerre, niſi Sabbato & ſolis Dominicis*, quæ verba de oblatione panis Euchariſtici intelligenda eſſe probat Cabaſſut. in Notitia; tum ex Canone 52. Synodi Trullanæ an. 692. ubi Patres: *In omnibus*, inquiunt, *ſanctæ Quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato & Dominica, & ſancto Annuntiationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum miniſterium;* ubi non videtur nova lex condi, ſed jam recepta confirmari, ac denuo præcipi. Quod vero idem Miſſæ ritus in Eccleſia Latina, die Paraſceves, magnæ ſit antiquitatis, conſtat ex Ordine Romano, qui pro octavi ſæculi fœtu habetur, & cujus verba poſtmodo referemus. Jam vero quod eadem præſanctificatorum Miſſa in ſolo pane celebretur, ideoque calicis uſum excludat, non minus apertum eſt; quoad Græcos quidem, tum ex omnibus eorum Euchologiis, tum ex peritiſſimis quibuſque Græcorum, quales ſunt Arcudius Lib. 3. de Euchar. cap. 57. & 58. & Leo Allatius in ſingulari & erudita Diſſertatione de Præſanctificatis: Quoad Latinos vero, idem patet ex Ordine Romano, ubi hæc de Officio feriæ V. Hebdomadæ ſanctæ præcipiuntur: *Pontifex ſumat oblatas*, ſeu formulas *integras ad ſervandum uſque mane diei Paraſceves, de quibus communicent* fideles *abſque ſanguine Domini. Sanguis vero eadem die*, ſeu eadem feria V. *penitus conſumatur*. Idem Ordo communionem diei Paraſceves ex conſecrata pridie formula fieri declarat his verbis: Pontifex *ſumit de ſancta* hoſtia, *& ponit in calicem nihil dicens ...... Sanctificatur autem vinum* calicis *non conſecratum per ſanctificatum panem, & communicant omnes cum ſilentio*. Idem die ſequenti, nimirum Sabbato ſancto ritus ſervabatur, nulla enim tunc temporis fiebat donorum conſecratio, ſecundum id ejuſdem Ordinis Romani: *Feria ſexta in Paraſceve Miſſa non cantatur, ſed neque in Sabbato ſancto uſque ad vigilias noctis:* atqui tamen moris erat ut hac die omnes communicarent, ut ex his ibid. verbis liquet: *Poſtquam omnes communicaverint, dicitur oratio:* & iterum: *Dum communicaverint, cantatur pro veſpera feſtinanter Pſalmus: Laudate Dominum omnes gentes;* ergo Miſſa præſanctificatorum in utraque Eccleſia ſub ſola panis ſpecie celebrabatur. Quæ contra probationem hanc objici poſſunt, diluemus in decurſu.

Cabaſſ. pag. mihi 156. — Arcud. pag. 341. — Bibl. PP. T. 13. pag. 689. D. — Ib. p. 693. D. — Ib. p. 691. D. — Ib. p. 697. G.

Prob. 3. concluſio noſtra ex Conciliis, quæ præſentem controverſiam variis temporibus diremere. Et 1. occurrit Concilium Conſtantienſe, an. 1415. ubi Bohemorum error his verbis confoditur Seſſ. 13. *Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie aſſerere præſumant, populum Chriſtianum debere Sacramentum ſub utraque ſpecie panis & vini ſuſcipere .... contra laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam ſacrilegam damnabiliter reprobare conantur, hinc eſt quod hoc præſens Concilium ſacrum generale Conſtantienſe ..... adverſus hunc errorem ſaluti Fidelium* Lab. T. 12. pag. 100.

providere ſatagens ...... deffinit quod hæc conſuetudo ad evitandum aliqua pericula & ſcandala eſt rationabiliter introducta, quod licet in primitiva Eccleſia hujuſmodi Sacramentum reciperetur a fidelibus ſub utraque ſpecie, poſtea a conficientibus ſub utraque, & a Laicis tantummodo ſub ſpecie panis ſuſcipiatur; cum firmiſſime credendum ſit, & nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini veraciter contineri. Unde cum hujuſmodi conſuetudo ab Eccleſia & ſanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutiſſime obſervata ſit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere quod hanc conſuetudinem aut legem obſervare, ſit ſacrilegum aut illicitum, cenſeri debet erroneum; & pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, tanquam hæretici arcendi ſunt, & graviter puniendi, &c.

Ibid. pag. 600. E. 2. idem, iiſdemque pene verbis, tradit an. 1437. Baſileenſis Synodus Seſſ. 30. adverſus Calixtinos, & qui his ea in parte conſentiebant Taboritas.

3. idipſum decretorie ſanxerunt Tridentini Patres Seſſ. 21. triplici contra Calviniſtas & Lutheranos Canone. *Si quis*, ajunt Can. 1. *dixerit, ex Dei præcepto vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti Fideles, utramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere; anathema ſit*, & Can. 2. *Si quis dixerit ſanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodo ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe; anathema ſit*. Demum Can. 3. *Si quis negaverit totum & integrum Chriſtum, omnium gratiarum fontem & auctorem, ſub una panis ſpecie ſumi, quia, ut quidam falſo aſſerunt, non ſecundum ipſius Chriſti inſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur; anathema ſit*.

Ex objectionibus contra theſim noſtram proponi ſolitis, aliæ probationes noſtras impetunt; aliæ nonnulla argumenta veritati catholicæ in ſpeciem adverſa complectuntur. Utraſque expendemus ſigillatim.

Objectiones primi generis.

Obj. 1. Ea in Euchariſtiæ adminiſtratione invehi non debuit mutatio, quæ Sacramentum facit mutilum, tum ex parte ſigni, tum ex parte cauſalitatis: atqui adminiſtratio unius tantum ſpeciei, Sacramentum facit ex utraque parte mutilum; & 1. ex parte ſigni. Euchariſtia enim de ſe eſt ſignum paſſionis & mortis Chriſti, quam qui communicant, omnes commemorare tenentur ex Apoſtolo I. Cor. 11. atqui ſpecies una mortem hanc non exprimit; quam econtra diſertiſſime exprimunt duæ ſpecies, quarum una corpus ut avulſum a ſanguine, alia ſanguinem ut ſeparatum a corpore repræſentat; ergo. 2. una ſpecies minus gratiæ producit, quam duæ ſimul; ergo & ex hac parte mutilum efficitur Sacramentum.

R. ad 1. neg. min. ad 1. 2. neg. ant. ad 2. diſt. maj. Euchariſtia eſt ſignum mortis Chriſti, ſignum, inquam, vel repræſentativum, vel commemorativum duntaxat, C. ſignum neceſſario repræſentativum, ſaltem explicite, ſubdiſt. Euchariſtia ut ſacrificium, C. ut Sacramentum, N. itaque res quæpiam dupliciter ſignificari poteſt, nimirum per repræſentationem, & per ſimplicem memoriam. Aliter enim ſignificatur victoria

in

in tragœdia, ubi omnia repræſentantur ad vivum; aliter in ſimplici narratione, qua quis eamdem & ſibi & aliis revocat in animum. Fatemur Euchariſtiam quatenus ſacrificium, eſſe ſignum non modo commemorativum, ſed & explicite repræſentativum mortis Chriſti; unde ad eam qua talem opus eſt duplici ſpecie, non ut manducanda aut bibenda, ſed ut a ſe invicem per myſticum verbi gladium ad exhibendam Chriſti immolationem ſeparanda. At ſimul contendimus ad Euchariſtiam, quatenus Sacramentum eſt, non requiri repræſentationem hanc, ſed ſufficere ut qui ea veſcuntur, Chriſti mortem cum gratiarum actione recolant: id autem citra geminæ ſpeciei ſumptionem perfici poteſt. Unde Paulus in eo ipſo qui objicitur loco, de utraque ſpecie ſeorſim dicit: *Hoc facite in meam commemorationem;* quod argumento eſt, Domini mortem ab iis etiam qui tantum manducant, aut bibunt, commemorari. Et vero qui hanc vel illam ſpeciem ſumit, jam didicit ex conſecratione & oblatione, per eam repræſentari corpus ut mortuum; unde poteſt & debet Chriſti mortem ſibi in memoriam revocare. Ita Bellarmin. eod. Lib. 4. cap. 27.

Saltem, inquies, commemoratio mortis Chriſti in gemina ſpecie expreſſior habetur. Sed eſto: quid tum? an ideo utraque ad veram commemorationem neceſſaria erit? minime gentium. Utique enim immerſio triplex, quæ diu in collatione Baptiſmi obſervata fuit, ſignificantius exhibebat, tum SS. Trinitatem, cujus in nomine abluimur, tum ſepulturam ac reſurrectionem Chriſti, tum & effectum Baptiſmi, vi cujus conſepelimur cum Chriſto: atqui tamen nobiſcum fatentur Adverſarii, trinam hanc immerſionem haud pertinere ad Baptiſmi ſubſtantiam; ergo & a pari in propoſito. Ita doctiſs. Tournely.

Objectionem ex effectu Sacramenti deſumptam expendemus Concl. 1.

Obj. 2. Ideo potiſſimum communionem ſub una ſpecie licitam eſſe contendimus, quia hæc variis Eccleſiæ ſæculis identidem fuerit in uſu: atqui hæc ratio & falſa eſt, &, ſi vera ſupponatur, non concludit. Et quidem 1. falſa eſt: qui enim communicabant ſub ſpecie panis intincti in ſanguine Chriſti, non communicabant ſub una tantum ſpecie; quandoquidem uno eodemque actu corpus & ſanguinem reciperent: atqui fideles, ſeu in Eccleſiis, ſeu domi communicabant ſub ſpecie panis intincti, quando utramque diviſim ſpeciem non ſumebant. Prob. min. tum ex Concilio Turonenſi apud Burchardum, & Yvonem Carnotenſem, ubi hæc habentur cap. 4. *Sacra oblatio intincta ſit in Chriſti ſanguine, ut veraciter Presbyter poſſit dicere infirmo: Corpus & ſanguis Domini proficiat tibi*, &c. tum ex ipſa, cui tantopere confidimus, Miſſa præſanctificatorum: in ea enim non percipitur apud Græcos panis ſiccus, ſed perfuſus guttis aliquot ſanguinis pretioſi. Et vero adeo invaluerat uſus communionis intinctæ, ut eum prolixe defendat Ernulphus Roffenſis Epiſcopus Epiſt. ad Lambertum, Tom. 2. Spicilegii. 2. neque hæc ratio concluderet, tametſi ſupponeretur vera. Quæ enim neceſſitas extorquet, in legem trahenda non ſunt: atqui quod aliquando vel infantibus, vel infirmis ſub una ſpecie daretur Euchariſtia, ſola extorquebat neceſſitas; ergo id quoad omnes in legem trahi non debet, prout fit in Eccleſia Romana.

Burch. L. 5 c. 9. Yvo part. 2. Decr. cap. 19 p. 62. fol. verſ.

R. ad

R. ad 1. 1. neg. maj. ut enim communionem ſub una ſpecie licitam eſſe credamus, ſufficit ut binæ ſpeciei ſuſceptio nullibi præcepta ſit, & Eccleſia in Sacramentorum adminiſtratione id omne poſſit, quod eorum ſubſtantiæ non adverſatur. Ea enim de cauſa præcipere poſſent hodierni Paſtores, ut Baptiſmus ſola conferretur infuſione, etſi huc uſque non aliter quam trina immerſione collatus eſſet. Atqui ex dictis & ex dicendis, binæ ſpeciei ſuſceptio, &c.

R. 1. neg. min. pro prima parte. Ad probat. 1. neg. maj. ut enim quis ſub duplici ſpecie communicet, neceſſum eſt ut manducet & bibat: atqui nullibi dicitur bibere, qui madefactum quid comederit; ergo vere non communicat ſub ſpecie potus. Et vero eo uſque perſuaſum erat, communionem ſub duplici ſpecie non haberi per intinctionem, ut qui hanc populo permittebant, eamdem vetarent Sacerdotibus: *Sacerdos*, ajunt Joannes Abrincenſis, Yvo Carnotenſis, aliique plures, *non intincto pane, ſed ſeorſim corpore, ſeorſim ſanguine communicet*. Atque hinc Græcorum Imperator, cui communio ſub ſpecie duplici permiſſa erat, *de vivifico ſanguine communicat, non quomodo vulgus cochleari, ſed ipſo cratere, Clericorum more;* verba ſunt Cantacuzeni Lib. 3. inſtit. cap. 31.

Confirm. Ideo calicis neceſſitatem commendant Novatores, quia ut plena ſit & integra Sacramenti ſignificatio, ſeu repræſentatio mortis Chriſti, ſanguinem tanquam a corpore ſeparatum exhiberi volunt: atqui actio quæ ſanguinem in corpore incluſum repræſentat, utriuſque ſeparationem male exhibet; ergo quemadmodum ut repræſentetur corpus, panis ſeorſum, ſic & ut repræſentetur ſanguis, calix ſeorſim ſumi debet, in eorumdem Novatorum ſententia: & ita ſentiunt ipſi, tum verbis, tum & praxi communiter.

2. neg. min. qui enim ut plurimum ex pane vel ſicco, vel intincto quidem, ſed in aqua ſolum aut vino, communicabant, ii profecto ne una quidem actione duas ſpecies ſumebant: atqui Veteres, cum utramque ſeorſim ſpeciem non ſumebant, ut plurimum vel ex pane ſicco communicabant, prout ſupra pluribus exemplis probavimus; vel ex pane intincto in aqua, ut conſtat ex facto Serapionis juxta verſionem Valeſii; vel demum ex pane qui ſolum in communi vino intinctus eſſet, ut liquet, tum ex vita Lucæ junioris, Monachi, apud Combefiſium; tum ex Statutis Cluniacenſibus, Lib. 3. cap. 28. &c.

Combef. Tom. 2. Auctar.

Hic non abs re fuerit addidiſſe, ſacri panis intinctionem varias in Eccleſia vices habuiſſe: 1. enim quoad infirmos, eos ſaltem qui ſiccum quid deglutire non potuiſſent, approbata videtur a Concilio Carthaginenſi IV. an. 398. Can. 76. ubi de eo qui *oppreſſus infirmitate obmutuerit*, ſic ſancitum eſt. *Si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & INFUNDATUR ori ejus Euchariſtia*. 2. id tamen alibi interdictum fuiſſe notat Gloſſa in cap. 8. XXVI. quæſt. 6. 3. quantum ad eos qui inter Miſſæ ſolemnia communicabant, prima intinctionis mentio occurrit in Concilio Bracarenſi an. 675. ubi inter varios abuſus & iſte recenſetur cap. 1. quod *quidam* Sacerdotes *Euchariſtiam vino madidam pro complemento communionis credunt populis porrigendam*; quod ibid. cap. 2. *nullum ex Evangelio teſtimonium* habere dicitur. Eamdem praxim velut abuſum carpit Micrologus, ſeu Auctor Libri de Eccleſiaſticis obſervationibus, qui

Tom. 6. Conc. p. 562. C.

qui ſæculo XI. * vixiſſe creditur. *Non eſt*, inquit cap. 19. *authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis diſtribuunt: nam Ordo Romanus contradicit, quia & in Paraſceve vinum non conſecratum cum .... Dominici corporis immiſſione jubet conſecrare, ſeu ſanctificare, ut populus plene poſſit communicare*, &c. 4. eumdem quoque uſum, ſed cum aliqua moderatione reprehendit Urbanus II. in Concilio Claromontano an. 1095. Can. 28. ubi ſic: *Ne quis communicet de Altari, niſi corpus ſeparatim & ſanguinem ſimiliter ſumat, niſi per neceſſitatem & cautelam;* quæ poſtrema verba vel intinctionem permittunt in caſu neceſſitatis, vel in eodem caſu communionem ſub una ſpecie præcipiunt; prout ſequenti ſæculo fecit Urbani ſucceſſor Paſchalis II. Epiſt. 32. ad Pontium Cluniacenſem; ubi *morem* utriuſque ſpeciei ſeparatim dandæ *ſemper in ſancta Eccleſia conſervandum* docet ac præcipit, *præter in parvulis ac omnino infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt*. Quamquam ſic *neceſſitatem* inter & *cautelam*, de quibus loquitur Claromontanus Canon, diſtinguit Illuſt. de Marca, ut & intinctio permittatur in caſu neceſſitatis; & ob cautelam, ne ſcilicet ſanguinis effuſio accideret, in frequenti communicantium cœtu, ſola panis ſpecies porrigatur, prout jam pluribus in Eccleſiis fieri conſueverat; 5. demum probatus Ernulpho Roffenſi intinctionis uſus, in Londinenſi an. 1175. Concilio proſcriptus eſt Can. 18. „ Ceterum, ait ibid. doctiſſimus de Marca, Eucharistiæ adminiſtratio ſub ſolo panis ſymbolo, Laicis hoc ſæculo porrecto, magnum incrementum habuit poſt conſtitutum a Chriſtianis Regnum Jeroſolymitanum, ad exemplum antiquiſſimæ Eccleſiæ illius civitatis, in qua, nulla ſpecierum mixtione facta, ſolo pane ſibi exhibito, adventantis ex Orbe univerſo populi pietas rem Sacramenti percipiebat. Quod profitetur antiquus ille Patriarcha Jeroſolymitanus, cujus verba ſexcentis abhinc annis retulit Humbertus ad ſuggillandos Græcorum ritus: *Cochlear autem cum quo communicent*, ait ille loquens de Jeroſolymitanis, *ſicut in Eccleſia Græcorum, minime habent; quia non ita commiſcent ſanctam communionem in calice, ſed ſola communione* panis *communicant populum .... Ad hæc ſi quid ex ſancta & venerabili Euchariſtia in Jeroſolymitanis Eccleſiis ſuperfuerit .... in pixidem mundam recondunt, & ſequenti die communicant ex eis populum; quia quotidie communicant ibi, eo quod conveniunt illuc ex diverſis Provinciis Chriſtiani, qui propter fidem & maximum amorem Filii Dei communicari ibidem deſiderant, quia & locus ipſe venerabilior & ſanctior eſt omnibus locis in omni terra*, &c. Conſuetudo illa unius ſymboli non ſtatim invaſit omnes Eccleſias Occidentis, quamvis in quamplurimis ſervaretur ob reverentiam ſanguini Domini debitam, cujus effuſioni anxie cavebant. Sed poſtquam egregius ille Theologiæ Magiſter Thomas Aquinas ea de re conſultus, earum Eccleſiarum pietatem & prudentiam in eo uſu laudavit, certatim reliquæ omnes illum ſine ulla difficultate amplexæ ſunt. Hæc ſunt ejus verba 3. part. qu. 30. art. 12. *Provide in quibuſdam Eccleſiis obſervatur, ut populo ſumendus ſanguis non detur*. „ Hæc Clariſs. de Marca, quæ quia aliquantulam mutationis circa præſens diſciplinæ caput ſubortæ notitiam præbent, referenda duximus.

Biblio. PP. Tom. 18. pag. 477. C.

Tom. 10. Conc. p. 656. C.

Ibid. pag. 582. B.

Ibid. pag. 1466.

Ex

* Micrologus nomen eſt Operis, non Auctoris. Micrologi auctorem an. 1085. vixiſſe credunt Bellarminus, Labbeus & alii paſſim: at hunc ad annum circiter 1180. retrahit Caſimir. Oudin in Supplem. pag. 347.

Ex his interim colligere ſit, 1. intinctionem haud ſatis eſſe ut Fideles ſub duplici ſpecie communicare cenſeantur ; 2. eam nulla unquam generali Eccleſiæ lege approbatam fuiſſe, ſed potius improbatam ; 3. nec ubi admiſſa eſt, admiſſam fuiſſe ut prorſus & in omni caſu neceſſariam ; 4. demum eamdem, dum alicubi ſervabatur, alibi rejectam fuiſſe, ut docet jam citatum illud Rodulfi, qui Paſchalis II. ævo florebat : *Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter*, &c. ut ſupra pag. 582. 5. nullius omnino momenti eſſe argumentum, quo Synodus Turonenſis ab Yvone Carnotenſi citata, intinctionis praxim confirmat : neque enim minus veraciter cum ſicca, quam cum intincta ſpecie dicit Sacerdos : *Corpus & ſanguis Domini proficiat tibi*, &c. cum ut utraque, ſic & alterutra ſpecies corpus & ſanguinem plene contineat.

Nihilo plus urget quod objicitur ex intinctis Græcorum præſanctificatis, 1. quia intinctio hæc non obſervatur in Eccleſia Latina, quæ Græcæ omnimodis prævalet ; 2. quia intinctio Græcanica, cum apud Orientales irrepere cœpit, a celebrioribus eorum Epiſcopis improbata eſt. Sic Michael Cerularius, lugendi, quo hodiedum dividimur, ſchiſmatis artifex, ſcribit, panem ſanctum in Eccleſia ſua recipi, *nulla ei gutta ſanguinis Chriſti* infuſa ; ſic & Nicetas Pectoratus, Monachus Studites, aperte docet, *ſanctificatos panes vino, ſeu ſanguine Dominico non eſſe intingendos* ;
Florebat hi tres circa an 1050. unde Humbertus Cardinalis, qui contra Cerularium & Nicetam ſcripſit, fatetur intinctionem non ubique apud Græcos eſſe in uſu ; nullibi autem, ideſt nec *in magnis*, nec *in parvis Eccleſiis* Jeroſolymitani Patriarchatus vigere ; 3. quia præſanctificatorum tinctioni expreſſe reluctantur Græci Trullanorum Canonum interpretes ; hi enim, ut videre eſt apud Arcudium ſic ſcribunt in Can. 52. *Non eſſe tingenda præſanctificata per cochlear ſanguine Dominico, dum cuſtodienda ſunt, accuratius tradit B. Joannes* (jejunatorem forte intelligunt) *ut quod etiam in Eccleſia noſtra majori*, Conſtantinopolitana ſcilicet, *fiat* ; 4. demum, quia etſi Græci panem populo in Eccleſia communicanti vere intinctum porrigunt cum parvo cochleari, cujus tenue & oblongum manubrium in parvam crucem deſinit, haud tamen eum ſic præbent, quia utriuſque ſpeciei ſumptionem neceſſariam eſſe credant ; ut patet ex Libro Conſtitutionum Eccleſiæ Orientalis, qui poſtquam cap. 3. ſect. 3. decrevit, non licere Sacerdoti præbere corpus ſine ſanguine, ſtatim ſubdit : *Exceptis ægrotis, & qui longe diſtant ab Eccleſia, & qui impedientibus diſtracti ſunt negotiis, ut ſunt Paſtores & agricolæ qui incolunt villas, nec habent Eccleſias, nec Eccleſiam remotam adire poſſunt : ſimiliter quoque mulieres, præſertim cum timetur ne hinc accidat eis ignominia aliqua propter itineris diſtantiam : deferre autem ad hos calicem, periculoſum eſt valde, ideoque corpus ſine ſanguine detur illis*. Idem in Oriente toto quoad eaſdem perſonas factitari tradit Abraham Ecchellenſis Maronita.

Ut occurratur objectioni, quæ ex Græcanica ſacri panis conſecratione deduci poſſit, juvat ritum ejus excribere e Card. Bona. Sic ille
Bona p. 494. edit. Pariſ. 1672. Lib. 2. rerum Liturgicarum cap. 18. *Singulis annis feria V. majoris hebdomadæ panem recentem ſolito majorem præparant* Græci *& conſecrant, cujus quartam partem Sacerdos abſumit, tres reliquas in minutulas particulas comminuit, quas* Meridas, *& communiori vocabulo* Margaritas *vocant. Sed*

antea

antea conſecratum panem Chriſti ſanguine leviter humectant, tum ſacro diſco ignem ſubjicientes cunctum humorem exprimunt, & ſic adeo indureſcit, ut per totum annum a corruptione immunis ſervari poſſit. A pane vero ea ratione exiccato modicum illud vinum, quo imbutus fuerat, omnino evaneſcit, & conſequenter remanet ſub ſola ſpecie panis corpus Chriſti, quod ad ægrotum, cum opus eſt, deferentes, prius extrahunt e pixide margaritam unam, & in cochleari vino communi perfundunt, ut emoleſcat, eaque ſic perfuſa illum communicant. Ita *docte & diffuſe Leo Allatius*, &c. Ex quibus liquet non aliam reapſe infirmis porrigi ſpeciem, quam panis.

Quod ſpectat ad alteram difficultatis ab initio propoſitæ partem, ea nimirum quæ ex neceſſitate fiunt, in legem trahenda non eſſe: R. 1. uſum communionis ſub unica ſpecie adeo prioribus etiam Eccleſiæ ſæculis frequentem fuiſſe, ut binæ ſpeciei receptio nuſquam magis quoad Euchariſtiam neceſſaria fuiſſe videatur, quam immerſio triplex quoad Baptiſmum. Certe unius tantum ſpeciei morem, qui in tota Jeroſolymorum Eccleſia invaluerat, ad ipſos Apoſtolos refert Cardinalis Humbertus. *Itaque*, ait, *in magnis & in parvis Eccleſiis hunc morem ſibi traditum a ſanctis Apoſtolis habent omnes Chriſtiani ipſius Provinciæ.* Unde 1. negatur minor propoſitio.

R. 2. diſt. maj. quæ ex neceſſitate fiunt, non ſunt trahenda in legem, niſi id par neceſſitas exigat, C. ſecus, N. itaque cum Calviniani licitum ſibi crediderint, iis auferre calicis uſum, quibus eumdem poſt alios recipere moleſtum fuerit, ad Eccleſiæ Romanæ vindicias ſufficit ut pares ad minus ejuſdem auferendi cauſas habuerit: atqui Eccleſiam Rom. & pares, & multo graviores demendi calicis cauſas habuiſſe, liquebit ex dicendis; ergo non eſt cur eam culpent Adverſarii.

Inſt. Ex conceſſis, panis ſacer vino vel aqua intingi conſueverat: atqui eo ipſo vigebat communio ſub duplici ſpecie. Ad id enim ſatis eſt ut vinum non conſecratum, ex ipſo corporis Chriſti contactu evaderet in conſecratum, adeoque in ipſum Chriſti ſanguinem: atqui rem ita ſe habuiſſe liquet, 1. ex variis Ordinibus, quos refert Mabillonius Tom.2. Muſæi Italici. Siquidem Ordo primus ſic habet pag. 23. ubi de feria VI. in Paraſceve: *Sanctificatur autem vinum non conſecratum per ſanctificatum panem; & ſic communicent omnes cum ſilentio.* Idem habent Ordines XIV. & XV. ibid. p. 223. at expreſſe magis Ordo tertius his verbis: *Vinum non conſecratum, ſed ſanguine Chriſti commixtum, ſanctificatur per omnem modum*, ibid. pag. 59. & Tom. 13. Bibliot. PP. p. 666. Ut autem omne præcludatur effugium, ſic habet Ordo X. apud eumdem Mabillon. p. 114. ubi ſermo eſt de Viatico infirmi: *Tradat ei Sacerdos Euchariſtiam Dominici corporis intincti vino: & vinum tali intinctione ſanctificatum in Chriſti ſanguinem mutatur; dicens: Accipe, frater, Viaticum corporis & ſanguinis Domini N. J. C.* 2. idem conſtat ex Miſſalibus plurimis, potiſſimum vero ex Miſſali Eccleſiæ Arelatenſis, quod in Bibliotheca Colbertina aſſervatur; 3. & eadem fuit opinio Græcorum, e quibus conſuli poſſunt Michael Cærularius, & Simeon Theſſalonicenſis apud Mabillonium ibid. & Martenium cap. 6. de forma Euchariſtiæ; ergo.

*Num.*3*G* *Num.*93.

R. 1. non ſemper intinctum fuiſſe panem ſeu aqua, ſeu vino; rurſumque aquam cui is quandoque intingebatur, ut in communione

Serapionis, nullibi in Chriſti ſanguinem converſam dici: quibus poſitis pene vaneſcit difficultas.

R. 2. ad 1. neg. min. opinio enim, quæ vinum ſolo contactu conſecrari docet, 1. toti antiquitati repugnat, cum nullum ſubſit ejus veſtigium ſeu in Scripturis, ſeu apud Græcos aut Latinos Patres, ſeu in Ritualibus quibuſcumque ante nonum ſæculum exaratis; ubi conſtanter traditur conſecrationem verbis Evangelicis peragi, aut ſaltem non peragi ſine illis; 2. ubi primum aſſerta eſt circa ſæculum nonum, ex profeſſo velut falſa & Traditioni contraria profligata fuit ab ejuſdem ævi Theologis. Unum aut alterum hic ſubjicere placet: Jacobus a Vitriaco cap. 38. Hiſtoriæ Occidentalis: *Non dicimus*, inquit, *quod ex tactu ſanguinis vi-* Floruit *num ablutionis convertatur in ſanguinem; ſed remanet purum vinum, licet ex* an. 1230. *contactu ſanctæ rei ſit ſanctificatum; ſicut aqua fluminis, aquæ benedictæ commixta, dicitur ſanctificata. Mentiuntur ergo qui dicunt quod die Paraſceves corpus Chriſti ex contactu mutet vinum in ſanguinem: illo enim die corpus, ſed non ſanguis ſumitur.* Idem uno ante ſæculo docuerat Joannes Baletus: *Si quis autem roget*, ait cap. 99. *num vinum quod eo die* Paraſceves, *ſumitur, a Dominici corporis contactu conſecretur, quamvis complurium ſcripta illud aſſerere videantur, nos tamen magis veritatem ſequentes, & ea quæ SS. Patres tradiderunt, dicimus vinum illud non fuiſſe omnino conſecratum, ſed ſanctificatum;* ergo.

Ad 2. diſt. ant. juxta varios Ordines vinum ex Hoſtiæ contactu ſanctificatur ſanctificatione accidentali, extrinſeca, & improprie dicta, C. interna & ſubſtantiali, N. Sanctificatio in præſenti duplex diſtingui poteſt, alia extrinſeca, quæ rei cuipiam accidit ex peculiari, quem ipſa acquirit, ad corpus Dominicum reſpectu; ſic Jordanis aquas ſacro Chriſti contactu ſanctificatas eſſe dixerunt Patres; ſic & calicem ex contactu vivifici ſanguinis ſanctificari, imo & conſecrari dicimus. Alia intrinſeca & ſubſtantialis, per quam res quædam, puta vinum, in ipſum Domini corpus tranſmutatur. Primam ſanctificationis ſpeciem ex Chriſti contactu vino accidere fatemur lubenter: at ſecundam negamus, 1. quia nobis ex jugi Traditione compertum eſt, ſanctificationem hanc, ſeu converſionem vini in ſanguinem Dominicum, ſine verbis non fieri; 2. quia Miſſa diei Paraſceves, aut quæ pari ritu apud Orientales celebratur, tum a Latinis, tum & a Græcis ſemper dicta fuit præſanctificatorum; quia nimirum ex donis antea præſanctificatis, ſeu conſecratis fiebat: porro ſi vinum ex mixtione cum corpore Chriſti vere conſecratum fuiſſet, jam vere non fuiſſet Miſſa ex Præſanctificatis; quandoquidem nova & hodierna ſupponeretur fieri ſanctificatio, ſeu conſecratio; 3. quia Ordo Romanus loco antea citato expreſſe docet, Fideles in die Paraſceves communicare *abſ-* Tom. 13. *que ſanguine;* ergo ſupponit vinum ex corporis Dominici contactu non Bibl. PP. conſecrari proprie, ſeu non converti in ſanguinem Chriſti; ergo rurſus pag. 689. cum idem Ordo, aliique ſimiles ajunt vinum ſimplex per ſacrum panem, panemve ſimplicem per vinum conſecratum ſanctificari, debent hi de externa ſanctificatione intelligi, qualem deſignat S. Bernardus Epiſt. 69. ubi de Sacerdote, cujus in calicem miniſter vini loco aquam ſolam Tom. 1. infuderat, ſic diſſerit: *Arbitramur, liquorem, etſi non ex conſecratione propria* p 71. C. *atque ſolemni in ſanguinem Chriſti mutatum, tamen ſacrum fuiſſe ex contactu cor-*

corporis ſacri. De his adi Hugonem Menardum in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii, pag. 87.

Nec nocet quod in Ordine III. Mabillonii, vinum ſanguine Chriſti commixtum *per omnem modum* ſanctificari dicitur; adeo ut & Pontifex, & populus *ex ipſo confirmari*, ideſt, communicari perhibeantur. Non nocet, inquam; eo enim in loco non agit Ordo Romanus de ritu diei Paraſceves, in quo ſolum corpus ſub ſpecie panis ſumebatur, ſed de ritu aliis diebus obſervari ſolito; & juxta quem nonnihil pretioſi ſanguinis e minori calice infundebatur in majorem calicem vino non conſecrato plenum, ex quo communicare, ſeu, ut ajebant tunc temporis, *confirmari* debebant Fideles: porro vinum iſtud in Ordine Romano *per omnem modum* ſanctificari dicitur, non quia ſupponatur vere converti in ſanguinem Domini, ſed quia ita cum eo permiſcetur, ut jam ab ipſo ſeparari non poſſit; unde quiſquis ex calice ſumit, ſanguinem Chriſti ſumere cenſetur; idque eo magis quod ſanguis vino mixtus non excidit a conſecratione ſua. Et certe idem Romanus Ordo, qui dicit, calicem in quem nonnihil vini conſecrati transfuſum eſt, eſſe ſanguinem Chriſti, adeo ut qui ex calice illo hauriunt, ſanguine Dominico confirmentur; nullibi dicit, vinum non conſecratum, cui in die Paraſceves admiſcetur aliquid panis conſecrati, eſſe Chriſti ſanguinem; unde nec dicit Fideles ea die confirmari ſanguine Chriſti, imo contrarium totidem verbis affirmat; tantumque docet, vinum illud per panem ſanctum ſanctificari, extrinſece ſcilicet & accidentaliter: atqui locutionis tam diverſæ ratio hæc una aſſignari poteſt, quod in calice in quem aliquid ſanguinis infunditur, ſubſit revera ſanguis; non autem in calice, in quem, cum ſolo vino plenus eſt, injicitur particula corporis Dominici; ergo particula hæc ſolo ſuo contactu vinum non tranſmutat.

Tom. 13. Bibl. PP. pag. 666.

Quid ergo ad Ordinem X. Mabillonii? unum hoc, videlicet eum eſſe interpolatum: atque id gravia argumenta probant: 1. enim verba hæc: *Et vinum tali intinctione ſanctificatum in Chriſti ſanguinem mutatur*, interturbant ſenſum; proinque merum ſunt Rubricarii alicujus gloſſema, quod e margine in textum irrupit. Unde Rituale Romanum, quod Florentiæ in Bibliotheca Sanctæ Crucis aſſervatur, eumdem circa communionem infirmorum, iiſdemque verbis ritum refert, quibus in Ordine objecto, ſed citra has voces: *In ſanguinem Chriſti mutatur*; 2. quia alii Ordines ſuperius appellati, ajunt ſimpliciter, vinum ex contactu ſanctificari; ſed non ajunt illud conſecrati: Quin & id negant diſerte: ſiquidem Libellus, ſeu Ordo XI. cap. 51. id quod poſt mixtionem eſt in calice, ſimpliciter appellat vinum: *Celebrans, Papa præſente*, inquit, *ſumit vinum & aquam cum particula in calice exiſtente*, & cap. 54. *Pontifex ipſe non ſugit vinum cum calamo, ſed de calice bibit*.

Imo non immerito ſuſpicetur quis Ordines Romanos recentioris ævi, quantum ad præſens caput corruptos fuiſſe. Primigenii enim Codices, nihil de vini per corporis Dominici immixtionem ſanctificatione habebant, & multo minus de conſecratione. In his nimirum totus commixtionis ritus his exprimitur verbis: *Sumit de ſancto*, vel *de ſancta, & ponit in calicem, nihil dicens; & communicant omnes cum ſilentio*: ita ferunt manuſcripti Ordinis Romani Codices Vaticanus, Corbejenſis & Colber-

Pp 2 tinus,

tinus, qui duo poſteriores ad annum 800. referuntur. Idem habet Sacramentarium Gregorianum, aliaque monumenta, de quibus adi Muſæum Italicum Mabillonii, Commentario in Ordinem Romanum §. 12. nu. 1. p.67. Quidquid autem hic contigit interpolationis, ab iis utique profectum eſt Scriptoribus, qui nono aut decimo ſæculo circa immiſtionem ejuſque effectus diviſi, alii ſuum vini ex contactu conſecrati ſyſtema, alii diverſum induxerunt: quæ varietas in Rituales etiam Libros irrepſit, quorum alii conſecrationem, alii meram ſanctificationem expreſſere.

Inſt. 1. Atqui Ordines ſupra citati loquuntur de ſanctificatione ſubſtantiali, ſeu de vera conſecratione; ergo nulla ſolutio.

Prob. ſubſ. Non aliunde melius de Ordinum Romanorum ſenſu dijudicari poteſt, quam ex coætaneis Scriptoribus: atqui hi uno ore docuerunt vini converſionem ex corporis contactu.

Prob. min. 1. ex Amalario Fortunato, non illo Trevirenſi Antiſtite, ſed Diacono Metenſi; ſic ille in Opere de Eccleſ. Officiis, quod ann.
T.14.Bi- 827. Ludovico Pio dedicavit, Lib.1. cap.25. *In ſuperius memorato Libro*,
bl. PP. p. erat is Ordo Romanus, *inveni ſcriptum, ut duo Presbyteri afferant, poſt ſa-*
951. *lutationem crucis, corpus Domini, quod pridie reſervatum fuit, & calicem cum vino non conſecrato, quod tunc conſecretur, & inde communicet populus... Qui juxta ordinem Libelli per commiſtionem panis conſecrat vinum, non obſervat traditionem Eccleſiæ, de qua dicit Innocentius, Iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari.... Ratus ordo eſt, ut expectemus uſque dum Dominus noſter conſecret Sacramenta corporis & ſanguinis ſui in cruce, & nova ea faciat per reſurrectionem ſuam; & ſic tandem manducemus & bibamus ſaluberrimum illud Sacramentum*, &c. Ubi Amalarius eo uſque credit, calicem ex Corporis Dominici contactu vere & proprie conſecrari, ut contendat per ritum hunc violari Innocentii Decretum, quo cautum eſt, ne feria VI. & Sabbato majoris hebdomadæ Sacramenta celebrentur.

2. ex Micrologo, qui in citato de Eccleſ. obſervat. Libro, ſic loqui-
Ib. T.18. tur cap. 19. *Non eſt authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, &*
p.477. *intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit, quia & in Paraſceve vinum non conſecratum, cum Dominica oratione, & Dominici corporis immiſſione jubet conſecrare, ut populus* PLENE *poſſit communicare*: atqui *plene* communicare, nihil eſse aliud poteſt, quam utramque ſpeciem recipere; ergo utraque ſpecies habebatur ex unius ad aliam contactu.

Floruit 3. ex Petro Cantore, qui apud Caſsandrum Lib. de Communione ſub
an.1220. utraque ſpecie pag.1027. teſtatur, ſe in Ordine Romano legiſse addita: *Ut contactu corporis Domini integra fiat communio*: quæ voces idem ſonant ac plena Micrologi communio.

In eumdem ſenſum adduci poſsunt, tum Theodulphus Aurelianenſis
Floruit in Capitulari ſuo, cap. 41. ubi *Sacramenta corporis & ſanguinis Chri-*
an.744. *ſti* ſumi vult *ſingulis diebus Dominicis*, atque etiam *in Cœna Domini, &*
Bibl.PP. T.14.p.8 *in Paraſceve, & in vigilia Paſchæ*; tum & Walafridus Strabo, Lib. de
Floruit rebus Eccleſ. cap.21. ubi poſtquam obſervavit, in die Paraſceves *apud*
an 847. *Romanos* non agi Miſsas; addit eos nihilominus *corpori Dominico & ſan-*
Bibl.PP. *guini* communicare, *quos ratio* permittit: porro qui corporis & ſanguinis
T.15. p. 891. Sacramenta ſumunt, utramque recipiunt ſpeciem: atqui non recipiunt

utram-

utramque, niſi quia vinum ex contactu corporis conſecratur; quandoquidem deficiente Miſſa deficiat & conſecratio. Merito igitur Baronius Tom. 12. ad an. 1192. in ipſo fine, poſt relatum ingens miraculum, quo aqua ex contactu particulæ ſacri panis, in ſanguinem converſa eſt, ſcribit, quod id *ſemper fieri in vino, cum commixtio intercederet, antiquitas exiſtimavit: unde illud Romani Ordinis: Vinum etiam non conſecratum, ſed ſanguini Domini commixtum, ſanctificatur per omnem modum*.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. neg. min. qui enim præſentem materiam ea qua pollebat eruditione indagavit Mabillonius, duos tantum circa decimum ſæculum Scriptores reperire potuit, qui huic opinioni faverent, Amalarium ſcilicet, & Pſeudoalcuinum, ſeu Micrologum, Opus *ex Amalarii centonibus male conſarcinatum, & re non minus quam nomine Micrologum;* qui genuinum Ordinis Romani ſenſum male aſſecuti, de ſubſtantiali ſanctificatione intellexerunt, id quod de metaphorica intelligendum erat. Et vero opinionem e Diametro adverſam amplexi ſunt præſtantiores quique Magiſtri, ut Jacobus de Vitriaco, Joannes Baleus, Durandus Lib. 6. Rationalis, ubi quæſtionem ex profeſſo tractat, & reſolvit negative, quia nunquam peracta fuit conſecratio ſine verbis Chriſti. Idem apud præfatum Mabillonium tenent S. Bernardus, Hugo Victorinus, & alii complures. *Muſſon pag. 51.*

Quamquam forte tantum innuere voluit Micrologus, Fideles e calice per Chriſti corpus ſanctificato haurire, ut aliquo modo communionis ſub utraque ſpecie vices & formam ſuppleant; quo ſenſu ſcripſit Hugo a S. Victore, nonnullos ætate ſua infantibus præbuiſſe vinum non conſecratum, ut antiqui moris eis Dominicum ſanguinem dandi veſtigium aliquod & imaginem retinerent. Eadem eſt reſponſio ad Petrum Cantorem, cujus alioqui mens ex levi fragmento capi non poteſt.

Nihil urgent quæ ex Theodulpho & Strabone opponuntur; quia ut quis corpori & ſanguini Dominico communicet, neceſſe non eſt ut utramque ſpeciem diviſim recipiat, ſed ſatis eſt ut alterutram: ipſa enim panis ſpecies ſymbolum eſt ſanguinis, quia ſanguinem præſentem, indirecte licet, demonſtrat.

Ex his liquet aberraſſe Baronium, cum antiquitatem totam opinioni ſuæ patrocinari credidit: quandoquidem nullum illius per octo priora Eccleſiæ ſæcula, ſive apud Patres Græcos, ſive apud Latinos ſubſit veſtigium. Major certe in re præſenti habenda fides Mabillonio, qui prærerquam Baronio ſcientia impar non erat, quæſtionem ex profeſſo tractavit, quod non fecit Baronius.

Inſt. 2. Tam credere potuit Eccleſia vinum ex contactu hoſtiæ conſecrari, quam ex immixtione ſanguinis: atqui hoc poſterius credidit. Quando enim in uſu fuit communio ſub duplici ſpecie, mos erat pluribus in Eccleſiis, ut adderetur vinum ſanguini, qui alioqui non omnibus ſuffeciſſet; ut inde populus omnis ſub ipſa etiam vini ſpecie communicaret: atqui conſuetudo hæc vinum ex contactu ſanguinis in ſanguinem converti ſupponit; ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. ut enim populus omnis in ſanguine communicare cenſeretur, ſatis erat ut quiſque aliquantulam ejuſdem ſanguinis particulam reciperet: atqui eo ipſo quo ſanguis, qui omnes vini partes facile penetrat, eidem vino commiſcebatur, jam quiſque, generaliter

loquendo, modicam pretioſi ſanguinis partem recipiebat; ergo in ſanguine, non equidem puro, ſed mixto communicabat; ac proinde haud neceſſe erat ut vini converſio ſupponeretur. Fateor fieri abſolute potuiſſe, ut quidam nihil ſanguinis perciperent: at inde ſequitur tantum, utriuſque ſpeciei perceptionem pro neceſſaria habitam non fuiſſe.

Objectiones ſecundi generis.

Obj. 1. Ille in communione ritus omnino ſervari debet, quem diſertiſſime præcepit Chriſtus: atqui communionem ſub duplici ſpecie ...... Prob. min. ex Joan. 6. v. 54. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, ET *biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis;* quo in textu tam præcipitur potus ſanguinis, quam carnis manducatio: atqui hæc indubie præcipitur; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. R. 1. argumentum hoc nec a Calvinianis, nec a Lutheranis proponi poſſe; tum quia ſextum Joannis caput de orali Euchariſtiæ uſu intelligi negant; tum quia ipſi proprio ſe gladio confoderent; quandoquidem cœnam ſuam ſub una tantum ſpecie porrigant, ſeu abſtemiis, ſeu iis quibus poſt alios calicem ſumere moleſtum fuerit. Neque eſt quod neceſſitate ſe tueri velint: hæc enim efficere quidem poteſt ut Sacramentum minime recipiatur, non vero ut truncetur ſacrilege; ſecundum id Petri Martyris, claſſe 4. Locorum communium cap. 11. Seſſ. 8. *Licet non ſemper tenearis facere quod præceptum eſt, quando tamen facis, a diſpoſitione Dei non eſt fas diſcedere.* Adde quod ſi Novatoribus licuerit Chriſti legem interpretari, a fortiori idem toti Eccleſiæ licitum eſſe debuit. Sed quia textus ille palmaris erat Bohemorum ictus,

R. 2. neg. maj. ut enim ex prædicto textu certum eruatur ſanguinis diviſim bibendi præceptum, neceſſe eſt ut certo conſtet particulam *Et*, in eodem textu conjunctive ſumi: ſi enim citra vim ullam disjunctive intelligi valeat, jam utique textus noſter eſt; ut qui ſolam imponat legem carnis manducandæ, VEL bibendi ſanguinis. Atqui certum non eſt particulam *Et*, in Joannis textu ſumi copulative: 1. quia acceptio ejus in ſenſu disjunctivo apud Scriptores ſacros frequens eſt. Sic iſtud Exodi 21. 15. *Qui percuſſerit patrem* ET *matrem, morte moriatur*, idem eſt, ac *Qui percuſſerit patrem* VEL *matrem;* ſufficiebat enim alterutrius percuſſio ad judicium mortis. Sic & iſtud Petri Act. 3. 6. *Argentum* ET *aurum non eſt mihi*, idem eſt ac diviſim, Neque aurum, neque argentum habeo: qui enim alterum habuiſſet, non fuiſſet ab eroganda ſtipe immunis; 2. quia econtrario exigit ſeries contextus objecti, ut vocula *Et*, ſub disjunctione intelligatur. Ibidem enim paulo poſt addit Dominus: *Qui manducat me, vivet propter me;* & rurſus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* quæ profecto falſa eſſent, ſi verba hæc: *Niſi manducaveritis*, &c. conjunctive, non autem disjunctive intelligenda forent.

Confirm. quia nihil eſt cur particula *Et*, conjunctive potius ſumatur in textu Joannis, quam apud Apoſtolum I. Cor. 11. v. 29. ubi de indigna Euchariſtiæ perceptione diſſerens, ait, *Qui manducat* ET *bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit:* atqui eo loci particula *Et*, ſub disjunctione intelligi debet, itaut ſenſus ſit: Qui manducat, *vel* bibit indigne; prout

ſe

Digitized by Google

ſe ipſum explicuerat Apoſtolus v. 17. his verbis: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini;* ergo. Unde rurſus ſic proſequor: Non minus ad vitam æternam ſufficit digna alterutrius ſpeciei receptio, quam ad damnationem æternam indigna receptio: atqui ad damnationem ſufficit indigna ſpeciei alterutrius receptio; ergo & ad vitam, &c. Horum fundamentalis ratio eſt, quia ſicut per indignam communionem inhonoratur, non ſymbolum præciſe, ſed totus Chriſtus latens ſub ſymbolo; ita & per dignam communionem ſalubriter recipitur, non ſignum merum, ſed totus & integer Chriſtus, totius juſtitiæ fons & origo.

R. 3. diſt. maj. in objecto textu præcipitur potus ſanguinis, ſicut & carnis manducatio, præcipitur, inquam, toti Eccleſiæ, C. præcipitur ſingulis Fidelibus, ſubd. præcipitur quoad ſubſtantiam rei, C. quoad modum, N. itaque ut adverſarii citato textu contra nos ſolide utantur, neceſſe eſt ut probent, 1. omnia Dei præcepta, quæ generatim efferuntur, ad ſingulos homines pertinere; 2. eadem non modo ſubſtantiam rei, ſed & modum, qui præcepto annexus eſt, præſcribere; 3. aut ſaltem ſpeciale de quo agitur præceptum, non pati exceptionem, quam patiuntur alia: atqui nullum ex his probare poſſunt. Non 1. quandoquidem, ut ſapienter monet Auguſtinus Lib. 3. de Doct. Chriſt. cap. 17. multa ſunt in Scripturis præcepta, quæ toti dantur Eccleſiæ, ſed per aliquos, non per omnes & ſingulos implenda; quale eſt iſtud Geneſ. 1. *Creſcite & multiplicamini*. Non 2. quia conſtat ex præceptis quæ ſubſtantiam & modum important, eſſe non pauca, quæ reipſa ſolam ſubſtantiam imperent. Sic iſtud: *Hoc facite in meam commemorationem*, quod totius actionis Chriſti repetitionem præcipere videtur, haud tamen ſtricte præcipit fractionem panis, licet idoneam maxime ad repræſentandam Chriſti mortem: alioqui non eſſet verum Euchariſtiæ Sacramentum apud Lutheranos, qui fractionem hanc omittunt, & Romanorum inſtar *orbiculares placentas* * conſecrant; & tamen Lutheranorum, a quibus, ut ipſe vidi, odio habentur, communionem ambiunt Calviniani. Non 3. præceptum enim, *Niſi manducaveritis*, &c. nihil præ ceteris ejuſdem ſpeciei habet, unde exceptionis cujuſcumque incapax probari poſſit. In præſenti porro ſufficit nobis ut probemus, adverſarios nihil contra nos probare poſſe.

Boſſuet Variat. Tom. 2. pag. 461.

** Vide Bellarman Theol. Polem. p. 1007.*

Inſt. 1. Atqui præceptum Chriſti relative ad omnes qui Euchariſtiam recipere tenentur, cadit in ſubſtantiam & in modum; ergo nulla ſolutio.

Prob. ſubſ. præceptum, quo imperatur ſumptio Euchariſtiæ per modum cibi ac potus, cadit etiam in modum: atqui per præceptum iſtud: *Niſi manducaveritis: Niſi biberitis*, imperatur, &c. jam vero præceptum hoc non ſervat, qui vel manducat tantum, vel tantum bibit. Is enim, licet ſupponatur cum carne ſumere ſanguinem, haud tamen ſupponi poteſt, eum ſumere per modum potus: alioqui actio manducandi, foret bibitio, & viciſſim; quod admitti non poteſt.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. diſt. min. ut ſtatim: imperatur ſumptio Euchariſtiæ per modum cibi & potus, imperatur, inquam, toti Eccleſiæ, C. imperatur ſingulis, ſubd. imperatur disjunctive, C. conjunctive, N. Itaque ut impleatur Chriſti præceptum, neceſse eſt ut ſint in Eccleſia aliqui,

Bellarm. L.4.c.25. qui Sacramentum hoc ſub utraque ſpecie ſumant: ſi enim nulli tales ſint, nulli conſequenter erunt, qui Sacramentum conficiant, nulli qui miniſtrent, nulli proinde qui recipere, & hoc præſtantiſſimo medio vitam gratiæ conſervare poſſint. At non ideo neceſſe eſt ut Fideles ſinguli Euchariſtiam expreſſe recipiant per modum potus: alioqui enim ea omnino privandi forent abſtemii; quod non faciunt Novatores. Et vero licet qui manducat, non poſſit dici bibere, dici tamen poteſt idipſum recipere, quod quis recipit bibendo; ergo & ex eo vitam æternam plene recipere poteſt.

Inſt. 2. Chriſtus cibum carnis & potum ſanguinis præcepit per analogiam ad cibum & potum, qui in uſualibus conviviis ſumi ſolent: atqui in his cibus & potus, in ſua quiſque ſpecie recipiuntur; ergo pariter, &c.

R. 1. neg. maj. quæ gratis & falſo ſupponit, geminam & diſtinctam cibi & potus actionem in Euchariſtiæ uſu omnibus præſcriptam fuiſſe.

R. 2. diſt. maj. Chriſtus præcepit per analogiam, &c. ideſt, ut ex Euchariſtiæ uſu idem quoad animam perciperetur fructus, qui ex carnalibus conviviis quoad corpus percipitur, C. ideſt, ut eodem perciperetur modo, quaſi alterutra panis & vini ſpecies non poſſet id totum quoad animam præſtare, quod cibus & potus materialis nonniſi conjunctim præſtare poſſunt quoad corpus, N. itaque voluit Chriſtus, ut quemadmodum in uſualibus conviviis paſcitur corpus per cibum, & refrigeratur per potum, ſic & in Euchariſtiæ convivio & ſedaretur animæ fames, & ſitis ejus reſtingueretur; ergo ſi alterutra ſpecies utrumque præſtare poſſit, non voluit abſolute ut utraque ſumeretur: atqui dubio procul ſola panis ſpecies & ſedare poteſt animæ famem, & ſitim lenire; tum quia idem eſt animæ fames, quod ſitis; tum quia quæ cibum dat ſpecies, dat ſimul & potum ſanguinis; ergo magnum ex hac parte occurrit diſcrimen Euchariſticum inter & materiale convivium; idque in laudem Euchariſtiæ, quæ plus minima, ut ita dicam, ſui parte in anima operatur, quam in corpore communia alimenta.

Obj. 2. Eo modo ſumi debet Euchariſtia, quo eam inſtituit Chriſtus, & ſumendam præcepit: atqui Chriſtus Euchariſtiam ſub duplici ſpecie inſtituit, &c. Qui enim corpus ſuum ſub ſpecie panis comedendum dedit, & ſanguinem ſub ſpecie vini, cum mandato ut utrumque ab omnibus ſumeretur, ille profecto Euchariſtiam ſub duplici ſpecie inſtituit, &c. atqui Chriſtus corpus ſuum .... Sic enim expreſſe ſanxit Matth. 26. v. 27. *Bibite ex eo omnes;* ergo. Ita Lutherus, Bucer. Melanchton, &c.

R. ad 1. neg. min. generaliter intellectam, prout intelligi debet, ut valeat objectio.

Ad 2. diſt. maj. qui corpus ſuum dedit & ſanguinem cum mandato ut utrumque ab omnibus omnino ſumeretur, C. ab omnibus Apoſtolis, qui ſoli tunc præſentes aderant, N. ſic diſtincta minore nego conſeq. Itaque ſi verba iſthæc: *Bibite ex eo omnes*, non ſpectent niſi Apoſtolos, qui tunc menſæ aſſidebant cum Chriſto, nihil ex iis quantum ad reliquos, qui deinceps futuri erant, Fideles colligi poterit: atqui verba, *Bibite*, &c. reſpiciunt quidem Apoſtolos, non autem alios omnino omnes: 1. quia generalem hunc ſenſum, ex Scriptura, quam ſolam pro regula habent, probare non poſſunt adverſarii; 2. quia in iis etiam includeren-

rentur infantes, abſtemii, imo Catechumeni, quos tamen excludunt; 3. quia vox, *Omnes*, eodem ſenſu intelligenda eſt apud Matth. cum de bibendo calice agitur, quo intelligitur apud Marcum, cum agitur de eodem calice jam bibito: *Et biberunt ex eo omnes*: atqui in hoc Marci loco vox *omnes*, ad ſolos Apoſtolos refertur: 4. quia voculam *omnes* ad ſolos Apoſtolos pertinere clamant omnes Evangelii circumſtantiæ. Sic enim habet Matthæus: *Cœnantibus eis*, non omnibus utique, ſed Apoſtolis: *Accepit Jeſus panem..... deditque Diſcipulis*. Quibus? iis utique qui cum ipſo cœnabant. *Et ait: Accipite & comedite*. His certe dixit: *Accipite & comedite*, quibus dedit comedendum; ſolis autem Apoſtolis dedit, ut diximus. Sequitur: *Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis*; iiſdem profecto, quibus comedendum dedit, ac proinde ſolis Apoſtolis. *Dicens: Bibite ex eo omnes*: omnes ſcilicet quos alloquor: omnes quibus calicem dedi, &c. *Tunc dixit illis: Omnes vos ſcandalum patiemini in me*. Qui omnes? ii profecto & ſoli, qui eximia Sacramenti gratia donati erant, qui corpus ejus & ſanguinem receperant, qui cum Chriſto hymnum dixerunt, qui cum eo exierunt in montem Oliveti; ergo ad hos ſolos reſtringi debet vox, *omnes*, non ad alios quoſcumque extendi; idque juxta genium Scripturæ, quæ vocem prædictam aliquando vult intelligi limitate, ut in his: *Omnes quæ ſua ſunt, quærunt. Omnes peccaverunt. Clamaverunt omnes: Crucifige eum*. Neque enim ſua quærunt ſanctiſſimi quique; neque peccarunt Chriſtus, aut virgo Deipara; neque cum Judæis clamarunt Apoſtoli, aut qui aderant Romani milites, *Crucifige*. Ceterum ideo opus fuit, ut Chriſtus diceret: *Bibite ex eo omnes*; licet opus non fuerit ut diceret, quod tamen ab eo dictum creditur: *Manducate ex hoc omnes*; quia unicuique panis jam fracti partem dedit, non autem integrum panem, quem inter ſe dividerent. At quia unum eumdemque dedit calicem dicere debuit: *Bibite ex eo omnes*, ut intelligeret primus, haud ſibi exhauriendum eſſe quidquid in calice contineretur, ſed cum aliis eſſe dividendum, juxta iſtud Lucæ: *Dividite inter vos*. Ita Bellarmin. ubi ſupra.

Inſt. 1. cum Luthero: Iiſdem dictum eſt, *Bibite*, quibus dictum eſt, *Manducate*: atqui non ſolis Apoſtolis, aut in eorum perſona Sacerdotibus dictum eſt, *Manducate*, ſed Fidelibus univerſis. Alioqui non liceret vel unam Sacramenti partem dare Laicis; cum temere dandum non ſit, cui Chriſtus prima inſtitutione non dedit. *Ego*, ait geſtiens Lutherus, *fateor iſta me ratione mihi invicta ſuperatum, nec legiſſe, nec audiviſſe, nec inveniſſe quod contra dicam*. Invenimus nos, & invenimus, citra ullum cum Lutheri dæmone colloquium. Unde

R. ad 1. neg. min. cujus falſitas ex præcedenti reſponſione aperta eſt.

Ad 2. neg. maj. ut enim Sacramentum Laicis dari poſſit, ſatis eſt ut id nullibi prohibitum ſit, imo ſtricte imperatum, tum Joan. 6. tum & his verbis: *Hoc facite*, de quibus infra.

Inſt. 2. Verbum, *Manducate*, & ex conſequenti verbum, *Bibite*, iis omnibus dictum eſt, quos tunc temporis repræſentabant Apoſtoli: atqui Apoſtoli inſtitutionis tempore univerſos Fideles repræſentabant. Eos enim omnes inſtitutionis tempore repræſentabant Apoſtoli, pro quibus inſtituebatur Euchariſtia: atqui hæc pro Fidelibus univerſis inſtituebatur: ergo.

R. ad

R. ad 1. neg. min. ut enim prædicta Chriſti verba Apoſtolis prout Eccleſiam repræſentantibus dicta cenſerentur, neceſſe foret, vel ut quidquid dictum eſt Apoſtolis, iiſdem dictum fuiſſet prout Eccleſiam repræſentabant, vel ſaltem ut verba de quibus agitur haberent ſpeciale aliquid, quod univerſos Fideles in Apoſtolorum perſona reſpiceret: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. tum quia perperam alioqui obſervaſſet Scriptura, Chriſtum quandoque, non ad Apoſtolos tantum, ſed ad omnes verba ſua direxiſſe, ut cum ait paſſim: *Dicebat turbis. Dicebat autem ad omnes, pœnitentiam agite. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate;* tum quia conſtat quædam a Chriſto dicta eſſe Apoſtolis vel ſolis, quale eſt iſtud: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus;* vel prout ſuos ſeu Epiſcopatu, ſeu etiam in Sacerdotio ſucceſſores repræſentantibus, ut puta: *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis.* Non 2. cum ex dictis, exigant omnes ſermonis Chriſti circumſtantiæ, ut verba quæ expendimus, ad ſolos Apoſtolos referantur.

Ad 2. neg. maj. ſi enim Apoſtoli eos repræſentaſſent omnes, pro quibus inſtituta eſt Euchariſtia, ita ut quidquid Apoſtolis conceſſum eſt, ceteris Fidelibus conceſſum ſupponeretur, poſſent ipſæ etiam feminæ Euchariſtiam conficere, atque populis diſtribuere: id enim indubie tunc conceſſum eſt Apoſtolis, quos Chriſtus novi Teſtamenti Sacerdotes fecit: atqui conſequens eo uſque abſurdum eſt, ut licet a Luthero admiſsum ſit, a Sacramentariis tamen, a Calvinianis omnibus, imo pene a Lutheranis rejectum fuerit; ergo.

Eodem modo ſolvitur argumentum iſtud, quo *maxime* omnium urgebatur Lutherus, videlicet, iis omnibus ſanguinem in Apoſtolorum perſona promiſsum fuiſse, pro quibus fundi debebat, ſecundum id Chriſti: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Hinc enim colligere foret, ſanguinem Domini dandum eſse ipſis etiam Judæis, Ethnicis, Turcis, ac peſſimis quibuſcumque Chriſtianis: nam & pro his fuſum eſse aliquando probabimus: atqui tamen nemo dixerit dandum eſse ſanguinem Chriſti, &c.

Luc. 22. 19 Obj. 3. Chriſtus per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem,* id ab Apoſtolis ſuis fieri juſſit, quod ipſe fecit: atqui Chriſtus tria fecit. Conſecravit nimirum, ſumpſit & diſtribuit omnibus præſentibus utramque ſpeciem; ergo & idem facere debent Apoſtolorum ſucceſsores.

R. neg. maj. ad ſenſum objectionis. Siquidem verba: *Hoc facite*, a Chriſto ante conſecrationem calicis prolata ſunt apud Lucam; ergo per ea quidem præcipitur adminiſtratio Euchariſtiæ ſub ſpecie panis, non autem ſub ſpecie vini, de qua necdum tunc agebatur. Et vero ſi id omne fieri juſſerit Chriſtus, quod ipſe quoad Euchariſtiam fecit; ergo juſſit frangi panem, quod non obſervant Lutherani; juſſit & eum certo loco, tempore, numero & modo benedici, quod nec faciunt Calviniani.

Inſt. 1. Qui præcepit de calice id quod præcepit de pane, juſſit calicem perinde ac panem diſtribui: atqui Chriſtus..... Probat Minorem Kemnitius ex his ibid. verbis: *Similiter & calicem*, &c. vox enim *ſimiliter*, eamdem calicis ac panis rationem eſse demonſtrat, ita ut uterque ex æquo *dari* debeat; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. admiſso textu, neg. ant. vox enim *ſimiliter* demon-

demonſtrat equidem Chriſtum accepiſſe calicem, eumque benedixiſſe, prout fecerat quoad panem: at nihil ultra exprimit; alioqui exprimeret etiam Chriſtum calicem diviſiſſe ſingulis, prout diviſit panem; quem tamen dedit integrum, ut unus alteri porrigeret. Et vero Paulus qui 1. Corint. 11. habet particulam *ſimiliter*, non habet verbum *dedit*: nec proinde ad iſtud vox *ſimiliter* referri poteſt.

Inſt. 2. Ex conceſſis vox *Hoc facite*, mandatum importat dandæ fidelibus ſpeciei panis: atqui eadem vox apud Paulum reperitur, ubi de diſtributione calicis, ut patet ex v. 25. 1. Cor. 11. ergo.

R. diſt. min. Eadem vox reperitur apud Paulum, ſed diverſo ſenſu, hypothetico nimirum, C. eodem prorſus, nempe abſoluto, ut apud Lucam, N. qui enim abſolute apud Evangeliſtam dicit, *Accipite, manducate, hoc facite*, &c. apud Paulum conditionate loquitur: *Hoc facite*, inquit, *quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem*; ergo neceſſum quidem eſt, ut fideles ſinguli, qui de calice bibent, bibant in memoriam Chriſti; ſed non eſt neceſſe, ut ſimpliciter bibant. Unde enim in re tam affini diverſa loquendi ratio, niſi quia & diverſa eſt ratio præcepti?

Inſt. 3. Atqui mandatum de calice non ſecus ac de pane abſolutum eſt; ergo.

Prob. ſubſ. ex verbis immediate ſequentibus, quæ ſic habent: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat:* atqui verba hæc non minus quoad calicem abſoluta ſunt, quam quoad panem.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. neg. min. neque enim communionis modum, quoad unam vel duas ſpecies, inveſtigat Apoſtolus, ſed unum id intendit, ut quiſquis ad Euchariſtiam accedit, digne & ut par eſt antea ſe probet, ne indigne accedat: atque id perſpicue aſtruit verſus ſequens, ubi ſic: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini*. Si enim totum ſub una ſpecie Sacramentum recipitur ad mortem, poteſt & totum indubie recipi ad vitam. Et vero ſi dixiſſet Apoſtolus: Probet ſe ipſum homo, & ſic Sacerdos conſecretur, aut virginitatem voveat, non ideo Sacerdotium, aut votum præciperet, ſed probationem præviam ex hypotheſi quod is vel ille ſtatus eligatur.

Inſt. 4. Jubet Apoſtolus, prout & Chriſtus juſſerat, Euchariſtiam recipi in commemorationem mortis Chriſti; ſecundum iſtud ibid. v. 26. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*: atqui ad commemorationem mortis Domini utraque ſpecies abſolute requiritur, cum neutra ſeorſim ſeparationem ſanguinis a corpore repræſentet; ergo utramque abſolute præcipit Apoſtolus.

R. 1. neg. minor. ſtatim enim ut una ſpecies ſumitur ſine altera, ſatis ſignificatur corpus a ſanguine fuiſſe ſeparatum; cum ſpecies panis non niſi corpus, vini item ſpecies nonniſi ſanguinem ex vi verborum contineat.

R. 2. diſting. min. ad commemorationem mortis Domini perfectiſſimam, qualis eſſe debet in ſacrificio, requiritur utraque ſpecie, C. ad commemorationem, qualis ad Sacramentum ſufficit, N. Itaque Euchariſtia quatenus ſacrificium, non tantum debet eſſe memoriale mortis Chri-

Chriſti, ſed & expreſſiſſima ejus imago; unde ad eam ex divino inſtituto utraque ſpecies neceſſaria eſt. Verum ad eamdem quatenus Sacramentum, ſufficit ut ſit animæ cibus, quo dum paſcimur, victimam olim pro nobis immolatam tenere recordamur. Ad id autem una opus eſt ſpecie; tum quia iſthæc victimam totam continet; tum quia eadem ſpecies, quantum eſt de ſe, victimæ partem ut ab alia ſeparatam exhibet.

Inſt. 5. Ille in Euchariſtiæ Sacramento requiritur mortis Chriſti commemorandæ ritus, quem Apoſtolus a Domino accepit, & tradidit obſervandum: utique enim obſervanda ſunt quæ ſunt Traditionis Divinæ & Apoſtolicæ: atqui Apoſtolus 1. Cor. 11. 23. *Ego*, inquit, *a Domino accepi, quod tradidi vobis*; tradidit porro ut omnes *de pane illo edant*, *& de calice bibant*. Scribit enim non ad ſolos Sacerdotes, ſed ad omnes prorſus Corinthios, uti declarat ipſe jam ab Epiſtolæ initio his verbis: *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi.... cum omnibus qui invocant nomen D. N. J. C.* Ita partim Lutherus, partim Kemnitius.

Cap. 1. v. 2.

R. neg. min. quæ perverſa eſt & puerilis Scripturæ abuſio. Iſtud enim, *Tradidi vobis*, per ſe ſolum nullibi idem ſignificat, ac *Imperavi*. Heu vero egregiam ſermonis connexionem! *Tradidi*, ideſt, *imperavi vobis*, quod *Dominus noſter accepit panem*. & ibid. cap. 15. *Tradidi*, ideſt, ſevere præcepi, quod *Chriſtus mortuus eſt*. Merito igitur Kemnitius Prophetæ ſuo reſtitit in faciem, cum ſcripſit, verbum, *Tradidi*, non ſignificare, *Præcepi*.

Nihilo melius eſt quod de ſuo addit Kemnitius; nam Paulus Epiſtolæ ſuæ initio id ſolum agit ut pacem Corinthiis & gratiam precetur cum omnibus qui invocant nomen Domini; non vero ut eadem omnibus omnino præſcribat: neque enim voluit ut omnes prorſus Euchariſtiam conficerent, licet accepiſſet eam a Domino confectam fuiſſe in qua nocte tradebatur. Nec obeſt iſtud: *De pane illo edat, & de calice bibat*; tum propter rationem in præcedenti reſponſione allatam; tum quia vocula *Et* disjunctive intelligi poteſt, ſicut Joannis 6.

Obj. 4. Non melius de neceſſitate & modo communionis judicari poteſt, quam ex veteris Eccleſiæ uſu: atqui vetus Eccleſia communionem dedit ſub duplici ſpecie, non publicam tantum in templis, ſed & privatam domi. Prob. min. 1. ex praxi Corinthiorum, qui utramque ſpeciem recipiebant; 2. ex antiquis Patribus. Sic enim Ignatius in Epiſt. ad Philadelphienſes: *Unus eſt*, inquit, *panis omnibus confractus; unum poculum omnibus diſtributum*. Clemens Alexandrin. Lib. 2. Pœdagogi cap. 2. *Bibere ſanguinem Jeſu eſt participem eſſe incorruptionis divinæ*. Tertullian. Lib. de reſurrect. carnis: *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur*. Origenes Homil. 16. in Num. *Populus Chriſtianus in uſu habet ſanguinem bibere*. Cyprianus Epiſt. 2. *Quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittimus*. Hieronymus in cap. 2. Malach. *Sacerdotes qui Euchariſtiam conficiunt, & ſanguinem Domini populo diſtribuunt*. Auguſtinus qu. 57. in Levit. *A cujus ſacrificii ſanguine in alimentum ſumendo, non ſolum nemo prohibet, ſed ad bibendum exhortantur omnes*. Mitto ceteros qui idem aſtruunt. Quod autem in his de privata etiam communione ſermo ſit, liquet, tum quia generaliter loquuntur; tum quia non alio fine ſangui-

nem

nem Chriſti vitreo in calice deferebat Exuperius Toloſanus, quam ut eum infirmo cuique privatis in ædibus diſtribueret; ergo.

R. diſt. min. dedit, ſed non neceſſario, nec ſemper, C. ſecus, N. Non inficiamur Euchariſtiam prioribus Eccleſiæ ſæculis haud raro datam eſſe ſub panis & vini ſpeciebus: unde operam ludunt qui tot impenſis id probare ſtudent adverſarii. Id unum contendimus, primævos etiam Fideles ſæpe ſæpius, ſeu publice, ſeu privatim, unam tantum ſpeciem recepiſſe, nuſquam proinde utramque neceſſario: atqui hoc invicte evincunt probationes noſtræ; nec contrarium perſuadent Lutheri, Calvinique argumenta.

Non 1. aliud eſt enim Corinthios utramque recepiſſe ſpeciem, quod tamen probari de omnibus non poteſt; aliud eos ad utramque recipiendam obligatos fuiſſe.

Non 2. differunt enim exemplum & præceptum: neque quia Ignatii tempore mergebantur Fideles in Baptiſmo, ideo ipſos mergi neceſſe erat. Adde 1. Ignatium vim facere in unitate calicis, non in multitudine bibentium: adeo ut ſenſus ſit, unum omnibus qui Euchariſtiam ſub ſpecie vini recipiunt, diſtribui calicem, non plures: hic enim totus eſt S. Martyr in commendanda unitate: *Una eſt caro*, inquit, *unus eſt ſanguis*, *unum poculum*, *unus Chriſtus*, *unum Baptiſma*, *una Eccleſia*. Adde 2. in Latinis Codicibus, pro *unum poculum omnibus diſtributum*, haberi: *Unus calix totius Eccleſiæ;* quia unus calix pro omnibus offertur.

Non 3. etſi enim qui ſanguinem Chriſti bibit, particeps fit incorruptionis, non ideo ejus particeps non fit, qui panem ſolum manducat. Siquidem teſte Chriſto: *Qui manducat hunc panem*, *vivet in æternum*. Certe ſicut in corporeis ex affirmativa hac, *Qui vinum bibit*, *nutritur*, non ſequitur negativa iſthæc; *ergo nutriri non poteſt qui vinum non bibit*, ſic nec in propoſito. Præterea ſanguis Chriſti dat incorruptionem, non quia bibendo ſumitur, ſed quia ſumitur: vis enim in ſanguine eſt, non in modo ſumendi: porro ſumit & ſanguinem, qui ſub ſpecie panis communicat.

Non 4. tum quia aliud eſt ſanguinem ſumere, aliud neceſſario ſumere; tum quia ſanguine Euchariſtico veſcitur, qui eum recipit ſub ſpecie panis.

Non 5. 1. quia aliquando habet populus in uſu, id quod non habet in præcepto, ut patet de trina Baptiſmi immerſione; 2. quia quod a multis fit, licet non fiat ab omnibus, in uſu eſſe dicitur.

Non 6. tum quia ex Cypriano ipſo oſtendimus, communionem aliquando ſub una ſpecie datam eſſe; tum quia qui vult Martyres ad pugnam roborari per poculum ſanguinis, alibi docet eos *muniri protectione corporis Domini;* tum quia quod Chriſtiani tunc ad calicem admitterentur, id ex conſuetudine temporis illius habebant; nec contrarium tradit Cyprianus; ergo cum nunc alia vigeat, eaque toti Eccleſiæ probata conſuetudo, tandiu ei morem gerere debent, donec probaverint eam juri ſibi divinitus afferto repugnare: id autem nec fecere hactenus, nec, propitio Deo, facient in poſterum.

Non 7. ubi Hieronymus id exprimit quod fieri ſoleret, non quod eſſet neceſſario faciendum.

Non

Non 8. en enim Auguſtini verba: *A cujus ſacrificii ſanguine in alimentum ſumendo, non ſolum nemo prohibetur, ſed ad bibendum exhortantur*, &c. atqui hic vim facit Auguſtinus, non in modo bibendi, ſed in ipſa ſumptione ſanguinis; qui non minus eſt *in alimentum* ſi per modum cibi ſumatur, quam ſi per modum ſanguinis. Itaque S. Doctor omnes hortatur ad communionem, eamque deſignat per actionem bibendi, ut quæ tempore ſuo uſitata foret; verum actionem hanc, prout ab actione comeſtionis diſtinguitur, neceſſariam eſſe ne leviter quidem inſinuat. De his plura vide apud Bellarmin. Lib.4. cap.26.

Quod additur ex facto S. Exuperii, ad ſummum probat, privatam communionem aliquando ſub utraque ſpecie Fidelibus præſtitam fuiſſe; non vero conſuetudinem hanc vel ubique locorum uſurpatam, vel ubi forte viguit, pro neceſſaria judicatam eſſe: Contrarium profecto demonſtrant paucula, quæ e multis ſelegimus, argumenta; quibus & iſtud addi queat, videlicet S. Optatum, qui de Donatiſtis conqueritur, eo quia Chriſti corpus canibus, hinc miraculoſe actis in rabiem, projeciſſent, plenamque ſancti chriſmatis ampullam miſiſſent per feneſtras, ac demum altaria & ſacra vaſa profanaſſent, non conqueri quod Chriſti ſanguinem effuderint; cui tamen non plus peperciſſent quam corpori, ſi moris fuiſſet utrumque reſervari.

Dixi, *ad ſummum*: quidni enim dicatur Exuperium ſanguinem Chriſti ſecum detuliſſe, ſeu ut hunc pro more hujus ſæculi daret infantibus, qui extra Eccleſiam in neceſſitatis caſu baptizandi occurrerent; ſeu ut Sacerdos ipſe & Epiſcopus, ſi mors ingrueret, utraque ſpecie reficeretur?

Inſt. 1. Atqui utraque ſpecies non libere data eſt, ſed neceſſario. Prob. ſubſ. Quod datum eſt juxta mandatum Chriſti, non libere datum eſt, ſed neceſſario: atqui utraque ſpecies.... Prob. min. 1. ex S. Juſtino, qui poſtquam Apolog.2. dixit, Diaconos *panem & vinum* diſtribuere, ſic proſequitur: *Apoſtoli enim in Commentariis ſuis, quæ Evangelia dicuntur, ita præcepiſſe Jeſum ſibi tradiderunt*; 2. ex Cypriano, qui Serm. de Cœna Domini: *Lex*, inquit, *eſum ſanguinis prohibet, Evangelium præcipit ut bibatur*; 3. ex Conciliis Claromontano an.1059. & Braccarenſi ann.675. quæ prohibent ne quis communicet de altari, *niſi corpus & ſanguinem ſeparatim ſumat*, utique quia id divina lex præceperit; 4. ex variis Ritualibus, quorum inſtar ſit Codex MSS. S.Remigii, apud Menardum in notis ad Sacramentarium S.Gregorii, ubi ad ipſam infirmorum communionem utraque formula ſeparatim ponitur: *Corpus D. N. J. C. cuſtodiat te in vitam æternam. Sanguis D. N. J. C. cuſtodiat te*, &c. Idem præcipit Beda apud Reginonem Lib.1. de Euchariſticis diſciplinis; ergo.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. neg. min. quæ nullo ex objectis textibus aſtruitur. Non ex 1. citata enim Juſtini verba, non ad communionem, ſed ad modum conſecrationis referuntur; unde ſtatim ſubdit S.Martyr: Chriſtum *enim pane accepto, cum gratias egiſſet, dixiſſe: Hoc facite in meam recordationem: Hoc eſt corpus meum; & ſimiliter accepto calice dixiſſe: Hic eſt ſanguis meus*; ubi de inſtitutione agitur, non de communione.

Non ex 2. qui præterquam Cypriani non eſt, imo nec docti cujuſpiam hominis, dicit equidem Evangelium præcipere, ut bibatur ſanguis, quod veriſſimum eſt, cum quiſquis ſacrum facit, ſanguinem bibere jubeatur;

beatur; ſed non dicit Evangelium præcipere, ut idem ſanguis ab omnibus omnino bibatur.

Non ex 3. & 4. tum quia in his ad ſummum aſtrueretur lex Eccleſiaſtica, agimus autem in præſenti de jure divino; tum quia ex Conciliis quæ objiciuntur, alia, ut Claromontanum, excipiunt caſum *neceſſitatis & cautelæ*, quod argumento eſt, utramque ſpeciem non eſſe abſolute neceſſariam; alia non tam calicis ſumptionem jubent, quam intinctionem prohibeant, ut Braccarenſis Synodus.

Quod ſpectat ad formulam: *Corpus D. N. J. C..... Sanguis D. N. J. C. cuſtodiat te*, &c. 1. adhiberi utraque poteſt, ubi etiam alterutra tantum ſpecies adminiſtratur; quia quælibet corpus totum, totum & ſanguinem complectitur; 2. plures hodieque extant Rituales Libri, qui unam duntaxat, quam qui utramque formulam præſcribant: quare porro? niſi quia multo frequentius data eſt infirmis communio ſub una ſpecie, quam ſub duplici.

Inſt. 2. Gelaſius in Epiſtola ad Majoricum & Joannem Epiſcopos, quæ refertur diſt. 2. *De conſecr.* cap. 12. ſic habet: *Comperimus quod quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione a calice ſacri cruoris abſtineant, qui procul dubio (quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire*. Unde ſic: Illud juxta ſtrictam Chriſti legem dari debet, quod *ſine grandi ſacrilegio* dividi non poteſt: atqui, ex Gelaſio Papa, utriuſque ſpeciei ſumptio ſine grandi ſacrilegio dividi non poteſt; ergo. *Pithou p. 454.*

R. diſt. min. dividi non poteſt a Sacerdotibus qui ſacrum faciunt, C. a Laicis, ſubd. dividi non poteſt ex ſacrilega ſuperſtitione, prout dividebatur a Manichæis, quos probabiliter eo loci inſequitur Gelaſius, C. dividi non poteſt juſta de cauſa, N. Itaque ſi Gelaſius in Epiſtola prædicta ſolum vetet, ne *corpus Chriſti ſine ejus ſanguine* accipiat Sacerdos, prout interpretatur Gratianus, jam nulla inde contra nos difficultas moveri poteſt: Sed nec gravior movebitur, ſi idem ſummus Pontifex impetat Manichæos, qui vinum quaſi fel draconis & a malo principio creatum deteſtantes, a calice Euchariſtico abhorrebant: atqui ſi quos extra Sacerdotes impetiit Gelaſius, utique Manichæos; quos jam pari de cauſa impugnaverat S. Leo, ut ſupra vidimus. Et vero qui hic impetuntur, grandis circa Euchariſtiam ſacrilegii conſcii erant: atqui grande hoc ſacrilegium nemini, præciſe quia abſtineret a ſpecie ſanguinis, impingi poſſet; tum quia unius tantum ſpeciei receptio hac ipſa ætate non raro frequentabatur; tum quia ne ipſi quidem Calviniſtæ eos pro ſacrilegis habent, qui ab uſu ſanguinis, ob cauſas etiam minime graves, abſtinent; ergo tota Gelaſii reprehenſio, ſi Gelaſii eſt, Manichæos ferit.

Dixi, *ſi Gelaſii eſt*: id enim in dubium vocari poteſt: 1. quia citata Epiſtola nullibi inter genuina Gelaſii Scripta recenſetur; 2. quia a nemine, quod ſciam, ante Micrologum citata eſt, proindeque ante ſæculum XII. cum tamen a Pithœo ad an. 494. revocetur; 3. quia pars objecta nullam habet connexionem cum alia quæ ipſam præcedere dicitur, & quæ refertur xxv. q. 2. cap. fin. 4. quia nec ipſum quod citavimus fragmentum, ſibi admodum cohærere videtur: neque enim vir ſapiens actionem *Microl. c. 19.*

nem

nem ex *neſcio qua ſuperſtitione* factam, illico transformat in *grande ſacrilegium*. Ceterum parum movet auctoritas Gratiani, qui apocrypha non pauca collectioni ſuæ inſeruit, ut norunt omnes, & invicte demonſtravit Antonius Auguſtinus.

Obj. 5. Doctrina quæ unius tantum ſpeciei ſufficientiam admittit, duo ſupponit, 1. ſervatam aliquando fuiſſe unam panis ſpeciem, puta pro infirmis; 2. in una hac ſpecie extitiſſe Chriſti ſanguinem vi concomitantiæ: atqui utrumque gratis ſupponitur & falſo.

T. 2. pag. 127. D. Prob. min. pro prima parte, 1. ex Auguſtino Epiſt. 54. ad Januarium alias 118. ubi nu. 9. hanc reddit rationem cur Feria V. majoris hebdomadæ bis offerretur ſacrificium: *Quia*, inquit, *nonnulli* hac *etiam* die *jejunium cuſtodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia ſimul & lavacra* ſeu balnea *tolerare non poſſunt; ad veſperam vero propter jejunantes*: atqui haud neceſſe fuiſſet ſacrificium denuo offerri ſub veſperam, ſi Euchariſtia ſervari conſueviſſet. Potuiſſent enim Fideles ex ea quæ mane conſecrata erat, ad veſperam communicare; ergo. 2. ex Auctore Commentariorum in Epiſt. Pauli, quod Opus etſi inter Hieronymi opera extat, Pelagio a pluribus adſcribitur: ibi porro legere eſt, Fideles quidquid poſt factam communionem ſupererat ex oblationibus, ſimul in Eccleſia conſumpſiſſe; 3. quia ſicubi ſervata fuiſſet Euchariſtia, maxime in altari, prout apud nos in uſu eſt: atqui Euchariſtiam in altari minime aſſervatam fuiſſe liquet ex S. Optato Libro 6. ubi *corpus & ſanguis Chriſti per quædam momenta*, id eſt ipſo ſacrificii tempore *in altari* habitare dicuntur, ac proinde non extra idem tempus; ergo.

Prob. 2. pars minoris: 1. quia concomitantiæ doctrina nullo nititur *Calvin. L. 4. Inſt. c. 17. §. 35 & 74.* momento gravi, quin & toti antiquitati incognita fuit; 2. quia verba: *Hoc eſt corpus meum*, partem Chriſti indicant: *Quis* porro *ſanus & ſobrius* partem Chriſti, ſeu *corpus Chriſti Chriſtum eſſe ſibi perſuadeat*; 3. quia ſi Chriſtus *deſignare ſe totum voluiſſet, dicere poterat: Ego ſum, non autem, Hoc eſt corpus meum.*

R. ad 1. neg. min. quæ nullum in objectis textibus aut ratiunculis fundamentum habet pro utraque parte, 1. enim aſſervatam eſſe panis ſpeciem ſive pro infirmis, ſive pro Miſſa ex præſanctificatis, ſive pro Solitariorum communione invicte demonſtrant probationes a nobis ſuperius congeſtæ. Nec obſunt vel leviter quæ contra opponuntur. Unde

Ad 1. docet tantum Auguſtinus alicubi moris fuiſſe ut ſacrificium Feria V. Hebdomadæ ſanctæ bis eadem die offerretur; mane quidem propter eos, qui ob ſanctam hujus diei lætitiam jejunare nolentes, ſtatim a Miſſa & communione jejunium ſolvebant; veſpere vero propter eos, qui cum hac etiam die jejunare vellent, ſub diei finem recipiebant Euchariſtiam, quam ſicut & alii in ipſa ſacrificii actione recipere conſueverant. An autem in hac veſpertina Miſſa conſecratam reciperent, an conſecratam in ſacrificio matutino non explicat Auguſtinus.

Ad 2. Loquitur Pelagius de panibus, oblatis quidem a populo, ſed non conſecratis a Sacerdote. Nimirum vero ſacrificii Miniſter eam duntaxat donorum partem conſecrabat, quæ & ſibi & Fidelibus ad communionem ſufficeret: reliquam Fideles, quaſi Deo utcumque mancipatam, inter ſe partiebantur, & in Eccleſia inſtar agaparum comedebant.

Ad 3.

Digitized by Google

Ad 3. non idem ſemper fuit Euchariſtiæ locus: 1. enim vix fieri poterat ut ſæviente perſecutionum æſtu alibi ea quam in privatis domibus conſervaretur; 2. poſt redditam Eccleſiæ pacem extra dubium eſt, corpus Chriſti in templis aſſervatum fuiſſe: at non ubique in iiſdem templi partibus. Alicubi enim in quodam veluti ſacrario, quod Paſtophorium vocant Conſtitutiones Apoſtolicæ, una cum ſancto chriſmate ac vaſis ſacris recondebatur, ſecundum id Leonis Papæ IV. *ut in ſacrario Euchariſtia Chriſti propter infirmos non deſit*. Alibi muro e latere altaris appendebatur, prout hodie fit apud Græcos: idque multi prohibitum cenſent Canone III. Concilii Turonici ann. 567. ubi ſic: *Ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur;* id eſt, inquiunt, ut corpus Domini non appendatur muro, in ordine picturarum, ſeu imaginum, quæ muris inſcribi aut apponi ſolent *. Alicubi demum ſeu in altari, ſeu ſupra altare in aureo vaſe, turris aut columbæ figuram præferente, ſervabatur: In altari quidem, ſecundum id tum Prudentii in Hymno S. Hypoliti, *Illa Sacramenti donatrix menſa, eademque cuſtos fida;* tum S. Paulini in Epiſt. ad Severum, ubi ſic ea recenſet, quæ altari inerant: *Crux, corpus, ſanguis Martyr*, IPSE DEUS; tum, & diu antea, Gregorii Nazianzeni: *Eum qui ſuper ipſo altare honoratur, cum ingenti clamore invocat* Gorgonia. Supra altare vero, ut liquet, tum ex vita Baſilii, ubi ſanctus Præſul tertiam Euchariſtiæ, T. 7. Spicileg. quam diviſerat, partem *in aurea columba ſuper altare ſacroſanctum* collocaſſe dicitur; tum ex Uldarico Cluniacenſi, qui Lib. 1. cap. 8. ſcribit Euchariſtiam pro infirmis reponi *in aurea columba jugiter pendente ſuper altare*.

Quod ſpectat ad doctrinam de concomitantia, dico 1. eam & ratione fidei innixa, & auctoritate fulciri. Ratione quidem, quia Chriſtus *jam non moritur*; ergo vivit in Euchariſtia: atqui ſi corpus gereret inanimum & exangue, non viveret profecto; ergo. Auctoritate vero, quia concomitantiæ doctrinam tota retro antiquitas tradidit. Et 1. Paulus 1. Cor. 11. ubi *quicumque manducaverit panem hunc*, VEL *biberit calicem*, *reus* eſſe dicitur *corporis* ET *ſanguinis Domini*: ſi enim ut quis reus fiat corporis & ſanguinis, ſatis eſt ut panem manducet, VEL bibat calicem; ergo in calice eſt corpus, ut ſanguis in pane; 2. Ignatius, qui in Epiſt. ad Smyrnenſes, *Euchariſtiam ait carnem eſſe Servatoris noſtri J. C. quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit*: porro Servatoris caro non eſt a Patre ſuſcitata ſine ſanguine; 3. Irenæus Lib. 5. ubi ſic: *Eum calicem qui eſt creatura, ſuum corpus confirmavit* Chriſtus, *ex quo noſtra auget corpora*. Si autem corpus eſt in calice, id eſt, in ſanguine, pari jure

* Juxta hanc expoſitionem *imaginarius* ordo, idem eſt ae pictura imaginum: hoc ſenſu ſumitur eadem vox tum ab Anaſtaſio in verſione Concilii II. Niceni; tum a Beato Lib. 1. contra Elipandum, ubi *imaginarie* idem eſt ac *ſecundum imaginem*. Major eſt difficultas circa poſtremam Canonis Turonici partem, quam alii aliter interpretantur. Vidi ego an. 1712. cum in Academia Andegavenſi Theologicum ſtadium excurrerem, vidi, inquam, iconem antiquæ crucis, cujus in inferiori parte erat id quod hodie tabernaculum nuncupamus; pleneque memini figuram hanc viro pio Joſepho Grandet idoneam viſam fuiſſe, quæ prædictum Canonem explicaret. At conjecturam hanc, quam in Lotharingia proponebam, abjecit eruditus æque ac urbanus Dom. Remigius Ceillier, cui, niſi me fallit memoria, perſuaſum erat, Euchariſtiam antiquitus ſemper extra altare ſervatam fuiſſe; quod mihi admodum dubium videtur, propter rationes in textu allatas.

Floruit an. 360.

Seculo IX.

neceſſum eſt ut ſanguis ſit in corpore; 4. S. Ephrem Syrus, Diaconus Edeſſenus, Lib. de natura Dei non ſcrutanda cap. 5. ubi hæc: *Participa immaculato* CORPORI *Domini fide pleniſſima, certus quod agnum ipſum integrum comedis*: porro ſi agnum integrum comedit, qui corpori ejus participat; ergo in corpore animam recipit & ſanguinem; 5. Auctor Operis cui titulus: *Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ*, cap. 8. *Cum dicimus*, inquit, *corpus Chriſti & ſanguinem, nec corpus exangue intelligimus, nec ſanguinem a corpore dividimus.... ſed ipſum totum indiviſum in utraque ſpecie credimus*, &c. Ceteros, ne multus ſim, omitto, quorum aliquot dabit Bellarminus Lib. 4. cap. 21. at multo plures Grancolaus in ſpeciali Tractatu de Concomitantia. Ex his ruit prima objectio.

Ad 2. non dicimus, corpus Chriſti Chriſtum eſſe per concomitantiam, bene vero per concomitantiam fieri, ut corpus Chriſti nunquam ſit abſque anima & ſanguine ſuo, & ideo ubi eſt Chriſti corpus, ibi totum Chriſtum eſſe.

Ad 3. non dixit Dominus, Ego ſum, ſed, *Hoc eſt corpus meum*, quia id ſolum exprimere voluit, quod per ſymbolum panis repræſentatur: porro per ſymbolum panis, & vi verborum præciſe, non repræſentatur niſi corpus.

At, inquies, verba, *Hoc eſt corpus meum*, vel ſignificant corpus vivum, vel corpus mortuum: atqui utrolibet modo abigunt doctrinam concomitantiæ: Priori quidem, quia ſic ſanguis tam directe per ea ſignificatur, quam ipſum corpus, ac proinde non mere concomitanter: poſteriori vero, quia ubi ſignificatur corpus ſine ſanguine, jam, ut vera ſit ſignificatio, nihil ſanguinis ineſſe poteſt.

R. per ly *corpus* in verbis Chriſti eam præciſe ſignificari naturæ humanæ partem, quæ cum anima componit hominem; & quæ ſeu viveret, ſeu mortua foret, erat corpus Domini: unde vox, *corpus* in propoſitione Chriſti, nec vivam præciſe, nec præciſe carnem mortuam ſignificat. Male ergo Theologi nonnulli quos cap. 21. perſtringit Bellarminus, ajunt in eadem Chriſti propoſitione, ſignificari corpus vivum, & proinde corpus cum anima & ſanguine: id enim expreſſe repugnat Tridentino Seſſ. 13. cap. 3. ubi ſic legere eſt: *Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie una cum ipſius anima & divinitate exiſtere; ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie, ex vi verborum; ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur; Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypoſtaticam unionem*: in ea autem opinione quam impugnamus, ſanguis & anima ſub ſpecie panis vi verborum formaliter & directe occurreret. Et vero cum Euchariſtia ſit repræſentatio mortis Domini, neceſſum eſt ut vi verborum corpus a ſanguine ſeparatum exhibeatur.

Nec dicas, Chriſtum locutum eſſe de corpore quod paulo poſt traditurus erat morti, ac proinde de corpore tunc cum loqueretur, vivo. Qui enim de corpore tunc temporis vivo loquitur, illud ſine ullo ad vitam reſpectu deſignare poteſt, deſignatque de facto, cum corpus primo, deinde ſanguinem diſtribuit.

CONCLUSIO II. Uſus calicis gravibus de cauſis ſubtractus eſt.

Prob.

Prob. enumeratione ejuſmodi cauſarum, quas plures recenſet Gerſo in ſpeciali ea de re Tractatu. Prima fuit periculum irreverentiæ ex effuſione pretioſi ſanguinis pene ineluctabiliter orituræ. Quantacumque enim Diaconi, qui calicem porrigebant, uſi eſſent diligentia, vix præ hodierna communicantium multitudine, ſolemnioribus præſertim Feſtis, præ plurium ſenum, debilium, ruſticorum incauto concurſu, effuſionem impedire potuiſſent: quod facile experietur, qui vini calicem, ſumma licet dexteritate, ducentarum ætatis omnis & ſtaturæ perſonarum labiis admoverit. Certe ipſa etiam Dominici corporis porrectio, etſi longe minus habet periculi, non ſemper ab omni incommodo libera eſt: cui tamen, non item effuſionis malo, mederi potis eſt: colligitur enim corpus Chriſti, ſanguis vero ſi effundatur, colligi non poteſt.

Secunda fuit communio infirmorum, ad quos omni diei ac noctis horæ deferendum erat viaticum ſalutis: iſtud autem ægre admodum ſub ſpecie vini deferri potuiſſet; tum quia facile aceſſit & corrumpitur; tum quia ſi uſquam, certe in hoc caſu, grave imminebat periculum effuſionis.

Tertia fuit multitudo, tum abſtemiorum, qui vini odorem & ſaporem ferre non poſſunt; tum & eorum qui non ſine nauſea vinum hauriunt ex calice, qui jam multis oblatus ſit; & qui vel a communione abſtinere debuiſſent, vel primam in menſa Domini ſedem, aliis contra nitentibus, obtinere conati fuiſſent. Unde jurgia & tumultus, idque in actione, quæ tota pacem & unitatem ſpirat. Abſtemios quidem & nauſeatores ſolo pane donant Calviniani; verum praxis illa cum eorum principiis male cohæret; ut ſupra oſtendimus.

Quarta fuit vini pluribus in locis raritas, aliquando tanta, ut, cum primi S. Vincentii a Paulo diſcipuli Madagaſcari littora appulere, ab omni per menſes quinque ſacrificio propter vini penuriam ceſſatum eſſet. An igitur toto hujus temporis decurſu nemini ad extrema vergenti viaticum ſalutis dari potuiſſet?

Quinta fuit neceſſitas, perimendi omnino erroris eorum, qui totum Chriſtum ſub alterutra ſpecie contineri negabant.

Sexta fuit ipſa Fidelium deſuetudo, qui circa duodecimi ſæculi finem a ſpecie vini, nemine jubente, ſed proprio inſtinctu abſtinere cœperunt: quapropter non tam a Paſtoribus abrogata eſt ſub utraque ſpecie communicandi conſuetudo, quam contraria ſenſim approbata, ita ut demum evaſerit in legem, prout ſolent conſuetudines diu obſervatæ: *Unde*, ajunt Seſſ. 13. Conſtantienſes Patres, *cum hujuſmodi conſuetudo.... diutiſſime obſervata ſit, habenda eſt pro lege.*

Non eſt ergo quod de inducta a Romanis mutatione conquerantur Novatores, ſed eſt unde conquerantur Romani de Novatoribus, qui præpoſtero antiquitatis ſibi reipſa ignotæ ſtudio, quidquid ſapientiſſime a Majoribus, quin & a Chriſto ipſo conſtitutum erat, demoliti ſunt: qui, ut in præſenti ſiſtamus materia, ſeptenarium Sacramentorum ordinem, duobus retentis, aut potius vitiatis, contra Scripturæ & Traditionis leges, de medio ſuſtulerunt; qui Liturgias veteres, omnium ætatum & gentium reverentia conſecratas, aboleverunt; qui infirmis denegarunt communionem, quam, ſi quid habent candoris, ſemper & ubique conceſſam inficiari non poſſunt; qui demum, ne ſingula perſequar, realem

præſentiam, tranſubſtantiationem, latrienſem Euchariſtiæ cultum petulanter abrogaverunt. Ita ferme & merito Auctor Operis de re Sacramentaria, pag. 443.

Conclusio III. Poteſt abſolute Eccleſia calicis uſum reſtituere Laicis: non decet tamen ut reſtituat.

Prob. 1. pars 1. quia Tridentinum Seſſ. 21. cap. 2. *declarat, hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ...... magis expedire judicaret*: atqui unius vel geminæ ſpeciei diſpenſatio non ſpectat ad Euchariſtiæ ſubſtantiam; ergo poteſt abſolute Eccleſia circa diſpenſationem hanc aliter & aliter ſtatuere.

2. quia poteſtatem hanc Eccleſiæ divinitus fuiſſe conceſſam agnovere Patres Conſtantienſes, Baſileenſes & Tridentini Seſſ. 22. ſub finem, ubi decretum eſt, *integrum* illud concedendi vel denegandi calicis *negotium* ad ſummum Pontificem *eſſe referendum, qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Chriſtianæ, & ſalutare petentibus uſum calicis judicaverit*.

3. quia de facto calicis uſum, ex quo etiam a Conſtantienſi Synodo prohibitus fuit, pluries conceſſum eſſe legimus: 1. enim cum Bohemis ac Moravis indulſere Baſileenſes Epiſcopi, hac lege, ut & in ceteris omnibus Eccleſiæ Romanæ obtemperarent, & unius tantum ſpeciei ſufficientiam edocerentur: & hæc quidem conceſſio novos apud utramque gentem tumultus concitavit; unde ipſam revocare coactus eſt circa ann. 1452. Nicolaus V. 2. eumdem quibuſdam Germaniæ populis conceſſit Pius IV. ann. 1464. quod nec felicius ceſſit, unde & a Pio V. revocatum fuit, poſtquam aliquandiu Viennæ in Auſtria obſervatum eſſet; 3. quia non deſunt hodieque extra *conficientes*, qui binam recipiant ſpeciem: ita Galliarum Reges qua die inaugurantur; Diaconus & Subdiaconus, qui Sacerdoti in Fano San-Dionyſiaco prope Lutetiam ſerviunt; item Miniſtri altaris apud Cluniacenſes, diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, &c.

Prob. 2. pars 1. quia quæ Eccleſiam a concedendo calice deterruerunt rationes, etiamnum ſubſiſtunt, ſubſiſtentque quamdiu numeroſa erit, ut nunc eſt, plebs Chriſtiana. Ecquis decem, viginti, quadraginta & eo amplius hominum millibus, prout in una Parochia extant Lutetiæ, calicem certa manu intra Paſchalem Quindenam porrigere valeat? 2. quia qui calicis uſum poſtulant, Hæretici inprimis, nulla ad id legitima cauſa, nulla vera pietate moventur; ſed vel quia ſpeciem vini ſimul & panis divina lege præſcriptam eſſe; vel plus ſub duplici ſpecie, quam ſub una recipi autumant: horum porro votis annuere, quid aliud fuerit quam erroribus patrocinari? 3. quia e re Chriſtiana eſt ut in potiſſimi Religionis noſtræ Sacramenti adminiſtratione ſervetur ratio uniformis: hæc autem indubie deerit, ſi calicis uſum reſtitui contingat.

Obj. Si non neceſſe, at ſaltem enixe optandum eſt in teſtamentis, ut adamuſſim ſervetur ultima teſtatoris voluntas: atqui ſubtracto calice non ſervatur ultima Chriſti voluntas. Tunc enim non ſervatur voluntas Chriſti, quando res ab eo ſingulis Fidelibus legata, iis non datur tota, ſed penes partem: atqui ſubtracto calice..... Chriſtus enim calicem ſanguinis

Digitized by Google

guinis ſui legavit & iis omnibus pro quibus effuſus eſt, & pro modo ſecundum quem effuſus eſt: atqui ille & pro Laicis perinde ac pro Sacerdotibus, & ſecundum ſe effuſus eſt; ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. res enim a Chriſto legata eſt caro & ſanguis ipſius: utraque porro ſub una ſpecie datur, perinde ac ſub duplici.

Ad 3. prætermiſſa prima parte majoris, ex qua ſequi poſſit, ſanguinem Chriſti ipſis etiam Infidelibus dandum eſſe, nego ſecundam partem: nam præcepit equidem Dominus ut caro ſua & ſanguis Fidelibus traderetur; at nullibi præcepit ut ſanguis ſecundum ſe & diviſim traderetur: unde nec prohibita eſt Laicis nec imperata utriuſque ſpeciei perceptio; quo fit ut quidquid ad ſpeciem vini juris habeat, ab Eccleſiæ voluntate omnino dependeat.

Conclusio IV. Non major ex duplici ſpecie capitur fructus, quam ex una: neque, ſi major reipſa caperetur, ideo opus eſſet, aut expediret, ut utraque ſpecies reciperetur ab omnibus.

Prob. 1. pars, quæ ut loquitur Bellarminus Lib. 4. cap. 23. communis eſt Theologorum, tum veterum, tum recentiorum. Prob. inquam, quia ſi ſumptio utriuſque ſpeciei plus conferret gratiæ, quam ſumptio unius, id neceſſario oriretur vel ex re contenta, vel ex ſymbolo continente: atqui major hæc gratia neutro ex capite oriri poteſt. Non 1. ex re contenta; quia hæc nec magis eſt ſub duplici ſpecie, quam ſub una; nec magis operatur, quando bis eodem recipitur tempore, quam cum ſemel; alioqui Sacerdos, qui non uno hauſtu, ſed duobus aut tribus ſanguinem ſumit, plus reciperet gratiæ, quam qui hauſtu unico totum ebibit; idemque de eo foret, qui duas, treſve formulas, aliam poſt aliam comederet; quod ſane abſurdum eſt. Non 2. ex ſymbolo continente, 1. quia ſymbolum non operatur niſi per virtutem ſibi impreſſam: atqui in Euchariſtia Chriſtus eſt loco virtutis impreſſæ; Chriſtus autem tam eſt ſub una ſpecie, quam ſub duplici; ergo. 2. quia Chriſtus in Euchariſtia tantum ſub unaquaque ſpecie operatur, quantum ſub unaquaque ſignificat: atqui tantum ſub unaquaque ſeorſim ſpecie ſignificat, quantum ſub utraque conjunctim. Siquidem Chriſtus ſub utraque ſpecie ſignificat plenam & adæquatam animæ refectionem: atqui hanc etiam refectionem ſignificat ſub una ſpecie; cum ſpecies illa animæ famem & ſitim omnino ſedare idonea ſit, ut jam diximus; ergo.

Prob. 2. pars, quia ut in ipſa majoris gratiæ per utramque ſpeciem collatæ hypotheſi, haud expediat, vini ſpeciem ab omnibus ſumi, duo ſufficiunt, 1. ut is qualiſcumque gratiæ defectus facile compenſari poſſit; 2. ut pro modico haberi debeat comparate ad periculum irreverentiæ, quæ ſanguinis ſub ſpecie vini receptionem indubie ſequeretur: atqui utrumque conſtat. Primum quidem, quia ad id ſufficit multiplicari communiones; ſecundum vero, quia tanta eſt ſanguinis Chriſti dignitas, ut ei ſpiritualem etiam proventum cedere oporteat. Hinc negata tamdem vini ſpecies, tum infantibus, quibus certiſſime prodeſſet; tum & olim, ut nunc, infirmis vomitui obnoxiis, qui tamen vel ex una ſanguinis guttula feliciter trajecta non parum cepiſſent utilitatis. Hinc ſevera hæc, & antiqua lex, licet Pio I. perperam adſcripta: *Si per negligentiam aliquid de ſanguine Domini ſtillaverit in terram.... Sacerdos quadraginta diebus pæniteat.* *Diſt. 2. de Conſecr. c. 27.*

Hinc generatim prohibita duplex eadem die communio, quæ nihilominus majorem afferret fructum, quam unica; ſed nimiam cum Sacramento familiaritatem, ideoque & irreverentiam inveheret; ergo.

Obj. 1. cum Lugo *diſp.* 12. *nu.* 69. Sacramenta id operantur quod ſignificant, adeoque cum plus ſignificant, plus operantur: atqui ambæ ſpecies plus ſignificant quam una, idque non ſolum ratione ſigni, ſed & ratione rei ſignificatæ. Siquidem ambæ ſpecies ſignificant plenitudinem convivii ſpiritualis, & perfectam animæ ſatietatem: atqui una ſeorſim ſpecies plenitudinem hanc & ſatietatem non ſignificat. Scilicet enim ſpecies panis ſignificat non ſub aliqua ratione communi, ſed ſub ratione ſpeciali cibi: atqui cibus ut cibus nullo pacto ſignificare poteſt ſatietatem completam, & plenitudinem convivii coaleſcentis ex cibo & potu; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. min. una ſeorſim ſpecies non ſignificat plenitudinem convivii, non ſignificat, inquam, tam perſpicue, nec directe, ut utraque ſimul, C. non ſignificat vere, licet indirecte ſolum & concomitanter, N. fateor itaque quod utraque ſpecies perſpicue magis & diſtincte plenitudinem convivii ſignificet, quia cibum altera, altera potum evidenter deſignat. Fateor rurſus quod ſpecies panis directe cibum, vini vero ſpecies directe potum exprimat: at nego hinc ſequi, quod plus recipiat gratiæ, qui utramque recipit ſpeciem, quam qui alterutram dumtaxat: 1. enim Baptiſmus immerſione datus diſtincte magis & clare effectum ſuum ſignificabat: atqui tamen haud conferebat majorem gratiam, quam nunc conferat datus per aſperſionem; ergo quod diſtinctius effectum ſignificat, non ideo majorem parit effectum; 2. neque etiam utraque ſpecies eo plus operatur, quod una directe potum ſignificet, quem altera nonniſi indirecte & concomitanter ſignificat: Modo enim ſpecies quæ indirecte ſignificat, id quod altera ſignificat directe, iſtud non minus contineat, quam ſi directe ſignificaret, jam eumdem operari debet effectum, quem prædicta ſpecies operari valet: atqui ſpecies panis ſola non minus ſpiritualem potum continet, quam ſpecies vini; ergo non minus ſola operari debet, quam cum altera.

Ad 3. diſt. maj. ſpecies panis ſignificat ſub ratione cibi, ſed cibi ſpiritualis, vel cibi qui ſimul eſt potus, C. cibi materialis, vel cibi ſimpliciter, N. porro cibus ſpiritualis eo ipſo quo animæ famem ſatiat, reſtinguit & ſitim ejus: quia idem eſt animæ fames, quod ſitis, ut ſupra probatum eſt. Unde Chriſtus non ſolum ſub utraque ſpecie ſimul ſumpta, ſed & ſub alterutra eſt integrum convivium ſpirituale, & plenam refectionem ſignificat, licet hanc perfectius ſub duplici ſpecie ſignificet, quam ſub unica: quapropter totum utriuſque ſpeciei & unius dumtaxat diſcrimen ſe tenet ex parte modi quo ſignificant, non vero ex parte rei ſignificatæ.

Obj. 2. Species vini prout Chriſti ſanguinem continent, ſunt verum Sacramentum: ſed qui verum Sacramentum recipit, novam gratiam recipere debet; ergo.

R. neg. min. generatim intellectam: alioqui enim qui unam ſacri panis formulam poſt aliam recipit, aut qui calicem ſumit duplici hauſtu, gemini Sacramenti gratiam reciperet; quia ſingulæ formulæ totidem ſunt Sacramenta in ſenſu objectionis: atqui tamen nemo eſt qui ita ſentiat.

Cur

Cur autem neque in his caſibus, neque in caſibus ſumptionis utriuſque ſpeciei nova recipietur gratia mox exponemus.

Inſt. 1. Ut Sacramentum novum, puta ſpecies vini, novam non pareret gratiam, deberet una ſpecies ab alia pendere in operando: atqui non pendet; ergo.

R. diſt. min. non pendet hoc ſenſu, quod per ſe ſolam ſignificare poſſit & operari plenam refectionem ſpiritualem, ut cum panis ſolus, ſoluſve calix ſumitur, C. non pendet, quando ſimul cum alia ſumitur, N. Cum enim ſpecies tunc accipiantur per modum unius convivii, ſicut ſimul & indiviſibiliter ſignificant, ita ſimul ac indiviſibiliter unum eumdemque integræ refectionis effectum operantur. Sic in Sacramento morientium quatuor poſtremæ unctiones non plus, juxta communem ſententiam, pariunt effectus, quam pariat prima, quando ſola confertur.

Inſt. 2. Si ſpecies una tunc temporis ab alia penderet quoad operationem unius gratiæ, vel gratia hæc tota conferretur in ſumptione ſpeciei panis, vel tota in ſumptione ſpeciei vini, vel partim in ſumptione unius ſpeciei, & partim in ſumptione alterius: atqui nullum ex his dici poteſt. Non 1. aut 2. alioqui enim ſpecies altera nihil efficeret; quod abſurdum eſt. Non 3. alioqui Laici, qui ſub una tantum ſpecie communicant, fraudarentur dimidio Sacramenti effectu, quod nolumus.

R. neg. min. 1. enim dici poteſt, eum, qui ut ſolent Sacerdotes, ſub utraque ſpecie communicat rite diſpoſitus, totam gratiam quæ ex opere operato Sacramenti confertur, recipere in ſumptione panis; cum nulla ſit dilationis cauſa: ita ut tamen gratiam hanc non vi hoſtiæ ſolius recipiat, ſed vi utriuſque ſpeciei. Poteſt enim ſpecies nondum recepta, ſed certo ſtatim recipienda, ob proximam ſuam cum alia conjunctionem, Deo ita ordinante, non quidem phyſice, ſed moraliter operari. Tunc porro ſpecies calicis, cum ſumitur, nihil efficit de novo, quia effectum ſuum bis operari non poteſt.

2. dici poteſt cum Bellarmino ubi ſupra, in prædicto caſu Euchariſtiam ſub ſpecie panis non operari, niſi cum abſoluta eſt tota Euchariſtiæ ſumptio; hanc autem non cenſeri tunc abſolutam, niſi cum utraque ſpecies ſumpta eſt: unde tunc prima ſpecies cum ſecunda poſt hujus ſumptionem confert eamdem gratiam, quam contuliſſet ſola, ſi ſola ſumpta fuiſſet. Neutra expoſitio impugnari ſolide poteſt: quia utramque viam potuit eligere Deus ad Sacramenti ſui effectum: utram vero elegerit, certo definire non poſſumus.

Quid ergo, inquies, ſi Sacerdos ſumpta ſpecie panis, nondum autem vini moreretur?

R. Sacerdotem hunc a Deo, mortem ejus proxime futuram præſciente, accepturum ſtatim poſt ſumptionem Hoſtiæ, eamdem gratiam, quam poſt ſolius calicis ſumptionem recepturus erat, ſi diutius vixiſſet. Suadet id vel ipſa Dei notio, cujus natura bonitas eſt, quique rem vitio carentem in damnum non vertit.

Inſt. 3. Ex reſponſionibus noſtris ſequitur, vel utramque ſpeciem a Sacerdote celebrante inutiliter ſumi; vel Euchariſtiæ gratiam difficilius ab eo comparari, quam a Laicis, quibus ſufficit unius ſpeciei receptio ad plenum Sacramenti effectum: atqui utrumque abſurdum eſt.

Digitized by Google

R. neutrum ſequi. Non 1. tum quia inutiliter non fit id quod fit juxta præſcriptum & inſtitutionem Chriſti; tum quia ſi inutiliter fieri dicatur id quod fit per duo media, quando unum abſolute ſufficit, Chriſtus ipſe pluries inutiliter egiſſe dicendus erit: poterat enim Salvator ſolo voluntatis nutu miracula ſua operari, prout de facto aquam convertit in vinum: atqui tamen aliquando voluntati addidit contactum, ut cum mortuam puellam ſuſcitavit; aliquando voluntati & tactui addidit inſtrumentum, ut cum ſputo cæcum illuminavit; ergo. Non 2. abſit enim ut ſumptio diſtincta Dominici ſanguinis inter difficilia comparandæ gratiæ media recenſeatur.

Obj. 3. SS. Patres ſpecialem attribuunt effectum ſanguini Chriſti prout e
L.5.c.3. calice ſumitur. Sic S. Cyprianus Epiſt. 17. ad Cornelium: *Quomodo*, inquit, *docemus, aut provocamus eos* qui lapſi ſunt, *in confeſſione nominis Chriſti ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus*. Sic & S. Ambroſius, ſeu quivis Auctor Lib. de Sacramentis: *Quotieſcumque bibis, remiſſionem accipis peccatorum, & inebriaris in ſpiritu*: ergo.

R. neg. ant. ſiquidem in objectione, ut valeat, ſpecialis effectus ſanguinis ille eſt, qui ita ſanguini ſub ſpecie vini convenit, ut non conveniat corpori ſub ſpecie panis: atqui Patres nihil hoc ſenſu attribuunt ſanguini, quod proprium non ſit corporis: imo e contra. Sic enim loquitur ibid. Ambroſius Lib. 4. cap. 5. *Qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remiſſio peccatorum*: & Cyprianus in illa ipſa Epiſtola, ubi Confeſſores ad martyrium armari vult potu ſanguinis Domini, vult eoſdem muniri protectione corporis illius. Neque eæ locutiones inuſitati quidpiam habent: ipſe enim Apoſtolus, cum de fructu paſſionis loquitur, nunc totum tribuit corpori, nunc totum ſanguini: *Pacificans*, inquit Coloſſ. 1. *per ſanguinem crucis ejus*. & infra: *Reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem*.

Obj. 4. Clemens VI. an. 1341. Galliarum Regi communionem ſub utraque ſpecie conceſſit *ad majus gratiæ augmentum*, prout referunt varii Scriptores apud Lugo n. 68. ergo.

R. prætermiſſa veritate privilegii hujus, quod alii Regi Angliæ, alii Regi Franciæ indultum volunt, & interim neutri forte conceſſum eſt; præſertim cum Clemens VI. nonniſi menſe Majo ann. 1342. electus ſit in Pontificem: R. inquam, diſt. ant. conceſſit ad majus gratiæ augmentum ex opere operantis, C. ex opere operato, N. Cum calix paſſionem Chriſti diſertius exprimat, potuit Pontifex, præſumere, futurum ut Princeps, qui ex ſingulari devotionis affectu, ejuſdem uſum efflagitabat, teneriori pietatis ſenſu moveretur in communione quadantenus duplici, quam in unica: ſed inde quid contra nos?

Obj. 5. Franciſcus Blanco, Compoſtellanus Archipræſul, qui Tridentinæ Synodo interfuit, teſtatus eſt, opinionem opinioni noſtræ adverſam, a Patribus Tridentinis unanimi calculo comprobatam fuiſſe; haud tamen definitam, ne præpoſtera Novatoribus daretur vociferandi occaſio; ergo.

R. vel id perperam Blanco affingi, vel eum Theologorum mentem non ſatis aſſecutum eſſe: 1. enim difficile erat, ut an. 1562. quo celebrata eſt Tridenti Seſſio 21. in qua de communione ſub duplice ſpecie actum eſt, Belgæ, Germanique Theologi omnes obliti eſſent Concilii apud Moguntiam ann. 1549. celebrati; in hoc autem ſic legere eſt capit. 32. *Cum*

nemo

Digitized by Google

nemo Fidelium dubitet, virtutem ſacroſanctæ Euchariſtiæ, non ex ſpeciebus pendere, ſed ex vivifica Chriſti carne & ſanguine provenire; jam ne hoc quidem quiſquam Fidelis dubitare debet, illum ſub una ſpecie communicandi morem, ad ſalutem ſumentium æque utilem & efficacem eſſe, quam alterum ſub utraque, &c. *Tom. 14. Conc. p. 679.*

2. teſtatur Joannes Dicaſtillo S. J. Hoſium Tridentini Concilii Præſidem, Petrum Soto, Heſſelanum, Alphonſum a Caſtro, Claudium Sanctefium, Salmeronem, & alios, qui eidem Concilio tanquam Theologi interfuerant, ſententiæ noſtræ ſuffragari. Scio Alphonſum a Caſtro an. 1558. ac proinde ante Seſſionem 21. fato functum. Sed quis præſenti de re nihil in Concilio dictum putet jam ab an. 1551. quo habita eſt Seſſio 13. quæ penes dogmaticam partem tota eſt de Euchariſtia?

Quæres an aliquando licita ſit Laicis ſanguinis ſumptio.

R. eſſe, 1. cum alioqui calix ab Hæreticis profanandus erit, aut defuncto poſt conſecrationem Sacerdote corrumpendus; 2. cum Sacerdos ſanguinem in terra effuſum nollet lambere; 3. cum obtenta eſt a Rom. Pontifice ſpeciei utriuſque recipiendæ facultas, aut immemoriali uſu confirmata; 4. cum Latinus apud Græcos communicat in eo loco ubi nullum Latini templum habeant.

Sed quid ſi Laicus in extremis panem ſacrum deglutire non poſſit, num ei vini ſpeciem porrigere licebit? Affirmant quidam, eo quia divinum de recipiendo Viatico præceptum humano prævalere debeat. Sed negant multo plures, quia lex divina non obligat, niſi quando obſervari poteſt cum debita reverentia, præcipuiſque ritibus graves ob cauſas ab Eccleſia per factam ſibi a Deo poteſtatem præſcriptis. Excipiunt tamen nonnulli caſum, quo moribundus peccati lethalis conſcientiam habens, nullum cui confiteretur Sacerdotem haberet, ſed haberet Diaconum a quo reciperet ſanguinem: quia, inquiunt, cum de contritionis ſuæ ſufficientia certus eſſe non poſſit, poteſt ei ſanguis ad ſalutem eſſe neceſſarius. Supponit hæc deciſio lethale peccatum aliquando per Euchariſtiam remitti, de quo Cap. ſeq.

Quæres an graviter peccet, qui bis una die celebraturus, ablutionem primæ Miſſæ dat Laico.

R. affirmat. cum Lugo Reſp. mor. Lib. 1. d. 10. nu. 3. quia agit contra generalem Latinæ Eccleſiæ conſuetudinem: qua etiam de cauſa graviter peccabit Laicus, niſi excuſet ſimplicitas, & habita Paſtori ſuo fides. Itaque Sacerdos vel ablutionem poſt certum tempus mittat in piſcinam, vel purificatorio imbibitam faciat ſiccari, vel melius, ſi poteſt, aſſervet, ut eam alia die ipſe vel alius ſumat in Miſſa. Ita Claudius la Croix Lib. 6. nu. 510.

CAPUT OCTAVUM.

De effectibus Euchariſtiæ.

Etſi in indagandis potioribus ſaltem Euchariſtiæ effectibus facem ſolaribus radiis haud imparem præferant Scriptura & Traditio, mirum quan-

quanto hac in parte Catholici & Heterodoxi diſcrepent intervallo. Nimirum Lutherus paradoxorum ſeminator, primarium hunc ſacræ Cœnæ effectum adſcribit, ut graviora quæque ſcelera abſtergat: unde quia non is erat Novator, qui poſt admiſſa principia hæreret in conſectariis, palam & aperte docet, eo quempiam recipiendæ Euchariſtiæ eſſe idoneum magis, quo plurium & majorum ſibi criminum conſcius eſt. Sic ille Serm. an. 1518. habito: *Optima*, inquit, *diſpoſitio nonniſi ea eſt, qua peſſime es diſpoſitus; & e contrario, tunc peſſime es diſpoſitus, quando optime es diſpoſitus*. Hinc rurſus Sermone quem habuit an. 1526. illum ad communionem aptiſſimum eſſe dicit, qui peccatis *ante & retro* onuſtus eſt; unde nullus ſine mortalibus peccatis ad cœnam debet accedere: quin & eos, qui confeſſione & orationibus mundos ſe ante communionem reddere nituntur, furore agi contendit, Lib. de abroganda Miſſa.

Ab his errorum monſtris recedere videtur Calvinus Lib. 4. Inſtit. c. 17. §. 40. ubi, *Cibus hic ſpiritualis*, inquit, *ſi in animam inciderit malitia, nequitiaque pollutam, majore illam ruina præcipitat*. At hic latet dolus: Ut enim anima Calvino polluta non ſit, ſatis eſt ut in peccato perſeverare nolit: unde licet necdum ab ejus vinculis ſoluta, incunctanter menſæ Domini aſſidere poteſt. Quapropter ibid. §. 42. *Meminerimus*, inquit, *has ſacras epulas ægrotis eſſe pharmacum, peccatoribus ſolatium, pauperibus largitionem, quæ ſanis, juſtis & divitibus, ſi qui reperiri poſſent, nullum adferrent operæ pretium*.

Nihilne ergo, inquies, diſpoſitionis ad Cœnam præter ſcelus & impuritatem requirunt Novatores? Requirunt quidem: at totum id reponunt in fide, qua qui communicaturus eſt, certo credat omnia ſibi in eo Sacramento peccata remiſſum iri.

Longe aliud ſentiunt Catholici omnes, qui nedum lethalia peccata per Euchariſtiam remitti concedant, receptionem ejus extra gratiæ ſtatum moraliter præſumptum factam, pro novo ac grandi peccato habent. Verum diſputant iidem inter ſe, 1. annon Euchariſtia indirecte & per accidens mortale peccatum aliquando remittat in iis, qui illius quidem rei ſunt, ſed nullam ejus habent conſcientiam, vel quia ejus inculpabiliter obliti ſint, vel quia rite ſe abſolutos eſse credant, cum non ſint; 2. an peccata venialia deleat per ſe ipſam, an mediante aliquo peccantis actu, quo is ad hujuſmodi peccatorum remiſſionem diſponatur; 3. an pœnas peccatis debitas auferat. Expendunt quoque an a peccatis futuris præſervet; an in anima ſolum operetur, non etiam in corpore; an ſoli accipienti proſit, non item aliis; quo inſtanti ſuos effectus præſtet. Quæ ſingula, brevius aut latius pro rerum dignitate proſequemur. Sit

Conclusio I. Euchariſtia per ſe & directe non remittit peccatum mortale, nec proinde primam gratiam producit, ſed ſupponit.

Prob. 1. ex figuris Euchariſtiæ: Nimirum Agnus paſchalis, panes propoſitionis, ac demum ſacrificia legis, totidem erant Sacramenti noſtri figuræ: atqui Agnus paſchalis, propoſitionis panes, ac ſacrificia legis, nonniſi ab hominibus mundis & puris manducari poterant, ut patet ex Num. 9. I. Reg. 21. & Levit. 22. ergo a fortiori, &c. Atque hinc Chriſtus ante Diſcipulorum pedes lavit, quam eis corpus ſuum ac ſanguinem porri-

porrigeret; ut intelligerent quanta in communicaturis requiratur animæ munditiès. Hinc etiam Filius prodigus non ante ad eſum vituli ſaginati admittitur, quam Patri reconciliatus fuerit, & prima, a qua exciderat, charitatis ſtola donatus. Hinc demum qui regium convivium ſine nuptiali veſte ingredi præſumpſit, in exteriores tenebras projicitur immiſericorditer: eo autem ſupplicio ſupplicium indignis Dominicæ Cœnæ contrectatoribus præparatum adumbrari, concors eſt SS. PP. ſententia.

Prob. 2. ex Apoſtolo I. Cor. 11. *Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit:* atqui probatio citra quam homo indigne manducat, non in ſola fide conſiſtit, ſed in immunitate ab iis omnibus peccatis, quæ animam Deo inviſam faciunt. Probatio enim de qua loquitur Apoſtolus, ea ipſa eſt cujus defectu Corinthiorum plures in judicium inciderant: atqui non inciderant in judicium Corinthii, eo quia non id de Euchariſtia crederent, quod credendum eſſet; ſed quia & præ ebrietate temperantiam læderent, & præ duritie debitam proximo pauperi charitatem violarent; & iniqua illa agendi ratione Eccleſiam aſpernari viderentur. *Alius quidem eſurit*, ait Apoſtolus, *alius ebrius eſt ...... Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent*? En aperte Corinthiorum facinus, poſitum utique in peccatis contra mores, non in fidei defectu.

Prob. 3. ex Patribus, qui morum & vitæ ſanctitatem ad ſuſceptionem Euchariſtiæ unanimi ſenſu prærequirunt. Juſtinus Apolog. 2. *Nulli alii*, inquit, Euchariſtiæ alimentum *participare licitum eſt, quam veram eſſe doctrinam noſtram credenti, & lavacro propter remiſſionem peccatorum, & regenerationem abluto, &* ITA UT CHRISTUS TRADIDIT, VIVENTI: atqui hic præter fidem qua creditur, requiritur ablutio a peccatis, & vita vere chriſtiana, quam præcepit Chriſtus. Pag. 97. E.

Cyprianus Epiſt. 9. *Nondum*, inquit, *pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo & Clero impoſita*, illis qui lapſi ſunt, & ad fidem reverſi, *Euchariſtia datur, cum ſcriptum ſit: Qui ederit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini*. Eumdem abuſum acriter & nervoſe inſequitur S. Martyr toto Libro de lapſis; ergo non eo quis ad communionem aptiſſimus eſt, quo in fœdiora crimina proruit, ut ſacrilege blaſphemat Lutherus Serm. an. 1519. ſed cum exomologeſim & pœnitentiam crimine non minorem præmiſit. Pag. 21. & ſeq. Pag. 175. & ſeq.

Ambroſius Lib. 6. in Lucam ad cap. 9. *Ubique*, inquit, *myſterii ordo ſervatur, ut prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſtea alimonia menſæ cæleſtis exuberet:* atque hoc applaudente, præter Lutherum, Chriſtiano Orbe executioni mandavit S. Doctor, cum Theodoſium poſt cædem Theſſalonicam a communione removit, donec ſcelus ſuum pœnitentia publica diluiſſet.

S. Chryſoſtomus Homil. 46. in Joan. cap. 6. *Si*, inquit, *ad Euchariſtiam pure acceſſeris, ad ſalutem acceſſiſti: ſin prava conſcientia, ad pœnam & ſupplicium*, & Homil. 82. alias 83. in Matth. *Nullus Judas accedat, nullus avarus: ſi quis Diſcipulus non eſt, recedat: non recipit hæc menſa eos qui tales non ſunt .... Nemo inhumanus accedat, nemo crudelis & immiſericors, nemo impurus. Hæc vobis qui communicatis dico, necnon vobis qui miniſtratis ...... Non parvum vobis ſupplicium deputatum eſt, ſi quem improbum*

bum vobis notum ad hujus menſæ participationem admittatis. Proh! quantum Lutheri inter & Chryſoſtomi conciones diſcriminis. Accedite avari, ait Lutherus, accedite crudeles, impuri, novi Judæ, aut Juda pejores: ipſe vobis ſcelerum fetor optima eſt diſpoſitio ad nuptias agni, &c. Contra Chryſoſtomus: *Nullus Judas adſit, nullus avarus*, nullus qui jam diſcipulus non ſit, &c. Ceteros Patres omitto, quorum mentem plene indicat antiquus ille ritus, quo olim inter Miſſarum ſolemnia Diaconus exclamabat: *Exite Catechumeni, pœnitentes, indigni*. Et vero cur antiquitus tam diuturna, tam luctuoſa ante Euchariſtiæ ſumptionem probari pœnitentia, qui tetri quid facinoris admiſerant, niſi quia in Eccleſia Chriſti ſemper indubium fuit, eos duntaxat panem cœleſtem ſpirituali-
Tom. 3. ter manducare, qui *innocentiam ad altare* apportarent? Verba ſunt Augu-
part. 2. ſtini Tract. 26. in Joan.

p 498. C. Merito igitur Tridentina Synodus Seſſ. 13. Can. 5. *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum SS. Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema ſit*, & Can. 11. *Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum SS. Euchariſtiæ Sacramentum; anathema ſit*.

Confirmatur ratione. Euchariſtia inſtituta eſt ut alimentum ſpirituale, ſecundum id Joan. 6. 56. *Caro mea vere eſt cibus*, &c. atqui alimentum ſpirituale, in eo a quo recipiendum eſt, vitam ſpiritualem ſupponit; ſicut corporale vitam corporalem; ergo ſicut corporaliter mortuis non datur alimentum corporale, ita nec, &c.

Obj. 1. Qui non venit vocare juſtos, ſed peccatores, corpus ſuum ipſis etiam peccatoribus dari vult: atqui Chriſtus de ſe ipſo ait: *Non veni vocare juſtos*, &c. unde mitiſſimus Salvator ipſis etiam peccatoribus contrectandum ſe præbebat, & cum omnibus familiariter converſabatur; ergo.

R. diſt. maj. qui venit vocare peccatores ad Euchariſtiam, vult corpus ſuum ipſis etiam peccatoribus dari, C. qui venit vocare peccatores ad fidem & ad pœnitentiam, vult, &c. N. Porro Chriſtus objectis locis loquitur de vocatione ad fidem & pœnitentiam, non autem de proxima & immediata ad Euchariſticum convivium invitatione: alioqui enim ipſi Infideles ad communionem admittendi forent; cum & hos etiam Chriſtus vocare venerit.

Nec nocet quod Chriſtus ipſis etiam peccatoribus tangendum ſe permiſerit, & cum iis vixerit familiariter; tum quia aliud eſt Chriſtum exterius tangere; aliud eumdem totum ſacramentaliter recipere: tum quia exterior Chriſti convictus impiis prodeſſe poterat, & plerumque proderat ad vitam; interior vero ejus in Euchariſtia ſuſceptio non prodeſſet niſi ad mortem: tum quia ipſi etiam ethnici, hæretici & infantes ad Euchariſtiam conſtanter admittendi eſſent: nam cum iis etiam verſabatur Dominus, & ab illis tangi ſe permittebat.

Inſt. 1. Chriſtus dubio procul peccatores vocabat ad vitam: atqui eo ipſo vocabat ad Euchariſtiam; quandoquidem hæc det vitam, ſecundum id Joan. 6. 58. *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, & v. 33. *Panis qui de cœlo deſcendit, dat vitam mundo*; ergo.

R. neg. min. Euchariſtia enim non dat vitam, eo ſenſu quod hominem ſuſcitet a mortuis; ſed quatenus hominem jam vere viventem cu-

ſtodit

Digitized by Google

ſtodit atque confirmat. Exigit autem ordo gratiæ ſicut & naturæ, ut qui mortui ſunt, primo vivant, ſecundo ut acceptam vitam mediantibus alimentis conſervent.

Inſt. 2. Quod inſtitutum eſt in remiſſionem peccatorum, dat vitam primam, ſeu illud vitæ genus, quo peccator ſolvitur a morte peccati: atqui Euchariſtia inſtituta eſt, &c. Prob. min. ex Matth. 26. *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

Confirm. quia in hoc textu Euchariſtia vocatur Teſtamentum novum: atqui in Teſtamento novo includitur pactum de remiſſione peccatorum, juxta id Jeremiæ 31. verſ. 33. & 34. *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael ...... Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius;* ergo.

R. ad 1. neg. min. quæ male deducitur ex objecto textu; quia aliud eſt ſanguinem Chriſti in Cruce effuſum fuiſſe in remiſſionem peccatorum; aliud eumdem in Euchariſtia a graviter reis bibi in remiſſionem peccatorum. Primum dicit ſacer Textus, & veriſſime dicit: de ſecundo nihil habet. Quamquam Euchariſticus ſanguis multiplici ſenſu bibitur in remiſſionem peccatorum, de quo infra.

Ad confirm. diſt. in Teſtamento novo ſecundum ſe totum ſumpto includitur remiſſio peccatorum, C. ſumpto ſecundum ſingulas ſui partes, N. itaque Teſtamentum novum ſi ſumatur pro tota Evangelii lege, ut ſumitur apud Jeremiam, habet unde gratiam primam conferat, & ſecundam addat primæ: at neceſſe non eſt ut utrumque effectum per ſingulas ſui partes præſtet: unde ſi per aliquas, puta per Baptiſmum & Pœnitentiam mortuos ſuſcitet, per alias iis qui jam vivunt, vitam pleniorem confert, puta per Confirmationem & Euchariſtiam.

Inſt. 3. Si res ita ſit, abſurde omnino precem hanc effundunt Sacerdotes: *Hæc nos communio, Domine, purget a crimine*, & rurſus: *Præſta ut hoc tuum Sacramentum ...... ſit interceſſio ſalutaris ad veniam, ſit ablutio ſcelerum:* atqui, &c.

R. neg. maj. 1. quia Eccleſiæ preces ſaltem aliquæ intelligi poſſunt de Euchariſtia prout eſt ſacrificium; quod quidem non modo pro juſtis offertur, ſed & pro pœnitentibus, quibus necdum peccata ſua dimiſſa fuere; imo & pro impiis, ut gratia adjuti ab iniquitate reſipiſcant. Nec obeſt vox *Sacramenti:* quia hæc apud veteres plerumque ſumitur pro ſacrificio, ut in hoc Auguſtini textu Lib. de ſancta virginitate cap. 45. *Notum eſt quo loco Martyres, & quo defunctæ ſanctimoniales ad altaris Sacramenta recitentur:* Tom. 6. p. 363. A. & Can. 29. Concilii III. Carthag. *Sacramenta altaris nonniſi a jejunis hominibus celebrentur.* Unde & Libri qui ſacrificii ritus & ordinem continebant, Sacramentarii Libri dicebantur; quam appellationem hodieque habet Sacramentarium S. Gregorii; 2. quia purgari a crimine non inepte dicuntur, ii etiam qui a culpæ reatu liberi, ejuſdem culpæ pœnis obnoxii manent: atque hoc ſenſu petimus ut Euchariſtia *ſit vivorum atque mortuorum remiſſio omnium delictorum.* Et vero ſublato ſcelerum reatu inſident animæ habitus pravi, ſeu propenſiones malæ, quæ peccati nomine haud raro donantur, ut vidimus in Tractatu de Peccatis; 3. & magis naturaliter, quia Euchariſtia prodeſſe poteſt ad delenda peccata mortalia, quorum conſcientiam non habemus: de quo ſtatim.

Obj. 2.

Digitized by Google

Obj. 2. Non repugnat unum idemque Sacramentum ſimul eſſe cibum & pharmacum; ergo Euchariſtia juſtis quidem erit cibus, peccatoribus vero pharmacum.

R. neg. ant. poſitis enim rebus prout a Chriſto inſtitutæ fuerunt, repugnat Euchariſtiam eſſe pharmacum, quo primario mundemur a mortalibus: eſt tamen vere pharmacum, quatenus & curat venialia, & a mortalibus præſervat, & infirmitates in anima ex mortalibus antea admiſſis & condonatis reſiduas expellit; imo & ab occultis lethalibus mundat.

Inſt. 1. Euchariſtia inſtituta eſt ut ſymbolum Chriſti præſentis, qui profecto peccata quælibet remittere poteſt; ergo ex vi inſtitutionis ſuæ habet, quod mortalia etiam peccata primario remittat.

R. neg. conſeq. Euchariſtia enim quoad effectum ſpectata, non continet Chriſtum ſub quacumque ratione, ſed ſolum ſub ratione cibi animam ſpiritualiter nutrientis; ergo in eadem anima ſupponit vitam ſpiritualem, quam proinde per ſe & primario largiri non debet.

Inſt. 2. Si Euchariſtia animæ vitam ſupponat, neceſſum eſt ut quiſquis ad eam accedit, ſe ſe jam per charitatem vivum eſſe confidat: atqui in hac hypotheſi nemo unus ad Euchariſtiam accedere præſumet. Ecquis, quantumlibet comparandæ juſtitiæ operam dederit, certo ſe credat ab omni peccato immunem? dicente Apoſtolo, *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*.

R. ad 1. neg. min. ut enim quis pie & citra præſumptionem ad Euchariſtiam accedat, neceſſum non eſt, ut metaphyſice certus ſit de ſua juſtitia; cum ad id ſpeciali opus ſit revelatione, quæ paucis contingit: ſed ſatis eſt, ut juxta præceptum Apoſtoli, probet ſe ipſum, & quod in ſe eſt faciat, ut liberetur a mortalibus, ſi quorum poſt diligens ſui examen conſcientiam gerat. Et vero tunc, vel ignoto quopiam lethali gravatur, vel nullo. Si nullo, Euchariſtiam digne ſumit, ea nimirum dignitate, qua Deus, qui operis ſui figmentum novit, contentus eſſe vult; adeoque Sacramenti fructum recipit. Si quopiam, fatentur omnes, eum a peccato propter inculpabilem ſui ſtatus ignorantiam excuſari. An autem tunc recipiat fructum Sacramenti ambigunt Doctores, diuque ambigent. Utriuſque partis momenta breviter proponemus: ſic tamen ut pro ſingulari noſtra in Angelicum Præceptorem reverentia, quam ipſe amplexus eſt, hanc & nos utcumque amplectamur. Unde ſit

Conclusio II. Non improbabile eſt per Euchariſtiam remitti peccatum mortale, tum ei qui ejus citra gravem culpam ſibi conſcius non eſt; *Silvius.* tum & ei qui licet ejus ſibi conſcius ſit, juſta ad communionem neceſſitate urgetur: neque interim eam qua ſola peccatum deleri poteſt, contritionem habet. Ita S. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 12. Durandus, Paludanus, Soto, Silvius hic q. 79. a. 3. Bellarminus Lib. 4. c. 19. Suarez diſp. 63. ſect. 1. aliique apud eum complures, quorum nonnulli opinionem hanc adeo pro certa habent & indubitata, ut in contrariam acriter invehantur: ſed minus æque; cum ex adverſo, nec improbabilibus de cauſis, pugnent viri graves, ut D. Bonaventura, Gerſon, Vaſquez diſp. 205. cap. 4. & 5. Lugo diſp. 12. ſect. 1. Tournely, Habert, &c. Jam Concluſio

Prob. 1. auctoritate S. Thomæ qu. 79. art. 3. ubi hæc habet: *Poteſt hoc Sacramentum operari remiſſionem peccati . . . . . . etiam perceptum ab eo, qui*

qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam & affectum non habet. Forte enim primo non fuit ſufficienter contritus: ſed devote & reverenter accedens conſequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati: atqui, ut bene animadvertit Yſambert hic diſp. 1. hominem *per hoc Sacramentum* recipere gratiam charitatis, quæ contritionem perficit & remiſſionem peccati, nihil aliud eſt, quam eum accipere vi & efficacia Sacramenti cum tali diſpoſitione percepti, gratiam peccati mortalis remiſſivam; & quod iſti diſpoſitioni deerat, ab ipſo Sacramento ſuppleri ad modum, quo novæ Legis Sacramenta interdum dicuntur hominem ex attrito facere contritum; ergo. Yſamb. Tom 2. p. 610.

Prob. 2. ex Tridentino Seſſ. 13. Can. 5. ubi caute proſcribitur Lutheranus error his verbis: *Si quis dixerit.... præcipuum fructum SS. Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum...... anathema ſit:* atqui is loquendi modus virtualiter ſignificat, peccatorum remiſſionem eſſe aliquando & per accidens Euchariſtiæ effectum. Ad quid enim in citato Canone vox *præcipuum*; ſi remiſſio peccati mortalis nunquam ſit aut eſſe poſſit Sacramenti effectus minus præcipuus & per accidens? utique vox ea in adverſatiorum opinione prorſus ſuperflua eſt; quod de Conciliorum definitionibus ſuſpicari non licet.

Prob. 3. ex precibus Liturgiæ, in quibus petimus ut ipſa *communio*, ac proinde Sacramentum, non autem ſacrificium, *purget nos a crimine*; item & ut ſit *ablutio ſcelerum*: atqui verba hæc in ſenſu obvio & naturali, qui ſemper præferri debet, niſi grave quidpiam urgeat in contrarium, ipſam mortalis culpæ abſterſionem exprimunt; non vero vel præcautionem contra futura, tum quia non abluuntur quæ ſolum futura ſunt; tum quia præcautio hæc iis petitur verbis: *Sit fortitudo fragilium*; diſtinctis autem petitionibus, res diſtinctæ poſtulantur; vel liberationem a pœnis peccato præterito debitis; quia ablutio vere & proprie cadit in ſordes, quæ inficiunt eum qui abluitur: ſordes autem animæ ſunt a macula peccati, non a pœnis temporalibus eidem peccato jam condonato debitis; ergo Liturgiæ preces ipſam lethalis peccati remiſſionem ſpectant: jam vero non ſpectant remiſſionem peccati, quod per probationem ab Apoſtolo præceptam expungi poſſit, prout definiit Eccleſia contra Novatores; ergo peccati quod inculpate exciderit e memoria, &c.

Prob. 4. ex Patribus, qui paſſim docent per Euchariſtiæ Sacramentum lavari & mundari animam, extingui peccata, tolli immunditiam cordis, ablui ſcelera; ac demum communionem *eam vim habere ut ſpurcitiem omnem abſtergat*: verba ſunt S. Damaſceni Lib. 4. de orthodoxa fide cap. 14. Atqui verba hæc excluſo, quem ex dictis non ferunt, Lutheri ſenſu, non alio quam noſtro intelligi valent; utpote qui ſolus vim terminis ſuam conſervet. An enim ſcelera purgare dicetur Euchariſtia, quia mundabit a venialibus? an abſterget ſpurcitiem cordis, quia pœnas crimini debitas relaxabit? ergo.

Confirm. 1. ex Cyrillo Alexand. Lib. 4. in Joan. c. 17. ubi Fidelem, qui propter iſtud Davidis: *Delicta quis intelligit*, ad ſynaxim accedere veretur, ſic confirmat & erigit: *Pias, quæſo, cogitationes ſuſcipias, ſtudioſe, ſancteque vivas, & benedictioni*, id eſt Euchariſtiæ *particeps, quæ, mihi crede, non mortem ſolum, verum etiam morbos omnes depellit:* atqui perperam

peram

Digitized by Google

peram & periculoſe docuiſſet Cyrillus, per Euchariſtiam depelli mortem ab homine, qui per *pias cogitationes*, ideſt per legitimum conſcientiæ ſuæ examen ad eam ſe diſpoſuit, nec tamen ſatis delicta ſua intellexit, niſi pro certo habuiſſet, hominem hunc, præmiſſa tali probatione, vi & efficacia Sacramenti hujus accepturum remiſſionem peccati gravis, quod memoriam ejus fugit; ergo & ei perſuaſum fuit remiſſionem peccati mortalis interdum & per accidens eſſe effectum hujus Sacramenti.

Confirm. 2. quia Apoſtolus I. Cor. 11. his verbis: *Probet autem ſe ipſum homo*, &c. docet Euchariſtiam ei qui ſe rite probaverit, non fore venenum, ſed medicinam, proprio ſuo ſtipatam effectu, prout expreſſe docent hunc in locum Theodoretus, & S. Thomas Lect. 7. atqui Fidelis in hypotheſi noſtra non accedit ad Euchariſtiam niſi poſt legitimam ſui probationem. Hæc enim probatio in eo ſita eſt, ut quis conſcientiam ſuam diligenter examinet, ut peccata quæcumque ſua deteſtetur, ut inſuper ea quorum reus eſt, Eccleſiæ clavibus ſubjiciat: porro omnia hæc præſtat Fidelis de quo loquimur; ergo Fidelis ille propriam Sacramenti Euchariſtiæ gratiam recipiet, juxta Apoſtolum, & allatam Patrum expoſitionem; ergo iterum cum gratiam hanc conſequi non poſſit, niſi poſt obtentam lethalis, quo neſciens fœdari ſupponitur, peccati remiſſionem, neceſſum eſt ut peccatum illud eidem per accidens remittatur.

Prob. 5. Sacramenta novæ Legis gratiam conferunt non ponentibus obicem; prout totidem verbis docet Tridentinum Seſſ. 7. Can. 6. de Sacramentis in genere: ſed qui ad Euchariſtiam poſt diligens examen, & præmiſſo ſupernaturali de peccatis dolore accedit, grave, quod perpetravit peccatum, invincibiliter ignorans, non ponit obicem gratiæ; ergo.

Reſpondent vulgo, ipſum peccati ſtatum eſſe obicem gratiæ Sacramenti. Sed male: ſiquidem Tridentinum iis duntaxat gratiam conferri negat, *qui* eidem *obicem ponunt*: vox autem *ponere obicem*, ſonat aliquid quod active ſe habeat: porro in peccatore, non ipſe peccati ſtatus, ſed ſola voluntas active ſe habere poteſt; ergo ipſe quidem peccator gratiæ obicem ponere poteſt, & ponit de facto, cum in peccato ſibi complacere perſeverat; ſed obicem per ſe & immediate non ponit peccatum. Et vero ſi peccatum per ſe ſit obex gratiæ ſacramentali, vel gratiæ ſacramentali ut ſic, vel tali gratiæ, puta Euchariſticæ. Non 1. alioqui infans, qui eſt in vero ſtatu peccati, non conſequeretur gratiam per Baptiſmum, quod falſum eſt. Non 2. ſic enim ſupponitur, non autem probatur, id quod in quæſtione eſt.

At, inquies, nullum novæ Legis Sacramentum obicem ſuum tollit, ſed illum, ut fructuoſe recipiatur, ablatum ſupponit; ergo & Euchariſtia peccati obicem ablatum invenire debet.

R. admiſſo antecedente, quia in ipſis etiam infantibus ante Baptiſmum peccati obex, ut aliena voluntate poſitus eſt, ſic & aliena voluntate retractatus dici poteſt. R. inquam, Euchariſtiam in caſu noſtræ propoſitionis non tollere proprie obicem ſuum, ſed illum ſupponere ablatum; ſicut nec Sacramentum Pœnitentiæ tollit ſuum obicem ab eo, qui cum ſola attritione ex motivo ſupernaturali elicita, peccatum habituale ſibi compatiente, illud Sacramentum recipit. Ita & iiſdem terminis Yſambert. pag. 611.

Obj. 1.

Obj. 1. cum Tournely & aliis paſſim : Effectus Sacramentorum, qui ex ſola Dei voluntate pendent, non aliunde nobis innoteſcere poſſunt, quam ex Scriptura, vel Traditione, aut ratione petita ex ſingulari conditione Sacramenti de quo agitur : atqui ex nullo illorum capitum probari poteſt lethalia peccata per accidens remitti in Euchariſtiæ perceptione. Non ex Scriptura vel Traditione ; quæ econtra docent, hominem, quo fructuoſe ad Euchariſtiam accedat, ſceleris cujuslibet purum eſſe debere, ut patet ex prima noſtra Concluſione. Non etiam ex peculiari Euchariſtiæ natura ; a qua potius contrarium deducitur. Euchariſtia enim a Domino inſtituta eſt per modum cibi & potus : atqui cibus & potus nuſquam dantur in ſuſcitationem mortuorum, ſed tantum viventibus ad conſervationem : unde Euchariſtia primam inter Sacramenta vivorum ſedem habet, ſecundum id Catechiſmi Romani part. 2. nu. 51. *Conſtat, quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodeſt, ita etiam animæ, quæ ſpiritu non vivit, ſacra myſteria non prodeſſe*, &c. *Tournel. Tom. 2. pag. 104.*

R. ad 1. neg. min. cujus falſitas patet ex dictis.

Ad 1. 2. Scriptura & Patres exigunt ut homo ſe rite probaverit, nulliuſque, quantum de ſe eſt, criminis conſcientiam gerat : utrumque porro in hypotheſi noſtra locum habet. Præterea Patres caſum præſentem, utpote qui rarus ſit, vix ſpectant ; ut hinc patet, quod judicium & mortem comminentur iis qui in peccati ſtatu ad ſynaxim accedunt : & tamen, fatente S. Bonaventura, qui mortali culpa ignoranter obſtricti ſacro pane veſcuntur, eumdem nec ad vitam, nec ad mortem recipiunt. Denique e Patribus nonnulli pugnant pro nobis, ut Cyrillus ſupra.

Ad 2. 2. diſt. ant. cibus & potus ſpiritualis non dantur primo & per ſe in ſuſcitationem mortuorum, C. non dantur per accidens, quaſi mortuis nunquam prodeſſe poſſint, N. Itaque fatemur cibum Euchariſticum haud inſtitutum fuiſſe ut primario & per ſe daret vitam ſpiritualiter mortuis : alioqui enim poſſet quis ſciens & volens ad eum accedere, ut ad Pœnitentiam accedit ; quod, & merito, in Novatoribus reprobatum eſt. At negamus, eumdem cibum nuſquam ad vitam prodeſſe iis, qui licet adhuc mortui ad ipſum inculpabiliter accedunt. Si enim gratia habitualis, quæ per Euchariſtiam dari conſuevit, ſpectetur ſecundum ſe, tam de ſe apta eſt ad vivificandum, quam ad nutriendum ; quia idem eſt realiter habitus qui vivificat & nutrit ; ergo realiter vivificabit, quoties nullum actioni ſuæ obicem reperiet ; niſi Chriſtus aliud omnino conſtituerit : porro Chriſtum aliud non conſtituiſſe ſuadet vel ipſa ſumma ejus benignitas ; quin & ſpecies quædam æquitatis : rem enim quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit : quod autem a Sacerdote, qui vel præ malitia non vult, vel ex defectu juriſdictionis non poteſt, minime abſolvar, res eſt quæ mea culpa caret.

Atque hinc patet, non omnino accuratam eſſe corporalis & ſpiritualis cibi comparationem, ſicut nec æqua eſt omnimode, quæ inter mortuos corporaliter & ſpiritualiter inſtituitur. Scilicet enim mortui ſpirituales aliquem vitæ actum, puta attritionem, ex impulſu Spiritus ſancti conceptum habent ; & aliunde cibum Euchariſticum in ſuam ſubſtantiam vitaliter convertunt : contra vero corporaliter mortui nihil jam vitæ habent ; unde cum corporali cibo uti non poſſit, niſi qui eum

vitali actione in propriam ſubſtantiam convertit, ſequitur cibum hunc corporaliter mortuis prodeſſe non poſſe: quod, uti modo dictum eſt, in mortuis ſpiritualibus locum non habet.

Ceterum Euchariſtia vivorum Sacramentum dicitur, non quia nunquam mortuis prodeſſe poſſit; ſed quia ab iis qui ſcienter in habitu mortali verſantur, recipi fructuoſe non poteſt; imo nonniſi *ad judicium* recipitur, ut ait Catechiſmus Romanus, qui proinde in objecto loco de primo Euchariſtiæ effectu loquitur, non de effectu per accidens.

Obj. 2. Sacramenta novæ Legis eos tantum pariunt effectus quos ſignificant: atqui Euchariſtia non ſignificat remiſſionem mortalis peccati; quin potius eam ſupponit, ſicut nutritio vitam in comedente.

R. diſt. min. ut ſtatim, non ſignificat primo, per ſe & directe, C. per accidens, & ſecundario, N. Euchariſtia enim Chriſtum ſignificat ut auctorem gratiæ, quæ, licet de ſe ad nutritionem & augmentum inſtituta, vitam aliquando largiri poteſt. Sic ferme Pœnitentia a contrario gratiam a mortuis ſuſcitantem directe ſignificat, & tamen per accidens gratiam ſecundam ſignificat in iis qui perfecta contritione jam vivificati ſunt. Sic & eadem Pœnitentia per ſe ſignificat abſolutionem a peccatis quæ quis confeſſus eſt, & tamen per accidens ſignificat remiſſionem eorum quæ quis inculpate oblitus fuit.

Inſt. Si Euchariſtia gratiam primam ſignificet, debet eam ex opere operato producere: atqui eo ipſo non ſignificaret eam per accidens, ſed per ſe. Sacramenti enim ſignificatio practica tam late patet, quam ejuſdem Sacramenti operatio; quia cum Sacramentum ſit ſignum ex opere operato effectivum rei per illud ſignificatæ, neceſſum eſt ut ſignificet quidquid ex opere operato producit; ergo ſi Euchariſtia per ſe & ex opere operato primam gratiam producit, debet eam per ſe, non autem ſolum per accidens ſignificare.

Confirm. tunc tantum agens effectum aliquem producit per accidens, quando eum producit contra ſuam intentionem, quæ alio ferebatur; ut cum natura quæ prolem perfectam intendebat, producit monſtrum: atqui Euchariſtia in noſtra hypotheſi non producit mortalis remiſſionem contra intentionem ſuam. Siquidem Euchariſtia omnes ſuos effectus *ex opere operato* producendos vere intendit: atqui juxta nos remiſſio peccati mortalis unus eſt ex illis effectibus; ergo hunc primario, non autem per accidens intendere debet.

Ut ſolvatur difficultas, animadvertendum eſt, modum quo Euchariſtia lethale peccatum remittit varie a variis explicari. Alii enim cenſent Sacramentum hoc non remittere mortalia per ſe & immediate, ſed mediante vera contritione, quam impetrat ejuſdem Sacramenti ſuſceptio: atque in id adducunt hæc S. Thomæ verba: *Forte enim primo non fuit contritus, ſed devote & reverenter accedens conſequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati:* ubi, inquiunt, remiſſio peccati non Sacramento per ſe & immediate, ſed charitati ex occaſione Sacramenti in anima ſuccenſæ attribuitur. Alii plures Sacramentum immediate & vi propria remiſſionem hanc operari contendunt. Neutra expoſitio cum theſi noſtra incompatibilis eſt. Non ſecunda, ut ex terminis liquet. Non etiam prima, quia quod Euchari-

chariſtia non ex opere operato, ſed ex congruitate ſolum & miſericordia peccatum remittat, parvi refert, modo infallibiliter remittat: porro non pauca concedit Deus ex ſola congruitate, quæ certo & infallibiliter concedit, ut docent Theologi ubi de merito. Sed quoniam expoſitio poſterior mage recepta eſt, & clarius traditur a S. Thoma in 4. diſt. 9. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. idcirco eadem ſuppoſita,

R. ad 1. fatendo Euchariſtiam in prædicta hypotheſi remittere mortalia ex opere operato, non autem ex opere operantis: quia quoties opus operantis eſt attritio ſola, toties obtinendæ mortalis peccati veniæ improportionatum eſt: unde ſequitur veniam hanc vi ſola Sacramenti, ac proinde ex opere operato concedi. Sed nego min. Sacramentum enim non ſignificat per ſe, niſi id ad quod primaria Dei inſtitutione conditum eſt: porro primaria Chriſti Euchariſtiam ſancientis intentio fuit ut vitam augeret: etſi præ ſumma ſua benignitate voluerit voluntate ſecunda, ut per hanc aliquando mortuis, nullum ei obicem ponentibus, vitam tribueret.

Ad 2. neg. conſeq. ſi enim neceſſe ſit ut Sacramentum ſignificet id omne quod ex opere operato producit, haud neceſſe eſt ut id per ſe ſignificet. Sic *juxta probabilem ſententiam* Extrema unctio cum attritione dat primam gratiam, licet primario inſtituta ſit ad tollendas peccati jam dimiſſi reliquias. *Lugo d.* 12. *n.* 15.

„ Ad confirm. 1. neg. maj. licet enim aliqui effectus per accidens „ ſint præter vel contra intentionem ſuæ cauſæ, non tamen omnes ſunt „ hujuſcemodi. Unde ad effectum per accidens ſatis eſt ut non ſit ex „ primaria intentione agentis, ſed ex aliqua tantum ſpeciali occaſione, „ quæ in his & iſtis circumſtantiis poſtulat ut talis effectus ponatur a „ tali cauſa tanquam *removente prohibens* productionem primarii ſui ef- „ fectus; ſicque data tali occaſione ſecundario duntaxat intenditur. „ Ita Yſambert. pag. 613.

2. diſt. min. ut toties: non producit contra intentionem ſuam primam vel ſecundam, C. primam ſimpliciter, N. Sacramentum enim, tametſi vero & proprio ſenſu omnes ſuos effectus intendit, eos tamen tantum primario & per ſe intendere dicitur, quos ſecluſis quibuſdam circumſtantiis parere nactum eſt: Euchariſtia porro de ſe nonniſi gratiam nutrientem parere nacta eſt: quod autem aliquando gratiam ſuſcitantem conferat, pendet a quibuſdam circumſtantiis, quarum intuitus, juxta noſtrum apprehendendi modum, non involvebatur in primaria Sacramenti hujus inſtitutione.

Et hæc juxta commune Scholæ placitum dicta ſint: haud enim ſcio grandiſne piaculi reus ſit, qui dicet, Euchariſtiam per ſe inſtitutam fuiſſe ut & vivis ordinarie prodeſſet, & aliquando mortuis; non quidem omnibus, abſit; ſed iis qui poſt debitam ſui probationem, falſa, ſed bona & inculpata fide, credent ſe juſtificatos.

Quæres 1. an in hac noſtra opinione recipiat lethalis ſui peccati veniam. qui nullatenus ejuſdem ſibi conſcius accedit ad Euchariſtiam non præmiſſa contritione vel attritione.

Negant omnes, aut pene omnes Theologi, & teſte Suareſio diſput. 63. ſect. 2. ad hoc ut Euchariſtia primam gratiam conferat, attritionem veram ac ſupernaturalem cum bona fide requirunt; 1. quia ad remiſſionem

peccati requiritur mutatio voluntatis, & culpæ deteſtatio ſaltem virtualis: porro deteſtatio hæc nulla eſt, niſi adſit ſaltem attritio virtualis. Unde qui omiſſo ejuſmodi dolore accedit ad Euchariſtiam, ponit obicem gratiæ, quia non facit id omne quod poteſt & debet; ac proinde novum indignæ communionis peccatum committit. Quod ſi aliquem eliciat doloris actum, quem bona fide veram contritionem exiſtimet, licet ne quidem ſit attritio ex motivo ſupernaturali, tunc neque gratiam recipiet, quia non eſt ſufficienter diſpoſitus; neque novi reus erit ſceleris, quia ab eo per bonam ſuam fidem excuſabitur. Et ſic datur medius ſtatus, quo quis ſine peccato, ſicut & ſine gratia Euchariſtiam recipit; prout agnoſcunt Doctores cum S. Bonaventura. Hæc illi, quæ pro prima parte non parum habent difficultatis: qui enim bona fide putat ſe eſſe ſine peccato, non tenetur ad eliciendum contritionis actum; ergo ſi eum omiſerit, non peccat, nec proinde reus eſt ſacrilegæ communionis; etſi per eam tunc non juſtificetur.

Tſamb. pag. 614. Conclusio III. Euchariſtia directe per ſe & ex opere operato venialia remittit. Ita S. Thomas ibid. art. 4. & ceteri Theologi adeo unanimiter, ut opinio contraria videatur erronea.

Prob. 1. ex Trident. Seſſ. 13. cap. 3. ubi Euchariſtia dicitur ſumi *tanquam antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis:* atqui culpæ quotidianæ venialia ſunt delicta; ergo culpæ illæ per Euchariſtiam, ut per antidotum expunguntur. Antidotum porro ex ſe & ex vi propria operatur.

Prob. 2. quia, ut habet Eugenius IV. in Decreto, Euchariſtia *omnem* in anima *operatur effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo,* REPARANDO *& delectando;* ergo ſicut materialis cibus per ſe & virtute propria id reparat *quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis*, ſic & ſpiritualis cibus id reparare debet *quod quotidie in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia*. Ita S. Thomas.

Prob. 3. quia Euchariſtia a Patribus vocatur *quotidiana medicina*, & *Aug. T. 2. p. 125. 94.* *remedium quotidianæ infirmitatis*, ut videre eſt apud Auguſtinum Epiſt. cap. 3. Ambroſium Lib. 5. de Sacram. cap. 4. atqui non eſt me- *Amb. T. 2. p. 379.* dicina quotidianæ infirmitatis, niſi quia veniales expungit noxas, quibus quotidie inficimur.

Obj. 1. Vel venialia illa retractantur per dolorem de iis conceptum, vel non. Si 1. jam per dolorem illum, utique ab homine juſto elicitum, remittuntur. Si 2. remitti non poſſunt, cum nullum remittatur peccatum niſi retractatum; ergo non remittuntur per ipſam Euchariſtiam.

R. venialia non remitti ſine dolore de iis concepto; tum quia ad remiſſionem cujuſcumque peccati requiritur aliqua mutatio voluntatis; tum quia gratia ſanctificans, undecumque proveniat, per ſe peccata venialia nec phyſice, nec moraliter expellit; cum ſtet hominem, ſimul & juſtum & venialibus peccatis irretitum eſſe poſſe: neque tamen dolori huic, ſed Euchariſtiæ ut plurimum tribuenda eſt venialium remiſſio; quatenus ſcilicet Euchariſtia per actualia auxilia quæ confert ex opere operato, cauſat charitatis fervorem, *ratione cujus venialia peccata tolluntur*, ut docet S. Thomas ibid. ad 1. Et vero dolor de venialibus cum quo Fidelis ad ſacram ſynaxim accedit, plerumque non eſt niſi attritio; hæc autem per ſe

ſolam

Digitized by Google

ſolam venialium remiſſionem non operatur; ergo id quod ei deeſt, per Euchariſtiæ efficaciam ſuppleri debet.

Obj. 2. Euchariſtia non tollit id per quod effectus ejuſdem imminuitur, ſi non impeditur: atqui per peccata venialia, &c.

R. diſt. min. per peccata venialia concomitantia ipſum Euchariſtiæ uſum, imminuitur ejuſdem effectus, C. per peccata præterita, ſubd. per peccata præterita, quæ manent reatu & affectu, C. quæ manent ſolum reatu, N. Itaque fateor Euchariſtiæ effectum imminui per venialia peccata, ſeu quæ ejuſdem Euchariſtiæ ſuſceptionem comitantur, ſeu quibus mens ex affectu adhæret; quia complacentia in peccatis venialibus, aut actualis eorum commiſſio, eſt obex fervori charitatis, ad cujus productionem tendit Euchariſtia. At nego Euchariſtiæ effectum impediri eo tantum quod quis necdum ſit ab omni venialis culpæ reatu ſolutus; tum quia id nullo Scripturæ vel Traditionis momento innititur, ſed econtra, ut patet ex probationibus noſtris; tum quia vix ſanctior quiſpiam Sacra facere præſumeret, cum nemo ſit qui non offendat in multis, pauci vero ſint qui de omnibus perfecte conterantur; tum quia Euchariſtia jam non foret antidotum quo *a culpis quotidianis* liberentur Fideles; hi enim graviter tenerentur eniti, ut ab iiſdem culpis, ſeu per contritionem plenam, ſeu per confeſſionem mundarentur, ante quam ad Sacramentum accederent: quod a nemine hactenus traditum eſt.

Tria hic annotanda, 1. ad id ut Euchariſtia hominem mundet a venialibus, non ſufficere ut is nullum ad ea ſervet affectum, ſed requiri ut aliquem de ipſis attritionis dolorem, ſaltem virtualem in corde gerat. Ratio eſt, quia ad peccati actualis remiſſionem requiritur immutatio quædam ex parte voluntatis, vi cujus id diſpliceat quod placebat antea: atqui hæc voluntatis immutatio ſine aliquo ſaltem attritionis veræ ſenſu ſubſiſtere non poteſt; ergo homo juſtus ſine attritione illa remiſſionem venialis ſui peccati non conſequetur. Unde qui de tribus dolebit ſeu expreſſe, ſeu virtualiter, trium veniam obtinebit, non plurium, quibus adhærere perſeverabit.

2. Euchariſtiam non delere venialia per ſolam gratiæ ſanctificantis infuſionem. Ratio eſt, quia gratia ſanctificans, utpote quæ cum peccatis venialibus conſiſtere valeat, eadem nec phyſice nec moraliter expellit. Et vero gratia ſanctificans quæ confertur per Euchariſtiam, ejuſdem eſt naturæ cum ea quæ ante Sacramenti hujus ſuſceptionem inerat animæ: atqui poſterior hæc gratia venialia ſecum compatiebatur; ergo, &c.

3. Euchariſtiam delere venialia aliquando immediate, aliquando mediate tantum. Immediate quidem, quando ſubjectum a quo eadem recipitur, ſolam habet attritionem de venialibus. Cum enim attritio hæc per ſe ſolam nec venialia remittere, nec charitatis fervorem quo eadem remittantur, operari poſſit; neceſſum eſt ut ea tunc per Sacramentum immediate deleantur. Mediate vero, quando eum in ſuſcipiente parit vel charitatis fervorem, vel contritionis ſenſum, qui cum venialibus compati non poſſit. Neque, ait Yſambert, perfectio hæc Euchariſtiæ deneganda eſt, cum ipſis etiam Sacramentalibus ab Eccleſia ſola inſtitutis conveniat. Utrumque hunc venialia delendi modum tradit S. Thomas hic qu. 79. art. 4. prout obſervat Suares in hunc locum: unde & concludit cum S.Do-

Yſamb. pag. 615.

S.Doctore, hominem nonnunquam eſſe poſſe *aliqua hora abſque omni reatu peccati venialis*, quamvis totam vitam ſine venialibus tranſigere non poſſit.

Grave hic emergit dubium, an & quæ actualis diſpoſitio neceſſaria ſit, ut per Euchariſtiam gratia augeatur.

Et quidem fatentur omnes, 1. ad minus requiri, ut communicans ſit baptizatus: quia ad dignam Euchariſtiæ perceptionem neceſſe eſt ut quis ſit complete myſtici corporis Chriſti membrum: quod non fit per ſolam fidei profeſſionem ſine Baptiſmo; 2. non requiri abſolute actualem devotionem & attentionem. Utriuſque enim incapaces ſunt parvuli, amentes item & rationis uſu deſtituti; & hi tamen omnes Euchariſtiam fructuoſe olim perceperunt, & hodieque, niſi obſtaret Eccleſiaſtica lex, percipere poſſent. Unde non eadem eſt cibi ſpiritalis conditio, quæ corporei: is enim cum in aliti ſubſtantiam converti debeat, aliquam viventis actionem poſtulat; ille vero cum alitum convertat in ſe, nihil in eo præter ſpiritalem vitam requirit.

Tota igitur quæſtio in eo eſt, an ut per Euchariſtiam augeatur gratia, opus ſit pia quadam & actuali diſpoſitione, quæ & culpam omnem venialem ab ipſo communionis actu excludat, & aliquem devotionis ſeu honoris ſenſum importet: adeo ut ſi quis vel cum aliquo inanis gloriæ motu, vel voluntarie diſtractus communicet, is nullum ex Euchariſtia fructum recipiat.

Affirmant plures, præcipue vero S. Thomas in 4. diſt. 12. q. 2. art. 1. quæſt. 3. Alenſis 4. part. q. 41. memb. 3. art. 2. S. Antoninus 3. p. tit. 13. c. 6. §. 8. D. Bonaventura diſt. 12. art. 2. q. 1. Durandus q. 4. ad 2. Cajetanus in 3. part. S. Thomæ q. 79. art. 1. ubi ait oppoſitam ſententiam demulcere quidem aures multitudinis innumerabilium Sacerdotum, quotidie aut frequentiſſime celebrantium, ſed non eſſe veram. His conſentiunt alii, nec pauci, nec ignobiles: ex his tamen nonnulli ad hoc ut Euchariſtia proprium ſuum effectum pariat, ſolum exigunt ut homo in ipſa Sacramenti ſuſceptione non peccet actu etiam venialiter: non credunt autem opus eſſe alia ulla actuali diſpoſitione poſitiva, niſi quatenus hæc neceſſaria eſſe poteſt ad vitandum quodlibet actuale peccatum: unde iidem ad communionis effectum attentionem & pium cordis motum requirunt; quia neutrum ſine culpa in tanti myſterii contrectatione omitti poteſt. Ita Marſilius in 4. qu. 6. art 4.

Probant 1. quia haud probabile eſt iis augmentum gratiæ conferri,
Tom. 7. pag. 68. qui Euchariſtiam recipiunt indigne: atqui ex S. Bonaventura Lib. de præparat. ad Miſſam cap. 5. indigne recipiunt, qui recipiunt indevote; 2. quia
*P. 1880. SS. PP. ut Baſilius Lib. 1. de Bapt. ſub finem, Chryſoſtomus * Homil. 19. in cap. 10. Epiſt. ad Hebræos, & alii paſſim, a communione retrahunt, non eos ſolum qui ſunt in peccato mortali, ſed & eos etiam qui accedunt indevote: atqui haud retrahendi forent, ſi revera in eo ſtatu augmentum gratiæ conſequerentur. Ut quid enim tanto priventur bono, qui eidem idonei ſunt; 3. quia, ut bene arguit Cajetanus, opinioni contrariæ adverſatur experientia. Multi ſiquidem Sacerdotes quotidie in ſtatu gratiæ ſacra faciunt, qui proinde magnum ſibi charitatis cumulum comparare deberent, ſi habitualis juſtitiæ ſtatus ſufficeret ad augmentum de quo loquimur: atqui frequentiori compertum eſt experimento, Sacerdotes

dotes illos haud creſcere in gratia. Charitas enim, utpote nihil minus quam otioſa, ſe ſe certis & crebris prodit indiciis, quorum apud prædictos nec vola eſt nec veſtigium; ergo. 4. quia fieri nequit, ut idem homo ſimul creſcat in gratia & peccet venialiter: atqui id contingeret in oppoſito ſyſtemate. Quin & creſceret in gratia per ipſummet peccati venialis actum; cum ipſa Sacramenti receptio, ſeu ex fine venialiter malo fiat, ſeu annexam habeat voluntariam mentis evagationem, ſit veri nominis peccatum: atqui abſurdum conſequens.

His non obſtantibus docent alii numero plures cum Yſamberto ibid. Concl. 2. peccatum veniale concomitans actu ſumptionem Euchariſtiæ non impedire gratiæ augmentum, licet impediat ne fervor gratiæ conferatur, vel dulcedo hujus cibi percipiatur. Idem tenent Suares diſp. 63. ſect. 5. aliique apud ipſum multi, quibus tandem adhæret Tournelyus pag. 108. adhæremus & nos, quia opinio hæc jam apud omnes omnium ordinum Theologos communis ſit, prout animadvertit Gonet hic diſp. 8. art. 3. *Tom. 2. pag. 617.*

Probatur autem 1. expreſſa auctoritate S. Thomæ qui q. 79. ſic loquitur: *Effectus hujus Sacramenti non ſolum eſt adeptio ſpiritualis gratiæ, vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis; quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum, per peccata venialia mente diſtractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ & charitatis.* Ubi S. Doctor aperte retractat id quod forte contra ſcripſerat in 4. ſent.

Prob. 2. idem eſto judicium de communione omni, quæ propter circumſtantiam leviter malam ſuo poſſit effectu privari, ac de ea quam quis recipit cum aliquo inanis gloriæ ſenſu, eo quod ſentiat ſe propterea a Superioribus ſuis pluris quam alios æſtimatum iri: atqui nihil eſt cur communio iſthæc omni prorſus effectu privari dicatur. Communio enim niſi vere & proprie indigna ſit, totali ſuo effectu privari non poteſt: atqui communio in præſenti caſu vere & proprie indigna non eſt. Communio enim hominis vere & intrinſece juſti vere & proprie indigna eſſe nequit; cum indigna communio grande ſit hominis ſceleſti flagitium, ut patet ex ſupra dictis: atqui prædicta communio eſt hominis vere & intrinſece juſti. Qui enim ante eum, quem ſupponimus, inanis gloriæ ſenſum juſtus erat, nec propter eum excidit a juſtitia, vere juſtus eſt, dum recipit corpus Chriſti: atqui is de quo loquimur, & ante ſuum inanis gloriæ motum juſtus erat, ex hypotheſi; & propter eumdem vanitatis ſenſum a juſtitia excidere non potuit. Levis enim in Sacramentum injuria non magis a juſtitiæ ſtatu deturbat, quam levis injuria in Deum: atqui hæc non, ut fatentur omnes; ergo nec illa.

Et vero cum is qui ad ſacram accedit ſynaxim, aliquem ex ipſa fructum intendere debeat, vix cuiquam in opinione noſtræ contraria communicare licitum erit. *Quam paucis enim ſunt adeo puri & recti, perfectoque Dei amore purgati, ut careant omni prorſus affectu inordinato* etiam *actuali! quam pauci ſine aliqua diſtractione, aut levi negligentia, vel irreverentia veniali communicant!* *Gonet ib. nu. 50.*

Prob. 3. quia Sacramenta, utpote quæ agant per modum cauſæ naturalis, effectum ſuum producunt, quoties non inveniunt obicem: atqui carentia devotionis, aut irrepens culpæ levis circumſtantia non ponunt obicem augmento gratiæ. Si enim ponerent obicem, deberet aliqua inter

augmentum gratiæ & culpam venialem eſſe oppoſitio: atqui hoc non. Vel enim oppoſitio illa peteretur ex ipſa rei natura, vel ex ſingulari Chriſti inſtitutione: atqui neutrum dici poteſt.

Non 1. 1. quia quod non impedit ne homo primam gratiam conſequatur in Baptiſmo aut Pœnitentia, impedire non debet ne ejuſdem augmentum recipiat in Euchariſtia: atqui venialis culpa non impedit ...... prout omnes fatentur teſte hic Suareſio; 2. quia haud major eſt oppoſitio inter augmentum gratiæ & noxam venialem, quam inter ſubſtantiam gratiæ, & eamdem noxam; ergo ſicut in facto eſſe ſtat gratia ſanctificans cum peccato veniali; ſic & cum eodem ſtare poteſt gratia in fieri, quoties efficax ejuſdem gratiæ cauſa applicari poteſt; 3. quia ſi noxa venialis impediat ne res quæ ex opere operato agit, effectum ſuum producat, impediet a fortiori ne opus de ſe meritorium ex ſolo opere operantis, eumdem pariat effectum; ſicque opus quodcumque, veniali modo culpæ immiſtum, a bonitate ſua, proinque & a merito excidet: atqui id communiori ſimul & probabiliori Theologorum ſententiæ adverſatur, prout olim cum Contenſonio probavimus Tract. de Actib. hum. cap. 4. art. 2. ſect. 2. concl. 2. ergo.

Pag 671. edit. 3.

Non 2. tum quia nullum extat hujus inſtitutionis in Scriptura & Traditione fundamentum, citra quod tamen res tam gravis aſtrui non debet; tum quia inſtitutio hæc haud ſatis humanæ fragilitati attemperata fuiſſet; quia venialis culpa facile committitur, nec proinde decuiſſet ut per eam fructus Sacramenti hujus impediretur; tum denique quia ſi veniale peccatum eſſet obex Euchariſticæ gratiæ, jam convenientius foret, eum qui cum tali obice ad communionem accederet, reum facere lethalis peccati, quam venialis duntaxat: quandoquidem ponere obicem primario Sacramenti effectui gravis ſit irreverentia, gravis & abuſus Sacramenti: atqui tamen iſta hæc lethalis peccati in præſenti caſu ſuſpicio *eſt contra mentem omnium Auctorum, qui de hac materia ſcripſerunt*, ut advertit Suareſius, cui in hoc fides haberi poteſt; ergo.

Nec graviter obſunt alterius opinionis momenta.

Ad 1. itaque neg. min. etſi enim qui ſine actuali devotionis ſenſu Euchariſtiam recipit, eamdem recipiat minus digne, non tamen, ſi proprie loquaris, eamdem indigne recipit. Vera enim & poſitiva indignitas oritur ex ſtatu mortalis peccati, quem levis indevotio per ſe non inducit.

Ad 2. neg. min. merito enim a frequentiſſima communione, quæ Baſilii & antiquiorum tempore, ſaltem apud plures erat in uſu, retrahuntur qui ad eam ſegniter & tepide accedunt: 1. quia ſic cautiores & vigilantiores efficiuntur; 2. quia his timendum eſt ne ex indevotione negativa tranſeant ad poſitivam; & e faſtidio ad familiaritatem quæ contemptum parit; 3. quia, ut alibi fuſius oſtenſum eſt, plus ex una communione undecumque perfecta, quam ex languidis pluribus capitur emolumenti.

Ad 3. 1. vereri eſt ne Sacerdotes multi ex iis ſint qui nomen habent quod vivant, dum interea mortui ſunt. Certe Concluſio noſtra plus de iis procedit, qui interdum in uſu Sacramenti leviter delinquunt, quam de iis quibus pene quotidiana ſit ſpecies quædam indevotionis; 2. non deſunt quidem Sacerdotes qui imperfecte vivant, ſed nec deſunt ex iis plures, qui

ad

ad graviora quæque propenſi, certam contra peccatum in ſemetipſis virtutem experiantur, quam ſibi, cum a celebrando diu abſtinent, deeſſe ſentiunt. An porro nihil eſt quod ad vitia proni a vitiorum actibus temperent; 3. demum, ut bene Suarez, conſtat habitus infuſos eorumque augmentum non poſſe experientia cognoſci, quia per ſe & formaliter nec paſſiones mortificant, nec vitiorum habitus excludunt, nec venialia peccata removent, nec auferunt difficultatem ex actibus vitioſis relictam, ſicut habitus acquiſiti: ad hos enim effectus neceſſum eſt ut gratia & charitas proxime operentur per auxilia actualia, quæ Miniſtris haud devote celebrantibus denegantur.

Notandum tamen cum Goneto ead. diſp. n.58. eos qui frequentius tepide celebrant, *merito & cum maximo fundamento vereri debere ne ſint in ſtatu pecccati mortalis, maxime ſi fere nunquam ferventer ad hoc Sacramentum accedant. Quod ſi quis ex formali intentione vellet cum tepore & diſtractione ad illud accedere, dicit* Nugno *talem peccare mortaliter, propter nimium contemptum tanti Sacramenti*.

Ad 4. neg. maj. ut enim quis ex una parte aliquid gratiæ percipiat, dum ex alia parte venialiter delinquit, ſufficit ut circumſtantia venialiter mala actui bono adveniens totam ejus bonitatem non auferat; ſic enim nec omne illius meritum delet: atqui rem ita eſſe probavimus in Tract. de Actibus humanis ubi ſupra; ergo.

Ad confirm. diſt. min. abſurdum eſt quod quis creſcat in gratia per actum malum, tanquam principium meriti, C. tanquam conditionem phyſicam, qua poſita res quæpiam operatur ex opere operato, N. Itaque gratia Euchariſtica non augetur per ipſam communicantis indevotionem; abſit: ſed augetur per ipſum Sacramentum, quod ex opere operato agit prout nullus occurrit obex qui effectui ejus adverſetur. Ceterum actio quæ una & ſimplex videtur, adeo quandoque duplex eſt, ut ex parte bona ſit, ex parte vero nonnihil vitioſa, prout citato jam Tractatu oſtendimus. Hæc autem doctrina non procedit de actione *ex* peccato, ſeu malo fine elicita; ſed de ea tantum quæ *cum* peccato fiat, ſeu quæ mala quadam circumſtantia vitietur. Unde peccat objectio quatenus finem venialiter malum, primarium ſcilicet, cum voluntaria mentis diſtractione, quæ concomitanter ſe habet, confundit.

CONCLUSIO III. Euchariſtia, prout etiam eſt Sacramentum, pœnam peccatis debitam non remittit, *directe ex vi Sacramenti*; remittit tamen ex conſequenti & *ex quadam concomitantia*. Ita S. Thomas ead. q.79. art.5. & alii communiter.

Prob. 1. pars: Sacramentum non facit directe & ex opere operato niſi id a quo inſtitutum eſt: atqui Euchariſtia haud inſtituta fuit ad remiſſionem pœnæ temporalis peccatis debitæ: 1. quia quod Euchariſtia hunc in finem inſtituta fuerit, nec ex Scriptura, nec ex Patribus aut Conciliis deduci poteſt; 2. quia ex iiſdem fontibus conſtat Euchariſtiam directe inſtitutam fuiſſe ut ſpiritalem cibum, qui gratiam & fervorem charitatis adaugeat, ſeu, ut loquitur S. Thomas, *ad ſpiritualiter nutriendum*, *non* autem *ad ſatisfaciendum*, prout inſtituta eſt Pœnitentia; 3. quia ea dumtaxat per Euchariſtiam remitti poſtulant, quæ prohibent ne anima cum Chriſto per charitatem uniatur: Euchariſtia enim ad hanc unionem directe

& pri-

Digitized by Google

& primario inſtituta eſt: atqui pœnæ temporales peccatis debitæ nullam cum unione iſta, vel fervore charitatis repugnantiam habent; uti vel in ipſo Chriſto patet, qui temporalibus peccatorum noſtrorum pœnis, ſponte licet, obnoxius fuit, & tamen pleniſſima ſemper charitate perfuſus; ergo.

Confirm. Euchariſtia prout eſt ſacrificium vim habet Deo ſatisfaciendi, ac proinde pœnarum condonationem obtinendi, prout ſuo loco dicemus; ergo haud neceſſe fuit eam quatenus eſt Sacramentum, ad finem hunc ordinari.

Prob. 2. pars: Quod confert fervorem charitatis, ex conſequenti confert id quod, juxta ſolitas providentiæ leges, charitatis fervorem conſequitur: *Quod enim eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati*. Atqui Euchariſtia dat fervorem charitatis, quo excitatur homo ad exercendos virtutum etiam pœnalium actus, quibus pro peccatis ſatisfieri, ac proinde pœnæ iiſdem debitæ condonatio obtineri poſſit; ergo.

Neque tamen tota pœna peccato debita per Euchariſtiam remittitur, ſicut remittitur per Baptiſmum: alioqui nec fideli ad ſynaxim acceſſuro ulla deberet injungi ſatisfactio, ſicut baptizato non injungitur; nec qui Euchariſtia munitus e vivis excederet, indigeret Eccleſiæ ſuffragiis, ut a purgantibus damnis liberaretur: quæ duo erronea ſunt, & a communi Doctorum ſenſu penitus aliena, ait Gonet diſp. 8. n. 10.

Obj. 1. Euchariſtia ex dictis remittit tum venialia per ſe, tum & mortalia per accidens: ſed quod remittit peccatum, ſimul etiam aliquid pœnæ temporalis eidem debitæ remittit, pro diſpoſitione illius cui tale peccatum remittitur, ut non raro docent Theologi in Tract. de Pœnit. ergo.

Yſamb. p. 616. Reſpondet Yſambert hic diſp. 1. art. 7. concedendo totum: unde duo docet, 1. Euchariſtiam ex opere operato remittere pœnas peccatis quæ per ipſam remittuntur, debitas; 2. eamdem temporales ceterorum delictorum pœnas non remittere, niſi quatenus charitatis fervorem reſtituit, & ad plures actus de ſe ſatisfactorios inclinat. Juxta hæc, quibus enucleandis vacare nunc non licet, præcedens noſtra Theſis nonnulla indiget modificatione.

Obj. 2. Non minor eſt Euchariſtiæ vis quam Baptiſmi: atqui Baptiſmus per ſe & directe pœnam totam remittit.

R. diſt. maj. non minor eſt Euchariſtiæ virtus, ſed alius eſt finis, C. & idem eſt finis ejus quam Baptiſmi, N. *Sacramentum Baptiſmi*, ait hic S. Thomas art. 6. ad 1. *ordinatur ad remiſſionem pœnæ & culpæ.... quia Baptiſmus datur homini, quaſi commorienti Chriſto; Euchariſtia autem quaſi nutriendo & perficiendo per Chriſtum*. Euchariſtia igitur de ſe non niſi per modum cibi operari poteſt, adeoque aliud directe non poteſt, quam ſpiritualiter nutrire, ad quod pœnæ temporalis remiſſio non pertinet.

Conclusio IV. Euchariſtia a futuris peccatis præſervat.

Prob. 1. ex Scriptura: Joan. 6. v. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; ergo per panem hunc munimur contra lapſus, qui impedirent ne in æternum viveremus.

Prob. 2. ex SS. Patribus: Ambroſius Serm. 8. in Pſal. 118. ſic hortatur: *Corpus edas Domini Jeſu, in quo remiſſio peccatorum eſt, poſtulatio divinæ reconciliationis & protectionis æternæ*.

Chry-

Chryſoſtomus Hom. 46. in Joan. *Myſticus ſanguis dæmones procul pellit, cum enim Dominicum ſanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur.*

Cyprianus Epiſt. 54. *Non eſt idoneus ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium; quia mens deficit, quam recepta Euchariſtia non erigit & accendit.* Pag. 76.

Tridentini Præſules Seſſ. 13. cap. 2. Euchariſtiam ajunt eſſe *antidotum, quo a mortalibus præſervamur*: atqui Sacramentum quo mens protegitur divinitus, quo dæmones procul pelluntur, quo Chriſtiani ad pretium contra ſalutis hoſtes armantur, præſervat a mortalibus.

Prob. 3. ratione S. Thomæ, quæ ſic proponi poteſt: Eadem ratione præſervatur anima a mortali peccato, qua corpus a futura morte: atqui corpus præſervatur dupliciter a morte, 1. cum ab eo arcentur interiora corruptionis principia; 2. cum adverſus exteriores hoſtis impetus munitur. Jam vero Euchariſtia utrumque hunc parit effectum in anima fideli: 1. enim munit contra internum peccati fomitem, concupiſcentiam nimirum, funeſtam corruptionis radicem. Euchariſtia enim nutrit per charitatem: atqui, ut belle Auguſtinus Lib. 83. qq. qu. 63. *Nutrimentum charitatis eſt diminutio cupiditatis.* 2. munit & contra omnes hoſtis antiqui impetus; tum quia, ut docet citata Homilia Chryſoſtomus: *Ab illa menſa diſcedimus ut leones flammam ſpirantes diabolo facti divina virtute terribiles*; tum quia Euchariſtia exhibet Chriſti mortem, per quam victi ſunt dæmones; tum quia jus præbet ad auxilia gratiæ actualia, quibus dæmonum inſultus propelluntur, ſecundum id Eccleſiæ: *Bella premunt hoſtilia: da robur, fer auxilium.* Tom. 6. p. 13. E.

Obj. Si Euchariſtia vim habet præſervandi a mortalibus, habet & vim dandi, tum perſeverantiam, tum adeptionem gloriæ: atqui falſum conſequens.

R. neg. min. *Si quis* enim, ajebat ſupra Veritas; *manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*: atqui hæc quæ eſt gloriæ vita, perſeverantiam præſupponit. Atque hinc Euchariſtia comparatur cibo illi, cujus *in fortitudine ambulavit Elias quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Oreb.* De his plura & pia videris apud Gonetum diſput. 8. n. 8. & ſeq. pag. mihi 283.

Inſt. Si res ita ſe habent, qui vel ſemel Euchariſtiam digne perceperit, nunquam peccabit lethaliter: atqui conſequens hæreticum eſt, prout declarat Auguſtinus Lib. 21. de Civ. cap. 25.

R. neg. maj. *Effectus* enim *hujus Sacramenti recipitur in homine ſecundum hominis conditionem...... homo autem in ſtatu viæ eſt hujus conditionis, quod liberum arbitrium ejus poteſt flecti in bonum & malum: unde licet hoc Sacramentum, quantum eſt de ſe, habeat virtutem præſervativam a peccato*, & conſequenter perſeverantiæ inductivam, *non tamen aufert poſſibilitatem peccandi.* Ita S. Thomas cit. qu. 79. art. 6. ad 1. Unde Euchariſtia dat quidem vires, queis adjutus homo & a lethalibus cavere, & in bono conſtanter progredi poſſit; ſed quæ ab eo ſæpius, proh dolor! miſere abjiciuntur. Et vero Euchariſtia ignis eſt multiplex: quoti autem *diabolico quodam miraculo* tot inter ignes miſere frigeſcunt, ut jam tempore ſuo querebatur Chryſoſtomus.

CONCLUSIO V. Euchariſtia non in anima ſolum operatur, ſed & in corpore.

Prob. Quod minuit fomitem peccati, qui eſt in membris noſtris, quod-

que

Digitized by Google

que corporis noſtri reſurrectionem & immortalitatem promovet, illud in ipſo etiam corpore nonnihil operatur: atqui Euchariſtia utrumque præſtat: 1. enim *licet non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam conſequentia, in quantum auget charitatem*, cujus augmentum ex Auguſtino ſupra *eſt diminutio cupiditatis*. Ita S. Thomas eod. art.6. ad 3. Et vero de Euchariſtia intelligitur id Zachar. 9. *Quid eſt bonum ejus, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines:* porro virginitas in carnis moderatione conſiſtit; 2. Euchariſtia glorioſam corporis reſurrectionem & immortalitatem ſuo modo operatur. Nam 1. id utcumque indicat Chriſtus Joan. 6. his verbis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſio die;* 2. id aſtruunt SS. Patres, quorum alii, ut Nicæni Præſules, Euchariſtiam vocant *ſymbolum reſurrectionis;* alii, ut Ignatius Epiſtol. ad Epheſ. *pharmacum immortalitatis;* alii, ut Cyrillus Alexandrinus Lib. 4. Joan. cap. 16. *cibum nutrientem ad immortalitatem & vitam æternam*. Quibus pulchre concinit iſtud Irenæi Lib. 4. contra hæreſ. cap.34. *Corpora noſtra percipientia Euchariſtiam jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.*

Quomodo autem Euchariſtia immortalitatem corporum operetur, non una eſt explicandi ratio: placet præ ceteris Suareſii expoſitio, nempe quod *licet* per Euchariſtiam *non conferatur corpori donum aliquod, quod ei ratione gratiæ & gloriæ non debeatur, dabitur tamen proprio & ſpeciali titulo, ſcilicet propter ſpecialem cunjunctionem cum Chriſto factam per hoc Sacramentum..... unde qui non ſuſcipiunt hoc Sacramentum, vel qui ante inſtitutionem ejus vixerunt, non equidem privabuntur aliqua perfectione gloriæ animæ vel corporis, ſi alias perfectione gratiæ & charitatis non ſint inferiores: at privabuntur ſpeciali illo titulo, quia ſcilicet non dabitur eis gloria propter ſpecialem promiſſionem factam huic Sacramento; quod parum vel nihil refert ad perfectionem gloriæ: quamquam fortaſſe aliquod accidentale gaudium poſſit inde accreſcere his, qui reipſa hoc Sacramentum ſuſcipiunt, non vero in aliis, etſi voto & deſiderio illud ſuſcipiant: quia ille ſpecialis titulus fundatur in ſacramentali & reali conjunctione inter Chiſtum & eum qui digne communicat. Unde hic effectus ſub hac ratione eſt proprie ſacramentalis (& veluti effectus ex opere operato) qui non ſolet conferri per ſolum votum Sacramenti*. Hactenus & pene in terminis idem Doctor, quem conſule diſp.64. ſect.2.

Conclusio VI. Euchariſtia non prodeſt aliis ex opere operato. Ita S. Thomas ibid. art.7.

Prob. 1. quia Chriſtus Euchariſtiam inſtituit per modum cibi & potus: atqui cibus & potus non aliis proſunt quam ſumentibus; ergo.

Prob. 2. Si Euchariſtia aliis prodeſſet quam ſumentibus, vel remittendo pœnam, vel gratiam ſanctificantem conferendo, vel tribuendo gratias actuales: atqui non prodeſt, 1. remittendo pœnam, cum hanc ne ipſis quidem ſumentibus directe remittat: Et ſi his remitteret, non tamen aliis; quia Sacramentorum effectus tribuitur ut proprium illius a quo ſuſcipiuntur bonum ac privilegium, quod proinde aliis impertiendi facultatem non habent. Non etiam 2. conferendo gratiam ſanctificantem: alioqui poſſet dormientis, cujus in gratiam multi communicarent, ſanctitas mirum in modum excreſcere; quod Chriſtianæ aures non ferunt,

Non

Non 3. tribuendo gratias actuales; tum quia effectus ille proprius eſt Euchariſtiæ in ratione ſacrificii ſpectatæ; tum quia effectus non excedit promiſſionem: porro promiſſio gratiæ Euchariſticæ, ſeu actualis, ſeu intenſive ſanctificantis, non reſpicit niſi ſuſcipientem, juxta illud: *Qui manducat me, vivet propter me. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. In me manet, & ego in eo.*

Dixi: *ex opere operato:* quia communio prodeſſe aliis poteſt, viventibus quidem per modum meriti de congruo, aut impetrationis; defunctis vero per modum ſuffragii. Communio enim duo habet, 1. quod ſit actus religionis; 2. quod excitet charitatis fervorem. Porro actus religionis de ſe ſatisfactorius eſt ex opere operantis, non pro eo tantum a quo elicitur, ſed & pro aliis, quod etiam exigit Communio Sanctorum, quam in Symbolo profitemur. Actus vero charitate fervens facile erumpit in orationes, quæ Deo in proximi gratiam oblatæ, eidem efficacius ſuffragantur.

Ex quibus colliges, merito proſcriptum eſſe a ſacra Congregatione Tridentini Concilii interprete ſub Alexandro VIII. quoddam Theophili Raynaudi Opuſculum, quo communio pro mortuis facta reprobabatur tanquam *pia fraus, eſca falſi fructus, ſtropha prætextu pietatis tectoria falſitatis*. Communio enim licet defunctis non proſit ex opere operato, ſeu præciſe quatenus eſt Sacramentum; & ſic nec pro illis nec pro vivis applicari magis debeat, quam alia Sacramenta; prodeſt tamen ex opere operantis, tum ratione ſui ut actus pietatis, tum ratione precum, quæ eamdem præcedunt, ſtipant, ac ſubſequuntur, & ejus occaſione fervent magis, magiſque Deo acceptæ ſunt. Deinde quis ferat communionem Matrimonio comparari, vel potius poſtponi ab Auctore, eumque mirari quod Fideles ad nuptias pro mortuis ineundas non adhortemur? Habet ſane intempeſtiva hæc comparatio quod pias aures offendat, & præ ridiculo ſcandalizet.

Conclusio VII. Euchariſtia effectum ſuum non parit, ſeu cum ore tantum excepta eſt, ſeu cum tranſit per guttur, ſed in inſtanti completæ manducationis, id eſt, cum ex gutture trajecta eſt ad ſtomachum.

Prob. 1. pars contra Becanum hic cap. 22. qu. 6. num. 2. Gratia Euchariſtica non producitur niſi per Euchariſtiæ uſum; & is quidem uſus in manducatione poſitus eſt, ſecundum id Chriſti: *Qui manducat meam carnem.... habet vitam æternam:* atqui cibus haud proprie manducatus dicitur, cum excipitur ore; tum quia expui poteſt; tum quia ubique receptum eſt ut nihil cibi ſumere dicatur infirmus, qui nullam alimenti partem deglutire poteſt; ergo.

Prob. 2. pars contra Suarem: Promiſſio gratiæ iis tantum facta eſt, qui cibum hunc manducaverint; idque convenienter, quia cibus non prodeſt niſi vere comeſtus: atqui cibus necdum vere comeſtus dici poteſt, cum gutturis ſuperficiem tangit, & necdum pertranſiit fauces; ergo.

Prob. 3. pars: Cum ſpecies jam ad ſtomachum trajectæ ſunt, completum eſt id omne quod circa Euchariſtiæ uſum præſcripſit Chriſtus: *Accipite, manducate, bibite*; cetera enim, ut digeſtio, & converſio in ſubſtantiam viventis, ſub præceptum cadere non poſſunt, utpote quæ non ſubjaceant hominis arbitrio: atqui tunc demum haberi debet

Eucha-

Digitized by Google

Euchariſtiæ effectus, cum completum eſt id omne quod circa uſum ejus præſcriptum eſt a Domino; ergo.

Obj. Joan. 6. *Qui manducat me, vivet propter me*: atqui in uſu communi, qui cibum ore mandit & dentibus, manducare dicitur; ergo.

R. diſt. min. dicitur manducare incomplete, C. complete & ad ſenſum Chriſti. N. vult enim Chriſtus eam manducationis ſpeciem, vi cujus caro ejuſdem vere ſit cibus: atqui non ſumit vere cibum, qui hunc duntaxat ore ſuſcipit. Alioqui enim cenſeretur manducaſſe, qui rem, ſeu integram, ſeu dentibus comminutam, ex ore extraxiſſet; ergo.

Inſt. Eſto ad communis cibi manducationem requiratur ejus in ſtomachum trajectio; at hæc ad manducationem Euchariſtiæ requiri non poteſt. Alioqui enim requireretur etiam ut Euchariſticæ ſpecies in ſtomacho corrumperentur; cum non aliter nutriat cibus corporalis: atqui ſupra fatebamur haud neceſſariam eſſe hanc ſpecierum alterationem; ergo.

R. ad 1. nego ant. ad 2. neg. maj. ideo enim requiritur cibi corporei corruptio, quia ut is nutriat, neceſſum eſt ut in aliti ſubſtantiam convertatur, ad quod prærequiritur ejuſdem alteratio: at vero Euchariſtia nutrit per converſionem aliti in ipſam; ergo neceſſum eſt ut agat, proindeque ut exiſtat: non exiſtit autem, cum ſpecies alteratæ ſunt.

Unde colliges haud receptum iri Euchariſtiæ effectum 1. ab eo qui receptas ore ſpecies expueret, non valens eas propter aliquam naturæ infirmitatem deglutire: quia is etſi comedere intendit, reipſa tamen non comedit corpus Chriſti; 2. nec ab eo qui tamdiu Hoſtiam retinet in ore, ut ante corrumpantur ſpecies, quam deglutiantur: neque enim is Hoſtiam manducaſſe cenſetur: Atque hinc forte vetant Canones, ne iis detur panis ſacer, qui eum deglutire non poſſunt. Ita Gonet diſp. 8. n. 38. Juenin qu. 7. cap. 2. Habert cap. 19. q. 6. & alii vulgo Doctores, a quibus perperam recedit Gibert Tom. 4. Conſult. 17. 3. nec ab eo cujus in ſtomachum ab Angelo injiceretur Euchariſtia; quia & hic deeſſet manducatio. Hic tamen ſpecialem gratiam, quæ manducationi ſuppleret, nemo non facile ſuſpicabitur.

At gratiam recipiet, qui, ut par eſt affectus, ſpecies ore receptas trajicit, trajectaſque evomit paulo poſt: is enim non digerit equidem, ſed vere manducat, cum manducationem ſupponat vomitus: porro effectus Sacramenti pendet a manducatione, quæ independenter a digeſtione completa eſſe poteſt.

Quæres an majorem ex opere operato gratiam recipiat, qui quamdiu ſpecies retinet in ſtomacho, novos ac vividiores charitatis aliarumque virtutum erga Chriſtum præſentem actus elicit.

Negant non pauci quos ſequitur Jueninus ubi ſtatim. *Hæc* tamen *opinio, quæ olim male audiit, jam hodie communiter recipitur*, ut obſervat Lugo diſp. 12. ſect. 2. nu. 46. eamque Cajetanus, Gonet, & alii plures tenent, non ut omnino certam, cum res tota a Chriſti voluntate pendeat, quæ ex verbo Dei clare non colligitur; ſed ut valde probabilem: 1. quia Euchariſtia, utpote per modum cibi inſtituta, eoſdem in anima parere debet effectus, quos materialis cibus in corpore, prout docet Synodus Florentina: atqui materialis cibus, quamdiu in ſtomacho permanet, & caloris naturalis actionem experitur, corpus nutrit atque corroborat; ergo

pari

pari ratione corpus Chriſti, quamdiu in ſumente perſeverat, nutrit & adauget animæ gratiam, ſi homo ſupernaturali virtutum calore ad eum effectum ſe ſe diſponat; 2. quia cum Chriſtus ſit lux mundi, & totius gratiæ fons, rationi congruum videtur, ut quamdiu ſacramentaliter manet in anima, eamdem paſcat & illuminet, ſecundum id Joan.3. *Quamdiu in mundo ſum, lux ſum mundi;* 3. quia opinio hæc præterquam nihil habet abſoni, id habet quod Fideles ad iterandos, poſt Sacramenti ſumptionem, fervoris & omnimodæ pietatis actus inflammet.

Obj. 1. Effectus Euchariſtiæ promittitur manducanti, Joan.6. atqui dum ſpecies in ventriculo ſuperſunt, non eſt manducatio.

R. diſt. maj. promittitur ratione cibi, C. ratione manducationis ſolius, N. hæc enim mera eſt conditio, & quædam applicatio cibi, qui tamdiu actionem ſuam exercere debet, quamdiu eidem favent piæ mentis diſpoſitiones.

Obj. 2. Si valet opinio noſtra, dicendum erit uberiorem gratiam ei conferri, cui major hoſtia, vel plures porrigentur, aut qui ſtomachum geret infirmiorem: uterque enim ſacras ſpecies diutius conſervabit: Atqui hæc perabſurda eſſe nemo non videt. Unde Hiſpani fidei Inquiſitores praxim dandi Formulam ſolita majorem, majoremve vini copiam in calicem infundendi, ut ſpeciebus diutius in ſtomacho permanentibus, gratia produceretur uberior, veluti vanam obſervantiam damnaverunt.

R. diſt. maj. dicendum erit majorem conferri gratiam per accidens, C. per ſe, N. Neque enim, ait Gonet, majorem gratiam tribuimus majori ſpecierum durationi præciſe, ſed majori diſpoſitioni quæ habetur in illa duratione: quare ſi tota illa diſpoſitio jam a primo inſtanti haberetur, tota etiam in illo inſtanti gratia produceretur. Unde non aperitur via ſuperſtitioni, ſed accenditur charitas communicantis, ut ſingula præſentis Domini momenta ſibi vertat in lucrum.

Neque tamen culpanda Inquiſitionis Hiſpanæ agendi ratio; quia plurium formularum porrectio gravibus obnoxia foret incommodis, quæ numquam minus compenſantur, quam cum a communi tramite diſceditur. Et vero violaretur uniformitas in ritu adminiſtrationis; aperiretur via querelis inanibus, dum alii pauciores formulas reciperent, alii plures; crederent rudiores majorem majori hoſtiæ vim ineſſe, quam minori; ex tot formulis hærerent aliquæ palato, &c.

Obj. 3. Euchariſtia non aliter operatur, quam cetera Sacramenta: atqui hæc digne ſuſcepta totum ſuum præſtant effectum in inſtanti ſui completivo; ergo & Euchariſtia.

R. neg. maj. cetera enim Sacramenta, utpote tranſeuntia, non poſſunt ultra inſtans in quo complentur, operari, quia jam non exiſtunt: at vero Euchariſtia poſt tempus completæ manducationis permanet; ergo & operari poteſt, ſi perſeveret actualis & pia ſuſcipientis diſpoſitio.

Ex his colliges, eum qui indigne communicavit, teneri ad contritionem ante quam ſpecies corrumpantur; ne Sacramentum toto ſuo privetur effectu. Quod ſi non fecerit, haud quidem committet peccatum ab indigna Sacramenti ſuſceptione diſtinctum: at illud continuabit, & propter circumſtantiam illam gravius efficiet. Hæc tamen gravitatis ſpecies ſat in iis intelligitur, qui ſe ſe in Tribunali ſacrilegæ communionis accuſant: quia plus quam rarum eſt ut qui in eo genere rei ſunt, dimidiate rei ſint.

PARS

PARS SECUNDA.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

SECUNDAM hanc Tractatus noſtri Partem Capitibus decem complectemur. Primum nonnulla dabit circa ſacrificium generatim ſpectatum principia; II. expendet an Miſſa ſit veri nominis ſacrificium; III. præciſam ſacrificii Miſſæ eſſentiam inveſtigabit; IV. de ejuſdem ſacrificii qualitatibus & fine diſſeret; V. de modo quo effectus ſuos parit; VI. de valore; VII. de Miniſtris ejus; VIII. de ſubjecto; IX. denique de Sacerdotis ac populi obligationibus relative ad ſacrificium, unaque de ejuſdem circumſtantiis diſputabit. His, ſi per tempus licebit, accedet X. de ſingulis Miſſæ partibus.

CAPUT PRIMUM.

De Sacrificio in genere.

TRia hic, quam breviter potis eſt exequenda veniunt, 1. quid ſit ſacrificium; 2. quotuplex; 3. an neceſſarium Religioni.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit Sacrificium.

ALia eſt apud Catholicos, alia apud poſtremæ ætatis Novatores notio ſacrificii. Neque hi ea de re inter ſe conſentiunt: 1. enim ſacrificium a Philippo Melanchtone in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, art. de Miſſa, definitur: *Cæremonia, vel opus quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus*. Sed prorſus male, ut ſolide probat Bellarminus Lib. 1. de Miſſa cap. 2.

1. quia Scriptura multarum virtutum opera ſacrificiis opponit. Sic Oſee 6. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*. Pſalm. 50. *Si voluiſſes ſacrificium dediſſem utique; holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, &c. 1. Reg. 15. *Melior eſt obedientia, quam victimæ*: atqui ſi omnia virtutum opera totidem forent ſacrificia prope dicta, jam non ſtaret oppoſitio iſthæc; neque enim ſacrificium ſacrificio rite opponi poteſt; nec melior eſt obedientia quam victimæ, ſi ipſa obedientia vere ac proprie victima eſt.

2. ſi ſacrificium eſſet quælibet cæremonia, vel opus ad honorem Dei factum, ubicumque eſt actio ſancta etiam ſine materia ſenſibili, ibi eſſet & ſacrificium proprie dictum: unde qui voce pſallit, genuflectit, aut quidpiam ſimile præſtat, is proprie ſacrificare diceretur: atqui contra liquet ex Scripturis, ſacrificium non in actione ſola poſitum eſſe, ſed ad illud requiri materiam ſenſibilem quæ offeratur. Unde Iſaac Geneſ. 22. ad Pa-

ad Patrem ait: *Ecce ignis & ligna, ubi eſt victima holocauſti?* & Hebr. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur: unde neceſſe eſt & hunc habere aliquid quod offerat*; ubi Apoſtolus ex communi ſacrificiorum ratione colligit, non potuiſſe Chriſtum vere dici Pontificem & ſacrificum, niſi quia ſenſibilem habuit victimam quam offerret.

3. unum eſt dumtaxat in Eccleſia Chriſti verum ac proprie dictum ſacrificium: atqui non unum ſed innumera forent, ſi quæcumque ad colendum Deum fiunt, vera forent ſacrificia. Minor patet, quia Deus innumeris modis colitur, præſertim autem fide, ſpe & charitate. Prob. itaque maj. ex unanimi Patrum doctrina, quorum inſtar ſint pro præſenti S. Auguſtinus Lib. 8. de Civ. Dei, cap. ult. ubi, *Vinum*, inquit, eſt, *quod Deo offertur ſacrificium Chriſtianorum*. S. Leo Serm. 8. de Paſſione Domini: *Nunc*, ait, *omnes differentias hoſtiarum una corporis & ſanguinis tui implet oblatio*. S. Chryſoſtomus in Pſal. 95. *Omnia* Moſaicæ legis ſacrificia *nova ſuperveniens gratia uno complectitur ſacrificio*.

4. Apud Judæos, e quorum cultu, utpote divinitus inſtituto, hic præcipue argumentandum eſt, ſacrificium & ſacerdotium relativa ſunt, ita ut ſacrificio proprie dicto ſacerdotium proprie dictum, & ſacrificio improprie dicto ſacerdotium improprie dictum reſpondeat: atqui non omnes, qui bona ad honorem Dei opera præſtant, veri ſunt & proprie dicti Sacerdotes. Minor conſtat, tum ex antiqua Lege, quæ tametſi multos in ſingulis tribubus habuit bonorum operum cultores, nullos tamen extra familiam Aaronis Sacerdotes habuit, prout ad Regem Oziam, temerarium Sacerdotii uſurpatorem ajebat Pontifex Azarias 2. Paral. 26. tum ex Lege nova, ubi juxta conſtantem Eccleſiæ doctrinam * nemo unus præter Antiſtites & Presbyteros pro Sacerdote habitus eſt. Prob. itaque major: 1. quia Scriptura & Patres Sacrificium & Sacerdotem velut inſeparabilia duo ſemper conjungunt; Scriptura quidem Hebr. 5. ubi *omnis Pontifex* conſtitutus dicitur *in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*: Patres vero, ut Juſtinus Dialog. cum Triphone ultra medium, ubi Deus nonniſi a Sacerdotibus ſacrificium accipere dicitur; Auguſtinus Lib. 8. cap. ult. & lib. 22. cap. 10. de Civit. Dei, & alii paſſim, qui in idem conſpirant, ut infra videbimus; 2. quia juxta vim græci nominis idem eſt Sacerdos ac Sacrificus, ut probat Bellarminus ibid. Et certe non alia de cauſa verum ab Eccleſia ſacerdotium excludunt Novatores, quam quia verum eidem ſacrificium abnegant.

* *Vid. ſup. p. 3. & ſeq.*

5. quia ad ſacrificium verum, prout ſemper in uſu fuit, requiritur verum altare; unde altare & ſacrificium ab eadem radice, tum hebraice, tum & græce deducuntur; nec ullum, ſeu in populo Dei, ut Gen. 8. ſeu uſpiam erectum eſt altare, niſi in ordine ad ſacrificia: atqui luce meridiana clarius eſt, non ad omnia quæ eliciuntur in honorem Dei, requiri verum altare; ergo & evidenter conſtat, non id omne quod in honorem Dei præſtatur, verum eſſe ſacrificium. Unde Calvinus ipſe citatam Melanchtonis definitionem, tacito licet Auctoris nomine, perſtringit Lib. 4. Inſtit. c. 18. §. 13. his verbis: *Qui ſacrificii vocabulum ad omnes cæremonias & religioſas actiones extendunt, qua ratione id faciant, non video.*

Obj. Ex Auguſtino Lib. 10. de Civit. Dei c. 6. *Sacrificium verum eſt omne* *Tom. 7. p. 242.*

opus, quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreatur Deo, relatum ad illum finem, quo beati eſſe poſſimus: ubi traditur ipſiſſima Melanchtonis definitio. Et vero nihil frequentius eſt in Scripturis, quam ut pietatis actus ſacrificia vocentur, ut Pſalm.50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.*

R. Auguſtinum objecto textu ſpectare ſacrificium prout internum eſt, & mere exterioribus legis Judaicæ ſacrificiis opponitur: unde & ſacrificium ejuſmodi *verum* appellat, non ratione eſſentiæ, quam eo loci preſſe non expendit S. Doctor, ſed ratione meriti & dignitatis, quatenus qui holocauſtis non delectatur Deus, cordis ſacrificio facillime placatur; imo ſi iſtud deeſt, cetera abjicit. Neque vero magis Auguſtinus totam ſacrificii eſſentiam in operibus Deo gratis admiſiſſe cenſendus eſt, quia hæc *verum* eſſe ſacrificium dixerit, quam Chriſtus totam vitis proprie dictæ rationem in ſemetipſo complecti voluerit, quia ſe ſe veram vitem nuncupavit.

Ad confirm. dico virtutum opera non ſimpliciter & abſolute vocari ſacrificia, ſed cum addito; v.g. *ſacrificium laudis, hoſtias ſpirituales, ſacrificium ſpiritus contribulati*, &c. quæ vero proprie ſacrificia ſunt, talia pure & ſimpliciter nuncupantur. Unde eliminanda primum definitio Melanchtonis.

2. itaque definitur ſacrificium a Calvino ubi ſupra: *Quidquid omnino Deo offertur*: at nihilo feliciori ſucceſſu: 1. quia ipſum ſacrificii nomen tam hebraice, quam græce, mactationem ſonat; ergo ad ſacrificium non ſufficit ratio ſola oblationis, ſed requiritur inſuper rei oblatæ deſtructio.

2. quia Exodi 25. & 35. Deo offerri dicuntur lapides pretioſi, byſſus, coccus, pili caprarum: quin & Levitæ in munus Domino offeruntur ab Aaron Num.8. atqui nullum ex his vere & proprie dici poteſt Domino ſacrificatum eſſe. Profecto quidquid ſacrificatum fuiſſe legimus, idem ſimul legimus deſtructum, ſeu per occiſionem, ut viventia; ſeu per combuſtionem, ut ſolida inanima, thus v. g. ſal, & ſimila; ſeu per effuſionem, ut liquida, puta ſanguis, vinum & aqua: atque hinc Iſaac ipſe vere ſacrificandus ducebatur a Patre, quia ducebatur mactandus & cremandus Domino.

3. quia ut ſupra contra Melanchtonem arguebamus, ad ſacrificium verum requiruntur, ſaltem ex recepto Gentium omnium uſu, ſacerdotium & altare: atqui neutrum ad veram oblationem requiritur. Vere enim obtulit æris minuta duo vidua hæc, de qua Luc.21. & ea tamen neque Sacerdos erat, neque habebat altare; ergo ad ſacrificium ſtricte & proprie ſumptum non ſufficit oblatio. Unde Vvendelinus Calviniſta Lib. 1. Chriſtianæ Theologiæ cap.20. pag. mihi 407. a Magiſtro ſuo recedens: *Sacrificium*, inquit, *eſt cæremonia externa divinitus inſtituta, qua res externa & viſibilis, cum deſtructione totius vel partis rei, offertur; ad teſtificandam obedientiam, & confirmandam promiſſionem de mediatore exhibendo*, &c. quæ poſtrema verba ad abigendum Miſſæ ſacrificium inducta ſunt, ſed perperam, ut infra liquebit.

Dixi, *ſtricte & proprie ſumptum*: Fateor enim ſacrificii nomen ſumi 1. *latiſſime*, pro actione omni, quæ in Dei gloriam cedit, ut eleemoſynæ largitio, divinæ laudis celebratio: unde Pſalm.49. *Sacrificium laudis honorificabit me*. & Eccli.35. *Sacrificium ſalutare eſt attendere mandatis*. Et eo ſenſu ſumitur in Auguſtini textu paulo ante objecto; 2. *preſſius* pro oblationi-

Digitized by Google

tionibus quæ fiunt in uſum templi & Miniſtrorum; & ſic primitiæ ac decimæ nonnunquam ſacrificia vocantur. At fatendum eſt ſimul illud etiam proprie & magis communiter ſumi ſtrictiori ſenſu. Unde ſit

Conclusio. Sacrificium definiri poteſt: Oblatio rei ſenſibilis ac myſtico ritu conſecratæ cum ejuſdem deſtructione vel immutatione, ſoli Deo per legitimum Miniſtrum facta, ad recognoſcendum ejus in res omnes creatas dominium.

Prob. Ea eſt legitima ſacrificii definitio, quæ totam ejus naturam per genus & differentiam exprimit: atqui talis eſt definitio allata: & licet paulo prolixior videatur, nihil tamen habet quod redundet, ut patebit ex terminorum expoſitione.

Dicitur itaque 1. *oblatio*, quæ vox locum habet generis, quatenus per eam ſacrificium convenit cum aliis oblationibus, primitiarum v.g. decimarum, bonorum operum. Habet tamen ſacrificium quatenus oblatio eſt, unde diſtinguatur a Sacramento. Euchariſtia nempe ut Sacramentum, offertur homini ad ipſius ſanctificationem: eadem vero prout eſt ſacrificium offertur Deo in honorem & cultum ejus. Ceterum etſi oblata Deo victima non raro ſacrificium dicitur, hic ſacrificium ſumimus pro ipſa ſacrificandi actione, quæ ſola poteſt eſſe *oblatio*.

Dicitur 2. *rei ſenſibilis*, ſeu externæ, ſive hæc animata ſit, vel inanimata, rationis expers vel compos. Sacrificium enim, prout fieri conſuevit, eſt actio, qua homines in unius ejuſdemque religionis cultum coadunati, publicum honorem Deo per manus publici Miniſtri exhibent; atqui actio quæ & homines in unum cultum coadunat, & publicum honorem Deo exhibet, ſenſibilis eſſe debet. Neque enim aliter homines inter ſe, quam per ſigna ſenſibilia communicare poſſunt. Unde licet inviſibilis oblatio nobilior ſit viſibili, & hæc ſine illa placere Deo non poſſit; haud tamen nomen & ratio ſacrificii oblationi mere internæ conveniunt: quapropter Auguſtinus Lib. 10. de Civ.cap.5. ſacrificium definit: *Inviſibilis ſacrificii Sacramentum*, id eſt ſignum ſacrum & externum. Vide infra Object.

Dicitur 3. *ac myſtico ritu conſecratæ*: quia res quæ Deo offertur, debet ex profana fieri ſacra & Deo dicata: atque id ſignificat verbum *ſacrificare*, quod idem eſt ac *ſacrum facere*, prout monet S. Thomas 2.2. qu.85. art.3. Iſta autem conſecratio & dedicatio ſemper in veteri Lege certo fiebat ritu qui myſterium aliquod contineret, puta impoſitione manuum ſuper victimam, aut ejus in altum elevatione. Atque ſic diſtinguitur ſacrificium a ſimplici oblatione, puta decimarum & bonorum operum, quæ nullam hujuſmodi myſticam conſecrationem requirunt. Ceterum hanc definitionis partem omittunt Theologi complures: forte quia quidquid in honorem Dei deſtruitur aut immutatur, eo ipſo ſacrum quid fieri cenſetur, & proinde conſecrari.

Dicitur 4. *cum ejuſdem deſtructione vel immutatione*: quidquid enim ſacrificatur, quadantenus deſtrui debet, ut conſtat ex omnibus Judæorum vel Gentilium ſacrificiis, ubi aut occidebantur animalia, aut fruges ſaltem ex parte torrebantur, aut fundebantur liquores, aut res odoriferæ cremabantur. Et vero ſacrificium eſt latriæ cultus, quo proteſtamur, Deum a nobis haberi ut ſupremum vitæ & necis Dominum, qui ſicut creare omnia potuit, ſic & omnia deſtruere poteſt: id autem optime fit, cum

Digitized by Google

res Deo oblata deſtruitur, aut immutatur, ita ut ponatur in deteriori ſtatu, & ad naturales ſuos uſus inepto. Haud tamen requiritur ſemper phyſica rei deſtructio, ſed ſufficit moralis, ut patet in ſacrificio hirci emiſſarii, qui non occidebatur, ſed a ceterorum conſortio exul agebatur in deſertum, Levit. 16. Quod objiciunt aliqui, nullam in ſacrificio Melchiſedech interveniſſe panis & vini deſtructionem, eadem negatur facilitate, qua aſſeritur. Sane ſi ſacrificium obtulerit Rex ille Salem, obtulit utique prout ubique gentium offerri conſueverat: ubique porro moris erat ut vinum effunderetur, &c.

Dicitur 5. *ſoli Deo facta*: ſoli nimirum Deo debetur ſupremus latriæ cultus, quem ſacrificium importat. Unde Exodi 22. *Qui immolat diis, occidetur, præter quam Domino ſoli*: & Auguſtinus Lib. 10. de Civit. Dei
Tom.7.p. cap.4. *Quis enim ſacrificandum eſſe cenſuit, niſi ei quem Deum aut ſcivit,*
241. *aut putavit, aut finxit*. & cap. 19. *Nec ob aliud fallaces illi ſpiritus ſuperbe*
*Ib.p.*255. *hoc*, ſacrificium nempe, *ſibi exigunt, niſi quia vero Deo deberi ſciunt*. Quæcumque igitur alii præter Deum fit victimæ oblatio, ſacrilegium eſt, non ſacrificium.

Dicitur 6. *per legitimum Miniſtrum*. *Nec enim quiſquam ſumit ſibi* offerendi ſacrificii *honorem*, ait Apoſtolus Hebr. 5. 4. *ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*. Unde vindicem expertus eſt Deum Ozias, qui cum Rex eſſet, ſed non Sacerdos, ſacrificium offerre voluit, II. Paralip. 26. 18. qua etiam de cauſa Saul a regno excidit, I.Reg.13. Et vero ſacrificium, utpote actio publica, & præſtantiſſima in religione, Miniſtros ſpecialiter deputatos exigit. Atque id hominibus ab ipſa natura inditum eſt: Ethnici enim ſemper elegerunt Sacerdotes, qui ſacra ſua facerent. Sub lege naturæ conceſſum eſt jus illud, ex receptiori ſententia, Patribus-familias, eorumque primogenitis: unde Noe, Abraham, & apud Idumæos Job ſacrificia obtuliſſe leguntur. Quod ſi Cain & Abel victimas obtulerint, factum id quia diſtinctarum familiarum fundamenta jacerent, & quiſque ſuæ ſeorſum rei conſuleret; alioqui non fuiſſet locus invidiæ & deinceps fratricidio. In Moſaica lege aſſertum eſt Aaronis ſtirpi ſacerdotium: in lege Evangelica iis quos Deus per primarios Paſtores ſibi in Miniſtros elegerit.

Dicitur 7. *ad recognoſcendum ſupremum Dei in res omnes dominium*: is enim primarius eſt finis ſacrificii, ut & infimam ſuam ſubjectionem proteſtetur homo, & Deum recognoſcat, ut omnipotentem creaturæ ſuæ arbitrum, cujus in honorem & noſtra cuncta, & nos ipſos deſtruere parati ſimus, ſi ipſe exigat: quia vero id non exigit, ſed e contra prohibet; pro eſſe noſtro quod deſtruere nobis non licet, eſſe alterius rei offerimus & deſtruimus, ut nos ne vitæ quidem noſtræ, ſi liceret, parcituros eſſe ſignificemus.

Obj. 1. Oblatio ſimilæ, panum propoſitionis & frixi in ſartagine totidem erant ſacrificia: atqui in his nulla erat deſtructio; ergo deſtructio non requiritur ad ſacrificium. Et vero ſacrificio thuris non offerebat Sacerdos id quod deſtruebatur, nempe thus ipſum, ſed id quod ex re deſtructa naſcebatur, ſuffitum videlicet.

R. ad 1. neg. min. poſito enim quod oblatio panum propoſitionis, &c. non oblatio mera fuerit, ſed veri nominis ſacrificium, quod ut gratis fictum negant multi cum Azor Lib. 10. c. 17. q. 2. & Lugo diſp. 19. n. 9. in ea dubio

dubio procul interceſſit aliqua rei deſtructio, ita ut aliquid eorumdem panum, ſicut ſimilæ & aliorum id genus combureretur. Neque obeſt ſilentium Scripturæ, tum quia haud neceſſe fuit ut res notæ omnes ſcriberentur; tum quia conſtat non id omne quod ab Auctoribus ſacris exprimi potuit, ſemper expreſſum fuiſſe: ſic Apoſtolus Hebr. 9. 19. ſcribit Moyſem, cum vetus Teſtamentum ſanciret, accepiſſe ſanguinem vitulorum & hircorum, *cum aqua, & lana coccinea & hyſſopo; ac ipſum quoque Librum, & omnem populum aſperſiſſe;* & tamen de hac Libri aſperſione, de aqua item, lana coccinea & hyſſopo nihil ſcripſit Moyſes. Quamquam nonnihil panum propoſitionis combuſtum fuiſſe indicat Textus Hebraicus, ubi quod vulgatus Interpres de iiſdem panibus ait Levit. 24. v. 9. *Sanctum ſanctorum eſt de ſacrificiis Domini*, ſic habetur: *Sanctitas ſanctitatum hoc ei, de ignitionibus Domini:* ignitio enim combuſtionem proprie ſignificat.

Ad id quod additur de thure, dico id vere ſacrificatum, quod vere deſtruebatur, non autem id quod ex re deſtructa exurgebat, proindeque thus, non ſuffitum: neque contrarium probari poteſt. Deinde ſuffitus ipſe an non deſtruebatur?

Inſt. Ad deſtructionem requiritur actio deſtructiva: atqui actio deſtructiva haud neceſſaria eſt ad ſacrificium. Chriſtus enim ſemeptipſum vere ſacrificavit in cruce: atqui Chriſtus nullam circa ſe actionem exercuit, quæ ſui deſtructiva foret: nihil enim aliud fecit quam Martyres, qui tamen non dicuntur ſui ſacrificium obtuliſſe.

Reſpondent aliqui Chriſtum ſe ipſum ſacrificaſſe, quatenus ſe ſponte tormentis & tortoribus ſubjecit; neque, quod penſandum, ſe ſe eorum impetui ſubtraxit, cum id poſſet facillime, quod Martyres non potuerunt. Sicut ergo, ajunt iidem Theologi, holocauſtum offert, qui victimæ, ut comburatur, ignem admovet; ſic Chiſtus ſe ipſum immolavit in cruce, quatenus ultro ſe ſubjecit tormentis, eaque in ſe agere permiſit. Sed quia ad ſacrificium requiritur actio ſenſibilis, qua ſacrificans rem oblatam deſtruat; eaque actio non ſatis intelligitur ſeu in nuda tormentorum paſſione, ſeu in non uſu poteſtatis evadendi tormenta, idcirco

R. ad 1. 2. neg. min. qui enim per ſe ipſum animam ſuam ſejunxit a corpore, adeo ut verum fuerit eum ſibi, non autem tortores, vitam eripuiſſe, ille actionem ſui deſtructivam exercuit: atqui Chriſtus per ſe ipſum.... prout ipſe prædixerat Joan. 10. his verbis: *Nemo tollit* animam meam *a me, ſed ego pono eam a me ipſo*. Id autem factum credimus, quando Salvator cum *voce magna*, ut ait Marcus cap. 15. ſeu *clamore valido*, ut loquitur Apoſtolus Hebr. 5. *inclinato capite tradidit ſpiritum*. Et vero grandis ille clamor eo uſque erat hominis, non fracti dolore, ſed proprio nutu morientis, ut *videns Centurio, quia ſic clamans expiraſſet*, dixerit: *Vere hic homo filius Dei erat*.

Ergo, inquies, verum Deo ſacrificium obtulere Martyres, qui non modo tortoribus ſe ſubjecerunt, ſed & poſitive morti ſuæ cooperati ſunt, ut Apollonia, & Pelagia, &c. quæ ſe ſe in ignem aut aquam dedere præcipites.

R. neg. ant. Non enim offert Deo ſacrificium, niſi qui ſacrificandi intentionem habet: hanc porro non habuere Martyres, niſi forte per ignorantiam, qua inculpabiliter neſcierint a Deo fuiſſe conſtitutum, ne no-

vum aliud in Evangelica lege ſacrificium uſurpetur præter Euchariſticum. Unde qui Deo placere ratus, in flammas prorumperet, ſacrificaret equidem, non ſecus ac qui agnum vel ovem mactaret, ut olim Judæi; at ſacrificaret impie, ſaltem materialiter, quia Chriſtus certum pro Lege nova ſacrificium inſtituendo, excluſit cetera.

Obj. 2. Si ad ſacrificii oblationem requiritur legitimus Miniſter, nullum offerri poteſt ſacrificium niſi auctoritate publica inſtitutum ſit: atqui falſum, vel ad minus ſumme dubium conſequens. Unde enim conjicere eſt, oblata a Cain & Abel ſacrificia, auctoritate publica conſtituta fuiſſe?

R. non deeſſe qui ad rationem ſacrificii requirant ut illud publica auctoritate conſtitutum dicatur: neque dubitant hi quominus ſacrificia Cain & Abel, vel a Deo, vel ab Adam, ut primo hominum capite deſignata fuerint.

Reclamant tamen alii plures, 1. quia reipſa probari non poteſt primæva ſacrificia publica auctoritate conſtituta eſſe; 2. quia actus ſacrificandi tam eſt de naturali jure, quam actus adorandi; & aliunde poteſt quiſque laudabiliter, per eam quam maluerit religioſam actionem, a ſe ad hunc finem inſtitutam, ſupremum Dei dominium recognoſcere; 3. quia ſi quis nunc Deo vitulum immolet, vere ſacrificabit, licet ſacrilege; ergo. Speculativa hæc fuſius non proſequimur, unde in re morali ſacrificium definire volumus *prout* multiplicatis jam hominibus *fieri conſuevit*: ſic autem factum eſt & a Miniſtris ad id deputatis, & certo ritu, puta ſuper altare, &c.

Hinc colliges ſacrificium eſſe ſignum ex inſtituto, quod tamen tale eſſe debet, ut per applicationem ejus poſſit homo ſuam erga Deum venerationem teſtari: unde, ajunt Suarez, Lugo, & alii, qui putaret vitem, aut arborem abſcinderet, quacumque id faceret intentione, ſacrificare non cenſeretur: quod fortaſſis non admittent omnes quantum ad arboris abſciſſionem.

Obj. 3. Quod ordinatur ad hominis ſanctificationem, non ordinatur præcipue ad cultum Dei: atqui ſacrificium.... unde ex eo innumera Dei in hominem profluunt beneficia; ergo.

R. diſt. maj. quod ordinatur primario ad hominis ſanctificationem, C. quod ordinatur ſecundario & conſequenter, N. Itaque ea eſt hominis ſacrificantis intentio primaria, ut Deum honoret; at hinc ſibi gratiam ejus conciliat: ſicut qui amico dona in ejuſdem commodum largitur, eumdem ſibi mage magiſque devincit. Ut ſolvantur nonnulla

Quæres 1. an ad ſacrificium requirantur verba.

R. ſacrificium poſſe fieri ſine verbis, & a fortiori cum verbis populo ignotis. Ratio eſt quia Deus, cui ſoli fit ſacrificium, cogitationes intelligit, ſeu abſque verbis, ſeu his vel illis verbis exprimantur. Atque hinc colliges, ex libera Chriſti inſtitutione pendere, quod in ſacrificio Miſſæ certis opus ſit vocibus, ut panis & vinum in corpus & ſanguinem Domini tranſmutentur: ſicut ex ſola Dei voluntate factum eſt ut ſua Judæi ſacrificia ſine verbis conficerent.

Quæres 2. an ſacrificium ſemper ſumatur pro actu ſacrificandi.

R. negat. ſumitur enim ſæpiſſime pro re ſenſibili quæ ſacrificatur: eo autem ſenſu definiri poteſt: *Res ſenſibilis oblata Deo, & aliqua ſaltem ſui parte deſtructa, ad proteſtandum eum eſſe rerum omnium auctorem, & arbitrum, cui totum eſſe noſtrum debeamus.*

A R.

Digitized by Google

ARTICULUS SECUNDUS.

Quotuplex ſit Sacrificium.

MUltiplex eſt ſacrificii diviſio: 1. enim ratione ſtatus ſeu temporis dividitur in ſacrificium Legis naturæ, Legis antiquæ, & Legis novæ ſeu Evangelicæ. Primi generis ſacrificia quoad rem, & formam ab hominibus ipſis determinata fuiſſe videntur: etſi eorum nonnulla ab ipſo Deo præſcribi potuere. Secunda a Moyſe quidem promulgata ſunt, a Deo immediate inſtituta. Unicum vero Legis novæ ſacrificium non ab alio quam ab Homine Deo ſanciri potuit.

2. ratione materiæ dividitur in victimas, immolationes & libamina: triplex enim erat materia, quæ, Deo jubente, in ſacrificiis veteribus offeri poſſet ac deberet, 1. animalia, non omnis ſpeciei, ſed per legem præſcriptæ, puta oves, capræ, hædi, boves, vituli, columbæ, paſſeres & turtures; 2. fructus terræ, ut panis, ſimilia, ſal, thus, manipulus ſpicarum virentium, & triticum; 3. liquores, ut ſanguis, vinum, aqua, oleum, nec quid his amplius. Cum ergo fiebat ſacrificium ex animalibus, vocabatur hoſtia, ſeu victima; cum ex terræ frugibus, immolatio, cum ex liquoribus, libamen ſeu libamentum. Quamquam ex uſu ſacrificium quodlibet promiſcue vocari ſolet hoſtia, libamentum, &c. prout notat Suares diſp.77. ſect.7. ubi & aliquot nominum illorum etymologias recenſet.

Porro non idem erat prædicta immolandi ritus: Animalia enim mactatione & aliquando combuſtione offerebantur; liquores effuſione, fructus immutatione multiplici. Nempe vero panis diſſecabatur in fruſta, ſimilia clibano, ſartagine vel craticula coquebatur; ſal urebatur, thus adolebatur, ſpicarum manipulus torrebatur, triticum conterebatur. Cur autem hæc tantum, non alia his præſtantiora Deus offerri voluerit, explicat S. Thomas 1. 2. qu.102. Ratio potior eſt ipſa Dei voluntas.

3. dividitur ratione formæ, ſeu variæ actionis per quam res immutari ſolebat, dividitur, inquam, præcipue in holocauſtum, ſacrificium pro peccato, & hoſtiam pacificam.

Holocauſtum perfectiſſima erat ſacrificii ſpecies, quia in eo oblata res comburebatur tota, ita ut nihil inde cederet in uſus humanos: ſic enim apertiſſime ſignificabatur noſtra omnia ad Deum pertinere, & ad ipſum referri debere. Etſi vero in eum præcipue finem inſtituta fuerat forma hæc ſacrificii, nonnunquam tamen pro peccato populi & Sacerdotum offerebatur.

Sacrificium pro peccato, partim cremabatur, partim cedebat in uſum Sacerdotum, qui eo veſcebantur in atrio templi; unde *peccata populi*, id eſt oblatas pro populis hoſtias comedere dicebantur. Porro ſolebat offerri ſacrificium illud pro exterioribus quibuſdam peccatis, puta furti, perjurii, calumniæ, Levit. 6. & 7. item & pro peccatis, quæ quis ex ignorantia vel negligentia circa cæremonias legis commiſiſſet, Levit. 4. & 5. Ut autem diverſa erant diverſarum perſonarum delicta, ſic & diverſa erant id genus ſacrificia; aliud v.g. pro Pontifice, aliud pro Synagoga, aliud pro privatis hominibus.

Hoſtia pacifica duplici offerebatur titulo, nimirum vel ad gratiarum

Digitized by Google

ctionem pro beneficiis a Deo acceptis, vel ad nova impetranda. Dividebatur autem hoſtia hæc tres in partes, quarum alia in honorem Dei comburebatur, ſecunda cedebat in uſum Sacerdotum, tertia in uſum ejus qui hoſtiam offerebat.

4. Dividitur ſacrificium ratione finis in latreuticum, Euchariſticum, impetratorium, & propitiatorium; quæ diviſio parum differt a præcedenti. Lautreticum dicitur, quod tantummodo dirigitur ad cultum Dei, reſtando principatum ejus & noſtram ſervitutem; & id potiſſimum fit in holocauſto. Euchariſticum offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. Impetratorium pro beneficiis accipiendis: & utrumque in Lege veteri dicebatur hoſtia pacifica. Propitiatorium denique offertur pro peccatis, & avertendis eorumdem pœnis. Hæc ſacrificia ſuo unumquodque modo cedebant in honorem Dei, holocauſtum quidem abſolute, cetera vero etiam in ordine ad homines: unde holocauſtum ceteris dignius & præſtantius erat. De his plura videris apud Becanum in Analogia veteris ac novi Teſtamenti cap. 14.

Ea porro ſacrificiorum quaternitas naſcebatur e quatuor Dei perfectionibus, quæ nos idem ſpecialiter obſtringunt.

Prima eſt ſuprema ejus majeſtas, cujus dominio tam plene ſubjacent univerſa, ut citra injuriam & auferre conceſſa poſſit, & expetita denegare, quantumvis neceſſaria. Hoc teſtamur per holocauſtum, in quo, velut victimæ flamma charitatis totaliter ſuccenſæ, ex ſincero cordis af-
Isaiæ 61. fectu exinanimur, memores verbi hujus: *Ego Dominus... odio habens rapinam in holocauſto*; id eſt, non ferens ut homo quidpiam retineat ſibi velut proprium, nec ad me referat.

Secunda eſt immenſa Dei in nos benignitas, qua immerentes eduxit e nihilo, & demerentes media inter vitæ pericula conſervavit, & cujuſcumque ad viam ſanctam reverſionis incapaces *ſic dilexit, ut Filium ſuum unigenitum daret*, non inſtar judicis, qui crimina plectat, ſed inſtar Mediatoris, in quo habemus propitiationem, & nova quotidie beneficia conſequimur. Tanta hæc animo pie memori recolentes, Euchariſticum, id eſt, gratiarum actionis, ſacrificium ſingulis diebus offerimus, ne ingrati animi vitium, quod Auguſtino teſte, præcipue odit Chriſtiana Religio, incurrere mereamur. Unde Sacerdos, potiſſimam Liturgiæ partem ingreſſurus, ſic præfatur ad populum: *Gratias agamus Domino Deo noſtro*: & illico converſus ad Deum: *Vere dignum & juſtum eſt, æquum &*
Rom. 8. 28. *ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere*, &c. *Semper & ubique*, ait, quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, etiam adverſa, niſi obſiſtat inimica boni cupiditas.

Tertia eſt juſtitia infinita, quam indeſinenter in multis offendimus omnes; & cui ut per profundum cordis dolorem ſatisfaciamus, propitiatorium offerimus ſacrificium, in quo profitemur nos vita indignos eſſe, paratoſque cum exteriori victima immolari.

Quarta eſt plena hæc & cumulata Dei beatitudo, ad quam nos velut ad ultimum finem omnimodis eniti voluit. Ea mente propitiatorium exhibemus ſacrificium, quo, tantæ felicitatis deſiderio pleni, quidquid nos ad eam promerendam deducere poteſt in ordine ſeu gratiæ, ſeu ipſius etiam naturæ, ſuppliciter efflagitamus. Ita ferme Theologus Pariſienſis.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS TERTIUS.
De neceſſitate Sacrificii.

Circa præſentem materiam varii varia ſenſere, 1. enim crediderunt aliqui nullum prorſus Deo exhibendum eſſe cultum exteriorem, & præſertim per ſacrificia cruenta. Ita hæretici quidam apud Auguſtinum Lib. 1. contra Adverſarium Legis & Prophetarum, cap. 18. 2. alii, ut Gentiles illi de quibus loquitur Euſebius Lib. 1. Demonſtrat. Evang. cruenta ſacrificia comprobarunt, incruenta autem rejecerunt ut indigna Deo; 3. Averroes Lib. 12. Metaph. ſenſibilia quæcumque ſacrificia contempſit. Neque hinc receſſiſſe videtur Seneca, cum in hæc, quæ refert Lactantius, erupit verba: *Quod eſt ſupra nos, nihil ad nos;* 4. exiſtimarunt alii ſacrificium, non tantum de jure divino neceſſarium eſſe, quod abunde liquet ex ſacrificiis Judaicis, ſed & de jure naturali, quantum ad genus, non vero quantum ad determinationem victimæ: ita S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. 5. demum alii negarunt ſacrificium jure naturali ſtricte imperatum fuiſſe; etſi fateantur uſum illius naturali legi admodum conformem eſſe. De his ſequentia breviter ſtatuimus:

Conclusio I. Cultus Dei per exteriora ſacrificia licitus eſt & honeſtus.

Prob. 1. quod fecere viri quique ſanctiores, Deo primum approbante, tum & deinceps imperante, de ſe licitum eſt & honeſtum: atqui viri quique ſanctiores ſacrificia obtulerunt, 1. Deo approbante, ut patet ex facto tum Abel, ad cujus ſacrificium *reſpexit Deus*, Geneſ. 4. tum Noe, qui de arca egreſſus, *obtulit holocauſta ſuper altare, odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis*, ibid. c. 8. 2. Deo imperante, ut ex toto fere Levitici Libro compertum eſt, ubi omnis generis ſacrificia præcipiuntur; ergo. Atque id ſenſerunt Philoſophi graviores, & qui de morali diſciplina ſanius ſcripſere, ut Plato Dialog. 8. de Legibus, Ariſtoteles, Ethicorum 9. Tullius de nat. Deor.

Prob. 2. Cultus qui religioſum habet finem, & accommodatus eſt, ad profitendam tum Dei majeſtatem, tum hominis, quantum ad corpus & animam, ſubjectionem, nihil habet niſi honeſti: atqui tale eſt ſacrificium, & varia ejus ſpecies; prout ex hactenus dictis ſequitur. Et vero ſi decet ut homo tributum ſolvat Principi, eique in dignitatis ejus recognitionem nonnihil externi honoris pendat; quidni deceat, ut homo de rebus ſuis aliquid offerat Deo, haud utique in utilitatem ejus, quia bonorum noſtrorum non eget; ſed in ejus cultum & venerationem?

Obj. Cultus a Deo reprobatus pro honeſto haberi non poteſt: atqui talis eſt Dei cultus per ſacrificia. Prob. min. ex Scriptura: Pſalm. 39. *Sacrificium & oblationem noluiſti*. Pſalm. 50. *Holocauſtis non delectaberis*, & apertius Iſaiæ 1. *Sanguinem hircorum & taurorum nolo*. Similia videris apud Jeremiam 7. & Ezechiel. 20.

Confirm. Si ſacrificia verum & honeſtum Dei cultum continerent, præſtarent operibus miſericordiæ; quia religio, cujus actus eſt ſacrificium, excellentior eſt miſericordia: atqui tamen miſericordia potior eſt ſacrificiis, ſecundum id Oſee 6. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium;* ergo.

R. ad 1. diſt. min. cultus per ſacrificia a ſanctis animæ diſpoſitionibus ſejun-

ſejunctа, reprobatus eſt, C. cultus interiori cordis ſacrificio ſtipatus, N. Itaque in prædictis, aliiſque pluribus Scripturæ locis redarguuntur, non ſacrificia, ſed ſacrificantes, qui licet ſorderent in peccatis, mundi ſibi videbantur, quia hircorum ſanguinem funderent: unde Iſaias ibid. ſubjungit: *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt;* & cap. 66. *Qui immolat bovem, quaſi qui interficiat* virum .... *hæc omnia elegerunt in viis ſuis, & in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt.* Idem eſt Regis Prophetæ ſenſus: unde & præmiſſo cordis contribulati ſacrificio ſacrificia legis a Deo acceptanda fore docet ſequentibus verbis: *Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes & holocauſta; tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.* Hinc S. Irenæus Lib.
Pag.250. col.1.n.3. 4. adverſus hæreſ. *Si quis ſolummodo ſecundum quod videtur, munde & recte & legitime offerre tentaverit ..... neque timorem habeat Dei:* non *per id quod recte foris oblatum eſt ſacrificium, ſeducit Deum, intus habens peccatum.*

Ceterum monet Auguſtinus in Pſalm. 39. verba iſthæc: *Sacrificium & oblationem noluiſti*, referenda eſſe ad tempus Legis gratiæ, quo, poſt oblatum jam Crucis ſacrificium, vetera quæ illud prænuntiabant, Deo neutiquam probari poterant.

Ad confirm. diſt. maj. ſacrificia præſtarent operibus miſericordiæ, per ſe & ex genere ſuo, C. ſemper & in quocumque caſu, N. interdum enim actus virtutis de ſe præſtantioris actui virtutis inferioris cedere debet; præſertim cum poſterior ille ſub præceptum cadit, & ad Dei honorem relatus participat honeſtatem religionis, aut etiam charitatis. Quin & actio ex genere ſuo ſancta in peccatum cedit, cum adverſus legem quæ plus urgeat, intempeſtive exercetur.

Conclusio II. Sacrificium multiplici quidem titulo commendatur, haud tamen ſtricte præceptum eſt jure naturali. Ita Suarez diſp. 73. ſect. 8.

Prob. 1. pars, 1. quia ex dictis, ſacrificium eſt actus religionis; 2. quia univerſæ gentes generali quodam impetu in id proruperunt, ut Deum externo ſacrificiorum ritu colerent; 3. quia difficile admodum erat ut homines ejuſdem ſoli incolæ, in aliquod veræ aut falſæ religionis nomen non
Tom 8. p.319.C. convenirent: atqui ex Auguſtino Lib. 19. contra Fauſtum, cap. 11. *In nullum nomen religionis, ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquorum ſignaculorum aut Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Etſi porro non deſunt penitus alia a ſacrificiis ſignacula, quorum exteriori conſortio colligari homines poſſint, conſtat tamen ſacrificia ad hunc finem eſſe maxime idonea: unde, ait S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. *In qualibet ætate, & apud quaslibet hominum nationes ſemper fuit aliqua ſacrificiorum oblatio;* 4. denique quia ſacrificium & Deo & homini maxime convenit; Deo quidem, tum quia ſupremum ejus dominatum recognoſcit, tum quia ſic beneficia ejus ſingulari gratiarum actione rependit, ut nova ab eo conſequi moliatur, &c. homini vero, qui cum corpore conſtet & anima, plenam utriuſque ſubjectionem teſtificari debet, animæ quidem per internam cordis ſui oblationem, corporis autem per exteriora ſigna.

Prob. 2. pars: Quod jure naturali ſtricte præceptum eſt, non poteſt omitti ſine peccato, & quidem gravi, ſi gravis ſit materia, ut eſt dubio procul materia ſacrificii: atqui nihil eſt in naturæ legibus, unde colligi poſſit ſacrificium tantæ eſſe neceſſitatis. Præterquam enim potior cultus Dei qui *ſpiritus eſt, in ſpiritu* conſiſtit, non deſunt certe media a

ſacri-

Digitized by Google

ſacrificiis diverſa, quibus exterior eidem Deo cultus honeſte & ſufficienter exhiberi valeat, qualia ſunt laus & oratio vocalis, genuflexiones, & alia id genus; ergo licet natura homines ad ſacrificium moveat, haud tamen illud ſtricte præcipit: atque id docere videtur Auctor Conſtitut. Apoſtol. Lib. 6. cap. 20. ubi ſic: *Quemadmodum jam ſuperiori tempore Deo charus Abel, & Noe, atque Abraham, & reliqui non rogati, ſed naturali lege commoti, ſua ſponte Deo ſacrificia offerebant .... ita permittit modo Hebræis, non jubendo, ſed, ſi voluerint, concedendo*, ut offerant *ſacrificia*.

CAPUT SECUNDUM.

An aliquod ſit in nova Lege Sacrificium.

DEletis a Chriſto veteribus ſacrificiis nihil præter Miſſam habet nova Lex, quod ſacrificii nomine inſigniri poſſit: unde quæ hic proponitur quæſtio, tota in eo eſt, an Miſſa ſit vere & proprie ſacrificium.

Id porro quod hodie Miſſam dicimus, non unum apud Veteres nomen habuit; dictum eſt enim 1. Liturgia, ideſt, opus ſeu officium publicum, quod nempe pro omnibus vivis, & in Chriſto mortuis offertur, ut ait Gabriel Philadelphienſis in Tractatu de Sacramentis edito a Ricardo Simone; 2. Synaxis, Latine adunatio, quia Fideles per Euchariſtiam cum Chriſto & inter ſe uniuntur; 3. Collecta, ſeu Congregatio, quia in unum coeunt Chriſtiani, ut divinis participent; 4. Dominicum, quia eſt divinum aliquid, præſertim ſi per illud Chriſtus ipſe Patri ſuo offeratur, de quo ſtatim; 5. Oblatio, quia ſummæ majeſtati offertur in propitiationem peccatorum; 6. Myſtagogia, ideſt ſummum myſterium; 7. Hierurgia, ſeu ſacrum opus; 8. & jam communiſſime apud Latinos, Miſſa.

Iſtud autem Miſſæ nomen deducunt Hebraiſtæ quidam eruditi, ut Munſter. Reuchlin. Genebrard. ab Hebraica voce *Miſſach*, quæ Deuter. 6. 10. oblationem voluntariam ſignificat: Sed incerte, tum quia Græci, qui plura Hebraicæ linguæ vocabula ſervaverunt, ut *Amen*, *Alleluja*, *Sabaoth*, *Hoſanna*, Miſſæ nomen ignorant; tum quia idem nomen a nullo uſurpatum eſt Auctore, qui tertio ſæculo indubie antiquior ſit. Miſſa igitur a verbo *mittere* derivatur, & idem eſt ac Miſſio (prout apud Cyprian. *Ep. 26. & 73. Ed. Oxon.* *remiſſa* idem ſonat quod remiſſio) ſeu quia oblatio ſacra ex donis a populo miſſis fieret; ſeu quia Sacerdos preces ſuas ad Deum mittit per Angelos, ſicut populus per Sacerdotem; ſeu melius, quia peracta re ſacra dimittitur populus clamante Diacono: *Ite, Miſſa eſt*: quo ſenſu Auguſtinus Serm. 49. alias 237. *Fit Miſſa Catechumenis, manebunt Fideles*. Unde Iſidorus Lib. 6. Orig. cap. 19. *Miſſa tempore ſacrificii eſt, quando Catechumeni foras mittuntur ...... & inde Miſſa*.

Miſſa porro duplex olim diſtinguebatur: Alia nempe Catechumenorum & pœnitentium, quia huic illis intereſſe liceret; & ea ab Introitu durabat uſque ad Offertorium, quo imminente Diaconus altiori voce clamabat: *Exite Catechumeni, pœnitentes, indigni*. Alia Fidelium, quæ ab Introitu durabat uſque ad finem; quo tempore dimittebantur Fideles his

ver-

Digitized by Google

verbis: *Ite*, *Miſſa eſt*, ſeu dimiſſio eſt. Atque hinc jam colligere eſt quanti apud Veteres foret Miſſa, cujus potiſſimæ parti ne pœnitentibus quidem intereſſe concederetur. An autem ea Miſſæ dignitas ad ſacrificii rationem uſque aſſurgat, diſputatur.

Negarunt 1. Hæretici illi veteres, qui, teſte S. Ignatio in Epiſt. ad Smyrnenſes, cum mere phantaſticam Chriſto carnem, adeoque & mortem tribuerent, Euchariſtiam non celebrabant.

2. e Novatoribus ii omnes qui realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam inficiati ſunt, ut Petrobuſſiani, Albigenſes, potiſſimum vero Zvvingliani, & Calviniſtæ, quorum princeps ſic blaſphemat Lib. 4. Inſtit. cap. 18. *Peſtilentiſſimo errore* diabolus *totum pene Orbem excæcavit*, ut crederet *Miſſam ſacrificium & oblationem eſſe ad impetrandam peccatorum remiſſionem* ...... *Congredi me hic Lectores intelligunt cum ea opinione, qua Romanus Antichriſtus*, ac ejus *Prophetæ totum Orbem impleverunt, nempe Miſſam eſſe opus, quo Sacerdos qui Chriſtum offert, & alii qui in oblatione participant, Deum promerentur, vel expiatoriam eſſe victimam, qua ſibi Deum reconcilient.*

Sperare erat futurum ut Lutherus, qui realem Chriſti in Sacramento præſentiam conſtanter tenuit, teneret & ſacrificium: at ne hujus quidem vocabulum ferre potuit Novator, cui id unum propoſitum fuit ut ab Eccleſia pro virili recederet: unde in formula Miſſæ quam an. 1523. pro Eccleſia VVirtembergenſi edidit, retinet quidem 1. Introitum cum Pſalmo, 2. Kyrie eleiſon cum hymno, *Gloria in excelſis*; 3. Collectam ſeu Orationem cum Epiſtola ſubſequente; 4. Graduale cum Alleluja; 5. Proſas aliquot, ut de Spiritu ſancto, & de Natali Domini; 6. Evangelium cum Symbolo: tum ita ſubjungit: *Sequitur tota illa abominatio, cui ſervire coactum eſt quidquid in Miſſa præceſſit; unde & Offertorium vocatur; & hinc omnia fere ſonant ac olent oblationes*. Neque hinc vel paſſum receſſit, ceteroqui ſibi parum conſtans Hereſiarcha: unde in Confeſſione ſua, quam an. 1528. emiſit, declarat ſe Miſſam ſupra abominationes omnes habere, nihilque dolere magis, quam quod eam per annos quindecim more Catholicorum celebraverit.

Incertum tamen videri queat annon furens ſuo in Eccleſiam odio Lutherus, ante rejecerit Miſſam, quam ejus rejiciendæ rationes detexiſſet, 1. quia in Libro de Miſſa privata, quem an. 1534. publici juris fecit, ſcribere auſus eſt, ſibi a dæmone in prolixo ea de re colloquio ſuggeſtum ac perſuaſum fuiſſe, Miſſæ ſacrificium abrogandum eſſe: de quo videris Librum cui titulus: *La Conference du diable avec Luther*, ou, *Luther diſciple du diable*; 2. quia Philippo Melanchtoni, novam retinendæ Realitatis, ſimulque abigendi ſacrificii viam nacto, quæ in eo conſiſtit ut Chriſtus Sacramento, nonniſi in ejuſdem uſu, præſens eſſe dicatur, Lutherus vix ſui compos præ gaudio, in hæc verba gratulatus eſt an. 1541. e Collatione Ratiſbonenſi: *Macte virtute & pietate, mi Philippe: tibi debetur gratia, qui Pontificiæ Miſſæ potuiſti Sacramentum adimere, quod ego tentavi & aggredi auſus non fui*. Ita refert Hoſpinian. part. 2. Hiſtor. Sacramentariæ. Et vero, ut optime animadvertebat Gilb. de Choiſeul, Tornacenſis Epiſcopus, in omni ſacrificio res ſacrificata ante Deo offerri debet, quam eidem participent ſacrifici & populus; ergo cum juxta Lutheta-

Edit. VVittem. Tom. 7. fol. 228.

Memoires ſur la Reunion.

Google

theranos Chriſtus in Euchariſtia non ſit præſens niſi dum actu recipitur, non poteſt antea Deo offerri ut ſacrificii victima.

Ex hinc abrogata eſt Miſſa in variis mundi partibus, apud Helvetios agente Zvvinglio, & favente Magiſtratu Litterarum inope; apud Genevenſes ſatagente Calvino, cui impendio curæ fuit, ne vel ipſum oblationis nomen ſervaretur, &c.

Apud Anglos Henricus VIII. etſi ab Eccleſia Catholica diſceſſiſſet, nihil tamen immutatum voluit in Liturgia præter Rom. Pontificis, S. Thomæ Cantuarienſis, aliorumque Sanctorum aliquot memoriam, quam, uſurpato Eccleſiaſtico Primatu, e Miſſalibus expunxit. At regnante Eduardo VI. ingens emerſit rei Liturgicæ permutatio; quin & circa an. 1549. a Regni proceribus ad generalia Regni comitia convocatis definitum eſt, Euchariſtiam ſic Sacramentum eſſe, ut ſacrificium non ſit.

His non obſtantibus verum Anglicanæ Eccleſiæ ſacrificium aſſerere conatus eſt non ita pridem Petrus-Franciſcus le Courayer, Canonicus Regularis S. Genovefæ, & ob præclara ſua in Anglicam gentem merita Doctor Oxonienſis: quo ſucceſſu paucis infra expendemus: ſed ante ſtabilienda venit Catholici dogmatis veritas. Hanc autem ſex vulgo argumentis confirmare ſolent Catholici cum Bellarmino, I. petitur e ſacerdotio Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech; II. ex veteribus Euchariſtiæ figuris; III. e vaticiniis Prophetarum; IV. e pluribus novi Teſtamenti locis; V. ex Traditione; VI. ex conditionibus ad ſacrificium requiſitis, quæ in Euchariſtia concurrunt omnes. Singula hæc ad aliquale memoriæ levamentum ſingulis Concluſionibus proſequemur. Sit igitur

Conclusio I. Solide evincitur Euchariſtiam eſſe veri nominis ſacrificium, ex eo quod Chriſtus ſit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech.

Prob. 1. ex his Pſalm. 109. verbis: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, quæ Apoſtolus Hebr. 7. 8. & 9. docet ita convenire Chriſto, ut idem dici non poſſit Sacerdos ſecundum ordinem Aaron, præſertim quia ex Tribu Juda fuerit, non autem ex Tribu Levi, e qua ſola ſumebantur Moſaicæ Legis Sacerdotes: his, quæ indubia ſunt, præmiſſis, ſic progredior: Ut ex prædicti Sacerdotii conditione inferri merito poſſit, Euchariſtiam ſacrificium eſſe proprie dictum, tria ſufficiunt, 1. ut Chriſtus quatenus *Sacerdos* ſacrificium offerre debuerit; 2. ut quatenus *Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*, illud idem ſacrificium nonniſi in Euchariſtia offerre potuerit; 3. ut quatenus *Sacerdos in æternum*, ejuſdem offerendi potentiam ad Apoſtolos ſuos eorumque ſucceſſores tranſmiſerit: atqui tria hæc conſtant. Et 1. Chriſtus prout Sacerdos ſacrificium offerre debuit; quandoquidem ex Hebr. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum .... hoſtias conſtituitur*: neque id in dubium vocant Adverſarii, ſed in oblato ſemel crucis ſacrificio peractum eſſe contendunt; 2. Chriſtus prout Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ſacrificium quod qua talis offerre debebat, nonniſi in Euchariſtia offerre potuit. Nimirum vero Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech eo ritu ſacrificium offerre debuit, quo obtulit ipſe Melchiſedech; ſicut Sacerdos ſecundum ordinem Aaron debuit ſacrificia offerre ritu Aaronico: atqui Melchiſedech ſacrificium obtulit in pane & vino, ſecundum id Geneſ. 14. 18. *Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum; erat enim Sacerdos Altiſſimi*, &c. ergo & Chriſtus in pane & vino ſacrificium offerre

ferre debuit. Subſumo: atqui id niſi fecerit in Euchariſtia, nullibi fecit; neque enim in cruce panem & vinum obtulit, ſed corpus & ſanguinem ſuum; ergo. 3. denique Chriſtus ut Sacerdos in æternum, ejuſdem ſacrificii potentiam ad Apoſtolos ſuos, eorumque in miniſterio ſucceſſores transferre debuit. Nimirum vero qui eſt Sacerdos in æternum, ſacrificium in æternum offerre debet: atqui Chriſtus nonniſi per Apoſtolos ſuos, eorumque ſucceſſores ſacrificium in pane & vino offerre poteſt; ergo neceſſum eſt ut ejus offerendi potentiam in Sacerdotes ſuos tranſmiſerit: prout tranſmiſit de facto, cum ait: *Hoc facite in meam commemorationem*. Belle OEcumenius in cap. 5. Epiſt. ad Hebr. expendens citata verba: *Tu es Sacerdos*, ſic loquitur: *Significat ſermo, quod licet Chriſtus non obtulerit incruentam hoſtiam* in cruce; *nam ſuum ipſius corpus obtulit; attamen qui ab ipſo funguntur ſacerdotio, quorum Deus Pontifex eſſe dignatus eſt, ſine ſanguine offerent: nam hoc ſignificat* in æternum. *Neque enim de ea, quæ ſemel a Deo facta eſt oblatio* cruenta, *& hoſtia* in cruce, *dixiſſet* in æternum: *ſed reſpiciens ad præſentes ſacrificos, per quos medios Chriſtus ſacrificat & ſacrificatur; qui etiam in myſtica cœna modum illis tradidit hujuſmodi ſacrificii*.

Confirm. Sacerdos in æternum debet in æternum Sacerdotis officio in Eccleſia viſibiliter fungi: atqui Chriſtus jam per ſe ipſum Sacerdotis officio viſibiliter fungi non poteſt; ergo neceſſum eſt ut id præſtet per Sacerdotes, qui in perſona ejus viſibiliter ſacrificent. Subſumo: atqui Sacerdotes tunc, aut nunquam, viſibiliter ſacrificant in perſona Chriſti, cum in perſona Chriſti conſecrant Euchariſtiam: Hoc enim unum faciunt in perſona Chriſti; cum in ceteris omnibus, ſeu pro populo precentur, ſeu eidem benedicant, ſeu alia conficiant Sacramenta, agant quidem virtute Chriſti, ſed in ſua, non in Chriſti perſona; ergo.

Prob. 2. ex SS. PP. qui ex eodem principio eamdem ac nos conſecutionem deduxerunt. Cyprian. Epiſt. 63. ad Cœcilium: *In Sacerdote Melchiſedech ſacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundum quod Scriptura divina teſtatur, & dicit: Melchiſedech protulit panem & vinum*, & paulo poſt: *Quod Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus ex perſona Patris ad Filium dicens: . . . . . . Tu es Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech: Qui ordo utique hic eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quod panem & vinum obtulit . . . . . Nam quis magis Sacerdos, quam D. N. J. C. qui ſacrificium Deo Patri obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, ideſt panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem?* Unde ſic: Ex Cypriano ſacrificium a Melchiſedech in pane & vino oblatum fuit figura ſacrificii alterius a Chriſto eadem ratione offerendi: atqui nullum aliud in pane & vino ſacrificium offerre potuit Chriſtus, quam Euchariſtiæ; ergo Euchariſtia illud ipſum eſt quod a Cypriano ſacrificii Dominici nomine inſignitur.

Pag. 101.

S. Clemens Alexandrin. Lib. 4. Stromat. *Melchiſedech*, inquit, *Rex Salem, Sacerdos Dei* altiſſimi, *qui panem & vinum ſanctificatum dedit nutrimentum, in typum Euchariſtiæ*. Unde ſic: Res per typum adumbrata typo reſpondere debet: atqui panis a Melchiſedech oblatus veri ſacrificii rationem habuit: utpote qui a Sacerdote Dei altiſſimi ſanctificatus fuerit, ac proinde e prophano ſacer factus.

Pag. 392. C.

S. Hie-

S. Hieronymus Epiſt. ad Marcellam: *Recurre*, inquit, *ad Geneſim*, *&* *Melchiſedech Regem Salem*, *hujus Principem invenies Civitatis* Bethleem, *qui jam tunc in typo Chriſti panem & vinum obtulit*, *& myſterium Chriſtianum in Salvatoris corpore & ſanguine dedicavit*. Tom. 4. part. 2. pag. 547.

S. Auguſtinus Ep. 177. alias 95. ad Innocentium S. P. *Melchiſedech*, inquit, *prolato Sacramento menſæ Dominicæ*, *novit æternum ejus ſacrificium figurare*, & Lib. 16. de Civit. Dei cap. 22. de eadem Melchiſedech oblatione diſſerens: *Ibi*, ait, *primum apparuit ſacrificium*, *quod nunc a Chriſtianis offertur Deo*. Tom. 2. pag. 616.

Idem docent apud Bellarmin. cap. 6. ceteri Patres, ut Epiphanius, Theodoretus, S. Leo, Euſebius tum Cæſarienſis, tum Emiſſenus, & feliciter, quia paucis, Anſelmus in cap. 5. ad Hebr. *Tu es Sacerdos*, inquit, ideſt, *ſacra dans*, ſeu ſacrificans *per te*, *& per tuos in æternum*, *ideſt*, *quandiu durabit hoc ſæculum*, *quia non tranſibit ſacerdotium Chriſti ut aliud ſuccedat*, *ſicut tranſivit Leviticum*. Ex quibus omnibus liquet, Chriſtum & Sacerdotem eſſe, & eo fine Sacerdotem, ut per ſe, vel per ſuos ſacrificium in pane & vino offerat.

Obj. 1. Duo ſupponit probatio noſtra, 1. Melchiſedech verum panis & vini ſacrificium obtuliſſe, cum obviam venit Abrahæ revertenti a cæde Regum; 2. Chriſtum Melchiſedecho aſſimilatum fuiſſe quantum ad hanc oblationem, adeo ut non ſecus ac Melchiſedech ſacrificium in pane & vino offerre debuerit: atqui utrumque falſum eſt. Geneſ. 14.

Primum quidem, qui enim ſolum protulit panem ad reficiendos Abrahæ milites ex prælio fatigato, ille profecto de ſacrificii oblatione ne cogitavit quidem: atqui Melchiſedech ſolum protulit ...... Ita ſiquidem docent Philo Lib. 1. Allegoriarum, Joſephus Lib. 1. Antiq. c. 11. quibus concinit Ambroſiaſter in Paulum. Unde in Hebraico textu non legitur: *Erat enim Sacerdos*, quaſi ea eſſet cauſa cur panem protulerit: ſed legitur: *Erat autem Sacerdos*, *& benedixit* Abrahæ: ubi Melchiſedech exhibetur tanquam Sacerdos, non quia panem, aut aliud quidpiam ſacrificaverit, ſed quia benedixerit Abrahæ: benedictio enim maxime Sacerdotum eſt, etſi hanc & alii impendere poſſunt.

Secundum vero, nempe quod Chriſtus nuſquam aſſimilatus fuerit Melchiſedech quantum ad oblationem panis, non minus evidens eſt. Siquidem Apoſtolus Hebr. 7. varia capita ſecundum quæ Melchiſedech *aſſimilatus* eſt *Filio Dei*, fuſe expendens, hæc recenſet, 1. quod Melchiſedech non ſolum Sacerdos foret, ſed inſuper Rex juſtitiæ & pacis; 2. quod major fuerit Abrahamo, & conſequenter Aarone Abrahami nepote; cum benedixerit Abrahæ & ab eo decimas acceperit; 3. quod fuerit *ſine patre*, *ſine matre*, *ſine genealogia*; quia nullibi legitur genealogia ejus, unde & prodit quaſi nec *initium dierum*, *neque finem vitæ habens*: Sed qui leviora hæc recenſet Apoſtolus, haud utique prætermiſiſſet ſacrificium panis & vini, ſi tale aliquod obtuliſſet Melchiſedech, & in eo præſertim ritu adumbraſſet Chriſti ſacerdotium, adeo ut Chriſtus ex ſimili ſacrificio dicendus eſſet Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech; ergo impoſſibile eſt ut Chriſtus ex eo dictus ſit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, quia in pane & vino ſacrificium oblaturus eſſet.

R. ad 1. neg. min. pro utraque parte. Ad 1. 1. neg. min. etſi enim probabile

babile nobis videtur, Melchiſedechum panes quos ſecum aſportaverat, diviſiſſe ſociis Abrahæ, quia moris erat, ut in ſacrificiis ad gratiarum actionem inſtitutis veteres nonnihil oblationis deguſtarent; indubie tamen credimus, eoſdem panes ante in ſacrificium Domino oblatos fuiſſe: 1. quia non ignorabat Melchiſedech Abrahæ milites, qui ſpoliis opimis graves revertebantur, non indigere panibus aliunde quæſitis; ergo quos detulerat ſecum, non eo detulerat fine ut Abrahæ exercitum reficeret, ſed ut Deo altiſſimo, propter inſignem viri pii triumphum, ſolemni ſacrificio gratias rependeret; 2. quia cum Scriptura ſacrificium Melchiſedech, uti ab Aaronico diverſum, pluribus in locis deſcribat, conveniens fuit ut alicubi traderet, quale fuerit Melchiſedechi ſacrificium: quia cum ſacerdotium ad oblationem ſacrificii inſtitutum ſit, ignorato ſacrificio conſequens eſt & ſacerdotium ignorari: atqui ſi oblatio panum a Melchiſedecho facta Geneſ. 14. non ſit veri nominis ſacrificium, nullibi loquitur Scriptura de ejuſdem Melchiſedechi ſacrificio; ergo per prolationem panis & vini ab eo factam neceſſum eſt ut intelligatur actio ſacrifica; 3. quia velint, nolint Calviniſtæ, ratio ſola cur Melchiſedech panem & vinum obtulerit, ea eſt quod eſſet *Sacerdos Dei altiſſimi*: hæc autem ratio nullatenus ad rem pertineret, niſi panem & vinum ad ſacrificium protuliſſet, & Deo prius oblata tribuiſſet Abrahæ. Atque id docet ipſe qui objicitur Ambroſiaſter hiſce verbis: *Hujus ordinem ſacrificii juſtiſſimus Rex per ſimilitudinem inſtituit, quando panis & vini fructus Domino obtulit*: ubi quidquid exercitui Abrahæ offerri potuit, ſupponitur antea oblatum Domino.

Nec obeſt quod Hebræus textus particulam *vau* conjunctivam habeat, non cauſalem *chi*, quia conſtat apud hebraicæ linguæ peritos, particulam conjunctivam *vau*, ſeu *&*, ſæpe ſæpius vim habere cauſalis *chi*, ſeu *enim*, vel *quia*. Sic Geneſ. 20. 3. ait Deus ad Abimelech Regem Geraræ: *En morieris propter mulierem quam tuliſti, & ipſa* (ideſt, *quia ipſa*) *habet virum*. Pſal. 142. *Non avertas faciem a me, & ſimilis* (ideſt, *quia ſimilis*) *ero deſcentibus in lacum*. Iſaiæ 64. verſ. 5. *Ecce iratus es, & peccavimus*, ideſt, *quia peccavimus*.

Ad 1. 2. neg. ant. ad 2. neg. min. & dico 1. Apoſtolum non omnia recenſuiſſe in quibus Melchiſedech & Chriſtus inter ſe convenirent, ſed quædam eaque ſublimia reticuiſſe: ſic enim loquitur cap. 5. v. 11. *De quo* Melchiſedech *nobis grandis ſermo* habendus eſſet, *& interpretabilis ad dicendum*; ideſt: At ſermo ille captum veſtrum ſuperat, *quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum*. Neque vero decebat ut in Epiſtola quæ ad infideles Judæos facile deventura erat, Euchariſtiæ myſterium tam palam aperiretur, quam in Epiſtola ad Corinthios fideles: quamquam & illud, obſcure licet, indigitat Apoſtolus Hebr. 13. verſ. 10. his verbis: *Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt*: ſi enim Chriſtiani Altare habent, habent & victimam; prout infra ponderabimus.

Dico 2. Paulum oblationis a Melchiſedech factæ, & Euchariſtiæ per illam præfiguratæ non meminiſſe, quod id ad finem ejus non conduceret. Quatuor enim ſibi probanda ſumit Apoſtolus, nempe 1. ſacerdotium Chriſti haud fuiſſe ſecundum ordinem Leviticum, quia prædixerat David,

Chri-

Chriſtum futurum eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech: & aliunde Chriſtus non erat e Tribu Levi; 2. ſacerdotium Chriſti vel hinc Levitico præſtantius futurum, quod eſſet ſecundum ordinem Melchiſedech: quia Melchiſedech in Scripturis exhibeatur major quam Abraham, & proinde quam ipſe Levi ab Abrahamo oriundus; cum & Melchiſedech benedixerit Abrahæ, & Abraham decimas eidem pependerit; 3. Chriſti ſacerdotium, utpote quod *in æternum* perſeverare deberet, præferendum eſſe Levitico, cui, juxta Jeremiæ prædictionem, *Jerem.* novum Teſtamentum a Deo ſubſtituendum erat. Nam *dicendo novum* 31. *veteravit prius; quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt;* 4. *Hebr.* 8. denique inefficacia fuiſſe Legis ſacrificia, unde neceſſum erat ut per ſin- 13. gulos annos iterarentur: Chriſti vero ſacrificium adeo efficax fuiſſe, ut unica ſui oblatione ſanctificationem hominum in æternum conſummaverit: jam vero ut quatuor hæc capita probaret Apoſtolus, ſuperfluum erat ut vel oblatum a Melchiſedech in pane & vino ſacrificium, vel ſacrificium Euchariſtiæ commemoraret; & de re *ad dicendum in interpretabili* coram *imbecillibus* diſſereret; ergo. Ita Nat. Alexander Tom. 1. Hiſtor. in tertiam Mundi ætatem, Diſſert. 3. Propoſ. 4.

Inſt. Sacerdotium Chriſti quatenus eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, debet diſtinctum eſſe a ſacerdotio Levitico: atqui ſi ſacerdotium Melchiſedech fuerit in pane & vino, prout contendimus, jam nec ſacerdotium Chriſti, nec ſacerdotium ipſius Melchiſedech diſtinctum fuit a ſacerdotio Levitico. Siquidem Levitici Sacerdotes in jugi ſacrificio, quod diebus ſingulis mane & veſpere offerebant, panem adhibebant & vinum, ut conſtat ex Numer. c. 28. v. 5. ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. ant. adhibebant panem & vinum, ut adjuncta quædam, ac veluti quædam principalis oblationis condimenta, C. ut præcipuam ſacrificii materiam, N. præcipua enim jugis ſacrificii materia erat agnus anniculus, cui adjungebatur, non panis uſitatus & proprie dictus; ſed decima pars ſimilæ conſperſæ oleo, ut videre eſt Exodi 29. verſ. 40. Verum in ſacrificio Melchiſedech & oblatus eſt panis ſimpliciter dictus, & panis ille non fuit pars aut condimentum, ſed tota & integra ſacrificii oblatio.

Obj. 3. Non valent argumenta quæ e figuris pro ſtabiliendis dogmatibus proferuntur, niſi ratio qua figura cum veritate cohæreat, explicata ſit in Scripturis: atqui Scripturæ nullibi explicuerunt, Chriſtum eſſe Sacerdotem ad inſtar Melchiſedech, quia, ut iſte, obtulerit ſacrificium in pane & vino; ergo.

R. 1. neg. maj. ut enim ſolidum e figuris deducatur argumentum, ſatis eſt ut eæ conſtanti Eccleſiæ per Doctores ſuos loquentis oraculo explicatæ fuerint: atqui Chriſti ſacrificium cum ſacrificio Melchiſedech in eo conveniſſe, quod uterque panem & vinum obtulerit, conſtans eſt Eccleſiæ doctrina; prout fuſe oſtendit Nat. Alexander ubi ſupra.

R. 2. neg. min. quemadmodum enim ſi quis in Scriptura dicatur Sacerdos ſecundum ordinem Aaron, illico Levitica ſacrificia obtuliſſe intelligitur; ſic & Chriſtus, eo quia dicitur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, idem intelligitur obtuliſſe quod antiquus ille Sacerdos: Idque eo magis conſtat, quod penes id unum proprie & diſtinctive aſſi-

Digitized by Google

miletur Chriſtus Melchiſedecho. Licet enim eidem in aliis pluribus ſimilis ſit, at non ſoli. Sic 1. penes defectum genealogiæ convenit ipſe Melchiſedech, cum viro ſancto Job, cujus pater & mater omittuntur in Scriptura, & qui plura etiam obtulit ſacrificia. Sic 2. & in eo convenit cum Abel, quod neque is, etſi Sacrificus, materiali oleo unctus foret, ut erant Sacerdotes Aaronici. Sic 3. convenit cum Sacerdotibus Aaronicis, quantum ad decimarum perceptionem. Ergo id unum in Chriſto & Melchiſedech vere ſingulare eſt, quod uterque in ſolis pane & vino ſacrificium obtulerit.

Conclusio II. Sacrificii Euchariſtici veritas ex veteribus Euchariſtiæ figuris efficaciter colligitur.

Prob. celebratio Agni paſchalis erat figura expreſſa celebrationis Euchariſtiæ: atqui celebratio Agni paſchalis vera erat victimæ Deo oblatæ immolatio, verumque proinde ſacrificium; ergo ut figuratum figuræ reſpondeat, Euchariſtiam ſacrificium eſſe neceſſe eſt. Major & minor, ita exigente adverſariorum pertinacia, ſeorſim probandæ ſunt. Itaque

Prob. maj. 1. quia Chriſtus indubie per Agnum paſchalem, ſeu per Judaicum paſcha, figuratus eſt, quandoquidem ab Apoſtolo I. Cor. 5. vocatur *Paſcha noſtrum:* atqui Chriſtus per Agnum paſchalem non figuratus eſt tantum ut ſe ſe immolans in cruce, prout volunt Novatores; ſed principalius & plenius, prout ſe ſe immolans in Euchariſtia. Qui enim in inſtitutione Euchariſtiæ multo perfectius omnes paſchalis Judæorum cæremoniæ circumſtantias adimplevit, is utique principaliter magis per Agnum paſchalem figuratus eſt prout ſe immolans in Euchariſtia, quam uti ſe ſe immolans in cruce: atqui Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ multo perfectius, &c. Eæ nimirum præcipuæ erant paſchalis Judæorum agni circumſtantiæ, 1. ut ad veſperam immolaretur, idque die 14. primi menſis; 2. ut immolaretur in memoriam tranſitus Domini, ac liberationis populi de Ægypto; 3. ut comederetur quaſi viaticum peregrinorum; 4. ut nonniſi a circumciſis & mundis, atque in ſola Jeroſolymorum urbe manducari poſſet: atqui ſingula hæc ad amuſſim implevit Chriſtus in Euchariſtia; nec extra ipſam impleviſſe dici poteſt. Implevit quidem quoad tempus, ut Tom. I. probavimus. Implevit quoad finem, ſanciens nempe ut celebraretur in memoriam tum ſui per paſſionem tranſitus ex hoc mundo ad Patrem; tum liberationis noſtræ de ſervitute peccati. Implevit quoad effectum, quatenus Euchariſtiam voluit eſſe refectionem & viaticum populi ſui ad veram & cœleſtem patriam peregrinantis. Implevit quoad diſpoſitiones manducantibus præſcriptas, quia cœnam ſuam ab iis tantum comedi voluit, qui & mundi forent per Baptiſmum, & in Eccleſia Catholica exiſterent.

Confirm. figura Agni paſchalis eo ipſo quo Chriſti figura erat, impleri debuit: atqui hæc nullibi quam in Euchariſtia plene & perfecte impleta eſt. Sicubi enim impleta ſit, vel in eſu Agni paſchalis, vel in paſſione Chriſti: atqui non 1. in eſu Agni paſchalis, quem pluries comedit Chriſtus. Agnum enim comedendo, implebat legem, non autem figuram. Siquidem figuram implere, non eſt illud exequi quod lex præſcribit, ſed ei aliquid ſubſtituere præſtantius, quod per figuram illam antea deſignatum fuerit. Unde Chriſtus cum circumciſionem accepit, non implevit figuram circumciſionis; ſed tunc cum ei ſubſtituit Baptiſ-

mum,

mum, qui propterea ab Apoſtolo Coloſſ. 2. vocatur circumciſio non manu facta. Non 2. in paſſione Chriſti. Etſi enim fatemur, Agnum paſchalem fuiſſe figuram Chriſti in cruce immolandi; tum quia figura fuit Euchariſtiæ, quæ & ipſa cruentæ Chriſti immolationis figura fuit; tum quia ideo Chriſti crura in cruce fracta non fuerunt, quia, ut docet S. Joannes, de Agno paſchali ſcriptum erat: *Os non comminuetis ex eo;* credimus tamen, Agni paſchalis cæremoniam magis immediate & principaliter Euchariſtiæ figuram fuiſſe, quam paſſionis: quia in Euchariſtia occurrerunt circumſtantiæ omnes ritus paſchalis, non autem in paſſione. Hæc enim nec in diem 14. nec in veſperam incidit, ſed in meridiem diei 15. neque crucifixus eſt Chriſtus vel in memoriam tranſitus ſui; vel ut inſtar agni comederetur. Neque in domo, aut in urbe Jeruſalem immolatus eſt, ſed extra portam in loco patenti. Denique non ſolum baptizati & mundi, ſed & alii quicumque poſſunt ac debent Chriſtum ut in cruce immolatum manducare per fidem: fides enim Baptiſmum & juſtificationem præcedit. Ita & in terminis Bellarmin. Lib. 1. cap. 7. ubi eamdem doctrinam, quod hic per voluminis anguſtias non licet, conſtanti Patrum doctrina confirmat.

Obj. 1. Immolatio cruenta, ſacrificii ſecundum nos incruenti figura eſſe non potuit: atqui cruenta erat Agni paſchalis immolatio.

R. neg. maj. pleraque enim antiquæ Legis ſacrificia, cruenta erant: atqui tamen omnia Legis antiquæ ſacrificia totidem erant Euchariſtici ſacrificii figuræ. Ita docent Patres, præcipue vero Auguſtinus Lib. 17. de Civit. Dei, cap. 20. ubi hæc habet: *Menſa quam Sacerdos novi Teſtamenti exhibet, de corpore ac ſanguine ſuo eſt: ideſt enim ſacrificium, quod ſucceſſit omnibus ſacrificiis, quæ immolabantur in umbra futuri.* S. Leo Serm. 8. de Paſſione: *Nunc carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum una corporis & ſanguinis tui implet oblatio; & ſicut unum eſt pro omni victima ſacrificium, ita nunc unum de omni gente fit regnum.* Concinunt alii Eccleſiæ Doctores apud Bellarmin. ibid. c. 8. ergo ſtat immolationem cruentam incruenti ſacrificii figuram eſſe poſſe. Neque id mirum: ſiquidem in ſacrificio Agni paſchalis tria occurrebant, 1. immolatio, 2. modus immolationis, nimirum quod hæc cruenta eſſet; 3. manducatio: porro etſi figuratum figuræ in pluribus reſpondere oporteat, non tamen in univerſis, prout ex ceterarum figurarum intuitu colligere eſt. Quanquam & immolatio cruenta paſchalis agni eo ſenſu vel ipſius Euchariſtiæ typus erat, quod Euchariſtia ipſa typus erat cruentæ immolationis Chriſti in cruce.

Tom. 7. pag. 484.

Obj. 2. Paſchalis agnus a multitudine immolabatur, non a Sacerdotibus; ergo non potuit eſſe figura Euchariſtiæ, quæ a ſolis Sacerdotibus immolatur.

R. neg. ant. cum enim, ut obſervat Cornelius a Lapide in c. 12. Exodi v. 6. eo tempore quo inſtituta eſt Agni paſchalis cæremonia, necdum eſſent Sacerdotes Aaronici, jus agni immolandi ad eos pertinebat, qui huc uſque ſacerdotium exercuerant, ideſt ad Patres-familias; quin & iiſdem deinceps quantum ad Agnum paſchalem jus idem ſacerdotii conſervatum eſt, prout Tom. 1. vidimus in Philone; ergo Agnus paſchalis reipſa immolabatur a Sacerdotibus. Quapropter quod ait Scriptura, eum

Tom. 8. pag. 654.

a multitudine univerſa immolari debuiſſe, non ſic intelligendum eſt; quaſi unuſquiſque e familia ictu ſuo agnum cædere teneretur; eſt enim id ridiculum & impoſſibile; ſed quia familiæ caput in domo ſua per ſe immolare deberet, ceterorum nomine & conſenſu. Quod etiam in Eccleſia obſervatur circa Euchariſtiam, quæ ſic a Presbyteris, Chriſti familiæ patribus, immolatur, ut etiam immoletur a populo in actionem Presbyterorum conſentiente, &c.

Obj. 3. Sacrificium minime propitiatorium ſacrificii propitiatorii figura eſſe non potuit: atqui Agni paſchalis ſacrificium neutiquam erat propitiatorium.

R. neg. maj. neque enim requiritur, imo nec fieri poteſt ut ſacrificium mere figurativum totam figurati ſacrificii virtutem habeat. Ut ergo ſacrificium Agni paſchalis Euchariſtici ſacrificii figura ſit, ſatis eſt ut illud repræſentet quantum veritatem umbra repræſentare poteſt. Repræſentat porro 1. ut commemorativum liberationis e captivitate; 2. ut proprie Euchariſticum, ſeu gratiarum actionis.

Conclusio III. Sacrificii Euchariſtici dogma ex Prophetarum oraculis invicte demonſtratur.

Prob. ex Malachiæ 1. v. 10. & 11. ubi ſic legere eſt: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Unde ſic: Tria in allato textu docet Malachias, 1. Deum antiquæ Legis ſacrificia rejecturum eſſe: *Munus non ſuſcipiam de manu veſtra;* cui conſonat iſtud Danielis 11. 31. *Auferent juge ſacrificium, & dabunt abominationem in deſolationem;* 2. inſtitutum iri in nova Lege ſacrificium aliud longe præſtantius: *Sacrificatur & offertur*, præſens pro futuro, more Prophetarum; 3. poſterius illud ſacrificium in univerſo terrarum Orbe celebratum iri: *In omni loco ſacrificatur*, &c. atqui duo hæc poſtrema quæ primum ſupponunt, uni conveniunt Euchariſtiæ.

Prob. min. in qua totus vertitur cardo difficultatis. Vel enim oblatio munda, & in omni loco offerenda, de qua loquitur Malachias, conſiſtit in ipſo crucis ſacrificio, vel in bonis virtutum operibus, quæ aliquando ſacrificia ſpiritualia nuncupantur, prout contendunt Melanchton, Calvinus, & alii paſſim: atqui neutrum dici poteſt.

Non 1. oblatio enim de qua Malachias, in omni loco & inter Gentes offertur: atqui ſacrificium crucis nec in omni oblatum eſt loco, nec inter Gentes, ſed ſolum Jeroſolymis; ergo.

Non 2. nam 1. oblatio de qua vaticinatur Malachias, debet eſſe munda: atqui in ſyſtemate Calvini, nullum eſt omnino opus, quantumcumque ſanctum appareat, quod vere mundum ſit; cum, juxta Novatorem, omnia Fidelium opera totidem ſint peccata ex genere ſuo mortalia; 2. oblatio Malachiæ ſuccedere debet oblationibus Judaicis prout rejectis ad minimum *propter* ipſarum *inutilitatem*, ut loquitur Apoſtolus Hebr. 7. 18. atqui ſpiritualia Judæorum ſacrificia nihilo plus inutilia fuerant, quam ſpiritualia quæ iis ſucceſſere Gentium opera; cum utraque & ab eodem prodirent principio, & eadem Chriſti fide niterentur; 3. opponit Malachias oblationem de ſe ita mundam, ut pollui non poſſit per malitiam offe-

Digitized by Google

offerentium, ei Judæorum oblationi, quæ facillime pollui poterat: uti demonſtrant hæc ejus verba: *Offertis panem pollutum:* & rurſus: *Si offeratis cæcum & claudum, nonne malum eſt:* atqui non ſtat ea oppoſitionis ſpecies, ſi Propheta loqui ſupponatur de ſpiritualibus ſacrificiis. Hæc enim, cum ab opere noſtro pendeant, non minus nunc polluuntur a Chriſtianis, quam olim polluerentur a Judæis; 4. loquitur Malachias de ea oblationis ſpecie, quæ ſimpliciter dicitur *Minhha:* atqui Hebraica hæc locutio proprie certum externi ſacrificii genus deſignat, neutiquam vero ſacrificia ſpiritualia, quæ non ſimpliciter dicuntur ſacrificia, ſed cum addito, ut *ſacrificium laudis, ſacrificium juſtitiæ, hoſtia vociferationis:* 5. per oblationem a Malachia prænuntiatam nomen Dei glorificari debet in Gentibus, ſicut per Judæorum oblationes contemptum fuit & deſpectum: atqui contemptum fuit in publicis ac viſibilibus ſacrificiis; ergo in publica & viſibili oblatione glorificari debet. Jam vero ſacrificium ſpirituale, quod totum latere interius poteſt, non eſt publicum & viſibile; 5. ſacrificium ſpirituale ab omnibus offerri poteſt & debet: atqui nova oblatio de qua Malachias, ab omnibus offerri non poteſt; tum quia indubie oblatio hæc eſt ſacrificium Chriſtianorum, quod non ab omnibus promiſcue, ſed a ſolis Sacerdotibus offertur, juxta tritum iſtud Hebr. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem*, &c. tum quia oblatio hæc ſuccedit oblationibus, quæ nonniſi per Sacerdotes fieri poterant, & quos ſolos alloquitur Propheta, ut ex iis ejus verbis liquet: *Ad vos, o Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum;* tum denique quia prædicit ſacer Vates, novos a Deo ſuſcitatum iri Levitas, qui novam in juſtitia oblationem exhibeant: *Purgabit filios Levi ...... & erunt offerentes Domino ſacrificium in juſtitia;* ergo.

Prob. 2. ex Patribus, qui unanimi conſenſu vaticinium Malachiæ de Euchariſtico ſacrificio interpretati ſunt. Juſtinus Dialog. cum Triphone Judæo, poſt citata eadem Malachiæ verba, ſic loquitur: *De noſtris Gentium, quæ in omni loco offeruntur ſacrificiis, hoc eſt pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ ..... prædixit* Malachias, *nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.* Pag. 260. B.

Irenæus Lib. 4. adverſus hæreſes cap. 17. olim 32. poſt relatam Euchariſtiæ inſtitutionem: Chriſtus, inquit, *novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo Mundo offert Deo .... de quo in duodecim Prophetis Malachias ſic præſignavit:* Non eſt mihi voluntas in vobis, &c. *Manifeſte ſignificans per hæc, quoniam prior quidem populus ceſſabit offerre Deo; omni autem loco ſacrificium offeretur ei, & hoc purum.*

Chryſoſtomus in Pſalm. 95. *Eccleſia, quæ ubique Chriſtum in ſe circumfert ...... a nullo prohibetur loco; ſed in omni loco ſunt altaria,* in quibus nempe Chriſtus immolatur. *Hæc prædixit Deus per Prophetam ......* Non eſt mea voluntas in vobis, &c. *Vide quam luculenter, quamque dilucide myſticam interpretatus eſt menſam, quæ eſt incruenta Hoſtia.* Idem verſat argumentum S. Doctor Homil. 5. adverſus Judæos nu. 12. Ed. recent. T. 5. App pag. 630. D. Ibid. T. 1.

S. Auguſtinus Lib. 18. de Civ. Dei, cap. 35. *Malachias prophetans Eccleſiam, quam per Chriſtum jam cernimus propagatam, Judæis apertiſſime dicit ex perſona Dei:* Non eſt mihi voluntas in vobis, &c. Ab ortu enim ſolis, &c. *Hoc ſacrificium per ſacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech,* pag. 647.

Digitized by Google

cum in omni loco a ſolis ortu uſque ad occaſum, *Deo jam videant offerri*: ſacrificium *Judæorum jam ceſſare*, *negare non poſſunt*.

Damaſcenus Lib. 4. de fide, cap. 14. *Hoc*, inquit, *illud eſt purum & incruentum ſacrificium*, *quod a ſolis ortu uſque ad occaſum Dominus oblatum iri per Prophetam prædixit*. Similia habent Tertullianus, Cyprianus, Euſebius & alii apud Bellarmin. Lib. 1. cap. 10.

Obj. 1. Oblatio expreſſa per nomen, quo utitur Scriptura ad exprimendum ſacrificium ſpirituale, de ſacrificio proprie dicto intelligi non poteſt: atqui oblatio de qua loquitur Malachias, apud eum expreſſa eſt per nomen ...... Siquidem in hoc verſu Pſalmi 141. *Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*, vox *ſacrificium* metaphorice & ſpiritualiter intelligenda eſt: atqui hæc tamen Hebraice exprimitur per nomen Minhha, ut apud Malachiam; ergo. Ita Kemnitius.

R. ad 1. 1. neg. maj. etſi enim oblatio Malachiana penes nomen conveniret cum ſacrificiis mere ſpiritualibus, ab iis tamen adeo diſcreparet per adjuncta, ut litteraliter & ſtricte intelligi deberet. Nimirum, ut jam diximus, talis eſt ea oblatio, ut nova ſit nec ante oblata; ut a ſolis Sacerdotibus offerenda ſit; ut per eam vetera ſacrificia excludi debeant: atqui hæc oblationi metaphoricæ, tantumque ſpirituali convenire non poſſunt; ergo.

R. 2. neg. min. ad 2. neg. maj. & dico in objecto textu, ſacrificium ſtricte ſumi pro illa ſacrificii ſpecie, quæ quotidie ad veſperam offerebatur ex præſcripto Legis. Nempe vero Deum orat Pſaltes, ut orationem ſuam gratam habere dignetur, prout gratum habere ſolet ſacrificium veſpertinum. *Dirigatur*, inquit, *oratio mea ſicut incenſum*: *elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*: ideſt, ſurſum aſcendat oratio mea, ſicut fumus incenſi; & oratio in qua ſupplices tendo manus, ſit veluti quoddam ſacrificium veſpertinum: unde hic ſacrificii nomen tam litteraliter ſumitur, quam vox incenſi. Idipſum & clarius oſtendit hæc Danielis precatio, precationi Davidicæ non abſimilis: *In animo contrito & in ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur*, *ſicut in holocauſto arietum & taurorum*, *& ſicut in millibus agnorum pinguium*: ubi nomen holocauſti haud utique ſpiritualiter accipitur.

Levit. 6

Dan. 3.

Obj. 2. Juſtinus in objecto loco, aſſerit Euchariſtiam, de qua prophetavit Malachias, eſſe tantum memoriam paſſionis Chriſti, & actionem gratiarum: atqui ubi eſt tantum memoria paſſionis Chriſti, & gratiarum actio pro beneficiis a Deo receptis, ibi nihil aliud occurrere poteſt quam ſacrificium ſpirituale.

R. neg. maj. ſiquidem Juſtinus in toto textu duo facit, 1. declarat ſacrificium quod prænuntiavit Malachias, illudque dicit eſſe oblationem Euchariſtiæ ex pane & vino confectæ; 2. aperit ejuſdem ſacrificii finem, quem in memoria paſſionis Chriſti & gratiarum actione reponit; ergo non in ſola paſſionis Chriſti memoria, & gratiarum actione ſacrificium Malachianum reponit, ſed primum & antecedenter in ipſa Euchariſtiæ oblatione. Et ſane, ait hic Bellarminus, ſi liceret hoc modo cavillari, probare poſſemus, nulla unquam, ne apud Judæos quidem, fuiſſe ſacrificia proprie dicta: Omnia enim fiebant in repræſentationem paſſionis Domini, & gratiarum actionem, aut aliam ſimilem cauſam.

Ed. Pamel. pag. 679.

Obj. 3. Tertullianus Lib. 3. contra Marcionem, expendens quale ſit ſacri-

ſacrificium a Malachia delineatum, ſic habet c.22. *In omni loco offertur ſacrificium nomini meo, & ſacrificium purum, gloriæ ſcilicet relatio, & benedictio, & laus, hymni*, &c. atqui ſacrificium gloriæ, laudis & hymnorum eſt pure ſpirituale; ergo, juxta Tertullianum, ſacrificium de quo Malachias, eſt dumtaxat ſpirituale.

Confirm. quia Tertullianus Lib.4. contra Marcionem docet, orationem de conſcientia pura eſſe ſacrificium de quo loquitur Malachias; ergo.

R. ad 1. diſt. min. ſacrificium gloriæ, laudis, &c. id eſt ſacrificium in ſolis laudibus & hymnis conſiſtens, C. id eſt ſacrificium annexas laudes & hymnos habens, N. Tertullianus eo loci breviter, & pro more ſuo, paulo obſcurius, totum ſacrificii ritum deſcribit. Porro ritus ille & laudes & hymnos importat. Verum qui hæc recenſet Tertullianus, non ideo cetera excludit; quin & in nomine *benedictionis* includit: eſt enim plerumque apud Veteres *benedictio*, id quod apud nos *conſecratio oblationis*. Sic Tertullianus ipſe in Lib. ad uxorem ſacrificium vocat *divinam benedictionem*; & Lib. de pudicitia, *Sacramentum benedictionis*; & in eo ipſo qui objicitur loco ſtatim ſubjungit *Eccleſiarum Sacramenta*, & munditiem ſacrificiorum: hæc autem ad Euchariſtiam pertinere quis inficietur? Vide Pamelium, tum hic, tum in cap.1. Lib. de oratione.

Ad confirmat. neg. ant. Textus Malachiæ in Hebræa & Græca editione ſic habet: *Incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium mundum:* porro vocem *incenſum*, de oratione explicat Tertullianus, prout ab Irenæo prius, & ab Ambroſio deinceps factum eſt: at vocem, *ſacrificium*, nullibi de ſola oratione interpretatur.

Obj. 4. Chryſoſtomus citata Hom. adverſus Judæos, poſtquam Malachiæ textum explicuit de Euchariſtia, ſubdit Euchariſtiam eſſe ſpirituale ſacrificium, & in hoc a legalibus ſacrificiis diſtingui: ergo S. Doctor Malachiæ oraculum de ſenſibili ſacrificio non intelligit, ſed tantum de ſpirituali.

R. neg. conſeq. Euchariſtia enim tametſi ſacrificium exterius, ſpirituale ſacrificium nuncupari poteſt, 1. quia victimam continet, quæ licet realiter ſub panis & vini ſpeciebus exiſtat, iiſdem tamen ſubeſt modo quodam ſpirituali; 2. quia victima hæc ſpiritualiter immolatur, nempe verborum gladio, qui corpus ſolum ſub ſpecie panis, ſolum vero ſanguinem ſub ſpecie vini, quantum de ſe eſt, conſtituit; 3. demum quia eadem victima, quæ Chriſtus eſt paſcha noſtrum, non niſi ſpeciali S. Spiritus efficacia præſens ſiſtitur in altari.

CONCLUSIO IV. Euchariſtia verum eſſe ſacrificium evincunt plura novi Teſtamenti loca.

Prob. 1. ex verbis inſtitutionis, quæ ex Luca potiſſimum, adjunctis tamen per modum Commentarii, aliorum Apoſtolorum lectionibus, referre placet. Sic ergo habet S. Lucas c.22. *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit ei dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur;* (ſeu, ut Græce loquitur Apoſtolus 1.Cor. 11.24. *quod pro vobis frangitur.*) Pergit Lucas: *Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic eſt calix novi Teſtamenti in ſanguine meo, qui* calix *pro vobis*, & ut addit Matthæus, *pro multis, fundetur*, græce *funditur*.

Unde ſic in forma: Ut Euchariſtia ſit ſacrificium, ſufficit ut in ea ſit oblatio victimæ cum effuſione ſanguinis: atqui ex prædicto textu legitime colligitur prædictam oblationem reperiri in Euchariſtia. Vel enim in textu

prædicto exprimitur oblatio, quæ Deo actu fieret cum effuſione; vel ea quæ poſtmodum in cruce facienda erat; vel demum ſola actio porrigendi panem Apoſtolis ad manducandum, & vinum ad bibendum: atqui neutrum e poſtremis duobus dici poteſt.

Non I. 1. quia agitur de oblatione & effuſione, quæ actu fiebant, dum loquebatur Chriſtus, prout indicant verba præſentis temporis, *datur*, *frangitur*, *funditur*: porro dum hæc loquebatur Chriſtus, necdum dabatur corpus ejus, aut fundebatur ſanguis in cruce; 2. agitur de effuſione ope calicis facienda, prout evidenter liquet ex Græco Lucæ textu, qui ſic habet: *Hic calix, novum Teſtamentum in ſanguine meo, pro vobis effuſus*: atqui in cruce nulla facta eſt ſanguinis e calice effuſio; ergo fieri nequit ut effuſio de qua loquitur Lucas, ad crucem referatur.

Non II. loquitur enim Chriſtus de actione, quæ non ſolum Apoſtolos reſpiciebat, ſed & alios plures: atqui actio porrigendi panem ad manducandum, & vini ad bibendum, ſolos Apoſtolos reſpicere poterat. Minor conſtat, quia Apoſtoli ſoli ii fuerunt quibus porrigi potuerint panis & vinum. Prob. itaque major, ex ipſo Evangelii contextu; ubi non tantum dicit Chriſtus ad præſentes, *quod pro vobis funditur*, ſed & dicit, *quod pro vobis & pro multis effunditur*, prout liquet ex textibus Lucæ & Matthæi ad ſe collatis; ergo. Atque hinc non dicit Chriſtus, *quod vobis datur*, aut *quod vobis effunditur*, ſed quod *pro vobis datur*, ideſt, quod in veſtri gratiam Deo offertur, &c.

Obj. cum Kemnitio: Ut nihil prorſus in gratiam ſacrificii e verbis inſtitutionis colligi queat, ſufficit, ut voces *datur* & *funditur*, idem ſint ac voces *dabitur* & *fundetur*; tunc enim manifeſte pertinent ad ſacrificium crucis: atqui voces *datur*, &c. Prob. min. 1. ex ipſo Canone Miſſæ, in quo legimus, *effundetur*; 2. quia ſi in ipſa Miſſæ actione funderetur ſanguis, Miſſa non eſſet incruentum ſacrificium; 3. quia præſens vel etiam præteritum ſæpe in Scripturis accipitur pro futuro, ut in his verbis: *Ego pono animam meam*: *Puer natus eſt nobis*, &c. ergo.

R. ad 1. neg. min. quam nulla ex allatis probationibus evincit. Non I. Neque enim, ut ſcite obſervat Bellarminus, ſolus Miſſæ Canon, ſed etiam Vulgata Editio Luc. 22. & Cyprianus legunt in futuro *effundetur*. Verum lectiones illæ haud inter ſe pugnant, imo una inducit alteram. Ex eo enim quod Chriſtus dixit in præſenti, *funditur*, ideſt offertur ac libatur Deo in repræſentationem effuſionis in cruce futuræ, ſequitur effuſionem in cruce fuiſſe futuram. Quapropter lectio utraque vera eſt, ſeu in præſenti *funditur*, id eſt, nunc in Cœna; ſeu in futuro, *fundetur*, id eſt, paulo poſt in cruce; imo & deinceps uſque ad mundi finem in ſacrificio a Sacerdotibus celebrando, conſequenter ad hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Utraque ergo lectio admittenda eſt & tenenda; præſertim autem prima, cum Evangeliſtæ & Paulus ſcripſerint in præſenti: *Datur*, *effunditur*; neque a proprio & ſimplici litteræ ſenſu recedendum ſit abſque urgentiſſima ratione, quæ ſola Kemnitio eſt infelix, quam ipſe ſibi impoſuit, neceſſitas contra totius Eccleſiæ ſenſum inſurgendi.

Non 2. ut enim ſacrificium cœnæ cruentum foret, deberet ſanguis Chriſti realiter egredi ab ejuſdem corpore, & in propria ſpecie fundi: porro nonniſi ſub ſpecie vini funditur, dum in calice collectus offertur Deo, ac deinceps mittitur in ora ſumentium.

Non

Non 3. etſi enim præſens, imo & præteritum non infrequenter ſumuntur in Scripturis pro futuro, conſtat tamen præſens pro præſenti, & præteritum pro præterito longe frequentius accipi; ergo, ſi quid conficere velit Kemnitius, neceſſum eſt ut demonſtret in objectis textibus, *datur*, idem eſſe ac *dabitur*. Id autem donec præſtet, reſpirare licebit.

Prob. 2. ejuſdem ſacrificii veritas ex Apoſtolo 1. Cor. 10. v.16. & ſeq. ſic ille: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? quoniam unus panis, & unum corpus* multi *ſumus, omnes qui de uno pane participamus. Videte Iſrael ſecundum carnem: nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergo? dico quod idolis immolatum ſit aliquid? aut quod idolum ſit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.*

Ex quibus ſic arguimus: Qui comparat Euchariſtiam cum ſacrificiis Gentilium & Judæorum, in quantum hæc ſacrificia ſunt, ille dubio procul non minus Euchariſtiam habet pro ſacrificio, quam Gentilium & Judæorum ſacrificia: atqui Apoſtolus.... Qui enim contendit Chriſtianos per communicationem Euchariſtiæ, ſeu corporis Domini, fieri participes victimæ in altari, ſeu menſa Domini oblatæ, ſicut Gentiles idolothyta manducando, fiunt participes altaris dæmoniorum; Judæi vero manducando hoſtias, participes ſunt altaris Levitici, is utique Euchariſtiam comparat cum Gentilium & Judæorum ſacrificiis, in quantum hæc ſunt ſacrificia: atqui contendit Apoſtolus Chriſtianos, &c. Unde eo & non alio reducitur tota ejus ratiocinatio: *Fugite ab idolorum cultura*, proindeque a dapibus quæ eiſdem immolatæ ſunt: ſicut enim Iſraelita qui legales hoſtias comedit, ubicumque comedat, particeps fit altaris Judaici; ſicut rurſus, qui Euchariſtiam ſumit, particeps eſt menſæ ſeu altaris Domini, ſic & menſæ, ſeu altaris dæmoniorum participem ſe facit, qui ubicumque, ſciens & volens, veſcitur idolothytis. Merito igitur docet Tridentina Synodus Seſſ. 22. cap.1. mundam, de qua vaticinatus eſt Malachias, oblationem, non obſcure innui ab Apoſtolo, *cum dicit, non poſſe eos, qui participatione menſæ dæmoniorum polluti ſunt, menſæ Domini participes fieri: per menſam utrobique altare intelligens*.

Imo, ait Kemnitius, loquitur Paulus, non de altari, ſed de communi Gentilium menſa: 1. quia loquitur de menſa in qua comedebantur idolothyta: hæc porro a Gentilibus non ad aram, ſed in communi menſa comedebantur; 2. loquitur de ea menſa ad quam dubium erat an Fideles accedere poſſent idolothyta comeſturi: porro non erat in quæſtione poſitum an liceret Chriſtianis accedere ad aras Gentilium, ibique eorum ſacrificiis participare. Id enim prorſus illicitum eſſe Chriſtianus nemo in dubium revocabat.

R. ad 1. neg. ant. menſa enim, cum de idolothytis agitur, idem eſt apud Paulum, ac altare, cum de hoſtiis legalibus agitur: atqui altare cum de legalibus hoſtiis ſermo eſt, non eſt menſa communis; ergo.

Ad 2. 1. falſum eſt non conſueviſſe Gentiles, tam ad aras idolorum, quam in privatis domibus diſcumbere: atque id invicte probant hæc

Apo-

Apoſtoli verba 1.Cor.8.10. *Si quis viderit eum* e Fidelibus *qui habet ſcientiam, recumbentem in idolio*, &c. idolium enim nihil eſt niſi locus ubi eſt idolum. Atque hinc rurſus ſequitur, e Chriſtianis *qui ſcientiam* habebant, fuiſſe non paucos, qui cum Gentilibus ad aras veſcerentur idolothytis, eo ſane nixi principio Apoſtoli, quod *idolum nihil eſt in mundo*. Unde ruit tota Kemnitii difficultas. Qui enim noluiſſent idolis ſacrificare, quia ſciebant ſoli Deo ſacrificandum eſſe; perſuaſum habere poterant, licitum eſſe ubicumque idolothytis veſci, quia idolum nihil eſſet. Id tamen negat Paulus licere, quia hoc eſt ſocium fieri dæmoniorum, & iis interpretative ſacrificare.

2. etiamſi non conſuevîſſent Gentiles ad aras idolorum diſcumbere, ut falſo dicit Kemnitius, tamen menſa dæmoniorum, cui comparatur menſa Domini, adhuc altare ipſum, non menſam communem ſignificaret. Apoſtolus enim ubi menſam dæmoniorum nominat, non loquitur de menſa privata, ubi comedebatur; ſed de menſa ubi immolabatur, & unde cibi immolati ad menſam communem deferebantur; uti manifeſte patet ex collatione cum altari Judæorum: *Videte*, inquit, *Iſrael ſecundum carnem*, id eſt, Judæos: *Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris*. Ita Bellarmin. eod. Lib.1. c.14. unde admiſſa etiam falſa Kemnitii ſuppoſitione, neganda eſt major propoſitio ſecundæ probationis. Loquitur enim Apoſtolus de menſa, cui licet intereſſe nollent Chriſtiani, participabant tamen, quando idolothytis qua talibus veſcebantur, ſicut altari Levitico participabant Iſraelitæ, quando victimas ſuper eo immolatas manducabant domi.

CONCLUSIO V. Euchariſtiam eſſe veri nominis ſacrificium demonſtrat conſtans Eccleſiæ doctrina & praxis.

Prob. 1. ex Conciliis: Nicænum I. Can.18. vetat ne Diaconi Euchariſtiam Sacerdotibus porrigere præſumant; quia *nec regula*, *nec conſuetudo tradidit*, *ut ab his qui poteſtatem non habent offerendi*, *illi qui offerunt*, *corpus Chriſti accipiant*. Unde ſic: Ubi verum Chriſti corpus a legitimis Miniſtris Deo offertur, ibi verum eſt ſacrificium: atqui, &c.

Tom. 3. Conc. p. 815. Epheſinum I. in declaratione 11. Anathematiſmi II. hæc habet: *Sanctum ac vivificum*, *incruentumque in Eccleſiis ſacrificium peragimus; corpus quod proponitur*, *ſimiliter & pretioſum ſanguinem.... credentes* eſſe *proprium corpus effectum*, *& ſanguinem etiam Verbi*, *quod omnia vivificat*. Ubi habes & ſacrificii nomen, & rem nomine expreſſam, videlicet proprium Chriſti corpus, quod incruento modo proponitur, ſeu offertur.

Chalcedonenſe, in quo nemine Patrum reclamante Euchariſtia ab Iſchyrione, Diacono Alexandrino, vocatur *terribile & incruentum ſacrificium*, quod *offerri & celebrari* non permiſit avaritia Dioſcori Alexandrini Patriarchæ, nimio pretio frumenta diſtrahentis: Hic habes quidquid vocum adhibuit Tridentina Synodus, quo grandem Euchariſticæ oblationis ideam ingereret: *Incruenta hoſtia*, *Terribile & incruentum ſacrificium*, Sacrificium quod *offertur* etiamnum quod *celebratur*, &c.

Toletanum X. vulgo XII. ann. 681. Can.5. *Toties*, inquit, *illi vero & ſingulari ſacrificio participandum* eſt, *quoties corporis & ſanguinis D. N. J. C. immolatio facta* fuerit. *Nam ecce Apoſtolus dicit: Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris. Certum eſt quod hi qui ſacrificantes non edunt, rei ſunt Dominici ſanguinis...... Nam quale erit illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans* parti-

Digitized by Google

participaſſe cognoſcitur: atqui ubi ſunt Miniſtri ſacrificantes, ubi eſt hoſtia & immolatio, ubi eſt altare in quo celebretur oblatio, ubi eſt participatio a Sacrificis neceſſario facienda, ibi neceſſario eſt ſacrificium, non laudis, non olim dumtaxat peractum in cruce, ſed quod in actione exteriori & quotidiana conſiſtat; ergo.

Neque vero hinc contemnenda Toletana Synodus, quod minime œcumenica; tum quia in hac expreſſa eſt fides omnium Hiſpaniæ Eccleſiarum, e quibus triginta quinque Epiſcopi prædictæ Synodo interfuerunt; tum quia nemo unus toto in Orbe contra prædictam definitionem inſurrexit: ſerius autem Lutheri tempore in re tam gravi factum eſt, quod ante factum non erat.

Lateranenſe IV. Can. 1. *Una eſt Fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur: in qua idem ipſe Sacerdos & ſacrificium Jeſus Chriſtus, cujus corpus & ſanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur.* *Tom. 11. Conc. p. 1 pag. 143.*

Prob. 2. ex Patribus: Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 5. Myſtag. hæc loquitur: *Deum oramus, ut ſuper illa propoſita dona S. Spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Chriſti, vinum vero ſanguinem.... Deinde vero poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia, obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace:* atqui ubi eſt hoſtia incruento ritu immolata, ibi eſt ſacrificium; prout etiam iiſdem verbis agnoſcit Cyrillus; ergo.

Chryſoſtomus Hom. 24. in 1. Cor. *Chriſtus*, inquit, *pro cæde brutorum ſe ipſum juſſit offerri*; ergo Chriſtus ſacrificium ſui ſubſtituit ſacrificio animalium: atqui ex eodem Chryſoſtomo, id quotidie præſtant Sacerdotes, quod ipſe Chriſtus. Sic enim loquitur S. Doctor Hom. 2. in II. Timoth. *Sacra oblatio, ſive illam Petrus, ſive illam Paulus, ſive cujuſque meriti Sacerdos offerat, eadem eſt quam dedit ipſe Chriſtus Diſcipulis, quamque Sacerdotes modo quotidie conficiunt*, &c. ergo.

S. Ambroſius in Pſalm. 38. *Sacerdotes offeramus pro populo ſacrificium*, quod Chriſtus in ultima cœna obtulit. *Et ſi infirmi merito, tamen honorabiles ſacrificio; quia etſi nunc Chriſtus non videtur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur: imo ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cujus ſermo*, conſecrationis nimirum, *ſanctificat ſacrificium quod offertur*; ubi præſto eſt & ſacrificium, & quæ in eo offertur Victima, ſcilicet corpus Chriſti, & Offerens primarius, & qui per ſermonem ejus offerunt Sacerdotes.

Verum hic pluribus immorari ſuperfluum fuerit, cum in præſenti noſtram eſſe Traditionem confiteantur Novatorum Anteſignani. Sic Lutherus in Libro contra Henricum VIII. Angliæ Regem: *Ultimo*, inquit, *dicta Patrum inducit Rex pro Miſſario ſacrificio, & ridet meam ſtultitiam, quod ſolus velim ſapere præ omnibus. Hoc eſt quod dixi, Thomiſticos aſinos nihil habere quod producant, niſi multitudinem hominum, & uſum antiquum.* Addit paulo infra, nihil ſe curare, ſi *mille Auguſtini, & mille Cypriani* contra ſe ſtent. Unde rurſus Lib. de Miſſa privata: *Hic*, inquit, *non moramur, ſi clamitent Papiſtæ: Eccleſia, Eccleſia, Patres, Patres; quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis cauſis curamus. Scimus enim ipſos Prophetas lapſos eſſe, adeoque Apoſtolos: verbo Chriſti judicamus*

Eccle-

Eccleſiam, Apoſtolos, adeoque ipſos Angelos. Hæc, rogo, num furor ſunt; an dementia? utrumque: furor deſipiens. Idem eſt Calvini ſenſus, etſi hunc mitioribus terminis expreſſit. Sic ille Lib.4. Inſtit. cap.18. §.12. *Si cogitamus Domini, non hominum* COENAM ESSE, *non eſt cur ulla hominum auctoritate, vel annorum præſcriptione patiamur nos ab illa vel latum unguem dimoveri.*

Concinit Kemnitius in examine Concilii Trident. part.2. p.782. *Negari non poteſt*, inquit, *Veteres, quando loquuntur de celebratione Cœnæ Dominicæ, uſurpare vocabula ſacrificii, immolationis, oblationis hoſtiæ, victimæ, item ut verbis, offerre, ſacrificare, immolare*, prout fecerunt Hypolitus Martyr, Ambroſius, Gregorius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus Jeroſolymit. Sed neque negari poteſt eoſdem requirere 1. altaria ad celebrandum, prout videre eſt apud Cyprianum, Euſebium, Optatum Milevitanum, Ambroſium, &c. 2. Miniſtros, eoſque Sacerdotes, qui offerant Euchariſtiam: de quo conſulantur Gaudentius, Hieronymus, Ambroſius, &c. 3. Sacerdotes, non cujuſcumque generis, ſed qui reipſa tales ſint, uti fuere Chriſtus, & Chriſti typus Melchiſedech; prout docent iidem paſſim; 4. demum Sacerdotes, qui ſacrificium offerant pro vivis atque defunctis, & generatim pro univerſis corporis atque animi neceſſitatibus: quod docent Chryſoſtomus, Auguſtinus, &c. Atqui ubi eſt oblatio, & immolatio ſuper altare a legitimis Miniſtris peracta, &c. ibi neceſſario eſt ſacrificium; ergo. Verum de his, quæ longum fuerit ſingula proſequi, legatur Bellarminus cap.16. 17. & ſeq.

Non ergo novum quid commenti ſunt, ſed totius retro Eccleſiæ fidem ſecuti fuere Tridentini Antiſtites, cum ſuam de ſacrificio mentem his verbis aperuere Seſſ.22.

Can.1. *Si quis dixerit in Miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium; aut quod offerri non ſit aliud, quam Chriſtum nobis ad manducandum dari; anathema ſit.*

Can.2. *Si quis dixerit, illis verbis:* Hoc facite in meam commemorationem, *Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes; aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum; anathema ſit.*

Can.3. *Si quis dixerit, Miſſæ ſacrificium, tantum eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in cruce peracti; non autem propitiatorium; vel ſoli prodeſſe ſumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit.*

Can.4. *Si quis dixerit, blaſphemiam irrogari ſanctiſſimo ſacrificio in cruce peracto, per Miſſæ ſacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema ſit.*

Prob.3. ex Liturgiis, in quibus quotidiana Eccleſiæ praxis diſerte continetur. Sic igitur in forma diſputo: Ut e variis mundi Chriſtiani Liturgiis invicte deducatur, Euchariſtiam verum eſſe & proprium ſacrificium, ſufficit ut in iis plene & aperte reperiatur altare, oblatio, victima, quæ Chriſtus ſit realiter præſens, & ſacrificium, potiſſima gratiarum omnium origo: atqui omnia iſta in Liturgiis Orbis univerſi pleniſſime reperiuntur. Habentur enim hæc indubie in his Sacramentarii Gregoriani verbis, quæ hodieque recitamus, quæque ut abominationem meram abjecit Lutherus: *Te igitur clementiſſime Pater.... ſupplices rogamus & petimus, uti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia*

illiba-

illibata; imprimis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua. Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, &c. *qui tibi offerunt hoc ſacrificium*, &c. *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ.... quæſumus, Domine ut placatus accipias*, &c. *Quam oblationem, tu Deus, in omnibus, quæſumus, benedictam, ratam, rationabilem facere digneris*, &c. *Offerimus præclaræ majeſtati tuæ de tuis donis ac datis, hoſtiam puram*, &c. atqui eadem hæc quoad ſenſum occurrunt in omnibus mundi Chriſtiani Liturgiis, Cophticis, Armenis, Neſtorianis, aliiſque, quotquot ſunt, Orientalibus; ut videre eſt apud R.P. le Brun, Tom.2. & ſeq. Neque hæc vel alii ab aliis mutuati ſunt, cum ſe ſe anathematiſent, vel a nobis deprompſere; cum ad minimum ritus ſuos tanto ſtudio ſervent, quanto ſuos Latini; ergo omnia hæc a primario, eoque Apoſtolico fonte proficiſci neceſſum eſt.

Atqui hinc exurgit argumentum præſcriptionis ei ſimile, quo realis præſentiæ dogma confirmavimus. Nimirum vero extra dubium eſt, Euchariſtiæ ſacrificium ab univerſa Eccleſia octavo ſæculo admiſſum fuiſſe; quandoquidem tunc temporis eodem uteretur Canone, quo etiamnum utitur: atqui non potuit Eccleſia tota octavo ſæculo ſacrificium confiteri, quin illud idem antea ſemper admiſerit. Ecqui enim fuere novi erroris artifices? quo illi ævo prodierunt? qui factum ut omnes Orbis Epiſcopi, Presbyteri omnes, abjecto Canone, qui nihil haberet de ſacrificio, Canonem cruento Chriſti ſacrificio lethaliter injurioſum amplexi ſint? qua portentoſa animorum converſione accidit, ut ſectæ capitali odio adverſum ſe furentes, & quæ quod uni probatur, ſtatim improbare conſueverunt, in eumdem omnes ſenſum, ſenſuſque exprimendi rationem convenerint. Id, ſi bene auguror, ſoli capient Calviniſtæ.

Obj. Idem fuit circa Miſſæ ſacrificium ſenſus Eccleſiæ, ac Patrum: atqui Patres, cum Miſſam dicunt ſacrificium, loquuntur, vel de eleemoſynis quæ fiebant in Miſſa, & quæ quoddam ſunt ſacrificii genus: vel de oratione, aut gratiarum actione, quæ Cœnæ celebrationem comitabatur; preces enim quædam ſunt ſacrificia, & gratiarum actio pertinet ad ſacrificium laudis: vel de mortis Chriſti annuntiatione, quæ fiebat in ſynaxibus; vel de variis pietatis actibus; tales enim B. Petrus vocat *ſpirituales hoſtias*; ergo. Ita Kemnitius, cui ſatius fuiſſet elinguem manere.

R. neg. min. nam loquuntur Patres 1. de ſacrificio, quod offerebatur ſuper altari, ut patet ex Optato Milevitano, qui Lib.6. contra Donatiſtas: *Quid eſt, inquit, tam ſacrilegum, quam altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtuliſtis, frangere..... Quid eſt enim altare, niſi ſedes corporis & ſanguinis Domini*; 2. de ſacrificio, quod offerre prohiberentur, tum mulieres, ſecundum id Tertulliani: *Non permittitur mulieri in Eccleſia.... tinguere, offerre*; tum & ipſi Diaconi, ut liquet ex citato 18. Canone Nicæni Concilii; 3. de ſacrificio quod iidem Patres expreſſe dicunt, corpus eſſe & ſanguinem Chriſti; ergo non loquuntur, vel de eleemoſyna, vel de aliis ſacrificiis ſpiritualibus & improprie dictis; hæc enim nec altari indigent, nec mulieribus aut Diaconis interdicuntur, &c. *Lib. de virgin. veland. c.9.*

Saltem, inquies, actio Cœnæ vocatur a Patribus ſacrificium, quia Euchariſtiæ conſecratio & diſtributio eſt quædam actio ſacra; ergo Patres idem reipſa cum Catholicis non ſapiunt.

R. neg. ant. nam 1. ſi Euchariſtia ſacrificium dici poſſit, præciſe quia

eſt

eſt actio ſacra, pari jure actio conferendi Baptiſmi ſacrificium dici poterit, quia eſt valde ſacra: quod autem Baptiſmi collatio ſit ſacrificium; quodque ſacrificet qui baptizat, res eſt hactenus inaudita; 2. ad ſacrificium requiritur oblatio victimæ, quæ ubi de Euchariſtia agitur, eſt ipſe Chriſtus, ut uno ore docent Patres & Liturgiæ: ſed ubicumque eſt actio ſacra, non occurrit hoſtiæ oblatio, ut patet in ejuſdem Baptiſmi collatione; 3. actio ſacra eſt quid tranſiens, ut liquet in ablutione Baptiſmi: atqui Patres ſacrificium Miſſæ conſtituunt in re permanenti, nimirum in ipſo Chriſti corpore & ſanguine, quæ ſub panis & vini ſpeciebus offeruntur. Sic Chryſoſtomus Hom. 17. in Epiſt. ad Hebræos: *Eumdem* Chriſtum *ſemper offerimus; non nunc quidem alium, ſed ſemper eumdem*. Sic Auguſtinus Lib. 4. de Trin. c. 14. *Quid tam grate offerri & ſuſcipi poſſet, quam caro ſacrificii noſtri corpus effectum Sacerdotis noſtri*. Parcat igitur venæ ſuæ Kemnitius, nec in torquendis Patrum textibus futiliter deſudet.

Conclusio VI. Sacrificii Euchariſtici veritatem probant, quæ in eo occurrunt ſacrificii veri conditiones.

Prob. Ad ſacrificium proprie dictum quinque requiruntur, 1. Miniſter, qui ex Apoſtolo Hebr. 5. conſtitui debet *in his quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia;* 2. materia ſenſibilis: *neceſſe* ſiquidem eſt Miniſtrum *habere aliquid quod offerat*, idque ſenſibus obvium, munera nempe & hoſtias, uti docet ibid. Paulus cap. 8. v. 3. 3. forma: res enim ſenſibilis quæ offertur, mutationis quidpiam ſubire debet, ut conſtat ex omnibus ſacrificiis proprie dictis; ad id autem opus eſt aliqua Miniſtri actione, quæ cum applicetur materiæ, forma merito nuncupatur; 4. finis legitimus, agnitio nimirum ſupremæ Dei majeſtatis, & cultus ejuſdem; alias actio ceteroqui ſancta, quidquid ſit, ſacrificium non erit; 5. altare cui ſuperponatur victima; ut patet, tum ex uſu Gentium omnium, tum præcipue nationis ſanctæ, quæ nuſquam aras niſi in ordine ad ſacrificia erexit; tum demum ex perpetua Chriſtianorum praxi, cujus teſtes ſunt Cyprianus Ep. 66. Optatus ubi ſupra, Irenæus Lib. 4. adverſus hæreſes, c. 34. ubi de ſacrificiis agens, *Nos quoque*, inquit, *offerre vult munus ad altare*, &c. Atqui conditiones illæ adamuſſim concurrunt in Euchariſtia. Habet enim hæc 1. Miniſtros, primarium quidem, nempe Chriſtum, & ſecundarios, videlicet Sacerdotes: *Una enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens*, non per ſolum, *ſed Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa*. Habet 2. ſenſibilem materiam, nimirum externas panis & vini ſpecies, ſub quibus Chriſtus continetur. Habet 3. formam, vi cujus, quantum de ſe eſt, corpus a ſanguine ſeparatur. Habet 4. legitimum finem, nempe cultum Dei. Ecquis cultus ſupremo numine dignior, quam quo Chriſtus ipſe Deus & homo Deo Patri offertur. Habet 5. & altare in quo offeratur, ut conſtat ex unanimi & perpetuo omnium mundi Eccleſiarum uſu, quem confirmant non pauci ex iis Pauli verbis Hebr. 13. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt*. Aliud eſt apud Novatores, ut patet ex Calvino Lib. 4. Inſtit. c. 13. §. 12. ubi hæc: *Menſam nobis dedit, in qua epulemur; non altare ſuper quod offeratur victima*: ergo habet Miſſa quidquid neceſſum eſt, ut ſacrificium cenſeatur.

Trident. Seſſ. 22. c. 2.

Conclusio VII. Euchariſtiæ ſacrificium plurimis miraculis comprobatur.

Sup-

Suppono ad miraculum divinum, & quod fidem in animo ſenſati cujuſcumque facere poſſit, requiri, 1. ut ſit opus quod omnes naturæ vires ſuperet atque excedat. *Miraculum voco*, ait Auguſtinus Lib. de veritate credendi, cap. 16. *quidquid arduum aut inſolitum ſupra ſpem vel facultatem credentis excedit*. & Lib. 27. contra Fauſtum cap. 3. *Quæ contra cognitum nobis, ſolitumque naturæ curſum Deus operatur, magnalia vel mirabilia nominantur*: unde cæcus illuminatur, Joan. 9. 32. ajebat: *A ſęculo non eſt auditum quia quis aperuit oculos cæci nati*. T. 8. p. 68. Ib. p. 435.

2. ut opus illud de ſe ad finem bonum & ſanctum ordinetur; quidquid enim operatur Deus, non permiſſiva tantum, ſed & poſitiva actione, finem habet neceſſario ſanctum: unde quæ ad impietatis vel erroris confirmationem eliciuntur prodigia, vel elici ſupponuntur; etſi Deo ut permittenti aſcribi poſſunt, non ſunt tamen ſenſu noſtro vere divina. Atque hinc ſerpentes aut ranæ a magis Pharaonis productæ, ſi miracula dicantur, dici non poſſunt divina miracula, id eſt miracula vi quorum homo ad hanc vel illam partem flecti poſſit. Unde Deuter. 13. 1. *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos quos ignoras, & ſerviamus eis, non audies verba Prophetæ illius aut ſomniatoris, quia tentat vos Deus veſter, ut palam fiat utrum diligatis eum, annon*. Eamdem doctrinam tradidit Chriſtus Marci 13. 21. & ſeq. Verum ab his, aliiſque pluribus abſtinere cogimur, quia miraculorum ſyſtema, quantum opus eſt, in præſenti evolvere non poſſumus.

3. ut idem ſupernaturale opus ab indubiæ fidei Scriptoribus recenſeatur, quales ſunt qui rem vel ſuis, vel certis aliorum oculis conſpexere; qui nullo partium ſtudio tenentur; qui mendacii nuſquam poſtulati ſunt; qui poteſtatibus ſublimioribus, & ante omnia Superioribus Eccleſiaſticis ſubjacent, &c. His poſitis

Prob. Concluſio, 1. ex longa illa miraculorum ſerie, quam ſupra ad evincendam realem Chriſti in Sacramento præſentiam texuimus. Hæc nimirum prodigia totum Eccleſiæ de altaris Sacramento dogma confirmant: atqui dogma illud non minus ſacrificium complectitur, quam realitatem; ergo. T. 8. pag. 525.

Prob. 2. ex pluribus ejuſdem ſpeciei portentis, quæ de ævo in ævum tranſmiſere viri omni exceptione majores. Tria apud Cyprianum occurrunt Tractat. de Lapſis.

Primum quod *præſente ac teſte* Cypriano *evenit*, ſpectat infantulam, cui paululum panis in vino idolis oblato intincti in os infuſum erat: hæc autem cum ad Eccleſiam deinceps delata fuiſſet, *ubi ſolemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus ceteris locus ejus advenit, faciem ſuam parvula inſtinctu divinæ majeſtatis avertere* cœpit, & *calicem recuſare. Perſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento calicis infudit. Tum ſequitur ſingultus & vomitus. In corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini ſanguine potus de pollutis viſceribus erupit. Tanta eſt poteſtas Domini, tanta majeſtas: ſecreta tenebrarum ſub ejus luce detecta ſunt; Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt*. Pag. 175.

Secundum id genus factum contigit feminæ, quæ in apoſtaſiam lapſa, Cypria-

Cypriano celebrante ad Euchariſtiam furtim acceſſit. Ea enim ſtatim omni reſpiratione intercluſa, palpitans, cum ſumma membrorum ſuorum commotione, humi procubuit. *Impunitum diu non fuit, nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen*, ait S. Martyr: *quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit ultorem.*

Ib p.186. Tertium evenit feminæ alii, quæ *cum arcam ſuam, in qua Domini ſanctum* corpus repoſuerat, *manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne accederet attingere.*

Qartum recenſet S. Optatus Milevit. L.2. contra Donatiſtas: cum enim iſtorum Epiſcopi quidam ſacrilega impietate juſſiſſent *Euchariſtiam canibus fundi, non ſine ſigno divini judicii.... iidem canes accenſi rabie, ipſos dominos ſuos, quaſi...... ſancti corporis reos dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniaverunt.*

Quintum refert S. Ambroſius Lib. de obitu fratris ſui Satyri; ſic ille: T.2. pag. 1125. Satyrus imminente navis ad ſcopulos alliſæ ruina, *ligari fecit in orario* Euchariſtiam, *& orarium involvit collo, atque ita ſe dejecit in mare, non requirens de navis compage reſolutam tabulam, cui ſupernatans juvaretur, quoniam fidei ſolius arma quæſierat.... Nec deſeruit ſpes, nec fefellit opinio. Primus ſervatus eſt ex undis*, &c.

Sextum dabit S. Gregorius Nazianz. in funebri oratione Gorgoniæ T.1. pag. 186. ſororis. Hæc, ait S. Doctor, *adverſa corporis valetudine tenebatur, graviterque laborabat, eratque inſolens quoddam morbi genus.... malumque illud haud humanum judicabatur. Nec vero medicorum, tum ſeparatim, tum etiam inter ſe de morbo ſedulo conſultantium artes propulſando dolori pares eſſe poterant; nec...* juverant *publicæ preces & ſupplices orationes, quas ut pro ſua quiſque ſalute, populus univerſus faciebat..... Deſperatis omnibus aliis auxiliis ad mortalium omnium Medicum confugit, atque intempeſta nocte captata, cum morbus nonnihil remiſiſſet, ad Altare cum fide procumbit..... Cumque caput ſuum Altari admoviſſet, nec ſe prius illud dimiſſuram eſſe denuntiaſſet, quam ſanitatem obtinuiſſet, ac deinde hoc ſuo pharmaco corpus totum perfudiſſet; & ſi quid uſpiam antityporum pretioſi corporis aut ſanguinis manus recondiderat, id lachrymis admiſcuiſſet, o rem admirandam! ſtatim ſe morbo liberatam ſentit, atque corpore & animo levis diſcedit, pro ſpei mercede id quod ſperaverat, conſecuta... Magna quidem hæc ſunt, non tamen falſa.... Hanc rem ne nunc quidem evulgaſſem, niſi timor quidam in animum inceſſiſſet, ſi tantum miraculum & fidelibus & infidelibus, & iis qui ſunt, & poſteris occultaretur.*

Pag.764. B. C. Septimum hauriemus e Sozomeno Lib. 8. Hiſtor. cap. 5. ſic ille: *Tempore Myſteriorum mulier*, quæ cum Macedonianæ ſectæ addicta foret, Catholicam ſe ſimulabat, *id quod* e divinis myſteriis *acceperat, retinens, quaſi Deum oratura, caput ſubmiſit. Ancilla vero, quæ ei aſtabat, id quod domo attulerat, clanculum ei tradidit: quod cum mulier dentibus admoviſſet, inſtar lapidis obduruit. Tum mulier verita ne quid ſibi gravius eveniret, tanto erga ſe patrato miraculo, confeſtim ad Epiſcopum pergens, ſe ipſam accuſavit; ſimulque lapidem oſtendit, qui morſus veſtigia retinebat, materia quadam prorſus ignota, & colore inuſitato præditum..... Quod ſi cui forte hæc minus credibilia videntur, teſtis eſt lapis ipſe, qui in theſauro Eccleſiæ CP. etiamnum ſervatur.*

T.7. pag. 666. Octavum paucis narrabit S. Auguſtinus Lib.2. de Civ. Dei, cap.8. *Vir. Tri-*

Digitized by Google

Tribunitius Heſperius, qui apud nos eſt, habet in territorio Fuſſalenſi fundum.... Ubi, cum afflictione animalium & ſervorum ſuorum, domum ſuam ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogavit noſtros, me abſente, Preſbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit, ut ceſſaret illa vexatio. Deo protinus miſerante ceſſavit.

Nonum legere eſt apud Gregorium Magnum Lib.3. Dial. cap.3. hæc ille: *Pergenti quodam die in Græciarum partibus* Agapito (*bujus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ* Pontifici, *cui Deo diſpenſante deſervio*,) *curandus oblatus eſt mutus & claudus, qui neque ulla verba edere, neque ex terra unquam ſurgere valebat.* *Cumque* qui eum obtulerant *propinqui, fixam ſalutis illius ſpem habere ſe dicerent, protinus venerandus vir orationi incubuit, & Miſſarum ſolemnia exorſus, ſacrificium in conſpectu Dei omnipotentis immolavit. Quo peracto, ab Altari exiens, claudi manum tenuit, atque aſſiſtente & aſpiciente populo, eum mox a terra in propriis greſſibus erexit: cumque ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua ſoluta eſt. Mirati omnes flere præ gaudio cœperunt, eorumque mentes illico metus & reverentia invaſit.*

Decimum tantæ eſt dignitatis, ut totum ipſis Evagrii verbis referri mereatur: ſic ille Lib.4. Hiſtor. Eccleſ. cap.36. *Temporibus* Mennæ CP. *Ed. Val.*
Patriarchæ *miraculum quoddam contigit imprimis memorabile. Vetus eſt con-* p.410. &
ſuetudo Conſtantinopoli, ut quoties ex ſacris partibus immaculati coporis Chriſti 411.
Dei noſtri magnus numerus ſuperfuerit, pueri impuberes ex iis qui Grammaticorum Scholas frequentant, evocentur, qui eas manducent. (*Quod quidem*, addit Nicephorus, eamdem hiſtoriam referens, Lib. 17. cap. 25. *mihi quoque ſæpe numero, cum puer admodum eſſem, contigit.*) *Id igitur eo tempore cum accidiſſet, una cum aliis pueris convocatus eſt filius Vitrarii cujuſdam, qui ſecta erat Judæus. Hic puer parentibus cauſam moræ ex ipſo ſciſcitantibus, id quod factum fuerat expoſuit, & quid ipſe una cum reliquis pueris deguſtaſſet. Pater ira atque indignatione ſuccenſus, illico filium correptum in fornacem ardentem conjicit, in qua vitrum formare conſueverat. Mater vero puerum quæritans, cum reperire non poſſet, per totam urbem circuibat, plorans atque ejulans. Tertio demum die ad oſtium officinæ mariti ſui ſtans, filium nominatim inclamare cœpit, flens ac ſe ipſam lacerans. Tum puer agnita matris voce, ei reſpondit ex fornace: ſtatimque mater perfractis foribus ingreſſa, puerum inter carbones ſtantem videt, quem ignis nullatenus ambuſſerat. Qui poſtea interrogatus, quonam modo illæſus permanſiſſet, mulierem quamdam purpurea indutam veſte crebro ad ipſum ventitaſſe dixit, & aquam ipſi porrexiſſe, & carbones, qui juxta ipſum erant, reſtinxiſſe; cibum quoque eſurienti præbuiſſe. Quæ cum nuntiata eſſent Juſtiniano, Imperator puerum ſimul ac matrem regenerationis lavacro initiatos Clero aſcripſit*; ſeu, ut loquitur Nicephorus, *Deo dicavit. Patrem vero Chriſtianæ Religionis Sacramenta percipere penitus recuſantem, tanquam proprii filii interfectorem, in Sycenſi ſuburbio cruci ſuffigi præcepit.* Hæc Evagrius, qui teſte Photio in Bibliotheca Cod. 29. *in dogmatum veritate cæteris* Hiſtoricis *accuratior eſt*. Hunc equidem in fabulas proniorem eſſe vult Guilielmus Cave: At Proteſtanti fabellas eſſe oportet, quidquid *de cruce*, *Reliquiis & miraculis* ſcribitur.

His addiderim, quod narrat Thomas Valdenſis Lib.2. de Sacram. c.63.

 præſen-

præſente ſe in Eccleſia S. Pauli Londinenſis eveniſſe. Nempe vero cum Cantuarienſis Archiepiſcopus præcepiſſet ut Wicleſiſta quidam Chriſti in Sacramento præſentiam confiteretur, & adoraret Euchariſtiam; atque is ore blaſphemo reſpondiſſet, *araneam digniorem eſſe veneratione*; confeſtim horribilis, & ingentis magnitudinis aranea, e ſummo templi tecto in ore impudentis prorupit; vixque prohibere potuerunt manus multorum quominus ea ad linguam & fauces uſque penetraret.

Ex iis ſic: Non aliam tot prodigiorum eventu doctrinam confirmare potuit Deus, quam quæ a ſanctis Doctoribus Chriſtianæ plebi tradebatur in dies: atqui hi Catholicam, quam tuemur, de ſacrificio doctrinam tradebant & tenebant. Nimirum vero habebant Altare & Sacerdotes ritu legitimo conſecratos; habebant oblationem, eamque corporis & ſanguinis Domini; habebant & habere gloriabantur ſacrificium, &c. ergo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Non probatur vel hominum Traditione, vel miraculis, quidquid Scripturis aperte reprobatur: atqui Miſſæ ſacrificium Scripturis aperte reprobatur. Sic enim loquitur Apoſtolus Hebr. 10. 15. *Una oblatione conſummavit* Chriſtus *in ſempiternum ſanctificatos*. & ſupra v. 11. *Omnis quidem Sacerdos* Leviticus *præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata: Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei*. Idem jam a cap. 9. edocuerat Paulus v. 11. ubi hæc: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum..... per proprium ſanguinem ſemel introivit in ſancta, æterna redemptione inventa*. Unde ſic in forma: Ubi unum dumtaxat admittitur Chriſti in cruce ſacrificium, ibi aliud quodcumque reprobatur: atqui in objecto textu unum dumtaxat, &c. Ibi enim unum eſt ſacrificium, ubi unica oblatione ſanguinis in cruce effuſi adeo conſummantur ſanctificati, ut jam alia nulla oblatione indigeant: atqui ex Apoſtolo, &c.

R. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. diſt. min. ſanctificati una ſanguinis Chriſti oblatione conſummantur; quantum ad plenam pro peccatis noſtris ſatisfactionem, C. quantum ad ſatisfactionis hujus applicationem, ſubd. una conſummantur oblatione, quoad ſubſtantiam, C. quoad offerendi modum, N. Itaque ut ex Paulo nihil adverſum nos extundi poſſit, duo ſufficiunt, 1. ut quidquid ille de infinita cruenti crucis ſacrificii virtute prædicavit, id nos neceſſario confiteamur; 2. ut nihil horum negaverit quæ ſacrificio Euchariſtico tribuimus: atqui utrumque vel minimum attendenti conſtat. Primum quidem: Ecquid enim de ſacrificii crucis efficacia docet Apoſtolus? hoc unum, nempe cruentam illam Chriſti Domini oblationem tanti fuiſſe valoris, ut in ea plenum fuerit noſtræ ſanctificationis pretium: unde neceſſe non ſit ut Chriſtus denuo *per proprium ſanguinem* intret *in ſancta*, & novam inveniat redemptionem, quaſi prior illa mundo redimendo impar fuerit, perinde ac antiquæ Legis ſacrificia, quæ ſæpe ſæpius iteranda erant: atqui hæc nos plenis faucibus confitemur, & confiteri debemus Catholici; ergo nos inter & Proteſtantes nihil ex hac parte poteſt eſſe diſſenſionis. Secundum non minus evidens eſt: 1. quia conſtat Apoſtolum illius ſolum ſacrificii iteratio-

rationem excludere, per quod oportuiſſet Chriſtum *frequenter pati ab origine mundi*: atqui pateretur equidem Chriſtus frequenter, ſi pluries immolaretur in cruce, non autem ſi myſtice & ſpiritualiter immoletur in Euchariſtia; 2. quia nullibi negat, ſed ubique docet Apoſtolus, neceſſum eſſe ut pretium redemptionis noſtræ, quantumvis a Chriſto ſufficienter ſolutum, nobis applicetur; ergo ſicut pretium illud per Sacramenta, per orationes, per ipſam Chriſti in cœlis interceſſionem, quotidie citra ullam ſacrificii ſemel in cruce oblati injuriam applicatur; ſic & per Euchariſtiæ ſacrificium applicari poteſt. Quapropter duplex certo ſenſu ſacrificium habent Chriſtiani, aliud redemptionis in Cruce, quod plenam nobis promeruit peccatorum remiſſionem, & eſt gratiæ fons inexhauſtus; aliud religionis in Euchariſtia, per quod eadem gratia nobis applicatur: primum ſe habet ut ſol, qui a nullo alio, ſed a quo alia quæcumque lucem ſuam mutuantur; ſecundum ſe habet ut ſolis radius, quo mediante lux ſolis diffunditur. Primum eſt veluti fons aquis pleniſſimus; ſecundus eſt veluti canalis, per quem ad nos ſaliunt aquæ: Jam vero radius nedum noceat ſoli, ſummam e contra plenitudinem ejus ſupponit & demonſtrat; idemque eſt de canali reſpectu fontis; ergo pari jure nedum ſacrificium religionis quidquam detrahat ſacrificio redemptionis, ſummam ejus fecunditatem commendat. Hebr. 9. 25.

Quin & iſtud religionis ſacrificium reipſa idem eſt quoad ſubſtantiam cum ſacrificio redemptionis, *ſola offerendi ratione diverſa*. Unde Chryſoſtomus in prædictum caput 10. Ep. ad Hebr. Hom. 17. *Quid* ergo, inquit, *an non quotidie offerimus? Offerimus plane*, reſpondet, *ſed in memoriam revocando Chriſti mortem; & ipſa una eſt, non multæ*.

Inſt. 1. ex eodem Apoſtolo ibid. v. 18. *Ubi horum*, peccatorum videlicet, *remiſſio facta eſt*, *jam non eſt oblatio* rurſus facienda *pro peccato*: atqui in Cruce facta eſt plena peccatorum omnium remiſſio. Ibi nempe delevit Chriſtus *chyrographum decreti*, *quod erat contrarium nobis*, Coloſſ. 2. 14.

R. ut ſupra diſt. min. in Cruce facta eſt plena peccatorum remiſſio quoad ſolutionem pretii redemptionis noſtræ, C. quoad applicationem pretii hujus, N. Quemadmodum igitur Chriſtus, licet ſemper pro nobis interpellet ex Apoſtolo Hebr. 7. 25. haud tamen ſacrificio a ſe olim in Cruce oblato detrahit, quaſi illud redemptioni noſtræ impar fuerit, & nova indigeat interpellatione tanquam ſupplemento; ſic neque eidem Crucis ſacrificio detrahit, cum ejus merita nobis applicat, ſeu per ſacrificium Miſſæ, ſeu per alia quæ in eumdem finem inſtituere voluit media. Et vero ſi potuit Chriſtus homines redimere per minimam illius quem in circumciſione effudit ſanguinis guttam, neque tamen eos niſi per ſuam in Cruce paſſionem redemit: Quidni hominem plene redemerit in Cruce, neque tamen ei redemptionis hujus fructum niſi per Euchariſtiam, aut alia quæ inſtituit media, applicare velit?

Inſt. 2. Si ut applicetur virtus ſacrificii crucis, novo opus ſit ſacrificio, novis opus erit Sacerdotibus qui idem ſacrificium offerant: atqui falſum conſequens ex Apoſtolo. Sic enim loquitur ille Hebr. 7. 23. *Alii quidem* in veteri Lege *plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem*, nempe Chriſtus, *eo quod maneat in æternum, ſempi-*

ternum habet ſacerdotium. Unde ſic: Qui ſempiternum exercet ſacerdotium, non indiget novis qui ſibi ſuccedant Sacerdotibus, ſicut indigebant Levitici Sacerdotes, qui per mortem prohibebantur permanere in æternum: atqui ex Apoſtolo Chriſtus, &c.

R. ad 1. diſt. maj. novis opus erit Sacerdotibus tanquam miniſtris Chriſti, ejuſque vicariis, C. tanquam offerentibus primariis, qui Chriſto in dignitate ſacerdotali ſuccedant, N. ſic diſtincta minore, nego conſ. Itaque opus eſt Sacerdotibus ut in omni loco offeratur oblatio munda, quam prænuntiarunt Prophetæ: unde cum Sacerdotes ad offerenda ſacrificia conſtituantur, jam liquet ſuum eſſe novæ Legi ſacrificium. Verum abſit ut iidem Sacerdotes ſempiterno Chriſti ſacerdotio adverſentur, aut eam inducant Miniſtrorum pluralitatem, quam Apoſtolus ſoli antiquæ Legi competiiſſe declarat. Ad id enim neceſſe foret, ut novi Teſtamenti Sacerdotes Chriſto ſuccederent, prout Aaroni ſucceſſere Eleazarus, Phinees, aliique deinde Sacerdotes Levitici, qui non minus fuere ſummi Sacerdotes, quam ipſe Aaron. Porro ſucceſſionem hanc, ut Chriſto injurioſam rejiciunt Catholici omnes cum Apoſtolo. Cur enim vere & proprie ſuccedebat Aaroni Eleazarus? quia tota unius dignitas, jura tota ad alium devolvebantur, itaut poſſet is, ſicut & ille, non eaſdem in individuo, ſed ſimiles hoſtias offerre nomine proprio: atqui Chriſtiani Sacerdotes, nec totam Chriſti dignitatem habent; nec proprio nomine, ſed Chriſti offerunt; nec aliam offerunt victimam, quam quæ primum oblata eſt a Chriſto; id eſt victimam, quam nemo mortalium proprio ſuo nomine offerre valeat; ergo ſtat Evangelicos Sacerdotes eſſe quidem Chriſti Miniſtros, ac pro eo legatione fungi, non autem ei ſuccedere; ergo ſtat rurſus unum duntaxat eſſe, ſemperque futurum in Chriſtianiſmo ſummum Sacerdotem; cum e contra Lex vetus tot habuerit ſummos Sacerdotes, quot habuit legitimos Aaronis ſucceſſores; ergo demum ſtat, id omne quoad Sacerdotum pluralitatem a nobis rejici, quod rejecit Apoſtolus: ſtabitque ex dicendis ubi de Ordine, id omne admitti ab Apoſtolo quod admittimus. Unde

Ad 2. vel concedo totum, quia reipſa non indiget Chriſtus Sacerdotibus qui ſibi ſuccedant; etſi voluerit indigere Miniſtris, qui myſteria ſua conficiant & diſpenſent; vel neg. maj. ut quæ falſo ſupponat, Chriſtum in ſyſtemat Catholico ſuos habere in Sacerdotio ſucceſſores. *1. Cor. 4.*

Obj. 2. Id unum facere poſſunt Miniſtri Chriſti quod fecit ipſe Chriſtus in ultima Cœna: atqui Chriſtus in ultima Cœna accubuit quidem menſæ, & Sacramentum diſtribuit Diſcipulis; at non legitur quidpiam obtuliſſe Patri. Et vero narrat Pallavicinus Lib. 18. Hiſtoriæ Trid. cap. 2. diu multumque inter Concilii Theologos diſputatum fuiſſe, an Chriſtus Euchariſtiam inſtituendo, ſe ſe Deo Patri ſacrificium obtulerit, aliis contra alios reclamantibus; ergo. *T. 3. pag. 104.*

R. ſyllogiſmum, ne peccet in forma, ſic inſtitui debere: Illud unum facere poſſunt Miniſtri Chriſti, quod Chriſtus in Scriptura feciſſe legitur; & tunc 1. neg. maj. multa enim fecit Chriſtus in ultima Cœna, ab Evangeliſtis prætermiſſa ſunt, tum quia hæc ex circumſtantiis intelligebantur; tum quia ſuus eſſe debebat Traditioni honos. Sic nullibi ſcribunt Auctores ſacri, Chriſtum in eſu Agni paſchalis ritus a lege præſcritos ſervaſſe; quos tamen ab ipſo adamuſſim ſervatos fuiſſe, nemo ambigit.

Sic

Digitized by Google

Sic nec ſcriptum eſt, eumdem Chriſtum in calice quem Apoſtolis obtulit, vinum aqua temperatum poſuiſſe; imo nequidem diſerte ſcriptum eſt, vinum ab eo tunc temporis adhibitum fuiſſe: & tamen neutra actio in dubium revocatur. Quemadmodum ergo hæc, licet in Libris ſacris non expreſſa, credimus, quia credere jubent rerum circumſtantiæ, Eccleſiarum praxis, & Majorum Traditio; ſic & Chriſtum ſe Patri in ſacrificium obtuliſſe credimus, 1. quia id exigunt omnes rei circumſtantiæ; eo enim ipſo quo Redemptor corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpecie panis & vini reproduxit, per actionem utriuſque moraliter deſtructivam; idque elevatis in cœlum oculis, ad proteſtandam ſupremam Patris ſui dignitatem, neceſſe erat ut verum offerret ſacrificium; 2. quia idem evincit praxis omnium Mundi Eccleſiarum, quibus ſemper perſuaſum fuit, ſe idem in Miſſa offerre ſacrificium, quod Chriſtus in ultima Cœna obtulit; 3. quia idem probat conſtans Patrum doctrina, e quibus ne nauſeam pariat prolixior repetitio, unum id refricabimus Cypriani Epiſt.68. *Quis magis Sacerdos Dei ſummi, quam D.N.J.C. qui* in ultima Cœna *ſacrificium Deo Patri obtulit? & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem*, &c.

R. 2. neg. min. propter rationes ſuperius in Concluſione quarta allatas. Et vero ut quis ſacrificet, neceſſe non eſt ut in terminis dicat: *Offero*; alioqui ne in Cruce quidem Chriſtus verum obtuliſſet ſacrificium; ſed ſufficit ut actio illius veram importet oblationem: hanc porro importabat actio Chriſti, cujus ſanguis actu e calice fundebatur, tum in gloriam Patris, tum in ſalutem eorum qui credituri erant: unde Salvator, & Patrem alloquitur & Diſcipulos; Patrem, cum ad eum ſolum ſuam gratiarum actionem direxit; Diſcipulos vero, cum & eos ordinavit Sacerdotes, & ſui ſacrificii participes eſſe voluit. Neque vero credendum eſt Chriſtum paucis omnino verbis compellaſſe Patrem, quia ejus gratiarum actionem duplici hac voce expreſſerint ſacri Scriptores: *Gratias agens*. Indubie enim, ait ipſe Grotius in cap.26. Matth. *non pro veteri tantum creatione, ſed & pro nova, cujus ergo in hunc orbem venerat, preces fudit, gratiaſque Deo egit pro redemptione humani generis, quaſi jam peracta, utpote cui implendæ non multum temporis reſtaret:* unde hanc gratiarum actionem habent *omnes quotcumque extant Liturgiæ*, ait Renaudot Tom. 2. pag. 226. Quid porro e re magis, quam in tot beneficiorum recognitionem ſubjunctum fuiſſe a Chriſto, quod is jam dixerat ingrediens mundum: *Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi.... Ecce venio*, &c. Pſal. 39. & Hebr. 10. verum de his quæ hirſuta Theologia non capit, adeatur Duguet Tract. de Cruce, part.2. cap.14.

Ad confirmationem ex Pallavicini Hiſtoria petitam, R. quæſtionem *An.15*[illegible] Tridentinos inter Theologos motam, in eo non fuiſſe, an Chriſtus ſimpliciter ſe ſe Deo Patri in ſacrificium obtulerit in ultima Cœna; bene vero, an ſacrificium quod tunc obtulit, propitiatorium dici queat. Negabant alii, & contendebant cum Gaſpare a Caſalio, Leirienſi Epiſcopo, *per hanc ſententiam multum detrahi crucis ſacrificio, perinde quaſi ante illud* *Ib.p.*108. *Servator Patri* HUMANÆ SALUTIS GRATIA *ſe immolaſſet*. Atque hinc conſequens erat, Redemptorem in Cœna *ſacrificium mere Euchariſticum, hoc eſt laudis & gratiarum actionis, non ſatisfactionis & expiationis* obtuliſſe;

 quod

quod diſerte contendebant Archiepiſcopi Granatenſis, Bracarenſis, & Lancianenſis. Affirmabant ex adverſo alii plures, & ſacrificium Chriſti in Cœna propitiatorium fuiſſe tam conſtanter rebantur, ut Bellajus Pariſienſis Antiſtes *affirmaret, dubitaturum ſe fuiſſe, an ipſe hæreticus foret, ſi aliter ſentiret*. Idipſum tuebatur Didacus Lainius, Societatis Jeſus ſupremus moderator, & Patres ſupra quadraginta, tum Latinos, tum Græcos in aſſertionis ſuæ ſubſidium appellabat. Sed quis tandem hujuſce diſſidii exitus? is plane inſolens, quem paucis narrat Pallavicinus: *Poſtremo contigit, adverſus quam evenire ſolet in ſubtilioribus diſputationibus, in quibus ſui quiſque ingenii conceptus amans, in propugnata ſententia inhæret firmius. Etenim fere omnes in primam ſententiam abiere, etiam qui acerrime illi reſtiterant*. Nihil tamen pro ſapientia ſua Tridentini Patres ea de re definiri voluere; ſed docuere dumtaxat, quod *Chriſtus Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini obtulit; ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit, & eiſdem, eorumque ſucceſſoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem*.

Inſt. 1. Si Chriſtus ſe Patri in ſacrificium pridie mortis obtulerit, neceſſe eſt ut jam tum redemptionis noſtræ opus conſummaverit: atqui falſum conſequens. Alioqui enim vel Filius ſua nos morte non redemiſſet, quod Scripturis adverſatur; vel Pater debitum humani generis ſibi bis perſolvi voluiſſet, quod juſtitiæ repugnat; ergo Chriſtus nullum ſui in ultima Cœna ſacrificium obtulit Patri.

R. ad 1. neg. maj. ut enim conſummaretur opus redemptionis noſtræ, neceſſe erat ut hæc vel illa Chriſti actio hunc in finem ordinaretur: porro Chriſtus incruentum ſui in ultima Cœna ſacrificium non ordinavit ad plenam & abſolutam redemptionis noſtræ conſummationem, ſicut nec ad eam ordinavit vel emiſſi in circumciſione ſua ſanguinis effuſionem, vel preces & jejunia ſua, quæ tamen, utpote Theandricæ actiones, mille mundorum redemptioni ſatis ſuperque fuiſſent; ergo Chriſtus ſua nos ſola morte complete redemit, nec proinde duplex ab eo pretium exegit Pater.

Inſt. 2. Si res ita ſit, prima Euchariſtici ſacrificii oblatio nullum quoad homines effectum habuit: atqui abſurdum conſequens, &c.

R. neg. maj. & dico ſacrificium Euchariſtiæ, cum a Chriſto prima vice oblatum eſt, eumdem habuiſſe effectum quem quotidie parit, atque ideo applicativum fuiſſe ſacrificii Crucis proxime futuri.

Inſt. 3. Non poteſt applicari quod nondum eſt: atqui nondum erat Crucis ſacrificium, & quod ab eo pendebat pretium redemptionis noſtræ, cum Chriſtus Euchariſtiam inſtituit.

℞. diſt. maj. non poteſt applicari quod nondum eſt phyſice vel moraliter, C. quod nondum eſt phyſice, ſubd. non poteſt applicari phyſice, C. moraliter, N. Itaque ſicut phyſica rei applicatio phyſicam ejuſdem exiſtentiam poſtulat, ſic applicatio mere moralis morali tantum exiſtentia contenta eſt. Porro merita paſſionis Chriſti, 1. moraliter exiſtebant ante paſſionem, quia jam a Deo acceptata erant; unde per hæc ſalutem Apoc. 13. 8. conſecuti ſunt juſti quicumque antiquæ Legis; & hoc ſenſu *Agnus* dici

poteſt,

pôteſt, *occiſus ab origine mundi*; 2. non niſi moraliter applicantur, quatenus Deum movent, ut neceſſaria nobis auxilia largiatur; ergo.

Obj. 3. cum Calvino Lib. 4. Inſtit. c. 18. admitti non poteſt ſacrificium quod derogat efficaciæ ſacrificii Crucis: atqui Euchariſtiæ ſacrificium derogat..... Enim vero Crucis ſacrificium vim habet infinitam: atqui non ſubſiſtit vis illa poſita Euchariſtici ſacrificii neceſſitate. Quod enim non niſi dependenter ab alio vim ſuam habet, non habet per ſe vim infinitam: atqui admiſſa ſemel Euchariſtici ſacrificii neceſſitate, jam ſacrificium Crucis non niſi dependenter ab Euchariſtico ſacrificio vim ſuam habet; ergo.

R. ad 1. 2. & 3. neg. min. nam verum equidem eſt vim ſacrificii Crucis applicari per ſacrificium Euchariſtiæ, quemadmodum, juxta Adverſarios, applicatur per Baptiſmum & ſanctam Cœnam: at ſimul verum eſt, idem Crucis ſacrificium vim de ſe habere æternam & infinitam: Ecqui enim applicaretur virtus, quæ non ſubſiſteret. Quapropter, ut jam monuimus, Euchariſtiæ ſacrificium, nedum Crucis ſacrificio deroget, ſumma eſt illius commendatio. Quod enim infinita Crucis merita applicat, eadem merita indubie ſupponit & commendat.

Inſt. 1. Quod per alia media applicari poteſt, non indiget ſacrificio Euchariſtiæ ut applicetur: atqui virtus ſacrificii Crucis per alia media, puta per Baptiſmum, S. Cœnam, & prædicationem applicari poteſt.

R. neg. maj. ad ſenſum objectionis. Sicut enim virtus ſacrificii Crucis, etſi abſolute per Baptiſmum & pietatis actus, quantum ad ſalutem ſufficit, applicari poteſt, vere tamen juxta Adverſarios applicatur per Sacramentum Cœnæ, ſic & præſtantiori modo applicari poteſt per Euchariſtiæ ſacrificium: Unde ſacrificium illud, haud quidem abſolute, ſed poſita Chriſti inſtitutione neceſſarium eſt, 1. ad conſtituendam Religionem Chriſtianam, quam, utpote Lege cum naturali, tum & Moſaica excellentiorem, ſuo etiam ſacrificio decorari convenit; 2. ad exhibendum Deo exteriorem ſupremæ latriæ cultum, qui per ſacrificium præcipue impenditur; 3. ad renovandam ſacrificii Crucis memoriam: ſi enim ſua Judaicæ genti fuere ſacrificia, quibus futurum Crucis ſacrificium repræſentaret; quidni habeat Chriſtiana plebs ſacrificium, quo præteritum Crucis ſacrificium repræſentet? 4. demum ut fructus ſacrificii Crucis nobis ubertim applicetur. Unde hic contra Lutheranos retorqueri poteſt, quod eorum quiſpiam * in alio capite effutiebat contra Catholicos: Quod genus hominum eſtis vos Lutherani, & unde veniſtis, ut & Deo media, quibus Filii ſui ſanguinem applicet, temere præſcribatis; & Miſſæ ſacrificium, tota retro Sanctorum Traditione confirmatum, impie proſcribatis? Et vero plura præſtat ſacrificium Miſſæ, quæ per Sacramenta præſtari non poſſunt. Hæc enim iis ſolum proſunt a quibus ſuſcipiuntur; & adultos non diſponunt, ſed ſupponunt diſpoſitos; alias inquinant, nedum ſanctificent: at vero Miſſæ ſacrificium omnibus prodeſſe poteſt, etiam infidelibus, & obduratis, ut infra dicemus.

Inſt. 2. Reſponſio mox allata ſupponit 1. neceſſum eſſe, ſaltem ex inſtitutione Chriſti, ut in Lege nova exterior latriæ cultus Deo impendatur; 2. hunc Dei colendi morem a prioribus Eccleſiæ ſæculis apud Chriſtia-

Vu 4 nos

* Defenſe de la Religion Lutherienne contre les Docteurs de l'Egliſe Romaine: A Francfort, 1685. *pag.* 85.

nos viguiſſe: atqui utrumque falſum eſt. Primum quidem; tum quia Chriſtus ſenſibilem cultum a ſuis amandavit Joan.4. ubi ſic Samaritanam alloquitur: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate;* tum quia independenter a Miſſæ ſacrificio ſuum habet Chriſtiana Religio ſacrificium, Crucis videlicet. Secundum vero, quia ad ſacrificium requiruntur altaria: atqui deerant hæc apud primarios Fideles: ut liquet ex iſta Cæcilii ethnici quærela apud Minutium Felicem, in Dialogo qui inſcribitur Octavius: *Cur nullas aras habent* Chriſtiani, *nulla templa, nulla ſimulacra?*

R. ad 1. neg. min. quam nulla ex allatis probationibus demonſtrat.

Non prima, quæ petitur ex Joan.4. tum quia ſi eo loci excluderetur a Chriſtiana Religione, quidquid externum eſt & ſenſibile, excluderentur etiam Sacramenta, quorum tamen aliqua a Proteſtantibus ſervata ſunt; tum quia nuſquam melius & plenius Patrem in ſpiritu & veritate adorant Chriſtiani, quam cum ei Filium ſuum unigenitum myſtice immolatum offerunt; tum quia ſacrificium Miſſæ reipſa ſpirituale eſt ſecundum præcipuam ſui partem, hoſtiam nempe quæ immolatur, & virtutem quæ ex illa cumulate dimanat; tum denique quia Chriſti verba, ſi penitius inſpiciantur, prænuntiant Euchariſtiæ ſacrificium, quod neque *in monte* Gariſim, *neque Jeroſolymis* duntaxat, ſed *in omni loco* deinceps offerendum erat, uti prædixerat Malachias. Nimirum vero Chriſtus, qui Samaritanæ clarius, quam alii cuipiam loquebatur, ut patet ex v.25. de ea adorationis ſpecie ſermonem habuit, de qua hæc ipſum interrogaverat: atqui Samaritana Chriſtum interrogaverat, non de interna quavis, ſed de publica & ſolemni per ſacrificium adoratione; de ea nimirum, quæ Judæos inter & Samaritanos ſchiſmatis origo fuerat; quatenus alii non niſi Jeroſolymis ſacrificari poſſe contendebant; alii vero jam a Darii temporibus, auctore Manaſſe Jaddi, in Samaria ſupra montem Gariſim ſacrificabant; ergo cum reſpondet Chriſtus, brevi futurum ut veri adoratores Patrem adorent in ſpiritu & veritate, probabiliſſime loquitur de ſolemni & publica per Miſſæ ſacrificium adoratione; quæ & *in ſpiritu* futura ſit, ad diſcrimen legalium hoſtiarum, ubi mera animantium caro ſteriliter immolabatur; & *in veritate*, ad diſcrimen victimarum gentis Samaritanæ, quæ falſis diis immolando, adorabat quod neſciebat. Neque vero ad alienum ſenſum torquemus adorationis vocem: conſtat enim eam non raro ſumi pro ſacrificio, ut Act.8. v.27. ubi *Eunuchus venerat adorare in Jeruſalem*; & Joan.12.20. ubi *quidam Gentiles* aſcendiſſe dicuntur, *ut adorarent in die feſto*.

Non ſecunda quæ petitur e ſacrificio Crucis: quin & ex illa nova nobis exurgit probatio in hunc modum. Non minus ſacrificii proprii expers eſſe debet Religio Chriſtiana, quam ſacrificii expers fuerit vera quæcumque Religio, ſeu ante, ſeu poſt Moyſem: atqui dempto Euchariſtiæ ſacrificio nullum habet Chriſtiana Religio ſacrificium, ſaltem quod ſibi proprium ſit. Nam 1. ſacrificium Crucis haud proprium eſt Religionis Chriſtianæ, ſed commune veris, quotquot ab initio mundi fuere, Religionibus: cum juſti omnes ſub lege, ſeu naturæ, ſeu Moſaica, per hujus ſacrificii influxum ſanctificati ſint; 2. ſacrificium Religioni cuipiam a Deo traditum, debet ipſam perpetuo comitari: atqui ſacri-

ficium

ficium Crucis, etſi quoad effectum permanet, reipſa tamen deſiit in ſe; ſtatim ut oblatum eſt: imo nec unquam vere fuit tempore Chriſtianæ Religionis, quia hæc non incœpit proprie niſi poſt Chriſti mortem; 3. ſi ſuum eſſe debet Religioni ſacrificium, utique externum & viſibile, quod videlicet illius Religionis homines peragere ac frequentare poſſint: atqui nec jam viſibile eſt ſacrificium Crucis, quod ſola fide percipitur; nec tale ut ad illud convenire poſſint Fideles, & frequentando peragere; alioqui Chriſtum denuo cruci affigere poſſent; 4. ſacrificium cujuslibet veræ Religionis proprium, debet eſſe ritus ab ejuſdem Religionis Auctore inſtitutus ut ſibi per eum impendatur cultus latriæ: atqui ſacrificium Crucis, ſeu occiſio Chriſti, nec ritus fuit a Chriſto inſtitutus, nec unquam latriæ cultum importavit ex parte Miniſtrorum ſacrificii hujus, ſed ſacrilegium enorme, quo *vitæ auctorem* interemerunt; ergo ſacrificium Crucis reipſa non poteſt eſſe ſacrificium Chriſtianæ Religionis, quam proinde, ſi tollatur Miſſa, omni prorſus ſacrificio carere neceſſum eſt.

Subſumo: Atqui poſitis rebus, ut eſſe debuerunt in Religione omnium præſtantiſſima, non poterat Religio Chriſtiana jugi carere ſacrificio: 1. quia alioqui plus honorabatur Deus in Moſaica Lege, quam in Evangelica. In illa enim exhibebatur ei ſummus latriæ cultus, tam interior per futura Chriſti merita, quam exterior per ſacrificia: in hac autem exterior ille, dempto Miſſæ ſacrificio, exhiberi non poteſt; 2. ideo ſua Judæis ſacrificia fuere, 1. quia viſibilem conſtituebant Eccleſiam, quæ viſibilibus ſacrificiorum ſignaculis optime coadunatur; 2. quia æquum erat, ut qui mortem Chriſti præſentem intueri non poterant, eamdem prout futuram ſuæ ſalutis radicem ſæpe ſæpius commemorarent; 3. quia neceſſum erat, ut & Deum placarent, & ab eo beneficia impetrare niterentur, & demum pro impetratis gratias agerent: atqui eæ omnes Judaicorum ſacrificiorum cauſæ in nova Lege concurrunt; ergo ſicut nova Lex antiquam æmulata eſt in adoratione, votorum nuncupatione, hymnis, canticis, feſtis diebus, jejuniis, ſic & in ſacrificio æmulari debuit; prorſuſque incredibile eſt Chriſtum eo duntaxat honoris genere ſuis interdixiſſe, quod Dei maxime proprium eſt.

Neque eſt quod dicant, interiorem cultum quem Deo pendunt Chriſtiani, externo nobiliorem eſſe: etſi enim cultus interior cultu mere exteriori nobilior eſt, attamen interior junctus cum exteriori nobilior eſt cultu pure interno; quia & hunc, & publicam ejus teſtificationem, Deo utique acceptiſſimam, complectitur. Vide Bellarmin. Lib. 1. de Miſſa.

Non tertia quæ petitur ex fictitio Altarium defectu. Conſtat enim ex allatis ſupra Cypriani & aliorum auctoritatibus Chriſtianos omni ævo Altaria habuiſſe. Ea tamen ut plurimum Ethnicis ignota erant, quia diligentiſſime cavebant Chriſtiani, ne ſacris noſtris intereſſent Gentiles; ſeu quod vereri eſſet ne pretioſa pedibus conculcarent porci; ſeu quod immineret perſecutio: atque hinc Fideles in cryptis plerumque aut ſpeluncis, vel certe in privatis domibus ſacra peragere cogebantur: quo etiam factum eſt ut ab Ethnicis vulgo æſtimarentur Athei, eo quia nulli numini palam ſacrificarent. Ita Bellarmin. ibid. cap. 16.

Inſt. 2. contra primam reſponſionem: Non potuit Chriſtus inſtituere ſacrificium, per quod ſacrificium Crucis ex hominum memoria

excu-

excutitur: atqui per Euchariſtiæ ſacrificium .... Iis enim ſacrificium Crucis e memoria facile excutitur, qui in unam Miſſam intenti, ab ea gratiam & peccatorum remiſſionem unice ſperant: atqui, &c.

R. ad 1. & 2. neg. min. Qui enim Euchariſtiæ ſacrificium velut applicativum ſacrificii Crucis intuentur, illi profecto vel ex ipſo Miſſæ nomine ſacrificium Crucis recolere admonentur: atqui ex toties recantatis Fideles ſacrificium Miſſæ intuentur ut applicativum ſummæ illius virtutis, quæ e ſacrificio ſemel in Cruce oblato profluxit; ergo. Et certe nemo facile capiat, primævos Eccleſiæ Doctores, qui Chriſti Crucem, ejuſdemque Crucis efficaciam indeſinenter cum Apoſtolo prædicabant, illius oblitos fuiſſe: atqui hi tamen a Miſſæ ſacrificio totum id ſperabant, quod etiamnum ſperant Fideles. Minor cuicumque in veteribus Liturgiis minime peregrino indubia eſt. Sic S. Baſilius ab ipſo Liturgiæ ſuæ exordio: *Deus dator gratiæ*, inquit, *concede nobis ut ſit accepta coram te hæc noſtra oblatio pro peccatis meis, & præcipue pro iniquitatibus populi*. Sic & in Liturgia ſua S. Chryſoſtomus: *Idoneos nos redde ad inferenda tibi dona & ſacrificia pro peccatis noſtris, & populi ignorantiis*. Idem tradunt ceteri Patres, quorum nonnullos adducemus Cap. ſeq.

Obj. 4. Euchariſtia eſt Sacramentum: atqui idea Sacramenti excludit rationem ſacrificii. Sacramentum enim homines reſpicit, ſacrificium vero cultum ſupremi Numinis.

R. diſt. min. excludit rationem ſacrificii ſub eo reſpectu ſub quo eſt Sacramentum, C. ſub omni reſpectu, N. itaque Euchariſtia ſub diverſis reſpectibus eſt Sacramentum, ſacrificium, imo & teſtamentum. Sacramentum quidem, quatenus eſt ſignum ſenſibile gratiæ animam pie diſpoſitam nutrientis. Sacrificium vero, quatenus Deo exhibet victimam myſtice immolatam, primario in recognitionem ſupremi ejus dominii, & ſecundario ad impetrandam nobis delictorum condonationem. Teſtamentum denique, quatenus eſt inſtrumentum, quo applicantur nobis divinæ promiſſiones.

Inſt. Lex nova nonniſi unicum habet teſtamentum, unicum & ſacrificium: atqui poſita reſponſione noſtra multiplex erit in Lege nova Teſtamentum, multiplex & ſacrificium. Siquidem præter teſtamentum ultimæ Cœnæ, & ſacrificium Crucis, tot erunt Sacramenta & ſacrificia, quot celebrabuntur Miſſæ: nulla enim eſt Miſſa quæ novam peccatorum remiſſionem non promittat: atqui denſa illa Sacramentorum & ſacrificiorum multiplicitas nonniſi impie admitti poteſt; ergo.

R. ad 1. neg. min. & paucis dico, teſtamentum ut & ſacrificium Chriſti morientis pluries quidem repeti, vel potius, continuari in Miſſa, ſed non ideo multiplicari; quia in Miſſa idem eſt qui in paſſione teſtamenti conditor, idem & ejuſdem victimæ ſacrificus. Unde Miſſa novam peccati remiſſionem non ſpondet, ſed remiſſionis antiquæ applicationem; vel ſi mavis, remiſſionem novam reſpectu ſubjecti, cui dimittitur, quod antea dimiſſum non erat; antiquam vero reſpectu principii, quod per media a ſe ſancita ſummam & inexhauſtam Crucis virtutem effundit.

Obj. 5. Ad ſacrificium rei viventis requiritur ejuſdem mactatio, ſeu occiſio: atqui nulla in Miſſæ ſacrificio intervenit occiſio victimæ. Eſt enim, juxta nos, Chriſtus ipſe victima: porro *Chriſtus reſurgens a mortuis, jam non moritur*. Pro ſolutione ſit

C A-

CAPUT TERTIUM.

In quo ſita ſit Sacrificii Miſſæ eſſentia.

PRæſens Caput duplici concludemus Articulo: prior Anglicanum de ſacrificio ſyſtema expendet; poſterior varias Scholæ opiniones indagabit, & unam ſeliget e pluribus.

ARTICULUS PRIMUS.

Expenditur Anglicanum ſyſtema.

CUm anno circiter 1716. de ineunda Gallicanam Eccleſiam inter & Anglicanam communionem concordia Galli quidam & Angli Doctores cogitaſſent, * hinc quidem Doctor VVake, Cantuarienſis poſtea Antiſtes; inde vero Doctor Dupin, prodiit Bruxellis anno 1723. volumen unum, quod hujus unionis intuitu exaratum credidere non pauci, ** ſub titulo: *Diſſertation ſur la validite des Ordinations des Anglois*. Elucubrationem hanc non una impetitam manu ſubſecutum eſt paulo poſt, ideſt an. 1726. volumen aliud, cui titulus: *Defenſe de la Diſſertation ſur la validite des Ordinations des Anglois*, &c.

Operis utriuſque Auctor Petrus-Franciſcus le Courayer, Canonicus Regularis, idemque San-Genovefenſis Bibliothecarius: vir, qui ſi forte verum tuitus eſt, ea profecto ſtili amaritudine, quà vix errorem tueantur hæretici. Neque ſua Scriptori defuit merces ab Anglis: eum nempe Oxonienſis Academia *in ſolemni ac frequentiſſimo Doctorum & Magiſtrorum Senatu, unanimi ſuffragio Doctorem in ſacra Theologia* conſtituit & renuntiavit, die 28. Aug. an. 1727.

Durius laboris ſui præmium in Gallia tulit Auctor, tum ab Epiſcopis magni nominis pluribus, qui utrumque ejus Scriptum dum Oxomi celebrabatur, Pariſiis cenſura confixere; tum & a Congregatione ſua, quæ hominem conceptis ſemel opinationibus invicte addictum, atque ideo ad Anglos profugum, excommunicationis nota percuſſit, die 30. Januarii an. 1728. Quæ omnia, an per inſcitiam & ſcelus peracta ſint, prout, reorum more, conqueritur Diſſertator, *** ut quam ſerio licebit, coram Deo expendamus, varias ejuſdem, circa præſentem ſacrificii materiam, propoſitiones, referre lubet. Sic ergo ille:

Il eſt faux que les Anglois ne reconnoiſſent point de ſacrifice dans le ſens de nos meilleurs Theologiens, c'eſt-a-dire, un ſacrifice repreſentatif & commemoratif. Diſſertat. Tom. 2. pag. 34.

Euſebe de Ceſaree s'exprime d'une maniere encore plus forte, pour marquer que

* Vide Librum duobus Tomis diſtinctum, cui titulus: *La nullite des Ordinations Anglicanes, demontree de nouveau .... par le R. P. le Quien*, Pariſ. 1730. Tom. 1. pag. 5. & ſeq.

** Negat Diſſertationis Auctor, ſe eum in finem ſcripſiſſe. Vide Opus ejuſdem inſcriptum: *Relation hiſtorique & apologetique des ſentimens & de la conduite du P. le Courayer*, Amſtelodami 1739.

*** Diſſertatoris nomine utor, non ut invidioſo, ſed ut commodiori.

que le ſacrifice, que nous offrons, n'eſt qu'un ſacrifice repreſentatif & commemoratif. Ibid. pag. 40.

Saint Ignace, Tertullien, S. Cyprien, & tant d'autres, ne reconnoiſſent point de ſacrifice dans la celebration de nos Myſteres, dans un autre ſens, que celui du ſacrifice repreſentatif & commemoratif. Ce qui a fait dire a S. Ambroiſe, que J. C. s'offre en verite dans le Ciel pour nous a ſon Pere; mais que ſur nos autels il s'y offre en image. Ibid. pag. 42.

Je ſçais qu'a d'autres egards on appelle le ſacrifice de l'autel un ſacrifice reel; mais ce ſont de ces queſtions de nom, ſur leſquelles ſe partagent les Theologiens, & qui ne peuvent point auctoriſer une diviſion dans la foi. Ainſi pour diſculper les Anglois, il ſuffit qu'ils reconnoiſſent avec les Peres & nos meilleurs Theologiens, le ſacrifice de J. C. rappelle & repreſente dans la celebration des SS. Myſteres. Ibid. pag. 44.

On trouve donc dans l'Euchariſtie un vrai ſacrifice en ce ſens, qu'on y fait a Dieu l'oblation d'une mort toujours preſente .... mais comme cette mort ne ſe reitere point, ce ſacrifice n'eſt que la repreſentation d'un autre. Defenſe Tom. 2. part. 1. pag. 158.

Cranmer lui-meme a reconnu le ſacrifice en ce ſens de l'Egliſe Catholique. *Car .... il reconnoit, que l'oblaction & le ſacrifice de J. C. dans la Meſſe, ne porte point ce nom, a cauſe que J. C. eſt vraiment offert & ſacrifie par le Pretre & par le peuple, car cela n'a pu ſe faire qu'une fois ſur la Croix: mais qu'elle n'eſt appellee ſacrifice, qu'a cauſe que c'eſt la memoire & la repreſentation du vrai ſacrifice, & de la vraie immolation, qui s'eſt faite ſur la Croix.* Ibid. p. 249.

Le terme de ſacrifice *propre etoit neceſſaire, & c'eſt ce qui l'a fait choiſir par le Concile* de Trente: *mais en le choiſiſſant, il n'y a point attache d'autre idee, que celle que les Anglois, comme nous, ſe forment du ſacrifice apres les Peres; c'eſt-a-dire, celle d'une action, ou l'on repreſente le ſacrifice ſanglant de J. C. ou l'on en rappelle la memoire, pour la preſenter a Dieu comme une offrande agreable, & par ou ſe fait l'application de ſa vertu.* Ibid. pag. 191.

Nous ne reconnoiſſons tous, Catholiques & pretendus *Reformes, qu'un ſeul ſacrifice, qui eſt celui que J. C. a offert ſur la Croix. Si en donnant avec toute l'Antiquite ce meme nom a la celebration des ſaints Myſteres, nos Ecrivains euſſent expoſe avec ſimplicite, que la Meſſe n'eſt ainſi appellee, que parce qu'on y repreſente, & qu'on y rappelle le ſouvenir de la mort de J. C. .... on eut prevenu les ſcandales .... mais ce n'etoit pas le gout du tems de parler ſi ſimplement.* Ib. p.226.

Les Catholiques, auctoriſes par l'uſage perpetuel de l'Egliſe, ſoutiennent que l'immolation reelle n'etant point neceſſaire au ſacrifice, on doit reconnoitre dans l'Egliſe le ſacrifice propre de J. C. & que ce nom lui convient en rigueur. Les Proteſtans au contraire accoutumes de regler le langage des Egliſes ſur une Logique plus ſcrupuleuſe, pretendent, que n'y ayant de ſacrifice, a parler exactement, qu'ou ſe trouve une immolation reelle, on ne doit point qualifier ainſi l'Euchariſtie, quoiqu'ils y reconnoiſſent, comme nous, la repreſentation & la memoire de la mort de J. C. l'oblaction de ſon ſacrifice, & l'application de ſes merites. Ils reconnoiſſent donc au fond la meme choſe que nous. Ibid. pag. 255.

Il faut meme convenir de bonne foi, que la conteſtation que nous avons avec les Anglois ſur le ſacrifice, n'eſt point proprement celle qui a ete decidee par l'Antiquite. On y enſeigne par tout, a la verite, que l'Eu-

charı-

chariſtie eſt un ſacrifice ..... mais eſt-ce un ſacrifice proprement ou improprement dit? Il ne paroit pas que les Anciens ſoient entres dans cette preciſion, qui fait l'objet de nos diſcuſſions Theologiques. Ibid. pag. 264.

Les Anglois pourroient reconnoitre le meme ſacrifice que nous dans la celebration de l'Euchariſtie, quand bien meme ils rejetteroient la realite de la preſence. Ibid. pag. 168.

Voila donec preciſement en quoi conſiſte le ſacrifice de l'Egliſe Chretienne; dans l'offrande de la mort de J. C. ..... c'eſt donc ſur cette idee d'offrande, *qu'eſt fonde le ſacrifice, & non point ſur la preſence de J. C. quoique nous convenions de la verite de cette preſence .... Des que les Anglois admettent l'offrande de cette mort, & l'application de ſes effets, c'eſt tout notre ſacrifice*. Ibid. p. 168. & 188.

Je ſoutiens, que ce n'eſt point ſur cette preſence de J. C. dans l'Euchariſtie, *qu'eſt fondee l'idee du ſacrifice. Cette preciſion eſt ici d'autant plus eſſentielle, qu' en la ſuivant, il faut reconnoitre, qu'on peut admettre le ſacrifice ſans admettre de preſence .... Ce qu'il y a de certain, c'eſt que tous les Anciens & nos meilleurs Controverſiſtes n'ont jamais tire l'idee de ſacrifice dans l'Euchariſtie, que de la memoire & de la repreſentation de la mort de J. C.* Ibid. pag. 165.

Hæc Gallicani Sacerdotis verba ubi primum legerunt hæretici Academiæ Oxonienſis Profeſſores, vix fidebant oculis: unde admirabundi, *Cum*, inquiunt, *noſtram de graviſſimis controverſiis ſententiam ſic fere expoſuerit, ut ejus Scripta legentes*, E PROFESSORIBUS NOSTRIS QUEMPIAM IN MANIBUS HABERE VIDEAMUR, e re noſtra eſt, ut *eum omnibus & ſingulis Doctoralis in ſacra Theologia Gradus privilegiis & honoribus* cumulemus. At *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris:* quod, ut in ceteris, ſic & in præſenti materie verum eſſe conſtet, probandum 1. ſacrificium Miſſæ haud eſſe poſitum in nuda mortis Chriſti commemoratione, ideſt in commemoratione quæ a reali Chriſti præſentia abſtrahat, ſed in commemoratione, quæ præſentiæ reali juncta ſit eſſentialiter; 2. ſacrificium id genus Anglicanæ Communioni prorſus extraneum eſſe. Prima quæſtio juris eſt, altera facti. Sit *Relation, T. 2. p. 183.*

CONCLUSIO I. Sacrificium Miſſæ non conſiſtit in mera mortis Chriſti repræſentatione, aut in ejuſdem commemoratione, quæ a reali Chriſti præſentia independens ſit.

Prob. 1. ex Concilio Tridentino, quod (etſi ab Auctore Diſſertationis, dum etiam in Galliis maneret, parvi fiebat, & ab eodem poſtmodum in Angliam profugo indignis exceptum eſt modis) conſtans tamen & æterna in rebus fidei erit Catholicorum omnium regula: ſic autem loquitur ſacra Synodus Seſs. 22. c. 1. *Chriſtus*, UT *dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ* VISIBILE, *ſicut hominum natura exigit*, RELINQUERET SACRIFICIUM, *quo cruentum illud, ſemel in cruce peragendum repræſentaretur; ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur: Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans*, CORPUS ET SANGUINEM SUUM SUB SPECIEBUS PANIS ET VINI OBTULIT; *ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit, & eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba:* Hoc facite in meam commemorationem, *uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit & docuit*. *An. 1562.*

Unde

Unde ſic 1. Qui UT viſibile in Eccleſia ſua ſacrificium inſtitueret, corpus & ſanguinem ſuum in Euchariſtia vere & ſubſtantialiter obtulit, parique modo deinceps a Sacerdotibus eum in finem conſtitutis offerri voluit; ille dubio procul inſtituit ſacrificium, quod ſine reali corporis ac ſanguinis ſui oblatione, ac proin ſine reali utriuſque præſentia nec eſſe nec concipi poteſt: atqui ex citato Tridentini textu Chriſtus ut in Eccleſia ſua ſacrificium inſtitueret, &c.

2. Chriſtus illud in Euchariſtia ſacrificium inſtituit, quod deinceps & a Sacerdotibus offerendum erat, & ſub aliquo, Sacramenti videlicet, reſpectu, ab iiſdem ſumendum: atqui ſacrificium a Sacerdotibus ita ſub uno reſpectu offerendum, ut ab iis ſub alio reſpectu ſumendum eſſet, primario & eſſentialiter involvit realem Chriſti præſentiam, ut patet ex terminis; ergo.

Prob. 2. ex eodem Concilio ibid. cap. 2. ubi hæc: *Quoniam in divino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis ſemel ſe ipſum cruente obtulit; docet ſancta Synodus, ſacrificium iſtud vere propitiatorium eſſe ..... Una enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa; cujus quidem oblationis, cruentæ inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur.*

Unde ſic 1. ex Tridentino ſacrificium Miſſæ vere eſt propitiatorium: atqui ex eodem Concilio Miſſæ ſacrificium ideo eſt propitiatorium, QUONIAM in eo continetur idem ille Chriſtus qui in ara Crucis ſemetipſum obtulit; ergo eſſentiale eſt ſacrificio Miſſæ ut Chriſtum contineat; ergo *Tournel pag. 203.* rurſus realis ejuſdem Chriſti præſentia primum eſt ſacrificii noſtri fundamentum; ergo falſa eſt & hæretica doctrina, quæ aſſerit, ideam ſacrificii Miſſæ prorſus liberam eſſe & independentem ab idea præſentiæ realis; atque iſta etiam ſepoſita ſalvum & integrum remanere ſacrificium.

2. ex Tridentino & ex tota retro antiquitate, unicum eſt in Chriſtiana Religione ſacrificium, non quia in eo una eademque repræſentatur Hoſtia, quæ ſe ſe in Cruce obtulit (alioqui enim unicum etiam in veteri Lege fuiſſet ſacrificium, quia per Moſaica quæcumque ſacrificia unicum Crucis ſacrificium figurabatur) ſed quia *una eademque eſt Hoſtia*, unuſque & idem offerens in Miſſa, qui fuit in Cruce: atqui ſingularis illa ſacrificii unitas ab unitate Hoſtiæ repeti non poteſt, ſi ejuſdem Hoſtiæ præſentia ideæ ſacrificii noſtri extrinſeca ſit; ergo ad ſacrificii noſtri eſsentiam neceſsum eſt, ut in eo præſens ſit Hoſtia, unde ſuam habet unitatem.

Confirm. Ex Tridentino, ſacrificium Miſsæ duo importat, nempe & quod idem ſit cum ſacrificio Crucis, & quod qua tale, unicum ſit, non autem multiplex: atqui ſi Miſsæ ſacrificium conſiſtat in nuda ſacrificii Crucis repræſentatione, cui accidentalis ſit idea præſentiæ vel abſentiæ realis, jam 1. Miſsæ ſacrificium non poterit eſse unum & idem cum ſacrificio Crucis: figura enim præciſe ut figura non eſt idem cum figurato; neque imitata archetypi imago, idem quoad ſubſtantiam cum ipſo archetypo eſse poteſt; 2. neque unicum erit, ſed multiplex ſacrificium Miſsæ. Figuræ enim ſeu repræſentationes Archetypi, non ſolum ab Archetypo differunt, ſed aliæ ab aliis; ergo tot erunt ſacrificia, quot unius ſacrificii repræſentationes, ideſt quot ubique terrarum celebrabuntur Miſsæ: quemad-

modum

modum plura apud Judæos erant ſacrificia, juxta Apoſtolum in Epiſt. ad Hebr. quia plures erant ſacrificii Crucis figuræ.

Prob. 3. ex eodem Concilio ibid. Can. 1. & 3. ubi decernitur anathema, tum iis qui negaverint *in Miſſa offerri verum & proprium ſacrificium;* tum & iis qui contenderint, idem *Miſſæ ſacrificium nudam* eſſe *commemorationem ſacrificii in Cruce peracti*. Unde ſic: Sacrificium adeo verum & proprium, ut nullatenus in mera ſacrificii Crucis commemoratione reponi poſſit, veram & propriam Hoſtiam eſſentialiter importare debet: atqui Hoſtia hæc neceſſario eſt ipſe Chriſtus in Euchariſtia vere, proprie, & ſubſtantialiter præſens. Prob. min. 1. ex textibus Concilii in proxima & ſecunda probatione adductis, qui cum ad Canones mox appellatos relativi ſint, eorumdem ſenſum manifeſte referant; 2. vel Hoſtia hæc eſt Chriſtus ipſe in Miſſæ ſacrificio ſubſtantialiter præſens, atque æterno Patri vere & proprie oblatus, vel aliud quid diverſum a Chriſto: iſtud vero aliud, quid, amabo, eſſe poſſit? panis & vinum? at hæc ſunt quidem materia ex qua ſacrificii, non autem partes ejuſdem jam vere conſtituti. An mors Chriſti cruenta? at 1. mors Chriſti ſemel peracta jam non ſubſiſtit; Hoſtia vero ſacrificii realis ac præſentis, realis eſſe debet ac præſens; 2. Hoſtia ſacrificii Miſſæ indiget miniſterio Sacerdotum quos conſtituit Chriſtus; Chriſti vero mors eodem miniſterio non indiguit. An, ut Diſſertatori placet, oblatio cruentæ illius mortis? at 1. oblatio per ſe non eſt victima, ſed actio Miniſtri circa victimam; 2. oblatio mortis Chriſti in piis quibuſque veterum juſtorum operibus, multoque magis in eorumdem ſacrificiis intervenit: atqui tamen hæc quoad ſubſtantiam diſcrepabant a ſacrificio Miſsæ; ergo iſtud in oblatione mortis Chriſti nude ſumpta reponi non poteſt. Dicat ergo etiamnum Auctor, ſuoque potius quam Eccleſiæ bono dicat, quod olim dixit, cum viſus ad meliorem reverti ſententiam, in hæc ad Emin. Card. Noallium reſcripſit verba, die 11. Martii an. 1727. *Je reconnois avec toute l'Antiquitè, que non ſeulement il y a un veritable ſacrifice dans l'Euchariſtie, mais encore que J. C. reellement preſent, y eſt offert ſous les ſymboles de mort; & que* S'IL N'Y ETOIT PAS REELLEMENT PRESENT, CE NE SEROIT PLUS LE SACRIFICE DE NOS AUTELS.

Prob. 4. ex conſtanti Patrum doctrina, qui realem Chriſti præſentiam, velut primarium ſacrificii Miſsæ fundamentum agnovere. Paucos ſeligemus e multis, quoniam qui ab Auctore objiciuntur, nobis in probationem cedunt, uti poſtmodum apparebit. Itaque 1. S. Ignatius Martyr in Epiſt. ad Smyrnenſes, de his loquens hæreticis, qui Chriſtum ſpecietenus paſsum eſse delirabant: *Ab Euchariſtia*, inquit, *& oblatione abſtinent, eo quod non confitentur Euchariſtiam carnem eſſe Servatoris noſtri Jeſu Chriſti;* ergo jam ab Ignatii temporibus oblatio ſacrificii adeo pendebat a reali Chriſti præſentia, ut qui eam non confitebantur, ab oblatione ejuſdem ſacrificii abſtinerent; ergo rurſus a contrario quiſquis ſacrificium offerebat, ideo offerebat, quia confiteretur in eo offerri carnem Servatoris noſtri. *Edit. Cott. p. 8-o.*

Nec dicas in multis Epiſtolarum Ignatii exemplaribus, pro *oblatione*, legi *oratione*. Nam 1. textum hunc legit Theodoretus, prout modo retuli. Quæ non porro auctoritas lectionis exemplaribus quinti ſæculi innixæ? 2. ponderanti S. Martyris textum dubio procul conſtabit ſolam

eſse

eſſe Theodoreti lectionem, quę audiri mereatur: nimirum vero qui Euchariſtiam negabant eſſe carnem Chriſti, ideo quidem a ſanctorum Myſteriorum oblatione abſtinere debebant: ut quid vero ab orando abſtinuiſſent?

S. Irenæus, Orientalis ſicut & Occidentalis doctrinæ teſtis luculentus, Pag. 249. Lib. adverſus hæreſes 4. cap. 17. n. 5. Chriſtus, inquit, *ſuis creaturis dans conſilium primitias Deo offerendi ex ſuis creaturis .... eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens:* Hoc eſt corpus meum; *& calicem ſimiliter ...... ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo Mundo offert Deo .... de quo Malachias præſignificavit*, &c. atqui hic novi Teſtamenti nova oblatio, non eſt, prout apud Diſſertatorem, ſolius Chriſti mortis oblatio, ſed oblatio ipſius corporis ac ſanguinis Domini. Et vero nova non eſſet oblatio mortis Chriſti, utpote quæ a præcipuis ſaltem antiqui Teſtamenti juſtis peracta fuerit.

Tertullianus Lib. de Orat. c. 14. eos redarguens, qui eſurialibus diebus a percipienda Euchariſtia abſtinebant, ſeu quia per eam jejunium utcumque ſolvi, ſeu quia ſanctam receptæ Euchariſtiæ lætitiam cum jejunii mœrore haud poſſe componi crederent: Pag. 136. *Accepto*, inquit, *corpore Domini & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & executio officii*, ſeu jejunii. Unde ſic: In eo conſiſtit ſacrificium, per cujus comeſtionem participatur eidem ſacrificio; ut patet facta inductione per antiquæ Legis ſacrificia: atqui, ex Tertulliano, per receptionem corporis Chriſti participatur ſacrificio Chriſtianorum; ergo idem ſacrificium in ipſo Chriſti corpore conſiſtit; ſi in corpore Chriſti; ergo non in ſimplici ſacrificii Crucis commemoratione.

S. Cyprianus Epiſt. 63. ad Cœcilium: *Quis magis Sacerdos Dei ſummi, quam Dominus N. J. C.? qui ſacrificium Deo Patri obtulit ...... ſuum corpus & ſanguinem:* atqui hic ſacrificium Miſſæ ipſiſſima eſt corporis & ſanguinis Dominici oblatio.

Idem ibid. *In ſacrificio quod Chriſtus obtulerit, nonniſi Chriſtus ſequendus eſt:* atqui ex S. Martyre ibid. ſtatim, *Chriſtus ſacrificium Patri ſeipſum primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit;* ergo *ille Sacerdos vice Chriſti vere fungitur, qui id quod fecit Chriſtus* imitando, Chriſtum ipſum offert in ejuſdem Chriſti commemorationem.

Tom. 1. pag. 853. S. Ambroſius in Pſal. 38. n. 25. *Chriſtus*, ait, *ipſe offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur: imo ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cujus ſermo ſanctificat ſacrificium quod offertur.* Ubi ſacrificium quod in Eccleſia offertur, eſt ipſum Chriſti corpus.

Tom. 2. pag. 821. S. Gregorius Nyſſenus Orat. 1. de Reſurrectione: *Arcano*, inquit, *ſacrificii genere .... ſe ipſum pro nobis hoſtiam offert, & victimam immolat, Sacerdos ſimul exiſtens, & agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit. Quando id præſtitit? Cum corpus ſuum Diſcipulis congregatis edendum, & ſanguinem bibendum præbuit, tunc aperte declaravit agni ſacrificium jam eſſe perfectum.* Hic ſacrificium Miſſæ eo ipſo perfectum eſſe dicitur, quo Chriſtus, Sacerdos ſimul & agnus Dei, ſe ipſum pro nobis hoſtiam obtulit, non in Cruce tantum, ſed cum arcano ritu corpus ſuum Diſcipulis præbuit; ergo in ea divini corporis oblatione primario conſiſtit ſacrificium.

Denique, ut alios prætercam complures, quos longum fuerit enumerare:

S. Au-

Digitized by Google

S. Auguſtinus Enarrat. 2. in Pſalm. 26. nu. 2. *Solus*, inquit, *ille Sacerdos talis extitit, ut ipſe eſſet etiam ſacrificium: ſacrificium obtulit Deo non aliud quam ſe ipſum*, & Enarrat. 2. in Pſalm. 33. n. 2. *Ipſe*, Chriſtus, *de corpore & ſanguine ſuo ſacrificium inſtituit ſecundum ordinem Melchiſedech*. Denique Lib. 20. contra Fauſtum, cap. 18. & 21. *Unde*, ait, *jam Chriſtiani peracti ejuſdem ſacrificii memoriam celebrant ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti:* atqui hic Diſſertatoris ſyſtema funditus convellitur. Hic enim prima ſacrificii notio in oblatione ſui ipſius a Chriſto facta reponitur. Hic ſacrificium inſtituitur de ipſo corpore & ſanguine Domini. Hic ſacrificii ejuſdem memoria celebratur, non ritu aliquo, qui a præſentia reali abſtrahat, ſed *oblatione* ipſa *& participatione corporis & ſanguinis Chriſti;* ergo.

Prob. 5. ex Liturgiæ verbis, quæ ſenſum Eccleſiæ, utique de ſacrificii a ſe oblati natura eruditæ, palam aperiunt: *Unde*, ait Sacerdos, *& memores, Domine, nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta, ejuſdem Filii tui D. N. J. C. tam beatæ paſſionis, nec non & ab inferis reſurrectionis .... offerimus præclaræ majeſtati tuæ, de tuis donis ac datis, Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ:* atqui verba hæc, quæ quantum ad ſubſtantiam in omnibus Chriſtiani Mundi Liturgiis occurrunt, docent, *panem ſanctum & calicem ſalutis*, illam eſſe *Hoſtiam puram & ſanctam*, quam in ſacrificium Deo offerimus in memoriam paſſionis ejus; ergo ſi hæc divinæ paſſionis memoria a ſacrificio excludi non poteſt, ut certe a nullo Catholico excluditur; multominus excludi debet Hoſtia pura & ſancta, per quam fit paſſionis hujus commemoratio: quod enim eſt commemorationis fundamentum, neceſſario prius eſt eadem commemoratione.

Prob. 6. quia opinio, quæ ſtatim ut caput extulit, Catholicorum omnium querelas, murmura & dolorem concitavit, ab Eccleſiæ ſenſu procul diſtare debet: atqui licet murmura illa non audierit Illuſt. Antiſiodorenſium Præſul, * aliis fortaſſe intentior; conſtat tamen ea, tum ubique in Regno, tum præſertim in urbe Regni primaria, ubi tunc temporis degebamus, apud Catholicos omnes, plures etiam non ita Catholicos, plenis fluctibus erupiſſe. Atque hinc damnata primum rumore communi, quantum ad præſens ſacrificii caput, & alia non pauca, duplex Auctoris Diſſertatio; proſcripta eſt paulo poſt, 1. ab Emin. Ludovico-Antonio, Card. Noallio, tum Mandato die 18. Auguſti, an. 1727. tum & Paſtorali Documento, die 31. Octob. ejuſdem anni; 2. ab Epiſcopis viginti, annuente Rege, in Palatio Sangermanenſi extraordinarie congregatis, præſide Eminent. Card. de Biſſy, viro Pontificiis virtutibus, potiſſimum autem tenero in Eccleſiam amore, effuſa in egenos liberalitate, virginea morum integritate, conſpicuo; quemque dum Auctor dente mordet atroci, ſemetipſum lædit; 3. ab Epiſcopis aliis pluribus, qui vel proprias contra Diſſertatoris Opera cenſuras tulere, ut Illuſt. Cenomanenſis Epiſcopus; vel Pariſienſis Conventus cenſuram approbavere, ut Epiſcopi Noviodunenſis, Bellovacenſis,

* „ Les qualifications dont ces Ouvrages *du P. le Courayer* ſont chargès, par le Mandement de M. le Cardinal de Noailles, ſont en verité tres-fortes... ſi le mal eſt ſi grand, „ comment le cri public ne s'eſt-il pas fait entendre? „ *Lettre de M. d'Auxerre, du* 12. *de Sept. au R. P. de Riberolles, Abbè de ſainte Genevieve*. Relation Tom. 2. p. 181.

Ruthenenſis, Sagienſis, Lucionenſis, &c. 4. demum a Benedicto XIII. die 25. Junii, an. 1728.

Prob. 7. quia (ſi tamen per impoſſibile poſſit id ſupponi) opinio, quæ Eccleſiæ locutionem emendat, eique communionis Anglicanæ loquendi modum, ut ſimplicem magis, & ſtrictæ Logicæ magis conſentaneum præponit, argumentis geometrice probantibus inniti deberet: atqui econtrario Diſſertatoris argumenta tam exilia ſunt, ut mirum ſit, iis permotum fuiſſe hominem nominis ſui ſtudioſum; quod ut ad oculum pateat,

Diſſert. part 2. p. 40 &c. Obj. 1. cum Auctore Chryſoſtomum Homil. 17. in Epiſt. ad Hebr. ubi ſic: *Quid vero? non quotidie offerimus? offerimus quidem, ſed ejus mortem revocamus in memoriam; & ipſa una eſt, non multæ:* atqui hæc S. Doctoris ſententia, illa ipſa eſt quam in Diſſertatore reprobamus.

Defenſe part. 1. p. 165. & ſeq. R. neg. min. neque enim eo Diſſertatorem arguimus, quia Euchariſtiæ ſacrificium in commemorationem mortis Chriſti offerri dixerit; cum id & nos dicamus, quoties ſacris operamur: ſed quia ita ſacrificii noſtri ſummam in illa commemoratione reponat, ut ea poſita, ſimulque ſecluſa victimæ ſanctæ præſentia, ſacrificium noſtrum omnino ſtare velit: Iſtud porro novæ opinionis monſtrum Antiquitati toti adverſum credimus, & ipſi potiſſimum Chryſoſtomo. Scilicet in eo qui objicitur loco probare vult S. Doctor, non multiplex apud Chriſtianos, ſicut apud Judæos, qui hodie agnum unum, cras alium offerebant, eſſe ſacrificium; ſed unicum duntaxat, licet *quotidie* offeramus; quia non aliam hodie, aliam cras, ſed eamdem ſemper victimam offerimus, unum nempe Chriſtum, non plures Chriſtos. *Illam*, inquit, *nunc quoque offerimus* ho-*Docum. Card. Noal. p. 16.* ſtiam, *quæ tunc a Chriſto oblata fuit, quæ conſumi*, ſeu exhauriri *non poteſt*. *Hoc fit in recordationem ejus, quod tunc factum eſt:* Hoc facite, *inquit*, in mei recordationem. *Non* ergo *aliam hoſtiam ſicut Pontifex* antiquæ Legis, *ſed eamdem ſemper facimus, vel potius hoſtiæ, ſeu ſacrificii* cruenti *facimus recordationem;* ergo, juxta S. Doctorem, ſacrificium Miſsæ duo neceſsario importat, 1. hoſtiam eamdem quam Chriſtus obtulit; 2. oblationem hujus hoſtiæ in memoriam ſacrificii Crucis; ergo ſicut hæc ſacrificii cruenti recordatio a ſacrificio Miſsæ ſeparari non poteſt; ſic nec ab eo ſeparari poteſt oblatio Chriſti præſentis: cum Chriſtus, vivens quidem in Altari, ſed mortui ſpeciem gerens, hoc illo ſuo ſtatu realem, quam in Cruce ſubiit, mortem nobis in memoriam revocet; ergo Chryſoſtomus realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam habet ut baſim ſacrificii Chriſtiani; ergo in ſenſu S. Doctoris ſacrificium Chriſtianum ab hac præſentia præſcindere non poteſt.

Pag. 38. C. Obj. 2. cum eodem hæc Euſebii verba Lib. 1. Demonſt. Evang. cap. 10. *Itaque poſt omnia, quaſi mirabilem quamdam victimam, ſacrificiumque eximium Patri ſuo operatus pro noſtra omnium ſalute obtulit; ejuſque rei memo-*

Pag. 40. B. *riam, ut nos ipſi Deo Patri pro ſacrificio offerremus inſtituit .... Igitur & ſacrificamus & incendimus, alias quidem memoriam magni illius ſacrificii, ſecundum ea quæ ab ipſo tradita ſunt Myſteria celebrantes;* ergo, ait Diſſertator, ſacrificium quod offerimus, non eſt niſi ſacrificium repræſentativum & commemorativum.

R. neg. conſeq. Aliud eſt enim dicere cum Euſebio, Miſſæ ſacrificium eſſe repræſentativum, quod vel ipſi infantes a teneris unguibus didicerunt;

runt; aliud cum Auctore dicere, ſacrificium illud ex præciſa ſui idea eſſe mere repræſentativum. In hac enim hypotheſi ſacrificium, ſi non excludit, certe nec includit præſentiam realem, ac proinde non in ea fundatur: atqui juxta Euſebium, & Antiquos omnes, ſacrificium noſtrum tam eſſentialiter & primario realem Chriſti præſentiam includit, ut in ea fundetur. Sic enim paulo ante objectum textum loquitur Euſebius: *Merito ſane, quando illius memoriam, corporiſque ejuſdem & ſanguinis recordationem celebrant, ad longe præſtantius & ſacrificium & munus aſſumpti ſunt, quam illud antiquius fuerit.* Quapropter *non amplius fas eſſe putamus in prima illa & infirma elementa recidere, quæ utique ſigna & imagines, non ipſam veritatem complectuntur*, & infra: *Cum ergo hujus ſacrificii memoriam ſignis quibuſdam in menſa celebrandam, corporiſque item illius ſalutariſque ſanguinis, ut novi Teſtamenti inſtitutum habet, acceperimus .... incruentas & rationales, eique ſuaves victimas offerre per eminentiſſimum ipſius Pontificem edocti ſumus.* Unde ſic: Ille realem Chriſti præſentiam in ſacrificio Miſſæ uti primarium quid & capitale ſupponit, qui ſacrificium illud eo Moſaicis præſtantius eſſe docet, quia in ipſo offeratur, non ſimplex quæpiam rei alterius memoria & imago, ſed ipſa veritas, ideſt, incruenta & rationalis victima: atqui Euſebius eo Miſſæ ſacrificium Moſaicis, &c. Pag. 37. B. Pag. 39. A.

Confirm. quia Euſebius ſacrificii Crucis memoriam a nobis celebrari docet ſecundum ea quæ a Chriſto tradita ſunt, & ut habet novi Teſtamenti inſtitutum: quid porro inſtituit Chriſtus? quid a nobis in ſui memoriam faciendum præcepit? utique id quod fecerat. Ipſe vero *Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit*, &c. ergo ſupponit Euſebius, ad hoc ut offeratur Deo memoria mortis Chriſti, imprimis opus eſſe, ut ipſum Chriſti corpus ſub *ſignis quibuſdam*, ideſt ſymbolis panis & vini offeratur.

Obj. 3. Auguſtinum, qui Lib. 83. qq. q. 61. ſic loquitur: *Chriſtus ipſe eſt Sacerdos noſter .... qui ſe ipſum obtulit holocauſtum pro peccatis noſtris, &* EJUS SACRIFICII SIMILITUDINEM *celebrandam in ſuæ paſſionis memoriam commendavit.* Idem S. Doctor eo uſque ſacrificii ideam in nuda commemoratione reponit; ut Lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. ſacrificium noſtrum *Sacramentum memoriæ* nuncupet; ergo.

R. neg. conſeq. ut enim ex his Auguſtini textibus quidpiam extundi poſſit, neceſſe eſt, ut juxta S. Doctorem ſacrificium Miſſæ in ea ſimilitudinis & memoriæ ſpecie conſiſtat, quæ ab ipſa vera Chriſti oblatione independens ſit. Si enim ſimilitudo ſacrificii Crucis expreſſiva, pro fundamento habeat ipſum Chriſti corpus in Euchariſtia vere & realiter oblatum, jam non juvatur, ſed ſubvertitur Diſſertatoris figmentum. Atqui ſimilitudo de qua loquitur Auguſtinus, veram corporis Chriſti oblationem pro fundamento habet, nedum ab ea præſcindat. Sic enim loquitur S. Doctor, Lib. 17. de Civ. Dei, cap. 20. *Id ſacrificium ſucceſſit omnibus illis ſacrificiis veteris Teſtamenti, quæ immolabantur in umbra futuri: propter quod etiam vocem illam in Pſalmo 39. ejuſdem Mediatoris agnoſcimus:* Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi: *quia pro illis omnibus ſacrificiis & oblationibus corpus ejus offertur, & participantibus miniſtratur.* En ergo primariam ſacrificii noſtri radicem, ideſt, oblatio-

nem ipſius corporis Chriſti, per cujus exhibitionem revocatur memoria ſacrificii Crucis, ſecundum id Auguſtini in eo ipſo qui objicitur loco: *Unde jam Chriſtiani peracti ejuſdem ſacrificii memoriam celebrant ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Domini*. Si autem oblatione corporis & ſanguinis Chriſti celebratur memoria ſacrificii Crucis; ergo ſecluſa eadem oblatione non celebraretur hæc memoria. Auguſtinum ſuo hoc in ſenſu ſibi conſtantem eſſe, pluribus probat Emin. Noallius in citato Documento pag. 48. & ſeq.

Obj. 4. Ambroſium, juxta quem Lib. 1. de offic. cap. 48. *Imago eſt in Evangelio, veritas in cæleſtibus*, & iterum: *Hic*, nempe in Altari noſtro offert ſe Chriſtus *in imagine; ibi*, nimirum in cœlo, offert ſe *in veritate*. Concinunt, tum Magiſter Sentent. Lib. 4. diſt. 12. ubi ſic: *Dici*

Differt. pag. 42. *poteſt, illud quod offertur & conſecratur a Sacerdote, vocari ſacrificium & oblationem; quia memoria eſt & repræſentatio veri ſacrificii, & ſanctæ immolationis factæ in ara Crucis. Et ſemel Chriſtus mortuus in Cruce eſt, ibique immolatus eſt in ſe ipſo: quotidie autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius quod factum eſt ſemel;* tum & expreſſius S. Thomas 3. p. qu. 83. art. 1. his verbis: *Celebratio hujus Sacramenti, imago quædam eſt repræſentativa paſſionis Chriſti, quæ eſt vera ejus immolatio; & ideo celebratio hujus Sacramenti dicitur Chriſti immolatio*, ac proinde ſacrificium: atqui hæc perſpicue demonſtrant, ad ſacrificii ideam ſufficere imaginis, recordationis atque repræſentationis ideas; ergo quidquid ultra eſt, extra ſacrificii eſſentiam eſt.

R. neg. min. ſiquidem in Auctoris, quem impugnamus, opinione, imaginis & repræſentationis ideæ ad ſacrificii notionem eo uſque ſufficiunt, ut iis poſitis, ſecluſa autem vera Chriſti oblatione, plene concipiatur ſacrificium: atqui ex citatis Auctoribus, aliiſque qui a Diſſertatore adduci forſitan poſſint, ne unus quidem eſt, qui ſacrificii ideam ſoli figuræ vel repræſentationi adeo annectat, ut hanc ſolam, præciſo quocumque alio, ad eſſentiam ſacrificii Chriſtiani ſufficere contendat.

Non 1. Ambroſius, qui citato loco ſic loquitur num. 248. *Umbra in*

Tom. 2. pag. 634. *lege, imago in Evangelio, veritas in cæleſtibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur & vitulus, nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe quaſi Sacerdos, ut peccata noſtra dimittat; hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quaſi Advocatus intervenit*. Sed qui in imagine veram imbibit Chriſti, quaſi hominis patientis oblationem, ille dubio procul ſacrificii eſſentiam non reponit in imagine nuda, ſeu, ut hic paſſim intellectum volo, in imagine, quæ a reali Chriſti oblatione independens ſit; ergo illam hanc ſuam imaginem non opponit veritati ſimpliciter, ſed veritati, citra umbram ullam & caliginem manifeſtæ, qualis certe hac in vita haberi non poteſt.

Non 2. Petrus Lombardus, cujus textum a Kemnitio, aliiſque ſacrificii Miſſæ hoſtibus objectum jam pridem reſolvit Bellarminus Lib. 1. de Miſſa cap. 15. En eruditi juxta & pii Controverſiſtæ verba: *Cum quærit Longobardus, an quod Sacerdos gerit, ſit dicendum ſacrificium & immolatio, accipit nomen ſacrificii & immolationis pro occiſione; quaſi apertius quæſiviſſet an quod gerit Sacerdos, ſit dicenda Chriſti occiſio: Reſpondet autem rectiſſime, Chriſtum ſemel tantum vere immolatum, ideſt, occiſum fuiſſe:*

nunc

Digitized by Google

nunc autem non proprie immolari, ideſt occidi, ſed ſolum in Sacramento & repræſentatione. An autem ſit quod Sacerdos gerit, ſacrificium proprie dictum, ſed incruentum, Longobardus non quærit, ſed præſupponit ut omnibus notum, ex ipſa celebratione quotidiana ſacrificii. Quin & id non obſcure aſtruunt verba hæc Lombardi ibid. *Hoc* Miſſæ *ſacrificium, exemplum eſt illius* ſacrificii Crucis: *idipſum & ſemper idipſum offertur; proinde hoc idem eſt ſacrificium .... Ex his ſequitur eſſe ſacrificium & dici, quod agitur in Altari, & Chriſtum ſemel oblatum, & quotidie offerri; ſed aliter tunc, aliter nunc;* ergo eatenus, juxta Lombardum, eſt ſacrificium in Altari, quatenus Chriſtus, ſemel olim oblatus, quotidie offertur, ſed *aliter tunc, aliter nunc*, ſeu, ut loquitur Tridentinum, *ſola offerendi ratione diverſa*.

Idem eſt S. Thomæ, & aliorum ſenſus: hi enim, ut bene obſervat ibid. Bellarminus, *non fuerunt ſolliciti de eo quod nunc eſt in controverſia* (ſiquidem omnes Chriſtum in Euchariſtia vere & realiter præſentem eſſe, & qua talem Deo offerri docuerunt) *ſed ſolum qua ratione ſacrificium Miſſæ poſſit dici Chriſti immolatio, ideſt occiſio; & ideo fere reſpondere ſolent, dici immolationem, quia eſt repræſentatio immolationis; vel quia habet effectum ſimilem cum ipſa vera & reali Chriſti occiſione*.

Obj. 5. id S. Fulgentii Lib. de fide ad Petrum, cap. 19. *In iſto ſacrificio gratiarum actio, atque commemoratio eſt carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit*, &c. ergo.

R. neg. conſeq. Dolendum profecto quod Auctor, ubicumque commemorationis nomen deprehendit, ſyſtema ſuum deprehendere putet; quaſi vero commemorationis nomen & idea ideam quamcumque aliam abigant. Sane Fulgentius Lib. 2. ad Monimum c. 11. *Ab ipſo*, inquit, *Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, in Sacramento panis & calicis ipſum Chriſti corpus & ſanguis offertur*, utique in memoriam corporis ejuſdem, *quod obtulit* Chriſtus, *ut redimeret nos*, prout ibidem declarat Fulgentius c. 6. ergo quæ in Altaris ſacrificio reperitur commemoratio ſacrificii Crucis, pro fundamento habet ipſam veri corporis & ſanguinis Chriſti oblationem: ædificium porro ideam fundamenti cui innititur, non abigit, ſed ſupponit.

Obj. 6. Culpari non poteſt Auctor, qui doctiorum e Polemicis noſtris Scriptoribus verba & ſenſum e veſtigio ſecutus ſit: atqui unum id fecit Diſſertator. Sic enim ante alios loquitur Card. Perronius in ſua ad Regem Angliæ reſponſione, pag. 794. *Que le ſacrifice des Chrètiens ſoit une commèmoration du ſacrifice, que Chriſt a offert en la Croix à Dieu ſon Pere, en tant que commèmoration ſignifie non une action de cette facultè de l'ame que nous appellons mèmoire, mais une action & oblation externe du ſacrifice, imitative, repreſentative & commèmorative de l'oblation que Chriſt fit de lui-mème en la Croix, cela paſſe ſans difficultè*. *Défenſe Tom. 2. part. 1. pag. 180.*

Non alia mens eſt Card. Richelæi: ſic ille in Methodo ſua pag. 566. aliis 621. *Le ſacrifice de la Meſſe eſt une oblation rèelle, ſoit qu'on regarde ce qui eſt offert, ſoit qu'on conſidère l'action par laquelle on offre .... Une mort myſtique & figurèe ſuffit pour ètablir l'eſſence d'un vèritable ſacrifice*, & alibi: *Ainſi que J. C. eſt vraiment mort en la Croix, ainſi il eſt mort en l'Euchariſtie quant a l'apparence ..... Ce qui donne lieu aux Peres d'appeller le ſacrifice de l'Euchariſtie Paſſion de J. C. parce que faut y mourir & recevoir paſſion en effet, il y meurt, & y reçoit paſſion myſtiquement*.

Défenſe ib. p. 181. Vaſquez eruditus Jeſuita, quem ſequuntur, non Mæratius tantum Tom. 3. pag. 416. & 420. ſed & Illuſt. Fratres VVallemburgi Tom. 2. pag. 32. Vaſquez, inquam, ſic loquitur in 3. part. diſp. 222. c. 5. *Tota eſſentia hujus ſacrificii in repræſentatione mortis Chriſti, quæ fuit ſacrificium cruentum, a nobis conſtituenda eſt;* ſeu, ut loquitur ibid. c. 8. *ex ſolâ mortis Chriſti repræſentatione optima ratione colligitur*. Tum adductis textibus Veterum non paucis: *Ex eo*, inquit, *noſtram ſententiam maxime confirmat* Petrus Venerabilis, *quod aſſerit in ſola mortis Chriſti repræſentatione, quæ fit per hoc Sacramentum, eſſentiam hujus ſacrificii poſitam eſſe*.

Illuſt. Petrus de Marca in poſthuma Diſſertatione de Euchar. p. 97. *Ita*, inquit, *variis in locis hanc ſacrificii rationem explicat Auguſtinus & alii Patres, qui ex eodem fonte ducunt alium loquendi modum, ſcilicet hoc eſſe ſacrificium commemorans ſacrificium cruentum, ut ſæpe Chryſoſtomus loquitur*.

Plures in eumdem ſcopum adduci poſſint, ut Bellajus, Veronius, &c. *Défenſe ib. p. 166.* verum omnium inſtar eſſe queat Boſſuetus Meldenſis, cujus vel ipſum nomen encomium ſonat. Sic ille in aurea ſua Fidei Expoſitione n. 14. *Tel eſt le ſacrifice des Chrètiens, infiniment diffèrent de celui qui ſe pratiquoit dans la Loi: ſacrifice ſpirituel & digne de la nouvelle alliance, où la victime prèſente n'eſt apperçue que par la foi, où le glaive eſt la parole, qui ſèpare myſtiquement le corps & le ſang, où le ſang par conſèquent n'eſt rèpandu* *Diſſert. part. 2. pag. 43.* *qu'en myſtere, & où la mort n'intervient que par reprèſentation ...... Sacrifice de commèmoration*, &c. ergo.

R. ad 1. neg. min. quæ ut omnes falſi metas excedere demonſtretur, ſufficit ſingulos qui objiciuntur textus in fonte ipſo ſcrutari.

1. itaque Perronius in eo ipſo qui a Diſſertatore objicitur loco, Diſ- *Réplique pag. 793. & 794.* ſertatorem jugulat. Sic enim proſequitur: *Mais que l'Euchariſtie ne ſoit qu'une commèmoration .... une memoire, ou qu'une geſtion externe, commèmorative & excitative à commèmoration du ſacrifice de la Croix .... c'eſt choſe que nous maintenons n'entre jamais tombèe en la penſèe de nos Peres. Car de ce que les Peres ont quelquefois appellè l'Euchariſtie un ſacrifice de commèmoration*, CE N'A PAS E'TE' DE LA PART DE L'ESSENCE, *mais de la part de la fin; c'eſt-à-dire, ce n'a pas ètè pour donner à entendre*, QUE LA COMME'MORATION DU SACRIFICE DE LA CROIX E'TOIT L'ESSENCE DU SACRIFICE DE L'EUCHARISTIE, ET QUE LE SACRIFICE DE L'EUCHARISTIE NE CONSISTOIT EN AUTRE CHOSE QU'EN LA COMME'MORATION DU SACRIFICE DE LA CROIX, *mais pour en exprimer la fin. ...... Et que telle ſoit l'intention des Peres, il appert par les propres lieux, où ils uſent de ce mot de commèmoration, auſquels ils veulent, que la commemoration que nous faiſons du ſacrifice de la Croix en l'Euchariſtie, ſe faſſe*, NON PAR UNE SIMPLE RESSOUVENANCE DU CORPS DE CHRIST EN LA CROIX, *que l'Euchariſtie excite en nous;* MAIS PAR UNE VRAIE ET RE'ELLE OBLATION DU MEMORIAL DE LA CROIX, C'EST-A-DIRE, DU CORPS ET DU SANG DE J. C. OFFERT AU SACREMENT DE L'EUCHARISTIE. Hic ſilere præſtat, quam loqui, ne forte cum Tournelyo quæramus, annon vel cæcus ſit Diſſertator, qui hæc, ſaltem in Paſtorali Documento Card. Noallii non legerit; vel perditæ fidei, qui lecta diſſimulaverit.

2. Card. Richelæus in eodem loco, nimirum Lib. 4. Methodi, cap. 5. ſic quæſtionis ſtatum, & diverſas de eadem quæſtione ſententias proponit:

ponit: *Le differend, qui eſt entre nos Adverſaires & nous, conſiſte à ſçavoir, ſi comme il y a eu divers ſacrifices en l'ancienne Loi, pour figurer ...... celui de la Croix, devant qu'il fut offert: Dieu a voulu en la nouvelle Loi en inſtituer quelqu'un pour célébrer la mémoire de celui de la Croix déja conſommé. Nos Adverſaires le nient ...... Nous ſoutenons formellement le contraire, l'Egliſe Catholique enſeignant, qu'en la Cene J. C. donna ſon corps a ſes Apotres comme Sacrement, & l'offrit à Dieu ſon Pere comme ſacrifice.* Ubi primaria ratio cur nova Lex habeat ſacrificium ſacrificii olim in Cruce peracti expreſſivum, ea eſt quod Chriſtus in ultima Cœna corpus ſuum Deo in ſacrificium obtulerit; ergo ſacrificium Miſſæ primario & ante omnia ipſam corporis Chriſti oblationem importat.

Idem Emin. Scriptor in Opere cui titulus: *Les principaux points de la foi défendus*, ſect. 5. ſic loquitur, pag. 160. *Le corps & le ſang de J. C. ſont dans l'Eucharſtie comme une vraie hoſtie: ils y ſont ainſi véritablement, & l'Euchariſtie eſt un vrai ſacrifice, puiſqu'elle a toutes les parties eſſentielles au ſacrifice. Qu'aurez-vous, Meſſieurs, à répondre à cette raiſon? Direz-vous qu'il ſuffiroit d'offrir à Dieu une image de J. C. pour lui en faire un ſacrifice? Je répons qu'on ne pourroit dire, qu'en une telle oblation il y eut aucun ſacrifice .... En tout ſacrifice la préſence de la choſe eſt requiſe, en tant que l'oblation ſacrificale ſe fait par la délivrance de ce qui eſt offert & ſacrifié;* ergo ſublata vera Chriſti oblatione, quantumcumque alioqui ponatur imago Chriſti, tollitur ſacrificium Miſſæ.

At, inquies cum Diſſertatore, T. 2. Defenſionis part. 1. pag. 199. Card. Richelæus expreſſe docet, admitti poſſe ſacrificium tametſi non admittatur præſentia. Sic enim loquitur in Methodo ubi ſupra pag. 574. mihi vero qui utor nova editione an. 1663. pag. 629. *Il ne s'agit pas ici de ſçavoir, ſi le corps & le ſang de J. C. ſont vraiment & ſubſtantiellement en l'Euchariſtie, ou s'ils y ſont ſeulement figurativement par l'entremiſe du pain & du vin, qui en ſont les ſymboles & les ſignes. Mais il s'agit ſeulement de ſçavoir ſi l'Euchariſtie eſt offerte à Dieu, & ſi elle lui eſt offerte pour la rémiſſion des péchés: ce qui ſuffit pour dire que l'Euchariſtie eſt une oblation propitiatoire, quelque qualité qu'elle ait d'ailleurs, ſoit qu'elle contienne réellement & véritablement le corps & le ſang de J. C. ſoit qu'elle ne les contienne pas ..... Les Prétendus-Réformés ſoutenant, comme ils ſont, que par la fraction du corps, & par l'effuſion du ſang de J. C. pour la rémiſſion des péchés, dont il eſt parlé en l'inſtitution de la ſainte Cene, on doit entendre une oblation & une immolation figurée & myſtique en l'Euchariſtie, ne nous accordent ils pas abſolument tout ce que nous leur demandons au ſujet dont il s'agit;* ergo.

R. diſt. ant. Card. Richelæus docet admitti poſſe ſacrificium independenter a præſentia, docet, inquam, per argumentum ad hominem, & ſuppoſitis, non autem admiſſis Calvinianorum principiis, C. docet ſtando in ſententia Eccleſiæ, N. Itaque ſi in objecto loco Card. Richelæus ad debellandos omni qua poteſt via Proteſtantes, eorum aſſumat principia, ut ex ipſis contra ipſos probet, nihil eſſe cur ab admittendo Cœnæ ſacrificio abhorreant, jam ex eodem Cardinali nihil adverſum nos elici poterit, bene vero contra Diſſertatorem, cui non favent Catholici, niſi dum in principiis hæreticorum diſputant: atqui Richelæus reipſa in objecto textu, ſepoſitis ad tempus principiis Catholicorum, argumentatur

in ipſis hæreticorum principiis. Unde ſic novam hanc quæſtionem orditur ibid. pag. mihi 628. *La principale queſtion, qui eſt entre nos Adverſaires & nous, ne conſiſtant pas à ſçavoir ſi l'Euchariſtie eſt un ſacrifice, ou une oblation d'actions de graces, mais ſi elle eſt un ſacrifice, ou une oblation propitiatoire; je veux m'attacher particulierement à juſtifier cette ſeconde vérité*, ET A LA JUSTIFIER PAR LES PRINCIPES MEMES DE NOS ADVERSAIRES, *c'eſt-à-dire, à leur montrer*, PAR LEUR PROPRE DOCTRINE, *que l'Euchariſtie eſt une oblation propitiatoire, ou un ſacrifice que nous faiſons à Dieu pour obtenir de lui la rémiſſion de nos péchés*.

Cum vero Novatores eo præſertim ſacrificii propitiatorii rationem abnegent Miſſæ, quod illam infinitæ ſacrificii Crucis efficaciæ derogare autument, totus eſt doctiſs. Cardinalis in hujus fundamenti ſubverſione: 1. enim, ait, non magis ſacrificium Miſſæ derogat ſacrificio Crucis, quam ei derogaverint vera ſacrificia, quæ licet Chriſti corpus & ſanguinem, genuinos juſtitiæ noſtræ fontes, non continerent, erant tamen propitiatoria; 2. quia juxta doctrinam Proteſtantium, præcipue vero Calvini, Molinæi, Dallæi, & aliorum, Euchariſtia, quatenus Sacramentum eſt, operatur redemptionem & abſolutionem peccatorum; neque tamen propterea derogare cenſetur efficaciæ ſacrificii Crucis; 3. quia cum doceant ipſi Proteſtantes, per fractionem panis, & effuſionem ſanguinis Chriſti in eam peccatorum remiſſionem, de qua fit mentio in inſtitutione Cœnæ, intelligi debere oblationem & immolationem myſticam ac figuratam Chriſti in Euchariſtia, idque citra ullum ſacrificii Crucis detrimentum; ſic etiam æquum eſt ut fateantur, eam quam in Miſſa faciunt Catholici oblationem, Crucis ſacrificio nihil adverſari. Hic ergo Calvinianos Calvinianorum telis impetit Richelæus: quid porro mirum, ait Card. Noallius, ſi Scriptor qui in Calvinianorum principiis diſputat, non abſtrahat tantum a præſentia reali, ſed & eam excludat.

3. Vaſqueſius reponit equidem ſacrificii eſſentiam in repræſentatione mortis Chriſti, at in repræſentatione, non vacua, qualem habent Anglicani, ſed plena, quæ realem corporis Chriſti præſentiam ſupponit. Atque id probatur 1. ex Vaſque ipſo ibid. cap. 8. pag. mihi 416. ubi ſic: *Eſt tamen valde obſervandum, ad ſacrificium commemorativum, quod vere & proprie ſacrificium dicitur, non ſatis eſſe, ſi ſolum ſit ſignum nudum mortis alicujus rei, nullo modo continens rem ipſam, cujus mors repræſentatur: ſic enim non diceretur res illa, cujus mors repræſentatur, in ſacrificium offerri; neque vero commemorativum ſacrificium, quin potius ſignum tantum, & larva ſacrificii eſſet; ſed neceſſario requiri ut res ipſa, cujus mors repræſentatur, ſit ſignum mortis ſui ipſius*. Unde, pergit Vaſquez, *ſi vera eſſet ſententia Hæreticorum, qui negant ſub ſpeciebus panis & vini* eſſe *corpus & ſanguinem Chriſti, & ſubſtantia panis & vini ibi eſſet, repræſentari quidem poſſet mors Chriſti, ut ipſi Hæretici etiam concedunt; at Chriſtus in ſacrificium, non vere & reipſa, ſed tantum in figura offerri diceretur*; 2. ex Diſſertatore, qui & ipſe agnovit Vaſquem & Maratium ſibi in ipſa rerum ſubſtantia adverſari. Sic ille Tom. 2. Defenſ. part. 1. pag. 219. *Je ſçais bien que le meme Vaſquez & Merat après lui, ſoutiennent que ſi J. C. n'etoit pas réellement & ſubſtantiellement préſent* dans l'Euchariſtie, *il n'y auroit point de ſacrifice, parce que l'action du Miniſtre n'auroit point d'objet réel*. At ſi

hæc

hæc ſciebat Auctor, quare utrumque objicit? num forte opinatus eſt, ita nos argumentis deſtitui, ut niſi ea ipſe ſuggereret, muti maneremus?

At, inquies, Vaſqueſius cit. diſp.222. cap.6. n.51. pag.414. hæc loquitur: *Non minus incruentum eſſet Chriſti ſacrificium in Euchariſtia, licet converſio panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti non fieret, quam modo eſt: ipſa igitur converſio panis & vini ad rationem ſacrificii incruenti non pertinet:* atqui hæc ipſiſſima eſt Diſſertatoris opinio.

R. neg. min. ſiquidem docet Diſſertator, ſepoſita præſentia reali ſtare totam ſacrificii rationem in Euchariſtia: atqui Vaſques, ut contra Theologos nonnullos probet, ſacrificium in tranſubſtantiatione non conſiſtere, docet equidem, ſepoſita tranſubſtantiatione, ut apud Lutheranos, permanſuram in Euchariſtia rationem ſacrificii; ſed ne verbo quidem inſinuat, eamdem ſepoſita reali præſentia ſubſtituturam: imo contrarium diſerte tradit cap. ſeq. n.57. his verbis: *Dico igitur, actionem conſecrationis eatenus ſolum ſacrificium... eſſe, quatenus per illam efficitur, ut ipſo corpore & ſanguine Chriſti conſecrato*, ET REALITER IBI CONTENTO, *cruentum illius ſacrificium, quod in Cruce oblatum eſt, repræſentetur*; ergo.

4. non alia eſt doctiſs. Vvallemburgorum mens, cum ipſi, ut agnoſcit Diſſertator *, ad Vaſqueſium remittant. Quapropter ſentiunt ii quidem & vere, Miſſæ ſacrificium cruenti Crucis ſacrificii repræſentativum eſſe; at ſimul docent, noſtrum iſtud Miſſæ *ſacrificium fundari in reali præſentia Chriſti in SS. Euchariſtia, quatenus ibi præſens eſt ut victima: non poteſt autem eſſe præſens ut victima, niſi ſit realiter præſens*. Quæro autem an in opinione Diſſertatoris ſacrificium Miſsæ fundetur in reali præſentia, citra quam, juxta ipſum, concipi poteſt.

5. quod ad Illuſt. Petrum de Marca attinet, is in eo ipſo qui objicitur loco ſyſtema Diſſertatoris, ejuſque vel oſcitantiam, vel, mœrens dico, peſſimam fidem convellit. Sic enim continuo paſsu progreditur, pag. mihi 97. alias 89. *Nec eſt quod inde occaſionem ſibi plaudendi deſumant Hæretici, qui ob ſolam commemorationem alterius veri ſacrificii, hoc improprie ſacrificium a Patribus nuncupari contendunt. Sic enim illud docent Veteres eſſe ſacrificium per commemorationem, ut memoria mortis obitæ facta eamdem victimam habeat præſentem incruento modo*. & paulo antea: *Sacrificium iſtud in eo poſitum eſt, ut immolationem Chriſti in cruce peractam nobis exhibeat, eamdemque victimam Sacramentis præſentem ſic ſiſtat, ut per ſpecies ſenſibiles imponatur altari corpus diſcretum a ſanguine*; ubi Euchariſtiæ ſacrificium ſacrificii Crucis commemorativum eſt per eamdem victimam, quæ cruente olim immolata, nunc incruento modo immolatur.

At, inquit Diſſertator ibid. p.160. docet eruditus de Marca ibid. pag. 114. mihi 98. *ſacrificii rationem non eſſe ponendam in actu tranſubſtantiationis*: ergo ſepoſita tranſubſtantiatione, ac conſequenter præſentia reali, verum adhuc ſubſiſteret ſacrificium.

R. neg. conſeq. neque enim hic quæſtionem noſtram attingit clariſſimus Præſul; ſed Scholarum more perpendens in quo præciſe ſtatuenda ſit ſacrificii ratio, an in tranſubſtantiatione, an in ipſo conſecrationis actu, an in panis & vini ſpeciebus, an in ſumptione, negat eam in ipſo tranſubſtantiationis actu collocandam eſse, *ut placuit Tappero*: ſed non ideo negat vel tranſubſtantiationem ad ſacrificium prærequiri, vel ſubla-

* *Défenſe To. 2. part. 1 p. 181.*

Digitized by Google

ſublata, quæ tranſubſtantiationem ſequitur, præſentia reali, ſtare poſſe ſacrificium Altaris: imo id verbis immediate præcedentibus docet: *Ipſe*, ait, *Chriſtus ſe ipſum præſentem Sacramento ſiſtit, ut ſuæ mortis jam peractæ memoriam renovet*; ergo ad Euchariſtiæ ſacrificium requirit & memoriam mortis Chriſti, & memoriam, quam Chriſtus ipſe Sacramento præſens renovet: & id eſt quod tota contra Diſſertatorem docet Eccleſia.

6 noſter quoque, ſeu magis, Catholicorum eſt Boſſuetus; neque id pœnali opera nobis aliunde habendum eſt, ſed, ut hactenus, ex ipſo qui temere objicitur loco: ſic enim pergit Meldenſis Antiſtes: *Sacrifice néanmoins très-véritable, en ce que J. C. y eſt véritablement contenu, & préſenté à Dieu ſous cette figure de mort*. Quod & his paucis ante expreſſerat Card. Perronius, Operum diverſorum pag. 516. & 517. *L'oblation quotidienne de l'Egliſe contient la vérité & l'image du ſacrifice de la Croix; la vérité quant à l'eſſence de la victime; l'image & la figure, quant à l'acte de l'immolation*. Unde haud quidem cruente immolatur Chriſtus in Euchariſtia, ſed tamen vere & realiter ſe ſe in ſtatu hominis immolari Deo Patri exhibet, atque repræſentat. Quapropter non eo ſenſu ſacrificium noſtrum *ſpirituale* nuncupat Boſſuetus, quod in eo nonniſi per mentem noſtram Chriſtum intervenire credat, prout credunt Calviniani; ſed quia Chriſtum vere præſentem exhibendo, victimam ſanctam & rationalem exhibeat, quæ Judaicis victimis infinite præſtet, uti jam ab initio declarat Boſſuetus.

Défenſe T. 2 par. 2. p. 20. Objicit 7. idem Auctor quæſtionem in Concilio Tridentino motam circa rationem ſacrificii a Chriſto in ſancta Cœna oblati. Verum difficultatem hanc, paucis licet, ſat tamen expendimus ſupra. Qui plura volet, adeat Opus inſcriptum: *La nullité des Ordinations Anglicanes, démontrée de nouveau.... par le R.P. le Quien*, part. 2. c. 4. §. 2. pag. 189. Pariſ. 1730.

Conclusio II. Anglicani, licet ſacrificii nomen non omnino refugiant, rem tamen nomine ſignificatam nec habent, nec habere poſſunt. Tres ſunt partes

Prob. 1. pars, ex variis Anglicanorum Doctorum textibus, quos fuſe refert Diſſertator Lib. 4. Defenſ. cap. 6. pag. 231. & ſeq. unum aut alterum referam. Joannes Bramhal Anglicanus Archipræſul hæc loquitur *Op. p. 35.* contra Catholicos: *Si le ſacrifice de la Meſſe eſt le meme que celui de la Croix, nous lui accordons plus que vous, puiſque nous mettons en lui toute l'eſpérance de notre ſalut... Nous reconnoiſſons la la repréſentation du ſacrifice de la Croix, l'imitation de ſes bienfaits, l'application de ſa vertu, & nous admettons en ce ſens un ſacrifice commémoratif, impétratoire & applicatif. Je ne ſçais ce que vous deſirez de plus*. & alibi: *Les Anglois enſeignent, que l'Euchariſtie n'eſt point une commémoration toute nue, mais un moyen ordonné pour nous appliquer le méerite du ſacrifice de J. C. ſur la Croix; qui eſt tout ce que les Catholiques moderés exigent*. Sane his contenti ſunt Catholici ad Diſſertatoris normam moderati; ſed plus quidpiam exigunt ceteri, de quo jam ſupra & infra.

Idem docet Joſephus Mede, diatriba de ſacrificio Chriſtiano pag. 513. cujus verba ſic reddit Diſſertator: *Ce que j'ai à prouver préſentement, c'eſt que la Céne du Seigneur eſt veritablement un ſacrifice, non point dans un ſens métaphorique, mais propre.... Il peut y avoir des ſacrifices, qui ſoient ſacrifi-*

ces,

cei, & ne ſoient cependant que la repréſentation d'un autre: & tel eſt le ſacrifice de la nouvelle alliance, qui n'eſt que commemoratif de la mort de J. C. ſur la Croix, &c.

Prob. 2. pars: 1. quia ad verum ſacrificium, quale tota ſemper admiſit Eccleſia, non ſufficit ſola ſacrificii Crucis commemoratio, ſed requiritur vera oblatio Chriſti ipſius vere & realiter præſentis, ac myſtica ſui immolatione cruentam ſui ipſius in Cruce immolationem repræſentantis: atqui tale nihil habent Anglicani; ergo.

Major conſtat, 1. ex iis quæ in præcedenti Concluſione dicta ſunt, ubi omni argumentorum genere demonſtratum eſt, Altaris noſtri victimam, ipſum eſſe Chriſtum ſub ſymbolis ſubſtantialiter præſentem, & ut ſic exhibentem Patri, nobiſque applicantem paſſionis ſuæ merita; 2. ex omnibus Eccleſiæ ſanctæ Catechiſmis, quorum inſtar ſit Meldenſis ab Illuſt. Boſſueto editus, pag. 264. ubi poſt aſſertam realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam, ſic interrogat: *Quel eſt le premier uſage, que l'on fait du corps & du ſang de J. C.?* Sic vero reſpondet: *C'eſt de les offrir en ſacrifice à la ſainte Meſſe, au Pere Eternel...... C'eſt-à-dire de les préſenter devant ſa face ſur l'Autel, comme la victime la plus agréable qu'on puiſſe lui offrir.* & iterum: *Pourquoi offre-t-on ce ſacrifice?* R. *En commémoration de celui de la Croix, & pour en appliquer la vertu*. Unde idem Boſſuetus Lib. 6. Variat. cap. 37. *Que diſent les Catholiques, & qu'eſt-ce que leur ſacrifice? ſinon J. C. préſent dans le Sacrement de l'Euchariſtie, & repréſentant lui meme a ſon Pere la victime par laquelle il a été appaiſé*. Ubi Miſſæ ſacrificium ipſe eſt Chriſtus ſemetipſum Patri exhibens, ut eo modo ſacrificium Crucis commemoret. Merito itaque Clariſſimus vir Franciſcus Vivant, Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, in eo quod contra Diſſertatorem edidit Opere *, ſic loquitur: *On peut donc dire, & il faut dire, que J. C. eſt doublement & en deux ſens différens notre Hoſtie de propitiation. Il l'eſt au meme ſens que ſur la Croix, non qu'il mérite de nouveau, mais parce qu'il porte toujours en lui tout le mérite de ſon ſacrifice de la Croix; & ce ſens eſt le premier & le principal. Il l'eſt auſſi en un ſecond ſens, au ſens de l'application de ce mérite: car c'eſt lui qui nous obtient, & qui nous fait cette application..... L'un & l'autre de ces deux ſens ſe trouvent & doivent etre joints dans le nom de ſacrifice vraiment propitiatoire, donné à la ſainte Meſſe; & qui ne l'appelle ainſi, qu'eu égard ſeulement (ſe bornant préciſément, & en excluant le reſte) à l'application que nous obtenons par elle des mérites de J. C. mort pour nous ſur la Croix, n'exprime qu'une partie du dogme Catholique, trahit l'autre, & ne ſe conforme pas à la doctrine du Concile de Trente.* & infra: *Un ſacrifice n'eſt pas néceſſaire pour appliquer la propitiation du ſacrifice de la Croix; & cette application ſe fait, ſi non plus efficacement, au moins plus immediatement par les Sacremens qui opérent la rémiſſion des péchés. Mais...... la grande & noble idee, que le S. Concile de Trente donne du ſacrifice vraiment propitiatoire de la Meſſe, en le fondant ſur ce qu'il eſt le meme que celui de la Croix, demande bien davantage que cette application. Il y faut joindre la propitiation meme du ſacrifice de la Croix; reconnoitre que la Meſſe eſt un ſacrifice vraiment propitiatoire de la meme propitiation*

* La vraie-maniere de contribuer à la reunion de l'Egliſe Anglicane à l'Egliſe Catholique, &c. *Pariſ. apud Simon.* 1728.

Digitized by Google

pitiation que celui de la Croix, ENSORTE QUE CETTE PROPITIATION N'Y EST PAS SEULEMENT APPLIQUÉE, MAIS ENCORE RENFERMÉE EXHIBÉE ET PRESENTÉE A DIEU PAR J.C. PRESENT, EN QUI ELLE EST TOUJOURS. Textum hunc, etſi paulo prolixiorem, referendum eſſe duxi, quia nervoſa quadam verborum vi doctrinam Eccleſiæ declarat. Jam vero nihil tale in ſacrificio ſuo profitentur Angli. Unde

Prob. min. non ex privatorum aliquot Doctorum textibus, qui Communionis ſuæ fidem adulterare * potuerunt, prout Eccleſiæ ſuæ fidem adulteravit Diſſertator, ſed ex publicis monumentis: 1. itaque in Declaratione, ſeu Confeſſione Fidei, quæ ſub Eduardo VI. Henrici VIII. ſucceſſore prodiit an.1551. præſentia realis Chriſti in Euchariſtia *impoſſibilis* declarabatur; quæ clauſula, etſi deinceps ad evitandam plurium offenſionem, ſublata fuit, idem ſemper circa realem Chriſti a Sacramento abſentiam perſeveravit error. Unde

2. in nova Fidei Declaratione, quæ an.1562. regnante Eliſabetha prodiit, quæque ex tunc apud Anglos in uſu eſt, ſic habetur art.28. *Corpus Chriſti datur, accipitur & manducatur in Cœna tantum cœleſti & ſpirituali ratione: medium autem quo corpus Chriſti accipitur & manducatur, fides eſt*. & art.29. *Mali & qui fide viva deſtituti ſunt, quamvis carnali & craſſo modo Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti dentibus premant, ut loquitur S. Auguſtinus*, hic peſſime intellectus, *non tamen ullo modo fiunt participes Chriſti, ſed potius ſignum Sacramenti tantæ rei manducant & bibunt*.

3. ibid. in Liturgia, ne præceptum Euchariſtiæ flexo genu recipiendæ quidquam pariat ſcrupuli: *Hic*, inquiunt, *declaramus & omnibus notum facimus, ea genuflexione nullam adorationem deferri, aut deferri debere pani aut vino ſacramentali, aut ulli præſentiæ corporali naturalis carnis & ſanguinis Chriſti..... Quippe naturale corpus & ſanguis Chriſti Salvatoris noſtri ſunt in Cœlo, non autem hic; quandoquidem eſſe ſimul & ſemel in pluribus locis, veritati corporis naturalis Chriſti adverſatur*.

Idem liquet ex Catechiſmo Anglicano. Nimirum informandus puer ad Confirmationem, quam ut pium ritum ſervaverunt Angli Epiſcopales, interrogatur, *quænam ſit pars exterior vel ſignum ſanctæ Cœnæ:* reſpondet porro *eſſe panem & vinum, quæ ex mandato Chriſti ſumere tenemur*. Interrogatus iterum, *quæ ſit pars interior, ſeu res ſignificata;* reſpondet eſſe *corpus & ſanguinem Chriſti, quæ vere ac realiter in Cœna ſumuntur a fidelibus;* ac proinde non vere, realiter & ſubſtantialiter ad mentem Concilii Tridentini; ſic enim & ab infidelibus ſumuntur. Unde voces, *vere & realiter*, non excludunt ſenſum Calvini: & is enim in Sacramento docuit *rei ſignatæ veritatem certo* * adeſſe; quod etiam Calviniana Catecheſis ſic tradit: *Je ne doute pas, qu'il ne nous faſſe participans* DE SA PROPRE SUBSTANCE, *pour nous unir a ſoi en une vie*.

*L.4.Inſt. cap.17.n.10.

4. præſentia realis ſupponit vel tranſubſtantiationem Catholicam, vel impanationem ſeu conſubſtantiationem Lutheranam: atqui utraque rejicitur in Libro legum, quem ſub Eduardo edidit Cranmerus, & qui ſub Regnis ſequentibus approbatus eſt. Is enim ſic habet tit. de Hæreſibus cap.19. *Obrepſit etiam in Euchariſtia periculoſiſſimus error eorum, qui*

docent

* Eorum tamen qui objiciuntur, nemo unus eſt qui a communi Nationis ſententia vere recedat.

docent panem converti, vel, ut ipſi loquuntur, tranſubſtantiari in Chriſti corpus, & vinum in ſanguinem, &c. *In eodem luto hærent, qui panis & vini ſubſtantiam in Euchariſtia ponunt; ſed vi conſecrationis per Miniſtrum appoſitæ, corpus & ſanguinem Chriſti naturalem adjungi putant, & cum ſymbolorum naturis permiſceri, & ſubter has ſubjici; adeo ut, ſive pii, ſive impii ad divinam menſam ſe admovent, verum & naturale Chriſti corpus, & expreſſum ejus ſanguinem una cum pane & aqua ſumant*, &c.

Et vero quam admittere poterat realem præſentiam Joannes ille Poinet Vvintonienſis Epiſcopus, qui poſt datam communionem, ſuperſtites panis ſacri (cum Anglis loquor) reliquias in pavimentum projecit: & tamen illum Pſeudo-Antiſtitem in cauſæ ſuæ præſidium vocat Diſſertator.

5. nemini forte circa præſentem materiam plenior fides haberi debet, quam Guillelmo Vvake, ex Parocho S. Jacobi Londinenſis Epiſcopo Lincolnienſi, ſubindeque ob ſummam nominis claritatem Archiepiſcopo Cantuarienſi, ſicque Angliæ totius Primati. Is autem infimus futuræ Gallos inter & Anglos concordiæ moderator, in Libro cui titulus: *Les principes de la Religion Chretienne, expliques en forme de demandes & reponſes ſur le Catechiſme de l'Egliſe Anglicane*, Amſtelodami 1719. (quod Opus tanti a popularibus ſuis æſtimatum eſt, ut exemplarium ejus ſexdecim millia & eo amplius, brevi tempore venierint) ſic de ſacrificio & Euchariſtia mentem ſuam aperit. Sect. XLVI. q.12. *Que penſez-vous donc de ce que les Papiſtes appellent le ſacrifice de la Meſſe?* R. *Nous av n'ions pas qu'a prendre le terme de ſacrifice dans une certaine extenſion, le Sacrement de la Cene ne puiſſe etre appellè de ce nom, comme le pain & le vin peuvent etre appellès le corps & le ſang de Chriſt, parce qu'ils en ſont les ſignes ſacrès: mais il eſt abſolument faux, que ce Sacrement ſoit reellement & proprement un ſacrifice expiatoire, comme les Catholiques Romains le diſent de leur pretendu ſacrifice de la Meſſe. On ne ſcauroit l'affirmer ſans impietè & ſans blaſpheme.* En quoad ſacrificium, jam de Euchariſtia ſic habet Sect. XLVIII. *Quelle eſt la partie interieure, ou la choſe ſignifiè dans ce Sacrement?* R. *Le corps & le ſang de Chriſt, qui ſont vraiment & effectivement pris & recus en la Cene par les fideles.*

Preface du Traduct. p.3. *Pag.307.* *Ib.p.329.*

2. Q. *Le corps & le ſang de Chriſt ſont-ils diſtribuès reellement a chacun des Communians?* R. *Non, ils ne le ſont point: car s'ils l'etoient, alors tout Communiant, preparè, ou non preparè, y recevroit egalemente le corps & le ſang de Chriſt quant a ſa ſubſtance. Ce que le Pretre donne au Communiant eſt a l'egard de ſa naturele meme apres la conſecration, qu'il etoit auparavant, c'eſt adire du pain & du vin, mais ce pain & ce vin ſont changès uniquement par rapport a leur uſage, & a leur ſignification.*

3. Q. *Mais ſi le corps & le ſang de Chriſt ne ſont pas donnès & diſtribuès reellement par le Pretre, quant a leur ſubſtance, comment peuvent-ils etre pris & recus veritablement & de fait par le fidele Communiant?* R. *Ce qui eſt donnè par le Pretre eſt, quant a la ſubſtance, du pain & du vin: mais a l'egard de ſa nature ſacramentale & de ſa ſignification, c'eſt la figure ou la repreſentation du corps & du ſang de Chriſt, dont l'un fut rompu, & l'autre repandu pour nous. Juſque-la ce n'eſt encore ni le vrai corps, ni le vrai ſang de Chriſt; mais etant recus avec foi & avec pietè par le fidele Communiant, ils deviennent pour lui le vrai corps & le vrai ſang de Chriſt par la benediction de Dieu, & par la grace du S. Eſprit*, &c. *Ib.p.330.*

Q. 5.

Q. 5. *Mais comment chacun de ces fideles communians reçoit-il le corps & le ſang de Chriſt dans ce Sacrament?* R. *Par la foi. C'eſt par ſon moyen que quiconque s'approche dignement de la Table ſacree, en y recevant le pain & le vin ſacramental, a un titre.... legitime pour participer au ſacrifice de J.C.* &c. Hæc ſi Catholica ſint, Catholicum eſſe poterit id Catechiſmi a Carolo
Amſt. Drelincourt concinnati, pag. 109. Edit. decimæ-ſeptimæ: D. *Arrive-t il*
lod. 1709 *quelque changement au pain & au vin?* R. *Ils ne ſe changent point quant a leur ſubſtance, non plus que l'eau du Bapteme, mais ſeulement quant a leur*
Pag. 111. *uſage.* & infra: *Ne recevons-nous en la ſainte Cene, que le ſigne & la ſeule figure du corps & du ſang de J. C.?* R. *Si nous y apportons les diſpoſitions & les preparations convenables, nous y recevons auſſi la choſe ſignifiee, & nous y avons une vraie & reelle communion a J. C.* & rurſus: *Puiſque J. C. eſt la haut au Ciel a la dextre de Dieu ſon Pere..... comment vous qui etes en la terre pouvez-vous avoir avec lui une vraie & reelle communion?* R. *Par la foi, qui l'embraſſe reellement a ſalut.* &c. Hic apud Calviniſtam eadem quæ apud Anglicanum principia, eædem ex principiis conſecutiones, iidem in verbis doli, eadem cum Eccleſiæ Catholicæ doctrina oppoſitio. Juxta nos Euchariſtiæ ſacrificium *reale* eſt, realitate victimæ præſentis, ut excludatur mera figura & repræſentatio; apud Novatores realitas tota, eſt ipſa repræſentationis realitas. Juxta nos ſacrificium *verum* eſt, vera & ſubſtantiali Chriſti præſentia; apud Novatores verum eſt veritate figuræ. Juxta nos denique idem ſacrificium eſt *proprie dictum*, quia in eo vera fit victimæ vere præſentis oblatio, non metaphorica: apud Novatores ſacrificium generaliori quodam ſenſu ſacrificii nomen retinere poteſt, non quia vere & intus tale ſit, ſed quia figura ſit ſacrificii Crucis; ſicut panis & vinum figura ſunt corporis & ſanguinis Chriſti. Apage.

At, inquies, Diſſertator ad calcem Libri V. Defenſionis, pag. CCI. hæc ſcribit: *Je puis bien ajouter, ſans crainte d'en etre dementi par l'Egliſe Anglicane, qu'elle rejette bien une preſence naturelle, organiſee, & ſenſible, mais qu'elle en admet une tres-veritable. Qu'on conſulte le Clerge d'Angleterre, & l'on verra ſi je lui en impoſe.* Hæc porro qui ſcribit tam confidenter, certis Anglorum Epiſtolis fidem Nationis hujus comperiſſe debet.

R. paucis, 1. viſum etiam Auctori fuiſſe, verum ab Anglis admitti ſacrificium, quod tamen falſum eſſe oſtendimus; 2. veram præſentiam realem a Doctore Vvake palam & aperte negari, conſequenter ad Angliæ Catecheſim; 3. periculum eſſe ne Diſſertator multo plus circa præſentiam realem conſentiat cum Anglis, quam Angli cum Eccleſia Catholica. Certe varias ejus circa iſtud fidei noſtræ dogma propoſitiones redarguerunt Præſules anno 1727. Pariſiis congregati; eaſque a fidei norma diſcrepare probaverunt Franciſcus Vivant, Theodoricus a S. Renato & alii. Verum plus ſatis de homine quem Angli, licet *necdum ſuum* dicant, *jam* tamen *non noſtrum* agnoſcunt. Vid. P. le Quien, *Nullite defendue*, Præfation. pag. xxiij.

Prob. 3. pars: Ad verum ſacrificium prærequiritur verum ſacerdotium: atqui hoc non habet Anglicana communio, prout, ſiquidem faverit Deus, oſtendemus in Tract. de Ordine; ergo.

A R-

ARTICULUS SECUNDUS.

Expenduntur variæ Catholicorum opiniones circa conſtitutivum Sacrificii.

CUm in ſacrificio Miſsæ duo poſſint conſiderari, nimirum res ipſa quæ ſacrificatur, & actio qua res eadem ſacrificatur & offertur Deo; operæ noſtræ pretium eſt, ut inveſtigemus 1. quæ res proprie in Euchariſtico ſacrificio offeratur; 2. qua præciſe actione eadem res offerri dicenda ſit: ſeu, ut paucioribus loquuntur alii, quæ ſit victima, ſeu materia ſacrificii, & quæ ejus forma.

SECTIO PRIMA.

Quæ ſit Sacrificii materia.

TRia tantum occurrunt in præſenti de quibus lis moveri poſſit, videlicet 1. panis & vinum ex quibus conficiuntur corpus & ſanguis Chriſti; 2. ipſum illud corpus; 3. ſpecies ſacramentales, vel ſolitarie ſumptæ, vel ſumptæ prout morale quoddam totum una cum Chriſti corpore & ſanguine conſtituunt. Jam

Not. cum Yſamberto, quem hic e veſtigio ſequemur, 1. poſse aliquid eſſe rem oblatam vel primo & per ſe; vel tantum ex conſequenti; quemadmodum poteſt aliquid eſse primo & per ſe, ſeu vi verborum, in hoc Sacramento; & eſse duntaxat in illo per concomitantiam, ſeu per quamdam conſecutionem; 2. poſse aliquid eſſe conditionem rei oblatæ, nec tamen eſse partem ejuſdem rei: pars enim intrinſeca rei oblatæ eſt objectum circa quod verſatur actio ſacrificii; conditio autem requiritur tantum in objecto ut terminet actum ſacrificii; 3. demum, aliud eſse rem oblatam in ſacrificio; aliud terminum *a quo* ipſius rei oblatæ: primum enim ſe habet per modum objecti actionis ſacrificativæ; ſecundum vero id denotat unde objectum illud habet originem; & proinde præſupponitur rei oblatæ, ſaltem juxta noſtrum concipiendi modum; quia prius eſt rem eſse, quam ſacrificari. Sit

Diſp. 2. art. 10. p. 692.

CONCLUSIO I. Res primo & per ſe oblata in ſacrificio Miſsæ eſt Chriſti corpus & ſanguis. Eſt de fide.

Prob. 1. ex inſtitutionis verbis: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, quod pro vobis frangitur: Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis funditur*, ut habet græca S. Lucæ editio. Unde ſic: Quod datur, quod frangitur, quod funditur, eſt primo & per ſe victima ſacrificii: atqui corpus eſt id quod datur; ut ſanguis id quod funditur, &c.

Prob. 2. ex Patribus ſupra adductis, qui omnes id quoad ſenſum tradunt, quod his verbis Gregorius Nyſsenus Orat. 1. Paſchali: *Arcani ſacrificii modo idem eſt Sacerdos & Agnus*: ſed Agnus, qui a Sacerdote mactatur, eſt Chriſtus ipſe ſecundum corpus & ſanguinem; ergo.

Prob. 3. ex Tridentino Seſs. 22. cap. 1. ubi de Chriſto ſacrificium ſuum inſtituente ſic loquitur: *Corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini* Deo *Patri obtulit*. & Can. 2. ibid. *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemo-*

memo-

Digitized by Google

memorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes: aut non ordinaſſe ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum; anathema ſit. Unde ſic: Id quod Chriſtus primo & per ſe Patri obtulit in ſacrificium, & a Sacerdotibus offerri præcepit, eſt primo & per ſe victima ſacrificii: atqui ex Tridentino...... Ut quid enim ſacra Synodus corporis & ſanguinis oblationem primo & principaliter recenſet, niſi quia oblatio corpus & ſanguinem primo & per ſe attingit?

Conclusio II. Res ex conſequenti oblata in ſacrificio Miſſæ eſt totus Chriſtus.

Prob. 1. ex Patribus & Conciliis, quæ unanimi conſenſu docent eamdem eſſe incruenti Miſſæ ac cruenti Crucis ſacrificii victimam; eumdemque in utroque, ſi ita loqui fas eſt, ſacrificio Sacerdotem eſſe ut & hoſtiam: atqui 1. res oblata in cruce, non fuit tantum corpus & ſanguis Domini præciſe ſumpta, ſed ex conſequenti Chriſtus totus, ſecundum id 1.Cor.5.7. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus;* 2. Chriſtus, non penes corpus tantum & ſanguinem, ſed penes ſe totum fuit Sacerdos; ergo non penes corpus tantum & ſanguinem, ſed penes ſe totum eſt victima.

Neque tamen ratio victimæ toti Chriſto competit primo & per ſe: quia id ſolum in ſacrificio rationem victimæ primo & per ſe habet, quod actio ſacrificativa per ſe & primo attingit: atqui actio ſacrificativa, ſeu verborum gladius, quem paulo poſt oſtendemus ipſam eſſe conſecrationem, per ſe & primo totum Chriſtum non attingit, ſed corpus & ſanguinem: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus;* ergo non competit toti Chriſto victimam eſſe niſi conſequenter. Cave nihilominus ne Chriſtum totum dixeris eſſe victimam quaſi per accidens: quia totus eſt victima ex intentione quodam modo directa; quatenus ſcilicet voluit totus poni conſequenter, eo ipſo quo corpus ſuum & ſanguis per conſecrationem ſub panis & vini ſpeciebus ponerentur.

Conclusio III. Corpus & ſanguis Chriſti, quatenus ſunt ſacrificii noſtri victima, neceſſario quidem poſtulant ſpecies panis & vini, non tamen eas intrinſece tanquam partem ſui conſtitutivam includunt; ſed tantum requirunt ut conditionem eſſentialem.

Prob. 1. pars 1. quia ſacrificium Miſſæ reſpondet ſacrificio Melchiſedech, ut conſtat ex unanimi SS. PP. doctrina: atqui ſi ſacrificium noſtrum eſſet omnino independens a ſpeciebus panis & vini, nihil haberet per quod ſacrificio Melchiſedech reſponderet; 2. Miſſæ ſacrificium, ſicut quodcumque aliud, ſenſibile eſſe debet, ut liquet ex ipſa ſacrificii definitione: atqui ſacrificium Miſſæ non aliunde quam a ſpeciebus panis & vini habet, ut ſenſibile ſit. Corpus enim & ſanguis Chriſti, cum modo indiviſibili exiſtant in Euchariſtia, nullo ſenſu percipi poſſunt; 3. demum ex Trid. Seſſ. 22. cap. 1. Chriſtus *corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit: ac ſub earumdem rerum ſymbolis* offerri *præcepit;* ergo ſacrificium Miſſæ ſymbola panis & vini neceſſario poſtulat.

Prob. 2. pars: 1. quia quæ ſunt vel eſſentia, vel de eſſentia rei, non in obliquo exprimuntur, ſed in recto: atqui Patres & Concilia, quoties de ſacrificii noſtri victima loquuntur, corpus & ſanguinem exprimunt in recto, ſpecies autem in obliquo tantum, ut patet ex mox adducto Tridentini

textu,

textu, ubi ſacrificii noſtri victima eſt corpus & ſanguis *ſub* ſpeciebus & *ſymbolis panis & vini*; 2. quia ex iiſdem eadem eſt ſacrificii Miſſæ victima, quæ ſacrificii Crucis, ſola offerendi ratione diverſa: atqui victima ſacrificii Crucis ut ſic non includebat ſpecies panis & vini, tanquam partem ſui eſſentialem, ut per ſe conſtat. Aliunde diverſa offerendi ratio in eo eſt quod victima ſine ſpeciebus in Cruce cruento modo oblata ſit, in Miſſa autem ſub ſpeciebus incruente offeratur; ergo.

Prob. 3. pars: Quod ad rem aliquam abſolute requiritur, vel requiritur tanquam pars ejus eſſentialis, vel tanquam conditio ſine qua eadem res in tali ſtatu eſſe non poteſt: atqui ex dictis ſpecies panis & vini ad ſacrificii noſtri victimam, poſita Chriſti inſtitutione, abſolute requiruntur, nec tamen requiruntur ut partes eidem eſſentiales; ergo ſupereſt ut requirantur tanquam conditiones, nempe ut continens relative ad contentum, & ſignum relative ad rem ſignificatam.

Obj. 1. Quidquid eſt pars eſſentialis Sacramenti Euchariſtiæ, eſt etiam pars eſſentialis victimæ ſacrificii: cum Sacramentum Euchariſtiæ prout eſt permanens, idem plane ſit cum victima hujus ſacrificii: atqui ex nobis ſpecies Euchariſticæ ſunt pars eſſentialis Euchariſtiæ ut Sacramenti; ergo. *Tom V. p.134.*

R. neg. maj. Sacramentum enim & victima ſacrificii eſſentialiter diſcrepant, in eo videlicet, quod Sacramentum eſſentialiter & ex natura ſua importet ſignum ſenſibile; ſacrificium vero duntaxat importet victimam, quæ in honorem Dei, tanquam ſupremi vitæ ac mortis arbitri immoletur; quod cum ſpeciebus ratione ſui non conveniat; quia mactari ſolius eſt ſubſtantiæ, non accidentium; nihil mirum videri debet, ſi ſpecies quæ Sacramenti eſſentiam ingrediuntur, non ingrediantur eſſentiam ſacrificii. Quapropter conſecratio, ut eſt Sacramenti effectiva, terminatur ad ſacramentale compoſitum ex Chriſti corpore, ejus ſanguine, & ſpeciebus panis & vini, ut vero eſt ſacrificativa, terminatur ad corpus & ſanguinem Chriſti tanquam oblata & moraliter in honorem Dei deſtructa ſub ſpeciebus panis & vini: atque hinc liquet, Euchariſtiæ Sacramentum in facto eſſe, & prout eſt aliquid permanens, aliquid eſſentialiter includere, quod non includit ſacrificii victima præciſe qua talis.

Inſt. 1. Ut ſpecies ſint pars intrinſeca ſacrificii, ut & Sacramenti, ſufficit ut Chriſtus inſtituerit ſacrificium viſibile, ſicut & viſibile inſtituit Sacramentum: atqui ex Tridentino Seſſ. 22. cap. 1. Chriſtus *viſibile* inſtituit *ſacrificium*,

R. diſt. min. inſtituit ſacrificium viſibile, quoad ſymbola ſub quibus res ſeu materia ſacrificii offerri deberet, C. viſibile quoad rem oblatam præciſe, N. Voluit enim ſummus novæ Legis Sacerdos, ut eadem in Altari noſtro offerretur victima, quam obtulit ipſe in ara Crucis: atqui victima hæc ſecundum ſe in Euchariſtia inviſibilis eſt; ergo requirit quidem ſpecies panis & vini, ut conditiones, eo fere modo, quo Paſchalis agnus certas prærequirebat qualitates, ſine quibus offerri non poterat; at eas, non magis quam idem agnus, requirit ut partem ſacrificii conſtitutivam.

Inſt. 2. Auguſtinus, ut refertur Can. *Hoc eſt*, 48. *De conſecrat.* diſt. 2. *Hoc*, inquit, *modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium ſcilicet Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili eleementorum ſpecie, & inviſibili D.N.J.C.*

carne & ſanguine: atqui ſacrificium, quod elementis conſtat, non ſecus ac corpore & ſanguine Domini, non minus eſſentialiter ſpecies includit, quam corpus & ſanguinem.

R. 1. citatum caput non eſſe Auguſtini, ſed Lanfranci ex proprio ſuo ſenſu loquentis, & cujus qua talis auctoritas tanti non ſit, ut nos ab opinione in Tridentino fundata dimovere debeat.

R. 2. in objecto textu, ut alibi pluries, ſacrificii nomine intelligit Sacramentum: unde infra ſic concludit: *Eſt igitur* in Euchariſtia *Sacramentum & res Sacramenti*.

Obj. 2. Illud eſt de eſſentia rei, ſine quo res illa nec eſſe nec concipi poteſt: atqui ſacrificium ſine ſpeciebus externis victimæ nec eſse nec concipi poteſt; ergo.

R. diſt. maj. ſine quo tanquam parte intrinſeca, & primo rei principio, C. ſine quo tanquam conditione, N. ſicut ergo Sacramentum non conſtat intentione Miniſtri tanquam parte intrinſeca, tametſi ſine ea perfici non poſſit; ſic ſacrificium Miſsæ ſpeciebus intrinſece non conſtat, etſi iis ſecluſis ſubſiſtere non poſſit. Et vero ea eſt conditionis omnis *ſine qua non* natura, ut ea dempta rem tolli neceſse ſit; & tamen implicat id quod tantum eſt conditio *ſine qua non*, eſse rei conſtitutivum.

Conclusio IV. Panis & vinum ſunt neceſsario materia *ex qua*, ſeu terminus *a quo* ejuſdem ſacrificii: at non ſunt vere & proprie ejuſdem Hoſtia.

Prob. 1. pars. Illud eſt materia ex qua ſacrificii Miſsæ, ex quo tanquam ex præſuppoſito exurgit ejuſdem ſacrificii victima: atqui ex pane & vino tanquam ex præſuppoſitis, non quidem ut permaneant, ſed ut tranſubſtantientur, exurgit hujus ſacrificii victima, nempe corpus & ſanguis Chriſti, & ex conſequenti anima & divinitas, quæ eis adhærent; ergo.

Prob. 2. pars: Si panis & vinum eſsent Hoſtia ſacrificii, vel tota, vel non: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. tum quia ex dictis conſtat, Chriſtum ad minus eſse principalem ſacrificii noſtri victimam; tum quia Legis novæ ſacrificium non eſset in ſe præſtantius ſacrificiis Legis antiquæ, in quibus mactabantur oves, agni & boves, quæ, ſaltem ut animata, panem & vinum dignitate vincunt. Non 2. 1. quia Patres generatim unicum duntaxat in Eccleſia, Chriſti nempe, ſacrificium agnoſcunt, ut Chryſoſtomus in cap.10. Ep. ad Hebr. Ambroſius, & alii paſſim: porro in hypotheſi contraria, non unicum haberemus ſacrificium, ſed duplex, aliud nimirum Chriſti ipſius, aliud panis & vini; 2. quia non idem quoad rem oblatam eſset Euchariſtiæ ſacrificium cum ſacrificio Crucis; quia in cruce Chriſtus ſolus, in Euchariſtia vero panis & vinum ſimul cum Chriſto forent hoſtia: atqui tamen SS. Doctores unam utrobique Hoſtiam eſse volunt, ut Chryſoſtomus Hom. 17. in Epiſt. ad Hebr. Auguſtinus Epiſt.120. &c.

Obj. 1. Ubi duo ad eamdem ſacrificii actionem concurrunt, velut termino *a quo*, & *ad quem*, ibi licet duplex ſit hoſtia, non eſt duplex ſacrificium: atqui in præſenti panis & vinum ut terminus *a quo*, & hoſtia minus principaliter intenta, & corpus Chriſti, ut terminus ad quem, & hoſtia magis principaliter intenta concurrunt ad eamdem ſacrificii actionem. Minor conſtat. Prob. maj. a ſimili. Quando in veteri Lege offere-

batur

batur ſacrificium thuris, duplex erat hoſtia, thus nempe deſtruendum, & fumus vel ſuffitus inde reſultans: atqui tamen tunc unicum erat ſacrificium; ergo pari ratione, &c. Ita Henno, Tom.7. p.576.

R. neg. maj. ubi enim duplex eſt duplicis ſubſtantiæ immutatio ad teſtificandum ſupremum Dei, tanquam vitæ & necis arbitri dominium, ibi duplicis ſacrificii, ſicut & duplicis hoſtiæ idea ingeritur. Et vero annon duplex foret ſacrificium, & duplex hoſtia, ſi in ſupremi ſui dominii agnitionem vellet Deus, & panem ab homine comedi, & hac ipſa comeſtione, vel gladio hominem hunc enecari? Cum ergo duplicis hoſtiæ, duplicis item ſacrificii ideam non ferat patienter Chriſtiana mens, non eſt cur ea propter metaphyſicas ſubtilitates admittatur: præſertim cum ex innumeris Eccleſiæ Sacerdotibus nemo unus ſit, qui de pane in honorem Dei immolando cogitet.

Nec nocet objectum ſacrificii thuris exemplum: 1. quia haud multi Judæorum intererat, an in thure duplicem haberent hoſtiam, an unam duntaxat: multi vero Chriſtianorum refert, ut unam tantum in Chriſto hoſtiam habere dicantur; 2. quia fumus thuris ſpectabatur, ut quoddam thuris accidens, non ut ſubſtantia ab eo diſtincta; panis vero & corpus Chriſti ſubſtantialiter diſcrepant; 3. quia multis probabilius videtur, non ſuffitum thuris, ſed thus ipſum pro ſacrificii hujus materia habitum eſſe.

Obj. 2. Eccleſia panem offert ut *immaculatam hoſtiam*, prout ex his Offertorii verbis liquet: *Suſcipe ſancte Pater hanc immaculatam hoſtiam;* unde Cyprianus, Ambroſius, & alii Patres ajunt, panem & vinum *offerri*, *ſacrificari*, &c. ergo.

R. neg. conſeq. neque enim Sacerdos, cum *immaculatam hoſtiam* nuncupat, attendit ad panem in ſe, ſed ad Agnum immaculatum, qui paulo poſt ſub panis ſpeciebus offerri debet. Atque id patet, 1. quia hoſtiam illam offert Sacerdos *pro peccatis* ſuis, *pro Chriſtianis vivis atque defunctis, ut* ſibi *& illis proficiat ad ſalutem in vitam æternam:* hæc autem abſit ut a pane tanquam a victima etiam partiali expectentur; 2. quia in veteri Secreta, quam habent Sacramentarium Gregorianum pag. 15. & Miſſale Gothicum apud Thomaſi p. 210. & quæ hodieque apud nos in uſu eſt, ſic orat Sacerdos: *Eccleſiæ tuæ quæſumus, Domine, dona*, id eſt, panem & vinum *propitius intuere, quibus non jam aurum, thus & myrrha profertur, ſed quod eiſdem muneribus declaratur, immolatur & ſumitur Jeſus Chriſtus Dominus noſter*. Idem conſtat ex Miſſalibus Gelaſiano, & Mozarabico, de quibus adi Brunium Tom.1. pag.301.

Quid ergo, inquies, facit Sacerdos circa panem, ipſum offerendo? R. eum nihil tunc aliud facere, quam ut pani conſecrationem quamdam, & ſanctitatem conferat moralem in ordine ad ſacrificium decentius peragendum: ſimulque precatur Deum ut hoſtiam a ſe ex pane illo mox conficiendam & offerendam, de manibus ſuis acceptare dignetur.

Quod ad Patres ſpectat, dicunt ii quidem non raro, prout etiam in Officio Romano canit Eccleſia, Chriſtum obtuliſſe panem & vinum, ſed quia vel ſub eorum qualitate ponatur hoſtia vi conſecrationis, unde & ad eam habent ſe per modum conditionis; vel quia Chriſtus ſit verus panis vitæ, & vinum germinans virgines; non autem quia panis & vinum ſint veri nominis hoſtiæ.

Obj. 3. Sacrificium Chriſti eſt ſecundum ordinem Melchiſedech: atqui in ſacrificio Melchiſedech panis & vinum veræ erant hoſtiæ; ergo & in ſacrificio Chriſti.

R. diſt. maj. eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, quatenus panis & vinum, quæ a Rege Salem oblata ſunt, ſunt materia ex qua confici debet ſacrificium novæ Legis, C. quatenus debent eſſe victima ſacrificii Chriſtiani, prout victima fuerunt ſacrificii Melchiſedechi. N. Nec certe alia inter utrumque ſacrificium ſimilitudo quæri debet, prout non aliam quæſivere Patres: Alioqui ſicut panis & vinum ſola fuere hoſtia, quam obtulit Melchiſedech; ita & ſola forent novæ Legis victima, quod Catholicæ fidei adverſatur. Neque vero, ut appoſite obſervat Pariſienſis Theologus, *Grandin. p. 117.* quidquid immutatur, pars eſt victimæ: alias pars ſacrificii foret, juxta Thomiſtas non paucos, quod aqua mutatur in vinum, aut quod panis ante conſecrationem fractus ſit a Chriſto, ut cenſent plures: quæ tamen nemo admiſerit. Debet ergo res ſic immutari, ut per ſe inſtituta fuerit ad teſtificandum ſupremum Dei in vitam & mortem dominium; quod ut in cruento, ſic in incruento ſacrificio, per immolationem Chriſti ſolius fieri, a Deo conſtitutum eſt.

SECTIO SECUNDA.

Quæ ſit Forma Sacrificii.

NOt. 1. aliquid quatuor modis poſſe pertinere ad ſacrificium, 1. ut partem ejus eſſentialem, ſine qua ratio ſacrificii ſubſiſtere non poteſt. Sic corpus vel anima pertinent ad hominem; 2. ut partem integrantem, ſine qua nempe res ſubſiſtit quantum ad ſubſtantiam; ſed penes aliquid mutila eſt & imperfecta: & ſic manus pertinet ad rationem hominis; 3. ut aliquid quod extrinſece ſacrificium perficiat; ita ut abſque eo finem ſuum non obtineat: ſic animæ facultates ad animæ perfectionem pertinent, in opinione eorum qui animam diſtinguunt a facultatibus; 4. ut ritum & cæremoniam, quibus omiſſis ſtat equidem integritas ſacrificii, ſed illud licite non offertur. Hic autem cum ſacrificii formam ſcrutemur, ſcrutamur conſequenter id quod primo modo ad rationem ejus pertinet: quærimus proinde quænam ea ſit actio, qua ſacrificatur & offertur corpus Chriſti, &c.

Not. 2. actionem hanc in *Miſſa Catechumenorum* inquiri non debere: quæ enim in ea fit peccatorum confeſſio, inclinatio multiplex, Epiſtolæ & Evangelii lectio, &c. nihil habet per quod confici poſſit illa hæc circa Chriſti corpus immutatio, quæ ſacrificii ideam neceſſario ingreditur: unde hæc tanti momenti actio ex ipſa *Fidelium Miſſa* repeti debet.

Not. 3. *in Miſſa Fidelium* ſex diſtingui actiones, quæ huc referri poſſint, nimirum 1. eam panis & vini oblationem, quæ Offertorium dicitur, & conſecrationem præcedit; 2. actionem ipſam conſecrationis, qua panis in corpus, & vinum in ſanguinem tranſmutantur; 3. novam corporis hujus & ſanguinis oblationem, quæ fit per hæc verba: *Unde & memores nos ſervi tui...... offerimus præclaræ majeſtati tuæ*, &c. 4. fractione Hoſtiæ tres in partes; 5. ſumptionem Sacramenti a Sacerdote;

6. de-

Digitized by Google

6. demum ejuſdem diſtributionem populo factam: & idcirco ſex ſunt, aut fingi poſſunt præſenti de re opiniones, de quibus ut mentem noſtram aperiamus, ſit

Conclusio I. Ratio ſacrificii non conſiſtit in ea panis & vini oblatione, quæ fit ante conſecrationem.

Prob. 1. quia Chriſtus verum & perfectum in ultima Cœna ſacrificium obtulit: atqui nec ex Scriptura, nec ex Traditione habemus, vocalem id genus oblationem ab eo factam fuiſſe; ergo.

Prob. 2. Mera ad ſacrificium præparatio, non eſt ipſummet ſacrificium: atqui oblatio de qua loquimur, mera eſt, &c. ut conſtat vel ex Occidentalium Liturgia, in qua poſt oblationem illam dicitur: *Veni ſanctificator.... & benedic hoc ſacrificium tuo ſancto nomini præparatum.*

Prob. 3. Res quæ in novæ Legis ſacrificio offertur, eſt ipſum corpus Domini: unde ex Tridentino Seſſ. 22. Altaris ſacrificium non differt a ſacrificio Crucis, niſi penes rationem offerendi diverſam: atqui in Offertorio non ipſum Domini corpus offertur, ſed nuda panis ſubſtantia; ergo.

Addit Gonet, ritum hunc non ſemper ab Eccleſia fuiſſe obſervatum: verum hunc in omnibus Orientalium ut & Latinorum Liturgiis præſcribi animadvertunt, qui his plenius ſtuduere.

Conclusio II. Neque etiam conſiſtit ſacrificium in diſtributione Euchariſtiæ Fibelibus facta.

Prob. 1. quia ſacrificium nonniſi a Sacerdote fieri poteſt: atqui diſtributio fieri poteſt etiam a Diaconis.

Prob. 2. quia in eo non conſiſtit ſacrificium Miſſæ, quo ſublato non tollitur ſacrificium: atqui ſublata Euchariſtiæ diſtributione non tollitur ſacrificium. Poteſt enim conſiſtere tametſi e plebe nemo communicet; prout definiit Tridentinum Seſſ. 22. Can. 8. & explicuit ibid. cap. 6.

Prob. 3. quia diſtributio illa relative ad Fideles eſt ipſius ſacrificii participatio, ſecundum id Apoſtoli 1. Cor. 10. *Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt Altaris?* atqui participatio ſacrificii ſacrificium jam peractum ſupponit; ergo. Sed de his jam fuſius, cum in hoc, ſicut in præcedenti puncto concordes ſint inter ſe Theologi.

Conclusio III. Oblatio quæ poſt conſecrationem fit per hæc verba: *Unde & nos memores*, &c. non eſt pars eſſentialis ſacrificii; & multo minus tota ejuſdem eſſentia.

Prob. 1. Oblatio qua nec uſus eſt Chriſtus, nec utendum præcepit, non eſt pars eſſentialis ſacrificii: atqui nec iſta oblatione uſus eſſe Chriſtus legitur, qui ſtatim a conſecratione corpus & ſanguinem ſuum Diſcipulis diſtribuit; neque ea ſuos uti præcepit; cum ea lex nullibi deprehendatur.

Prob. 2. Ad rationem ſacrificii requiritur immutatio rei oblatæ: atqui oblatio conſecrationem ſubſequens nullam in Chriſti corpus mutationem inducit.

Prob. 3. quia ſacrificium principaliter offertur in perſona Chriſti: atqui oblationis hujus verba non dicuntur in perſona Chriſti, ſed Miniſtri & plebis: *Unde & memores nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta..... offerimus*, &c.

Prob. 4. quia, ut bene notat Bellarminus Lib. 1. de Miſſa, cap. 27. tametſi

tametſi ad ſacrificii eſsentiam neceſsario requiratur oblatio quæpiam; haud tamen neceſſe eſt eam verbis exprimi. Satis enim demonſtrat ſe aliquid offerre Deo, qui reipſa & opere exercito illud offert.

Itaque, ait idem Bellarminus, oblatio iſthæc eſt quædam teſtificatio, quod tota Eccleſia conſentiat in oblationem a Chriſto factam, & ſimul cum illo offerat. An autem ea ſit pars integrans ſacrificii, diſputant Doctores: Negat Gonet Diſp. 11. art. 2. aſſerit e contra Bellarminus ibid. quia oblatio illa reperitur in antiquioribus (imo in omnibus) Liturgiis, quæ ſine dubio ab Apoſtolis originem ducunt. Ut ut eſt, ſedulo cavendum Sacerdoti, ne quid eorum omittat, quæ in Canone Miſſæ obſervanda præſcribuntur.

Obj. Sacrificium neceſſario conſiſtit in oblatione: atqui non in ea quæ conſecrationem præcedit; ergo in ea quæ ſequitur.

R. diſt. conſiſtit in oblatione quæ rei oblatæ immutationi conjuncta ſit, C. in oblatione pure verbali, quæ circa victimam nihil operetur, qualis eſt oblatio de qua loquimur, N.

Conclusio IV. Fractio & commiſtio Hoſtiæ non pertinet ad eſſentiam ſacrificii.

Prob. 1. auctoritate S. Thomæ 3. p. qu. 83. art. 6. ad 6. ubi ſic: *Dicendum quod fractio hoſtiæ conſecratæ & quod una ſola pars mittatur in calicem, reſpicit corpus myſticum, ſicut admiſtio aquæ reſpicit populum. Et ideo horum prætermiſſio non facit imperfectionem ſacrificii, ut propter hoc ſit neceſſe aliquid reiterare circa celebrationem hujus Sacramenti.*

Prob. 2. quia ſi forte hoſtia in calicem decidat, quando Sacerdos cum ea ſuper calice ſignum crucis exprimit, nec jam frangi poſſit, hic integra ad ſumptionem uſque relinquitur; ut ex Miſſali Romano docent Bellarminus, Lugo, Gonet, & alii: atqui tamen plenum tunc & integrum offertur ſacrificium.

Prob. 3. quia fractio fit ſolum circa ſpecies panis: atqui actio ſacrificativa circa utramque panis & vini ſpeciem fieri, debet. Siquidem ſacrificium Miſſæ eſt ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech: is porro non panem tantum attigit ſacrificando, ſed & vinum; ergo.

Obj. Eſſentia ſacrificii Miſſæ in ea actione conſiſtit, quæ ſacrificium Crucis diſerte repræſentat: eſt enim Miſſæ ſacrificium imago ſacrificii Crucis: atqui fractio Hoſtiæ, &c.

Reſpondent aliqui diſt. maj. quæ repræſentat ex inſtitutione Chriſti, C. ex inſtitutione Eccleſiæ, N. imo, addunt, Hoſtiæ diviſionem inſtituit Eccleſia, ut poſſet facilius ſumi.

Reſpondent alii diſt. quæ repræſentat practice, hoc eſt, ſeparando, quantum eſt de ſe, corpus a ſanguine, C. quæ repræſentat ſymbolice tantum, N.

Reſpondeo ego neg. min. frangitur enim hoſtia ut pars ejus cum ſanguine miſceatur: porro nedum actione hac intendat Eccleſia adumbrare cruentam Chriſti mortem in cruce; imo hac ſanguinis & corporis unione glorioſam ejus reſurrectionem exhibere intendit, ſecundum id Miſſæ Mauritii Rothomagenſis: *Per particulam Oblatæ immiſſæ in calicem oſtenditur corpus Chriſti quod reſurrexit a mortuis.* Vide Expoſitionem Litteralem, &c. P. le Brun, Tom. 1. pag. 572.

Con-

Conclusio V. Communio Sacerdotis non eſt pars intrinſeca & eſſentialis ſacrificii: eſt tamen pars integrans.

Prob. 1. pars contra Bellarminum, Tournely & alios quoſdam non infimi nominis, 1. quia ſi conſumptio hoſtiæ per Sacerdotem, ſit de eſſentia ſacrificii, non magis certum eſt Chriſtum in Euchariſtia verum obtuliſſe ſacrificium, quam certum ſit eum Euchariſtiam ſumpſiſſe: atqui falſum conſequens. Eſt enim de fide Chriſtum vere ſacrificaſſe in ultima Cœna: atqui de fide non eſt eum Euchariſtiam ſumpſiſſe; licet multo probabilius ſit eum fuiſſe convivam ſimul & convivium.

Prob. 2. quia ſacrificium Miſſæ fit in perſona Chriſti, qui primarius eſt Sacerdos: atqui ſumptio fit in perſona ſumentis, & tota in ejus commodum vergit, cum ſacrificium de ſe vergat in honorem Dei.

Nec dicas cum Bellarmino, Chriſtum eo ſenſu ſacrificium conſumere, quod illud tradat ad conſumendum: ſicut vere ſe ipſum ſacrificavit in cruce, quia ſe alienis manibus obtulit interimendum.

Nam 1. in cruce Chriſtus non tantum aliena manu, ſed & propria vi mactatus eſt, ut diximus ſupra; 2. ſi Chriſtus, quia corpus ſuum tradit Sacerdoti ad conſumptionem, per eum ſacrificare dicatur, dicendus etiam erit ſacrificare per laicos; cum & his etiam corpus ſuum tradat: id autem ipſi Bellarmino adverſatur.

Prob. 3. quia actio ſacrificandi eſt actio Sacerdotis qua Sacerdos eſt, & ad cujus exercitium directam vi ordinationis ſuæ poteſtatem recipit: atqui Sacerdos in ordinatione ſua directam Euchariſtiæ recipiendæ poteſtatem non accipit; eam enim jam recepit in Baptiſmo.

Prob. 4. Ad ſacrificium requiritur eſſentialiter actio rei oblatæ immutativa: atqui ſumptio rem oblatam non immutat; Tum quia hanc ſolum movet localiter ad motum ſpecierum; tum quia ſi mutaret, maxime eo quod, ut Bellarmino placet, ſumptionem ſequitur ſpecierum alteratio, ex qua fit ut corpus Chriſti ſub ſpeciebus eſſe deſinat: atqui hæc ratio nulla eſt, 1. quia actio ſacrificii præcipue conſtitutiva debet fieri in Altari: conſumptio autem vi naturalis caloris fit in ſtomacho; 2. in principiis Bellarmini, ſi quis trajectas in ſtomachum ſpecies, necdumque alteratas evomeret, mutilum, imo nullum foret ſacrificium: atqui videtur id eſſe contra communem Eccleſiæ ſenſum. Eccleſia enim Hoſtiam de novo vult conſecrari, quoties ſacrificium minime perfectum fuerit: atqui nullibi, quod ſciam, præcipit Eccleſia, ut qui etiam necdum egreſſus ab Altari ſpecies evomeret, hoſtiam novam conſecret; ergo.

Prob. demum ex S. Gregorio Nyſſeno, Orat. 1. de Chriſti reſurrect. *Cum*, inquit, *corpus edendum & ſanguinem bibendum Diſcipulis exhibuit* Chriſtus, *jam arcana & non aſpectabili ratione corpus erat immolatum*; ubi immolatio ac proinde ſacrificium ſumptionem præcedit.

Prob. 2. pars, 1. quia ſacrificium Miſſæ eſt vere pacificum: atqui in veteri Lege ad hujuſmodi ſacrificiorum integritatem, dempto tamen holocauſto, pertinebat, ut qui ea obtuliſſent, hoſtiæ participes fierent; ergo a pari.

Prob. 2. quia vult Eccleſiæ Traditio, ut ſi Celebrans, repentino morbo correptus, utramque ſpeciem ſumere non potuerit, alius ſubſtituatur Sacerdos, etiam non jejunus, ſi alter deſit, qui utramque ſpeciem ſumat,

Ib. art. 3. ad 6. mat, ut perficiatur Sacramentum, ait S. Thomas: atqui ex ea lege ſequi videtur, communionem Celebrantis pertinere ad integritatem ſacrificii, uon autem eſſe tantum juris divini. Quandoquidem ut adminiſtretur viaticum in periculo mortis, ubi receptio ejus divino jure præſcripta *Sup. p. 93* eſt, non permittit, ſaltem expreſſe, imo nullatenus juxta plures, Eccleſia, ut Sacerdos minime jejunus ſacrum faciat.

Idem confirmant aliqui, 1. ex Cap. *Relatum* 11. diſt. 2. *De conſecr.* ubi Patres Concilii XII. Toletani ſic loquuntur: *Ecce Apoſtolus dicit* 1. Cor. 10. *Nonne qui edunt hoſtias participes ſunt Altaris. Certum eſt quod hi, qui ſacrificantes non edunt, rei ſunt Dominici Sacramenti..... Nam quale erit illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur;* 2. ex Trident. Seſſ. 13. cap. 8. ubi quod Sacerdotes in Miſſa ſe ipſos communicent, *mos* eſſe dicitur *ex Traditione Apoſtolica deſcendens*.

Grandin p. 125. Verum hæc juxta alios nequidem præceptum divinum invicte probant; quia non omne quod Apoſtolicæ Traditionis eſt, ideo ſtatim legis eſt divinæ.

Hic obſervandum eſt, Sacerdotem ex ea Hoſtia communicare debere, quam conſecravit, non ex alia. Unde monent Rubricæ Miſſalis, ut ſi in Formula mox conſecrata appareat vermis, qui ejus ſumptionem impediat, alia conſecretur; quod ut plurimum non liceret, quia poſſet e Tabernaculo ſumi Hoſtia ante conſecrata, ut perficeretur ſacrificium. Atque hinc, ait Habert, novis Sacerdotibus, qui in die Ordinationis ſuæ cum Epiſcopo concelebrant, communio, juxta Pontificalis præſcriptum, diſtribui debet ex præſenti ſacrificio, non ex pixide, in qua aſſervantur Hoſtiæ antea conſecratæ. At de Neomyſtarum conſecratione diximus ſup. p. 23.

Obj. contra 1. pars 1. id quod repræſentat ſacrificrium Crucis, eſt de eſſentia ſacrificii Miſſæ: atqui ſpecierum conſumptio, &c. Prob. min. tum ex Apoſtolo, qui 1. Corint. 11. ait: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis;* tum ex his Auguſtini verbis: *Cum ſanguis de calice in ora Fidelium funditur, quid aliud niſi corporis in cruce immolatio deſignatur?*

R. diſt. maj. quod repræſentat per ſe & proxime ſacrificium Crucis, C. quod repræſentat ratione alterius præſuppoſiti, N. ſic diſt. min. neg. conſeq. Porro conſumptio ſpecierum per ſe quidem & proxime repræſentat ſepulturam Chriſti, quæ dubio procul cruento ejus ſacrificio eſſentialis non fuit; at paſſionem ejus non repræſentat niſi ratione alterius, quodcumque tandem illud ſit. Siquidem ſpecierum conſumptio eſt ipſa cœleſtis agni manducatio, quæ agnum jam mactatum, proindeque immolatum ſupponit. Unde Domini mortem annuntiat, qui carnem ejus comedit, quia caro illa eſt victimæ, naturaliter quidem in ara crucis, myſtice vero in altaribus noſtris immolatæ.

Obj. 2. Illud pertinet ad ſacrificii eſſentiam, quod præcipue a ſacrificis fieri mandavit Chriſtus: atqui Chriſtus communionem corporis ſui præcipue a Sacerdotibus ſacrificaturis fieri mandavit: *Accipite*, inquit, *comedite; Hoc eſt corpus meum*, &c. *Bibite ex hoc omnes*, &c. *Hoc facite*, &c. Et vero, ajebant ſupra Toletani Patres: *Quale erit illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans* participabit? ergo.

R. neg.

Google

R. neg. maj. ex illo enim Chriſti mandato unum ſequitur, quod ſponte concedimus, nempe communionem extrinſecum eſſe ſacrificii terminum; quia eo potiſſimum fine inſtitutum eſt ſacrificium, ut victimæ ſanctæ participes eſſemus: At non ſequitur, communionem illam ad ſacrificii rationem pertinere. Et vero quod ipſa re poſterius eſt, ad rei naturam pertinere nequit: atqui communio poſterior eſt ſacrificio, utpote quæ ſit participatio ejus, adeoque illud peractum ſupponat; ergo.

Confirm. Chriſtus Euchariſtiam inſtituit ut Sacramentum & ſacrificium: non enim ſolum dixit; *Comedite* & *bibite*, ſed etiam *Hoc facite*, &c. porro poſtrema hæc verba ſacrificium ſpectant, *uti*, teſte Tridentino Seſſ. 22. cap. 1. *ſemper Catholica Eccleſia intellexit & docuit*; priora vero pertinent ad Sacramentum: atqui ex verbis quæ Sacramentum directe reſpiciunt, non poteſt colligi ſacrificii natura.

Nec nocet Canon V. Toletani Concilii: Ex eo enim ſequitur duntaxat, ſacrificium cui Sacerdos non participaverit, tale non futurum, quale eſſe debet, id eſt, non fore legitimum, utpote contra Chriſti inſtitutionem, vel Eccleſiæ ordinationem celebratum: quia vel Chriſtus ipſe, vel ſaltem Eccleſia, ſub gravi ſtatuit, ut Euchariſtiæ ſacrificium ſemper a Miniſtro offerente, nomine populi, ſumeretur. Quin & manifeſte ſupponit idem Canon ſuam jam ante ſacrificio veritatem conſtare, quam ei participet Miniſter, ut ex his verbis liquet, *Quaſi non ſit toties illi vero & ſingulari ſacrificio participandum, quoties corporis & ſanguinis D. N. J. C. immolatio facta conſtiterit;* ergo juxta Concilium jam ante communionem *facta* eſt *immolatio corporis & ſanguinis* Chriſti: ubi autem præexiſtit immolatio victimæ, ibi præexiſtit ſacrificium.

Obj. 3. Ad ſacrificium neceſſaria eſt victimæ a Sacerdote participatio; ergo ſumptio eſſentialis eſt ſacrificio Miſsæ.

R. neg. ant. holocauſtum enim potiſſima erat ſacrificii ſpecies: atqui tamen nullam holocauſti partem aſsumebat Sacerdos.

Inſt. Sacrificium Euchariſtiæ eſt holocauſtum perfectiſſimum: atqui de ratione holocauſti eſt ut victima tota conſumatur in honorem Dei; ergo, & hæc conſumptio eſt de ratione Euchariſtiæ. Subſumo: atqui dempta Sacerdotis comeſtione nihil eſt quo victima tota conſumi cenſeatur; ergo.

R. 1. alius ſic a contrario argueret: Euchariſtia eſt holocauſtum: atqui nulla holocauſti pars cedebat in uſum Sacerdotis; ergo nec Euchariſtia a Sacerdote conſumi debet.

R. 2. diſt. maj. eſt holocauſtum ſicut Chriſtus in ſacrificio Crucis fuit holocauſtum, C. eſt holocauſtum ſecundum vim nominis, N. itaque holocauſtum, ſecundum nominis etymologiam, & ritus Leviticos, eſt diſſolutio partium victimæ, earumque deſtructio, imo & combuſtio: hæc autem ratio non magis neceſsaria eſt in ſacrificio Euchariſtiæ, quam in ſacrificio Crucis: unde ſicut ſacrificium Crucis dicitur holocauſtum, quia in eo Chriſtus ardentiſſimo charitatis æſtu ſuccenſus occubuit; ſic & ſacrificium Euchariſtiæ holocauſtum dicitur, quia in eo ſubit Chriſtus ſtatum mortui, ut perpetua illius, qua *ſuos in finem dilexit*, charitatis argumenta nobis ſubminiſtret.

Obj. 4. Si ſacrificium ſaltem partialiter in communione non conſiſtit, neceſ-

neceſſum eſt ut in actione anteriori conſiſtat, puta conſecratione: atqui hoc non. Sacrificium enim ſtatim ut eſſentialiter completum eſt, omnem ſuum effectum habet: atqui Miſsæ ſacrificium non omnem ſuum effectum habet ſtatim a conſecratione; quandoquidem ea etiam peracta offeratur idem ſacrificium pro defunctis; ergo neceſſum eſt ut ipſa ſumptio ſit pars intrinſeca ſacrificii.

Confirm. quia Miſſæ ſacrificium conſummari dicitur, quando conſumitur a Sacerdote; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. maj. omnem ſuum effectum habet ex opere operato, C. ex opere operantis, N. Itaque ſacrificium ſtatim a peracta conſecratione eum omnem parit effectum, quem ex opere operato parere poteſt: unde neceſſum eſt ut offerentis intentio jam ante conſecrationem directa ſit pro iis, ſive viventibus, ſive mortuis, quibus ſpecialiter opitulari deſiderat. At nihilominus poſt conſecrationem orat Sacerdos & pro vivis & pro defunctis, quia optat ut iis omnibus proſit ſacrificium, tam ex opere operantis, quam ex opere operato. Ceterum jam in ipſa panis oblatione orat Miniſter *pro omnibus Chriſtianis Fidelibus, vivis atque defunctis*.

Ad confirm. neg. conſeq. ſacrificium enim dicitur conſummari, quando a Sacerdote conſumitur, non quia per eam conſumptionem eſsentialiter perficitur in ratione ſacrificii; ſed quia tunc omnem ſuum finem atque uſum conſequitur: neque enim duntaxat eſt ſacrificium, ſed & Sacramentum, a Chriſto ad hoc inſtitutum, ut ſumatur, & per ſui ſumptionem animas ſumentium ſpiritualiter reficiat.

Conclusio VI. Sacrificium eſsentialiter conſiſtit in ſola oblatorum conſecratione, prout ad ſumptionem, tanquam finem extrinſecum terminatur.

Prob. 1. pars, 1. ex S. Gregorio Nyſseno, Orat. 1. in reſurrectionem Chriſti; hæc ille: *Cum* Chriſtus *corpus ſuum Diſcipulis edendum, & ſanguinem bibendum præbuit, tunc aperte declaravit Agni* (illius, qui peccatum mundi tollit, ut ſupra habet S. Doctor) *ſacrificium jam eſſe peractum. Nam victimæ corpus non eſt ad edendum idoneum, ſi animatum ſit. Quare cum corpus edendum & ſanguinem bibendum Diſcipulis exhibuit, jam arcana & non aſpectabili ratione corpus erat immolatum:* atqui Chriſti corpus non alia quam conſecrationis via immolatum eſse potuit, cum Diſcipulis datum eſt ad comedendum; ergo cum Sacerdotes eodem ſacrificent ritu, quo Chriſtus ipſe, neceſse eſt ut ii conſecrando ſacrificare dicantur.

V. Tom. VIII. pag. 759.

Prob. 2. In ea actione conſiſtit ſacrificium, quæ rem oblatam immutat: atqui conſecratio ..... Illa enim actio rem oblatam, ſeu victimam immutat quantum eſt de ſe, quæ quantum eſt de ſe ſeparat ſanguinem viventis a corpore ejus: atqui conſecratio per ſe & ex vi verborum ſeparat ſanguinem ...... Quæ enim vi verborum ponit ſolum corpus ſub ſpecie panis, & ſolum ſanguinem ſub ſpecie vini, hæc, quantum de ſe eſt, ſeparat ſanguinem a corpore viventis: atqui conſecratio, &c. Atque hinc Patres myſticam in Euchariſtiæ ſacrificio agnoſcunt ſanguinis effuſionem, quæ fiat *per gladium verborum*, ut loquitur S. Cyrillus. Quod nervoſe his quæ jam ſupra citavimus verbis expreſſit Boſsuetus: *Tel eſt le ſacrifice des Chretiens .... ou le glaive eſt la parole, qui ſepare myſtiquement le corps & le ſang.* Unde in Expoſitione Miſsæ pag. 45. *Nous ne craignons point de dire, que cette ſanctification & cette oblation de J. C. continue encore ſur*

ſur nos Autels : & c'eſt eſſentiellement dans la conſecration de l'Euchariſtie ; que nous la faiſons conſiſter. Idem diu ante docuerant tum Chryſoſtomus Homil. de proditione Judæ , ubi ſic : *Vox illa* , Hoc eſt corpus meum , *uſque ad Chriſti adventum præſtat ſacrificio firmitatem* ; tum Irenæus Lib. 4. de hæreſib. cap. 32. his verbis : *Chriſtus dicendo* , Hoc eſt corpus meum , *docuit novam novi Teſtamenti oblationem* . Concinunt alii Patres , quos in decurſu paſſim allegavimus .

Prob. 3. In ea actione conſiſtit ſacrificium , quæ & vere propria eſt Sacerdotis , & ab eo Chriſti nomine offertur , & ſacrificii Crucis repræſentativa eſt : atqui tria hæc conſecrationi conveniunt , & quidem ſoli. Major conſtat , tum quia nullum Religionis opus magis proprium eſt Sacerdotis , quam ſacrificium , ad cujus oblationem primario aſſumitur Sacerdos, ut docet Paulus Hebr. 5. 1. Tum quia cum in ſacrificio Miſſæ Chriſtus ſit principalis *offerens* , * id in quo Sacerdos principaliter agit in perſona & nomine Chriſti , ad ſacrificium pertinere debet : tum quia ſacrificium Miſſæ eſſentialiter debet repræſentativum eſſe ſacrificii Crucis , ut ex dictis liquet .

* *Trid. Seſ.* 22. *cap.* 2.

Prob. itaque min. & quidem 1. quod conſecratio ſit Sacerdotis maxime propria , hinc evidens eſt , quod ex omnibus Miſſæ partibus ea ſola ſit , quæ divino jure pertineat ad Sacerdotem ; 2. nec minus perſpicuum eſt , conſecrationem Chriſti nomine , atque in ejus perſona fieri. Quidquid enim vel antecedit, vel ſequitur, mortalem ſonat: ubi autem ad conſecrationem deventum eſt, jam loquitur Homo-Deus: *Hoc eſt corpus meum . Hic eſt calix ſanguinis mei ;* 3. denique in ſola conſecratione repræſentatur paſſio Chriſti; ſola enim eſt conſecratio, quæ & Chriſtum præſentet Patri æterno , prout ei ſe in Cruce realiter præſentavit ; & eum vi propria immolet , quatenus , ut jam dictum eſt , corpus ejus velut exangue & ſine anima ponit ſub ſpeciebus panis; & ſanguinem ejus velut avulſum a corpore ponit ſub ſpeciebus vini ; ergo .

Prob. 4. Actio, cui independenter ab aliis competit tota ſacrificii definitio , ſacrificii conſtitutiva eſſe debet: atqui conſecrationi a ceteris Miſſæ actionibus præciſæ competit ..... 1. enim importat *oblationem ;* cum victimam ſiſtat , & Deo præſentet , non quidem in actu ſignato , ſeu per verba , *offero* , vel , *offerimus* , quæ in veteribus ſacrificiis non uſurpabantur ; ſed in opere exercito, quemadmodum offerebantur Deo animalia, eo ipſo quo in Altaribus Leviticis jugulabantur , & Chriſtus ipſe ſe ſe in ara Crucis obtulit , facto potius quam verbis ; 2. importat oblationem *rei ſenſibilis* , Chriſti nimirum per Euchariſticas ſpecies ſenſibiliter exhibiti ; 3. oblationem *Deo factam ;* cum nulla actio magis ad Dei cultum & honorem ordinetur, quam conſecratio , opus Chriſti præſtantiſſimum ; 4. *per Miniſtrum legitimum*, Sacerdotem videlicet, quem Chriſtus potiſſimum elegit ut conſecraret ; & ſuprema ſua poteſtate veſtiit , ſecundum id S. Gregorii Lib. 4. Dialog. *Quis neſcit ipſa immolationis hora ad vocem Sacerdotis cœlum aperiri ;* 5. *per immolationem* , ſeu hæc conſiſtat in myſtica corporis & ſanguinis ſeparatione , prout hactenus diximus ; ſeu , ut aliis placet , ſita ſit in illa Chriſti ad punctum redactione , vi cujus in Altari ponitur modo quodam mortuo, & ad naturales ſenſuum functiones inepto: de quo infra ; 6. *ad teſtificandum Deum eſſe vitæ*

&

& mortis auctorem: vitæ quidem, cum Chriſtus per conſecrationem accipiat eſſe quod antea non habebat, ſcilicet ſacramentale; mortis vero, quatenus ibidem modo quodam mortuo exiſtit, & ad quamdam ſui ex futura communione deſtructionem ordinato.

Obj. 1. Actio ſacrificativa eſt eſſentialiter actio victimam immutans & deſtruens: atqui conſecratio nec immutat, nec deſtruit victimam, nimirum corpus Chriſti. Quod enim econtra victimam ponit & producit ſub ſpeciebus, eamdem non deſtruit: atqui conſecratio, &c.

Ut difficultatem hanc, qua mire torquentur, ſolvant Theologi, varias abeunt in partes. Ante vero quam earum præcipuas referamus, paucis animadvertere juvat, nihil hanc noſtrorum diviſionem hæreticis opitulari. Nam & ipſi nobiſcum contra Socinianos agnoſcunt, Filii proceſſionem in divinis veram eſſe generationem; nec tamen in aſſignanda ineffabilis illius generationis ratione conveniunt. Agnoſcunt pariter Baptiſmi & ſanctæ Cœnæ Sacramenta; & tamen circa ipſam Baptiſmi materiem, ac Euchariſtiæ naturam varii varia opinantur; aliis contra alios Baptiſmum in quocumque liquore valide dari; aut Euchariſtiam verum Chriſti corpus excludere, vel complecti opinantibus. Itaque

Reſpondent 1. aliqui cum Vaſque, victimæ deſtructionem, quamvis ſit de ratione ſacrificii abſoluti, haud tamen eſſe de ratione ſacrificii, quod alterius commemorativum ſit, quale eſt Euchariſtiæ ſacrificium.

Verum ſolutio hæc communiter rejicitur, 1. quia quod eſt de natura ſacrificii ut ſic, cuilibet ſacrificio, quodcumque illud ſit, competere debet: atqui rei oblatæ immutatio eſt de natura ſacrificii ut ſic, prout conſtat, tum ex D. Thoma, & ex communi Doctorum ſenſu; tum
2.2.q.85. a.3.ad 3. ex omnibus Legis antiquæ ſacrificiis, ubi in Hoſtiis aliqua ſemper, quamvis non ſemper eadem, fiebat immutatio; 2. quia non leve eſt oblationem inter & ſacrificium diſcrimen: oblatio enim fit Deo tanquam rerum omnium exteriorum Domino; ſacrificium vero eidem penditur tanquam auctori vitæ & necis; ergo quæ ad meram rei exterioris oblationem neceſſaria non eſt immutatio, hæc ad ſacrificium neceſſario requiritur; ergo rurſum ſi ſacrificium Miſſæ nullam oblatæ rei mutationem importet, nec erit, nec dici poterit ſacrificium verum, ſed duntaxat veri ſacrificii repræſentatio.

Reſpondent 2. alii cum Suare, in ſacrificio ubi res oblata ex alia producitur re quæ deſtruitur, ſufficere rei hujus deſtructionem, non vero requiri deſtructionem rei ex illa productæ; ſeu brevius, ſufficere deſtructionem termini *a quo*, non vero requiri deſtructionem termini *ad quem:* unde cum in Miſſæ ſacrificio producatur Chriſti corpus ex panis ſubſtantia quæ deſtruitur, ſtat in eo tota ratio ſacrificii, abſque eo quod per conſecrationem res oblata, ideſt, corpus Chriſti, qualitercumque immutetur.

Sed neque placet iſta hæc ſolutio, quia rerum definitiones & eſſentiam mutat. Sacrificium enim, ex generali omnium notione, eſt oblatio rei cum aliqua ejus immutatione; juxta id S. Thomæ ubi ſupra: *Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res oblatas aliquid fit, ſicut quod animalia occidebantur & comburebantur, quod panis frangitur & comeditur;* ergo immutatio in ipſam rem quæ offertur cadere debet, non in

præ-

præexiſtentem ejus rei materiam. Et vero quis diceret ſerpentem a Moyſe productum ex virga, eo præciſe quia Domino oblatus eſſet, fuiſſe ſacrificatum? atqui tamen tunc deſtructus eſſet terminus a quo, nimirum virga; ergo.

R. itaque 1. neg. maj. in ſenſu objectionis; & dico ad ſacrificium non requiri actionem, qua hic & nunc res oblata deſtruatur, ſed ſufficere actionem qua vere & realiter offeratur res, quæ vel deſtruenda ſit, vel olim deſtructa fuerit. Nempe vero, ut apprime animadvertit Theologus Pariſienſis, cum ſacrificium non habeat niſi eſſe morale, ad ejus eſſentiam & exiſtentiam neceſſe non eſt, ut partes ejus, oblatio ſcilicet & immolatio, phyſice conjungantur; ſed ad eas ſufficit unio moralis, quæ fit per offerentis intentionem; itaut oblatio aliquando immolationem ſequatur, & aliquando præcedat. Atque id, ne nova ad ſolvendam difficultatem comminiſci videamur, patet ex ſacrificio Expiationis, maxime ſolemni: in eo enim ad expianda populi delicta aſſumebantur hirci duo, quorum alter primo mactabatur, dehincque ſummus Pontifex ſanguinem ejus oblaturus Sanctuarium introibat; alter econtra prius offerebatur vivens, & poſtmodo in deſertum mittebatur. Inde porro ſic argumentari licet cum eodem Doctore: In Sanctuario per Sacerdotes Aaronicos nulla fiebat immolatio; & nihilominus verum in figuram Sacrificii Chriſtiani offerebatur ſacrificium; quia oblatio ſanguinis victimæ præſupponebat, & ſenſibiliter repræſentabat immolationem jam præteritam, & extra Sanctuarium factam; ergo ut apud Chriſtianos veritas reſpondeat figuræ, haud neceſſe eſt ut in conſecratione nova fiat immolatio, ſed ſufficit realis oblatio victimæ olim in Crucis ara immolatæ, & in altari ſubſtantialiter & ſenſibiliter poſitæ ſub ſeparatis ſpeciebus panis & vini, in quibus repræſentatur effuſio & ſeparatio ſanguinis a corpore, quæ in reali Agni immaculati immolatione præceſſit.

Levit. c. 16. & cap. 23.

Hæc autem primigenia immolatio non tantum ſufficit citra novam; ſed & nova hæc, cui inquirendæ tam operoſe inſudant Theologi, habet neſcio quid a vera ſacrificii noſtri notione alienum. Scilicet enim ſacrificium Crucis & ſacrificium Miſſæ ſunt unum revera & idem ſacrificium, neque differunt niſi *ſola offerendi ratione*: atqui ſi nova fiat in Miſſa immolatio, jam non ſola offerendi ratione different, ſed & immolatione; nec proinde adeo rigoroſe erunt unum & idem. Et vero cum ad ſacrificium ex parte actionis duo concurrant, oblatio ſcilicet & immolatio rite facta, neceſſum eſt ut ſacrificii unitas, vel ab oblationis, vel ab immolationis unitate potiſſimum petatur: atqui non ab unitate oblationis; cum hæc pluries iterari poſſit; ergo ab unitate immolationis. Et id adeo verum eſt, ut ſi victima ſemel immolata reviviſceret, atque iterum mactaretur, non unum, ſed duplex eſſet ſacrificium; quia duplex eſſet immolatio, & duplex exterior teſtificatio noſtræ a Deo dependentiæ. Ergo, ut ad id revertamur unde digreſſi ſumus, dici nec incongrue poteſt, ad Miſſæ ſacrificium nulla nova opus eſſe immolatione, ſed ſufficere oblationem a Chriſto ſemel in Cruce peractam.

Trid. Seſſ. 22. cap. 2.

Neque ideo cruentum erit Miſſæ ſacrificium; quia in eo vere quidem & realiter offeretur victima quæ ſe ſe olim cruente immolavit; non autem victima prout hodie ſe ſe eodem modo cruente immolans. Unde

hic

hic ſuberit quidem victimæ cruentæ, ſeu Dominicæ paſſionis oblatio; ſed incruenta; neque enim jam Chriſtus in propria ſpecie offertur, ſed in aliena, eaque formaliter ſacrificii objective cruenti repræſentativa.

R. 2. neg. min. dici enim poteſt victimam in Miſſa aliquo ſenſu deſtrui; dici & melius poteſt eam immutari. Et quidem 1. dici poteſt, victimam deſtrui aliquo ſenſu; quatenus nempe vi verborum corpus ſub ſpecie panis ſeparatur a ſanguine, & ſanguis ſub ſpecie vini a corpore; 2. dici poteſt & melius, victimam, ſeu Chriſtum, vere & realiter immutari, in quantum per conſecrationem redactus ad punctum, in Altari ponitur modo quodam mortuo, & ad naturales ſenſuum functiones inepto, & quidem in ordine ad deſtructionem in communione adeo conſummandam, ut humanitas Chriſti, ſi nec in Cœlo, nec in ulla alia Hoſtia eſſe ſupponeretur, per communionem hanc videretur omnino deſitura. Jam vero ſi in ſacrificiis libaminum ſatis erat ad immutationem ſacrificativàm, ut vinum in terram effunderetur; quia tunc licet nihil amitteret phyſici, corrumpebatur tamen moraliter, quatenus ineptum fiebat ad uſus humanos; quidni Chriſtus in ſtatu mox expoſito conſtitutus, ſufficienter & ſufficientiſſime immutari dicatur?

Dixi *& melius*: Separatio enim corporis a ſanguine, ſeu Chriſti occiſio, quantum eſt ex vi verborum, haud ſatis eſſe videtur ad actionem proprie ſacrificativam: quia ſanguinem hoc ſenſu ſeparari a corpore, nihil aliud eſt, quam ſanguinem reipſa ſeparatum iri a corpore, niſi Deus hoc impediret; de facto autem nullatenus ſeparari, quia obſtat Dei voluntas: nulla porro eſt vera & actualis immutatio, ubi mutatio eſſet poſita quadam conditione, ſed nunquam eſt ex certo ejuſdem conditionis defectu.

Nec dicas, vere immolatum iri, vel animal, cui lethale infligeretur vulnus, cujus effectum Deus impediret; vel hominem, cujus animam a corpore ſepararet hic gladius, licet ſtatim per reproductionem, aut alium agendi modum, corpus eidem animæ in Cœlo uniretur. Prior enim hypotheſis, ſi veram includat immolationem, utique quia qui ictus *Grand.* lethalis effectum impediit, ictum ipſum non impediit, prout lethale *pag.* 121. vulnus infligentem: porro conſecrationis verba, etſi, ut ita loquar, quantum eſt de ſe percutere idonea, reipſa tamen nec feriunt, nec ferire poſſunt eum qui jam non moritur. In hypotheſi vero ſecunda, vel eſſet inſtans aliquod in quo anima a corpore vere ſepararetur a corpore; vel non. Si 1. eſſet quidem vera alicubi immolatio; ſed quid inde ad ſacrificium Miſſæ, ubi nulla ullo inſtanti eſt ſeparatio ſanguinis a corpore? Si 2. ne hic quidem ſubeſſet umbra ſacrificii.

Neque iterum dicas, ſacrificium incruentum in actione ſacrificii cruenti repræſentativa conſiſtere: hanc porro repræſentationem, in eo quidem ſitam eſſe, quod ſanguis a corpore vi verborum ſeparetur; non autem in eo quod corpus & ſanguis ſub ſpeciebus ponantur decliviore modo; cum ſub ea ratione non ſeparentur ab invicem.

Nam 1. mors Chriſti in Cruce non tam pro cauſa habuit ſeparationem ſanguinis a corpore, ut ſupponunt Adverſarii, quam ipſam Chriſti voluntatem, quæ animam ſeparavit ab utroque; ergo ut mors Chriſti repræſentetur, neceſſum non eſt ut tam præciſe repræſentetur illa corporis & ſangui-

guinis ſeparatio, ſed ſufficit ut vera mors repræſentetur: hæc autem annon apprime repræſentatur per actionem, quæ Chriſtum in ſtatu mortui, & ad omnes hominis functiones inepto reponit? 2. tota, quam Adverſarii exigunt, mortis Chriſti repræſentatio, in expoſitione noſtra ſubſiſtit. Juxta nos enim habet conſecratio, quod & corpus ac ſanguinem, directe & quantum de ſe eſt, ſeorſim ponat; & utrumque ſic ponat modo utriuſque moraliter deſtructivo: unde non ſolum ſeparat corpus a ſanguine, ſed & utrumque moraliter corrumpit, quatenus utrumque in ſtatu cujuſdam exinanitionis collocat; ergo etiam juxta nos habet conſecratio unde repræſentet cruentam ſanguinis a corpore ſeparationem, licet id haud opinemur ſatis eſſe ad eam immolationis ſpeciem, quam in ſacrificio requirunt plures Theologi. Ut ſolvatur difficultas ab initio propoſita,

Obj. 2. Se habet conſecratio ad ſacrificium incruentum, ſicut ſe habuit Incarnatio ad cruentum: atqui Incarnatio non fuit de eſſentia ſacrificii cruenti, ſed tantum aliquid eidem prævium; ergo neque etiam conſecratio eſt de eſſentia ſacrificii incruenti. Minor conſtat: Prob. itaque major. quia ſicut Deus factus homo per Incarnationem, poſtea oblatus eſt in cruce; ſic Chriſtus factus panis vitæ, poſtea offertur in Altari.

Confirm. Quod immolatur, neceſſario præexiſtit immolationi ſuæ: atqui corpus Chriſti non præexiſtit conſecrationi. Quod enim per conſecrationem producitur, non præexiſtit conſecrationi: atqui corpus Chriſti, &c.

R. ad 1. neg. maj. 1. quia per Incarnationem poſitum non fuit Chriſti corpus in ara Crucis; per conſecrationem vero ponitur in Altari, & qua tale offertur in ſacrificium; 2. quia in Incarnatione nulla occurrit mutatio deſtructiva, ſed tantum perfectiva; in conſecratione vero reperitur ea mutationis ſpecies, quæ Chriſtum hominis Deique inſignibus exuit, ut in eo non jam lateat Deitas ſola, prout in Cruce, ſed & humanitas.

Ad 2. neg. ant. nam etſi neceſſe erat, ut Chriſtus ante fieret homo, quam ab hominibus affigeretur Cruci; at neceſſe non eſt ut ante fiat panis vitæ, quam ſe ſe offerat, vel offeratur; quia, ut uno inſtanti, ſic & uno actu fieri poteſt panis vitæ, & offerri.

Ad confirmat. R. 1. neg. maj. licet enim communiter contingat, ut victima ſuæ præexiſtat immolationi, non tamen videtur id eſſe neceſſarium; ſed ſufficit, ut quod ex ſe vivere poſtulat, a vivendo prohibeatur, & ponatur per modum rei mactatæ. Quapropter abſolute loquendo, ſacrificium fieret ab eo Sacerdote, qui cum poſſet rem in quodam vitæ & honoris gradu producere, eam in decliviori produceret ſtatu, imo & mortuam, ut ſupremum Dei dominium profiteretur. Certe, ait Tertullianus Apologet. cap. 9. *Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci*. *Grand. pag. 121.*

R. 2. neg. min. & dico 1. corpus Chriſti, quod utique in Cœlis conſecrationi cuilibet præexiſtit, dici poſſe materiam futuri ſacrificii: neque enim ad id neceſſum eſt ut jam tunc actu & de facto ſanguis ejus a corpore ſeparetur, aut ut in decliviori conſtituatur ſtatu; ſed ſufficit ut e cœlis in terram illabi poſſit, ibique ſacramentaliter immolari, atque id mire congruit analogiæ fidei: Chriſtus enim & ſempiternum habet ſacerdotium, & non aliam ſacerdotii hujus exercitio materiam præbere poteſt, quam ſe ipſum; ergo dum etiam in Cœlis degit, eſt ipſe propria ſacrificii mate-

Digitized by Google

materia; materia, inquam, quæ ſemper, obediente Deo voci hominis, ſacramentalis victima fieri poſſit.

Dico 2. Chriſtum eſſe etiam in Sacramento prius quam immoletur, non quidem prioritate reali, ſed prioritate rationis. Conſecratio enim tria præſtat, 1. producit & quaſi præparat victimam Deo dignam, quatenus panem & vinum convertit in corpus & ſanguinem Chriſti; 2. ſacrum illud corpus conſtituit in ſtatu decliviori; 3. Chriſtum totum in actu exercito offert Patri in ſupremum illius honorem; ergo ſicut prius eſt Chriſtum eſſe in inferiori ſtatu, quam offerri ut victimam, ſic & prius eſt illum poni ſimpliciter, quam poni in hoc vel illo ſtatu; ergo iterum Chriſtus ante concipitur eſſe in Sacramento, quam ibidem immoletur.

Inſt. contra primam reſponſionem. Corpus Chriſti prout pertinet ad ſacrificium, non eſt Chriſti corpus utcumque, ſed ut victima, proinque ut exiſtens ſub ſpeciebus panis & vini: atqui corpus Chriſti prout victima, ideoque prout ſub ſpeciebus Euchariſticis exiſtens, per conſecrationem producitur.

R. diſt. maj. quæ in ambiguo ludit: Corpus Chriſti prout pertinet ad ſacrificium, ideſt, prout de facto immolatur, non eſt corpus Chriſti utcumque, &c. C. corpus Chriſti prout pertinet ad ſacrificium, ideſt, prout in ſacrificii materiam aſſumi poteſt, &c. N. Quemadmodum igitur in Lege antiqua, non is vel ille agnus, ſed agnus quicumque præſcriptas conditiones habens, erat futuri ſacrificii materia, licet is tantum in individuo agnus eſſet victima ſacrificii, ſumpto, ut debet, victimæ vocabulo pro re actu immolata; ſic Miſſalis ſacrificii materia eſt corpus Chriſti ſecundum ſe præciſe ſumptum; licet non ſit victima, actu ſcilicet immolata, niſi prout per conſecrationem ſubjacet ſpeciebus Euchariſticis.

Atque hinc ſolvitur argumentum, quod in quadam ſua conſultatione ſic proponebat P. Le Courayer: Si præſentia realis ad ſacrificii poſitionem neceſſaria ſit, utique ut victima realiter deſtrui poſſit: atqui in Euchariſtia nulla eſt deſtructio realis, ſed tantum repræſentativa; ergo præſentia realis ad ſtabiliendam ſacrificii ideam neceſſaria non eſt.

Reſpondeo enim 1. neg. maj. requiritur enim præſentia realis, non ut realiter immoletur victima; id enim ſemel cruente factum eſt in Cruce, nec jam in Altaribus noſtris iteratur: ſed ut idem Chriſtus, qui ſe ſe realiter in Cruce obtulit, realem hanc corporis ſui oblationem vere & proprie continuet. Male igitur confundit Diſſertator immolationem victimæ, cum oblatione victimæ immolatæ: oblatio victimæ ad ſacrificium neceſſaria eſt; non item actualis ejuſdem victimæ immolatio. Ita Doctor Anonymus apud P. Le Quien Tom. 2. Defenſ. p. 139.

R. 2. neg. min. ſtatus enim ille declivior in quo conſtituitur Chriſtus, poteſt ſano ſenſu appellari vera & phyſica corporis Chriſti immutatio: hæc autem quoddam eſt immolationis genus ad ſacrificium ſufficiens.

Obj. 3. In die Paraſceves verum offertur ſacrificium: atqui tamen nulla tunc ſit conſecratio; ergo conſecratio non eſt de eſſentia ſacrificii. Minor conſtat. Prob. itaque major, 1. quia Eccleſia hac die, non ſecus ac aliis, ſic precatur: *Fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi, Deus*, & poſtmodum: *Orate, fratres, ut meum ac veſtrum ſacri-*

ſacrificium, &c. 2. quia ex Auguſtino Epiſt.54. alias 118. cap.2. *Omnibus diebus offertur Deo ſacrificium in Eccleſia*. 3. quia ſi in hanc diem feſtum aliquod incideret olim, tenebantur Fideles Officio illi intereſſe, ac proinde tunc veram Miſſam audire cenſebantur; 4. quia ex S. Thoma hic quæſt.83. art.2. ad 2. corpus Chriſti ſumitur in die Paraſceves, *ne Eccleſia ea etiam die ſit ſine fructu paſſionis*: atqui ſublato ſacrificio eſſet Eccleſia ſine fructu paſſionis; quia communio ſoli ſumenti prodeſt.

R. ad 1. neg. maj. nuſquam enim offertur ſacrificium Altaris, abſque eo quod Sacerdos in perſona Chriſti, utpote principalis offerentis, loquatur: atqui in illo Præſanctificatorum Officio non loquitur Sacerdos in perſona Chriſti; quia incongruum judicavit Eccleſia, ut Chriſtus inducatur loquens ea ipſa die, qua mortuus recolitur; ergo nec tunc offertur ſacrificium. Unde Hugo Victorinus Cod.2. Miſcellan. *Hodie*, inquit, *non ſacrificamus, dum Hoſtia de manibus tollitur: non ſacrificant amici, dum trucidant inimici*. Et vero hac die Chriſtus per proprium ſanguinem intravit in Sancta: porro in veteri Lege, qua die in figuram myſterii noſtri ſummus Sacerdos intrabat in Sancta ſanctorum, ceteri Sacerdotes non ſacrificabant; uti animadvertit Rabanus Lib. de Inſtit. Cleric. cap.67. Nec nocent allatæ in contrarium probationes,

Non 1. vox enim ſacrificii hic ſumitur latiori ſenſu, quem probe intelligunt Fideles; nimirum pro quodam heſterni ſacrificii complemento, quatenus tunc conſumitur Hoſtia, quæ pridie conſecrata fuerat. Vel brevius; Vox ſacrificii hic ſumitur, non pro actione ſacrificandi, ſed pro re ſacrificata, quam ſibi & populo prodeſſe ad ſalutem precatur Sacerdos.

Non 2. moraliter enim loquitur Auguſtinus, nec excludit ſingularem diei unius exceptionem.

Non 3. nam 1. Fideles, ſi cui officio intereſſe debent, debent ei intereſſe eodem modo quo fit ab Eccleſia; 2. infra videbimus præcepiſſe ſacram Congregationem, ut hac die, ſi in eam Feſtum inciderit, celebretur Miſſa in gratiam fidelis populi: quod apud nos non eſt in uſu.

Non 4. cujus neg. min. ſumptio enim Euchariſtiæ a Sacerdote facta fructum Dominicæ Paſſionis applicat, tum propter communionem ſanctorum; tum & maxime, quia Sacerdos tanquam perſona publica & nomine Eccleſiæ communicat; atque pro ipſa tota orans, communionem ſuam eo refert, ut toti proſit Eccleſiæ, quæ per eum quodam modo tota communicat.

Obj.4. Oblatio victimæ eſt de eſſentia ſacrificii: atqui conſecratio diſtinguitur ab oblatione; ut patet ex Tridentino Seſſ.23. cap.1. ubi dicitur, *Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in Sacerdotio poteſtatem* a Chriſto *traditam conſecrandi, offerendi & adminiſtrandi corpus & ſanguinem ejus*; ergo eſſentia ſacrificii in conſecratione ſaltem ſola poſita non eſt.

R. conſecrationem ab oblatione diſtingui ratione, quatenus Sacerdos conſecrare dicitur, cum panem & vinum convertit in corpus & ſanguinem Chriſti; ſacrificare vero ſeu offerre, cum corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus ponit modo utriuſque deſtructivo: ſed quia utrumque iſtud una eademque actione præſtatur, quæ ſolo conſecrationis nomine exprimi ſolet, idcirco ſacrificium reponimus in conſecratione, ſumpta nimirum prout & prædictam poſitionem corporis Chriſti, & oblationem ejus complectitur.

Quæres 1. an Miſsæ ſacrificium eſsentialiter differat a ſacrificiis Legis antiquæ, ultimæ Cœnæ & Crucis.

R. 1. differre illud eſsentialiter a ſacrificiis Moſaicis, tum ex parte victimæ, quæ apud Judæos ad ſummum conſtabat animantibus; apud nos vero eſt Chriſtus ipſe, totum ſe, ſuaque merita Patri exhibens; tum ex parte offerentis, qui in Lege merus erat homo, in Evangelio autem eſt ipſe Sacerdos in æternum; tum ex parte virtutis & efficaciæ, cujus principium & fontem involvit ſacrificium Miſsæ, non item victimæ legales.

R. 2. idem ſacrificium non diſcrepare eſsentialiter, ſeu a ſacrificio ultimæ Cœnæ, ſeu a ſacrificio Crucis. Ratio eſt, quia eadem eſt utrobique Hoſtia, idem & principalis offerens, nimirum Chriſtus.

Differt tamen ab utroque accidentaliter ſacrificium Miſsæ, & 1. ab ultimæ Cœnæ ſacrificio; tum ſtatu, quia in ultima Cœna Chriſtus ſe ſe ut mortalem obtulit; in Miſsa vero offert ſe quidem in ſtatu mortis, ſed ut jam non moriturum: unde Joannes in Apocalypſi agnum vidit *tanquam occiſum*, ſed tamen vere *ſtantem*; tum actionis modo, quia in ultima Cœna obtulit ſe Chriſtus immediate; in Miſsa vero offert ſe per manus Sacerdotum; tum effectu morali, quia ſacrificium Cœnæ meritorium erat & ſatisfactorium; non item Miſsæ, ubi Chriſtus propitiari equidem poteſt & merita ſua applicare, non autem, utpote extra ſtatum viæ, mereri de novo; tum ſignificatione, quia Cœnæ ſacrificium mortem Chriſti ut futuram, Miſsæ vero, ut præteritam repræſentat.

Apoc. 5. 6.

Differt 2. a ſacrificio Crucis penes modum offerendi; hic nempe cruento modo immolata eſt ſalutis Hoſtia, quæ jam incruento modo offertur & immolatur. Hic ſolutum omnino redemptionis noſtræ pretium, quod jam applicatur. Hic ſacrificii cujuſcumque prototypon oſtenſum eſt in monte, quod in Miſsa tanquam imagine adumbratur ſimul & exhibetur.

Quæres 2. an Miſsæ ſacrificium eſsentialiter differat ab Euchariſtiæ Sacramento.

R. 1. ea non differre vel penes actionem, ſeu principium quo producuntur; quia utrumque eadem actione, conſecratione nimirum, conficitur; vel penes actionis terminum; quia idem utrobique terminus eſt, videlicet Chriſtus.

R. 2. ea differre penes eſsentiam, 1. quia ſacrificium, cum ſit oblatio victimæ, primario involvit actionem ejuſdem victimæ ſacrificativam, & tranſeuntem: Euchariſtia vero ut Sacramentum, cum in re permanente conſiſtat, actionem hanc præſupponit, ſed non includit ut partem ſui; 2. quia de ratione ſacrificii eſt ut per ſe, primario & immediate ad cultum Dei ordinetur: Sacramentum vero noſtram in ſanctificationem eſsentialiter conſtitutum eſt.

An autem differant etiam penes ordinem exiſtentiæ, pendet a quæſtione, num utriuſque ſpeciei conſecratio ad eſsentiam ſacrificii requiratur. Si enim alterutrius conſecratio ſufficiat, uti credimus, Sacramentum non eſt tempore prius ſacrificio. Ut ut eſt, effectus ſacrificii effectum Sacramenti præcedit, quia ad illum ſufficit ſola ſpecierum conſecratio, qua poſita ſacrificium, utpote jam perfectum, operari debet: ad hunc vero requiritur uſus ſeu ſumptio Sacramenti, quæ ordine temporis poſterior eſt conſecratione.

Cete-

Digitized by Google

Ceterum qui Sacramentum ſacrificio prius eſse volunt ordine executionis, fatentur tamen ſacrificium Sacramento prius dici poſse ordine intentionis; quia principalius intenditur Dei cultus & honor, qui finis eſt ſacrificii, quam utilitas noſtra, quæ finis eſt Sacramenti.

Quæres 3. an in Euchariſtia ratio ſacrificii rationem Sacramenti includat.

R. ſacrificium, ſi ſumatur materialiter, ſeu ratione rei oblatæ, includere eſsentialiter rem Sacramenti, nempe Chriſtum, connotative vero ſpecies Euchariſticas: Si vero ſumatur formaliter, ſeu pro actione ſacrificandi, connotare Chriſtum, uti objectum ſub utraque ſpecie oblatum, non autem includere eſsentialiter: quia forma qua talis verſatur equidem circa objectum, ſed illud intrinſece non involvit.

Ut quibuſdam modo ſuppoſitis lux affulgeat major, ſit

SECTIO TERTIA.

An ad eſſentiam Sacrificii requiratur utriuſque ſpeciei conſecratio.

NOn quæritur an Chriſtus ſic ſacrificium inſtituere potuerit, ut unius tantum ſpeciei conſecratione perficeretur: ſed an ſic illud de facto inſtituerit.

Neque etiam quæritur an licite fieri poſſit unius tantum ſpeciei conſecratio: id enim nemo eſt qui pro grandi piaculo non habeat; utpote & Chriſti exemplo, & conſtanti Eccleſiæ praxi, & Conciliorum definitionibus adverſum. Quæſtio igitur eſt, an ſpeciei utriuſque conſecratio ad ſacrificii validitatem neceſsaria ſit.

Negant Gaſpar Caſsalius, & ii omnes, qui utriuſque ſpeciei conſecrationem, vel jure ſolum humano neceſsariam exiſtimant, ut Adrianus, Major, Claudius Sanctesius Repet. 10. de Euchar. vel jure quidem divino, ſed in quo Eccleſia, vel ſummus Pontifex diſpenſare poſſit. Affirmant ex adverſo alii communius cum S. Thoma 3.p. qu.80. art.12. ad 1. & qu.83. art.1. ad 1. Ita Silvius hic pag.376. Habert, Tournely, & alii recentiores. Sit

CONCLUSIO I. Utriuſque ſpeciei conſecratio ad ſacrificium divino jure neceſsaria eſt.

Prob. 1. ex 1.Cor. 11. ubi, poſt relatam panis & vini conſecrationem, Apoſtolus id tradens quod a Domino acceperat, unicuique ſpeciei ſubjungit: *Hoc facite*, &c. atqui verba hæc verum conſecrandi præceptum important; ergo cum præceptum illud & *a Domino* ſit, & in utramque ſeorſim ſpeciem cadat, dicendum eſt geminæ ſpeciei conſecrationem eſse de jure divino.

Prob. 2. ex Trid. Seſs. 22. cap. 1. ubi dicitur, *Chriſtum Dominum corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini in ultima Cœna Deo obtuliſſe, & Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepiſſe per hæc verba: Hoc facite:* atqui hæc divinum utriuſque ſpeciei offerendæ præceptum complectuntur.

Et vero exceptio firmat regulam: atqui Concilium, cum ab utriuſque ſpeciei receptione eximit Seſs.21. cap.1. ſolos eximit Laicos, & Clericos non conficientes; ergo ſupponit utramque ſpeciem a Clericis conficientibus recipiendam eſse. Jam vero utraque recipi nequit, niſi hic & nunc

Digitized by Google

fuerit præconſecrata; cum Sacerdos ex iis quæ modo conſecravit communicare debeat; ergo.

CONCLUSIO II. Haud tamen certo requiritur utriuſque ſpeciei conſecratio ad eſſentiam ſacrificii. Ita præter ſupra adductos, ſi bene legatur, Yſambert ad qu.83. diſp.3. art.9.

Prob. 1. Ideo adverſarii conſecrationem utriuſque ſpeciei ad ſacrificii eſſentiam requirunt, quia illud volunt ſic a Chriſto fuiſſe inſtitutum, ut non expreſſe tantum, ſed & expreſſiſſime ſacrificium Crucis repræſentaret: atqui hæc ratio omni ex parte nutat: 1. quia ut repræſentetur mors Chriſti, ſufficit ut repræſentetur ſeparatio animæ illius a corpore; quæ quidem ſeparatio non tam pro principio habuit effuſionem ſanguinis, qua non obſtante Chriſtus adhuc per aliquod tempus vivere poterat, quam ipſam Chriſti voluntatem; 2. quia per verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, exprimitur indubie ea Dominicæ mortis repræſentatio, quæ ad ſacrificii noſtri eſſentiam ſufficit: atqui verba: *Hoc facite*, &c. unicuique ſpeciei ſeorſim, non duabus ſimul, quaſi alia aliam eſſentialiter præexigat, applicantur ab Apoſtolo, qui 1. Corint. 11. bis eadem poſt uniuſcujuſque ſpeciei conſecrationem refert. Lucas vero ea ſemel recenſet, ſed ſtatim a corporis conſecratione, & ante conſecrationem ſanguinis; 3. quia Euchariſtia prout Sacramentum, debet etiam repræſentare mortem Chriſti, ſecundum id 1.Corint.11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, &c*, id eſt, vel *calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*: atqui Euchariſtia quatenus Sacramentum ſufficientiſſime per ſpeciem unicam repræſentat mortem Chriſti; nec ſpecialis quæpiam ratio afferri poteſt, cur expreſſior ejuſdem mortis repræſentatio neceſſaria ſit ad eſſentiam ſacrificii; ergo.

Prob. 2. ubi eſt oblatio victimæ totius a legitimo Miniſtro facta, non autem oblatio partis tantum victimæ, ibi plenum occurrere debet ſacrificium: atqui in conſecratione ſolius panis eſt oblatio victimæ totius, nimirum totius Chriſti; ergo.

Nec dicas cum Silvio, oblationem corporis ſe habere ad ſacrificium Miſſæ, ſicut vel occiſionem victimæ in holocauſtum offerendæ; vel effuſionem ſanguinis Chriſti in Cruce ante mortem ipſius; ac proinde non magis perfectum eſſe ſacrificium Miſſæ, ante oblationem ſanguinis, quam vel ſacrificium holocauſti ante ipſius combuſtionem; vel Crucis ſacrificium ante mortem Chriſti de facto ſubſecutam.

Eæ enim comparationes qua facilitate aſtruuntur, eadem exufflari poſſunt. Et 1. non intelligitur qua ratione conſecratio calicis habeat ſe ad Chriſtum ſub ſymbolo panis ſpectatum, ſicut habet ſe ad holocauſtum combuſtio. Si quid holocauſti combuſtionem exprimere poſſit in Euchariſtia, utique ejuſdem a Sacerdote conſumptio: hanc porro ad eſſentiam ſacrificii pertinere credunt equidem aliqui e noſtris, ut Yſambertus; alii autem pro mero termino habent, & iis aſſentimur.

2. nihilo felicior eſt comparatio ex ſanguinis effuſione deſumpta: ideo enim effuſio hæc merum erat ſacrificii initium, quia necdum per eam tota attingebatur victima: atqui e contrario totus ſub unaquaque ſpecie Chriſtus attingitur; ergo.

Prob. 3. Euchariſtia non fit niſi per actionem ſacrificativam: atqui Eucha-

Euchariſtia vere & plene fit per ſolam unius ſpeciei conſecrationem; ergo unius tantum ſpeciei conſecratio eſt actio vere & plene ſacrificativa. Jam vero ubi eſt actio ſacrificativa, hic ſacrificium reperiri neceſſe eſt.

Confirm. Sacrificatio Chriſti eſt unum & idem cum confectione Euchariſtiæ: atqui ſtat Euchariſtiæ confectio in conſecratione ſpeciei unius. Min. patet. Prob. maj. Sacrificatio Chriſti eſt ejuſdem tanquam victimæ adductio ad Altare: atqui, poſitis rebus ut a Chriſto inſtitutæ ſunt, non poteſt Euchariſtia confici, quin Chriſtus ad Altare adducatur tanquam victima; ergo ubi eſt Euchariſtiæ confectio, eſt & actio Chriſti ſacrificativa, &c.

Obj. 1. cum doctiſs. Tournely: Chriſtus Sacerdotibus univerſis legem impoſuit id faciendi, quod ipſe tanquam Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech fecerat: atqui Chriſtus qua talis Sacerdos corpus & ſanguinem ſuum in pane & vino conſecravit; ergo utraque illa ſpecies jure divino ad eſſentiam ſacrificii neceſſaria eſt. Pag. 250.

R. 1. argumentum iſtud peccat in forma; quandoquidem conſequentia plus dicit quam præmiſſæ: in his enim de eſſentia ſiletur, non item in illa.

R. 2. diſt. maj. Chriſtus legem impoſuit id faciendi quod ipſe fecerat, ſed non probatur legem hanc impoſuiſſe ſub pœna nullitatis, C. ſecus, N. Et certe Melchiſedech verum in ſolo pane, vel ſolo vino ſacrificium obtuliſſet; ergo & verum in ſolius panis vel vini ſpecie etiamnum offerretur a Sacerdotibus. Debent tamen ii, ſicut & Chriſtus, ſub gemina ſpecie offerre, non quia id exigat eſſentia ſacrificii, ſed ut in figurato ne unus quidem apex tranſeat de figura. Ceterum, ut animadvertit Martinon diſp. 38. nu. 48. Paſchalis agnus & panes propoſitionis fuerunt etiam figura Euchariſtiæ; & in his tamen nullus erat vini uſus.

Obj. 2. Unicum eſt in Miſſa ſacrificium: atqui duplex foret in hypotheſi noſtra. Ibi enim duplex eſt ſacrificium, ubi duplex eſt actio ſacrificativa totam Chriſti paſſionem per ſe ſigillatim repræſentans: atqui, juxta nos, duplex eſt, &c.

R. 1. Eccleſiam, cum de ſacrificio noſtro loquitur, non abhorrere a numero plurali; ut cum ait: *Hæc ſancta ſacrificia illibata*: eæ enim voces ad ſacrificium referuntur magis, quam ad panem & vinum needum conſecrata; quæ certe ut talia non offerimus pro Eccleſia, &c.

R. 2. neg. min. unitas enim ſacrificii ex unitate victimæ repetenda eſt, non ex actione victimæ ſacrificativa: unde qui agnos duos uno ictu mactaſſet, duplex obtuliſſet ſacrificium. Porro una tantum eſt victima in Sacro Chriſtianorum: unde qui plures hoſtias conſecrat, etſi multiplicat ſpecies rei oblatæ, non tamen ſacrificium, quia rem ipſam oblatam non multiplicat.

Obj. 3. In opinione noſtra poſterior conſecratio, calicis nimirum, erit tantum pars quædam integrans ſacrificii: atqui falſum conſequens. Alioqui enim effectus quem ſacrificium parit ex opere operato, produceretur ſtatim ab ipſa panis conſecratione: atqui non producitur niſi poſt conſecrationem calicis; ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. non enim potior eſt ratio cur effectus Euchariſtiæ quatenus ſacrificii differatur poſt utriuſque ſpeciei conſecrationem, quam cur effectus ejuſdem Euchariſtiæ quatenus Sacramenti differatur in Sacerdote

Digitized by Google

poſt ſumptionem utriuſque ſpeciei: atqui nihil eſt cur Sacerdoti nullum obicem habenti differatur, &c.

Obj. 4. Se habet utriuſque ſpeciei conſecratio, prout expreſſiſſime paſſionem Chriſti repræſentans, ad ſacrificium Miſſæ, ſicut ſe habet invocatio Trinitatis ad Sacramentum Baptiſmi; ergo ſicut in Baptiſmo fieri debet expreſſiſſima Trinitatis invocatio, quamvis baptizando in nomine Dei, vel Chriſti tres perſonæ intelligantur; ſic & in ſacrificio eſſentialiter fieri debet clariſſima paſſionis repræſentatio, qualis non fit ſi repræſentetur ſolum corpus exangue.

R. neg. ant. tum quia hæc Baptiſmi & ſacrificii ſimilitudo ſupponitur, & non probatur; tum quia admiſſa illa utriuſque comparatione, dicendum foret, quod ſicut Baptiſmus non poteſt valide fieri ſine expreſſa Trinitatis invocatione; ſic nec Euchariſtia valide conſecrari poteſt ſine expreſſa mortis Chriſti per utramque ſpeciem repræſentatione; adeoque nec valide poteſt una ſpecies ſine altera conſecrari; quod adverſariorum doctrinæ repugnat.

Obj. 5. Ex aſſertione noſtra ſequitur Rom. Pontificem, & a fortiori Eccleſiam diſpenſare poſſe ut Miſſæ ſacrificium in una tantum ſpecie conficiatur: atqui eſt id impendio abſurdum.

R. 1. Non deſunt, qui diſpenſationem hanc putent jam ab Innocentio VIII. conceſſam fuiſſe Norvegis ob penuriam vini; prout refert Vollateranus Lib. 7. Geograp. cap. 4. At diſpenſationem hanc ceteri habent ut fictitiam, præſertim quia idem Scriptor dicat, conceſſum fuiſſe ut Norvegi aquam loco vini conſecrarent. Certe major urgeret ratio permittendi incolis Inſularum S. Chryſtophori & Philippinarum, ut in alio quam triticeo pane conſecrarent ob defectum tritici; quod tamen necdum hactenus cogitatum eſt.

R. 2. prætermiſſa quæſtione facti, eſſe plures qui prædictæ diſpenſationis jus & facultatem Eccleſiæ vel Romano Pontifici adſcribant cum
Pag. 712. Yſamberto ibid. diſp. 5. Horum ratio eſt, quod ex Tridentino Seſſ. 21. cap. 2. ea poteſtas *in Eccleſia perpetuo* fuerit, *ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Ex quibus ſic arguunt: Eadem eſt Eccleſiæ poteſtas circa Miſſæ ſacrificium, ac circa Sacramenta novæ Legis; cum ſacrificium æque novæ Legi neceſſarium ſit, ac ipſius Sacramenta: atqui Eccleſia in Sacramentis immutare poteſt, quæ immutanda judicaverit, ſalva eorum ſubſtantia; ergo & in ſacrificio immutare poterit, modo ſubſtantia ejus remaneat ſalva. Jam vero ex dictis ſalva manet ſacrificii ſubſtantia in conſecratione unius ſpeciei; ergo tolli abſolute poſſet ſpeciei alterius conſecratio, ſi id gravis & publica cauſa expoſceret; puta ſi ex vini defectu futurum eſſet, ut ampliſſimæ Regiones, & ſacrificio ſuo, & Euchariſtiæ Sacramento carerent.

Si objicies, Eccleſiam diſpenſare non poſſe in iis, quæ juris ſunt divini: non una eſt omnium reſponſio. Reponunt itaque alii, præcepta divini juris non unius eſſe ſpeciei; quædam nimirum adeo expedire, ut nuſquam relaxari poſſint, puta colere Deum, honorare parentes, &c. quædam vero, licet in univerſum & præciſis circumſtantiis expediant, haud

tamen

Digitized by Google

tamen expedire in omni caſu, ut patet in Paſtorum reſidentia. His præmiſſis fatentur non poſſe Eccleſiam in prioribus diſpenſare; at eamdem in poſterioribus diſpenſare poſſe contendunt, cum Sanch. L. 8. de Matrimonio, diſp. 6. n. 6. Alii vero reſpondent, Pontificem in his caſibus non diſpenſare, ſed *auctoritative* declarare, quod lex divina in talibus circumſtantiis non obliget. Neque ideo, ajunt, ſimile quidpiam facere poterit Eccleſia circa materiam conſecrationis; ut ad hanc v. g. aſſumi poſſit vel panis minime triticeus, vel vinum non de vite. Eo enim ipſo quo iſta ad Sacramenti materiam pertinent, pertinent neceſſario ad ſubſtantiam ejus: porro quæ circa Sacramentorum appendices aliquid poteſt Eccleſia, nihil poteſt circa eorum ſubſtantiam.

His ego pluribus non immorabor, perſuaſus ſcilicet, Eccleſiam, nec hactenus illa ſua, ſi tamen ſua ſit, poteſtate uſam fuiſſe; nec uſuram deinceps. Certe ad poteſtatis tam ſupremæ uſum, neceſſe eſt in primis ut de poteſtate ipſa quaſi geometrice conſtet: porro quæ in hac Sectione diſputavimus, etſi tenuitati noſtræ veri magis ſimilia videntur, haud tamen certæ cujuſdam probabilitatis metas excedunt; imo nec majori Theologorum numero approbantur.

CAPUT QUARTUM.

Quale ſit Sacrificium Miſſæ.

Recolendum ex ſupra dictis ſacrificium dividi in Latreuticum, ſeu Honorarium, quo præcipue exhibetur Deo cultus latriæ, & ſuprema ejus poteſtas recognoſcitur; Euchariſticum, quo debitæ Deo grates propter ejus beneficia rependuntur; Propitiatorium, cujus finis, præter cultum, eſt placatio Dei offenſi, & remiſſio peccatorum; ac denique Impetratorium, quo nova a Deo beneficia conſequi enitimur. Jam quæſtio eſt an eæ qualitates ſacrificio Miſſæ competant. *Supr. p.* 401.

Euchariſtiæ ſacrificium, ſumpto late & improprie ſacrificii vocabulo, honorarium eſſe & Euchariſticum facile concedunt Lutherani & Calviniſtæ; quia nimirum Euchariſtiæ diſpenſatio & manducatio fiunt, tum ad Dei cultum, tum in gratiarum actionem pro ſingulari Dominicæ paſſionis beneficio. At eamdem Euchariſtiam ſacrificium propitiatorium & impetratorium eſſe conſtanter negant, ne in ea veri & proprie dicti ſacrificii rationem agnoſcere cogantur. Sit

CONCLUSIO I. Sacrificium Miſſæ eſt vere propitiatorium.

Prob. 1. ex Scriptura. Luc. 22. *Hic eſt calix novum Teſtamentum in ſanguine meo.* Unde ſic: Sacrificium Miſſæ eſt medium, quo applicantur nobis promiſſiones novi Teſtamenti: ideo namque novum Teſtamentum appellatur a Chriſto. Atqui ſacrificium Miſſæ eo ipſo propitiatorium eſſe debet, quo novi Teſtamenti promiſſiones applicat. Quandoquidem inter illas novi Teſtamenti promiſſiones, una eſt de peccatorum remiſſione, ut patet ex Hebr. 8. ubi Apoſtolus hæc refert Jeremiæ verba: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo... Teſtamentum novum... Hoc eſt*

autem *Teſtamentum, quod diſponam.... Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor;* ergo.

Matth. 26. 28. *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur*, Græce, ut & apud Lucam, *effunditur in remiſſionem peccatorum*; quam præſentis temporis lectionem ſequitur Calviniſtarum editio tam Gallica, quam Lati-
V Yſamb. na. Ex iis ſic in forma: Ubi eſt effuſio ſanguinis in remiſſionem pec-
p. 682. catorum, ibi eſt ſacrificium vere propitiatorium, ut a ſimili patet in ſacrificiis Leviticis: atqui non in Cruce ſolum facta eſt ſanguinis Chriſti in remiſſionem peccatorum effuſio, deſignata per verbum futurum *effundetur*, ſed & in Euchariſtiæ inſtitutione actu fiebat eadem effuſio, per verbum præſens, *funditur*, expreſſa, prout ſupra probavimus pag. 663. & ſeq. ergo.

Heb. 5. 1. *Omnis Pontifex..... pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*. Ex quibus ſic: Habet indubie Eccleſia Dei ſuos Sacerdotes, ut amplius patebit in Tract. de Ordine: atqui ex Apoſtolo Sacerdotes omnes ad offerenda *pro peccatis* ſacrificia conſtituti ſunt. Jam vero ſacrificium offerri pro peccatis, & propitiatorium eſſe, voces ſunt ſynonymæ; ergo.

Prob. 2. ex conſtanti Patrum doctrina. Cyrillus Jeroſolymit. Catech.
Pag. 241. 5. myſtag. *Confectum eſt*, inquit, *illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus*
B. *incruentus, ſuper ipſa propitiationis Hoſtia*. & paulo poſt: *Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis eum, qui eſt benigniſſimus, propitium reddamus*.

Joannes Chryſoſtomus Lib. 6. de Sacerdotio, de Chriſto in Altaribus
Tom. 1. p. noſtris oblato differens, hæc loquitur: *Qui pro tota civitate; & quid dico*
424. A. *civitate? imo pro univerſa Terra oratorem agit, Deoque ſupplicans ut omnium peccatis ſit propitius, non vivorum tantum, ſed etiam eorum qui obierunt, qualem quæſo oportet eſſe?*

Tom. 2. p. S. Ambroſius Lib. 1. de Officiis cap. 48. *Offert Chriſtus ſe ipſum quaſi Sa-*
63. C. *cerdos, ut peccata noſtra dimittat*. & in Exhortatione ad Virgines, ſacrificium quod in Altari offertur, vocat *Hoſtiam ſalutarem, per quam peccatum mundi hujus aboletur*.

S. Baſilius in Liturgia orationem hanc præſcribit Sacerdoti: *Da, Domine, ut & pro noſtris peccatis, & populi ignorantiis acceptum ſit ſacrificium noſtrum & gratum coram te*. Idem quoad ſenſum habent Liturgiæ omnes.
T. 4. part. S. Hieronymus in cap. 1. Epiſt. ad Titum: *Si*, ait, *Laicis imperatur, ut*
1. p. 418. *propter orationem abſtineant ſe ab uxorum coitu, quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas?*
T. 3. par. S. Auguſtinus qu. 57. in Levit. *Illis*, inquit, populi Judaici *ſacrificiis*
1. p. 517. *unum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum*. Ex iis, quibus alia id genus plura adjici poſſint, ſic paucis diſputo: Ibi eſt ſacrificium propitiatorium, ubi offertur Hoſtia propitiationis, Hoſtia quæ peccata non hujus tantum civitatis, ſed univerſæ Terræ dimittit, Hoſtia per quam vera fieri petitur, & reipſa fit peccatorum remiſſio: atqui ex citatis Patribus, &c.

Prob. 3. auctoritate Concilii Trid. Seſſ. 22. c. 2. ubi ſic: *Et quoniam in divino hoc ſacrificio quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur & incruente immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſe ipſum cruente obtulit, docet*

ſancta

Digitized by Google

ſancta Synodus, ſacrificium iſtud vere propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, ut, ſi cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.

Et Can. 3. *Si quis dixerit Miſſæ ſacrificium, tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel ſoli prodeſſe ſumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit.*

Prob. 4. ratione Theologica, eaque multiplici. I. Ex hæreticorum confeſſo Euchariſtia in remiſſionem quorumcumque peccatorum inſtituta eſt; ergo vim habet remittendi peccata etiam graviora, vel ut eſt ſacrificium, vel ut eſt Sacramentum: atqui non ut Sacramentum; cum ut ſic inſtituta ſit ad ſpiritualem animæ jam ſpiritualiter viventis, atque adeo ab omni mortali culpa liberæ alimoniam, ut ſuo loco probavimus; ergo ſupereſt, ut quatenus ſacrificium, vim habeat peccata remittendi. Unde turpiter aberrat Calvinus, cum Lib. 4. Inſtit. cap. 18. §. 10. ait Cœnam ideo propitiatoriam dici a Patribus, quia eſt *memoria ſacrificii in Cruce peracti:* Errat, inquam, 1. quia Miſſæ ſacrificium nuſquam vocatur commemoratio nuda, ſed viva & plena, quæ proinde univerſa Chriſti merita & totam ejus propitiationem complectitur; 2. quia Patres propitiatorii ſacrificii nomen & vim non uni Crucis ſacrificio tribuunt, ſed ei etiam, quod in templis noſtris incruente offertur.

II. Sacrificia Legis, tum naturæ, tum & Moſaicæ fuerunt propitiatoria; ergo & magis propitiatorium eſſe debet Legis novæ ſacrificium. Patet conſequentia, 1. quia ſacrificium Miſſæ per vetera hæc ſacrificia figurabatur; prout docent SS. PP. imprimis autem Chryſoſtomus, qui in Pſal. 95. ſic loquitur: *Eſt igitur Hoſtia pura, prima quidem myſtica menſa, cœleſte ſummeque venerandum ſacrificium ..... Lex in veteri Teſtamento multas habuit hoſtias, aliam pro peccatis,* &c. *quæ omnia nova gratia ſuperveniens, uno complectitur ſacrificio, unam ac veram ſtatuens Hoſtiam,* & Auguſtinus, qui Lib. 17. de Cit. Dei c. 20. ſic habet: *Id ſacrificium* Altaris *ſucceſſit omnibus aliis ſacrificiis veteris Teſtamenti, quæ immolabantur in umbra futuri ..... Pro illis omnibus ſacrificiis & oblationibus corpus ejus* Chriſti, *offertur, & participantibus miniſtratur.* Jam vero veritas reſpondere debet figuræ, niſi hæc falſa ſit, quod in præſenti ne ſuſpicari quidem licitum eſt; ergo Miſſæ ſacricium debet eſſe propitiatorium, ſi veteribus ſacrificiis propitiatoria eſſe datum fuerit; 2. quia Miſſæ ſacrificium Hoſtiam continet Deo longe acceptiorem, quam continuerint antiqua; ergo nihil eſt cur hæc propitiatoria fuerint, illud vero non ſit; 3. quia unum eſt quod obſtare queat, ne Miſſæ ſacrificium propitiatorii titulo inſigniatur, nempe quia alioqui derogaret ſacrificio Crucis: atqui ſtatim ut vetera ſacrificia ſuo modo propitiatoria fuere, nec tamen derogarunt ſacrificio Crucis (quod a Protoparentis lapſu, ideſt pene ab exordio mundi, vim ſuam habuit) conſtat a fortiori ſacrificium Miſsæ propitiatorium dici poſse abſque eo quod deroget ſacrificio Crucis; cum ab hujus ſacrificii Hoſtia, utrobique eadem, vim totam ſuam habeat; ergo.

Prob. itaque antecedens contra Calvinum ibid. §. 13. ubi negat vetera

ra ſacrificia alio ſenſu propitiatoria fuiſse, quam quia ſacrificium Crucis vere propitiatorium adumbrabant. Prob. inquam: Sacrificia, quæ pro peccati expiatione offerebantur, idque tam utiliter ut oblatione hac placaretur Deus, non immerito dicuntur propitiatoria: atqui Legis tam naturæ, quam Moſaicæ ſacrificia, non pro legalibus tantum culpis, ſed & pro peccati ſtricte ſumpti expiatione offerebantur .... Minor patet 1. ex
Job 1. 5. Libro Job, ubi vir ille *rectus ac timens Deum ..... diluculo offerebat holocauſta* pro culpis, quæ inter epulas a filiis ſuis perpetrari potuerant; quod etiam pro ſemetipſis, præcipiente Domino, fecerunt amici ejus, ut ira-
Ib. 42. 7. & 8. tum Dei furorem averterent; 2. ex Levit. 4. ubi poſt impoſitam ſacrificii expiatorii legem, additur verſ. 20. *Rogante pro eis Sacerdote, propitius erit eis Dominus:* & verſ. 26. *Rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei;* 3. quia Scripturæ paſſim ajunt *Deum his ſacrificiis placatum avertiſſe malum, quod cogitaverat facere populo.* Sponte quidem fatemur, vetera ſacrificia nonniſi ex opere operantis peccata remiſiſse: at remittebant tandem; ergo & ea remittere debet ſacrificium novæ Legis, idque multo plenius & efficacius, quia major eſse debet vis realitatis, quam figuræ.

III. Ubi res oblata, & qui principaliter offert atque interpellat, eſt ipſe Chriſtus, ibi dubio procul eſt quidquid ad peccati veniam & propitiationem deſiderari poſſit: atqui, ex probatis ſupra, res in ſacrificio Miſſæ oblata, eſt ipſe Chriſtus, &c. ergo. Ita Illuſt. Petrus de Marca in Diſſertatione poſthuma de Euchar. pag. 92.

Obj. 1. Ex Apoſtolo Hebr. 9. 22. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio* peccatorum: atqui in incruento Miſſæ ſacrificio nulla eſt aut eſſe poteſt ſanguinis effuſio; ergo.

R. 1. neg. maj. objecta enim Apoſtoli propoſitio moraliter intelligenda eſt, quia ut plurimum in veteribus ſacrificiis fiebat ſanguinis effuſio; non autem ſtricte & rigoroſe, quaſi nullum prorſus eſset ſine ſanguinis effuſione ſacrificium. Contrarium enim patet, tum ex cap. 16. & 22. Levit. & cap. 19. & 31. Numer. tum ex ipſo Pauli contextu, quæ ſic habet: *Et omnia* PENE *in ſanguine ſecundum Legem* Moſaicam *mundantur, & ſine ſanguinis effuſione*, &c. ubi ad vitandam contradictionem neceſſum eſt, ut vox limitativa *pene*, utramque verſiculi partem ex æquo afficiat. Unde

R. 2. diſt. maj. ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio in antiqua Lege, tranſeat, propter rationem mox allatam. In nova Lege, ſubd. ſine ſanguinis effuſione actuali vel præterita, C. actuali neceſsario, N. Cum enim Miſsæ ſacrificium idem ſit moraliter cum ſacrificio Crucis, cujus, non iteratio eſt, ſed continuatio; quæ primum in iſto facta eſt effuſio ſanguinis, illi ſufficit, & in eo fieri cenſetur. Quin & eo ſenſu ſanguis Chriſti in Miſsa effunditur, quatenus idem ſanguis vere & ſubſtantialiter libatur in ora ſumentium. Ita Yſambert. diſp. 3. ad q. 83. art. 3.

Inſt. 1. Apoſtolus eam in nova Lege requirit ſanguinis effuſionem, unde vim ſuam habebant ſacrificia Legis antiquæ: atqui ſacrificia hæc vim ſuam ab actuali & repetita ſanguinis effuſione habebant; ergo & in Lege nova vel requiritur nova ſanguinis effuſio, vel ſi hæc deſit, neceſse eſt ut deſit ſacrificium.

R. diſt.

Digitized by Google

R. diſt. maj. requirit quantum ad aliquid, C. requirit quantum ad omnia, N. Itaque debuit, juxta Apoſtolum, nova Chriſtianorum Victima ſanguinem ſuum dare pro nobis; quia oportuit Chriſtum per proprium ſanguinem intrare in Sancta: at non debuit, juxta Apoſtolum, Victima hæc, Chriſtus nimirum, ſanguinem ſuum cruente pluries effundere. Ideo quippe in veteribus ſacrificiis nova quotidie novi ſanguinis effuſio neceſſaria erat, quia victimæ legales id quod valori deerat, multiplicatione ac numero compenſare debebant: at vero Victimæ noſtræ Chriſto, cum infiniti ſit valoris, ſatis fuit ſemel in Cruce ſanguinem ſuum effundere: tametſi interim ſanguinis hujus merita per certa media applicari velit, inter quæ primas ſibi partes vindicat Miſſæ ſacrificium.

Inſt. 2. Si res ita ſit, Euchariſtia vim ſuam totam habet a ſacrificio Crucis: ſed quod vim omnem ſuam haurit ab alio, nonniſi abuſive propitiatorium dici poteſt; ſed tantum propitiationis antiquæ applicativum; ergo.

R. diſt. min. id quod vim ſuam haurit ab alio, nonniſi abuſive propitiatorium eſt, ſi vis hujus principium & ſubſtantiam in ſe non contineat, eſto: ſi contineat, N. Porro Euchariſtia, cum Victimam in ara Crucis immolatam realiter in Altaribus noſtris præſentem ſiſtat, omnem ſacrificii Crucis vim atque fundum continet; ergo non metaphorice tantum, ſed vere & proprie impetratoria eſt; quia ubicumque offertur corpus Chriſti prælo Crucis ſubactum, ibi neceſſario occurrit tota ejus propitiatio. Eſt tamen idem Euchariſtiæ ſacrificium ſimul applicatorium; quia pretium mortis Chriſti, quod generatim & quaſi in communi pro univerſis, qui fuerunt, vel futuri ſunt, hominibus ſolutum eſt, in Miſſa quaſi ſigillatim pro hoc & illo offertur.

Dixi, *eſto*, quia vetera ſacrificia ſuo modo vere propitiatoria fuerunt, abſque eo quod ipſam Chriſti in Cruce oblati ſubſtantiam continerent. Quamquam eorum vis a ſola Chriſti morte pendebat.

Inſt. 3. Sacrificium Miſſæ haud pluris eſſe poteſt, quam ſacrificium Crucis: atqui poſita præcedenti reſponſione pluris erit. Erit enim propitiatorium, non ſecus ac ſacrificium Crucis; erit vero inſuper applicativum; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. conſeq. in omnibus enim prima rerum origo penſari debet: atqui origo valoris Miſſæ tota eſt a Crucis ſacrificio. Eo namque ſublato tollitur & propitiatio primigenia, & ea quæ per Miſſam continuatur, & quæcumque illius applicatio. De hac materia videris differentem Maldonatum in Epiſtola ad Gentianum Hervetum ad calcem Tomi de Sacramentis.

Obj. 2. Si Miſsa eſset ſacrificium propitiatorium, communio unius prodeſset alteri: atqui non magis unius communio prodeſse alteri poteſt, quam Baptiſma ſuſceptum a Petro, Joanni prodeſse queat. Ita fere Lutherus.

R. neg. maj. communio enim eſt ſuſceptio Sacramenti, proindeque ad ſuſcipientis utilitatem primario ordinatur: ſacrificium vero eſt oblatio victimæ; hæc autem iis omnibus, quorum in gratiam offertur, prodeſse poteſt: unde communio habet ſe ad communicantem, ſicut Baptiſmus ad eum a quo recipitur: ſacrificium autem habet ſe ut oratio, quæ non oranti tantum proficit, ſed & iis pro quibus dirigitur.

Obj. 3.

Digitized by Google

Obj. 3. cum Kemnitio 2. part. Exam. Si per ſacrificium Miſſæ remittantur peccata, perperam pro iſtorum remiſſione confugimus ad Sacramenta. Ut quid enim cum labore acquiritur, quod per unam Miſſam ab alio dictam ſine labore haberi poteſt: atqui abſurdum conſequens. En nænias quibus freti Novatores ab univerſa Eccleſia receſſere.

R. neg. maj. ſacrificium enim Altaris noſtri non magis per ſe & immediate delet peccata, quam ſacrificium Crucis; ergo ſicut non obſtante virtute infinita ſacrificii Crucis, licitum fuit, imo & neceſſarium, ad Baptiſma & Euchariſtiam recurrere; ſic & in hypotheſi Catholica ſacrificii Miſſæ. Ratio eſt 1. quia Fideles iis omnibus mediis uti debent, quæ a Deo in ipſorum ſanctificationem inſtituta ſunt; 2. quia præcipuus gratiarum a ſacrificio dimanantium finis eſt impetratio gratiarum, ac doni pœnitentiæ, quo peccatores ad quærenda Sacramenta moveantur.

Neque obeſt, quod ſæpe offeratur Miſſa pro peccatoribus, qui tamen pœnitentiæ donum non recipiunt: ſtat enim quempiam vi Miſſæ certo juvari, & nihil inde percipere utilitatis: quia fieri facile poteſt, & ſæpius ſit ut quis in vanum gratiam recipiat. Vide Bellarmin. hic Lib. 2. c. 5.

CONCLUSIO II. Sacrificium Miſsæ eſt etiam impetratorium.

Prob. 1. Id per quod bona cum ſpiritualia, tum & temporalia conſequimur, jure ac merito impetratorium nuncupari poteſt: atqui per Miſſæ ſacrificium conſequimur 1. bona ſpiritualia; tum quia ſacrificium Miſsæ eſt applicativum meritorum ſacrificii Crucis; Chriſtus autem in Cruce bona quæcumque ſpiritualia nobis promeritus eſt; tum quia ex præcedenti Concluſione, valet Miſſæ ſacrificium pro peccatis dimittendis: atqui eo ipſo & a fortiori valere debet, ſive pro aliis neceſſitatibus quæ ex peccato ortæ ſunt, ſive pro impetrando virtutum augmento. Qui enim, ut ſolide notat Bellarminus ibid. c. 2. ſacrificio Miſſæ placatus, in gratiam cum inimicis ſuis redit, quanto facilius eodem ſacrificio adducetur, ut amicis ſuis uberiores gratias largiatur? 2. & bona temporalia, cum hæc nobis utilia ſunt. Siquidem vetera ſacrificia, ut pluries monuimus, totidem erant Euchariſtici ſacrificii figuræ: atqui per vetera ſacrificia impetrabantur gratiæ etiam temporales. Sic II. Reg. cap. ult. David pro ſedanda peſte, quæ longe lateque graſsabatur, *obtulit holocauſta & pacifica; & propitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſrael*. Sic Machab. II. c. 3. Onias ſummus Sacerdos pro Heliodori ſalute hoſtiam obtulit, & homini impio vitam promeritus eſt; ergo ut figuram vincat realitas, neceſſum eſt ut Chriſtianum ſacrificium ad bona etiam temporanea valeat. Unde docet Chryſoſtomus Hom. 18. & 21. in Act. Apoſt. offerri ſacrificium pro fructibus terræ. Auguſtinus Lib. 2. de Civit. Dei, cap. 8. meminit ſacrificii ad purgandam a dæmonis vexatione domum oblati. S. Proſper Lib. de prædictionibus Dei ſcribit, idem ſacrificium bis oblatum fuiſse, ſemel pro liberatione dæmoniacæ, & rurſus pro agendis ob ejus liberationem gratiis. S. Gregorius Hom. 37. in Evang. & Beda Lib. 4. Hiſtoriæ Angl. c. 22. ſcribunt pluries factum eſse, ut captivi in aliis Regionibus gementes, & neſcii quid ab amicis ſuis alibi fieret in gratiam ſui, a vinculis ipſa ſacrificii hora expediti fuerint. Unde

Tom. 7. pag. 666. nu. 6.

Prob. 2. ex perpetua Eccleſiæ praxi, cujus teſtes ſunt, 1. Liturgiæ omnes antiquæ, Jacobi ſcilicet, Chryſoſtomi, Baſilii, &c. in quibus

præ-

Digitized by Google

præcipue quidem oratur pro fide, & juſtitia, ſed & ſimul pro pace, pro ſalute infirmorum, pro fructuum ubertate; 2. Patres, ut Tertullianus Lib. ad Scapulam cap. 2. ubi: *Itaque*, inquit, *& ſacrificamus pro ſalute Imperatoris;* & Cyrillus Jeroſol. Catech. myſt. 5. ubi hæc habet: *Poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium ...... obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro ſociis, pro ægrotis & afflictis, & in ſumma pro iis omnibus qui egent auxilio:* pro iis autem indubie offerebatur ſacrificium, pro quibus inter ſacrificandum palam orabatur. De his plura vide apud Lindanum Lib. 4. Panopliæ Evangelicæ cap. 50. & ſeq.

Prob. demum ex jam citato Can. 3. Concilii Trid. ubi definitur, ſacrificium Miſſæ offerri *pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus:* quæ ultima vox, utpote indefinita, veram quæcumque ea ſit coram Deo neceſſitatem importat.

Obj. 1. Quod mera eſt ordinis perverſio, licite fieri non poteſt: atqui oblatio Miſſæ pro temporaneis neceſſitatibus .... Ubi enim res infinita ordinatur ad rem omnino caducam, ibi plena eſt ordinis perverſio: atqui in oblatione Miſſæ pro temporalibus bonis, puta ad avertendam animalium peſtem, res infinita, tum quoad ſubſtantiam, tum quoad valorem, ordinatur ad res caducas, imo maxime viles.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. maj. ubi res infinita ad rem caducam ordinatur primario & tanquam ad finem ultimum, C. ubi ordinatur tantum ſecundario, & tanquam cauſa ad effectum, N. porro ſacrificium Miſſæ ordinatur primario ad cultum Dei, ſecundario autem ad terrena bona; non ut in iis ultimum finem conſtituamus, ſed ut eorum ope ad ſuperiora enitamur. Sic perpetuam mentis & corporis ſanitatem, ſiquidem id nobis utile judicaverit Deus, deprecamur, ut v. g. vias Domini iniquos docere poſſimus: ſic aras inviſimus pro avertenda a gregibus lue; quia ut flagello hoc iram ſuam demonſtrat Deus, ſic & ejuſdem ceſſatione omnipotentiam ſuam, cujus celebratio pars eſt divini cultus. Ceterum haud neceſſe eſt ut effectus tantæ ſit dignitatis, quantæ eſt ipſius cauſa, ut de Deo, rerum etiam viliſſimarum opifice, conſtat. Ita ferme Yſambert. pag. 717.

Obj. 2. Ea ſolum bona per ſacrificium Miſſæ impetrari poſſunt, quæ Chriſtus nobis morte ſua promeruit: atqui Chriſtus haud utique morte ſua promeruit nobis caduca vitæ bona; cum ea deſpici voluerit, ſecundum id Matth. 6. *Ne ſolliciti ſitis quid manducetis ...... Quærite primum Regnum Dei*, &c.

R. diſt. min. non promeruit bona temporalia nude & abſolute ſpectata (neque enim mortuus eſt Chriſtus, ut homines naſceremur, vel ut ſimpliciter longævi eſſemus ſuper terram, ſed ut ex peccatoribus juſti & beati efficeremur) C. ſpectata in ordine ad ſalutem, & tanquam media, quibus aliqui & ſe & alios ad Deum deducere poſſint, N. Orat enim, & ſancte orat Eccleſia, ut ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus, ſed potius conſequamur æterna. Atque hinc etſi cupiditatis animo terrenas opes expetere non liceat, licet tamen eaſdem ut noſtræ & alienæ ſalutis inſtrumenta expetere; hoc enim ſenſu ſubſunt ordini divi-

divinæ prædeſtinationis, quæ facta eſt in Chriſto. Porro Fideles, ſive in oblatione ſacrificii, ſive in privatis orationibus, ſolam animæ ſalutem habent ut finem cui adhæreant; cetera vero ut media, quorum alia, ut fides, ſimpliciter neceſſaria ſunt; alia nonniſi ex Dei ordinatione, qui ſanctis & electis nonnulla de ſe etiam indifferentia, imo & periculoſa, in bonum cooperari facit. Quod ſi Deus terrena hæc, quæ nocitura prævidet, largiri nolit, haud ægre & moleſte ferunt veri Chriſtiani: imo gratulantur ſibi, datum pro Chriſto, non ſolum ut in eum credant, ſed ut etiam pro illo patiantur temporalium privationem, & quæ
Hab pag. inde profluunt incommoda. Ita & pie Pariſienſis Doctor, e quo iterum
675 paucula quæ ſequuntur, mutuari liceat.

Nec obeſt iſtud Matth. *Ne ſolliciti ſitis*, &c. Hic enim ea tantum prohibetur inquieta ſollicitudo, quæ Gentilium, ſpem ſuam in hujus vitæ theſauris conſtituentium propria eſt, non autem moderata Chriſtianorum, qui ceteroqui, ut notat Tertullianus, famem non timent, quia non timenr mortem. Unde id Orationis Dominicæ: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, de ſpirituali cibo præcipue intelligit Auguſtinus; etſi de pane terreno intelligi etiam fateatur, & merito cum Apoſtolus, qui eſurire ſciebat, *alimenta, & quibus tegamur*, inquiri permittat; utique citra præjudicium Evangelici iſtius: *Ne ſolliciti ſitis*, &c. quia qui alimenta ad Deum ſic refert, ut ea pro nihilo duceret, ſi ad hunc finem nullatenus conferrent, certe Deum unum quærit, unum diligit, unum proprie neceſſarium æſtimat.

Inſt. Abſurdum eſt in eo Myſterio temporalia commoda flagitare, in quo communicantes paſſionibus Chriſti, & æmulantes ſimilitudinem mortis ejus, ſe totos, ſuaque devovent & immolant Chriſtiani: atqui in Myſterio altaris, Chriſtiani, &c.

R. diſt. maj. abſurdum eſt temporalia flagitare animo iiſdem fruendi; C. animo iiſdem utendi, tanquam mediis, quibus Deo diutius & tranquille magis famulari valeamus, N. & unde rot Apoſtoli conatus, ut ſanctorum viſcera quieſcerent, ſi ſuperflua ſit, & homine Chriſtiano parum digna, omnis temporanea ſollicitudo?

Ex iis quæ hactenus dicta ſunt, facile colligitur, Miſſæ ſacrificium gravibus omnino de cauſis, & ob præſtantiſſimos fines inſtitutum fuiſſe: ii porro ſex præcipue recenſeri poſſunt.

Primus eſt, ne Religioni omnium ſanctiſſimæ, Chriſtianæ videlicet, deeſſet ſacrificium juge, quod nec ipſis Judæis defuerat. Habet quidem ſacrificium Crucis, maxime proprium ſibi, Chriſtiana Religio, quæ, ut nova & vera mater viventium, ex latere novi Adam in cruce dormientis educta eſt: At præter ſacrificium illud, quod propter infinitum pretii in eo perſoluti valorem, *redemptionis* ſacrificium merito nuncupatur, decebar inſtitui ſacrificium *Religionis*, cujus oblatione Chriſtiana plebs in unum collecta ſupremum Deo cultum penderet, & ſummas ejus perfectiones interiori & exteriori pietate veneraretur.

Secundus eſt, ut ex Capite & Membris, Chriſto & Eccleſia, exurge-
Eph. 1. ret & offerretur victima totalis, Deo digna. Nimirum vero, ut pluries
23. & 5. docet Apoſtolus, Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ, ipſa vero *corpus ipſius & ple-*
27. *nitudo ejus;* ergo ut Caput voluit eſſe victima; ſic & Capitis membra vi-
ctimas

ctimas fieri convenit. Jam vero in ſacrificio Redemptionis, quod in Cruce oblatum eſt, Chriſtus ſe ſolum ſine membris ſuis, ideſt ſine Eccleſia obtulit; ergo oportuit, aliud (non tamen vere aliud, ut ex dictis liquet) exurgere ſacrificium, in quo Caput & membra conjunctim offerantur, tum per ipſum Caput, ſeu Sacerdotem magnum; tum & per ipſa membra, ideſt, Fideles, qui regalis ejus Sacerdotii, plus vel minus participes effecti ſunt. Atque illud eſt Myſterium, quod, teſte Cypriano Epiſt. 63. adumbrat mixtio aquæ cum vino ſacrificii: aqua enim populum exhibet, Apocal. 17. vinum vero ſanguinem Domini. Unde vino immiſcetur aqua, ne Chriſtus ſeorſim ab Eccleſia, quam ſuo ſibi ſanguine acquiſivit, offerri videatur.

Tertius eſt, ut paſſionis beneficium, aliaque omnia, quibus nos in Chriſto & per Chriſtum cumulavit Pater cœleſtis, condigne a nobis recolantur. Nempe vero grati ac bene memoris animi ſenſum commendat tum ipſa naturæ vox, ut cuique cor ſuum interroganti evidens eſt; tum Scriptura, quæ Eccli. 29. clamat: *Gratiam fidejuſſoris ne oblviſcaris, dedit enim pro te animam ſuam;* tum Patres, ut Auguſtinus Lib. de ſpir. & lit. cap. 11. ubi, *Cultus Dei*, inquit, *in hoc maxime conſtitutus eſt, ut anima Deo non ſit ingrata*. Unde Salvator in ipſa ſacrificii ſui inſtitutione: *Hoc facite in meam commemorationem*: Jam vero gratiam beneficio paſſionis parem nonniſi in Chriſto referre poſſunt mortales. Ecquid enim Domino retribuent? bona ſua? horum certe non eget. Regna & regnorum incolas? *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei;* ergo ſupereſt, ut per ipſam noſtri in Chriſto, & Chriſti in ſe ipſo oblationem *offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo*, Hebr. 13. 15. Unde Auguſtinus Lib. cont. Judæos cap. 67. *Quotidie immolatur* Chriſtus *in Eccleſia, quia in gratiarum actione perpetuo manere debemus*. Atque hinc ſacrificium Miſſæ ſpeciali quadam ratione Euchariſticum nuncupatur: quod jam ingreſſurus Myſterii penetralia Sacerdos, gravi & alta voce Fideles his admonet verbis: *Gratias agamus Domino Deo noſtro;* concinente vero cœtu, *æquum* id eſſe *& dignum;* proſequitur Miniſter: *Vere dignum & juſtum eſt*, &c. Iſai. 40. 17.

Quartus eſt, ut Fideles præſens habeant remedium adverſus peccata & peccati pœnas, ſeu hæ in exterioribus flagellis, lue v. g. aeris intemperie poſitæ ſint; ſeu in eo, quod peccatum ſequitur, divinæ juſtitiæ in hac vel in futura vita ſatisfaciendi debito. Conſtat enim ex Tridentino Seſs. 22. cap. 10. per ſalutaris hujus ſacrificii virtutem remitti peccata, *quæ a nobis quotidie committuntur*, ideſt, venialia. Conſtat rurſus ex eodem ibid. cap. 2. placatum ſancta iſta oblatione Dominum *crimina & peccata etiam ingentia* dimittere; conſtat denique ex Can. 3. ibid. idem ſacrificium offerri, haud utique inaniter, *pro pœnis & ſatisfactionibus;* ergo nullum eſt ex hujuſmodi malis, cui Miſſa potentiſſime non occurrat; atque hinc eſt præſertim quod ſacrificii propitiatorii nomine gloriatur. Quo autem modo ſuos illos effectus operetur ſacrificium, paulo poſt expendemus.

Quintus eſt, ut in juſtis augeatur gratia. Si enim valet ſacrificium iſtud pro gratia peccatoribus obtinenda, & peccatorum remiſſione; quidni & juſtis pro conſequendo gratiæ augmento?

Sextus

Sextus eſt, ut Chriſtiana Religio non ſibi ſoli proſit, ſed & iis etiam qui in regione mortis conſtituti, ſine Deo ſunt in hoc mundo; ut nempe ex omnibus fiat ovile unum, ſicut unus eſt Paſtor. Siquidem impetratio ſacrificii noſtri ad omnes etiam infideles diffunditur: atque licet iis per preces noſtras opitulari valeamus, haud dubium quin potentius medeamur per continuationem ſacrificii illius, quod pro ſuis etiam inimicis obtulit Redemptor noſter. Sed de his rurſum infra. Nunc ut prædicta mage, magiſque eluceſcant,

Quæres, quos habeat effectus ſacrificium Euchariſtiæ.

R. ex his effectibus alios eſse ex opere operantis, alios, ut ſtatim exponemus, ex opere operato. Effectus primi generis iidem ſunt, qui per orationem, aliaque bona opera obtineri poſsunt. Ratio eſt, quia ſacrificium, præſtans quoddam eſt orationis genus, & opus eximium. Effectus vero ſecundi generis ſunt bona cum ſpiritualia, tum & temporalia, pro quibus idem ſacrificium ab Eccleſia offerri conſuevit. Nec dubium quin ſex finibus, quos ſtatim dicebamus a Chriſto in inſtitutione ſacrificii fuiſse intentos, ſex ſimilis formæ effectus reſpondeant. Tres tamen aſſignantur ſpeciales Miſsæ effectus, nimirum remiſſio peccati ſive mortalis, ſive venialis; 2. augmentum gratiæ; 3. demum pœnæ temporalis condonatio: quæ quomodo efficiantur, ut exponamus, ſit

CAPUT QUINTUM.

Quomodo effectus ſuos præſtet Sacrificium Miſſæ.

NOt. 1. non moveri hic quæſtionem de ſacrificio, vel relative tantum ad ſanctitatem Miniſtri a quo offertur, vel præciſe quatenus offertur in perſona Eccleſiæ: utrumque enim nonniſi opus operantis importaret, de quo non diſputamus. Quæſtio igitur eſt, an Chriſtus externo ſacrificii actui, merita ſua ſic annexuerit, ut per eum; independenter ab offerentis dignitate, certo remittantur peccata & peccatorum pœnæ, modo non ſit obex ex parte illius, pro quo hunc in finem offertur ſacrificium: Quod eſt inquirere an ſacrificium peccata & pœnas remittat ex opere operato.

Not. 2. poſse intelligi ſacrificium peccata & pœnas duobus modis remittere, *immediate* ſcilicet, ſi ſacrificium, ſtatim ut alicui applicatur, per ſe & nullo alio intermedio prædictos effectus producat; quo pacto Sacramenta, dempto obice, effectum ſuum operantur: *Mediate* vero, ſi ſacrificium in eo cujus gratia offertur, aliquid producat, ad cujus poſitionem ponatur ipſa peccati & pœnæ condonatio. In primo caſu ſacrificium operaretur per modum ſigni & Sacramenti: in ſecundo per modum impetrationis, quatenus impetraret homini gratias, quibus ille ad ſinceram converſionem excitetur. Sit jam

Conclusio I. Sacrificium Miſsæ peccatum & peccati pœnas remittit ex opere operato; non tamen eadem prorſus ratione.

Prob. 1. pars: 1. quia ſacrificium Miſsæ, vel ex opere operato remittit pecca-

peccatum & peccati pœnas, vel ſolum ex opere operantis: atqui poſterius iſtud dici non poteſt. Opus enim operantis, de quo hic quæſtio moveri poſſit, vel eſt devotio celebrantis, vel devotio illius pro quo celebratur: atqui independenter ab utraque operatur ſacrificium: 1. quidem independenter a devotione celebrantis: *Hæc* enim, ait Tridentinum Seſſ.22. cap. 1. *illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt*. Neque vero congruum erat, ut vel Sacerdotes multi præcellentem Religionis Victimam offerrent ſine fructu; vel Chriſtiana plebs, quæ ſæpius, proh dolor! ſuſpectam habet Miniſtrorum probitatem, ſuſpectam haberet ſacrificii noſtri virtutem; 2. independenter a devotione illius pro quo celebratur. Major enim eſt ſacrificii Chriſtiani efficacia, quam boni cujuſcumque operis alterius, ut patet ex relatis ſupra encomiis, quibus idem ſacrificium decoravit Traditio univerſa: atqui ſi nullam de ſe vim haberet ſacrificium, ſed ſolum dependenter a devotione ſubjecti, jam peculiare nihil præ ceteris bonis operibus haberet; ergo.

Prob. 2. Sacrificium Euchariſticum peccata remittit ex Tridentino ibid. cap. 2. quia in eo *idem ille Chriſtus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſe ipſum cruente obtulit*; ergo ſicut utrobique eadem eſt victima, ac proinde idem offerens, ita & utrobique eadem debet eſſe efficacia: atqui ſacrificium Crucis vi propria & ex opere operato, peccatum & peccati pœnas remiſit. Neque enim minor fuit ejuſdem virtus, quam Baptiſmi, qui vim ſuam totam habet a Cruce; ergo &c.

Prob. 3. Sacrificium Miſſæ tantam ad minus efficacitatem habet *ad emundandam conſcientiam ab operibus mortuis*, id eſt, a peccatis lethalibus, quantam habuit *ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus*, ad tollendas legales carnis immunditias; atqui legales id genus immunditias per ſe auferebat hircorum ſanguis, ut fatentur omnes; ergo & a fortiori, &c. Tota hæc ratiocinatio eſt Apoſtoli Hebr. 9. *Si enim*, ait, *ſanguis hircorum .... inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum S. ſemetipſum obtulit immaculatum Deo*, in Cruce ſcilicet, *emundabit conſcientiam noſtram*, quando nimirum fiet nobis applicatio ejus in ſacrificio Miſſæ.

Prob. 4. Sacrificium Miſſæ indubie defunctis prodeſt, quantum ad pœnæ temporalis relaxationem, uti paulo poſt demonſtrabimus: atqui haud eis prodeſt ex opere, ſeu celebrantis, qui forte in mortali peccato conſtitutus, nihil a Deo in aliorum gratiam impetrare poteſt; ſeu defunctorum, qui extra viam poſiti nihil jam mereri poſſunt; ergo ſacrificium noſtrum per ſe & de ſe vim habet, qua Deum moveat ad pœnæ temporalis relaxationem.

Ut probetur ſecunda pars, & diſtinctius intelligatur, ſit

CONCLUSIO II. Sacrificium peccata mediate tantum remittit, ſicut & gratiam adauget; pœnas vero peccati & ſatisfactiones juſtis immediate remittit.

Prob. 1. pars: 1. enim quod eatenus remittit peccata, quatenus certas in anima parit diſpoſitiones, quarum ope peccator remiſſionem delictorum conſequi valeat, illud non per ſe ſtatim, ſed alio mediante, remittit peccata: atqui ſacrificium eatenus .... Prob. min. ex Tridentino Seſſ. 22. cap. 2. ubi ſacrificium Miſſæ dicitur propitiatorium, quia *hujus obla-*

Digitized by Google

ctione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia dimittit; ergo Miſſæ ſacrificium immediate gratiam & pœnitentiæ donum obtinet, mediante vero gratiæ hujus dono & bono uſu, remiſſionem peccatorum præſtat.

Prob. 2. Si ſacrificium immediate remitteret peccata, hæc eodem prorſus remitteret modo, quo Baptiſmi & Pœnitentiæ Sacramenta remittunt; unde ei qui ſolam habet attritionem remitteretur peccatum vi ſacrificii, ſicut remittitur vi Sacramenti Pœnitentiæ: atqui falſum conſequens; Tum quia alia eſſe debet Sacramenti primo & per ſe ad delenda peccata inſtituti operatio, quam ſacrificii; cum diverſorum mediorum diverſa ſit agendi ratio; Tum quia alioqui nulla eſſet frequentandi Pœnitentiæ Sacramenti neceſſitas; cum per ſacrificium multo facilius haberi poſſet quidquid per pœnitentiam, non ſine labore plurimo, comparatur; Tum quia dormienti, qui cum attritione decumbere cœpiſſet, remitti poſſent per ſacrificium peccata; Tum denique quia poſſet Sacerdos culpæ lethalis reus, cum attritione cognita qua tali, ſacrum facere pro ſe; quia accederet ad remedium pro peccato delendo per ſe inſtitutum: atqui, ut bene notat Suarez diſp. 79. ſect. 3. hæc totidem ſunt abſurda.

Prob. 3. nulla eſt adultorum juſtificatio ſine præviis diſpoſitionibus: ſunt enim eæ conditiones ſine quibus non, ut paſſim diximus in Tract. de Sacramentis in genere; ergo ſi Miſſæ ſacrificium immediate juſtificet, prævias neceſſario requirit diſpoſitiones in iis pro quibus offertur, ut a ſimili patet in Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ relative ad adultos; ergo iterum nonniſi pro iis qui actu bene diſpoſiti ſint, Miſſæ ſacrificium offerre licitum eſt: atqui tamen conſtans eſt Eccleſiæ doctrina, ſacrificium illud pie & legitime ipſis etiam impœnitentibus & obduratis applicari; ergo. Ita ferme Bellarminus Lib. 2. de Miſſa, cap. 4.

Prob. 4. non major eſt ſacrificii incruenti, quam cruenti efficacia; cum illud ab iſto vim totam hauriat: atqui ſacrificium Crucis non juſtificavit per ſe immediate & efficaciter; quia alioqui Orbis univerſus, pro quo oblatum eſt, juſtitiam adeptus fuiſſet; ſed impetratorie tantum, quatenus Deum placando, æqua juſtitiæ media omnibus promeruit; ergo a ſimili.

Etſi autem non deſunt, qui venialia peccata per ſacrificium immediate remitti doceant, cum pro iis offertur, qui nullum ad eadem peccata actualem habitualemve affectum habeant: veri tamen magis ſimile eſt, hæc non aliter quam mortalia remitti vi Miſſæ: 1. quia alioqui venialia illa per extrinſecam condonationem ſine ullo hominis actu dimitterentur; quod vel impoſſibile eſt, ut exiſtimant non pauci; vel ſi poſſibile ſit, haud tamen conſentaneum eſt naturæ peccati etiam venialis, quod, cum maculam aliquam in anima pariat, exigit deſtrui per aliquid ſibi contrarium; 2. quia nulla ſufficienti ratione conſtat, venialia hoc modo per ſacrificium remitti. Quod enim Tridentinum Seſſ. 22. cap. 1. ubi loquitur de remiſſione eorum, *quæ a nobis quotidie committuntur peccatorum*, ideſt venialium, contritionem non requirit, quam tamen requirit cap. 2. ubi lethalium remiſſionem attribuit ſacrificio; ſummam tantum probat ſagacitatem ſacræ Synodi, quæ ſua ſic verba temperavit, ut ne minutioribus quidem Scholæ placitis præjudicium inferret. Quamquam

Digitized by Google

quam id ſecundi capitis: *Peccata* ETIAM *ingentia*, ſubindicat alia etiam non ingentia mediante pœnitentia remitti.

Prob. 2. pars de gratiæ augmento: 1. quia nulla eſt ratio cur ſacrificium ſecundam gratiam magis immediate & ſine ullo hominis actu producat, quam primam; 2. quia productio immediata augmenti gratiæ effectus eſt Euchariſtiæ quatenus Sacramenti; 3. denique quia alioqui augeretur in immenſum gratia, ſeu in juſto dormiente, ſeu præſertim in infantibus baptizatis, pro quibus pluries offerretur ſacrificium; quæ omnia & a communi Fidelium ſenſu, & a ſacrificii intentione prorſus aliena ſunt; ergo eo duntaxat augetur gratia per ſacrificium, quod juſtis actuales impetrat gratias, vi quarum in ipſis gratia creſcat aut creſcere valeat.

Prob. 3. pars de remiſſione pœnæ temporalis peccato debitæ, quæ reatus dici ſolet: etſi non pauci duplicem reatum diſtinguunt, culpæ alium, alium pœnæ, quæ condonata etiam culpa plerumque ſupereſt. Prob. inquam: Sacrificium Miſſæ remittit pœnam pie defunctorum peccatis debitam, ut liquebit ex dicendis: atqui pœnam hanc remittit, non quidem ſine aliqua eorum diſpoſitione, cum juſtis duntaxat proſit; ſed ſine ullo eorum actu vere ſatisfactorio; cum ejus jam incapaces ſint, ut extra viam conſtituti; ergo.

Confirm. Sacrificium Miſſæ eſt vere & excellenter propitiatorium; ergo qua tale habet eminenter id quod habuere ſacrificia Levitica: atqui ſacrificia hæc, ſublato obice, temporales pœnas immediate remittebant, ut conſtat ex Scripturis, quæ ſexcenties declarant, Deum ſacrificiis ſibi oblatis placatum, pœnas quas certis peccatis præparaverat, condonaſſe; ergo. De his plura videris apud Suarem *diſp. 79.* ſect. *6.* Lugo *diſp.* 19. ſect. *9.* num. 153. &c.

Obj. 1. Si ſacrificium peccata remittat, vel prout impetratorium eſt, vel prout propitiatorium: atqui neutrum dici poteſt.

R. neg. min. & dico 1. per ſacrificium quatenus propitiatorium eſt, effici ut Deus iram ponat & averſionem, ob quam peccatoribus uberiora ad aliciendam contritionem auxilia non contuliſſet; ſive tam modica ſit averſio, ut tota per unum ſacrificium tollatur; ſive tanta, ut nonniſi pluribus auferatur: atque hic effectus infallibilis eſt, niſi obſtet peccatoris improbitas perſeverans, ut indicat Tridentinum cit. cap. 2. ubi dolorem poſtulat pro diſpoſitione. Dico 2. per ſacrificium prout impetratorium obtineri actuales gratias uberiores ad eliciendum contritionis actum; niſi forte etiam occurrat obex, qualis eſſe poſſet actualis peccati affectus.

Dixi, *gratias uberiores*, non autem, neceſſario & infallibiliter efficaces; tum quia iſtæ non plus ſacrificio promiſſæ ſunt, quam Sacramentis; tum quia haud expediebat ejuſmodi gratias per ſacrificium dari, ne illecti certa earum ſpe peccatores facilius delinquerent. Quamquam tanta vis eſt ſacrificii iſtius, ut qui effectum ejus nequitia ſua non cohibent, efficacioris auxilii ſpem minime vanam concipere valeant. Ita Pariſ. Magiſter.

Unde obiter cum alio ejuſdem ordinis Doctore colliges, a Chriſti exemplo non parum deficere, eos e Confeſſariis, qui peccatori in Dei amicitiam reſtituendo, monitis & adhortationibus toti incumbunt; vixque pro eo per preces ad Deum recurrunt: Non ſic Mediator noſter, qui prius Deum *Grand. pag.* 131.

placare ſatagit; tum ab eo gratiam & donum pœnitentiæ impetrat, quo crimina & peccata etiam ingentia dimittantur.

Inſt. Ut ſacrificium quocumque modo peccata dimittat, duo requiruntur, 1. certa Dei promiſſio, 2. infallibilitas effectus: atqui neutrum hic reperitur. Non certa Dei promiſſio, cujus ne verbum quidem eſt in Scripturis. Non infallibilitas effectus; cum plures ex iis pro quibus, ſive quoad ſpiritualia, ſive quoad temporalia, offertur ſacrificium, nihil ex eo percipiant emolumenti; ergo.

R. neg. min. & dico ad 1. divinam promiſſionem reperiri in his Chriſti verbis: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis & pro multis effunditur* (ſic enim habet Græca lectio, de qua ſupra) *in remiſſionem peccatorum*. Idem ſuadet ſacrificii hujus identitas cum ſacrificio Crucis: huic enim haud utique deerat divina promiſſio: Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum*.

Ad 2. dico, infallibilem eſſe ſacrificii ut & cujuſcumque Sacramenti effectum: unde ſicut non raro contingit ut Sacramenta propter obicem nihil operentur, ſic & idem ſacrificio noſtro contingere poteſt. Et vero an ipſum Crucis ſacrificium, unde haurit Miſſa quidquid valoris habet, eumdem in omnibus peperit effectum? Neutiquam ſane, ſed majorem in his qui melius, minorem in his qui minus diſpoſiti erant, effectum produxit.

Obj. 2. Si ſacrificium pœnam peccati remittat, vel æternam, vel temporalem; item vel juſtis, vel injuſtis; demum vel totam, vel ex parte: atqui nihil horum dici poteſt; quia non magis unum quam aliud.

R. ad 1. neg. min. & dico 1. non remitti pœnam niſi juſtis, quia injuſtis utpote inimicis nulla fit pœnæ condonatio: unde

Dico 2. non remitti pœnam niſi temporalem: quia ſemper remiſſa eſt æterna pœna, ubi remiſſa eſt culpa, nempe lethalis: veniali enim tantum debetur pœna temporanea.

Dico 3. non omnem pœnam unoquoque ſacrificio remitti: alioqui enim perperam pro eodem defuncto pluries offerretur ſacrificium; quod vel cogitatu impium eſt. Quapropter ſi de viventibus ſermo ſit, credibile eſt, plus ei remitti temporalis pœnæ, qui melius diſpoſitus eſt, quam minus bene diſpoſito: itaut ſacrificium, quemadmodum Sacramenta, unicuique plus aut minus proſit, *ſecundum modum devotionis* ejus, prout docet S. Thomas q. 79. art. 7. ad 2. Quoad defunctos vero probabile eſt, Deum vel rationem habere gradus piæ diſpoſitionis in qua deceſſerint, vel pœnas eorum moderari ſecundum occulta juſtitiæ ſuæ judicia. Sed de his infra.

Addo nunquam remitti pœnam antequam contracta fuerit: unde ſicut non acquiruntur Indulgentiæ pro peccatis futuris, ſic neque ſacrificium Miſſæ pro pœna nondum debita exolvi debet; tum quia debiti ſolutio ex natura ſua debitum ſupponit; tum quia anticipata pœnæ ſolutio, peccandi impunitatem ac proinde facilitatem daret; tum quia alias licitum foret Miſſas pro iis offerre, qui eaſdem poſtulabunt deinceps, & ſtipem offerent: id autem vetuit Congregatio Concilii in reſponſione ad Card. de Guevara, Hiſpalenſem Archyepiſcopum miſſa, die 15. Novemb. an. 1605. ſub Paulo V. in hæc verba: *Omnes uno ore in eam ſententiam iverunt, ut hujuſmodi uſus bis Miſſas applicandi, qui poſtea eas petituri, vel in id ſtipem collaturi ſunt, tanquam periculoſus, ſcandaloſus, atque adverſus vetuſtiſſimum Eccle-*

Eccleſiæ morem in iſtas Regiones nova aliquot Theologorum opinione non ita pridem invectus, prorſus tollatur, atque eliminetur. Vid. Lugo diſp.19. nu.209.

Etſi autem ſacrificium prout pœnæ expiatorium eſt, præſentem indigentiam requirit, non tamen prout eſt impetratorium. Licet enim, ex mox dictis, non poſſim ego ſatisfacere pro culpa necdum commiſſa; orare tamen poſſum pro auxilio in neceſſitatibus futuris, & cum Rege Propheta in has voces erumpere: *Ne projicias me in tempore ſenectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me*. Pſal.70.

Inſt. contra ſolutionem: Remiſſio pœnæ, quam per ſacrificium dari volumus, tribui debet per modum donationis: ſed quod tribuitur per modum donationis, non creſcit aut minuitur pro diſpoſitione ſubjecti. Donatio enim non menſuratur quoad effectum niſi ex voluntate donatoris: Unde ſi cuipiam totum jejunii mei effectum largiri velim, totum ille recipiet, ſeu bene magis, ſeu minus bene diſpoſitus ſit. Et vero velit Sacerdos totum ſacrificii ſui effectum partiri Petrum inter & Joannem, quorum alter altero ſanctior ſit, parem utique recipient ambo menſuram, etſi impar ſit utriuſque diſpoſitio.

R. 1. hinc ad ſummum ſequi, pœnæ remiſſionem a ſola Sacerdotis voluntate, nullatenus autem a ſubjecti diſpoſitionibus, ſublato tamen obicis caſu, pendere; non vero illam ex opere operato haud produci: & revera utrumque docent Suarez diſp. 19. ſect. 10. & Koninch dub. 9. n.171. Credimus tamen cum communi Theologorum ſententia, menſuram effectus ſacrificii, in piarum ſubjecti diſpoſitionum menſuram refundi debere: 1. quia Sacramenta majorem vel minorem effectum producunt pro majori vel minori eorum a quibus recipiuntur diſpoſitione; idque etiam quantum ad pœnæ relaxationem, ut videre eſt in Pœnitentia, quæ magis diſpoſito plus remittit pœnæ. Porro nihil eſt cur ſacrificium aliter operetur, quam Sacramenta: imo eſt cur Sacramentorum operationem imitetur. Eccur enim Sacramenta plus bene, quam minus diſpoſitis proſunt? quia, ait ipſe Suarez diſp.7. de Sacram. ſect.5. ad ſummam Dei in diſtribuendo ſapientiam pertinet, ut plus indulgeatur digniori, quam minus digno; quia item hinc ſit ut homines majori cum devotione ſe ſe ad Sacramenta præparent; quia demum cauſæ naturales melius circa objectum melius diſpoſitum operantur: atqui nemo videt, momenta hæc idem omnino habere pondus, cum agitur de effectibus quos ſacrificium ex opere operato producat; ergo. 2. quia ita docet S. Thomas, cui adhærent omnes pene Theologi; atque ii etiam quos in contrarium adduxit Suarez, ut ſolide probat Fabritius Pignatelli, in Opere, cui titulus eſt: *De monte propitiatorio pro peccatis*, Lib.4. q.7. Unde

R. 2. ad 1. neg. min. nam etiam in Pœnitentia fit per abſolutionem aut ſatisfactionem donatio quædam, ſeu condonatio pœnæ: atqui hæc tamen creſcit pro ſubjecti diſpoſitione.

Confirm. tota quæ in ſacrificio Miſsæ fit donatio, vel potius condonatio, fit per applicationem virtutis Chriſti: atqui applicatio virtutis hujus major aut minor eſſe debet, pro majori aut minori ſubjecti diſpoſitione. Sic, ait Martinon diſp.39. n.30. ignis qui totus pendet a mea applicatione ad opera artificialia, poteſtque vel ex toto, vel ex parte applicari, facilius tamen & magis in ſubjecto melius diſpoſito operatur.

 Nec

Digitized by Google

Nec nocet 1. comparatio ex jejunio, & aliis id genus ſuffragiis deſumpta. Ideo enim ſuffragia hæc eumdem in omnibus, modo non indiſpoſitis, effectum pariunt, quia cum totum ſuum ab operis & operantis dignitate, quæ finita eſt & limitata, valorem recipiant, non poſſunt majorem & majorem ſine termino effectum dare. At in ſacrificio valor, non quidem prout provenit a Sacerdote offerente (ſic enim finitus eſt, unde qua talis non creſcit pro meliori ſubjecti diſpoſitione) ſed prout reſpondet Chriſto merita ſua applicanti, non habet limitationem hanc: unde ab eodem Chriſto ad majorem & majorem effectum applicari potuit. Quamvis autem noluerit Chriſtus efficaciam infinitam oblationi ſuæ communicare, congruum nihilominus fuit, ut ſicut in Sacramentis merita ſua infinita applicuit ad effectum finitum, qui tamen juxta diſpoſitionem ſuſcipientis determinaretur; ſic & in ſacrificio applicaret ſatisfactionem ad effectum quidem in ſe finitum, ſed qui determinaretur ſecundum diſpoſitionem illius pro quo offertur.

Nec nocet 2. partitio ſacrificii Petrum inter & Joannem, de qua Suarez: vel enim Sacerdos valorem & efficaciam ſacrificii ſic ex æquo dividet, ut dimidiam partem uni applicari velit, & dimidiam alteri, prout fieri ſolet; & tunc dimidia hujus efficaciæ pats majorem in magis diſpoſito effectum pariet, quam in alio; vel intendet ut utrique æqualis pœnæ pars de facto remittatur, & tunc non debet ſacrificii valorem applicare per partes æquales, ſed per partes æquales, vel inæquales, prout videt Deus congruere ad operandum æqualem in utroque effectum. Ita Lugo ibid. n. 206. Martinon & alii. Paulo nos aliter Cap. ſeq.

Quæres an ſacrificium vim habeat, non tantum ex opere operato, ſed etiam ex opere operantis, ideſt, ex pietate & devotione illius a quo offertur.

R. affirmat. 1. quia valet per modum orationis: oratio autem fructum parit eo majorem, quo fervidior eſt, & ad Deum magis accenſa; 2. quia ſi cetera juſtorum opera eo uberiorem, tum ipſis, tum & aliis, ſibi quidem de condigno, aliis autem impetrative, gratiam comparant, quo a charitate vividiori profluunt; quidni & idem ſit de ſacrificio Miſſæ?

Suus tamen ſemper ineſt ſacrificio principalis valor, non ſolum ex parte Victimæ, quæ Deo acceptiſſima eſt, ſed & ex parte primarii offerentis, nimirum Chriſti. Unde qui accepta ſtipe plures in malo ſtatu Miſſas fecit, haud deinceps parem numerum refundere tenetur: etſi non abs re ſit, ut pia & abundanti oratione compenſet, id quod impietate ſua abſtuliſſe videtur.

Habet etiam ſacrificii oblatio vim aliquam impetrandi, quatenus eſt ab Eccleſia ut ab offerente per Miniſtrum publicum; etiamſi non ſit is in ſtatu gratiæ. Ratio eſt, quia Eccleſia ſemper eſt ſancta, ac proinde ſemper grata Deo: unde ſi major aliquando ſit, aliquando minor Eccleſiæ ſanctitas, ut vult Simmonetus pag. 558. vis impetrandi quæ ab eadem derivatur, major quandoque erit, quandoque minor.

C A-

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

De valore Sacrificii.

UT quæſtionis intricatæ ſtatus intelligatur, quædam ſunt prænotanda. Itaque

Not. 1. non inquiri an Altaris ſacrificium ſit finitum, ſeu ratione Hoſtiæ oblatæ, ſeu ratione primarii offerentis: cum enim *una eademque ſit Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit*, extra omnem controverſiam eſt, ſacrificium utroque hoc ſenſu eſſe ſimpliciter infinitum. *Trid. Seſſ. 22. cap. 2.*

Not. 2. neque etiam inquiri, an ſacrificium ſit infinitum ratione humani miniſterii, & quatenus eſt a proximo offerente: ſic enim & conſtat illud infinitum non eſſe. Quis ergo, inquies, propoſitæ quæſtionis ſenſus? Si enim hinc a Miniſtri finitate, inde autem ab infinitate Chriſti, ſeu ut Victimæ, ſeu ut Sacerdotis præſcindamus, nihil in ſacrificio ſupereſſe videtur, in quo volvi poſſit cardo difficultatis.

Not. igitur 3. unum hunc eſſe poſſe quæſtionis propoſitæ ſenſum, an opus ſacrificii a Chriſto inſtitutum, quod ex ſe & eſſentialiter habet ut dignitatis ſit ſimpliciter infinitæ; hoc etiam ex ejuſdem Chriſti inſtitutione habuerit, ut virtutem cauſandi, ſeu operandi haberet infinitam, an finitam dumtaxat. Fatentur enim omnes ſacrificium utrolibet modo a Chriſto inſtitui potuiſſe: quod ut magis aperiatur,

Not. 4. eorum qui pro infinita ſacrificii virtute pugnant, neminem eſſe, qui virtutem hanc categorematice infinitam credat, ſeu extenſive, quaſi tot actu hominibus proſit, ut pluribus in infinitum prodeſſe nequeat; ſeu intenſive, quaſi tot per unum ſacrificium unicuique conferantur beneficia, ut plura deinceps per illud aut per alia, ſaltem quoad gradum, impetrari non poſſint. Quæſtio igitur in eo proprie eſt, an ex ſacrificio uno pro pluribus, aut pro infinitis, ſi dari poſſent, oblato, tantum unicuique proveniat fructus, quantum ſi pro eo ſolo applicaretur.

Duplex porro volvitur in Scholis ea de re opinio. Scoti prima, quæ effectum ſacrificii nec categorematice, nec ſincategorematice infinitum eſſe contendens, docet ex conſequenti eum ſic eſſe finitum & determinatum in ſe, ut ſi offeratur pro pluribus, minuatur in ſingulis: hanc ſequitur cum aliis pluribus Suarez diſp. 79. ſect. 12. Secunda ex adverſo tradit, effectum ſacrificii eo ſenſu infinitum eſſe, quod ſive in pluribus, ſive in uno, tantum præſtet, quantum juxta uniuſcujuſque diſpoſitionem præſtare poteſt; quod vocant infinitum extenſive & intenſive. Ita poſt Cajetanum, Ricardum, Canum & alios plures Vaſqueſius hic diſp. 231. cap. 3. & 4. quem ſequitur Pignatelli Lib. 4. q. 9. & 10. ſit cum iſtis.

CONCLUSIO. Sacrificium Miſſæ valoris eſt infiniti, cum extenſive, tum & intenſive.

Prob. ea cauſa virtutem extenſive & intenſive infinitam habere non immerito dicitur, quæ ita parere poteſt effectum intenſiorem & intenſiorem in uno ſubjecto, ut eumdem & ejuſdem perfectionis effectum efficere poſſit in pluribus & pluribus in infinitum. Nimirum, vero, ut ait Philoſophus 3. Phyſic. infinitum ſimpliciter illud eſt, *cujus ſemper aliquid*

eſt extra accipere, ſeu, de quo nunquam tantum accipi poteſt, quin remaneat aliquid ulterius accipiendum. Atqui Miſſæ ſacrificium, 1. parere poteſt effectum ſemper intenſiorem in ſubjecto ſive offerente, ſive pro quo offertur. Ideo nempe, juxta ipſos etiam Adverſarios, Sacramenta majorem ſemper & majorem effectum parere poſſunt, & ideo vim habent intenſive infinitam, quia operantur juxta diſpoſitionem ſubjecti, quæ major ſemper & major eſſe poteſt: atqui pariter, ex tradita S.Thomæ doctrina, ſacrificium operatur juxta menſuram diſpoſitionum ſubjecti, quæ dubio procul ſemper adaugeri poteſt; ergo. 2. idem ſacrificium ita effectum hunc in uno ſubjecto parere poteſt, ut æque omnino eumdem in pluribus producat, ſive ii ſint offerentes, quales ſunt qui aſtant ſacrificio, ſive tantum pro illis offeratur.

Et quidem de iis qui offerunt, fatentur ex Adverſariis plerique, fructum ex eorum numero non imminui. Ecquis vero credat, accedente Petro ut Miſſæ ſerviat cum Joanne jam ad id parato, dimidio minorem a Joanne fructum percipi, quam ſi ſolus miniſtraſſet? Quis in animum inducat, Parochiales Miſſas quæ tantopere commendantur, minus ratione ſacrificii prodeſſe, quam privatas quibus unus & alter interſunt. Habet id certe neſcio quid quod mentem offendat.

Sed neque minuitur ſacrificii fructus ex numero eorum pro quibus, ſeu in confuſo, ſeu nominatim offertur: 1. enim ſacrificalis oblatio unicuique prodeſt ſecundum quantitatem ſuæ devotionis, ex citata jam S. Thomæ doctrina qu.79. art.5. & 7. atqui, ut bene Cajetanus, quantitas devotionis Petri nihil tollit de quantitate devotionis Pauli; ergo de fructu qui reſpondet devotioni hujus nihil tollitur ex conſortio illius; 2. ſi minueretur fructus ex numero eorum pro quibus ſacrificium offertur, efficacior eſſet Miſſa in minori Communitate, quam in majori; & poſt ingentem Parochiæ vel Civitatis ſtragem, quam antea: inefficacior vero, quæ in Commemoratione Fidelium omnium offertur, ſi pridie plures animæ in aliarum ſocietatem devenerint: atqui hæc & abſurda ſunt, & infinitam ſacrificii noſtri dignitatem inſigniter dedecent; ergo. 3. in opinione contraria multum redarguendi forent Sacerdotes, qui accepta ab uno ſtipe, pro aliis ex charitate ſacrificium offerrent: hos vero quis redarguat, niſi qui redargui ipſe mereatur? 4. ſe habet ſacrificium, ut agentia phyſica, quorum virtus proportionata eſt capacitati ſubjectorum: atqui agentia hæc non minus proſunt multis, quam paucioribus; quia id exigit eorum finis, qui eſt ut ſint publicum bonum. Sic lumen ſolis rebus pluribus applicatum, non eas minus illuminat, quam paucioribus vel uni applicatum. Sic vox non minus a numeroſa multitudine, quam a tribus vel quatuor auditur; ergo & ſacrificium, quod publicum eſt Eccleſiæ, imo & Mundi totius bonum, ſic inſtitui decuit, ut non divideretur inter plures, ſed omnibus ex æquo pro ſingulorum devotionis menſura proficeret; 5. demum ſacrificium Miſſæ infinitis hominibus, ſi darentur, prodeſſet, ſicut & eis profuiſſet ſacrificium Crucis: atqui aliud dicendum eſt in Adverſariorum ſententia; ut reipſa aliud dicit Henno, juxta quem tunc ſacrificium nulli prodeſſet, ſed maneret in theſauro Eccleſiæ. Egregiam porro ſacrificii illius notionem, in quo Unigenitus Dei Filius & Victima eſt, & principalis Offerens!

Henno p.599.

Obj. 1.

Obj. 1. ex doctrina noſtra ſequitur, 1. ſacrificium Miſsæ non plus prodeſſe iis, qui ſtipem dant, aut pro quibus ſpecialiter offertur; 2. æque prodeſſe ſingulis, ſi duo partem ſtipendii conferant, ac ſi ſolus totum diſpendium daret: atqui conſequens pro prima & tertia parte adverſatur communi Fidelium ſenſui; pro ſecunda vero damnatum eſt a Concilio Conſtantienſi Seſſ. 8. ubi reprobata eſt hæc Vvicleſi propoſitio, num. 19. *Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos vel Religioſos, non plus proſunt eidem, quam generales, ceteris paribus.* Tom. 12. Conc. p. 46.

R. neg. maj. fiat enim hypoteſis triplex: Petrus Sacerdos primam Nativitatis Dominicæ Miſſam celebrat pro decem pagi incolis in communi; ſecundam pro iiſdem, ſpecialiter vero pro duobus qui ſtipendii partem contulere; tertiam pro uno, qui totum ſolus ſtipendium dedit. Jam dico ceteros, qui ſtipem non dederunt, & quos ſuppono diſpoſitos ut quatuor aut quinque, non minus ex ſecunda & tertia Miſſa fructus recipere, quam ex prima; quia contendo fructum non dividi tanquam finitum, ita ut aliqua ejus portio decedat uni, quia uni vel duobus accreſcit: at non ideo dico, eos qui ſtipem, vel ſoli, vel duo dederunt, non plus recipere emolumenti: quin & contrarium tueor duplici de cauſa, 1. quia creſcere debet fructus pro quantitate incrementi devotionis; plus autem, ceteris paribus, devotionis habet; qui Sacerdotem adjuvat, aut opem ejus efflagitat ardentiori modo; 2. quia, & id Concluſioni noſtræ ſupplendum, de inſtitutione ſacrificii eſt, ut eos inter quibus applicatur, aliquis ſervetur ordo: unde plus Sacerdoti proderit, quam ceteris; plus danti ſtipendium, quam non danti; plus aſſiſtentibus, quam qui non aſſiſtunt; plus nominatim & ſpeciali intentione deſignatis, quam pro quibus generatim ſolum offertur, ſive ii vivant, ſive defuncti ſint. Quapropter ſicut fatentur adverſarii, plus juvari eos, qui ſacro aſſiſtunt, (non quod, ut eorum plerique volunt, vere hic ſit oblatio multiplex, eſt enim unum duntaxat ſacrificium) quia aſſiſtentiam hanc Chriſtus pro ſpeciali quadam diſpoſitione habere voluit; ſic & plus juvabuntur, qui ſtipem dabunt, quia & id quoque pro ſpeciali diſpoſitione habere voluit ſacrificii noſtri Inſtitutor: ſicque, quod adeo Chriſti majeſtatem decet, lucrabitur unus, abſque eo quod alteri quidpiam depereat. Unde objecta Vvicleſi propoſitio nihil ad nos.

Obj. 2. Damnata eſt ab Alexandro VII. propoſitio iſthæc nu. 10. *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre:* atqui ſi Miſſæ valor ſit infinitus, & æque multis proſit ac uni, non erit contra juſtitiam unum pro pluribus ſtipendiis ſacrificium offerre. Quod enim nemini nocet, juſtitiæ non repugnat; atqui quod pro Joanne & Petro ſimul offeram, neutri nocebit.

R. neg. min. ut enim ſolide animadvertit Pignatelli Lib. 4. qu. 11. ſtipendium nullo modo reſpicit opus ſacrificii, quod nullo pretio æſtimari poteſt, ſed tantum Miniſtri perſonam prout humano modo ſuſtentabilem: atqui ſive opus Miſſæ unius integrum applicetur multis, ſive dividatur, ſive valeat finite, ſive infinite, ſemper manet invariata Miniſtri ut ſuſtentabilis perſona: Neque enim per hoc quod ſacrificium pluribus integre proſit majori indiget alimento; Ergo quacumque poſita opinione de valore ſacrificii, præfixum eodem modo manet ſtipendium; ergo qui majus

& ma-

& majus ſeu a pluribus, ſeu ab uno, niſi ex liberalitate datum, accipit, peccat contra juſtitiam.

Inſt. cum Lugo diſp.19. n.250. Si Sacerdos qui novum accipit ſtipendium, ideo juſtitiam lædit, quia jam ex priori habet unde ſuſtentetur, peccabit qui in die Nativitatis Dominicæ tria pro triplici ſacro recipit ſtipendia: rurſum vero non peccabit, qui promiſſa gratis Joanni Miſſa, a Petro pro eadem ſtipendium accipiet: atqui hæc nova ſunt & inaudita; ergo.

R. neg. min. pro prima parte: cum enim Miſſæ ſtipendium, prout ſaltem in his Regionibus conſtitutum eſt, haud plene ad honeſtam Miniſtri ſuſtentationem ſufficiat; nihil mirum ſi Sacerdos, ſicut plus quam Diœceſana lege conſtitutum eſt, recipere ſuſtentationis titulo poteſt, cum libere datur, ſic & pro tribus Miſſis tria ſtipendia recipere valeat. Ut ergo ſeria hic moveretur difficultas, quærendum eſſet, an Sacerdoti, cui data ſunt in annum totum ſtipendia omnibus inſpectis ſufficientiſſima, ut celebret, nec data ſunt ut pro ſtipendii retributoribus celebret, novum deinceps ſtipendium recipere valeat, ut pro hoc vel illo celebret: hunc porro haud difficulter comparaverim cum Parocho, qui ſufficientiſſimum reditum habeat, & a quo quidpiam ultra exigi vetuit ſacra Congregatio, ut dixi Tom.III. pag.32.

Bellar. de Scrip. Eccleſ. Ad 2. part. reſponderi poteſt cum Cajetano, homine, juxta Bellarminum, *ſummi ingenii, nec minoris pietatis*, in qu.79. S.Thomæ, art.5. *Una Miſſa non perdit vim ſatisfactionis ſuæ pro primo offerente, ex hoc quod pro ſecundo, tertio, quarto, quinto, &c. offertur: ſicut quantitas devotionis unius nihil tollit de quantitate devotionis alterius. Unde arguendi, inſtruendique ſimul ſunt homines ignoranter petentes, vel exigentes pro eleemoſyna ſua totam ſibi Miſſam dari, aut ſuo defuncto: nihil enim minus ipſe habebit, ſi mille alii petant eamdem Miſſam pro ſe ipſis & aliis defunctis, quam ſi pro ipſo ſolo celebrari dicatur: imo ex hujuſmodi indevotione ſic petentis, damnum videtur incurrere, quod minus ſibi proderit.* Unde, ait Pignatelli ubi ſupra nu.12. *non eſt exiſtimandus legitimus plurium Sacerdotum uſus, qui ex eo quod ſuam Miſſam alicui, ſive charitatis, ſive juſtitiæ titulo obligarint, pro aliis eamdem petentibus offerre ſe poſſe negant ſpeciali illa intentione, & effectu totali, ut illis quoque omnino proſit.*

Sunt tamen qui Miſſam uni promiſſam, alii denuo promitti nolint; tum quia Concluſio noſtra in opinione poſita eſt; nec proinde exponi debet periculo is, qui ſtipem dat; tum quia cum ſpecialiter ſpondetur Miſſa, ſponderi videtur & is etiam valor, quem habet ipſa non ſolum ab opere operato, ſed & ab opere ſeu Miniſtri, ſeu Eccleſiæ, cujus nomine celebratur: uterque vero cum finitus ſit, diviſus inter plures, minor continget ſingulis.

Obj.3. Si valor ſacrificii ſit infinitus, unum ſacrificium pro duabus perſonis oblatum, tantum his proderit, quam duo prodeſſent ſacrificia pro iiſdem ſeorſum oblata: atqui falſum conſequens. Nam ex uſu & ſenſu Eccleſiæ conſtat, ſacrificia duo pro eodem homine oblata, plus ei prodeſſe quam unum; ergo etiam ſacrificia duo pro duabus perſonis ſeorſum oblata, plus illis proderunt, quam unum pro utraque oblatum.

R. 1. ex dictis plus prodeſſe ſacrificium ei qui totam ſtipem dat: hac vero præciſa circumſtantia, & ſimilibus, ſi quæ fingi poſſint.

R. 2. ad 1. neg. min. una enim Miſſa pro Petro & Joanne conjunctim & in ſolidum dicta, in utroque operabitur ut quatuor, ſi uterque diſpoſitus ſit ut quatuor: ſi vero dum una dicitur pro Petro, alia dicitur

pro

pro Joanne, neutra plus operabitur, quia neutra operabitur ultra capacitatem ſubjecti.

Ad 2. neg. conſeq. ideo enim ſacrificia duo pro eodem homine, vel ſolitarie, vel conjunctim cum alio oblata, plus ei proſunt, quam unum, quia in utroque caſu bis ille ſecundum totam diſpoſitionis ſuæ capacitatem expletur: cum ſola alterius concomitantia impedire non poſſit, quominus ſacrificium operetur ſecundum ſuam naturam, id eſt, quantum poteſt juxta capacitatem ſubjecti: At vero cum duo ſacrificia ſeorſim offeruntur pro duobus, neuter, niſi ſemel expleri poteſt ſecundum capacitatem diſpoſitionis ſuæ.

Inſt. Non plus eſt moraliter eidem perſonæ, puta Petro, remittere bis pœnam, ut quatuor, quam duabus perſonis remittere utrique pœnam etiam ut quatuor. Ad utrumque enim requiruntur octo ſatisfactionis gradus; qui quod vel uni tantum applicentur, vel diſtribuantur inter duos, ſacrificio prorſus accidentale eſt; ergo ſicut uni perſonæ non remittuntur octo gradus ſatisfactionis per ſacrificium unum, ſed tantum per duplex; ſic nec duabus perſonis per idem ſacrificium remitti poſſunt octo ſatisfactionis gradus, ſed tantum per duplex.

R. diſt. ant. non plus eſt ſpectato tantum ſacrificii valore, C. non plus eſt ſpectatis diſpoſitionibus ſubjecti, N. dicimus itaque habenti diſpoſitionem ut quatuor, prodeſſe ſacrificium ut quatuor, ſive ſit, ſive non ſit in alterius conſortio. Unde ſi duo ſacrificia pro eodem offeruntur, recipiet ille bis quatuor, & ſi mille, millies quatuor. Si vero perſonæ duæ pro quibus offertur ſacrificium, ſingulæ habeant capacitatem ut quatuor; ad hoc ut fructus iiſdem applicetur ut quatuor, haud neceſſe eſt duplicari ſacrificium; quia cum ſacrificium vim habeat infinitam poteſt unum & idem ambas implere, ſicut idem fons plura & plura vaſa implere poteſt, unumquodque juxta capacitatem ipſius.

Obj. 4. Bellarminus Lib. 2. de Miſſa cap. 4. diſerte docet, valorem ſacrificii, *ex communi Theologorum ſententia* finitum eſſe; idque conſtare ex uſu Eccleſiæ, quæ plures pro eadem re impetranda Miſſas celebrat: atqui non decet a communi Theologorum ſententia recedere.

R. Bellarminum veteres Theologos imitatum, valoris nomen ſumpſiſſe, pro effectu, non pro virtute ſacrificii. Conſtat porro effectum ſacrificii eſſe finitum, quia recipitur ſecundum quantitatem diſpoſitionum ſubjecti, quæ ſemper finitæ ſunt: atque hinc plures pro eadem re impetranda Miſſæ offerri debent. Hujus autem inſtitutionis ratio multiplex fuit, nempe 1. ut Miſſa pluries iteraretur; 2. ut jugiter recoli poſſet ad uſque mundi finem beneficium paſſionis Chriſti; 3. ut aſſidue repeteretur ſacrum convivium, quod a ſacrificio pendet; 4. ut nova, qui quotidie labimur, gratia quotidie reſurgeremus. At cum iis ſtat Miſſæ effectum eſſe ſincategorematice infinitum, quia licet quilibet ſigillatim finitus ſit, haberi alius alio major poteſt in infinitum; aut ſaltem in indefinitum; ut alii loqui malunt: quia, inquiunt, cum Martinon diſp. 39. n. 13. non apparet ſacrificium hoc inſtitutum fuiſſe, ut cuipiam majores concederentur gratiæ, quam B. Virgini. Si tamen Sacramentorum vis dicitur intenſive infinita, etſi ex iis nemo ad gradum B. Virgini æqualem aſſurgat; quidni & ſacrificii vis infinita pari modo dicatur.

C A-

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

De Miniſtris Sacrificii.

Miniſtrorum nomen latiori ſenſu ſumimus in præſenti, nimirum pro iis omnibus qui ad ſacrificii oblationem quomodocumque concurrunt. Ut autem ſuus unicuique in oblatione tantæ dignitatis honos & gradus ſervetur, ſit

Conclusio I. Chriſtus principalis eſt in ſacrificio Miſſæ offerens.

Prob. 1. Chriſtus Pſalm.109. & Hebr.7. vocatur *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: atqui non alia de cauſa dicitur Sacerdos, &c. quam quia oblatum ſemel in ara Crucis ſacrificium, uſque ad mundi conſummationem ſub ſpecie panis & vini offert; non dico, per ſucceſſores ſuos, Sacerdoti enim in æternum conſtituto non ſucceditur; ſed per Miniſtros ſuos. *Omnis namque Pontifex conſtituitur ut offerat ſacrificia pro peccatis*; ergo Pontifex in æternum, in æternum ſacrificium ſuum offerre debet.

Prob. 2. ex Conciliis. Lateranenſe IV. cap. *Firmiter* 1. *de ſumma Trinitate*: *In* Eccleſia, inquit, *idem ipſe Sacerdos eſt ſacrificium*. Tridentinum Seſſ. 22. cap.2. *Idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit*. Tom. 11. Conc. p. 143.

Prob. 3. ex Patribus, quorum, in re jam toties decantata, inſtar ſit Auguſtinus Lib.10. de Civit. Dei, cap.20. ſic ille de Chriſto: *Per hoc & Sacerdos eſt, ipſe & offerens & oblatio.*

Prob. 4. Sacrificium Legis novæ tale eſſe debuit ut Deo ſemper placeret, quatenus mundum ac purum; & ſic inſigniter diſcreparet a Judaicis ſacrificiis, quæ non raro polluta erant, tum ex parte victimæ, ſecundum id Malach.8.13. *Intuliſtis de rapinis claudum & languidum... numquid ſuſcipiam illud de manu veſtra*; tum ex parte offerentis, juxta id Iſaiæ 1. 13. *Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra.... manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*: atqui ut ſacrificium purum ſit & mundum, non ſufficit rei oblatæ munditles, ſed ſaltem requiritur ſumma principalis Offerentis puritas; quia oblatio ſacrificii proprie non conſiſtit in re quæ offertur, ſed in actione, qua res eadem offertur; ergo ex inſtitutione divina neceſſe fuit, ut in novæ Legis ſacrificio principalis Offerens ſemper mundus eſſet & integer. Unde Apoſtolus Hebr.7. 26. *Talis decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cœlis factus: qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes* Levitici, *prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi.*

Obj. Principalis offerens in ſacrificio influere debet in actionem ſacrificandi: atqui Chriſtus in eam non influit. Si enim influeret, vel per humanitatem, vel eo quia ſacrificium inſtituerit, vel quia ei vim tribuat ex meritis ſacrificii Crucis: atqui nullum ex his dici poteſt. Non 1. tum quia humanitas Chriſti, utpote necdum præſens, cum elicitur actio ſacrificativa, in eam phyſice influere nequit, ſed ſolum moraliter, ut concedunt pene omnes; tum quia Sacerdos ipſe phyſice concurrit, nec tamen eſt principalis offerens. Non 2. Deus in Moſaica ſacrificia inſtituerat, neque tamen primarius in eis offerens erat. Non 3. quia ipſa etiam Legis ſacri-

ſacrificia vim hauriebant ſuam ex meritis Chriſti; qui tamen nuſquam pro primario Legis ſacrifico habitus eſt; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. & dico Chriſtum eo primarium eſſe offerentem, quod Sacerdos offert in perſona Chriſti, ſecundum id Cypriani Epiſt.63. *Sacerdos in altari vice Chriſti* fungitur. Et vero, ait S. Thomas hic qu.82. art.7. ad 3. *Sacerdos in orationibus quidem loquitur in perſona Eccleſiæ, in cujus unitate conſiſtit; ſed in conſecratione Sacramenti loquitur in perſona Chriſti*, dicens perinde ac ſi Chriſtus ipſe loqueretur: *Hoc eſt corpus meum*. Sicut ergo qui Regis nomine, in Legatorum conſenſu, ineundi fœderis pacta denuntiat, non dicitur pacis & belli arbiter, ſed Rex ipſe: ſicut item qui dat per œconomum ſuum ſtipem pauperi, eleemoſynæ primarius donator cenſetur: ſic & in propoſito. Pag. 104.

Conclusio II. Soli Sacerdotes ſacrificium Miſſæ vere & proprie offerunt: unde ab iis ſolis, non autem a quolibet Fideli, phyſice & immediate exerceri poteſt actio ſacrificandi.

Prob. 1. Soli Sacerdotes Euchariſtiam conſecrare poſſunt, ut probavimus part.1. c.5. atqui eo ipſo ſoli ſacrificium offerre poſſunt; cum una eademque actione & ſacrificium offeratur, & conficiatur Sacramentum; ergo.

Prob. 2. Sacrificium Miſſæ eſt aliquid omnes naturæ vires ſuperans, utpote quod ſine ſtupenda panis & vini tranſubſtantiatione fieri non poſſit; ergo ab iis duntaxat confici poteſt, qui ſupernaturalem ad id muneris poteſtatem accepere: atqui poteſtatem hanc accepere Sacerdotes, ut patet ex eorum conſecratione; accepere autem ſoli: Hanc enim ſi qui præter ipſos receperint, vel ab hominibus, vel a Chriſto. Non 1. cum poteſtas ſupernaturalis a puro homine tradi non poſſit. Non 2. cum Chriſtus facultatem hanc Apoſtolis ſolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus tradiderit; ergo.

Obj. Qui ſacrificium offert, debet eſſe Miniſter Chriſti, Eccleſiæ & populi; Chriſti cujus perſonam gerit, & pro quo legatione fungitur; Eccleſiæ & populi, cujus vota & neceſſitates Deo repræſentat: atqui non omnes Sacerdotes miniſterium illud obire poſſunt. Certe enim Chriſti perſonam non geret Sacerdos peccator, diaboli mancipium. Non feret Eccleſiæ vota Miniſter hæreticus, excommunicatus, & quiſquis a miniſterio per Eccleſiam præciſus fuerit; ergo.

R. 1. non defuiſſe qui crediderint, certas quaſdam ab Eccleſia apponi poſſe in Sacramentorum adminiſtratione conditiones, quibus violatis Miniſter ad Sacramenti, ideoque & ad ſacrificii confectionem inhabilis efficiatur, quod exemplo Matrimonii confirmant: in hac opinione, quam ſuo loco confutabimus, dicendum foret, ſacrificium a Sacerdotibus, ſolis, non tamen ab omnibus offerri poſſe.

R. 2. diſt. maj. qui ſacerdotium offert licite ſimul & valide, debet eſſe Miniſter Chriſti, Eccleſiæ ac populi conjunctim, C. qui ſacerdotium offert valide ſimul & illicite, N. Ut enim quis ſacrificium offerat valide, ſatis eſt ut Chriſti Miniſter eſſe pergat: atqui non raro fit, ut Chriſti Miniſter eſſe pergat, qui præ impietate ſua, nec populi, nec Eccleſiæ apud Deum interpres eſse meretur. Nimirum vero efficitur aliquis Chriſti Miniſter per poteſtatem Ordinis: porro poteſtas illa ſemper perſeverat, neque ab Eccleſia pendet, quoad functionum validitatem.

Ergo,

Ergo, inquies, nihil operatur Eccleſiæ prohibitio.

R. neg. aſſumptum. Facit enim 1. ne Sacerdos licite offerat. Facit 2. ne Miniſter præciſus in oblatione ſacrificii agat ut ab Eccleſia deputatus. *Si Sacerdos*, ait S.Thomas q.82. art.7. ad 3. *ab unitate Eccleſiæ præciſus, Miſſam celebret, quia poteſtatem Ordinis non amittit, conſecrat verum corpus & ſanguinem Chriſti: ſed quia eſt ab Eccleſiæ unitate ſeparatus, orationes ejus*, quæ nimirum ante & poſt conſecrationem recitantur, & ab Eccleſia inſtitutæ ſunt, *efficaciam non habent*: id autem quanti ſit, norunt quicumque Eccleſiæ dignitatem metiri ac ponderare norunt.

Inſt. Sacrificium eſt eſſentialiter opus Miniſtri publici, Deumque inter & homines mediatoris: atqui Sacerdos ab Eccleſia præciſus, Deum inter & homines mediator eſſe nequit. Is enim ſolus populi mediator eſſe poteſt, cujus in mediationem conſentit populus: atqui nuſquam conſentiet populus, ut qui ab Eccleſia præciſus eſt, mediatoris perſonam agat; ne pro benedictione inducat maledictionem; ergo.

R. diſt. maj. ſacrificium eſt opus Miniſtri publici & mediatoris, id eſt, opus exercendum a Miniſtro, quem conſtituit Deus, ut inter ſe & populum mediatoris partes agat, C. id eſt opus exercendum ab homine, quem Eccleſia vel populus conſtituat, N. Is enim unus ſacerdotii, adeoque & ſacrificii honorem ſumit, *qui vocatur a Deo tanquam Aaron*. Eligit quidem aliquo ſenſu Eccleſia Miniſtros, ſed quos a Deo jam electos eſſe confidit. Quod ſi vocati non ſint, aut a vocationis ſuæ gratia deficiant, non deſinunt valide operari nomine Chriſti, in ſacrificii ſicut in Sacramentorum negotio: quia alioqui populus fidelis, cui vix unquam certo conſtat de legitima Miniſtrorum vocatione, vix unquam de ſacrificii ac Sacramentorum validitate ſecurus eſſet: quod pœnoſæ anxietatis incommodum ab Eccleſia ſua Chriſtus procul abeſſe voluit.

CONCLUSIO III. Eccleſia, ſeu qui Eccleſiæ membra ſunt Fideles, aliquo etiam ſenſu ſacrificium offerunt.

Prob. 1. ex S.Leone Epiſt.81. ad Dioſcorum, ubi ſic: *Neceſſe eſt ut quædam pars populi ſua devotione privetur, ſi, unius tantum Miſſæ more ſervato, ſacrificium offerre non poſſint, niſi qui prima diei parte convenerint;* ergo juxta S.Doctorem offerunt populi ſacrificium cum Sacerdote, vel potius per Sacerdotem.

Prob. 2. ex Liturgia, quæ ſic habet: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum.... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium*. & paulo poſt: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus, Domine, ut placatus accipias*. & rurſus: *Unde & memores, Domine, nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta... offerimus præclaræ majeſtati tuæ de tuis donis ac datis Hoſtiam puram*, &c.

Prob. 3. Dei cultus ex natura ſua publicus eſſe debet: atqui decebat ut cultus publicus, non a paucis tantum, ſed & ab omnibus penderetur; ergo ſic inſtitui debuit, ut non a ſolis Sacerdotibus, ſed etiam a Fidelibus ceteris, certo quodam ſenſu præſtaretur.

Et vero non debuit Chriſtiana plebs deterioris eſſe conditionis, quam Judaica: atqui Judaica plebs, non quidem actu proprie Sacerdotali, qui erat penes familiam Aaron, ſed concurſu & approbatione ſacrificia offerebat, & offerre dicebatur. Sic Exodi 5. *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto*. Sic Num. 26. 3. dicitur ad multitudinem:

Digitized by Google

nem: *Hæc ſunt ſacrificia, quæ offerre debetis*. Sic David & Salomon holocauſta obtuliſſe dicuntur, haud profectò per ſe, quia Sacerdotes non erant, ſed per Miniſtros Domini. Unde Auguſtinus, ſeu quivis alius Auctor qq. veteris Teſtamenti, q 46. *Ipſe*, inquit, *ſemper dicitur offerre cujus oblationes ſunt, quas ſuper altare imponit Sacerdos: Et Saul obtulit*, hoc utique genere, id eſt *per Sacerdotem, ſicut & nunc offertur; & David obtulit, & Salomon obtulit, & ceteri ſimiliter obtulerunt: quamvis enim Sacerdos proprio fungatur officio, ille tamen offerre dicitur, cujus nomine agit Sacerdos; ipſi enim imputatur* oblatio, *cujus munera offeruntur*. Unde Innocentius III. Lib.3. de ſacrificio Miſſæ, cap.6. *Quod ſpecialiter agitur miniſterio Sacerdotum, hoc generatim agitur ex voto Fidelium.*

T.3. p.1. Append. pag. 59. G.

Obj. Quiſquis ſacrificium offert, ad ſacrificium aliquali ſaltem modo concurrere debet: atqui plebs Chriſtiana... Si enim ad ſacrificium concurreret, vel actu interno, puta pietatis ſenſu, vel externo, videlicet exteriori oblatione: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. actus enim mere internus ad oblationem externam, qualis eſt oblatio ſacrificii non ſufficit. Non 2. nihil enim extra facit populus, quod externam oblationem denotet; ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. plebs enim Chriſtiana & interno actu concurrit ad ſacrificium, & externo. Interno, quia & intentionem ſuam intentioni Sacerdotis conformat, & ſacrificio pie conſentit, illudque uti nomine ſuo oblatum approbat, ac ratum habet; & demum fructus illius particeps eſſe enixe deprecatur: externo autem 1. quia illos ſuos pietatis ſenſus viſibilibus ſignis demonſtrat; 2. quia ſacrificium petit vel procurat, ſeu ſtipem dando Sacerdoti, ſeu eidem ſacrificanti inſerviendo; 3. quia Fideles ſinguli ſunt partes illius Eccleſiæ, quæ & ſacrificium offert, & ipſa in ſacrificium offertur. Offert quidem ſecundum id S. Irenæi Lib.4. c.34. *Eccleſiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in univerſo mundo, purum ſacrificium reputatum eſt apud Deum*; offertur vero ſecundum id Auguſtini Lib. 10. de Civ. Dei c.6. *Tota ipſa redempta Civitas, hoc eſt, congregatio ſocietaſque Sanctorum, univerſale offert ſacrificium Deo per Sacerdotem magnum, qui ſe ipſum obtulit in paſſione pro nobis... quod etiam Sacramento Altaris Fidelibus noto frequentat Eccleſia.*

CAPUT OCTAVUM.

De Sacrificii ſubjecto.

PEr ſubjectum ſacrificii eos intelligimus quorum in gratiam offerri illud poteſt aut debet. Et quidem cum ſacrificium in honorem ſupremi Numinis eſſentialiter vergat, nullam hic de Deo quæſtionem movent Theologi, ſed totam de hominibus. Ex his autem alii hodieque vivunt, alii jam ſupremam diem objere. De utriſque dicendum.

ARTICULUS PRIMUS.

An Sacrificium Miſſæ pro vivis omnibus offeratur.

EOrum qui in vivis degunt, alii per Baptiſmum renati non ſunt, ut Infideles & Catechumeni; alii regenerationis gratiam obtinuere. Hi

porro

porro in multiplici ſunt differentia: alii nimirum juſtitiæ ſerviunt; alii in peccato verſantur: & ex his alii vel ab Eccleſia ſe præſciderunt, ut ſchiſmatici, vel ab ea per excommunicationem præciſi ſunt, ut hæretici, &c. De his omnibus dicendum, ſic tamen ut a facilioribus ad difficiliora progrediamur. Sit

Conclusio I. Miſsæ ſacrificium pro Fidelibus univerſis, ſeu juſti ſint, ſeu peccatores, offertur & offerri debet.

Prob. 1. quia non aliunde melius de Sacerdotis ſacrificium offerentis intentione habita ut habenda judicari poteſt, quam ex verbis quibus utitur inter offerendum: atqui hæc ad univerſa Eccleſiæ membra, ſeu ſana ſint, ſeu peccati lue infecta ſe ſe extendunt. Minor patet ex hoc Canonis textu: *Offerimus tibi pro Eccleſia tua ſancta Catholica... & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus*: ex iis autem qui orthodoxæ fidei conſtanter adhærent, non pauci ſunt peccatores.

Prob. 2. ex Apoſtolo Hebr. 5. *Omnis Pontifex conſtituitur.... ut offerat ſacrificia pro peccatis*: atqui non tantum pro levioribus. Sic enim fructus potior deeſſet miniſterio ejus; ergo etiam pro gravioribus.

Prob. 3. tum ex conditione ſacrificii, quod commune eſt Eccleſiæ bonum, tum ex officio Sacerdotis, cujus eſt Deum inter & peccatores mediatorem agere; tum ex inſtituto Eccleſiæ, quæ ſacrificii ritum ita ordinavit, ut omnibus, iis tamen ſecluſis de quibus infra, prodeſset.

Obj. 1. Infantes ſunt Eccleſiæ membra: atqui tamen non offertur ſacrificium Miſsæ pro infantibus, qui reipſa, fructus ejuſdem incapaces ſunt; 2. peccatores donec a fide deficiant, ſunt de Fidelium numero: atqui indigni ſunt ut pro ſe offeratur ſacrificium; 3. energumeni, & fideles erant, & juſti eſse poterant: atqui tamen vetuit Illiberitana Synodus Can. 29. ne pro his ſacrificium offeratur; ergo.

R. ad 1. 1. nihil mirum fore, ſi non offeratur ſacrificium, pro iis qui ejuſdem fructuum incapaces ſupponuntur; puta quia jam a ſingulari Dei gratia receperint, quidquid alii per ſacrificium recipere valeant.

R. 2. neg. min. etſi enim infans ſatisfactorium Miſsæ fructum recipere nequit, quia per lavacrum mundatus a culpa & pœna, nihil juſtitiæ divinæ debet; poteſt tamen impetratorium ſacrificii effectum recipere, quoad animam & corpus, ut utrumque ſuo modo conſervetur.

R. ad 2. diſt. min. indigni ſunt peccatores, ſed tamen vere indigent ſacrificii impetratione, ut convertantur, C. ſecus, N.

R. ad 3. neg. min. en verba Eliberini Canonis: *Energumenum, qui ab erratico ſpiritu exagitatur, hujus nomen neque ad Altare cum oblatione recitandum, neque permittendum ut ſua manu ad Altare miniſtret*: atqui verba hæc energumenum arcent quidem a communione, quia, ut in hunc locum notat Cabaſſutius, ii ſoli offerebant, qui communionis ſacræ futuri erant participes; at non excludunt a ſacrificii fructu. Ceterum communionem ipſam energumenis permiſerunt aliæ Synodi, ut Arauſicana I. Can. 14. atque hujus ope ſanata eſt puella nomine Araba, quæ ob conſpectam impudice Veneris imaginem, a dæmone meatum gutturis ejus occupante ſic vexata eſt, ut ſeptuaginta diebus nec cibum nec potum trajecerit, quamvis nec famem nec ſitim toto eo tempore ſenſerit. De energumenis vide dicta ſuperius pag. 56. & ſeq.

v. ſup. p. 57.

Obj. 2.

Obj. 2. Si ſacrificium pro Fidelibus univerſis offerri debet, non licebit unum quempiam ab eo excludere, ut alter efficacius juvetur: atqui falſum conſequens. Annon enim ſtipem Petro negare poſſum, ut Lucam potentius adjuvem?

R. neg. min. & dico Sacerdotem, qui quempiam excludere præſumeret, niſi forte excuſet decrepita ſtoliditas, graviter peccaturum 1. contra legem charitatis; quæ etſi non jubet pro ſingulis nominatim orari, neminem tamen excludi patitur; 2. contra intentionem Eccleſiæ, quæ ſacrificium ſibi commiſſum ad filios ſuos univerſim extendi vult. Unde liquet aliam eſſe corporalis eleemoſynæ, cujus quis Dominus eſt, conditionem, aliam ſacrificii, utpote boni communis. Ceterum Fidelis, quem Sacerdos a generali oblatione excludet, privabitur equidem eo ſacrificii fructu, qui ex privata Sacerdotis intentione pendet, ſed non alio.

Obj. 3. Si ſacrificium pro omnibus offerri debeat, vel ut impetratorium, vel ut ſatisfactorium: atqui neutrum dici poteſt. Alioqui enim ex fructu tot inter hominum myriades diſtributo, nihil ferme, ſi quid tamen, ſingulis eveniret.

R. cenſere quidem Suareſium & ſectatores ejus, ſacrificii fructum, qua ſatisfactorium, ad certos quoſdam reſtringi poſſe, imo & debere; quia fructus ille, quem ſolum ex opere operato a Miſſa produci contendit, finitus ſit. At quam id perperam excogitatum ſit, liquet ex dictis cap. 6.

Conclusio II. Catechumeni & Infideles nullum habent jus ad ſacrificium; & hoc tamen pro illis offerri poteſt.

Prob. 1. pars. Ii ſoli ad ſacrificium jus habent, qui ſunt de familia Chriſti. Ratio eſt, quia, ut docent Tridentini PP. ſacrificium a Chriſto relictum eſt Eccleſiæ, quæ eſt univerſalis & ſola Chriſti familia; unde ſacrificii oblatio dicitur in Canone oblatio familiæ Chriſti: atqui ne Catechumeni quidem ſunt de Chriſti familia, & multo magis Infideles. Nemo enim eſt de familia, niſi qui in ea natus eſt: porro in familia Chriſti nemo naſcitur niſi per Baptiſmum; ergo. Sed de his plura dicam ubi de Eccleſia.

Prob. 2. pars 1. quia in veteri Lege ſacrificabatur pro vita Regis Darii & filiorum ejus, 1. Eſdræ 6. item pro ſalute Heliodori Gentilis, 2. Machab. 1. 2. quia id 1. ad Timoth. 2. *Obſecro igitur fieri obſecrationes, orationes .... pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt*, &c. exponunt plerique Patres de orationibus quæ fiunt in ſacrificio: quin & Chryſoſtomus Hom. 6. in hanc Epiſt. diſerte ait pro Rege Gentili offerendum eſſe; 3. quia Tertullianus Lib. ad Scapulam: *Sacrificamus*, inquit, *pro ſalute Imperatoris*: idque ab Apoſtolis pro ævi ſui Regibus factitatum docet Auctor Conſtit. Apoſt. Lib. 8. cap. 18. 4. quia offerri poteſt ſacrificium, tum ut augeatur familia Chriſti, tum ne quid ab Ethnicis principibus moleſtiæ & detrimenti ferat: atqui eſt id ſacrificium offerre pro converſione & bona diſpoſitione Infidelium; 5. quia ſacrificium Altaris idem eſt quoad ſubſtantiam cum ſacrificio Crucis: iſtud autem pro omnibus oblatum eſt, etſi ad illud jus nullum haberemus, utpote inimici.

Obj. 1. cum Vaſque diſp. 227. c. 3. & 4. Infideles Sacramentorum fructus incapaces ſunt, quia nullum jus habent ad Sacramenta; ergo & incapaces ſunt fructus ſacrificii, quia nullum jus habent ad ſacrificium.

R. neg. conſeq. Baptiſmus enim, etſi pro janua Sacramentorum inſtitutus

eſt, non tamen pro janua orationis: atqui ſacrificium ex omnium confeſſo ſequitur naturam orationis, & qua tale impetratorium eſt; ergo.

Obj. 2. Id Auguſtini Lib. 1. de origine animæ, cap. 9. *Quis offerat corpus Chriſti, niſi pro iis qui ſunt membra Chriſti?* atqui infideles, &c.

T. 10. p. 3 2. D. Reſpondet S. Thomas in 4. diſt. 12. qu. 2. art. 2. ad 4. id intelligi debere de iis qui ſunt membra Chriſti actu vel potentia: offert enim etiam pro membris Chriſti, qui offert pro aliquibus ut fiant membra Chriſti. Addit Tournelyus, Auguſtinum eo in loco duntaxat loqui de defunctis; & quia defuncti, aut ſunt actu membra Chriſti, aut nullo modo, ideo potuit ſanctus Doctor abſolute dicere, non poſſe pro mortuis offerri, niſi ſint Chriſti membra.

Conclusio III. Ex natura rei licet ſacrificium pro excommunicatis, hæreticis & aliis id genus offerre: id tamen attentis Eccleſiæ legibus non licet.

Prob. 1. pars, quia hæretici & alii id genus, pejores non ſunt, ſive iis qui Chriſtum Cruci affixere, ſive immanibus tyrannis, qui ut feri ſingulares Eccleſiam ferro & flamma depopulati ſunt: atqui ex præcedenti Concluſione pro iis offerri poteſt ſacrificium Miſſæ, ſicut pro iis oblatum fuit ſacrificium Crucis; ergo.

Prob. 2. pars, quia privatio communium Eccleſiæ ſuffragiorum potior eſt pœna excommunicationis prout hodie decerni ſolet: atqui communia inter ſuffragia primas tenet Miſſæ ſacrificium; ergo. De his vide quæ diximus Tract. de Cenſuris part. 2. c. 1. art. 3. ſect. 1.

ARTICULUS SECUNDUS.

An & pro quibus defunctis offerri poſſit ſacrificium Miſſæ.

Defunctorum triplex genus: alii enim æternis ignibus addicti ſunt; alii ultricibus Purgatorii flammis torquentur ad tempus; alii jam plena Dei viſione fruuntur. Hinc quærere eſt an Miſſa offerri poſſit, 1. pro damnatis; 2. pro defunctis, ut ajunt, purgantibus; 3. pro Beatis, cujuſcumque illi ordinis ſint & gradus. Utrumque poſterius Caput redarguunt Calviniſtæ & Lutherani: utrumque nos tuebimur.

Conclusio I. Pro damnatis, nec debet, nec poteſt offerri ſacrificium.

Prob. 1. ex trito hoc: *In inferno nulla redemptio*; 2. quia reprobi a Chriſto Matth. 25. 41. amandantur *in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus*; porro ignem hunc vere & ſtricte æternum eſſe probavimus in Tract. de Peccat. cap. 5. art. 3. 3. quia ex Auguſtino Lib. 21. de Civ. cap. 24. *Si de aliquibus ita certa eſſet Eccleſia, ut qui ſint illi etiam noſſet, qui licet adhuc in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipſo.* Unde, pergit S. Doctor: *Si qui uſque ad mortem habebunt cor impœnitens.... numquid jam pro eis, id eſt, pro talium defunctorum ſpiritibus orat Eccleſia? Quid ita? niſi quia jam in parte diaboli computatur, qui dum eſſet in corpore, non eſt translatus ad Chriſtum*; ergo ſicut non ſacrificatur pro Diabolo, ſic nec pro quocumque reprobo.

Obj. 1. Auguſtinus Enchir. cap. 112. approbat Origeniſtarum ſententiam, quatenus tenet damnatorum ſupplicia, non quidem finiri, ſed per oratio-

orationes noſtras imminui. Sic ille: *Pœnas damnatorum certis temporum intervallis exiſtiment, ſi hoc eis placet, aliquatenus mitigari.... non æterno ſupplicio finem dando, ſed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus*. Idem tradit S. Doctor Lib. 21. de Civ. cap. 24. Jam vero utiliter pro reprobis ſacrificatur, ſi quod eorum cruciatibus levamen afferri poteſt.

R. neg. ant. licet enim S. Doctor hanc Origenianæ opinionis partem toleret, ut non omnino adverſam Scripturis divinis, reipſa tamen illam non appprobat. En verba ipſius: *Fruſtra nonnulli. imo quam plurimi, æternam damnatorum pœnam & cruciatus ſine intermiſſione perpetuo humano miſerantur affectu, atque ita futurum eſſe non credunt; non quidem Scripturis divinis adverſando, ſed pro ſuo motu dura quæque molliendo..... quæ putant in eis terribilius eſſe dicta quam verius*. Non enim obliviſcetur, *inquiunt*, miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſerationes ſuas. *Hoc quidem in Pſalmo legitur ſancto: ſed de his ſine ullo ſcrupulo intelligitur, qui vaſa miſericordiæ nuncupantur...... Aut ſi hoc ad omnes exiſtimant pertinere, non ideo neceſſe eſt ut damnationem opinentur poſſe finiri eorum, de quibus dictum eſt:* Et ibunt iſti in ſupplicium æternum, &c. *ſed pœnas damnatorum...... exiſtiment, ſi hoc eis placet, aliquatenus mitigari. Etiam ſic quippe intelligi poteſt manere in illis ira Dei, hoc eſt ipſa damnatio...... ut in ira ſua, hoc eſt, manente ira ſua, non tamen contineat miſerationes ſuas: non æterno ſupplicio finem dando, ſed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus*. Hic porro ſi non rejicitur penitus Origeniana damnatorum ſublevatio, certe non approbatur. Quin & expreſſe paulo antea reprobatur a S. Doctore; ſic enim ſuo, non aliorum nomine loquitur cap. 110. *Cum ergo ſacrificia, ſive Altaris, ſive quarumcumque eleemoſynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur; pro valde bonis gratiarum actiones ſunt: pro non valde malis propitiationes ſunt; pro valde malis* ETIAMSI NULLA SUNT ADJUMENTA MORTUORUM, *qualeſcumque vivorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certe ut tolerabilior fiat ipſa damnatio*, ſeu punitio, (prout expreſse locum hunc intelligit D. Thomas in 4. diſt. 45. art. 2. q. 1. ad 2.) Ubi juxta S. Doctorem ſacrificia nullum valde malis adjumentum procreant: procrearent porro, ſi eorum cruciatus temperarent. Pſal. 76.

Fatendum tamen ex mitioribus illis Auguſtini verbis factum eſse, ut viri magni nominis exiſtimaverint reproborum tormenta in inferis leniri poſse. Ita S. Antoninus part. 1. Chronic. tit. 7. c. 3. §. 2. Vincentius Bellovacenſis Specul. Hiſtor. Lib. 10. cap. 68. Gerſon in Serm. ad Regem Franciæ pro pace, Conſid. 4. Et his dubio procul favet, quem alibi citavimus, Codex Gellonenſis. Verum opinio hæc, non modo difficilis eſt, quod ſemper judicavimus, ſed teſte S. Thoma 3. p. qu. 71. art. 5. *præſumptuoſa, Sanctorum dictis contraria, vana, nulla auctoritate fulcita & irrationalis*. Et vero contra eam militant duo præcipue, 1. quod decreſcente in dies pœna, ii ſaltem, qui ob unum peccatum torquentur, ab omni tamdem cruciatu immunes fierent; 2. quod male prohiberet Eccleſia ne pro reprobis offerrentur preces & ſacrificium: atqui id prohibet tamen, ut conſtat ex Concilio Triburienſi, Can. 31. ex Bracarenſi I. Can. 17. &c. T. 2. p. 2. c. 2. col. 8.

Obj. 2. Id Chryſoſtomi Hom. 3. in Epiſt. ad Philip. *Atque id quidem*,

Digitized by Google

Tom. 2. *Edition. nov. p.* 218. A. quod diximus orandum in ſacrificio pro mortuis, *de iis dictum eſto qui in fide deceſſerunt. Catechumeni vero neque hac dignantur conſolatione: ſed omni auxilio ſunt deſtituti, uno quodam excepto. Quale vero hoc? licet pauperibus pro ipſis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis*: atqui Catechumeni, qui ſine fide, utique plena, deceſſerunt, dubio procul ſunt damnati; ergo damnati aliquid percipere poſſunt refrigerationis.

R. vel loquitur ſolum Chryſoſtomus de Catechumenis, qui *ſine fide*, id eſt, fidei ſignaculo, Baptiſmo nimirum deceſſerunt; vel de iis qui in malo ſtatu deceſſere. Si 1. ſenſus ejus eſt, moris tunc non fuiſſe in Eccleſia Conſtantinopolitana, ut pro iis publice oraretur (prout alibi fiebat, cum pro Valentiniano ſacris operatus ſit Ambroſius,) quod & a Concilio Bracarenſi I. Can. 35. vetitum fuit. Tunc autem ſupererat ut privatis bonis operibus, potiſſimum autem eleemoſynis juvarentur Catechumeni Si 2. accedit Chryſoſtomi opinio ad eam quam ab Auguſtino toleratam fuiſſe diximus: hæc autem, cum ſingularis ſit, nullique ſolido fundamento innixa, ſalvo S. Doctoris honore, rejici poteſt.

Hinc etiam exploditur Gloſſa in cap. *Tempus* 23. XIII. q. 2. ubi orationes prodeſſe dicuntur, non quidem valde malis, ſed *malis mediocriter, ad hoc ut minus puniantur*, non tamen ut unquam ab inferis liberentur. Si enim damnatis, quos Gloſſæ parens mediocriter malos vocat, prodeſſent ſuffragia ad remiſſionem pœnæ, poſſent hi tandem multiplicatis orationibus a tota pœna liberari. Quod enim ait Gloſſator, defunctorum pœnas ſuffragiis etiam æqualibus non tolli per partes æquales, ſed per proportionales tantum; ſicque nunquam tolli omnino poſſe per ſuffragia quantumcumque multiplicata: id, inquam, arbitrarium eſt & fictitium: Et vero quidni per æqualia ſuffragia æquales pœnæ tollantur?

At, inquies, ſi exploditur Gloſſa, haud certe pari negotio explodi poteſt Innocentius III. vir paris ad dignitatem ſcientiæ: is porro idem docet quod Gloſſæ Auctor. Sic enim loquitur cap. *Cum Marth 6. De celebrat. Miſſar. Utrum in hoc articulo locum habeat illa diſtinctio qua docetur, quod defunctorum alii ſunt valde boni, alii ſunt valde mali, alii mediocriter boni, alii mediocriter mali: unde ſuffragia, quæ fiunt a Fidelibus in Eccleſia, pro valde bonis actiones ſunt gratiarum; pro valde malis conſolationes vivorum; expiationes vero pro mediocriter bonis; & propitiationes pro mediocriter malis, tua diſcretio inveſtiget.*

R. neg. min. differt enim a Gloſſatore Innocentius III. penes geminum caput, 1. quod non loquitur affirmando, ſed rem totam aliorum examini committit & diſcretioni, ut liquet ex poſtremis ejuſdem verbis; 2. quod verba ejus multo facilius benignum in ſenſum flecti poſſint, quam Gloſſæ. Nempe vero nihil eſt in textu illius, unde neceſſario inferatur per mediocriter malos intelligi debere quoſdam reprobos. Prærterquam enim abſurdum eſt, mediocriter malos dici eos, qui capitali & æterno odio Deum proſequuntur; conſtat quadrimembrem Innocentii diviſionem alio, eoque ſano ſenſu poſse explicari. Juxta hunc ergo *valde boni* ſunt, qui ex hac vita decedunt abſque omni culpæ & pœnæ reatu: *Valde mali*, qui in ſtatu lethalis peccati moriuntur: *Mediocriter boni*, qui cum levem tantum temporalis pœnæ reatum habeant, a Purgatorio igne per ſacrificia liberari facile poſsunt: Demum *mediocriter mali*, qui ſero quidem,

ſed

ſed tamdem ante exitum vere converſi, decedunt cum magno pœnæ temporalis reatu; unde iis multo plus, diutiſſime ſaltem, prodeſt ſacrificium ad propitiationem, id eſt, mitigationem pœnarum, quam ad integram expiationem. Ut ut eſt, ad ſummum permittit Innocentius III. in privato hoc ſuo ad Lugdunenſem Archiepiſcopum Reſcripto, id quod a S. Auguſtino permiſſum vidimus, nempe ut per ſacrificia quorumdam reproborum pœnæ imminui non impie credantur.

Obj. 3. Judas Machabæus juſſit offerri ſacrificia pro Judæis quibuſdam, quorum *ſub tunicis* poſt mortem inventa ſunt idolorum donaria, *a quibus Lex prohibet Judæos*: atqui Judæi illi in peccato mortali deceſſerant; ergo *Machab. 2. c. 12.*

R. neg. min. tum quia dicitur Judæos illos *cum pietate dormitionem accepiſſe*; tum quia donaria hæc non ad idolorum reverentiam acceperant, ſed ex diteſcendi cupiditate, quæ venialis eſſe poteſt; tum quia legem qua id prohibebatur, etſi non ſine aliqua negligentia, ignorare potuerunt; tum quia etſi eam cognoviſſe ſupponantur, pie præſumebat Machabæus, eos in extremo vitæ ſpiritu ſceleris ſui pœnituiſſe. Sic quotidie ſacra facimus pro ſuſpectæ famæ hominibus, rati Deum ſatis eſſe miſericordem, ut iis ad extrema vergentibus dederit ſpiritum pœnitentiæ. Neſcit nemo, interrogatum ab Epiſcopo Bellicenſi Franciſcum Saleſium, an crederet potuiſſe Calvinum ſalvari, reſpondiſſe, id equidem potuiſſe fieri; at ſi factum eſſet, bellam eum Deo candelam debere. Haud tamen pro homine, qui ſe ab unitate præciderat, offerri potuiſſet ſacrificium.

Obj. 4. Pro iis offerri poteſt ſacrificium, qui ab inferni pœnis liberari poſſunt: atqui damnati.... Prob. min. ex Liturgiæ precibus, ubi ſic: *Domine J.C. libera animas omnium Fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu*, &c. porro *lex ſupplicandi, regula credendi eſt*, ut ait Cœleſtinus Papa.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. & per inferni pœnas intelligit Eccleſia pœnas Purgatorii, C. & intelligit pœnas ignis diabolo & Angelis ejus in æternum præparati, ſubdiſt. & tunc Eccleſia orationes ſuas referendo ad illud inſtans, quo animæ migrant a corporibus, precatur ut Fideles non fiant ſocii dæmonum, C. & intendit precari ut ab inferi proprie dicti pœnis liberentur, ſi in eas miſere incurrerint, N. Itaque, vel per inferni pœnas intelliguntur pœnæ Purgatorii, & tunc nihil mirum, ſi Eccleſia Fideles ſuos ab iis, omni qua poteſt via, liberare conetur. Si vero ipſæ intelligantur tartari dæmonibus præparati pœnæ, ſpectat pia mater ad illud inſtans, quo animæ migrant a corporibus, & orat ut filii ſui, nedum de numero ſint reproborum, in ſinum veri Abrahæ recipiantur, & cum Lazaro quondam paupere æternam habeant requiem. Cur porro ſic precatur Eccleſia? quia, ait Auguſtinus, *de nullo certa eſt*, quod in æternum ignem prædeſtinatus ſit ire cum diabolo: hinc *orat pro omnibus.... nec tamen pro omnibus exauditur*.

Ergo, inquies, male funduntur ex preces pro hominibus jam dudum vita functis.

R. neg. ſequelam. Solet enim Eccleſia, quæ dudum peracta ſunt, quaſi præſentia intueri. Sic Adventus tempore antiqua juſtorum ſuſpiria renovat, ſibique Meſſiam, quaſi necdum veniſſet, his dari verbis flagitat: *Rorate cœli deſuper*, &c. ſic in Natali Domini: *Præſta, quæſumus*, inquit, *ut na-*

ut natus hodie Salvator mundi, ſicut divinæ nobis generationis eſt auctor, ita & immortalitatis ſit ipſe largitor. Sic in ſacra Paſchatis ſolemnitate: *Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte reſeraſti.* Sicut ergo myſteria hæc, quamvis jam pridem præterierint, recoluntur ut præſentia; ſic nihil vetat, quominus defunctorum exequiæ, etſi dudum peractæ ſint, memorentur quaſi prima vice fierent: præſertim cum Deus iis, licet tantum in certa temporis diſtantia futuris, hic & nunc, quaſi actu jam fierent, moveri poſſit, ita ut tamen juſtitiæ ſuæ legibus non deroget. Ita ferme Auctor Operis de re Sacramentaria Lib. 5. pag.498.

Obj. 5. Ab actu ad poſſe valet conſecutio: atqui conſtat Trajanum & Falconillam ex inferis liberatos fuiſſe orationibus Gregorii & Teclæ; prout refert S. Damaſcenus in Orat. de defunctis.

R. argumentum hoc fuſe a nobis verſatum eſſe hujus Operis Tom. II. part. 2. cap. 2. art. 8. ubi de Oratione.

Quod ſpectat ad peccatores, etiam idololatras, quos narrant Hiſtoriæ aliquando a mortuis ad vitam revocatos eſſe; dicendum cum S. Thoma in Suppl. q.71. art.5. *quod non erant in inferno finaliter deputati, ſed ſecundum præſentem propriorum meritorum juſtitiam. Secundum autem ſuperiores cauſas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de iis diſponendum.*

Conclusio II. Sacrificium Miſſæ, ut aliud quodcumque Eccleſiæ ſuffragium, pro animabus in Purgatorio detentis pie & utiliter offerri poteſt.

Prob. 1. ex Lib. II. Machab. c. 12. v. 43. & ſeq. ubi Judas Machabæus *duodecim millia drachmas* * *argenti miſit Jeroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, bene & religioſe de reſurrectione cogitans... Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* Ex iis ſic paucis: Ut ex citato textu merito inferri poſſit, Eccleſiæ ſuffragia, & a fortiori Miſſæ ſacrificium, defunctis prodeſſe, duo ſufficiunt, 1. ut id diſerte tradat locus a nobis adductus; 2. ut quatenus id tradit, magnæ & maximæ auctoritatis eſſe debeat: atqui utrumque conſtat. Primum quidem; cum doceat expreſſiſſime, pium eſſe pro iis exorare, qui in peccatis quibuſdam mortui ſunt, ſic enim fieri ut ab iiſdem ſolvantur, atque eatenus divino conſpectu digni efficiantur. Secundum non minus evidens eſt. Vel enim Liber ille Canonicus eſt, ut tota tenet Chriſti Eccleſia; vel non, uti Novatoribus videtur. Si Canonicus eſt, prout ſenſere Origenes Lib. 2. de princip. c. 1. Tertullianus Lib. contra Judæos, c. 4. Cyprianus Lib. de exhortatione martyrii, cap. 11. Ambroſius innumeris in locis, Hieronymus Lib. 5. in Iſai. aliique plures, quos in hunc locum dabit Nat. Alexander; jam propoſitio noſtra ſpectat ad fidem. Sin vero, non definit idem Liber tantæ ad minus eſſe auctoritatis, quantæ Joſephus, Salluſtius, aliique coævi rerum Scriptores; quos circa Gentium ſuarum conſuetudines nemo in iis præſertim quorum teſtes fuere, falſi poſtulare auſit; ergo.

Prob. 2. Quod ſemper & ubique in Eccleſia ſervatum eſt, nec ab aliquo Concilio inſtitutum reperitur, merito ab Apoſtolica Traditione oriri judicatur, ſecundum citatam pluries Auguſtini regulam, Lib. 4. de Bapt. cap. 24.

* Duodecim drachmarum millia faciunt Romanæ monetæ mille & ducenta ſcuta. *Menochius Edit. Turnem. hic*

cap.24. atqui talis eſt ritus orandi pro mortuis, ut a peccatis ſolvantur. Hujus enim ante Concilium Carthaginenſe III. Can.29. meminere Euſebius Cæſarienſis Lib.4. de vita Conſtantini, Cyprianus Epiſt.66. Tertullianus Lib. de Corona militis, cap.3. atque hinc Chryſoſtomus, tum loco ſuperius citato, tum Homil.69. ad populum Antiochen. *Num temere*, inquit, *hæc ab Apoſtolis ſancita fuerunt, ut in tremendis Myſteriis agatur defunctorum commemoratio? ſciunt enim illis inde contingere multum lucrum, multam utilitatem.*

Prob. 3. quia negabat Aerius ſacrificium pro mortuis offerendum eſſe: atqui ſtatim ut emerſit illa ejus opinio circa an.350. ubique Gentium exploſa eſt, ceu turpis error in fide, prout docent Epiphanius in Anacephalæoſi, Auguſtinus Lib. de hæreſ. cap.53. Damaſcenus Lib. de centum hæreſibus; ergo. Sed de iis plura, profundo ſimul & eleganti calamo tractata, dabit doctiſſ. Tournely in Tract. de Attribut. Tom. I. pag.290. quem hactenus continuare cenſemur.

Obj. Si per ſacrificia juventur animæ purgantes, idque in principiis noſtris ex opere operato & infallibiliter, vix ac ne vix quidem, attenta Miſſarum quæ ubique celebrantur, multitudine, fieri poteſt, ut Purgatorium non quotidie evacuetur: atqui tamen aliud credit Eccleſia, quæ ſacra in perpetuum celebrat Anniverſaria, pro iis etiam, quorum in gratiam, ipſo obitus tempore, Miſſæ plures celebratæ ſunt, ut fere in ſummorum Pontificum & Regum morte contingit.

R. cum Pignatelli Lib.5. q 7. num.27. binam animarum purgantium claſſem diſtingui poſſe; alteram earum, quæ culparum ſuarum indulgentiam & abſolutionem in hac vita obtinuerunt; & has dicimus, facili negotio per ſacrificiorum multitudinem liberari. Alteram earum, quæ cum culpis pluribus minime condonatis e vita migrarunt; & de iis haud veremur aſſerere, earum *per fluvium igneum, per vada ferventibus globis horrenda tranſitum*, nec ita facilem, nec ita brevem futurum. Neque multum proderit ſacrificiorum, etiam ſpecialiter applicatorum, multitudo: quia fructus remiſſionis pœnæ proveniens ex opere operato a ſacrificiis, non magis infallibilis eſt quam effectus Sacramentorum: porro Sacramentorum effectus in iis tantum infallibilis eſt, qui obicem non habent: habent autem dubio procul obicem, qui culpas veniales habent. Unde cum remitti non poſſit pœna ante dimiſſam culpam, quia quandiu manet culpa, manet intrinſece homo dignus pœna; conſequens eſt ſacrificia nuſquam quantum ad remiſſionem pœnæ, totam ſuam efficacitatem ſortiri, donec culpa prorſus expuncta ſit. Quomodo autem, & qua ſucceſſione, ea venialium dimiſſio, (quæ ex dictis non fit immediate per ſacrificium) fiat in Purgatorio, per actus dilectionis & patientiæ, expendunt Theologi in Tract. de Quatuor noviſſimis, & forte res eſt in theſauris divinis ſignata.

Emiſſen. Hom 3. de Epiphan.

Interim, quod tutiſſimum eſt, ſatagamus ut per congruæ pœnitentiæ labores, omnium culparum veniam ante obitum conſequantur; juxta id quod monuit Chriſtus Matth.5. *Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es cum eo in via, ne forte tradat te adverſarius Judici, & Judex tortori, & mittaris in carcerem: Amen dico tibi, non exibis inde donec reddas noviſſimum quadrantem:* quem locum de Purgatorio contra Auguſtinum intelligi fuſe ex ceteris Pa-

tribus probat Bellarminus Lib. 1. de Purgat. c. 7. *Illud ſcitote*, ait S. Bernardus de obitu Huberti, *quia poſt hanc vitam in Purgatorii locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur uſque ad noviſſimum quadrantem.*

Conclusio III. Sacrificium Miſſæ, nec Sanctis offertur, nec pro Sanctis, ut iis ad pœnæ vel culpæ remiſſionem proſit: pro iis tamen & pie offertur, tum ut in eis honoretur Deus & ipſi in Deo, tum ut eorumdem apud Deum interceſſio obtineatur.

Prob. 1. pars, tum quia ſacrificium eſt cultus latriæ, ad proteſtationem ſupremi quod habet Deus in res omnes creatas dominii; is vero cultus uni Deo debitus eſt: tum quia hæc ſemper fuit Eccleſiæ fides. *Nos*, ait Auguſtinus Lib. 8. de Civ. cap. 27. *Martyribus non conſtituimus templa, ſacerdotia, ſacra, ſacrificia.... Quis audivit aliquando Fidelium, ſtantem Sacerdotem ad Altare..... dicere in precibus: Offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane; cum apud Memorias eorum offeratur.* Lib. 20. contra Fauſtum c. 21. *Nulli Martyrum, quamvis in Memoriis Martyrum, conſtituimus Altaria..... Quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit, apud Memoriam eorum quos coronavit.* & Serm. 318. *Non aram fecimus Stephano, ſed de reliquiis Stephani, aram Deo.* Merito igitur Tridentina Synodus Seſs. 22. cap. 3. *Quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnulla interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit, non tamen illis ſacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere ſolet: Offero tibi ſacrificium, Petre, & Paule, ſed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris.*

T. 7. pag. 217.

T. 8. pag. 347. B. C.

Prob. 2. pars, quia Sanctis Deo aperte fruentibus nihil ſupereſt luendum pœnæ vel culpæ.

Cum hoc tamen ſtat, Miſsæ ſacrificium pro ipſis etiam Beatis ſatisfactorium dici: habent enim Sancti, tum ex bonis quibus cumulati fuere, dum degerent in terris; tum & ex gloria qua in Cœlis fruuntur, debitum quoddam omni debito majus, quod nec ipſi exolvere omnino ſufficiunt; imo quod, ſecus ac fit in juſtitiæ debito, ex ipſa ſolutione creſcit. Hoc autem per ſacrificium certo modo compenſatur, ſecundum id Pſalm. 115. quod Chryſoſtomus inter ceteros Patres maxime literalis, & Eccleſia ipſa de ſacrificio noſtro interpretantur: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam.*

Prob. 3. pars, quæ contra Pſeudoreformatos definita eſt a Trident. Seſs. 22. Can. 5. his verbis: *Si quis dixerit, impoſturam eſſe, Miſſas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda, ſicut Eccleſia intendit; anathema ſit.* Prob. inquam, ex univerſali Eccleſiæ conſenſu. S. Cyrillus Jeroſol. Catech. 5. *Cum hoc ſacrificium offerimus*, inquit, *mentionem facimus eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.*

Pag. 241. C.

S. Auguſtinus Tract. 84. in Joannem. *Non ſic*, ait, *Martyres commemoramus* ad Altare, *quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro us oremus, ſed magis ut orent pro nobis.* & Lib. 8. de Civ. c. 27. rationem cur in memoriam & apud Memorias Sanctorum ſacra celebrentur, hanc reddit, *ut ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus,*

T. 3 part. 2. p. 709. D.

Tom. 7. p. 217. C.

& nos

& nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur.

Liturgia S. Baſilii, cui ceteræ omnes in hoc puncto conſonant, Sanctorum memoriam facit, *ut aſſiduas preces pro nobis offerant.*

Confirm. Fideles, quocumque ſint in ſtatu, ſemper ſunt de corpore familiæ Chriſti: ſed qui de eadem ſunt familia, jus habent ad publica hujus familiæ bona, quale profecto eſt bonum ſacrificii; ergo.

Major conſtat, tum ex Scripturis, ubi Eccleſia deſcribitur tamquam populus unus, una Reſpublica, unum corpus; tum ex Auguſtino Lib. 20. de Civ. cap. 9. ubi poſtquam de Martyribus nominatim locutus eſt, ſubdit generatim: *Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt Regnum Chriſti; alioqui nec ad Altare Dei fieret in eorum memoria in communicatione corporis Chriſti, nec*, &c. Prob. itaque min. Si Beati nullum jus haberent ad bona ſacrificii, utique quia nihil inde fructus capere poſſent: atqui poſſunt & ſatisfactorium fructum inde conſequi, & impetratorium: 1. ſatisfactorium; quia ut animæ purgantes debitum habent pro pœnis & culpis ſuis ſatisfaciendi, ſic & animæ beatæ debitum habent retribuendi Deo pro omnibus quæ retribuit eis; ergo cum & ipſæ ſint de familia, pro qua tota mons hic retributionum erectus eſt, retinent jus integrum ad ejuſmodi fructus; unde inſurgit in hujuſce montis Miniſtris obligatio eoſdem fructus ipſis etiam Sanctis diſtribuendi; 2. impetratorium, poteſt enim Eccleſia militans per ſacrificium obtinere Beatis, tum honorem extrinſecum, ut mage ac magis a Fidelibus glorificentur in terris; quod etſi proprie utilitas noſtra eſt, redundat tamen in gloriam Sanctorum; tum & gloriæ alicujus accidentalis augmentum hujus enim eos capaces eſſe, uſque ad judicii diem fatentur Theologi; ergo. Sed de his, quæ, licet magni quidpiam habeant, & Triumphantis ac Militantis Eccleſiæ communionem ſplendide demonſtrent, fuſius proſequi non vacat, adi Pignatellum cit. Lib. 5. q. 8.

Obj. 1. contra tertiam partem: Impie fit quod aperte repugnat divinæ inſtitutioni: atqui, ait Kemnitius in Exam. Concil. Trident. ſacrificii oblatio in honorem Sanctorum, non tam aperte, quam palpabiliter repugnat inſtitutioni divinæ. Non enim dixit Chriſtus: Hoc facite in commemorationem Sanctorum, bene vero: *Hoc facite in meam commemorationem;* ergo.

R. ad 1. neg. min. quæ non tam apertum eſt, quam palpabile mendacium. Ad 2. neg. conſeq. quia aliud eſt præcipere ut aliquid fiat; aliud prohibere, ne ſimul certum quid fiat; neque unius poſitio excluſio eſt alterius; niſi id vel importet natura rerum, vel declaret Eccleſia, fida Chriſti ſponſi ſui voluntatum interpres: atqui neque rerum natura exigit, ut non honorentur Sancti ſecundario & quaſi accidentaliter in ſacrificio, quod primario & directe ad Dei cultum ordinatur, quodque adeo unice Chriſti mortem repræſentat, ut nullius Sancti mortem repræſentet; nec uſquam declaravit Eccleſia, prætermitti omnino debere amicos Sponſi, in ipſius Sponſi commemoratione. Imo expreſſe voluit ut commemorata Hoſtia per quam vicerunt Sancti, ſimul recolerentur Sanctorum victoriæ, quibus accenſi, ſimul & freti, nos etiam aliquando triumphare mereremur; ergo.

Inſt. 1.

Inſt. 1. Sacrificii oblatio ſupremus eſt latriæ cultus: atqui cultum hunc non licet divertere ad Sanctos, ut divertit Eccleſia Pontificia.

R. neg. min. pro ſecunda parte. Non enim offert Eccleſia ſacrificium Sanctis in honorem Dei, ſed Deo in honorem Sanctorum: unde Sanctis non facit aras, ſed de Sanctis facit aras Deo, uti ſupra ajebat Auguſtinus.

Inſt. 2. Eccleſia Romana ſacrificium offert in honorem Sanctorum, ſeu, *ut illis proficiat ad honorem;* idque approbat Tridentinum ſupra Seſs. 22. cap. 3. atqui latriæ cultum in honorem creaturarum offerre, mera puta eſt ſuperſtitio & impietas.

R. diſt. maj. offert Eccleſia ſacrificium in honorem Sanctorum, offert, inquam, ſed Deo, tanquam auctori virtutum, quas in Sanctis & per Sanctos operatus eſt, C. offert, quaſi Sanctos ipſos ſupremo cultu afficere intendat, N. Itaque ſicut in Republica ob reportatam de hoſtibus victoriam ſolemnes Deo gratiæ exolvuntur, quod quadantenus in hominis victoris honorem cedit; ſic in Eccleſia penditur Deo ſacrificium laudis, quod per Sanctos, veluti manus ſuæ inſtrumenta, mirabilia operari dignatus fuerit. Unde tametſi hinc honorentur amici Dei, ſolus tamen Deus, ut omnis boni parens, ſupremo cultu honoratur. Hanc porro æquam & ſanctam, eſſe Eccleſiæ mentem, ipſa ſeu per Doctores ſuos, ſeu per ſemetipſam tradit Eccleſia. Sic S. Auguſtinus Enchir. cap. 110. *Cum ergo ſacrificia Altaris offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt*, per quas *qui gloriatur, in Domino* gloriatur, II. Cor. 10. Sic Tridentinum cit. Seſs. 22. cap. 3. *Quamvis in honorem Sanctorum .... Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit, non tamen illis ſacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli;* & *de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat.*

Inſt. 3. Eccleſia Romana ſacrificium offert in honorem Sanctorum, *ut per merita & preces* eorum *in omnibus divinæ protectionis* muniatur *auxilio:* atqui praxis illa & ſacrilega eſt, & antiquitati primævæ contraria: 1. ſacrilega eſt: ideo enim Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum nobis in Cœna reliquit, ut thronum gratiæ ipſius adituri, miſericordiam conſequamur per merita unicæ ejuſdem oblationis: ſed qui ad merita & preces Sanctorum recurrunt, haud expectant totum ab unica Chriſti oblatione; imo hanc pro inſufficienti habent. Ad quid enim confugere ad creaturas, ubi totum a Creatore ſperari poſſit? 2. eſt contraria primævæ antiquitati. Is enim quo nitimur Auguſtinus, docet exerte, nominari quidem Sanctos in ſacrificio a Sacerdote, ſed ab eo non invocari. *Non tamen*, ait Lib. 22. de Civ. cap. 10. *a Sacerdote qui ſacrificat, invocantur. Deo quippe non ipſis ſacrificat, quamvis in memoria ſacrificet eorum; quia Dei Sacerdos eſt, non illorum;* ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 1. 2. diſt. min. qui ad merita & preces Sanctorum recurrunt, ut perfectior ſit & efficacior oblatio Chriſti, haud totum ab eadem oblatione expectant, C. qui recurrunt ad merita Sanctorum, ne ob propriam ſuam indignitatem contingat, ut ſibi oblationis de ſe infinitæ merita non applicentur, N. Porro uni huic propriæ ſuæ indignitatis malo occurrere vult Sacerdos, cum Sanctorum opem efflagitat. Unde non magis Euchariſticæ virtuti derogat, cum Sanctos ſibi præſto eſſe petit, quam cum ipſe Deum ſupplex precatur, ut ſanguinis ſui merita, ſibi & aliis applicare dignetur: quod ſi quæpiam eſt ſacrificii injuria, jam neceſſe erit, ut

ut Sacerdos imparatus, quin & impœnitens ad Cœnam accedat: id autem, a Novatoribus licet admiſſum, tota, quoquoverſum extenditur, horreſcit Eccleſia.

Confir. Qui Sanctorum merita ab oblatione Chriſti vim totam ſuam habere perſuaſus eſt, non derogat oblationi Chriſti, imo eam potius commendat, cum ad eorumdem preces & merita recurrit: atqui ſacrificii Miniſter perſuaſus eſt, &c.

Ad 2. 2. diſt. ant. negat Auguſtinus Sanctos invocari, ea latriæ invocatione, quam primario importat ſacrificium, quod, uti pluries monuimus, de ſe præſtantiſſima eſt invocatio, C. negat invocari quocumque modo, N. utrumque ſolutionis membrum patet ex Auguſtino: primum quidem ex ipſo qui objicitur textu, ubi S. Doctor rationem, cur in ſacrificio non invocentur Sancti, hanc reddit, quia *non ipſis*, ſed *Deo* ſacrificatur; ſecundum ex ejus Tract. 84. in Joan. ubi Martyres a Sacerdote ſacris operante nominari dicit, *ut orent ipſi pro nobis*.

CAPUT NONUM.

De obligationibus Sacerdotis & Populi relative ad Sacrificium.

Ab officiis Populi, ut quæ minus faceſſant difficultatis, exordium ducam.

ARTICULUS PRIMUS.

De obligationibus Populi.

DE obligationibus Chriſtianæ plebis relative ad ſacrificium quatuor præcipue inquiri poſsunt, 1. an Miſſæ aliquando intereſse teneatur; 2. an Parochiali; 3. quo mentis affectu; 4. an a ſacro excludi debeant peccatores. Hæc, quia alias jam expenſa, paucis proſequimur in præſenti. Sit itaque

Conclusio I. Fideles Miſſæ aliquando intereſſe tenentur, idque ſub gravi: optime vero ſibi conſulunt, qui cum etiam non tenentur, intereſſe ſtudent.

Prob. 1. pars; quia id & præcipere potuit, & de facto, pro Dominicis & Feſtis diebus præcepit Eccleſia, ut patet ex dictis ad III. Decalogi præceptum, art. 2. Hinc Agathenſe Concilium cap. 47. & refertur cap. *Miſſas*, 64. diſt. 1. *De conſecr. Miſſas*, inquit, *die Dominico ſæcularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus*, adeo *ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat. Quod ſi fecerint, ab Epiſcopo publice confundantur*. Idem generatim pro *ſolemnitatibus ſacris* præcipitur Can. 10. Apoſtolorum, ibid. cap. *Omnes*, 62. *Tom V. pag. 675.*

Quæ vero cauſæ ab audienda Miſſa excuſent, fuſe expoſuimus ibid. pag. 702. Unum hic addemus cum Luca Pinelli Lib. 1. de Miſſa, c. 20. falli eos qui cum Angelo in Summa v. *Feria*, n. 45. ſatius eſſe credunt, neglecta Miſsa, concionem audiri, ſi utrumque fieri non poſſit. Gravius

enim

enim utique incumbit audiendæ Miſſæ, quam ſacræ concionis præceptum: Niſi forte quis vel neceſſaria fidei myſteria ignoret; quæ deinceps, aut nullatenus, aut nonniſi diu poſt edoceri poſſit; vel cum hæretico congreſſurus, ſcientia indigeat, qua ſe ſuamque fidem tueatur.

An vero a culpa immunis ſit, qui ſufficientem omittendæ Miſſæ cauſam habere ſe falſo exiſtimat, nonniſi ex perſonæ circumſtantiis definiri poteſt. Aliter enim judicandum de homine conſcientiæ largioris, qui non nihil dubitavit, aut qui peritiores conſulere poterat; aliter de viro Deum timente, & qui bona prorſus fide egit.

Prob. 2. pars; quia, ex dictis, ſacrificio Miſſæ nihil eſt excellentius; nihil ſingulari veneratione dignum magis, nihil quoad vivos & defunctos, item quoad animæ corporiſque neceſſitates efficacius; nihil cujus frequentiam magis ambierint Sancti quilibet utriuſque ſexus; nihil quod plures piis gratias promeruerit, ut conſtat ex Hiſtoriis ſanctæ Eliſabeth Hungarorum Reginæ, ſanctæ Heduigis Duciſſæ Poloniæ, B. Franciſci, Beatæ Coletæ; nihil demum cujus incuriam aut deſpicationem promptiori ultione punierit Deus: de quo vide, ſi licet, prædictum Pinelli Opuſculum, part. 2.

Conclusio II. Debent, ſi poſſunt, Fideles Parochiali ſacro aſſiſtere.

Prob. ex longa illa argumentorum ſerie, quam citato jam Tomi V. loco adduximus, & queis facile cedat quiſquis in re magni momenti nova & incerta veteribus & certis præponere non auſit.

Confirm. 1. ex Statutis Hugonis Pariſienſis Epiſcopi an. 1326. ubi ſic habetur: *Quidam per contemptum, alii per negligentiam, nonnulli per incuriam, vel occupationem rerum ſæcularium, ad Eccleſias ſuas Parochiales, maxime diebus Dominicis & Feſtis ſolemnibus venire non curant; non attendentes, quod per ſacras, tam Scripturæ, quam juris ſanctiones, Fideles tenentur populi convenire, orationes & oblationes fundere & offerre, mandata Chriſti audire. Hinc monitiones, & excommunicationes, denuntiationes, inhibitiones & alia ignorantur, negliguntur, & creſcit in indevotione populus, pullulant hæreſes, infinita animarum pericula generantur, & ſcandala publica fiunt.*

Confirm. 2. ex Synodalibus Rothomagenſis Eccleſiæ Statutis eodem ſæculo, ubi hæc habentur: *Inquirat Confeſſarius a Pœnitentibus Parochianis, ſi venerint diebus Dominicis & Feſtivis ad ſuam matrem Eccleſiam Parochialem, cum ad hoc teneantur tam de jure divino, quam humano, tam naturali, quam poſitivo.* Idem jam ab anno circiter 1240. præceperat Petrus de * Collemedio, Rothomagenſis Præſul, & exinde Cardinalis, in novis præceptis, apud Franciſcum Pomeraye pag. 249. his verbis: *Parochianus exiſtens in Parochia, ſi tribus diebus Dominicis continuis ad Miſſam non venerit, excommunicetur; & hoc frequenter in Eccleſiis publicetur.* Non finierit, qui ejuſmodi Decreta, prout ex omnibus Eccleſiæ Gallicanæ Plagis emanarunt, colligere voluerit: Unum quæro, an in re ad æternam ſalutem ſpectante, præ legitimis Paſtoribus, qui res propius intuiti, maturius libravere, extraneos audiri expediat.

* De Colmie. *Concil. ac Decreta Eccleſ. Roth.*

At, inquiunt, ſi neceſſum ſit ut Chriſtiana plebs Parochiali ſacro interſit, jam abſolutione indigni erunt mercatores plerique, Procuratores, forenſes viri, aliique id genus innumeri: quis autem tot hominum millibus cœlorum fores occludere auſit?

R. hoc

R. hoc potiſſimum argumento ſubverti moralem diſciplinam. Urgenti ſanctiora quæque Eccleſiæ placita, mox occinitur paris numeri cantilena. Si non licet, ajunt, plerique (ſaltem quoad vitia quibus ſtudent: duriores enim ſunt in non ſuis) ſi non licet pro toga talari habitum gerere prope ſæcularem; plura, ubi ſat pingue ſuppetit, poſſidere beneficia; extra Parochiam, genii recreandi cauſa, reſidere non infrequenter; excurrere in campos venationis ergo; lucrum percipere a pecunia citra periculum data negotiatori; ſæculi morem quoad fucum, ac pectoris nuditatem ſequi; comœdiam & ſpectacula frequentare; detrahere in circulis, detrahentibuſve gratulari, &c. actum eſt de ſalute mundi totius: unique erunt Eremitæ, nec forte ſemper, qui rapiant regnum Cœlorum. Ad hæc nos olim, rurſumque nunc, partim cum Chriſto: *Quam lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam!* Partim cum optimæ notæ viro: *Non minus damnaberis, quia damnaberis cum multis*. *Matth. 7. 13.*

Abſit tamen, ut de iis quos tangit objectio, ſiniſtre judicemus. Sui ſunt hodieque, nec id adulatorie dictum, viris forenſibus Yvones, ſui mercatoribus Franciſci, &c. Ex iis vero qui Parochiam non raro frequentant, non pauci tam operoſa urgentium rerum mole oppreſſi ſunt, ut vix aerem trahere permittantur. Interim pio ac ſolerti Confeſſario enitendum, 1. ut tentet per aliquod tempus pœnitens, an non plura poſſit, quam hactenus potuiſſe credidit; 2. ut ſervile quodcumque opus abigat, niſi aliud cogat neceſſitas; 3. ut operæ etiam liberali, nonniſi juſtos intra limites indulgeri ſinat; prout diximus alibi.

Conclusio III. Fideles religioſo animi corporiſque ſitu ſacro intereſſe tenentur.

Prob. quia ſitum hunc poſtulat & ſuprema Dei vere præſentis majeſtas, coram qua tremunt Poteſtates; & hominis, qui, etſi forte ceteris mortalibus jura daret, ſtat coram Domino ſuo, vilis & infima conditio; & ipſa, quæ quiſque poſtulaturus venit, bonorum natura. Sed de his jam in Tractatu pluries indicato pag. 696. Hic tamen quædam variis e Conciliis excribenda duximus, quorum ope revinci poſſint, qui ubicumque pullulant, immodeſti Miſſæ auditores.

Tridentinum Seſs. 22. Cap. *De obſervandis*, &c. ad calcem Canonum ſic habet: *Si neceſſario fatemur, nullum aliud opus adeo ſanctum ac divinum a Chriſti Fidelibus tractari poſſe, quam hoc ipſum tremendum Myſterium .... ſatis etiam apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quanta maxima fieri poteſt interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotione ac pietatis ſpecie peragatur ..... Neminem præterea qui publice & notorie criminoſus ſit, aut ſancto Altari miniſtrare, aut ſacris intereſſe permittant: neve patiantur .... ſanctum hoc ſacrificium a Sæcularibus aut Regularibus quibuſcumque peragi, niſi prius qui interſint, decenter compoſito corporis habitu declaraverint, ſe mente etiam ac devoto cordis affectu, non ſolum corpore adeſſe.*

Concilium Mediolanenſe IV. ſub S. Carolo tit. 10. *De his quæ pertinent ad ſanctum Miſſæ ſacrificium*, hæc ſtatuit: *Cum Sacerdos ad Altare acceſſerit, Miſſæ ſacrificium facturus, Clericus, qui tunc illi miniſtraturus eſt, ubi alius non ſit qui hoc officium præſtare poſſit, circumſpiciat modeſte aſtantes; & ſi quempiam animadverterit marem vel feminam incompoſito corporis habi-*

habitu .... cum injuria vel irreverentia ſanctiſſimi illius ſacrificii intereſſe, moneat graviter, ut opus erit. Neque Sacerdos ante Miſſæ initium faciat, quam omnes qui adſunt, decenter compoſito corporis habitu, &c. ut in Tridentino.

Concilium Turonenſe an. 1585. tit. 15. plura præſenti de re ſtatuit, quæ & Paſtoribus & populis inſervire poſſint: unde hæc tametſi paulo prolixiora hic referenda duximus. Sic ergo loquitur: *Sanctorum Patrum*
Tom 15. Conc. p. 1034. *antiqua Decreta renovantes, omnibus & ſingulis Chriſti Fidelibus, ſuis Miſſis Paræcialibus & aliis ſuarum Paræciarum divinis Officiis, ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis intereſſe diſtricte præcipimus: a quibus ſi per tres dies Dominicos continue ſequentes, illos abeſſe contingat, niſi legitimo impedimento retineantur, pœnas a ſacris Canonibus indictas incurrere declaramus; quod illis ſui Rectores & Confeſſarii ſæpius inculcare non omittant ...... Ut vero in Eccleſia ſeſſionum decens ordo ſervetur, ſancimus Laicis, dum divina peraguntur Officia, non licere Chorum præcipue Cathedralium Eccleſiarum ingredi, & inter Eccleſiaſticos ſedere: minuſque dum Sacerdos ſacris operatur, Altaris ambitum cancelloſve ingredi; aut aliis Altaribus, minime ſeptis & ambitis, hærere: Mulieres ab ingreſſu dicti Chori, non tantum Cathedralium, ſed etiam Collegiatarum, Monaſteriorum & aliarum quarumcumque Eccleſiarum arcentes. Nemo vero in quacumque Eccleſia ad animi ſui arbitrium, ſed pro ſuo ſtatu ac qualitate locum occupet.*

P. 1035. Et infra: *Cum nos doceat Apoſtolus, mulierem non velato capite orantem deturpare caput ſuum .... Minimeque eam deceat tortos habere crines & pectus ſuum nudare; non tantum virgines, ſed etiam mulieres, ne ſui decoris & officii omnino oblitæ videantur, intortis crinibus, ac niſi velatis capitibus & pectore, potiſſimum in Eccleſia, incedere prohibemus: Indignum eſt enim mulieres Chriſtianas, quas decet cum verecundia & ſobrietate ornatas, pietatem per opera bona profiteri, meretricio more intortis crinibus, nudatis capitibus & pectore, ſe velut nundinarias populo exponere.*

At cum mollis corporis cultus in femina Chriſtiana damnandus ſit, multo certe magis in viro, qui caput mulieris eſt, damnari debet. Ideoque ex Concilii generalis Conſtantinopolitani, in Trullo habiti, Decreto, excommunicationi ſubjacere eos omnes definimus, qui capillos ad videntium detrimentum ſcite excogitatis nexibus adornant & componunt, & infirmis animis eſcam ea ratione objiciunt. Ne vero prohibitio noſtra tum viros, tum mulieres lateat, hanc illis per Parochos in ſuis Pronis, & Eccleſiaſtici in ſuis Concionibus, etiam cum dura & importuna, ſi opus ſit, increpatione ſignificari volumus & increpari.

Statuit etiam hæc Synodus, ne qui colloquia ſua in atrio alicujus Eccleſiæ conſtituant habenda; merceſve in Cœmeterio venales exponant, &c.

Prohibemus Laicis, ne in Eccleſia, potiſſimum durantibus divinis Officiis, deambulent, ſub pœna excommunicationis, quam contra eos, qui moniti non deſtiterint, per Ordinarios denuntiari volumus & mandamus.

Jubemus quoque, ut Sacerdotes Chriſti Fideles moneant, quando ad Eccleſiam conveniunt, ut ſine ſtrepitu ac tumultu eam ingrediantur; in qua etiam, quamdiu orationis cauſa morantur, nequaquam inanes inter ſe habeant confabulationes: illo enim tempore, Divis Chryſoſtomo & Ambroſio Auctoribus, quo Miſſarum ſolemnia celebrantur, non ſolum ab otioſis & inutilibus verbis, verum etiam a pernicioſis cogitationibus prorſus eſt abſtinendum.

En

Digitized by Google

En leges, quæ quo plus ſanctæ auſteritatis habent, eo plus in praxi cautionis & prudentiæ requirunt. Cavendum utique Sacerdoti, ne vividiori zelo indulgens, ſibi, ſuoque miniſterio parum conſulat, ea præſertim noſtra ætate, qua langueſcit Religio, & facile apud plures in culpam veniunt Miniſtri ejus. Fuit, me conſcio, qui ab ara recedere voluerit, niſi mulier quædam admodum juvenis (hodie enim nubunt pene infantes) in genua procumberet, & hæc tamen uterum gerebat. Erit alia crinibus intortis, ſed quia ſic præcipiet maritus ferox, cui ne in graviora proruat, obſequendum in levioribus, &c.

An novi reus fiat ſceleris, qui in habitu peccati Miſſam audit, expendimus in Tractatu pluries jam citato.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Sacerdotum obligationibus.

SAcerdotum obligationes relative ad Miſſam, aliæ ſacrificii oblationem præcedunt, aliæ ſtipant, aliæ ſubſequuntur. In primo ordine recenſeri poſſunt immunitas à gravibus peccatis, Matutini & Laudum recitatio, lex jejunii naturalis, obligatio ipſa celebrandi, honorarii recipiendi facultas, & immediata ad ſacrificium præparatio. Ad ſecundum referuntur intentio intentioniſque modus, neceſſitas Miniſtri ſacro inſervientis, Rubricarum praxis accurata quoad locum, tempus, modum recitandi, omnes demum cæremonias. In tertio eſt actio gratiarum. De immunitate a gravibus noxis, & de jejunio diximus ſupra cap.6. De recitatione Matutini & Laudum in Tract. de Religione, cap. 3. De ceteris agendum in præſenti; ſed ordine pauliſper immutato. *Tom. 2 pag. 117 Edit. nov.*

SECTIO PRIMA.

An & quando Sacerdotes celebrare teneantur.

SAcerdotum alii ſolum dignitatis ſuæ characterem habent; alii curam animarum in Parochiis; alii demum Beneficio ad Miſſarum celebrationem fundato mancipati ſunt. De his omnibus quæritur, 1. an identidem per annum celebrare debeant; 2. an in die pluries celebrare poſſint; 3. an privatim. Primam tantùm difficultatem expendimus in præſenti.

CONCLUSIO I. Laudabilius eſt ſæpe celebrare, quam raro, etſi autem nulla lege præcipitur quotidiana celebratio ſimplicibus Presbyteris, peccant graviter qui numquam, aut fere numquam celebrant. Tres ſunt partes.

Prob. 1. pars: 1. quia frequens Miſſæ celebratio frequentem Euchariſtiæ uſum importat: atqui per ſe loquendo, laudabilior eſt communio frequens, quam rarior, uti ſupra probatum eſt.

2. quia, ut ait poſt venerabilem Bedam S. Bonaventura Lib. de præparat. ad Miſſam, cap. 5. qui raro celebrat, *quantum in ipſo eſt privat SS. Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos ſubſidio & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpeciali beneficio, & ſe ipſum medicina & remedio contra quotidiana peccata & infirmitates:* at quibus tandem bonis operibus jacturam tantam compenſabit homo? *T.7.p.98.*

3. idem

Digitized by Google

3. idem confirmat S. Antoninus 3. part. tit. 13. cap. 6. §. 15. tum ex mira ſuavitate Myſterii hujus: *Quantæ enim jucunditatis & dulcedinis eſt*, ait, *tantæ rei Sacramentum verbo conficere, habere præ oculis, contrectare manibus, ore ſumere, & aliis miniſtrare*? tum ex periculo cui ſe ſe objiciunt Miniſtri raro vel nunquam celebrantes: *De facili*, inquit, *irregularitas, vel infirmitas, vel alius defectus, aut impedimentum poterit occurrere; ita quod diu aut forte nunquam celebrare continget*.

4. idipſum confirmat vulgata Sanctorum pene omnium praxis: etſi enim fuere, quos tremor ſanctus a celebrando deterruit, fuere impendio plures, qui, quoad potuere, ſacris operati ſunt: iique ut plurimum, de Chriſtiana Republica præſtantius meriti fuere, ut Franciſci, tum Xaverius, tum & Saleſius, Carolus Borrom. Vincentius a Paulo, Berullius, qui inter Sacra ſpiritum emiſit, &c.

Prob. 2. pars: 1. quia ſi Sacerdos ſimplex quotidie celebrare teneretur, vel divina lege, vel Eccleſiaſtica: atqui nulla extat hujuſmodi lex; 2. quia multi Sacerdotes, pii etiam & timorati, interdum aliquo vel etiam aliquibus diebus a celebrando abſtinent, ne rei aſſiduitas in faſtidium degeneret.

Atque hæc non de ſimplici ſolum Sacerdote, ſed de Parocho etiam vera ſunt. Sicut enim Sacerdos ſimplex non tenetur vi Ordinis quotidie offerre, ſic nec Parochus ex vi Beneficii: eſſet enim nimis rigida hæc & oneroſa obligatio. Quamquam is gravius ad celebrandum tenetur, quam ſimplex Sacerdos, etiamſi plebs ſua rureſtribus operis mancipata, ſacro intereſſe non poſſit. Imo & *regulariter* non poteſt *omittere* ſacrificii oblationem *abſque aliqua cauſa*, ait Suarez diſp. 80. ſect. 2.

Prob. 3. pars, tum ex Chriſti verbis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem;* tum ex Apoſtolo Hebr. 5. *Omnis Pontifex ...... pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat .... ſacrificia pro peccatis*. Unde ſic: Qui ſponte aliquod ſuſcepit officium, tenetur ei ſatisfacere, & quidem ſub mortali, ſi materia gravis eſt: atqui Sacerdos quilibet in Ordinatione ſua ſuſcepit officium celebrandi; ad id enim conſtitutus eſt & ordinatus: aliunde materia hæc, niſi ab impio pro levi haberi non poteſt.

Confirm. quia citata Chriſti verba: *Hoc facite*, &c. continent verum offerendi ſacrificii præceptum, ſecundum id Tridentini Seſſ. 22. cap. 1. *Apoſtolis, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite*, &c. Porro, quidquid contendant aliqui, præceptum iſtud, non in ſolam Communitatem cadit, ſed in Sacerdotes ſingulos: 1. quia non dicit Synodus: Eorumque in Apoſtolatu, aut Apoſtolico munere, bene vero, *Eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus;* quæ verba non eos tantum qui Communitati præſunt, & per ipſos Communitatem, ſed Sacerdotes ſingulos reſpiciunt; 2. quia idem præceptum Apoſtolos omnes indubie afficiebat; ergo ſicut quando præcepit Chriſtus ut Apoſtoli omnes ſacrificium offerrent, haud præcepit tantum, ut in ea cui præeſſent Communitate offerretur, bene vero ut offerretur a ſingulis; ita & a pari quantum ad Sacerdotes.

Prob. 2. ex S. Thoma q. 82. art. 10. ubi ſic: *Quidam dixerunt, quod Sacerdos poteſt omnino a conſecratione licite abſtinere, niſi teneatur ex cura ſibi commiſſa celebrare, & populo Sacramenta præbere: ſed hoc irrationabiliter dicitur*,

quia

quia unuſquiſque tenetur uti gratia ſibi data, cum fuerit opportunum: opportunitas autem ſacrificium offerendi non ſolum attenditur per comparationem ad Fideles Chriſti, quibus oportet Sacramenta miniſtrari; ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui ſacrificium offertur. His verbis non parum roboris accedit ex proxime citanda Cajetani cenſura.

Confirm. ex Tridentino Seſs. 23. de reform. c. 14. *Curet Epiſcopus, ut Sacerdotes, ſaltem diebus Dominicis & Feſtis ſolemnibus, Miſſas celebrent:* atqui ſi Miſsæ celebratio ſit reſpectu Sacerdotum opus ſupererogationis, ſit mirum eſt, quod eam ab Epiſcopis urgeri velit Concilium. Quod enim dicunt nonnulli curam hanc Epiſcopis imponi ad Fidelium commoditatem, gratis & inepte dicitur. Nimirum vero Synodus Miſsam non præſcribit expreſse, niſi Dominicis diebus, & ſolemnibus Feſtis: atqui ſi una inſpiceretur Fidelium opportunitas, lex ea ad alias etiam inferioris gradus ſolemnitates extendi debuiſset; cum & in iis etiam Fideles Miſsam audire teneantur.

Confirm. iterum, quia cum Cajetanus in citatum D. Thomæ textum ſcripſiſset, Sacerdotem, qui ſacris raro aut nunquam operatur, venialiter tantum delinquere, doctrinam hanc ex ipſius Commentario expungi juſſit Pius V. immediatus Tridentini Decreti executor.

Quod autem reponunt aliqui, opinionem hanc a Pio abradi juſsam, quia adverſaretur D. Thomæ, cujus interpretem agebat Cajetanus: id, inquam, duplici ex capite nutat, 1. quia non definit expreſse S. Thomas, an ea celebrandi obligatio gravis ſit, an tantum intra venialis culpæ limites ſiſtat; 2. quia pari jure viderentur delenda fuiſse cetera in quibus a S. Doctore diſcrepat Cajetanus.

Confirm. ex variis Conciliis, quæ Tridentini mentem ſecuta ſunt. Mediolanenſe I. ſub S. Carolo Borom. habitum an. 1565. part. 2. tit. 15. ſic ſancit: *Epiſcopus Dominicis & reliquis Feſtis diebus, niſi jure impediatur, Miſſam celebret. Tridentini etiam Concilii auctoritatem ſecuti præcipimus Sacerdotibus reliquis, cujuſcumque gradus, conditionis & dignitatis illi ſint, ut iiſdem diebus Miſſam celebrare ne omittant: Curatis vero, ut præterea ter in hebdomada, aut eo etiam ſæpius, quo vel loci conſuetudo, vel neceſſitas crebriorem divini ſacrificii uſum poſtulabit.* Tom. 15. Conc. p. 271.

Remenſe an. 1583. tit. de Euch. n. 8. *Sacerdotes non tantum diebus ſolemnibus, ſed etiam Dominicis, ſæpiuſque, ſi fieri poteſt, ſacrificent.* Ib. p. 893.

Toloſanum Provinciale an. 1590. cap. 4. nu. 1. *Sacerdotes omnes, quocumque honore inſigniti ..... ſint, Dominicis feſtiſque diebus, niſi juſto aliquo præpedimento avocati fuerint, Miſſæ ſacrificium celebrent.* Ibid. pag. 1387. E.

Ex his colliges, gravis peccati ſuſpectos eſse tot Sacerdotes, qui ſemel in anno, ideſt annuæ communionis tempore, celebrant, ne ſcilicet ipſis etiam laicis, quibus curæ eſt Paſchali quindena ad ſynaxim accedere, pejores videantur. Certe non ideo a publicis Reipublicæ oneribus immunes ſunt, & Eccleſiaſticis privilegiis fruuntur, ut otio diffluant, & cupiditatibus ſuis vacent; ſed ut divinis rebus intenti, veſtibulum inter & altare, ipſoque in altari identidem ad minus, populum inter & Deum mediatores agant. Quod ſi omittunt, nullum habet Reſpublica hominum genus tam inutile, tam ſuperfluum, ne dicam tam exitiale, ut late oſtendit S. Bernardus Tract. de vita & moribus Clericorum.

Et vero Innocentius III. in Concilio Lateran. & refertur cap. *Dolentes* 9. *De celebrat. Miſſar. Sunt*, inquit, *alii* Eccleſiarum Prælati & Sacerdotes, *qui Miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno, & quod deterius eſt, intereſſe contemnunt .... Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis inhibemus:* atqui ut hic notat Merbeſius 3. part. ſuſpenſionis pœna mortalem culpam arguit; ergo, ait idem ibid. q. 21. *Nemini Sacerdoti dubitare licet, quin Dominicis & reliquis Feſtis diebus, & præſertim in ſolemnioribus, quales ſunt dies Nativitatis Chriſti, dies Reſurrectionis, Feſtum Aſcenſionis, dies Pentecoſtes, ſolemnitas Corporis Chriſti, Feſtum Sanctorum omnium, & præcipua Virginis Deiparæ Feſta, Annuntiatio, Purificatio, Aſſumptio & Nativitas ...... offerre debeat* (*ad evitandum peccatum lethale*) *niſi legitimo quopiam impedimento ſacris operari probibeatur*.

Merbeſ. pag. 427.

Obj. 1. S. Hieronymus, tametſi Presbyter, nuſquam ſacris operari voluit; ergo qui timidam ejus humilitatem imitantur, redargui non debent. Conſequentia patet. Antecedens autem probatur ex Epiſtola S. Epiphanii ad Joannem Jeroſolymitanum, in qua S. Salaminis Archipræſul factam a ſe in aliena Diœceſi Pauliniani B. Hieronymi fratris ordinationem hinc excuſare nititur, quod alioqui Bethleemitani Solitarii Miſſa omni carituri eſſent, quia *ſancti Presbyteri Hieronymus & Vincentius propter verecundiam & bumilitatem nollent debita nomini ſuo exercere ſacrificia*.

R. 1. Hieronymum, etſi in Monaſterio ſuo Miſſas non fecerit, alibi facere potuiſſe, puta vel Romæ ubi per triennium commoratus eſt, vel Conſtantinopoli, ubi aliquandiu Gregorium Nazianzenum audiit, &c. Quod autem in Monaſterio ſuo cautior fuerit, factum eſt œconomiæ gratia, ne videlicet Joannem Jeroſolymitanum, ſibi, ſuiſque jam infenſum, & a cujus tandem Communione diſceſſit, magis ac magis commoveret. *Certe*, ait in Epiſt. ad Pammachium, *quinque Presbyteri erant in Monaſterio, qui ſuo jure poterant baptizare, ſed noluerunt quidquam contra ſtomachum* Joannis *facere*. Et vero Hieronymum de facto celebraſſe probat Surius in ejus vita num. 22.

Tom. 4 pag. 333

R. 2. inſolitam paucorum agendi rationem, quam ut bonam in partem interpretemur, facit virtus eorum non vulgaris, in exemplum trahi non debere. Neque enim quia Sanctæ quædam in ardentes rogos inſiliere, continuo ſimile quidpiam licere credemus. Communi igitur regulæ, ut in ceteris, ſic in præſenti capite inhærendum, ſecundum id Ambroſii apud D. Thomam hic q. 83. art. 10. *Grave eſt, quod ad menſam tuam mundo corde & manibus innocentibus non venimus; ſed gravius, ſi dum peccata metuimus, etiam ſacrificium non reddamus*.

R. 3. iis qui, non dico verecundiam, ſed mollitiem ſuam Sanctorum exemplo tegunt, ponderandum eſſe ſedulo id S. Bernardi Epiſt. 91. n. 3. *Si Sanctis & bonæ memoriæ Patribus gloriantur, imitentur certe ſanctitatem, quorum indulgentias diſpenſationeſque pro lege defendunt*.

Obj. 2. Obligatio celebrandi nec divina lege, nec Eccleſiaſtica nititur; ergo.

R. neg. ant. contrarium patet ex probationibus noſtris, quarum prima legem etiam naturalem hic ſubeſſe oſtendit.

Inſt. Sacerdoti in ordinatione non minus traditur poteſtas excipiendi confeſſiones, quam celebrandi: atqui tamen ſimplex Sacerdos ad audiendas

das confeſſiones non tenetur. Atque hinc Clementina, *Ne in agro* 1. *De ſtatu Monach.* optat Monachos ad ſacerdotium promoveri, etiamſi nulla ſubſit ſpes eoſdem hierarchicis, quæ ab Epiſcopo pendent, functionibus operam daturos.

R. neg. maj. poteſtas enim abſolvendi, ſicut & prædicandi, requirit juriſdictionem, quam Epiſcopus pro libito diſpenſat, gregis ſui portionem hujus vel illius curæ demandando: At vero poteſtas celebrandi in ordinatione ſacra completiſſime traditur in ordine ad cultum Dei, & expiationem delictorum Chriſtianæ plebis. Quemadmodum igitur peccat, qui gratiam Dei in vanum recipit, ſic & ſuo in genere peccat, qui acceptam Ordinis gratiam præ ſocordia negligit.

Obj. 3. Nemo privilegio & favore ſibi conceſſo uti tenetur: atqui celebrandi poteſtas quoddam eſt privilegium, quidam & favor Sacerdotis.

R. neg. maj. quæ tametſi vera in privilegiis puris, fallit in iis quæ onus certum ſibi annexum habent. Tale porro eſt privilegium Sacerdotis: hujus enim virtute conſtitutus eſt ad offerenda ſacrificia. Unde S. Thomas in 4. diſt. 13. q. 1. art. 2. *Quia ſecundum Gregorium, cum creſcunt ſive augentur dona, rationes creſcunt donorum: cum Sacerdoti data ſit nobiliſſima poteſtas, reus erit negligentiæ, niſi illa utatur ad honorem Dei, & ſalutem ſuam, & aliorum vivorum & mortuorum.*

Obj. 4. Non tenetur ad celebrandum Sacerdos exiſtens in peccato mortali, aut excommunicatione percuſſus; ergo nec alii Sacerdotes: alioqui enim Sacerdos peccator, vel excommunicatus ex culpa ſua commodum reportaret.

R. cum S. Thoma q. 82. art. 10. ad 2. quod *Sacerdos peccator, ſi per ſententiam Eccleſiæ ſit executione Ordinis privatus, vel ſimpliciter vel ad tempus, redditus eſt impotens ad ſacrificium offerendum, & ideo obligatio* offerendi *tollitur. Hoc autem cedit ſibi in detrimentum ſpiritualis fructus, magis quam in emolumentum. Si vero non ſit privatus poteſtate celebrandi, non ſolvitur* offerendi *obligatio: nec tamen perplexus eſt*, ſeu coactus peccare, quidquid faciat; *quia poteſt de peccato pœnitere & celebrare.*

Conclusio II. Paſtores, & alii qui curam gerunt animarum, tenentur ſub gravi per ſe aut per alios Miſſam in loco ad id deputato celebrare, quoties eam audire tenentur ſubditi.

Prob. 1. ex Tridentino Seſſ. 23. de reform. cap. 14. ubi hæc jam ex parte citata legere eſt: *Curet Epiſcopus, ut* Sacerdotes *ſaltem diebus Dominicis & Feſtis ſolemnibus; ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent.*

Prob. 2. Chriſtiana plebs ad audiendam prædictis diebus Miſſam ſtricte tenetur: atqui eo ipſo ad eam celebrandam tenentur, qui plebis hujus curam habent: ſunt enim hæc correlata duo. Et vero quis ad ſacri celebrationem tenebitur, ſi non teneatur qui ad hoc ſuſtentationem & ſtipendium recipit?

Neque vero ſufficit ut Feſtis diebus celebrent Parochi, ſed, aliquando ſaltem, per hebdomadam præſtare id debent, uti ſupra præcipiebat S. Carolus. Nam 1. ut bene Vaſquez, ſi Parochus confeſſiones ſuorum ex ſola etiam devotione factas excipere tenetur; quidni & celebrare teneatur, ut eorum pietati ſatisfaciat? 2. an mediatoris partes pie & tenere adim-

plet, qui populi ſui neceſſitates tunc tantum Deo repræſentat, cum aliud citra ſcandalum agere non poteſt? 3. ſi juge ſuum ſacrificium ex divino præcepto habuit ſynagoga, non utique decet, ut in præcipuis Eccleſiis, quales ſunt Parœciales, par cultus Deo deſit tota ferme hebdomada, prout apud nimio plures contingit. Hinc Cyprianus Epiſt. 54. ad Cornelium: *Sacerdotes nos, qui ſacrificia Dei quotidie celebramus, hoſtias Deo & victimas* in Martyribus *præparemus*, & Ep. 61. *Decimas ex fructibus accipientes* Clerici, *ab Altari & ſacrificiis non recedant*. Præiverat Irenæus Lib. 4. adv. hæreſ. cap. 18. alias 35. his verbis: *Nos Deus offerre vult munus ad Altare frequenter & ſine intermiſſione*.

Conclusio III. In Eccleſiis tam Cathedralibus & Collegiatis, quam Regularibus Miſſa quotidie celebrari debet.

Prob. 1. pars, tum ex praxi, quæ vim habet legis; tum ex cap. 11. *De celebrat. Miſſar.* ubi mandat Innocentius III. ut in ſingulis Collegiatis *Miſſarum ſolemnia conventualiter, pro Feſto vel feria, ſecundum temporum congruentiam* celebrentur. Porro, ait Reginaldus Lib. 29. n. 168. *eſſe obligationem* hanc *ſub mortali intelligitur ex eo quod verſetur in re gravi, utpote multum pertinente ad commune bonum Fidelium; cujus gratia prædictis Eccleſiis aſſignati ſunt reditus ad ſuſtentationem Eccleſiaſticorum celebrantium divina Officia, qui non ſatisfacientes tali muneri, tanquam perverſe agentes, ſcandalizant eos ipſos Fideles, niſi habeant aliquod juſtum impedimentum*. Unde neceſſum eſt ut *quotidie in his Eccleſiis* offeratur *ſacrificium, ſi conveniens, ſeu mediocris ſit Sacerdotum numerus*.

Prob. 2. pars de Regularibus; quia iidem exigere ſolent eorumdem Statuta, aut quæ Statutorum vim habet antiqua conſuetudo. Hæc enim ſi deſint, exiſtimant plures, ut Vericelli Tract. 8. q. 30. qq. Moral. & Legal. Suares hic diſp. 80. ſect. 2. concl. 2. Bonacina, &c. Conventualem Miſſam ſine peccato omitti poſſe. De his adi Fromageau v. *Meſſe*, caſ. 14. ubi ſtatuit Eccleſiam Collegiatam, etiam pauperem, non poſſe, tametſi dotis fundi magna ex parte perierint, Conventualem Miſſam pro aliis privatis fundationibus exolvere. Collegialis enim Miſſa, cujus potiſſimum cauſa Canonici conſtituti ſunt, obſtricta manet tum Canonicis ipſis, tum Fidelibus, tum & iis præſertim qui Eccleſiam fundavere.

Conclusio IV. Capellanus celebrare tenetur quoties, ubi, & quando præſcribit fundatio.

Prob. tum quia pacta conventa ſervari debent; tum quia *neceſſe eſt ut defuncti diſpoſitio modis omnibus conſervetur*, ait S. Gregorius ad Januar. Caral. Epiſt. 20. Lib. 9.

Dices, duo hinc ſequi abſurda, 1. eum qui in alia Eccleſia, imo & minori Eccleſiæ ſuæ Altari Miſſam fecit, quam ad majus Altare facere debuerat vi fundationis, peccare, quin & ad novam teneri celebrationem, ut obligationi ſuæ ſatisfaciat; 2. eum qui per octo aut decem dies febri laborat, Miſſas quas tunc temporis omiſit, ſupplere debere: atqui utrumque rigidius videtur, & pene Judaicum.

R. ad 1. negant plures, ut Lugo, Quarti, &c. eſse in primo caſu obligationem reſtituendi, niſi forte quis vel majus receperit ſtipendium, ut longius iret, quia tunc tenetur de exceſsu; vel omiſerit celebrare in Altari privilegiato: quia ceteroqui nihil perdidit Fundator. Conſultus tamen ea de re

Sam-

Digitized by Google

Sambovius an. 1671. adegit ad novarum Miſſarum celebrationem, eum qui in alio, quam quod a Fundatoribus conſtitutum eſſet, Sacello Miſſas celebrari curaverat; tum quia alioqui ſenſim *depereunt piæ teſtantium voluntates*, ut loquitur Tridentinum Seſs. 22. de reformat. cap. 4. tum quia graviter ſcandalizantur Fideles, cum pie inſtituta & acceptata pro nihilo duci conſpiciunt. Atque hinc qui mitius ſentiunt, ut Lugo diſp. 21. nu. 36, loci mutationem a peccato mortali non excuſant, niſi raro fiat. Quod ſi accederet rationabilis loci mutandi cauſa, puta ſi præfixum Altare jam occupatum ſit, nec moram ferant urgentia quædam Celebraturi negotia, vacaret etiam a veniali; quia rationabiliter præſumi poteſt, Fundatorem, ſi viveret, id eſſe permiſſurum; præſertim cum Altare ſolum mutatur, non item Eccleſia. Cavendum tamen ne latius extendatur præſumpta Fundatorum voluntas. Tom. 3. in 4. pag. 264. caſ. 77.

Quod ſpectat ad ſolam Altaris mutationem, diſtinguere ſolent Theologi. Vel enim, inquiunt, hoc Altare deſignatum eſt a Fundatore, aut iis qui ſtipendium dederunt, ob cauſam gravem ſeu in ſe, ſeu in opinione Fundatoris, puta ob ſpecialem hujus Sancti, hujuſve imaginis cultum, aut memoriam familiæ, quæ Altare illud erexit; & tunc Altaris variatio grave erit peccatum, quia graviter opponitur Fundatorum voluntati, quæ locum legis habet; niſi id raro fiat, ut in præcedenti caſu dicebamus. Vel Altare illud ex mero arbitrio, abſque ſpeciali fine, aut fine jam indifferenti præfixum eſt; puta quia commodior eſſet locus familiæ jam extinctæ, aut alibi commoranti; & tunc, ait ibid. Lugo, quem ſequitur Quarti in Append. de Sacrificio, qu. 4. punct. 4. *facilius poterit excuſari a peccato gravi variatio Altaris intra eamdem Eccleſiam. Si* enim *in alia Eccleſia celebrentur illæ Miſſæ, videtur jam fieri in præjudicium prioris Eccleſiæ, cui acquiſitum fuerat illud jus*. Quod ſi, pergit laudatus Cardinalis, Altare præfixum, non ſit privilegiatum, ideſt habens indulgentiam, vi cujus, quoties in eo celebratur, liberetur anima e Purgatorio, Sacerdos qui in alio ejuſdem Eccleſiæ Altari privilegiato celebrabit, melius debito ſuo ſatisfaciet, atque utilius conſulet Fundatori: modo tamen Fundator in deſignando primo Altari non reſpexerit ad cauſas ſupra memoratas: tunc enim regulariter ſervandum quidquid ille præſcripſerit.

Ex dictis facile ſequitur mortaliter delinquere, qui cum petitur Miſſa in Altari privilegiato, alibi celebrat; quia haud modica videtur fieri injuria, tum petenti, tum & iis pro quibus petitur.

R. ad 2. Vel onus quotidianæ Miſſæ Capellano impoſitum eſt ratione loci alicujus, in quo Fundator voluit quotidie celebrari; vel ſine reſpectu ad locum. Si 1. Capellanus diebus ſingulis, nullo, præter poſtremos tres Majoris hebdomadæ, dempto, vel per ſe, vel, ſi legitimo impedimento morbo v. g. detentus fuerit, per alium celebrare debet. Si 2. obſervandum adhuc quid ferat contractus fundationis. Si enim in eo pactum ſit ut Beneficiarius per ſe vel per alium quotidie celebret, nulla dies ſine ſacrificio prætermitti debet. Si autem Capellanus ſimpliciter aſtringitur ad quotidianam Miſſam, Fundatoris intentio ea fuiſſe merito præſumitur, ut id fieret 1. *ſalva honeſtate & devotione* Sacerdotis, adeo ut ei a celebrando abſtinere liceret, cum id pietas & reverentia exigere videntur, prout expreſſe tradit Alexander III. Cap. *Significatum* 11. *De Præbendis*; 2. ſalvo etiam infirmitatis corporeæ caſu, ut ibid. tradit Alexander. Si enim

modicæ etiam virtutis herus ſtipendia famuli ſui haud minuere ſolet, quia is brevi ægritudine detentus ſit, æquum non eſt ut durius agatur cum Chriſti Miniſtro, quem corporalis infirmitas una vel altera hebdomade ab Officio ſuo deturbaverit. Si tamen diutius perduret ægritudo, ſubſtituendus erit qui infirmi vices gerat, niſi excuſet tenuitas Beneficii. Hæc Habertus.

Crediderim nihilominus, tenuitatem Beneficii certo etiam loco aſtricti idoneam pariter cauſam eſſe, cur Capellanus per ſe aut per alium non teneatur repetere Miſſas, quas per decem aut quindecim dies aut eo plus ob infirmitatem omiſerit; tum quia de hac Beneficii ſpecie loquitur Alexander III. cit. Cap. 11. *De Præbend.* tum quia iniquum eſt, ut qui ſanus vix habet unde vivat, æger careat neceſſariis: ita Collator Andegavenſis, qui tamen vult ut in his occaſionibus ad Epiſcopi judicium recurratur, ne quid temere fiat. Etſi autem concedam Beneficiario, ut identidem a ſacro, ad quod ceteroqui ſingulis diebus tenetur, abſtineat, ſive ex reverentia, ſive etiam * ut pro propinquorum ſuorum aut Eccleſiæ neceſſitatibus celebret; haud tamen velim, ut vel ab eo abſtineat, *ſive cauſa voluptatis, ſive ad aliam Eccleſiam transferendo;* ſive ut pro alio quopiam accepta mercede celebret: Fundator enim jus habet, ut totius anni ſacrificia in ſui gratiam celebrentur; & ad ſummum juri huic renuntiat, vel ne Miniſtri pietatem continua celebratione obruat; vel ne Sacerdos pro patre v.g. aut matre nuper defunctis Miſſam ſpecialiter applicare non poſſit, quod æquo durius videtur, iis videlicet, qui aliam a noſtra de ſacrificii valore opinionem habent; ergo quidquid ultra hæc eſt, pro ſe exigere præſumitur.

Coll. And. de Sacrif. p. mihi 90.

* *Id. ibid. Alexand. III. ſupra.*

Quæres 1. quid facto opus, ſi celebrari non poſſit in loco ad id præfixo, vel quia violatus ſit, vel quia corruerit, vel quia claves deperditæ ſint.

R. manere interim obligationem celebrandi, quæ quo meliori poteſt modo in Eccleſia vel Sacello viciniori adimpleri debet. Ratio eſt, 1. quia legitime præſumitur Fundatorem intendiſſe id quod ſibi utilius erat: nec jam libertatis ſuæ compos eſt Sacerdos, ut qui eam ex ſtipendio aſtrinxerit; 2. quia in cap. *Nos quidem* 3. *De Teſtamentis*, præcipit Gregorius IX. ut Monaſterium, quod in loco per teſtatorem deſignato conſtrui non poteſt, alibi ædificetur; ergo a pari.

Ceterum ſi multum effluere debeat temporis priuſquam in loco præfixo ſacra facere liceat, puta ſi Eccleſia, vel tota, vel maxima ſui pars corruerit, interrogandus eſt Epiſcopus, cujus eſt defunctorum voluntates interpretari.

Quæres 2. an tempus Miſſæ certis diebus affixæ variari poſſit, an v.g. Feria II. aut V. eas celebrare liceat, quæ Feriæ VI. vel Sabbato affixæ ſunt.

Lugo ib. n. 43. R. vel hæc temporis determinatio *ſine myſterio* facta eſt, ut ſi nihil aliud intenderit Fundator, quam ut bis vel ter per hebdomadam pro ſe ipſo celebraretur; vel ex cauſa pia facta eſt, ut ſi paſſionem Feria VI. Deiparam autem Sabbato ſpeciali cultu honorari voluerit. Si 1. dempta Fidelium offenſione non videtur reus qui diem diei ſubſtituit. Si 2. gravius peccabitur. Tametſi vero cenſet Lugo, haud facile in hoc caſu mortaliter peccari; eo quod materiam habeat pro parva; *præſertim*, inquit, *ſi id cum cauſa & non multum frequenter fiat;* multo tamen conſultius

tius eſt ut pacta conventa adamuſſim obſerventur .˙ Sequitur ex ſupra dictis.

Hinc colliges eum qui Miſſas quindecim in menſe celebrare tenetur, poſſe aliquando triginta, nimirum quindecim pro hoc menſe & quindecim pro futuro celebrare. Poterit quidem, ſi Fundator id unum intenderit, ut tot Miſſæ in honorem Dei, aut ſui ipſius requiem celebrarentur: ſi quidem anticipata debiti ſolutio non nocet, ſed prodeſt creditori. Non poterit vero, ſi id vel in Sacelli detrimentum cedat, ut ſi Fundator perpetuum quodammodo cultum in Capella ſua foveri voluerit; vel in Communitatis præjudicium, ut ſi ſingulis menſibus pro defunctis hujus Parochiæ celebrandum ſit: tunc enim efficit anticipatio, ut qui hebdomada ſequenti decedunt, debito ſibi ſubſidio fraudentur.

Quæres 3. an qui ex fundatione vel ſtipendio debet Miſſam Feria VI. vel Sabbato, compenſare eam teneatur, quam die Paraſceves, vel, juxta locorum morem, Sabbato Sancto non celebravit.

R. Miſſas quæ ob fundationem debentur, non debere ſuppleri; quæ autem ex ſtipendio, ſi ad plures annos impoſitæ non fuerint eſſe ſupplendas. Ratio primæ partis eſt, quia Fundator non aliam exegit celebrationem, quam quæ in Eccleſia permiſſa eſt: Eccleſia autem die Paraſceves celebrari non patitur. An in Sabbato Sancto expendemus infra. Ratio partis ſecundæ hæc eſt, quod qui ſtipendium dat pro Miſſis determinata die ad tempus non adeo longum celebrandis, de certo Miſſarum numero paciſci videtur: unde non magis ad dies impeditas, quam ad futuram forte Sacerdotis ægritudinem attendiſſe præſumendus eſt. Aliud eſt cum Miſſæ ad plures annos certæ diei affixæ ſunt: tunc enim omiſſio Miſſæ unius in die prohibita non habetur moraliter pro vera omiſſione.

Quæres 4. an ſi celebrandi impedimentum proveniat ab Eccleſiæ interdicto, aut ceſſatione a divinis, Miſſas ſuppleri oporteat.

R. de impedimento extrinſeco, quale eſt quod ab Interdicto aut ceſſatione a divinis provenit, idem ferri debere judicium ac de impedimento intrinſeco, quale eſt quod a celebrantis ægritudine provenit. Unde ſi interdictum aut ceſſatio a divinis diu perdurent, curandum eſt ut Miſſæ vel hic & nunc in alio loco ſuppleantur, vel ſaltem poſt interdicti deſitionem. Si vero utrumque poſt octo aut quindecim dies ceſſaverit, non videtur opus eſſe compenſatione, niſi aliud ferant termini fundationis.

SECTIO SECUNDA.

An pluries in die, vel ſemper celebrare liceat.

QUæ ad hanc ſpectant materiam triplici Concluſione definiemus.

CONCLUSIO I. Moris olim fuit ut pluries in die ſacrum fieret.

Prob. 1. ex Theodoreto Epiſt. 145. ubi ſæculi ſui, quinti videlicet, morem ſic paucis refert. *Liturgias in Eccleſia obimus tam ineunte die, quam exeunte.*

Prob. 2. & melius ex Concilio Toletano XII. an. 681. Can. 5. ubi ſic Patres: *Relatum eſt nobis, quoſdam de Sacerdotibus, non tot vicibus communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot ſacrificia in una die videntur offerre*: hic non improbatur repetita celebratio, ſed communionis in Miſſis quibuſdam omiſſio. *Tom. 6. Conc. p.* 1230.

Prob. 3. ex VValafrido Strabone, qui Lib. de Rebus Eccleſ. cap. 21. hæc loquitur: *Fidelium relatione virorum ad noſtram uſque pervenit notitiam, Leonem Papam, ſicut ipſe fatebatur, una die ſepties vel nonies Miſſarum ſolemnia ſæpius celebraſſe: Bonifacium vero Archiepiſcopum & Martyrem ſemel tantum per diem Miſſam feciſſe, qui & non longe ante noſtra fuerunt tempora, & ambo tam ſcientia, quam gradu præcipui*. Pergit VValafridus: *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, dum fides concordet: ut nec ſæpius offerentes æſtiment Deum aliter non poſſe petitiones diſcernere; nec ſemel per diem immolantes putent ſuæ fidei ſubtilitatem, potius quam Superiorum devotionem, divinis acceptam conſpectibus*. De hoc Leonis facto jam diximus ſupra pag. 553.

Prob. 3. ex Conciliis, quæ hanc nimio plurimam Miſſarum una die celebrationem temperare coacta fuerunt. Salegunſtadienſe ad Mœnum non longe a Francofurto, ſic an. 1022. ſtatuebat Can. 5. *Decretum eſt ut unuſquiſque Presbyter in die non amplius quam tres Miſſas celebrare præſumat*. De his adi Thomaſſin. Tom. 3. veteris & novæ Diſciplinæ, p. 270.

Tom. 9. Conc. p. 846.

Ceterum hæc iteratæ celebrationis conſuetudo, nec primitus, nec ſemper & ubique viguit; quode adi Edmundum Martene Tom. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus Lib. 1. art. 3. Mabillon. in Præfat. ad ſæculum II. Ordinis S. Benedicti; item & Præfat. 1. in ſæcul. III. §. 6. n. 52. &c.

Conclusio II. Jure novo vetitum eſt, ne plures ab eodem Miniſtro eadem die Miſſæ celebrentur, dempta Natalis Domini ſolemnitate, niſi accedat Epiſcopi conſenſus.

Prob. 1. ex cap. *Sufficit* 53. *De conſecrat.* diſt. 1. ubi ſic loquitur Alexander II. *Sufficit Sacerdoti unam Miſſam in die una celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit. Non modica res eſt unam Miſſam facere, & valde fœlix eſt qui unam digne celebrare poteſt*. In voce autem, *ſufficit*, contineri prohibitionem pluries quam ſemel in die celebrandi, patet tum ex uſu, qui ambigua legum interpretatur; tum ex verbis ſequentibus, ubi ſic habet idem Pontifex: *Qui vero pro pecuniis aut adulationibus ſæcularium una die præſumunt plures facere Miſſas, non æſtimo evadere damnationem*. Etſi enim quidam inſtar Leonis III. ex devotione ſacrum iterare poterant, dubio procul vereri eſt ne multo plures ſtipendii amore, aut Magnatibus adulandi ſtudio id præſtarent.

Prob. 2. ex Innocentio III. cap. *Conſuluiſti* 3. *De celebr. Miſſar.* ubi, *Excepto*, inquit, *die Nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare*. Idem habet Honorius III. cap. 12. eod. tit.

Obiit an. 1073.

Prob. 3. quia, ut bene Suarez, ſi attenta hominis fragilitate, & humanarum rerum ſollicitudinibus, vix poſſunt ſanctiores ea qua par eſt reverentia ſemel ſacris operari; quantominus poterunt pluries?

Dixi poſt Innocentium III. *excepto die Nativitatis Dominicæ*: norunt enim omnes Sacerdotem magna illa die tres Miſſas celebrare poſſe, dilata tamen ad tertiam Miſſam ſumptione ablutionum, ne celebret minime jejunus. Quod *ſi unicam celebret*, ut, ſecluſo locorum ſcandalo, poteſt, *nocturnam dicit, cum ante auroram celebrat*; ſecundam cum in aurora; *tertiam vero, cum poſt auroram: qui vero duplicem, duas priores, cum ante auroram; duas poſteriores, cum celebrat poſt auroram*. Ita monet Ordo Pariſienſis, quem ſequuntur exteri plures contra Gavantum, qui malebat tertiam dici.

Olim,

Olim, nimirum tempore Amalarii Fortunati, qui circa an. 820. florebat, tres etiam Miſſæ celebrabantur *in feſtivitate B. Joannis, quia tribus inſignibus triumphis excellenter refulſit:* at jam pridem obſolevit ea conſuetudo. *Lib. 3 de Eccl. Offic. c. 38. Bibl PP. T. 14 p. 99. G.*

Dixi 2. *niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat*. Hæ porro afferri ſolent neceſſitatis cauſæ, 1. ſi Paſtor duas habeat Parochias, quæ ob diſtantiam in unum facile convenire non poſſint; 2. ſi talis ſit concurſus populi, ut eum non capiat Eccleſia; 3. ſi Sacerdos poſt communionem, ſed ante ablutionem moneatur imminere dandi infirmo viatici neceſſitatem; deſitque & Hoſtia, & alius qui conſecrare poſſit Sacerdos. Dixi, ſi poſt communionem moneatur: ſi enim moneatur ante ſumptionem Hoſtiæ, debet aliquam ejus partem pro infirmo reſervare; 4. ſi feſta die adveniant perſonæ graves, quas non deceat ſacrum omittere, puta Rex, aut Princeps; 5. ſi Miſſa pro defuncto dici debeat, qua die de feſto dici debet: & hunc caſum expreſſit, nec improbavit Alexander II. cit. cap. *Sufficit*.

Verum etſi hæc inſervire poſſint ubi locorum uſu ſtabilita ſunt, nullius tamen ſunt in his partibus momenti: unde nemo duplex eadem die ſacrum apud nos facere poteſt, niſi de Ordinarii licentia, eaque iis tantum indulgetur, qui ex Sacerdotum defectu duplici præſunt Parochiæ.

An vero iſti in Nativitate Domini tres in unaquaque Parochia, vel, ut ajunt, tres in Succurſali, & tres in Parochia Miſſas celebrare poſſint, olim diſputatum eſt. Negat communior opinio, quæ ſtatuit duas in una, aliam vero in altera exolvi debere. Ratio eſt, quia regulariter non licet plura, quam permiſſum ſit, ſacra facere extra caſum urgentis neceſſitatis: porro ſi exigat populorum neceſſitas ut hic & illic celebres, haud ſane exigit ut tres hic & illic Miſſas celebres. Ita Merati in Gavantum part.4. tit.3. addit. n.14.

CONCLUSIO III. Non licet quacumque anni die ſacrum facere.

Prob. quia immobili lege in univerſa Chriſti Eccleſia conſtitutum eſt, ut Feria VI. in Paraſceve ab omni Miſſa abſtineatur: idque, ait S. Thomas hic q.83. art.2. ad 2. ſancitum fuit, quia non decet ut paſſio Chriſti per Euchariſtiæ conſecrationem myſtice repræſenterur, dum recolitur ab Eccleſia prout realiter peracta eſt.

An autem hac illa die aliis quam infirmis adminiſtrari poſſit Euchariſtia, controvertitur. Affirmat Silvius ad cit. qu. 83. art. 2. quia conſtat *Silv. p. 388.* ex B. Gregorii Sacramentario, ex Amalario Lib. 1. de Eccl. Offic. cap. 12. & ex * Ordine Romano, moris olim fuiſſe ut tum reciperetur com- ** Muſeum Ital. T. 2. p. 72.* munio; neque ulla ſubinde ſecuta legitur inhibitio. Quin & hodieque in Diœceſibus nonnullis viget communionis uſus, uti notat Auctor Catechiſmi Montiſpeſſul. Quia tamen, ait idem Silvius, jam moris non eſt ut ea die ſanis adminiſtretur Euchariſtia, ſi quis eam recipere velit, ita prudenter erit agendum, ut ſcandalum omne vitetur. Hæc celebris Silvius, qui dubio procul ignorabat, vetitum fuiſſe pluries a ſacra Rituum & Concilii Congregatione, ne in Paraſceve aliis quam infirmis tribueretur communio, prout obſervat Merati in Gavantum p.4. tit.9. n.78. pag.1122. Edit.4. quæ tamen ſanctio non obſtabit apud nos, ne Eccleſiæ quæ alium a primordiis uſum ſequuntur, in eo perſeverent.

An vero Feria V. in Cœna Domini & Sabbato ſancto Miſſam facere liceat,

Digitized by Google

liceat, nova eſt Theologos inter diſceptatio. De Feria V. fatentur pene omnes licere, tum quia id nulla lege interdictum ſit; tum quia qui hac die a celebrando abſtinent, non abſtinent quaſi ab opere prohibito, ſed ut de Præpoſiti manu communicantes, Dominicam repræſentent Cœnam, in qua Apoſtoli de Chriſti manu communicarunt.

Major eſt difficultas de Sabbato ſancto, tum quia ex Innocentio I. cap. 13. diſt. 3. *De conſecrat. Traditio Eccleſiæ habet iſto biduo*, nimirum Feria VI. & Sabbato majoris hebdomadæ, *Sacramenta penitus non celebrari*; tum quia Miſſa Sabbati ſancti caret Introitu, ſine quo ſacrum fieri non debet.

Exiſtimat tamen Silvius poſſe tunc a privatis legi Miſſam de Beata, vel de aliquo Sancto. Quin & probabile eſt, inquit, poſſe dici Miſſam illius diei poſt Pſalmum *Judica*, cum reliquis, incipiendo a *Kyrie eleiſon*: obſervando tamen ut Miſſa (præſertim iſtius diei) in ea Eccleſia in qua fit ſolemne Officium, non celebretur, ante inchoationem ſolemnis ſacrificii.

Neque obeſt Innocentii I. Decretum: ſignificat enim nullam Sabbato ſancto Miſſam celebrari debere, magis quam Feria VI. in Paraſceve, ſeu privatam, ſeu ſolemnem; cum ergo manifeſtum ſit, id abrogatum eſſe quoad ſolemnem, & non adducatur alia Eccleſiæ conſtitutio, quæ ſolemnem Miſsam permittens, inhibeat reliquas, non apparet cur eæ prohiberi dicantur. Hæc Duacenſis Theologus.

Verum his obſtant plura Romanorum Congregationum Decreta, quibus ſevere prohibitum eſt, approbante in primis Clemente XI. die 15. Martii, an. 1712. ne ulla præter Conventualem, id eſt ſolemnem, celebretur Miſſa Feria V. & Sabbato hebdomadæ ſanctæ: niſi forte Feria V. occurrerit Feſtum D. Joſephi, vel B. V. Annuntiatæ, aut aliud quod in aliqua Diœceſi ſub præceptum cadat; tunc enim quia *non ſolum ſervandum erit præceptum vacandi ab operibus ſervilibus, ſed etiam audiendi Miſſam*, curare debent Ordinarii ut aliquæ privatæ Miſsæ *ante Miſſam ſolemnem celebrentur*, quo poſſint Fideles Miſsæ his diebus audiendæ mandatum exequi. Ita Merati ibid. p. 1041. qui hinc colligit, ne in dictis quidem diebus Feſtis poſſe poſt Miſſam ſolemnem celebrari Miſsam aliquam *ſine gravi culpa*.

Addit idem quod ſi Feſtum Annuntiationis cadat in Sabbatum ſanctum, transferri debeat ad Feriam II. poſt Dominicam in Albis ex Decreto S. R. Congregationis 11. Martii 1690. Quod ſi Feria hac ſecunda occurreret in Diœceſi Feſtum altioris ordinis, deberet quidem in aliam diem remitti Officium Annuntiationis, ſed non obligatio audiendi Miſsam & vacandi a ſervilibus; *ſicuti de facto fit, quando accidit tale Feſtum Annuntiationis in Feria V. in Cœna Domini: tunc enim licet transferatur Officium & Miſſa, non tamen protrahitur Feſtum, ſed hoc ſervatur in illa Feria, obſervando præceptum audiendi ſacrum, & abſtinendi ab operibus ſervilibus*. Ita idem p. 4. tit. 10. n. 65. pag. 1187.

Hæc indubie pluribus in locis proderunt; ſed parum juvant in Diœceſi Pariſienſi; qui enim ritum ejus ſequuntur, & ipſa die Cœnæ Domini, & multo magis Sabbato ſancto privatas Miſsas celebrant: nec moventur quod poſtremæ hujus diei Miſsa careat Introitu, quia nec Introitum habet Miſſa quæ in pervigilio Pentecoſtes celebratur.

Quæres an Parochus, qui ſolus duplici Eccleſiæ præeſt, debeat in die

Cœnæ Domini, duas in unaquaque Eccleſia Hoſtias conſecrare, quarum alteram tunc ſumat, alteram poſtridie in unaquaque Eccleſia.

Negat Silvius ibid. vultque ut populus utriuſque loci in unum conveniat, ſi poteſt. Si tamen, ait, inolevit conſuetudo, ut in utraque Eccleſia officium peragatur Feria Paraſceves; nec ſine ſcandalo & offenſione plebis tentari aliud poſſit; aut ſi hanc ejuſdem Officii & communionis repetitionem permittat Epiſcopus, donec aliud ab Apoſtolica Sede ſancitum fuerit, haud erit a trito uſu recedendum: ſic tamen ut in priori Officio, nec vinum nec aqua mittantur in calicem, ne Sacerdos jam minime jejunus ſecundæ communioni inhabilem ſe præſtet.

SECTIO TERTIA.

De Miſſis privatis; ubi & de iis quæ ſiccæ dicuntur.

NOt. cum Bellarmino hic Lib. 2. Miſſam ſex modis privatam dici poſſe.

1. enim privata dici poteſt a loco, quæ nimirum in loco privato, ſeu Sacello celebratur. Hanc porro ſpeciem Miſſæ, quam Lutherani *angularem* putide & contumelioſe nuncupant, licitam eſſe patet, 1. quia Chriſtus primam omnium Miſſam & inſtituit & celebravit in privata domo; 2. quia primævi Eccleſiæ Pontifices, furente perſecutionis æſtu, non tantum in domibus privatis, ſed & in ſpeluncis, & petrarum foraminibus ſacrum faciebant, ut videre eſt prope Pariſios in eo monte, cui nomen eſt a Martyribus; 3. quia Patres multi in cellulis, privatiſve ædibus ſacra feciſſe leguntur: ſic enim de Gregorio Nazianz. narrat Sozomenus Lib. 7. c. 5. de Ambroſio Paulinus in ejus vita; de uno e Sacerdotibus ſuis Auguſtinus Lib. 22. de Civ. c. 8.

2. Miſſa dici poteſt privata a tempore, adeo ut publica ſit quæ feſtis diebus, privata quæ profeſtis celebratur. Quotidianas id genus Miſſas non admodum reprehendunt adverſarii; licet fere ſolum Dominicis diebus, aut majoribus Feſtis Cœnam ſuam celebrent. Et vero nedum redargui debeant, merentur commendari, 1. quia inſtar ſunt jugis illius ſacrificii, quod quotidie in antiqua Lege offerebatur; 2. quia tameſi non ubique ſemper eadem circa præſens punctum viguit diſciplina, conſtat tamen pluribus in locis moris fuiſſe, ut quotidie ſacrum fieret. Sic Apoſtoli *quotidie* frangebant *circa domos panem* Act. 2. Sic teſte Auguſtino Epiſt. 54. ad Januar. *Alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur;* licet *alibi Sabbato tantum & Dominico, alibi tantum Dominico* offeratur. Sic denique juxta Epiphanium in Expoſit. fidei: *Sacri conventus & ſynaxes ab Apoſtolis inſtituti ſunt his potiſſime diebus, quarta, ſextaque Feria & Dominica*; & tamen raro admodum ii dies feſti agebantur.

3. Miſſa poteſt privata dici a fine, quia nimirum pro aliquo ſpecialiter offeratur: nulla enim ſic pro uno fit, ut ceteros ſeu viventes, ſeu mortuos excludat: Et hanc quoque privatæ Miſſæ rationem contendimus omnino licitam eſſe, 1. quia ſua erant Moſaicæ Legi ſacrificia pro privatis, puta pro Sacerdote, pro Principe, pro aliis particularibus; 2. quia pro Monica Auguſtini matre oblatum eſt *ſacrificium pretii noſtri*, ut ſcribit S. Doctor Lib. 9. Confeſſ. cap. 12. 3. quia teſtatur idem ab uno e

Sacer-

Sacerdotibus ſuis oblatum eſſe ſacrificium pro liberatione domus a dæmonibus vexatæ; 4. quia ſic debuit inſtitui ſacrificium, ut in ejus oblatione ſervaretur ordo charitatis: exigit is porro, ut primum ſui meminerit Sacerdos, tum aliorum prout plus vel minus ſibi conjuncti ſunt.

4. Miſſa dici poteſt privata, cui non tota intereſt populi multitudo, ut Parochiali ſolet, ſed pauci vel forte unus qui miniſtret Sacerdoti. Hoc Miſſæ genus, etſi Melanctoni non placet, Brentio haud improbatur, modoqui miniſtrat, ſimul Cœnam recipiat: de quo paulo poſt. Interim quæ Miſſas privatas ratione loci aſtruunt, & eas de quibus nunc loquimur vindicant. Accedit quod S. Gregorius Lib. 4. Epiſt. 43. ad Caſtorium, publicas in Monaſterio Miſſas fieri vetat, ne in ſeceſſibus ſervorum Dei conventus fiant populares.

5. Miſſa ea etiam privata dici poteſt, quæ ultra ſolemnem in ſummo Altari celebrari ſolitam, in eodem templo, eademque die in aliis Altaribus offertur, ſeu pauci adſint, ſeu multi, ut ſæpe, auditores. Effuſam hanc, ut vocant, Miſſarum multitudinem impenſe oderunt Adverſarii. Sed peſſime: 1. quia ſinguli Sacerdotes ſacris operari quotidie aut ſæpiſſime poſſunt. Quid ergo mali, ſi tres aut quatuor in eadem æde celebrent? ſi quatuor, quidni decem? 2. quia tempore Cornelii Rom. Pontificis erant Romæ Presbyteri 40. ut ipſe ad Fabium ſcribit, teſte Euſebio Lib. 6. Hiſt. c. 33. deinque ſemper crevit Sacerdotum multitudo: atqui ex his indubie plures erant, qui diebus ſingulis ſacra facerent. Id autem vix fieri potuit, quin eodem in loco plures, ſeu ſimul, ſeu ſucceſſive celebrarent; 3. quia ſcribit idem Euſebius Lib. 4. de vita Conſtantini cap. 45. invitatos ad Templi dedicationem Antiſtites, incruentis ſacrificiis diem feſtum celebraſſe; utique ut fratres unius moris in domo; 4. quia ſi unus idemque Sacerdos tres olim Miſſas (imo quatuor, juxta Sa-
Merati cramentarium Monaſterii Gellonenſis) in Natali Domini, tres item Ka-
T. 1. p. 47 lendis Jannarii, & in die Paſchatis, &c. celebrare potuit ſub eodem tecto; quid piaculi ſi multi ſingula eodem in loco offerant ſacrificia? 5. quia plura erant eodem in templo Altaria jam ab Ambroſii tempore, ut liquet ex hac ejus dictione Epiſt. 33. *irruere in Altaria*, ubi de una Baſilica ſermo eſt. Idem conſtat ex Gregorio Lib. 5. Ep. 50. ad Palladium, ubi tredecim in eadem ſacra æde Altaria fuiſſe ſcribit. Ad quid porro tot Altaria, niſi ut jam multiplicatis Sacerdotibus plures ſimul litare poſſent?

6. demum privata Miſſa dici poteſt in quo ſolus Sacerdos communicat: atque illud eſt Miſſæ genus, quod adverſariorum bilem miſere commovet. Ne ſuffocentur, ſit

Conclusio. Miſſæ in quibus nemo præter Sacerdotem communicat, nullo jure redarguuntur.

Prob. 1. quia, ut bene Tridentinum Seſſ. 22. c. 6. Miſſæ *in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat… vere communes cenſeri debent; partim quod in eis populus ſpiritualiter communicet; partim vero quod a publico Eccleſiæ Miniſtro, non pro ſe tantum, ſed pro omnibus Fidelibus qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrentur.*

At, inquit Kemnitius, Miniſter verbi eſt etiam publicus Miniſter; & tamen abſente populo concionari non poteſt; ergo pari ratione Sacerdos etſi Miniſter publicus, deficiente populo operari ſacris non poteſt.

R. neg.

Digitized by Google

R. neg. conſeq. aliter enim Sacerdos publicus eſt Miniſter concionando aut baptizando, aliter ſacrum faciendo. In concione actionem ſuam dirigit ad plebem, ut in Baptiſmo aliquem de plebe; his ergo abſentibus nihil operari poteſt: at in Miſſa actionem ſuam per modum efficaciſſimæ orationis dirigit ad Deum: orationem autem pro abſentibus utiliter offerri poſſe, ne ipſi quidem Novatores ambigunt.

Prob. 2. ex Canone VIII. inter Apoſtolicos, ubi ſancitur ut *quicumque* *Cabaſſ.*
ex ſacerdotali conſortio, oblatione facta, non communicaverit, cauſam dicat; *Et* *pag. 9.*
ſi bona ratione ſubnixa ſit, veniam promereatur. *Sin minus dixerit, excludi-* *Beveteg.*
tur, tanquam qui populo auctor offenſionis fuerit, mota contra eum ſuſpicione *pag. 375.*
qui obtulit, tanquam non recte obtulerit. Ergo non raro fiebat, ut ii etiam *edit. in 4.*
Clerici, qui ſacrificii materiam obtulerant, non communicarent: hi porro ſi ex *bona ratione* abſtinere poterant, quidni & alii pari de cauſa abſtinuiſſent? Præſertim cum ii ſoli ad communicandum aſtricti fuiſſe videantur qui offerebant: nec aſtricti ſint, quia ad ſacrificii legitimitatem neceſſum judicaretur, ut aliquis communicaret; ſed quia non communicando, moverent ſuſpicionem contra Presbyterum, quaſi is *non recte* ſacrificium obtuliſſet.

Prob. 3. Concilium Agathenſe an. 506. aut juxta pluries 511. præcipit Can. *Tom. 4.*
47. ut Fideles omnes ſacrificio Miſſæ diebus Dominicis interſint: atqui ta- *Conc. p.*
men idem Concilium Can. 18. præcipit tantum ut ſæculares in Natali Do- *1301. & 1385.*
mini, Paſcha & Pentecoſte communicent; nec ullum uſpiam extat præceptum ſingulis Dominicis diebus & Feſtis communicandi; ergo ſæpe fiebat ſacrum abſque eo quod quiſquam communicaret.

Prob. 4. Concilium Toletan. XII. Can 5. graviter eos carpit Sacerdotes, qui ſacrificium offerendo non communicabant. *Quale*, inquit, *erit illud ſa-* *Tom 6*
crificium, cui nec ipſe ſacrificans participaſſe dignoſcitur? atqui verba hæc, *nec* *p. 1130.*
ipſe ſacrificans, ſatis aperte indicant, nullum prorſus in hujuſmodi ſacrificiis *C.*
fuiſſe qui communicaret.

Prob. 5. Moris eſt admodum antiqui, ut tres in Nativitate Domini Miſſæ celebrentur; erat enim id jam plene notum S. Gregorii ævo, ut ex his ejus verbis liquet: *Miſſarum ſolemnia ter hodie celebraturi ſumus*: atqui ejuſdem *Rom. 8 in*
moris eſt, ut multi ex pietate Miſſis tribus interſint, nec tamen commu- *Evang.*
nicent niſi in una; neque id omnino ſemper.

Prob. 6. quia etſi ſemper optavit Eccleſia, prout & optabat *ſancta Synodus* *Seſſ. 22.*
Tridentina *ut in ſingulis Miſſis Fideles aſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed* *c. 6.*
ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent; conſtat tamen plures ſemper fuiſſe, qui huic pietatis operi defuerint. Unde iſthæc Chryſoſtomi querela: *Fruſtra habetur quotidianum ſacrificium .... nemo eſt qui participet*: at- *Homil 3.*
qui etſi teporem hunc carperent SS. PP. non ideo tamen abſtinebant a ſacri- *in Epheſ.*
ficio: neque hujuſmodi Miſſas habebant pro illicitis; ſed eas tantum ajebant *fruſtra* offerri, non reſpectu Dei, qui ex Filio Victima honorem ſe dignum recipit; ſed reſpectu Fidelium, qui præ ſegnitie ſua nullum aut quaſi nullum ex eis fructum caperent; ergo.

Obj. 1. Chriſtus cum dixit Luc. 22. *Hoc facite*, &c. id Sacerdotes juſſit facere, quod ipſe fecit: atqui Chriſtus non conſecravit duntaxat, ſed & Sacramentum iis qui aderant, præbuit; ergo.

R. diſt. maj. juſſit ſed pro loco, tempore & perſonis, C. ſecus, N.

itaque

itaque ejuſdem generis eſt affirmativum Chriſti præceptum, ac alia affirmativa: hæc autem pro loco, tempore & circumſtantiis obligant. Neque vero voluit Chriſtus ut corpus ſuum invitis ac facinoroſis traderetur. Certe ita Euchariſtiam inſtituit Salvator, ut hæc ab ortu ſolis ad occaſum & in omni loco offerretur: atqui tamen ſciebat haud futuros in omni loco, potiſſimum autem apud Gentiles nondum converſos, qui eam recipere poſſent.

Confirm. Chriſtus Euchariſtiam dedit ſub utraque ſpecie: atqui fatentur adverſarii eam aliquando dari poſſe ſub unica; ergo Chriſtus non juſſit ſemper & abſolute fieri id quod ipſe fecit.

Inſt. Si licet actiones quas conjunxit Chriſtus, dividere, in ordine ad populum, id etiam licebit in ordine ad Miniſtrum, adeoque poterit Miniſter conſecrare, nec tamen ſumere: atqui falſum conſequens.

R. neg. maj. diſparitas eſt quod communio ex parte Miniſtri ab Eccleſiæ tota ſemper habita fuerit pro parte ad minus integrante ſacrificii; communio vero ex parte populi, utpote actioni ſacrificativæ penitus extrinſeca, nuſquam pro neceſſario ſacrificii complemento æſtimata fuerit.

Obj. 2. ex Apoſtolo 1. Cor. 11. ubi *unuſquiſque ſuam cœnam præſumit ad manducandum, jam non eſt* id *Dominicam Cœnam manducare*: atqui ubi Sacerdos communicat ſolus, ſuam utique cœnam præſumit; ergo. *Hic certe locus*, ait Kemnitius, *tanquam fulmen proſternit privatas Pontificiorum Miſſas*.

R. 1. fulmineum hoc argumentum peccare in forma, quia quatuor habet terminos: habere autem terminos quatuor, quia Cœnæ nomen aliter in majori intelligitur, aliter vero in minori. Indubie enim ſumitur in majori ut apud Paulum: atqui apud Paulum per cœnam, quam ſeorſim præſumebant Corinthii, non intelligitur Euchariſtia, ſed convivium illud quod in Eccleſia fiebat in refrigerium pauperum; quodque, interprete Chryſoſtomo & aliis, Cœna Domini vocabatur, tum quia fieret ad repræſentandam ultimam Cœnam Domini cum Apoſtolis; tum quia cum Euchariſtica communione jungebatur. Certe enim in cœna de qua loquitur S. Paulus, unus eſuriebat, dum alter ebrius eſſet: atqui effectum hunc parere non poterat cœna vere & proprie Euchariſtica; non modo quia cibus eſt animæ non ventris; ſed quia ſemper in quantitate tam modica diſtributa eſt, ut nihil corpori nocere poſſet; etiamſi cum Zvvinglianis merum eſſe vinum ſupponeretur. Jam vero in minori ejuſdem ſyllogiſmi propoſitione Cœna pro ipſa Euchariſtia ſupponit; ergo caſſum & labile fulmen Kemnitii.

R. 2. neg. min. præſumere enim cœnam ſuam in ſenſu Apoſtoli, eſt eam ita ſumere ut ab ea excludantur alii, prout faciebant divites Corinthii erga egenos: porro Sacerdotes noſtri, etſi ad Euchariſtiam non cogunt, neminem ab ejus participatione excludunt; ergo non eſt unde eorum quiſquam dicatur Cœnam ſuam præſumere ad manducandum.

Obj. 3. id Chryſoſtomi ſupra: *Fruſtra habetur quotidianum ſacrificium.... nemo eſt qui participet*. & infra: *Quicumque myſteriorum non eſt particeps, impudens & improbus adſtat*. & rurſum: *Si quis ad convivium invitatus manus laverit, & accubuerit, & tamen nihil ciborum guſtaverit, nonne infert contumeliam ei a quo fuerat invitatus*. Hic exultat, geſtit, vixque ſui compos eſt Kemnitius. *Audis*, inquit, *non verba, ſed fulmina contra Pontifi-*

ciam

etiam perſuaſionem de ſpectaculo privatarum Miſſarum. Verum is eſt Novator qui geminatis fulminibus ſe ſolum obruat.

R. itaque neg. conſeq. nam carpit quidem S. Doctor eos qui præ ſocordia abſtinent a communione; at Sacerdotes, qui interim celebrare pergunt, ne attingit quidem. Alioqui ſe ipſum ante ceteros omnes impugnaſſet; quotidie enim ſacrum faciebat, & tamen ſciebat ſæpius fieri ut *nemo* communicaret. Et vero qui docebat ſacrificium ipſis etiam abſentibus, imo & defunctis opitulari, haud docere poterat illud fruſtra omnino offerri nemine communicante: atqui ex dictis ſupra pag. 728. docebat Chryſoſtomus, &c.

Ceterum quod dicit Chryſoſtomus, eos qui ſacram Menſam non frequentant, indignos eſse qui ſimul cum aliis orent, imo dignos, qui ſacrificii tempore ejiciantur cum Catechumenis & pœnitentibus, oratorio more dictum intelligitur, ut reviviſceret, quod in dies minuebatur, ſtudium ſacræ communionis. Hoc fere ſenſu ajebat Apoſtolus 1. Cor. 6. *Contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, hos conſtituite ad judicandum*. Non enim jubebat Paulus ut contemptibilis homo in Magiſtratum eligeretur; ſed optabat enixe, ut vel nullæ in Eccleſia lites exurgerent, vel adeo prudentes eſsent Chriſtiani, ut eorum minimus quiſque controverſias omnes dijudicare poſset.

Obj. 4. Ritus qui merum eſt ludibrium, exerceri non poteſt: atqui ritus Miſsæ in qua nemo communicat, merum eſt ludibrium. In ea enim ait Sacerdos: *Quotquot ex hac Altaris participatione ſumpſerimus*; & iterum: *Sacramenta, quæ ſumpſimus*, &c. Item in ea fit Hoſtiæ fractio, quæ profecto ad diſtributionem ordinatur: atqui, &c.

R. ad 1. &. 2. neg. min. objecta enim verba in plurali numero dicuntur, etiam propter eos qui alibi communicant: cum enim unum omnes corpus ſimus, & de eadem victima ubivis locorum participemus, pro iis etiam precamur qui a nobis abſunt corpore. Idem eſt de Oratione Dominica, quæ ſic compoſita eſt, ut ſolum a multitudine congregata recitari debere videatur; & tamen ab unoquoque privatim poſito poteſt & debet ſæpius recitari.

Quod ſpectat ad Hoſtiæ fractionem, hæc non tam ad diſtributionem ordinatur, quam ad myſterium & repræſentationem: unde ſemper diviſa eſt Hoſtia, etſi non ſemper adfuerint communicaturi; neque cum diviſa eſt, pro communicantium numero diviſa eſt. Hoſtiam Græci dividunt in partes quatuor, e quibus crucem efformant. Juxta Mozarabicum ritum dividitur Hoſtia in duas partes æquales, quarum prima in quatuor, ſecunda in partes quinque ſubdivitur, ut repræſententur novem myſteria, de quibus adi Brunium Tom. 1. pag. 562. De ceteris conſule Bellarminum Lib. 2. cap. 10.

Quæres quid ſentiendum de uſu Miſsarum ſiccarum, id eſt quæ cum ritibus conſuetis, Introitu ſcilicet, Collecta, Epiſtola, & aliis, præter Canonem, aut, ut vult Emmanuel Sa, præter ea quæ ad oblationem pertinent, a Sacerdote ſacris veſtibus induto celebrantur.

Reſpondent plures cum Silvio hic q. 83. ad finem art. 2. fictitias hujuſmodi Miſſas, prorſus illicitas eſse, 1. quia continent falſitatem, tum in facto, eo quod Sacerdos cum ſummo ſacrorum apparatu, facit, vel potius ſimulat omnia quæ ſunt ſacrificantis, nec tamen ſacrificat; tum in verbo, quia leguntur multa, quæ ſacrificium ſpondent; & aguntur gratiæ *Silv. p. 390.*

ac ſi

ac ſi oblatum illud fuiſſet: cum tamen revera peractum non ſit; 2. quia id genus Miſſæ, (quæ etiam nauticæ ſeu navales dicuntur, eo quod in navibus fierent, ubi propter effuſionis periculum a veris plerumque abſtinetur) a pluribus reprobatæ ſunt Synodis, præcipue autem ab Iprenſi ſub Rithovio, & a Provinciali Cameracenſi II. Quin & vetitæ ſunt in Capitularibus Caroli Magni Lib. 1. c.6. Miſſæ in quibus Celebrans non communicaret. In idem adduci ſolent hæc Pariſienſis an.1212. Concilii verba, part.1. cap.11. *Nec, ut a prædictis ſe exonerent, ſiccas Miſſas faciant pro defunctis, ſub eadem diſtrictione prohibemus*. Quamquam dici poteſt hic non prohiberi Miſſas ſiccas, ſed tantum declarari per earum recitationem non ſatiſfieri oneribus in gratiam defunctorum contractis.

Tom. 11. Conc. p. 1. pag. 61.

Exiſtimant tamen alii tales Miſſas nihil per ſe, demptis utique quæ falſitatem redolerent, habere mali; adeoque cum Epiſcoporum licentia, vel in navibus, vel coram infirmo recitari poſſe: 1. quia hoc Miſſæ genus ſingulis diebus coram ſe celebrari curabat S. Ludovicus, a partibus transmarinis in Gallias redeundo; 2. quia Miſſæ ſiccæ ordo deſcriptus eſt, tum a Prudentio Trecenſi, tum a Durando in Ration. divin. Offic. Lib.4. c.1. n.23. tum & præcipue cap.34. Libri Sacerdotalis a Leone X. approbati; 3. quia ii morem hunc improbarunt viri eruditi, ut Eſtius, Silvius, Mercerus, &c. non redarguerunt alii plures, quos inter Genebrardus, qui in Opere gallice ſcripto de Liturgia Apoſtolica cap.30. teſtatur ſe an.1587. Taurini in Exequiis nobilis viri, qui veſpere ſepeliebatur, Miſſæ hujuſmodi cum ſacris Miniſtris ſolemniter celebratæ interfuiſſe. Idem tenent Merati pag. 81. & ante eum Quarti par.1. tit.14. dub.4. qui tamen animadvertit id genus Miſſas nec celebrari debere abſque licentia Epiſcopi, penes quem eſt ſacrorum rituum cura; nec in Eccleſiis, Oratoriiſve ad ſacra deſtinatis, ne vel rudioribus detur occaſio errandi; vel iniquis Sacerdotibus fictas Miſſas celebrandi pro veris. Quæ abſurda, inquit, ceſſant in mari, ubi ſcitur non poſſe dici veram Miſſam. At in hoc poſteriori puncto fallitur Quarti. De ceteris penes Epiſcopos eſto judicium.

SECTIO QUARTA.

De ſtipendio Miſſarum.

DUo hic generatim inquiruntur, 1. an pro celebranda Miſſa ſtipendium ſeu honorarium recipere liceat; 2. quale. Negativam pro prima parte nuper, ideſt an.1748. tueri viſus eſt Auctor Operis inſcripti: *Diſſertation ſur l'honoraire de Meſſes*. Affirmativam nos. Sit

Conclusio I. Poteſt Sacerdos pro Miſſa ſtipendium accipere per modum ſuſtentationis, non per modum pretii.

Prob. 1. ex Apoſtolo 1. Corint. 9 13. *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt; & qui Altari deſerviunt, cum Altari participant*: atqui edere de ſacrario, & participare de Altari, nihil eſt aliud quam occaſione ſacri miniſterii ſtipendium, aut aliquid ſtipendio æquivalens præcipere.

Prob. 2. quia quod tota per Orbem frequentat Eccleſia, citra ſummam temeritatem, aut quid temeritate pejus, culpari non poteſt: atqui ſtipendii

pendii prædicti uſum, &c. Neque, quidquid garriat citatus Scriptor, honorarii conſuetudo ſæculo tantum XI. inolevit, cum diu ante vigeret, ut ex his liquet S. Crodegangi, Metenſis Epiſcopi verbis: *Si aliquis uni Sacerdoti pro Miſſa ſua, vel pro Confeſſione.... ſeu pro ſe ipſo, vel pro quolibet caro ſuo, aut vivente aut mortuo, aliquid in eleemoſynam dare voluerit, hoc Sacerdos accipiat, & exinde quod voluerit faciat*, id eſt ad maſſam communem referre non teneatur. Floruit circa an. 750.

Prob. 3. ex unanimi Doctorum calculo, eorum etiam qui ſtipendia non recipiunt, ut PP. S. J. Hinc Facultas Pariſienſis an. 1521. ſex reprobavit propoſitiones honorario Miſſarum contrarias. Præiverat Angelicus Præceptor, vir profundi judicii. Sic autem imprimis loquitur 2. 2. q. 100. art. 2. *Sacerdos non accipit pecuniam quaſi pretium conſecrationis Euchariſtiæ, aut Miſſæ decantandæ; ſed quaſi ſtidendum ſuæ ſuſtentationis..... non tanquam pretium mercedis, ſed tanquam ſtipendium neceſſitatis.* D. *Argentrè* T. 1. *part.* 2. *p.* 401.

Prob. 4. ſtipendium de quo nunc, definitur: Species quædam voluntariæ oblationis, quæ fit a Fidelibus ad ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ: atqui oblatio hæc, ſeu pecunia, ſeu æquivalenti fiat, nihil habet mali. Utique enim licita erat prout primis Eccleſiæ temporibus fieri conſueverat, cum Sacerdotibus tribuebantur in ſpecie, quæ ad victum neceſſaria erant: atqui quod eadem hodie, vel potius horum pars minima, tribuatur pecunia; nihil mutat in re; niſi quod minus gravantur Fideles, minuſque adjuvantur Clerici. *Quis* enim *Sacerdos*, ait Chriſt. Lupus, *non ab omni Fideli panem & vinum malit accipere ad quamvis Miſſam*, ut olim, *quam*, ut hodie, *ab unico homine paucos aſſes*?

At, inquis, nonne vereri eſt, ne ſtipendii uſus fecunda ſit malorum radix, ſeu in ſæcularibus, qui de Miſſarum pretio non ſecus ac de viliſſimis mercimoniis contendunt; ſeu in Sacerdotibus non paucis, qui de Miſſarum numero relative ad pecuniæ ſummam paciſcuntur.

R. meliora quæque in abuſum verti. Nihil dubio procul ſanctius corpore Domini: at heu! quoties Paſchalibus in Feſtis indigne tractatum eſt? Sicut ergo tolli non debet annuæ communionis præceptum, ſed ſolum ſacrilegæ communiones; ita nec redargui debet honorarii Miſſalis conſuetudo; ſed tantum coerceri, quæ facile graſſatur, cupiditatis aura. Hanc autem in iis potiſſimum Sacerdotibus ſuſpicari eſt, qui cum deſunt ſtipendia, abſtinent a celebrando. Quamquam fieri poteſt ut vir pius, aliquando celebret, quia ſtipendium recepit, alioqui haud celebraturus. Non quod ſimoniaco ſtipendii ſtudio moveatur, ſed quia veretur ne debitum ſuum protrahat; nec tam cito iis opem ferat, quibus utcumque tenetur citra moram opitulari.

Conclusio II. Sacerdos ſtipendio per legem vel conſuetudinem præfixo contentus eſſe debet. Poteſt tamen plus quidpiam recipere gratis oblatum, imo & modeſte exigere ratione laboris extrinſeci.

Prob. 1. pars: quia ſi generatim ubi de quocumque ſtipendio agitur, inhærendum eſt Superiorum legibus, aut quæ legis locum habet conſuetudini; his a fortiori inhærendum ubi de ſacris agitur; ne vel populo, qui Clericorum mores lubenter vellicat, præbeatur offenſionis materia; vel avaritiæ, cui parent omnia, turpiter cedatur. Unde qui ultra limites hic fuerit progreſſus, ad reſtitutionem tenetur, ut qui alienum rapiat domino rationabiliter invito.

Sed quid, ſi nihil hac in re conſtitutum ſit a lege, vel ab uſu? Exiſtimant aliqui tunc licite exigi quantum ad plenam diei unius ſuſtentationem neceſſe ſit Sacerdoti. Sed male, 1. quia hinc exurgeret arbitraria facultas quodlibet exigendi; & indubie eo plus corraderet quiſpiam, quo minus haberet virtutis & temperantiæ; 2. quia actio Miſsæ non impedit ne Sacerdos, honeſtis & quæ ſtatum ſuum deceant operibus, ſibi ex parte providere valeat; 3. quia vult Synodus Tridentina, ut nemo ad ſacros Ordines promoveatur, niſi titulum habeat Clericalem, vi cujus non nihil jam habeat honeſtæ ſuſtentationis; ergo & cenſetur velle ut eam totam a Miſsa non recipiat; 4. ſi Parochus pene dies totas in concionibus adornandis, confeſſionibus excipiendis, ceteriſque Miniſterii ſui functionibus obeundis, plerumque vix idoneam ſuſtentationem habet a Beneficio; quo tamdem jure totam hanc a Miſsa ſua expectabit ſimplex Sacerdos? Id ergo unum exigat Miniſter quod viri ſapientis judicio ad bonam partem ſuſtentationis unius diei ſufficere poſſit.

Prob. 2. pars; quia quod licet egeno vel artifici, Miniſtro Altaris prohibitum eſſe non debet.

Cavendum tamen ne Sacerdoti contingat, quod B. Petro Damiano contingit: cum enim quidam e Diſcipulis ejus plures pro Miſsa a ſancto viro celebrata aureos clanculum recepiſset, venit vir Dei in peſſimam avaritiæ ſuſpicionem; quam certe non meruerat, ut qui oblatam ſibi ſummam conſtanter reſpuiſset.

Ceterum qui taxationem lege vel uſu conſtitutam cognovit, gratis id quod ultra eſt dare cenſetur. Qui vero neſcit, debet eum monere Sacerdos tantumdem non ſibi deberi; ne forſitan ex errore, & ideo non voluntarie offerat plus juſto.

Prob. 3. pars, quia æquum eſt ut ſi Sacerdos ſummo mane ſurgere, vel peregre proficiſci, vel ad meridiem expectare debeat, laboris hujus, quem Miſsa per ſe non poſtulat, ratio habeatur. Atque hinc plus datur pro Miſsa cantata; non præciſe quia vel cantus prætio æſtimatur ut in muſicis; vel plus ſolemnis Miſsa defatigationis & moræ poſtulat, quam communis; ſed 1. quia ex Apoſtolo 1. Tim. 5. æquum eſt, ut qui plus *laborant..... duplici honore*, id eſt, majori præmio *digni habeantur*; 2. quia hic ſubeſt aliquid lucri ceſsantis: qui enim partem diei maximam tranſigit in Eccleſia, non poteſt interim ſibi providere de neceſsariis. Ut ſolvantur non pauca,

Quæres 1. an Sacerdos etiam dives ſolitum ſtipendium recipere poſſit.

R. affirmat. cum Thomaſſino, Gerſone, & aliis paſſim. Quia generatim *dignus eſt operarius mercede ſua*; quod autem aliunde, ſeu ex patrimonio, ſeu ex Beneficio dives ſit, per accidens ſe habet; & ut operam non tollit, ſic nec mercedem tollere debet, Ceterum noſtra hæc reſponſio cupiditati Beneficiariorum non favet: hi enim vere ex Miſsa nihil ſibi lucrantur; quia tantum ex reditibus Eccleſiaſticis in uſus pios, vel in pauperes refundere tenentur, quantum ex iiſdem bonis ſibi ſuperfluit. De his adi quæ diximus Tom. III. pag. 40. & 45.

Quæres 2. an Parochi & alii Beneficiarii ſtipendium pro Miſſis accipere poſſint.

R. 1. non poſse id Parochos his diebus, quibus ad dicendam pro ſubditis

ditis Miſſam tenentur; ſeu quoties populi Sacro intereſſe debent. Atque id toties a ſacra Concilii Congregatione definitum eſt, ut nulla jam ea de re ſupereſſe poſſit diſceptatio. Id autem locum habet 1. ſive Parochi ex beneficio congruam ſuſtentationem habeant, ſive non; prout in terminis reſolvit eadem Congregatio die 10. Martii an. 1692. & die 14. Februarii ac 24. Aprilis an. 1699. 2. ſive Parochus ſit amovibilis, ſive non; ſive Sęcularis, ſive Regularis; 3. etiamſi hac die Miſſam pro aliis offerre teneatur; ut ſæpius contingit in Collegiatis Eccleſiis, quæ per Canonicos ſuos curam animarum exercent. Si enim Dignitati cuipiam vel Canonicatui annexa ſit cura illa, & Dignitarius vel Canonicus Conventualem Miſſam celebret, debet hanc applicare pro Benefactoribus; Miſſa vero Parochialis pro populo erit celebranda per alium, ſumptibus ejuſdem Canonici; aut ſaltem, ait Merati, in diem ferialem transferenda. Ita pluries pro prima parte definiit eadem S. Congregatio: nam de translatione ſilet; eamque non admodum approbaverim, cum Parochiali Miſſæ interſint plures, qui feriali intereſſe non poſſunt; quique ſic a certa ſpiritualis, quem percepturi erant, fructus portione excidunt. Vide eumdem Merati part. 3. tit. 12. p. 808. & ſeq. in 4.

Ex quibus colliges cum Suare diſp. 86. ſect. 1. Tamburino de jure Abbatum Tom. 2. diſp. 5. q. 5. n. 5. Van-Eſpen Tom. 1. part. 1. tit. 31. cap. 10. num. 11. Regulares Prælatos pro ſuis ſubditis, Epiſcopos pro ſua Diœceſi, ac ſummum Pontificem pro univerſali Eccleſia ſacrum facere debere: quia jura de iis omnibus indiſtincte loquuntur, qui curam habent animarum. Quin & multi Epiſcopi quoties celebrant, utique ſervato charitatis quam parentibus debent, ordine, pro ovibus ſuis celebrare volunt, & ſequetur ex dicendis.

R. 2. eos qui curam habent animarum, licet Diœceſana Lege teneantur ad pluries celebrandum in hebdomada, ut Mediolani, extra Feſtos ac Dominicos dies poſſe ſtipendio donari: niſi ſufficientiſſimum habeant ex Beneficio ſuo reditum. Ratio eſt; quia jus non reſiſtit in priori caſu in poſteriori autem obſtat deciſio Sacræ Congregationis, ubi ſic: *Cum præcepto divino iis quibus animarum cura commiſſa eſt, mandatum ſit pro Ovibus ſuis ſacrificium offerre, ſæpe alias ſacra Congregatio cenſuit, Parochos teneri pro Parochianis ſacrificium applicare, atque ea cum diſtinctione, ut ſi reditus pingues ſint, ſingulis diebus*, niſi a celebrando legitima cauſa excuſet; *ſi vero tenues, ſaltem feſtivis diebus. Idem nunc cenſet*, &c. Porro pingues ſunt reditus, cum in iis haud difficulter habent Paſtores, quidquid ad honeſtam ſui ſuſtentationem, inſpectis omnibus inſpiciendis, neceſſe eſt; etiamſi nihil, vel parum remaneat ſuperflui. Quæ autem honeſta ſit ſuſtentatio, hic difficultatis nodus. Vide quæ diximus Tom. III. pag. 38.

R. 3. *Sacerdotes alii, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii ſeu capellæ, legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere*. Ita S. Congregatio approbante Urbano VIII.

Quæres 3. an qui alicubi celebrare tenetur abſque applicatione ſacrificii, ſed tantum ad divinum cultum, ab alio ſtipem recipere poſſit, ut illi applicet ſacrificium ſibi liberum.

Negat diſerte Gavantus in Edit. Pariſ. an. 1645. p. 221. idque ſub Urbano

bano VIII. a S. Congregatione Concilii *expreſſe* prohibitum fuiſſe declarat. Si tamen expreſſam pro alio quolibet celebrandi facultatem dederit Beneficii Fundator, licebit pro eo celebrare, prout die 13. Julii an. 1630. declaravit S. Rit. Congregatio. Atque hinc, ait idem, Capellani Monialium & alii, qui incongruo præſertim ſtipendio ſubeunt onus quotidianæ Miſſæ, expreſſa hac conditione, quod non teneantur ad applicationem ſacrificii, nova pro ſacrificiis ſtipendia recipere poterunt. Huc facit Decretum aliud a Merati relatum; quo Sacra Congregatio die 13. Febr. ann. 1638. permiſit ut Capellani ſex, qui a S. Benedicti Abbate aliquam ſingulis menſibus frumenti portionem recipiebant, citra ullam ſacrificii applicandi obligationem, *poſſent de conſenſu ejuſdem Abbatis* (nota bene) *applicare ſacrificium pro iis a quibus ipſi recipiebant ſtipendium*. Hæc ille part. 3. tit. 12. pag. 814.

Quæres 4. an qui minora ſtipendia ſive ab uno, ſive a multis accepit pro Miſſis pluribus, licite poſſit ea in unum ſufficiens coadunare, & per unius ſacrificii oblationem ſatisfacere.

Affirmarunt aliqui duplici potiſſimum de cauſa, 1. quia poteſt famulus qui ob paupertatem pro minori mercede paciſci coactus eſt, damnum reſarcire, ſubripiendo clanculum e bonis domini; 2. quia Tridentinum Seſſ. 25. cap. 4. de reformat. permittit ut Epiſcopi ad minorem numerum reducant Miſſas, pro quibus tenuior a Fundatoribus aſſignata ſit eleemoſyna. His tamen non obſtantibus,

R. negat. 1. quia obſtat Decretum juſſu Urbani VIII. ann. 1625. editum in hæc verba: *Sacra Congregatio ſub obteſtatione divini judicii mandat ac præcipit, ut abſolute tot Miſſæ dicantur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, etiamſi ſtipendia fuerint incongrua; ita ut alioquin ii ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quinimo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur*; 2. quia ſi pacta ne a Chriſti quidem Miniſtris ſerventur, periit fides in humana ſocietate. Nec obeſt gemina in contrarium argumentatio.

Non 1. quæ errorem errore novo confirmat, & reprobata eſt tum ab Innocentio XI. an. 1679. Propoſ. 37. tum a Clero Gallicano an. 1700. ut *furtis viam aperiens, & famulorum fidem labefactans*.

Non 2. Tridentinum enim Miſſarum reductionem in hypoteſi plane diverſa permittit; cum nempe vel reditus olim congrue pro celebrandis Miſſis aſſignati, malo caſu imminuti ſunt; vel quod congruum erat ipſo contractus tempore ſtipendium propter pecuniæ raritatem, jam prorſus inſufficiens evaſit. Æquum enim eſt ut imminuta ſtipe imminuatur Officium. At in hypotheſi præſenti frangitur fides libere data, decipitur in re gravi proximus, qui forte monitus adauxiſſet ſtipendium, aut ad alios liberaliores recurriſſet; demum non ſtatur promiſſis, etſi nulla ſuborta ſit notabilis mutatio, quæ impediat ne executioni mandentur.

Saltem, inquies, qui ex præſcripto Miſſarum numero unam detrahet, non peccabit lethaliter. Tunc enim ad ſummum ſubripiet unius Miſſæ ſtipem, quæ levior eſt materia, quam ut ad furtum grave pertingat.

R. neg. ant. etſi enim octo vel decem aſſium jactura plerumque non ſufficit ad culpam mortalem; privatio tamen fructus etiam unius Miſſæ

ſpiri-

Digitized by Google

ſpirituale damnum ſatis grave inducit, ut hinc lethale peccatum exurgat. An autem idem dicendum ſit in Miſſarum numero admodum ingenti non convenit inter Theologos. Mihi affirmans ſententia ut tutior, ſic & probabilior videtur contra Quarti in Append. de Sacrif. q.4. 1. quia per Miſſam quam omittis, potuiſſet tamdem anima e purgantibus flammis totaliter liberari: id vero an leve eſt fidei? 2. quia dubio procul plus nocetur ei, cui Miſſæ unius valor ſubtrahitur, quam ſibi nocuerit Joas, cum tribus tantum vicibus, non autem quinquies, ut optabat Eliſeus jaculo terram percuſſit: nocuit autem tunc ſibi graviſſime, unde *iratus eſt vir Dei contra eum*, & ſevere redarguit. 4. Reg. 13. v. 19.

Hic duo notanda, 1. nihil mali fore, ſi pro duobus qui dimidiatam ſtipem largiendo, Miſſam unam petunt, una tantum dicatur; 2. ſi Sacerdote inſcio allata ſint pro Miſſis decem Miſsarum octo ſtipendia, poſſe eum octo tantum Miſſas celebrare. Si tamen ſtipendii largitorem monere poſſit, monere tenebitur; aut ad alium, qui minori contentus ſit ſtipe, & ſtipem & Miſsarum onera transferre; cum præſumi poſſit eam eſse donatoris voluntatem.

Quæres 5. quid pro ſingulis Miſſis accipi poſſit, quando data eſt pecuniæ ſumma pro Miſſis indeterminate.

R. non poſse plus ſumi, quam Lege vel uſu conſtitutum ſit. *Si tribuens eleemoſynas*, ait Congregatio ſub Urbano VIII. *numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari* oportebit, *quot præſcripſerit Ordinarius ſecundum morem Civitatis aut Provinciæ*.

Quæres 6. an Sacerdoti poſt acceptam ſtipem liceat aliam pro eodem ſacrificio recipere, cum intentione cedendi in gratiam offerentis, eam fructus partem, quæ ſibi tanquam Miniſtro contingit.

R. negat. damnata enim fuit ab Alexandro VII. an. 1665. miſera hæc quorumdam propoſitio n. 8. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet Celebranti reſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.* Et vero, ut bene notat Viva in prædictam propoſitionem, debito ex juſtitia certo non poteſt ſatisfieri ſolutione incerta: atqui incertum eſt an fructus qui Sacerdoti contingit, quique *ſpecialiſſimus* dicitur, ab eodem alienari poſſit; idque Suarez, Bonacina, & alii probabiliſſime negant. Rurſus incertum eſt an ſpecialiſſimus ille fructus æquivaleat ei fructui quem *medium* vocant, ſeu *ſpecialem*, & qui applicatur iis, pro quibus ex ſpeciali intentione ſacrificium offert Sacerdos: cum aliqui eum tertiæ tantum parti medii hujuſce fructus reſpondere contendant cum Navarro; ergo. His accedit quod Sacerdos quidquid ultra congruam ſuſtentationem, prout tali ſacræ actioni reſpondet, percipit, ſimoniace percipit: atqui ſi Sacerdos duplicatum ſingulis anni diebus ſtipendium pro eadem Miſsa reciperet, reciperet ultra congruam ſuſtentationem prout tali actioni ſacræ reſpondet; ergo reciperet ſimoniace. Demum quis ferat Miniſtrum Chriſti eo uſque ſpiritualium nundinatorem eſse, ut renuntiet fructui ſacrificii, quod primum pro ſe ſuiſque offenſionibus offerre tenetur.

Quæres 7. an qui pinguius ex dantis liberalitate accepit ſtipendium, poſſit hujus parte retenta, Miſsas quas ſuſcepit, alteri Sacerdoti committere, huic concedendo partem alteram ſtipendii, quæ ſecundum loci leges ſufficiat.

R. negat. damnata enim etiam fuit ab Alexandro VII. hæc propoſitio ibid. n.9. *Poſt Decretum Urbani VIII. poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Præiverat Alexandro VII. Facultas Pariſienſis cum hac cenſura: *Hæc propoſitio, ut jacet, falſa eſt & ſcandaloſa, favet turpi lucro, avaritiæ & injuſtitiæ.* Et ratio eſt quia Sacerdos ille nullum habet titulum, quo retineat partem illam; hæc enim haud ſibi gratis data eſt, ſed cum onere celebrandi; ergo cum onus illud in alium rejiciat, debet & beneficium in eumdem refundere: præſertim cum ii qui majus taxato ſtipendium præbent, id intendant, ut pro ſe oretur ſpecialiori affectu. Unde, quidquid opinetur Bonacina, qui ſecus facit, non modo obedientiam Pontificiæ legi debitam violat, ſed & æquitatem, atque ideo ad reſtituendum tenetur; niſi Sacerdos alter de re tota monitus exceſſum illum liberaliter condonet; ſicut enim totum, gratis celebrando, remittere poteſt, ſic & partem. Quanquam cavendum ne condonatio iſta ſit oretenus tantum liberalis, in rei autem veritate coacta; puta eo quod timeat Sacerdos, ne deinceps ſtipem non inveniat pro Miſſis.

Imo nec velim ut Sacerdos, qui ſolum voluntatis defuncti executor fuerit, ſtipendii partem ſervet, curando per induſtriam ut Miſsæ alibi minori pretio, pro locorum uſu, celebrentur. Abſit enim ut Miſsæ ſtipendium turpi quæſtu vertatur in materiam negotiationis. Quid quod Pariſiis Miſsas præſcribens, loci Sacerdotibus, non alienis, gratificari intendit.

Obj. Si res ita ſit, peccant & ad reſtitutionem tenentur, tum Parochi & Beneficiarii pingues, qui quas debent Miſsas per alios exequuntur, neque tamen iis ſtipem Beneficiis ſuis parem tradunt, ſed eam ſolum quæ per legem taxata fuerit; tum Æditui & alii Adminiſtratores, qui ſummam accepta longe minorem tradunt: atqui utrumque quotidianæ praxi repugnat.

R. neg. maj. pro prima parte; quia etſi Beneficiarii de quibus agitur, non ſemper Miſsas celebrent per ſe, per ſe tamen plura ſemper efficiunt, propter quæ majorem redituum partem lucrantur. Nam & Horas ſeu privatim, ſeu in Choro recitant, temporalibus Beneficiorum bonis invigilant, curam gerunt animarum, aut ſaltem ſtudiis vacant; nec dubium quin ut iis vacarent tranquillius, & deinceps de Eccleſia melius mererentur, iiſdem gratificari voluerint Fundatores. Atque id a ſacra Congregatione definitum eſt, prout docent Lugo diſp.21. n.30. Quarti in Append. q. 4. punct.2. difficult. 3. ubi poſt alios animadvertit eamdem eſse rationem de Capellano, qui Beneficiatus non eſt, ſed ſtipendiatus inſtar Beneficiati.

Quod ad ſecundam partem attinet, Congregatio ab Urbano VIII. ſpecialiter conſtituta ad ſolutionem dubiorum, quæ occaſione Decreti ejuſdem Pontificis emerſerant, ad 7. quo quærebatur, *An permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, Inſervientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ & ſimilium,* reſpondit, *permittendum non eſſe ut Eccleſiæ, ac loca pia,* velut hoſpitalia, *ſeu illorum Adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ ac loca pia alios non habent reditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licite poſſint; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem*

expen-

expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ ſacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ; & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis ut ſupra deductis, abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Quæres 8. an liceat Sacerdoti anticipate celebrare Miſsas pro iis qui deinceps ſtipendia oblaturi ſunt.

R. non licet, 1. quia audita Concilii Trid. Congregatione, conſuetudinem hanc quæ in Hiſpania invaluerat, prohibuit Paulus V. die 15. Nov. ann.1605. *tanquam plurimis nominibus periculoſam, Fidelium ſcandalis & offenſionibus obnoxiam, atque a vetuſto Eccleſiæ more nimium aberrantem*; unde & ab Epiſcopis & Ordinum Præpoſitis Generalibus excommunicationis pœnam adverſus refractarios decerni voluit; 2. quia ſicut Deus, ſecundum ordinariam legem, nec punit, nec remunerat homines propter futura eorum opera, ſed pro præſentibus; ſic nec ſacrificii fructum confert cum reſpectu ad futuram hominis voluntatem; 3. quia ad minus incertum eſt an Miniſter ſacrificii effectum ſuſpendere valeat: porro ſi hodie offeram pro priori qui ſtipem obtulerit, & Petrus uno poſt menſe ſtipem offerat ad obtinendam criminis pridie perpetrati condonationem, neceſsum eſt ut vel nullus ſit, vel ſuſpendatur ſacrificii effectus. Et ita docent Suarez diſp. 79. ſect.9. Silvius, Barboſa Allegat. 24. ubi objectiones nervoſe excutit, Pontas v. *Meſſe*, caſ.43. & nunc ceteri omnes.

Si tamen prævideat Sacerdos futurum ut a ſe poſtulentur Miſsæ pro Titio defuncto, poterit jam nunc eaſdem offerre & deinceps ſtipem percipere; quia ſic offertur ſacrificium pro perſona determinata, nec expectatur indigentia, ſed ſupponitur; tantumque incurrit Sacerdos ſtipendii amittendi periculum. Ita Vaſquez diſp.234. c.3. Averſa q.11. ſect.18. §.6. Quarti ibid. difficult.5.

Quæres 9. num liceat Sacerdoti vel Æedituo plura congerere ſtipendia Miſsarum, quibus nonniſi poſt diuturnum tempus ſatisfieri poſſit.

R. negat. 1. quia Decretum a S. C. Congregatione editum die 21. Junii 1625. prohibet ſingulis Sacerdotibus, ne manuales eleemoſynas pro novis Miſſis accipiant, niſi jam oneribus antea ſuſceptis ſatisfecerint, aut intra modicum tempus ſatisfacere poſſint: niſi ſtipem tribuens conſentiat in moram; 2. quia plerumque poſtulantur Miſsæ pro re urgenti, puta pro vincenda gravi tentatione, pro lite intra paucos dies definienda, pro ſucceſsu itineris, pro infirmo decumbente, ut convertatur: atqui dilato ſacrificio continget, ut iter jam peractum ſit, cauſa perdita, æger defunctus, &c. 3. quia etiamſi certo conſtaret Deum tantum moveri pia intentione illius qui ſtipendium dat, quantum ipſa movetur ſacrificii oblatione; quod gratis prorſus fingeretur; conſtat ſemper ſervandas eſse contractus legitime initi conditiones.

Quæ autem mora in præſenti ſufficiat ad lethale peccatum, nonniſi ex circumſtantiis dijudicari poteſt. Unde ſi quis pro lite hodie definienda Miſsam mane petierit, graviter peccat, qui vel una die differt, & ad reſtituendum tenetur, perinde ac ſi Sacrum omiſiſset. In reliquis quæ minus urgent, poteſt quis Miſsarum ſtipendia ad menſes duos acceptare, prout cum communi diximus Tom. II. ubi de Oratione atque hinc colligit Habertus, quod jam tradidimus ſupra, Miſsam

nimirum in ea Eccleſia celebrandam eſſe, quam deſignat eleemoſynæ retributor; quia hac conditione & non alia ſtipem offert. Quod ſi eo loci propter Miſſarum multitudinem celebrari non poſſit, æquum eſt ut ea de re moneatur, quo vel alibi celebrari permittat, vel rebus ipſe ſuis proſpiciat, prout judicaverit.

Quæres 10. an is a quo poſtulatur Miſſa de *requiem*, aut de Spiritu Sancto, peccet ſi aliam legerit.

R. 1. Miſſæ votivæ & pro defunctis in Feſtis duplicibus, & diebus Dominicis, aliiſve diebus privilegiatis celebrari non debent, prout habent Rubricæ Miſſalis. Imo generatim optat Eccleſia, ut *quoad fieri poteſt, Miſſa cum Officio conveniat*: adeoque *licet Miſſæ votivæ pro Sacerdotis devotione quacumque die dici poſſint per hebdomadam, quando Feſtum non occurrit; hoc tamen paſſim, niſi rationabili de cauſa fieri non debet*. Ita Rubricæ ante Miſſam votivam de ſancta Trinitate.

R. 2. Sacerdotem, qui his diebus Miſsam debet pro defunctis, obligationi ſuæ ſatisfacere, iiſdem applicando Miſſam diei currentis; ut uno ore fatentur omnes apud Marchini Tract. 3. part. 2. c. 25. quin & hanc Miſſam in aliam diem minime impeditam transferri vetuit S. R. Congregatio, approbante Alexandro VII. die 5. Auguſti ann. 1662. apud Merati Tom. 2. p. 1392. n. 396. *ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit*. Cum autem ſuborta eſſet difficultas an Miſſæ de Feſto defunctis perinde prodeſſent in Altaribus privilegiatis, ac ſi dictæ fuiſſent *de requiem*, reſpondit Clemens IX. affirmative: idque ad Altaria, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, aut aliud brevius, longiuſve tempus privilegiata, extendi voluit an. 1669. quod & confirmavit Clemens XI. die 29. Septemb. an. 1714. apud Merati in indice Decretorum, n. 624.

R. 3. eum qui expreſsam pro defunctis Miſsam promiſit, ſi nihil obſtet, ſtare debere promiſſis, quia hæc pie & ſancte impleri poſsunt, ideoque & impleri debent.

Satius tamen eſt, ut Sacerdos polliceatur dumtaxat, ſe facturum Miſsam pro defuncto, ea ratione qua magis eidem proſit, ſervato Eccleſiæ ritu, ſalva utilitate ſpirituali propria & aliena, & prout ſua fert devotio. Etſi enim Miſsa *de requiem* eo prodeſse plus poſſit, quod varias habet orationes pro defunctis, quibus ad preces pro iiſdem effundendas moveri queant aſtantes; fatendum tamen utilitatem hanc compenſari, 1. interceſſione Sancti cujus Feſtum recolitur, quique purgantes animas juvare poteſt; 2. aſtantium pietate, qui ut plurimum devotius audiunt Miſsam diei propriam, quam toties decantatam *de requiem*; 3. ipſa celebrantis devotione, qui propter novitatem Officii pio magis affectu Miſsam de Sancto, vel de Feria legit, quam pro defunctis. Atque hinc Silveſter v. *Miſſa* 1. §. 4. nullam ait defunctis eſse Miſsam ſalubriorem, quam quæ currentis diei propria ſit: & Panormitanus in cap. *Quidam Laicorum* 2. *De Miſſar. celebrat.* turpe eſse dicit, quod propter male ordinatam privatorum devotionem aliud fiat Sacrum, quam quod cum Officio concordet. Raro igitur id genus Miſsæ ſponderi debent: præſertim cum qui eas poſtulant, ex recepto uſu poſtulare intelliguntur Miſsas, quæ ſpecialiter defunctis applicentur, qualicumque ea ritu celebrentur.

Quandoque tamen fieri poteſt, ut ſpeciales pro defunctis Miſsæ celebrari debeant, etiamſi formaliter promiſsæ non ſint, ut 1. ſi alioqui ſub-

ſecu-

ſecutura ſit offenſio populi, qui Sacerdotem in albis v. g. celebrantem conſpiciens, ſe ſe deceptum eſse exiſtimet; 2. ſi id exigat circumſtantia diei, puta Obitus, vel Anniverſarii: quo in caſu etiam occurrente Feſto duplici poteſt legi Miſsa *de requiem*, ut monent Rubricæ: quamquam Anniverſaria in diem proxime non impeditam transferri ſatius eſt, uti tradidit S. R. Congregatio an. 1608. & 1614. De ritibus præſente defuncti corpore ſervandis adeantur Rubricæ.

Quæres 11. an ſtipendium accipi poſſit pro Miſsa in die Commemorationis Fidelium defunctorum.

Negat Gavantus part. 4. tit. 15. atque in id ego totus propendiſsem. Verum S. R. Congregatio apud Merati in Indice n. 411. die 4. Auguſti an. 1663. declaravit ſacrificium hac die poſse ad libitum applicari pro aliquibus tantum defunctis, quod ſi ita eſt, non video cur ea die ſtipendium recipere non liceat. Addit idem in eumdem Gavanti locum, nemini licere facere Octavas pro defunctis, ſine ſpeciali Apoſtolicæ Sedis indulto: ita nempe definitum ab eadem Congregatione 13. Aug. 1667.

Quæres 12. an in prædictis diſpenſare poſſit Roman. Pontifex, puta ut qui duas in hebdomada Miſsas debet, ſatisfaciat unam legendo.

R. non magis poſse, quam efficere poſſit ut qui florenos centum debet, quinquaginta dando ſatisfaciat, quia utrumque ex æquo ſtrictæ juſtitiæ adverſatur. Unde quæ in id conceſsæ leguntur diſpenſationes, præterquam ab Urbano VIII. revocatæ ſunt, vel fictæ erant; vel certe reſpiciebant fundationes præteritas, quarum executio jam evaſerat impoſſibilis: eaque non erat veri nominis diſpenſatio, ſed neceſsaria quadantenus voluntatis Fundatorum interpretatio: quorum jactura ut aliquo modo compenſaretur, jubebat Pontifex, plures in Miſsa orationes recitari pro pluribus, iiſque preces, jejunia, & pœnitentias applicari: imo & ſupplebat ipſe de Eccleſiæ theſauro.

Quæres 13. an Beneficiarii Miſsas ad minorem numerum reducere poſſint, quando reditus adeo imminuti ſunt, ut tot Miſſis nullatenus ſufficiant.

R. negat. tum quia nemo in ſua cauſa poteſt eſse Judex; tum quia jus illud a Trident. Seſs. 25. c. 4. de reform. devolutum eſt ad Epiſcopos, ut *executores Teſtamentorum*. * Neque vero id poſsunt Epiſcopi pro nutu, ſed omnibus, ut decet, inſpectis, & ſervatis Regni formalitatibus. *Cap. 17. De Teſt.

SECTIO QUINTA.

De hora Sacrificii.

De hora ſic ſtatuunt Rubricæ Miſsalis: *Miſſa privata, ſaltem poſt Matutinum & Laudes, quacumque hora ab aurora uſque ad meridiem dici poteſt.* Quæ ut exponantur.

Quæres 1. quid per auroram intelligatur?

R. intelligi non ortum ſolis ipſius, ſed primam illam lucis irradiationem, quæ crepuſculum dicitur, & eſt quaſi lux media diem inter & tenebras. Iſtud autem initium lucis, longiori quandoque, quandoque breviori temporis intervallo præcedit ortum ſolis; puta duabus cum quadrante horis menſe Junio circa ſolſtitium; hora una cum dimidia menſibus Fe-

Februario, & Septembri; hora cum quadrante circa æquinoctium veris. Unde dempto Martio aurora ſolis ortum hora ad minus integra cum dimidia antecedit. Ita Itali, quæ haud ſcio, & parvi refert, an Regionibus iſtis conveniant. Vid. la Croix Tom. 2. pag. 121. Quarti part. 1. tit. 15. dub. 2. &c.

Quæres 2. an igitur peccet ſaltem graviter qui ante auroram celebrat.

R. 1. ex communi Doctorum exterorum ſententia præceptum non celebrandi ante auroram intelligi, non mathematice, ſed moraliter, & cum aliqua latitudine: adeo ut reus non ſit, qui ſecluſo etiam privilegio ſic Miſſam inchoat, ut finis ejus coincidat cum aurora. Id autem probant, tum a conſuetudine, quæ legem ſic interpretata eſt; tum quia ſicut ſervatur præceptum de Miſſa poſt meridiem non celebranda, cum Sacri aliquid legitur ante meridiem, ſic a pari. Ceterum ubi non eſt aurora phyſice, debet ea politice definiri, nempe pro ea diei parte, quæ hominum quieti finem facit, & initium dat eorum labori. Ita nimirum reſolvit S. R. C. die 18. Sept. an. 1634.

R. 2. de jure communi lethaliter peccare videtur, qui ſic celebrat ut omnino in aurora celebrare non reputetur. Ratio eſt, quia eſt tranſgreſſor præcepti, quod ubicumque viget, habetur pro gravi. Unde Epiſcopi graviter plectunt eos, qui ante auroram, moraliter ſumptam ut ſupra, & poſt meridiem Sacrum facere præſumunt; prout his juſſit verbis Synodus Trid. Seſſ. 22. in Decreto de obſervandis & vitandis in celebratione Miſſæ: *Ne ſuperſtitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propoſitis caveant* Epiſcopi, *ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent*, &c. Ita Lugo diſp. 20. n. 36. & alii quos ſequitur Quarti ibid. Durum quidem quod homo quia duobus vel tribus minutis ſtatum tempus prævertèrit, mortaliter delinquat; ſed & durum, quod ejuſdem peccati reus ſit, qui duas vel tres vini guttas volens hauſerit antequam celebraret.

R. 3. in his Galliæ partibus Miſſam pluribus ante crepuſculum horis tuto per hiemem celebrari poſſe; quia ita fert rationabilis loci conſuetudo ſcientibus & approbantibus Epiſcopis introducta. Et vero quoti artifices Miſſam audiunt tunc temporis, qui eam ceteroqui non audirent. Atque id non Galli ſolum Scriptores approbant, ut Auctor Collat. Andeg. ſed & plures ex exteris, ut Layman. & Quarti ibid. dub. 4. juxta quos etiam ubicumque gentium anticipari poteſt Miſſa, 1. cum id exigit cauſa publica, ut ſi populus peregrinationem longam primo mane initurus eſt; 2. cum id exigit gravis neceſſitas proximi, ut ſi alioqui moriturus ſit quiſpiam ſine viatico, quo etiam in caſu Victoria, Vaſquez, Layman, Card. Lugo diſp. 20. ſect. 1. Quarti, &c. ſacrum a media nocte, etiam citra Ordinarii licentiam inchoari poſſe concedunt: quod in materia diſciplinæ improbare non auſim.

Quæres 3. quid per meridiem præciſe intelligatur in præſenti, & an non aliquanto poſt Miſſa celebrari poſſit.

R. ex communi Theologorum mente, a qua nihil eſt cur recedatur, meridiem ſumi ut auroram, non mathematice, ſed moraliter; itaut non preſſe & ſtrictim mediam diei partem ſignificet, ſed id quod in uſu communi meridianum tempus nuncupari ſolet. Quæ autem temporis hujus latitudo ſit, varii varie determinant. Alii uno quadrante & aliquanto

ultra

ultra concludunt cum Azorio Tom.1. Lib.10. c.25. q.6. Alii ad mediam horam extendunt cum Laymano Lib.5. Tract.5. cap.4. n.4. Alii demum cum Silvio q.83. art.2. q.4. ad ſpatium horæ unius, modo abſit offenſio quæcumque: ita ut hora poſt meridiem prima tuto celebrari poſſit. *Sylv. p. 390. col. 1. A.*

Nobis cum Averſa & Quarti dicendum videtur, ſtandum eſſe locorum conſuetudini, quæ pro Regionum conſuetudine, & eorum qui ad Miſſas confluunt, opportunitate, magis aut minus ampliavit limites meridiani temporis moraliter accepti, & latius quam auroræ terminos, ut apud omnes convenit. Unde qui intra fines ex loci legibus conſtitutos hæſerit, ab omni culpa vacat: qui autem eos tranſilierit, gravis culpæ ſuſpicionem incurret, niſi quid ſubſit excuſantis cauſæ.

Excuſat autem 1. viatici ad infirmum ceteroqui ſine Sacramentis moriturum deferendi neceſſitas. Atque licet id ad tres poſt meridiem horas reſtringat Vaſques diſp.232. cap.4. alii paſſim cum Lugo ad diem totam extendunt. Erit tamen admodum infrequens caſus hujuſce applicatio, ſi Sacerdotem, ut tunc temporis celebret, jejunium eſſe oporteat; de quo ſupra pag. 486.

2. magna quæpiam in loco Solemnitas, quæ ex ſacra concione diu protracta fuerit, moris enim eſt ut his diebus poſt majorem Miſſam Miſſæ privatæ recitentur. Atque id ad tertiam uſque horam extendunt Itali atque Hiſpani Doctores, quos incunctanter ſequitur Quarti, ibid. dub.4. Huc refert Collator Andegav. cęremoniam publicam, proceſſionem, ac ſepulturam.

3. ſufficit etiam, juxta plures, cauſa privata, qualis occurrit, cum Sacerdos itinere præpeditus, Miſſam non audiet, niſi una poſt elapſum meridianum tempus hora, id eſt, hora juxta Silvium circiter ſecunda celebret. Ita idem Quarti cum Suare, Laymano, & aliis pluribus. Ex quo colligere eſt minorem requiri cauſam, ut quis tranſacta meridie celebret, quam ut ante auroram. Quod autem, ait Quarti, id factum, quia nuſquam ante auroram ſine diſpenſatione celebratum ſit, diu vero celebratum fuerit poſt meridiem; minus ſolide dictum eſt. Etſi enim diu & ad ipſa etiam S. Thomæ tempora viguit conſuetudo, ut in diebus jejuniorum celebrarentur Miſſæ hora nona, id eſt poſt meridiem tertia; imo & ſerius, *quando Ordines faciendi erant, quia Ordines pertinent ad diem Dominicum;* conſtat tamen Sacra diu nocturno tempore celebrata fuiſſe, ut liquet ex Tertulliano Lib.2. ad Uxorem c.4. Atque hinc Chriſtiana plebs ab Ethnicis per invidiam dicebatur *latebroſa gens & lucifugax*, ut videre eſt apud Minutium Felicem. Neque vero nocturnæ illæ Synaxes una cum Tyrannorum perſecutione prorſus deſierunt: cum pluribus poſtea ſæculis Miſſa de nocte pluries per annum celebrata ſit, nempe non, ut hodie, ſolum in Nativitate Domini, ſed etiam in pervigilio Paſchatis, & ſingulis quatuor temporum Sabbatis; eumque morem ad Traditionem Apoſtolicam refert S.Hieronymus in c.25. Matthæi. Ut ut eſt, nocturna Sacra extra diem Dominicæ Nativitatis ubique jam abſoleverunt. Idem eſt de veſpertinis, quæ vix ullibi gentium in uſu ſunt præterquam in Eccleſia S. Andreæ Vercellenſis, ubi Canonici Lateranenſes hora Italica 24. nobis quarta veſpertina, plus uno circiter quadrante, nocturnam Natalis Domini Miſſam in ejuſdem Feſti pervigilio celebrant: quod tamen, impoſita etiam pœna ſuſpenſionis, Pius V. vetuerat Conſtit.4.

S. Thom. 3 p. q.83 art.2.

S E-

SECTIO SEXTA.

De loco Sacrificii.

ANtequam de loco ſacrificii diſſeramus, prænotare juvat, 1. nullum vel a natura, vel a Chriſto determinatum eſſe locum, in quo neceſſario offerri debeat ſacrificium novæ Legis. Non a natura, quia mundus univerſus eſt templum Dei; cumque is *cœli & terræ Dominus* ſit, *non in manufactis templis*, quaſi horum indiguus, *habitat*. Non a Chriſto, qui ut *in omni loco* orari poteſt, ſic & in omni loco ſacrificari. Unde Apoſtoli, & qui eos proxime ſecuti ſunt ſacri Antiſtites Act. 2. 46. *circa domos* frangebant panem; neque in domibus ſolum, ſed & ubicumque poterant: *Cum ab omnibus fugaremur atque opprimeremur*, ait apud Euſebium Dionyſius Alexand. *nihilominus tunc quoque feſtos dies egimus: quivis locus .... ager, ſolitudo, navis, ſtabulum, carcer, inſtar templi ad ſacros conventus peragendos fuit*.

Act. 7. & 17.

I. Tom. 2. 8.

2. conveniens tamen admodum fuiſse, ut certa loca divino cultui conſecrarentur. *Periculum eſt*, ait Magnus Baſilius Lib. de Bapt. cap. 8. *ſi loci rationem neglexerimus, maxime ſi Sacerdotii myſteria in locis profanis celebraverimus: propterea quod ea res indicium haberet contemptus in Celebrante, offendiculum quoque generaret*: & S. Cyrillus Lib. contra Antropomorphitas cap. 12. *Oblatio*, inquit, *quam myſtice celebramus, in ſolis Orthodoxorum ſanctis Eccleſiis offerri debet, neque alibi omnino. Qui ſecus faciunt, aperte legem violant*.

3. templorum uſum non inepte ad Apoſtolos referri, qui licet in domibus paſſim, lubentius tamen in locis ad id deputatis ſacra feciſse videntur. *Eccleſia*, ait Auguſtinus q. 57. in Levit. *dicitur locus quo Eccleſia congregatur. Nam Eccleſia homines ſunt, de quibus dicitur* Epheſ. 5. 27. *Ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam: Hanc tamen vocari etiam ipſam domum orationis, idem Apoſtolus teſtis eſt* I. Cor. 11. *ubi ait: Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? an Eccleſiam Dei contemnitis?* Et vero certum eſt plura ab Ethnicis Imperatoribus Edicta prodiiſse ad diruenda Chriſtianorum Templa & Altaria, uti videre eſt apud Euſebium Lib. 8. Hiſt. Eccl. c. 2. erant ergo jam a prioribus ſæculis Altaria & Baſilicæ. De utriſque diſertam mentionem habet Tertullianus Lib. de Orat. c. 14. *Solemnior*, inquit, *erit ſtatio tua, ſi & ad Aram Dei ſteteris*; & Lib. 1. de Idololatria cap. 7. *Tota die ad hanc partem zelus Dei perorabit, ingemens Chriſtianum ab idolis in Eccleſiam venire, de adverſarii officina in domum Dei*.

Nec eſt quod objiciatur, Gentiles eo ut plurimum Chriſtianos tanquam Atheos redarguiſse, quod nulla haberent Templa: idque a fidei vindicibus conceſſum fuiſse; quos inter Lactantius Lib. de ira Dei ſub finem: *Sit*, inquit, *nobis Deus non in Templis, ſed in corde noſtro conſecratus: deſtructibilia ſunt omnia quæ manu fiunt*, &c. Nam Chriſtiani Apologiſtæ, cum tacite fatebantur nulla ſe habere Templa, id de Templis, non abſolute & ſimpliciter ſumptis, ſed ſumptis more & ſenſu Gentilium fatebantur. Nimirum vero Ethnici magnificas diis ſuis ædes ſumptibus immodicis attollebant, quia iis numina ſua tanquam domiciliis concludi, ibique Sabæis vaporibus recreari, ac victimarum ſanguine ſatiari ſtulte imaginabantur, ut vel ex una idoli Bel hiſtoria, Daniel. 14. colligere eſt. Sacrilega id genus delubra a ſe ſuiſque toto mentis niſu ablegabant Arnobius, Minutius

Digitized by Google

tius Felix, Lactantius & alii: imo nec Templorum nomen uſurpabant, tum ut ab ipſis Paganorum vocabulis abſtinerent; tum ne, prout tunc temporis pluries evenit, confunderentur cum Judæis, propter recentem Jeroſolymitani Templi & ſacrificiorum ibidem oblatorum memoriam. Verum converſo Templorum nomine ad ea loca, in quibus coadunarentur Fideles, ut Deum unanimi concentu precarentur, ſacra myſteria celebrarent, aliaque ſanctæ Religionis munia obirent; nemo eſt qui apud Veteres deprehendat, loca hæc Chriſtianis defuiſse; nemo, niſi in Traditione hoſpes & peregrinus, qui frequentem eorum jam a prioribus ſæculis memoriam non repererit.

Hæc porro quæ relative ad ſacrificium dicebantur Templa, paſſim etiam dicebantur *Oratoria*, prout orationi & precibus; *Baſilicæ* ſeu Memoriæ & Martyria, prout aſservandis Martyrum reliquiis; *Eccleſiæ* demum, prout piæ plebi Evangelicis verbis & Sacramentis paſcendę deſtinata erant. His obiter præmiſſis nonnulla quæ ad praxim ſpectant, inveſtiganda manent.

Quæres itaque 1. quibus in locis ſacrum celebrare liceat.

R. 1. de jure communi & ordinario non licet ſacrum facere niſi in loco, vel ab Antiſtite ſolemniter conſecrato, vel ab eodem, aut ſaltem a Sacerdote de ejus licentia, benedicto; vel demum, ſi de Oratoriis ſeu Capellis ſermo ſit, ad uſum hunc ab iis qui poteſtatem habent, deputato. Quanquam moris eſt apud nos, ut Capellę etiam privatæ, ſeu domeſticæ, benedicantur.

Ad tollendos domeſticarum Capellarum abuſus, quos ſemper luxerunt pii quicumque divini cultus amatores, vetuere Pontifices Rom. Paulus V. & Urbanus VIII. ne Epiſcopi earumdem licentiam cuipiam ſæculari per modum habitus, ſeu extra caſum tranſitoriæ neceſſitatis, indulgerent: & licet reſervatio hæc non vigeat in Gallia, placuit tamen hic referre exemplar diſpenſationis, prout Romæ concedi ſolet, ut intelligatur hac in re mature & graviter eſse procedendum. En ergo formulam Apoſtolici Brevis, prout extat apud Quarti part. 3. tit. 9. num. 1. ſect. 3.

„ INNOCENTIUS ..... Tibi Diœceſis N. qui ut aſſeris, de nobili genere procreatus exiſtis, ut in privato domus tuæ ſolitæ habitationis Oratorio, ad hoc decenter muro extructo, & ornato, ſeu extruendo & ornando, ab omnibus uſibus domeſticis libero, per Ordinarium loci prius viſitando & approbando, ac de ipſius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura, unam Miſſam pro unoquoque die; dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit; per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum, Sęcularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem, ſine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis D. N. J. C. necnon aliis ſolemnioribus anni Feſtis diebus exceptis, in tua & familiæ tuæ, necnon hoſpitum tuorum nobilium præſentia, celebrari facere libere & licite poſſis & valeas indulgemus: non obſtantibus, &c. Volumus autem quod familiares ſervitiis tuis non neceſſarii ibidem Miſſæ intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus Feſtis de præcepto minime liberi cenſeantur. Datum Romæ, &c. „

Hic vides 1. domeſticæ Capellæ uſum, non omnibus paſſim, ſed ſolis Nobilibus concedi; 2. nec pro iis omnibus concedi, qui Sacro hic celebrato intereſſe volent, ſed pro iis tantum familiaribus ſeu ſervis, qui domi-

dominorum obſequio neceſſarii ſunt ; 3. ceteris proinde adeundam eſſe Parochiam , ut audiendæ Miſſæ præcepto ſatisfaciant ; 4. Oratoria illa non in cubiculi profani angulo , aut inter feneſtræ latera , aut in quadam armarii ſpecie conſtrui debere , ſed in loco undique muris ſepto , vel ut minimum, qui in anteriori parte tela ab uno latere ad aliud amovibili concludatur. In hoc Pariſienſi Tractu interdictæ ſunt Capellæ adeo breves , ut Sacerdos in loco profano Miſſam inchoare cogatur. En verba Emin. Card. Noallii in Decreto dato die 24. Aprilis , an. 1709. *S'il y a encore quelques-unes de ces Chapelles à la Ville , ou a la Campagne , qui ſoient comme une eſpece d'armoire , ou ſi ètroites qu'il n'y ait qu'un Autel dans le mur , & que le Prêtre à l'Introite ſoit dans un lieu profane , comme ſale , chambre , antichambre , ou autres lieux ſemblables ; Nous interdiſons dès à preſent les dites Chapelles , & dèclarons , que nous n'avons jamais eu intention de les approuver ;* ergo qui in iis celebrant , graviter delinquunt. Quoti tamen eo in caſu verſantur.

Recueil des Mandements &c. pag. 498.

R. 2. licet tamen aliquando extra locum ſacrum celebrare, & 1. quando corruit inopino caſu , vel flammis abſorpta eſt Eccleſia.

2. cum *in itinere poſitis*, utique pluribus, *defuerit Eccleſia :* Tunc enim , *ſub dio , ſeu in tentoriis, ſi tamen tabula Altaris conſecrata, ceteraque ſacra miniſteria ad id officium pertinentia ibi affuerint , Miſſarum ſolemnia celebrare concedimus*, ajunt Patres Concilii Triburienſis apud Gratian. c. 30. *De Conſecr.* diſt. 1. & hac de cauſa in caſtris militum fiunt diebus præceptis Sacra in campo patenti. Fiunt item in maris littore pro navigantibus , qui jactato ventis mari, ſacrum audire non poſſent.

3. ait Quarti part. 3. tit. 10. nu. 1. dub. 5. in die ſolemni parvæ alicujus Eccleſiæ, ſi abundet populi multitudo, poteſt ante ſeu extra Eccleſiam erigi Altare, ut plebs tota Miſſam audire poſſit; *quod intelligo*, ait idem, *etiamſi alias Feſtum non eſſet de præcepto, modo abundet multitudo concurrentium:* prout *docent Navarrus, Suarez, Lugo diſp. 20. nu.* 48. &c. Addit idem, petendam eſſe Epiſcopi licentiam, cum adiri poteſt ; ceterum vero hanc ex decentia , non ex rigore neceſſariam eſſe, quando neceſſitas eſt evidens: ſi vero non adeo manifeſta ſit , tunc omnino requiri ejus diſpenſationem. Hæc ille , quæ valeant ut poſſunt : certe non ſuſpicor in Galliis eſſe, qui ob ingentem multitudinis in die profeſta concurſum, extra ſacram ædem divina myſteria celebrare præſumat.

4. jure communi permiſſum eſt Epiſcopis , quos *tranſire non decet abſque cauſa rationabili ullam diem* ſine Miſſa celebrata vel audita , *ut Altare poſſint habere viaticum , & in eo celebrare, ac facere celebrari ubicumque , abſque interdicti tranſgreſſione :* ita Clemens IV. cap. final. *De privileg.* in 6. Unde colligit Quarti cum Diana, id eis non in ſua tantum, ſed & in aliena Diœceſi, atque inconſulto hujus Epiſcopo , licitum eſſe : quia id mera eſt executio privilegii perſonalis , quæ ubique permiſſa eſt. Hanc quidem Epiſcoporum facultatem revocaverat quoad domos Laicorum Clemens XI. 15. Decemb. 1703. at illam reſtituere Innocentius XIII. 13. Maji 1723. & Benedictus XIII. 17. Sept. 1724.

5. & id etiam moris eſt, ut pro viris & feminis Principibus extra ſacras ædes celebretur , ſeu cum decumbunt , ſeu cum migrarunt e vivis: prout in domibus regiis non ſemel vidimus.

An

Digitized by Google

An in navibus celebrare liceat, controvertitur. Affirmant contra D. Antoninum, Navarrum, & Suarem, plures non infimi nominis Theologi; tum quia in grandibus navigiis non deſunt loca quæ decenter componi poſſint; tum quia ad vitandum quod metui poſſit effuſionis periculum, poteſt quis Diaconus vel Sacerdos firma manu calicem regere; tum quia alioqui & vivi diu carerent ſacrificio, & viatico morientes. Quod ſi æquor, inſtabile elementum, inter ſacra nimio moveri contingat, erit id Sacerdoti faciendum, quod in Eccleſia ſuborto vehementi & improviſo terræ motu fieret. Hæc illi, circa quæ hæc paucis annotata velim, 1. Philiberto Principi, negatam fuiſſe libertatem ſacrificii in triremibus, quæ leviori aura moventur; 2. eamdem Jeroſolymitanis Equitibus an. 1706. conceſſam fuiſſe a Clemente XI. hac lege ut tunc tantum Sacra fierent, cum & tranquillum a ventis ſtaret mare, & ſodum cœlum, & demum celebranti aſtaret Sacerdos vel Diaconus, qui calici invigilaret. Praxim hanc pro more gentis antiquo ſequuntur regia navigia.

Queres 2. an in omni loco, vel nunc, vel olim conſecrato aut benedicto ſacra facere liceat.

R. negat. neque enim ſacris operari licitum eſt in Eccleſia, quæ vel execrata ſit, vel violata ſeu polluta, vel interdicta.

Porro execratur locus ſacer, cum a conſecratione ſua vel benedictione excidit. Id autem contingit 1. quando ædes totæ ſeu fortuito caſu, ſeu conſulto, totaliter aut ex majore ſui parte etiam quoad parietes deſtruuntur ſimul, ſimulque de novo reædificantur; tunc enim etſi ex eadem materia, iiſdemque ruderibus reſarciantur, nova opus eſt conſecratione: quia in hoc caſu non eſt eadem moraliter Eccleſia, imo nec phyſice. Aliud eſt ſi Eccleſia ſucceſſive per partes deficiens, ſtatim per partes reficiatur: neque enim nova opus erit conſecratione, tametſi ſenſim nulla pars de primo ædificio ſupererit. Ratio eſt, quia noviter & paulatim per partes refecta, eadem permanere cenſetur, ut patet tum in Militum Legione, tum in corpore humano, quæ ſemper pro iiſdem habentur, etiamſi militibus occiſis novi ſubſtituantur, & deperditis corporis humani partibus aliæ in dies ſuccreſcant: *Si tecta, aliaque ligna Eccleſiæ combuſta ſint illæſis parietibus, conſecrationem non amittit, quia conſecratio in parietibus*, ubi fiunt cruces & inunctiones, *conſiſtit*: ita Innocentius III. cap. *Ligneis 6. De conſecrat.* Si tamen parietes, etſi non corruerint, adeo ex toto vel ex parte intus devaſtati ſint & abraſi, ut omnis eorum cruſta vel major pars perierit, nova indigebunt conſecratione; quia conſecratio in iis partibus facta erat. Quod ſi cruſta, vel major ejus pars, per intervalla temporum tollatur ſucceſſive renovationis cauſa, manebit ſemper quæ prius conſecratio; tum quia, ut diximus in ſimili, iidem moraliter erunt parietes; tum quia pars major conſecrata minorem non conſecratam ad ſe trahit, ut etiam fit in oleo non conſecrato, cum conſecrato immiſcetur, c. 3. eod. tit. A fortiori conſecrationem non aufert parietum dealbatio.

2. Contingit execratio, cum Eccleſia ita penes longitudinem, latitudinem vel altitudinem amplificatur, ut partes de novo additæ molem antiquam mole ſua ſuperent. Secus ſi præexiſtens corpus partem additam ſuperet: tunc enim opus non erit ut Epiſcopus Eccleſiam denuo conſecret, ſed duntaxat ut id quod ſuperadditum eſt, aqua benedicta aſpergat.

3. Exſe-

3. Execrata quodam modo cenſetur Eccleſia, *quoties* de conſecratione ejus legitime *dubitatur, & nec certa ſcriptura, nec certi teſtes exiſtunt, a quibus conſecratio ſciatur* peracta olim fuiſſe. Tunc igitur *abſque ulla dubitatione* conſecranda eſt: *nec talis trepidatio facit iterationem, quoniam non monſtratur eſſe iteratum, quod non ſcitur* eſſe *factum:* ita Can. 16. *De conſecr.* diſt. 1. Ratio eſt, quia Eccleſiæ conſecratio non præſumitur, niſi probetur. Probari autem poteſt vel ex Scriptura in Libro, pariete, vel lapide reperta; vel per Cruces quæ in parietibus depingi ſolent; vel per idoneos teſtes, quorum vel unus, & quidem ſolum *de auditu*, juxta plures, ſufficit.

4. Non deſunt caſus in jure minime expreſſi, in quibus Eccleſia, licet conſecratione non indigeat, benedictione tamen ex decentia magna indigere videatur; ut ſi templum, quod poſt conſecrationem inſerviit hæreticæ ſuperſtitioni, redeat ad Catholicos. Si diu fuerit ſine januis & tecto, interimque flamine & ſpurcitiis plenum fuerit, & profanis uſibus mancipatum. Item ſi cujus membrum in Eccleſia per rixam, ſine ſanguinis effuſione, fractum fuerit. Tunc enim decet ut Sacerdos ex nutu Epiſcopi parietes aqua benedicta aſpergat; & in primo caſu Altaria ſingula viſitet.

Etſi diruta Eccleſia, ſed remanente pavimento, benedictionem permanere credit Quarti, quia hæc pavimento inhæreat, ut parietibus conſecratio; nolim tamen hic Sacrum facere, niſi nova præceſſerit benedictio.

Violatur locus ſacer, 1. per homicidium voluntarium, & mortaliter injurioſum, quale eſſe poteſt etiamſi injuſtum non fuerit, ut ſi reus ſuſpendatur in templo; 2. per voluntariam & graviter injurioſam humani ſanguinis effuſionem; 3. per voluntariam & peccaminoſam humani ſeminis effuſionem; 4. per ſepulturam ſeu excommunicati denuntiati, ſeu cujuslibet hominis propter infidelitatem minime baptizati. Neque enim, juxta Sayrum Lib. 5. Theſauri cap. 16. num. 24. & alios quibus inhæret Quarti, violaretur per ſepulturam tum Catechumeni, quia præſumitur deceſſiſſe cum Baptiſmo flaminis; tum hæretici, haud denuntiati, quia is propter fidem in Baptiſmo ſuſceptam, nomine Fidelium comprehenditur, ut ex Can. *Omnis utriuſque ſexus*, 12. *De pœnit. & remiſſ.* colligunt Suares diſp. 70. ſect. 1. & Lugo diſp. 20. nu. 57.

Hic quædam notanda, 1. ut Eccleſia quarto hoc modo violetur, non requiri peccatum, ſed ſatis eſſe infidelis aut excommunicati denuntiati ſepulturam, quocumque modo fiat; 2. nuſquam pollui Eccleſiam in prædictis caſibus quandiu manent occulti: unde ad id requiritur evidentia facti vel juris, aut ſaltem indicia quæ teſtibus æquivaleant. Quapropter Parochus, qui vel ſolus, vel cum paucis aliis, Eccleſiæ ſuæ violationem cognovit, in ea ſicut prius celebrare poteſt, donec caſus notitia ſufficienter dimanaverit in plebem; 3. Oratoria domeſtica prædictæ violationis capacia non eſſe; etiamſi hæc ad ſacrorum celebrationem auctoritate Pontificia vel Epiſcopali deſignata fuerint: quia jura de Eccleſiis ac locis publicis loquuntur, & pœnales materiæ reſtringi debent. Ita Lugo, Quarti, & vulgo Canonici Juris Interpretes in tit. 40. Lib. 3. Decretal. 4. polluta Eccleſia pollui & Altaria quæ in eadem erecta ſunt; ſicut etiam polluto vel uno ex Altaribus Eccleſiam totam pollui neceſſe eſt: at vero execrata Eccleſia, ſubverſis v. g. navis parietibus, non ideo execrari Altaria, quæ integra & illæſa remanent; ſicut viciſſim execrato, ſeu excon-

exconſecrato Altari, non ideo execratur Eccleſia; 5. *Ligna Eccleſiæ dedicatæ, vel igni eſſe comburenda, vel ad aliam Eccleſiam, vel ad profectum Monaſterii eſſe adhibenda*, ex cap. 38. *De conſecrat.* diſt. 1. quia quæ ſemel ſacris uſibus ſunt deputata ad profanos converti non debent; 6. *Si Sacerdote celebrante violetur Eccleſia ante Canonem, dimittatur Miſſa; ſi poſt Canonem, non dimittatur*. Ita Rubricæ Miſſalis p. 3. tit. 10. nu. 2.

Sed quid juris, ſi Sacerdos in Eccleſia violata ex bona vel mala fide celebraverit.

R. in 1. caſu Sacerdotem peccati omnis expertem fore; ſed quidquid ſentiant nonnulli apud Dianam, non ideo reconciliata erit per hujuſmodi celebrationem Eccleſia: 1. quia opinio contraria nullo juris textu innititur; 2. quia alioqui poſt celebratam in templo minime benedicto Miſſam, nulla opus eſſet conſecratione vel benedictione; quia ſicut Miſſæ dignitas reconciliationi prævalet, ita & conſecrationi: atqui conſequens eſt falſiſſimum; 3. quia ſi Epiſcopus ejuſve Vicarius Generalis, diſpenſet ad tempus ut in Eccleſia violata celebretur (quod in neceſſitatis caſu fieri poſſe tradunt communiter Doctores cum Suare, Layman, Lugo, Quarti, &c.) poſt elapſum diſpenſationis tempus ſemper reconcilianda eſt Eccleſia.

R. in 2. caſu Sacerdotem lethaliter peccare; quia præceptum & juſtum, & in graviſſima religionis materia tranſgreditur. Nullam tamen incurrit pœnam, ſeu irregularitatis, quia hæc nullo contra peccatum iſtud jure decreta eſt; ſeu (ut pluribus videtur contra Silveſtrum v. *Conſecratio* 2. Azor Tom. 1. Lib. 10. c. 26. q. 19.) ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ. Et vero caput 8. *De privileg.* in 6. cui innituntur prædicti Auctores non loquitur de celebrantibus in loco violato, ſed interdicto: porro aliud eſt violari Eccleſiam, aliud interdici. Cetera quæ ad hanc & interdicti materiam ſpectant, non proſequimur, quia de his ſat egimus in Tract. de Cenſuris, ad quem recurrere non gravabitur Lector benevolus.

Unum hic, quod utinam ponderent, & a Fidelibus ſerio & ſæpe ponderari curent Paſtores, animadvertiſſe ſufficiat, Eccleſias ſcilicet, tametſi in foro fori non violantur niſi in caſibus ſupra memoratis, violari tamen probabiliſſime in foro Dei per quodcumque peccatum: unde illud ex circumſtantia loci induit ſacrilegii malitiam; ſeu venialem, ſi levis eſt materia, niſi grave ſubſit ſcandalum; ſive mortalem & in confeſſione neceſſario aperiendam, ſi materia gravis ſit, prout alibi * docuimus. Certe, ait Alexander II. c. *Ex multis* 9. 1. q. 3. *Nuſquam reperitur, Dominum tanta ſeveritate peccatores corripuiſſe, ſicut illos vendentes & ementes in Templo*, licet nonniſi ad uſum Templi venderent. Hinc Concilium Lugdunenſe II. Can. 25. *Ceſſent*, inquit, in locis ſacris *vana & multo fortius fœda & profana colloquia: ceſſent confabulationes qualibet .... ne ubi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi. Ceſſent in Eccleſiis earumque Cœmeteriis negotiationes. In his ſecularium judiciorum ſtrepitus conquieſcat, & proceſſus Judicum ſecularium ac ſpecialiter ſententiæ prolatæ in iiſdem locis omni careant robore firmitatis*. Iiſdem hæſit veſtigiis Synodus Tridentina, quæ in Decreto de vitandis & obſervandis in Miſſæ ſacrificio, præcipit ut Epiſcopi a ſacris locis id omne avertant, quibus ea profanari poſſint; quod quia mire præſtitit S. Carolus Borrom. vir, ſi quis unquam, zelo zelatus domum

* *T. III. pag. 516.*

Domini, juvat hic Decretum illius exſcribere, ut diſcant Clerici qualem locis ſanctis reverentiam & exhibere ipſi, & a Fidelibus exigere
A. 1585. teneantur. Sic ergo habet in Concilio Mediolanenſi I. & IV.

„ Nemini cum venaticis canibus vel volucribus in Eccleſiam ingredi „ liceat; neque haſtam, vel ſclopetos, aliave ejuſdem generis in eam
Tom. 15. „ inferre. Ne mendici eleemoſynarum cauſa in Eccleſia vagentur, ſed
Conc. p. „ extra Eccleſiam conſiſtant. Adhibeatur diligentia, & gravi pœna mul-
299. „ taque agatur, ut & Eccleſiæ & Oratorii, ac Cœmeterii parietes ab „ urinis, aliiſque cujuſvis generis ſordibus mundi conſerventur.

„ Ex Cœmeteriis vites, arbores frugiferæ, & aliæ etiam infrugiferæ „ cujuſvis generis, aut arbuſta excidantur. Nec fœnum ex his ſuccidatur, neve herba vireſcens, quæ beſtiis pabulo ſit. Stabula armentorum, „ & cujuſvis generis animalium inde procul ſint. In iiſdem ne lignorum ſtrues fiat, nec cœmentorum vel lapidum acervus ſit, nec deni- „ que quidquam loci illius decori & ſanctitati repugnans.

„ Ne omnino cujuſquam rei profanæ ſchedulæ Eccleſiarum aut Cœmeteriorum foribus, parietibus, aut in quovis loco ſacro impoſterum „ affigantur. Ne officinæ, tabulæve quovis materiæ genere, vel ipſis „ parietibus inhærentes, vel in Cœmeteriis conſtruantur.

Et in Concilio IV. n. 17. „ Ne Eccleſiæ aut Capellæ tecta palearum „ acervis, neve aliqua lignorum ſtrue onerentur. Ne item a parte ſuperiori cœnaculum, vel cubiculum, vel omnino locum habeant, ubi „ aut dormiatur, aut habitetur, aut quidquam profani fiat: quæ vero „ loca jam ejuſmodi ſunt, omnino amoveantur.

„ Ne frumentum, ullumve tritici aut leguminum genus, ne poma
Ib. p. 434. „ item, ne inſtrumenta ad prædiorum ruſticorum uſum comparata ..... „ ne denique quidquam a domo Dei alienum in Eccleſia etiam non „ conſecrata, aut in Oratorio, aut in Cœmeterio recondi aut aſſervari „ ab ullo quovis homine liceat. Vetitumque præterea ſit, niſi cum interdum aliter Epiſcopus faciendum cenſuerit, clavem illius Eccleſiæ „ aut Oratorii, etiam Diœceſani, ruraliſve, laicis hominibus, præſertim vero colonis ..... committi, aut ab illis cuſtodiri.

„ Ne Campanæ in iis conflentur ...... neve fabrile quidquam, aut „ aliud hujus generis fiat, niſi quæ ad ejuſdem Eccleſiæ, aut Oratorii „ uſum, ornatumve alibi fieri non poſſint.

„ Ne in Cœmeterio frumentum quaſi in area ventiletur; ne tritura „ fiat; ne palea, frumenta, fruges expandantur; nec vero telæ, pannive linei, lixivio aquave madefacti, Soli ibidem exponantur; neque „ in eo feminæ, mareſque colo quidquam neant, neve ſuant, aut aliud „ præterea opus faciant, eorum ſacrorum locorum rationi alienum.

„ Eccleſiæ oſtia, Cœmereria item, aut Rectori, aut etiam aliis uſui „ ne ſint res profanas, onerave aſportantibus, hacque & illac per Eccleſiam, ſacraque loca, quaſi per viam publicam tranſeuntibus; cui „ rei plane ut occurratur, cautionem omnem Epiſcopus adhibeat.

„ Ne Grammaticæ, humanarumque Litterarum rudimenta, quæ ſæpe „ inanibus Gentilium fabellis traduntur, aut aliæ omnino Litteræ, præter ſacras in Eccleſia, tanquam in ludo litterario, pueris aperte exponantur: ſed rudimenta ſolum doctrinæ Chriſtianæ.

Et

Et alibi: „ Altaria, ſacræ tabellæ & imagines, ac parietes ipſi perpe- „ tuo niteant: pavimentum autem ſaltem octavo quoque die diligenter „ verratur. Hæc omnia præſtari cujuſvis Eccleſiæ ſit cura Rectoris. „

Quærunt hic aliqui, utique extra locum, an Eccleſia execrata vel interdicta perdat immunitatem ſuam.

Not. immunitas Eccleſiarum eſt privilegium locis quibuſdam ſacris conceſſum, ut certorum criminum conſciis ſint loca refugii; ſecundum id Concilii I. Aurelianenſis an. 511. Can. 1. *De homicidis, adulteris, & furibus, ſi ad Eccleſiam confugerint, id conſtituimus obſervandum quod Eccleſiaſtici Canones decreverunt, & Lex Romana conſtituit, ut ab Eccleſiæ atriis vel domo Epiſcopi eos abſtrahi omnino non liceat*. Quod & confirmavit Carolus Magnus Lib. 5. Capitular. cap. 90. his verbis: *Reum ad Eccleſiam confugientem nemo abſtrahere audeat, neque inde donare ad mortem vel ad pœnam, ut honor Dei & Sanctorum ejus conſervetur: ſed Rectores Eccleſiarum pacem & vitam ac membra ejus obtinere ſtudeant: tamen legitime componat quod inique fecit*. Poteſt nihilominus Judex cuſtodiam Eccleſiæ apponere ne reus effugiat, licet impedire non poſſit, ne ad eum victus deferatur, Leg. *Præſenti*, Cod. *De his qui ad Eccleſiam confugiunt*. 9. XVII. qu. 4.

Jure tamen recentiori plures ſunt caſus in quibus reum ab Eccleſia abſtrahere liceat, ut ſi per induſtriam, venenum v. g. aut inſidias occiderit proximum: ſi crimen in ipſa Eccleſia commiſerit: ſi nocturnus ſit agrorum depopulator, aut publicarum viarum prædo. Quæ omnia fuſiori indigerent expoſitione, multiſque limitationibus, niſi jus aſyli, toties olim in Gallia commendatum, in ea nunc prorſus, juſtis utique de cauſis, obſoleviſſet. Unam hic e multis adjungere placet Sacræ Cardinalium Congregationis declarationem, qua Theologus quidam Pariſienſis revincitur: *Clerici confugientes ad Eccleſiam gaudent immunitate reſpectu utriuſque Judicis*, civilis & Eccleſiaſtici; die 20. Aug. an. 1601. & 24. Januar. 1617. apud Jacobum Pignatel. Tom. 6. Conſult. 4. n. 110. Jam ad propoſitum

R. Eccleſiam, aut locum quemlibet ab Epiſcopo ad ſacra deputatum, violatum licet, interdictum aut execratum, ſi tamen in hoc poſtremo caſu ſubſit ſpes futuræ reparationis, valere ad immunitatem: tum quia negatio immunitatis nullo jure contra prædictas Eccleſias decreta eſt; tum quia Eccleſiæ etiam necdum conſecratæ jure aſyli gaudent, ex cap. *Eccleſiæ 9. De immunitate*. Qui de hoc argumento nobis inutili plura voluerit, adeat Juris Interpretes in tit. 49. Lib. 3. Decretal. præcipue vero Petrum Gambacurtam e S. J. in ſpeciali ea de re Tractatu in 4. ubi quæſtionem propoſitam verſat Lib. 4. cap. 2. pag. mihi 209.

SECTIO SEPTIMA.

De Altari, Mappis, &c.

AD locum ſacrificii pertinet etiam Altare, de quo plura dicemus, ſed paucis. Quod ut fiat,

Quæres 1. an Altaria apud Chriſtianos recentis ſint inſtituti, tum quoad ſe, tum quoad eorum conſecrationem.

R. negat. quoad utramque partem; & quidem 1. in hoc D. Pauli textu I. Cor. 10. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmonio-*

moniorum, vox, *menſa*, non minus quoad Chriſtianos Altare verùm ſignificat, quam quoad Gentiles; 2. Altarium meminere antiqui quicumque Patres, ut Irenæus Lib. 4. cap. 34. Tertullianus Lib. de Orat. ubi :
Pag. 36. *Solemnior*, inquit, *erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris*. Cyprian. Epiſt. 66. *Non meretur apud Dei Altare nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari*
Pag. 709. *Sacerdotes & Miniſtros voluit avocare*. Athanaſius in vita S. Antonii. Optatus Milevit. Lib. 6. *Quid eſt tam ſacrilegum, quam Altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtuliſtis, frangere?*

Quod ad Altarium conſecrationem Novatoribus tantopere inviſam, habet hæc fundamentum, tum in ritu, quicum antiqui Patriarchæ Altaria Deo erecta effuſo oleo conſecrabant, ut Jacob Geneſ. 28. quod & in trina Templi dedicatione cum ingenti celebritate factum legimus II. Paral. c. 7. I. Eſdræ c. 6. & I. Machab. c. 4. tum & in conſtanti priorum
Tom. 2. Conc. p. 1215. ſæculorum Traditione. *De Eccleſiis*, ait Concilium Carthag. V. *quoties ſuper earum conſecratione hæſitatur, agendum eſt ut ſine ulla trepidatione conſecrentur*. Agathenſe cap. 14. *Placuit Altaria, non ſolum unctione chriſmatis, ſed etiam Sacerdotali benedictione ſacrari*. Idem adſtruunt Athanaſius in Apolog.
Tom. 4. Conc. p. 1385. ad Conſtantium, Baſilius in Pſalm. 114. Euſebius Lib. 4. de vita Conſtantini, &c. Et vero Altare tum quoad ſe, tum quoad appendices ſuas, multa pio ſenſu pleniſſima ſignificat. Nempe per ſe ipſum repræſentat, ſeu menſam, in qua poſtremam cum Diſcipulis Cœnam peregit Chriſtus, ſeu Crucem in qua pro nobis immolatus eſt, ſeu Calvariæ montem in quo affixa eſt Crux Redemptoris: Mappæ quibus operitur, exhibent vel linteamina quibus involutum eſt in ſepulchro corpus ejuſdem, vel candorem ſacræ illius humanitatis. Crux medio in Altari poſita, indicat trophæum & victoriam Agni, qui non ferro, ſed ligno Orbem ſubjecit univerſum. Lucernæ hinc & inde aſtantes, ſplendorem doctrinæ illius, qua illuminati Judæi & Gentiles, ab umbris vel nocte ad admirabile Evangelii lumen converſi ſunt, &c.

Quæres 2. quotuplex diſtinguatur Altare, & quæ ejus materia.

R. Altare duplex diſtingui, fixum aliud, aliud portatile, quod & viaticum nuncupant. Fixum illud eſt, quod ita baſi ſuæ inhæret, ut in ea immobiliter perſeveret. Hujus Altaris menſa, ſeu pars ſuperior ex uno conſtat integro lapide, qui totam ejus planitiem conſtituit. Portatile, quod in Rubricis Ara vocatur, de loco in locum moveri poteſt, eique illa ſufficit amplitudo, qua Hoſtiam & majorem calicis partem contineat. Solet iſtud collocari ſuper menſam aliam minime conſecratam, & vulgo ex lignis ad uſum ſacrificii conſtructam. Utrumque debet eſſe lapideum, prout præcipiunt Concilia, * & Rubricæ: imo ex uno ſolo lapide conficí, ut docet tum conſuetudo; tum & pene unanimis Theologorum conſenſus; tum & quædam neceſſitas unicam Chriſti perſonam adumbrandi. Etſi vero ſatis abſolute ſit ut Hoſtiam & calicis partem com-

ple-

* Altaria ſi non fuerint lapidea non conſecrentur, *Concil. Epaonenſe*, & *Capit. Caroli Mag.* Olim tamen nec raro Altaria fuere lignea, ut oſtendit P. Martene Lib. 1. de antiq. Eccl. Ritib. c. 3. art. 6. & hujuſmodi duo etiamnum Romæ aſſervantur; aliud in Eccleſia Lateranenſi, ſuper quo B. Petrus, & Rom. Pontifices uſque ad S. Silveſtrum celebraſſe dicuntur; aliud in Eccleſia S. Praxedis. Fuerunt & Altaria metallica; tale imprimis aureum illud quod Pulcheria Theodoſii ſoror Eccleſiæ CP. donavit; de quo Sozom. Lib. 9. Hiſtor. cap. 1.

Digitized by Google

plectatur, decet ut magis amplum ſit, præſertim quia præter majorem Hoſtiam minores aliquando formulæ conſecrari debent in pixide, quæ & ipſa ſuper Ara reponi debet.

Quæres 3. an Altare vere neceſſarium ſit ad celebrationem ſacrificii.

R. eſſe, non quidem neceſſitate medii, quaſi celebratum extra Altare ſacrificium non valeat; cum a Chriſto immediate inſtitutum non ſit, ſed ab Eccleſia; & aliunde non ſemper abſolute neceſſarium ſit, quidquid a Chriſto inſtitutum eſt; ſed neceſſitate præcepti, tam gravis, ut nuſquam hoc in puncto diſpenſaverit Rom. Pontifex.

Quæres 4. an Altare debeat eſſe conſecratum, & a quo.

R. ad 1. affirm. tum quia id jura præcipiunt, ut liquet ex cap. 32. diſt. 1. *De conſecrat.* tum quia ſi remotus ſacrificii locus, Eccleſia nimirum, ſacer eſſe debeat; a fortiori proximus, videlicet Altare, quod citra conſecrationem merus eſt, & profanus lapis. Hinc quiſquis in Ara necdum conſecrata celebraverit, lethaliter delinquet.

R. 2. Altare per unctionem Chriſmatis & benedictiones in Pontificali præſcriptas conſecrari, idque ab Epiſcopo ſolo, ſecundum id c. 25. diſt. 1. *De conſecr. Nullus Presbyter in Eccleſia conſecrata aliud Altare erigat, niſi quod ab Epiſcopo loci ſanctificatum eſt, vel* ſanctificari *permiſſum*. Poteſt tamen ex indulgentia ſummi Pontificis ſimplici Presbytero demandari conſecratio Altaris: & id quandoque Miſſionariis ad remotiſſima infidelium loca, ubi deſunt Catholici Antiſtites, tranſmigrantibus conceſſum fuit.

Quæres 5. an ad conſecrationem Altaris neceſſe ſit ut in eo recondantur Sanctorum Reliquiæ.

R. Reliquias non abſolute requiri ad ritum conſecrationis. quia nec ſemper adhibitæ ſunt; nec proprie in conſecratione diſpenſaret Papa, ſi eam ex gravibus cauſis ſine Reliquiis fieri permitteret. Ceterum poſitis rebus ut ſunt juxta univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem, Altare ſine Reliquiis conſecratum perinde ad ſacrificium ſe haberet, ac ſi conſecratum non eſſet: quia eam tantum conſecrationis ſpeciem in ordine ad Miſſam approbat Eccleſia, quæ cum Reliquiis peragitur. Et vero qui dicet Sacerdos: *Oramus te per merita Sanctorum, quorum Reliquiæ hic ſunt*, ſi prorſus eæ deſint? Præcipiunt equidem Miſſalia quædam antiqua, ut oratio hæc prætermittatur, ſi deſint Reliquiæ: at poſteriora Rubricam hanc, utique quia improbatam, ſuſtulere, ut animadvertit Silvius q. 83. art. 3. q. 5. p. 397.

Quod credidere aliqui, deficientibus Reliquiis poſſe in Altaris loculo reponi ſeu partem Euchariſtiæ, ſeu fruſtulum corporalis, ſuper quo ſacrificium jam celebratum ſit, omni caret veri ſpecie. Neque enim corpus Chriſti ad ornatum Altaris inſtitutum eſt. Corporale vero cum ſciſſum eſt, a benedictione ſua excidit; & aliunde non tangit phyſice corpus Chriſti, quod in Sacramento tangibile non eſt: unde inſigniter diſtat a ſyndone, qua involutum eſt mortui Salvatoris corpus. Inſuper ad quid pars corporalis in ipſo aræ ſinu, cum corporale integrum ſuper Ara reponi debeat? Demum Sacerdos, cum *per merita Sanctorum* orat, non de Chriſto, ejuſve Reliquiis, ſed de Sanctorum, Martyrum, vel Confeſſorum Reliquiis loquitur. De his plura apud Quarti p. 1. t. 20. dub. 3. diffic. 1. pag. mihi 155.

Quæres 6. an Altare ex eo duntaxat conſecratum fiat, quod quis in illo bona fide celebraverit.

R. Quæſtionem hanc a ſimili definiendam ex iis quæ dicemus ubi de eo qui in calice haud conſecrato ſacra fecerit.

Quæres 7. quibus modis pereat Altaris vel Aræ conſecratio.

R. 1. utrumque Altaris genus violari per ſacrilegam humani ſanguinis aut ſeminis in iis effuſionem.

R. 2. Altare ſimpliciter dictum, ſeu ſtabile, conſecrationem amittit, 1. cum Altaris menſa, etſi integra manet, a baſi, vel pedibus quibus adhærere debet, ſeparatur; 2. cum menſa eadem Epiſcopi judicio notabiliter frangitur. Utrumque tradit Innocentius III. cap. 3. *De conſecratione Eccleſiæ*, &c. *Altare*, inquit, *in quo tabula, cui conſecrationis benedictio Pontificali miniſterio adhibetur, mota* a ſtipite ſuo, *vel enormiter fracta fuerit, debet non immerito conſecrari*. Ratio eſt, quia in Altari fixo conſecratur tota Altaris moles, ſeu, ſi mavis, conſecratur menſa ſuperior, quatenus immobiliter baſi ſuæ adhæret: unde Pontifex chriſmate inungit conjunctionem menſæ cum baſi in quatuor angulis; ergo excidit a conſecratione, ſi menſa ſuperior a ſtipite ſeparetur. Deinde ob myſticas ſignificationes, quas intendit Eccleſia, conſecratur Altare ut totum unum: ubi vero notabiliter frangitur, jam non eſt unum totum, ſed duplex.

Atque hinc colligere eſt, Altare ſi e loco in locum moveatur, puta ab una Capella ad aliam, non amittere conſecrationem. Idemque erit 1. etiamſi paries, cui inſertum eſt Altare, deſtruatur: quia ſtat in his caſibus tota ſua Altari forma, proinque & conſecratio; 2. ſi lapides ex iis quibus innititur Altare (modo Menſam quæ principaliter conſecrata eſt, immediate non tangant) corruant, & alii ſubſtituantur: quia etiamnum conſiſtit Altaris moles, eaque fixa & integra permanet; 3. ſi ſuperior tabula non ſit immobiliter affixa ſtructuræ inferiori, ſed de loco ad locum commode transferri poſſit; quia tunc induit naturam Aręportatilis: ita Silveſter v. *Altare* q.10. & alii quos ſequitur Reiffenſtuel tit. *De conſecr.* &c. nu. 38.

R. 3. Altare portatile, ſeu Aram lapideam, ſua tunc conſecratione ſpoliari, cum ita frangitur, ut nulla ejus remaneat pars apta ad ſacrificium, ideſt, ampla ſatis ut Hoſtiam & majorem calicis partem capiat: ita ſancitum cap. 1. & 3. *De conſecr. Eccleſ.* &c. Ratio eſt quia pereunte forma, perit & quæ ei annexa eſt, conſecratio.

Hinc colliges non perire Aræ conſecrationem, 1. cum frangitur, ſeu imminuitur in quatuor cornibus; quia manet adhuc idonea ſacrificio; & licet unctiones fiant in angulis, tota tamen moles vere conſecratur; 2. cum Ara ita frangitur, ut pars quæ integra remanet, calicem & patenam cum Hoſtia commode complecti valeat. Tunc autem pars alia minor lapidis amovenda erit, tum ut reipſa inutilis; tum quia Altare quodlibet ex uno tantum lapide conflari debet; 3. cum lapis ſacer a lignea cui inſertus eſt capſula dimovetur: hæc enim ad Aræ cuſtodiam vel ornatum pertinet, non ad ſubſtantiam ipſius.

An execretur Altare, ſi frangitur aut a loco ſuo movetur, ſeu ſepulchrum illius, ideſt loculus ille in quo ſacræ Reliquiæ continentur, ſeu ſigillum, non una eſt omnium opinio. Negant alii, quia Reliquias conſecrationi haud eſſentiales eſſe exiſtimant; affirmant alii propter oppoſitam rationem. Utramque nos opinionem relinquentes in vado, quia neutra certa ratione definiri hactenus poteſt, exiſtimamus in Altari, quod hanc fra-

fractionis ſpeciem paſſum ſit, nequaquam eſſe celebrandum; tum quia dubium eſt an id permittat Eccleſia, & in dubiis tenenda eſt pars tutior; tum quia Pontificale ſimpliciter & abſolute exigit Reliquias in quibuſcumque Altaribus; tum quia nemo prudens verba hæc Liturgiæ: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum*, &c. propria auctoritate eradere audebit; & hæc tamen, niſi falſo dicantur, Reliquias ſupponunt. Ita non pauci quos ſequitur Pontas v. *Autel.* caſ. VII. Atque hinc ſicubi inveniantur Altaria Reliquiis deſtituta, vel ſuperponendum erit iis Altare aliud portatile, quod Reliquias habeat; vel in iis, ait Pictavienſis Theologus, Reliquiæ reponendæ erunt; vel, quod deficiente Ara portatili malim, abſtinendum erit a celebrando; niſi aliud exigat populi multi neceſſitas: tunc enim propter adverſæ opinionis momenta, quæ graves viros movent, celebrari poſſe crediderim; obtenta tamen prius Epiſcopi, ſi interim adiri poteſt, facultate. Ceterum fatentur omnes, nullo in caſu, niſi forſitan vitandæ mortis, ejuſque non in religionis contemptum intentatæ, licitum eſſe ſine Ara conſecrata celebrare.

Quæres 8. an polluto vel execrato Altari, violetur vel execretur Eccleſia.

R. polluto uno ſemper violari alterum; at execrato uno, puta Altari, non ideo execrari Eccleſiam, & viciſſim. Sequitur ex ſupra dictis, & attendenti patet. Cur enim ſi frangetur petra Altaris, Eccleſia tota hinc damnum feret?

Quæres 9. an, & quot, & cujus materiæ tobaleis ſeu mappis inſtructum oporteat eſſe Altare, in quo quis celebrat.

R. ad 1. & 2. per hæc Rubricæ verba: *Altare operiatur tribus mappis, ſeu tobaleis mundis, ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem benedictis, ſuperiori ſaltem oblonga, quæ* hinc & inde *ad terram uſque pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata*. Unde, ait Gavantus 1. part. tit. 20. mappæ duæ tuta conſcientia non ſufficiunt. Addit idem licitum eſſe uti mappis haud benedictis, ſi id ſuadeat neceſſitas. Idem docent Silveſter, Azor & Suares, quos ſequitur Quarti ibid. dub. 8. Ceterum non vacat ab omni culpa, qui ad ſacrificium utitur mappis immundis, laceris, vel alias indecentibus. Imo culpa hæc ad lethale aſſurget, ſi enormiter immundæ ſint, vel fœtidæ prudentis arbitrio; quia in eo gravis eſt adverſus tantum Sacramentum irreverentia: eadem eſt ratio de ceteris omnibus quæ ad ſacrificium ſpectant, præcipue vero de ſacris veſtibus.

R. ad 3. mappas ex lino confici debere, tum quia ita fert conſuetudo; tum quia mappæ in Jure vocantur Altaris lintea, ut patet ex cap. 27. *De conſecr.* diſt. 2. & ex Remenſi Concilio apud Burchard. Lib. 3. cap. 97. porro linteum in uſu communi eſt pannus ex lino confectus. Fatentur tamen Azor, Bonacina, aliique plures quos ſequitur Quarti ibid. dub. 8. tobaleas ex tenui canabe confici poſse. Imo nec improbaverit idem, ſi ex goſſipio fiant, ſaltem in iis Regionibus, ubi ex eo fiant telæ delicatiores, earum inſtar quæ ex lino conficiuntur. Aliud plane fuerit, ſi ex materia ſerica fiant; quia linum & bombix ſpecie etiam morali differunt. Unde qui eo pannorum genere uteretur, præcepti ſubſtantiam graviter violaret. Ita iidem & alii communiter.

Quæres 10. an ſacrificii tempore ſuper Altari collocanda ſit imago

Crucifixi, idque ſemper, ac proinde etiam expoſito venerabili Sacramento; & an id ſub grave præceptum cadat.

R. ad 1. affirmat. cum Rubrica, quæ ſic habet p. 1. tit. 20. *Super Altare collocetur Crux in medio*. Porro Crux illa ex Cæremoniali Epiſcop. Lib. 2. c. 12. imaginem Crucifixi præferre debet. *Crux parva cum imagine Crucifixi poſita ſuper tabernaculum in quo aſſervatur incluſum SS. Sacramentum in Altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia Crux in medio candelabrorum. At in Altari in quo adeſt magna ſtatua ſanctiſſimi Crucifixi* (ut Pariſiis in Sorbona) *non eſt* neceſſe *ut ponatur alia Crux, dum celebratur Miſſa*. Ita S. R. Congregatio 16. Junii 1663. apud Merati n. 400. An ut ſtatua, ſic & icon, ſeu depicta Crucifixi imago ſufficiat, non definit præſens Decretum. Sufficere ſentiunt cum Quarti plures, modo ſit ante oculos Sacerdotis. Unde quod dicit Rubrica, Crucem candelabra inter collocandam eſſe, interpretatur pro caſibus in quibus icon Altaris non eſt tabula vel ſtatua Crucifixi.

R. ad 2. ſtatuendam eſſe Crucem, non ſolum in Altari ubi Sacramentum aſſervatur in Tabernaculo (quamquam ait cum Cæremoniali Epiſc. ibid. Gavantus, maxime decet ut ibi Miſsæ non celebrentur, prout obſervabatur antiquitus) ſed in eo etiam ubi actu expoſitum eſt. Ita expreſse definiit S. R. Congregatio 14. Maii an. 1707. his verbis apud Merati n. 604. *Super Altare, in quo SS. Sacramentum expoſitum eſt, Crux de more collocari debet cum imagine Crucifixi appoſita*. Idem diu ante contra Gavantum tenuerant graviſſimi Doctores, eratque præceptum in Cæremoniali tum PP. Excalceatorum SS. Trinitatis, tum & PP. S. Mariæ de Mercede redemptionis.

Neque eſt quod dicatur, non requiri figuram, ubi præſens eſt realitas. Nam 1. axioma illud de veteribus ſacrificiis intelligitur, quæ poſito ſemel Chriſti ſacrificio, cujus erant figuræ, ceſsare debuerunt; non autem de Crucifixi imagine, qua ſenſibiliter repræſentatur Crucifixio jam conſummata, & omnibus modis memoriæ commendanda; 2. nullum eſt inconveniens quod ubi eſt perſona Principis, ſint ſimul & inſignia & imago ipſius; 3. ſi poſita Chriſti realitate tolli debeat imago ejus, poſt conſecrationem tolli deberet Crux ab Altari, quod eſt falſum; 4. in Altari, ſeu ubi aſservatur in Tabernaculo, ſeu ubi palam exponitur Sacramentum, eſt quidem figuratum vere & ſubſtantialiter præſens, ſed oculis fidei & mentis, non vero corporis oculis: Rubrica porro ſenſibilem figuræ præſentiam requirit, ut Sacerdos ſacra faciens, Chriſti paſſionem facilius ſibi revocet in memoriam: atque hinc nihil vetat, quod in ipſa Hoſtia conſecrata habeatur impreſsa Crucifixi imago. His inhærendum puto, prout jam quibuſdam in Diœceſibus fieri inceptum eſt, ex quo in earum notitiam devenit S. Congregationis definitio. Satis forte fuerit parvulam Crucifixi ſtatuam adjungere Cruci, quæ in ſummitate *ſolis* inter radios apponi ſolet: præſertim cum tunc temporis Crux magna ſuper Altari collocari non poſſit, alioqui *ſolem* coopertura.

R. ad 3. duplex eſt ea de re opinio. Prior, in quam propendet Averſa, moralis culpæ reum facit Sacerdotem, qui ſine Cruce in medio Altaris celebraverit; tum quia id ſuadet conſuetudo, quæ vim legis habere videtur; & ideo quiſquis ſui muneris ſtudioſus eſt Presbyter, valde anxius

anxius eſt de ritu iſto tum quia plerumque ſanciunt Rubricæ ut in fine Collectarum & alias pluries, Sacerdos verſus Crucem caput inclinet.

Poſterior ritum hunc non ex præcepto, aut ad ſummum ſub culpa veniali obligare contendit. Ratio eſt, quia multiplicari non debent præcepta ſub mortali, niſi de iis probabiliter conſtet, ne animæ laqueus injiciatur; prout docet D. Thomas Quodlib. 9. art. 5. atqui quod Altare Cruce inſtrui debeat ſacrificii tempore, nec ullo jure ſancitum eſt, nec introductum conſuetudine, quæ graviter obligare probetur: ſed ſolum eſt id in uſu ut Rubricæ directivæ obediatur. In genere, ait Lugo diſp. 20. *certum eſt non omnia quæ in Rubricis Miſſalis exiguntur, afferre obligationem gravem, niſi aliunde conſtet de Eccleſiæ præcepto. Quis enim dicet, non poſſe ſacrificari abſque duabus candelis cereis, vel ſine alio cereo pro tempore elevationis & ſimilibus*. Huic opinioni adhærendum credimus, donec aliter viſum ſit Apoſtolicæ Sedi, prout eidem ante nos adhæſere Suarez diſp. 81. ſect. 6. Vaſquez diſp. 233. cap. 3. Lugo ubi ſtatim, & alii plures, quos citant & ſequuntur Quarti, & Merati part. 1. tit. 20. ubi notat a S. R. Congregatione 12. Julii 1704. fuiſse deciſum, Cruces Altarium vel Proceſſionum, non eſſe benedicendas de præcepto.

Quæres 11. an, quale & quotuplex lumen ad ſacrificium requiratur.

R. ad 1. lumen requiri ex gravi præcepto, tum ex unanimi Doctorum ſenſu, tum ex univerſali, eaque graviter intellecta conſuetudine; tum & ex cap. 14. *De celebr. Miſſar.* ubi Honorius III. Presbyterum, qui *ſine igne & aqua* ſacrificabat, *officio & Beneficio perpetuo* privari jubet. Atque hinc ne quidem ad præbendam moribundo Synaxim licitum eſt citra lumen celebrare. Ita Bellarminus & ceteri. Si cœpta jam Miſsa lumen forte ante conſecrationem extinguatur, nec aliud haberi poſſit, a ſacro deſiſtendum eſt, quamvis, ait Roncaglia Tract. 18. c. 5. urgeret præceptum audiendi Sacri, vel Viaticum adminiſtrandi; neque enim præcepta hæc ad indecenter celebrandum adigere poſsunt.

R ad 2. lumen e cereis candelis eſse debere; quia id non Rubrica tantum, ſed & generali conſuetudine ſancitum eſt. An autem id graviter præceptum ſit, dubitant nonnulli. Pro affirmativa extra neceſſitatis caſum pugnant pene omnes; & id in praxi tenendum. Quod ſi aliud exigat neceſſitas, licebit oleo uti vel ſevo; ut ſi alias futurum ſit ut in die feſto populus Miſsæ non interſit. Imo minor ſufficiet neceſſitas, juxta Quarti, puta ſi Sacerdos celebrare velit, ut tentationem ſuperet, aut ne ſtipe ſibi neceſsaria deſtituatur. Excuſat etiam Suarez a mortali eum, qui ceream candelam habere non valens, ſine ea ex ſola devotione celebraret: quamquam, ait, *Ego non conſulerem*; ſed nec ego quoque.

R. ad 3. ad ſacrificium duplici opus eſse cereo, ut liquet tum ex piorum omnium praxi, tum ex Rubrica, quæ *candelabra ſaltem duo cum candelis hinc & inde accenſis* poſtulat. Qui ex avaritia ſecus fecerit, culpæ venialis conſcium ſe præſtat. Si ex impotentia, nullatenus delinquit, etiamſi ex ſola devotione celebret. Ita communiter Doctores, quorum unanimis pene conſenſus in rebus diſciplinæ, haud minimi fieri poteſt.

Tria hic addenda putem, 1. cereum, quem ad Sacramenti elevationem accendi præſcribit Rubrica, non cadere ſub præceptum grave; imo nec ſub ullum in multis Diœceſibus; 2. aliud penitus eſse de præcepto ſervandi

diu

diu noctuque accenſam lampadem coram Altari, ubi quieſcit idem Sacramentum: ea enim lex tam gravis ab omnibus habetur, ut lethaliter rei judicentur Paſtores aut Miniſtri, qui ex gravi negligentia lampadem per notabile temporis ſpatium, puta per integram diem, extingui patiuntur. Aliud omnino erit, ſi aliud omnino jubeat, quæ legibus non ſubjacet, locorum egeſtas; 3. in ſacrificii celebratione cavendum a ſuperſtitioſo candelarum numero; ſed & cavendum ab ambitioſo: nam in Miſſis privatis, niſi aliud exigat ratio Feſti, accendere quatuor candelas in Altari, non convenit Vicariis Generalibus, licet ſint Protonotarii, ſicut nec eiſdem miniſtrari a duobus Capellanis; prout decrevit Sacra Rit. Congregatio, die 7. Auguſti, 1627. apud Gavantum.

SECTIO OCTAVA.

De immediata ad Sacrificium præparatione.

Ritum præparationis hujus his exhibent verbis Rubricæ: „ Sacerdos celebraturus Miſſam, prævia confeſſione ſacramentali, quando opus „ eſt, & ſaltem Matutino cum Laudibus abſoluto, orationi aliquantulum „ vacet, & orationes inferius poſitas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacriſtia vel alibi præparatum..... Accipit Miſſale, perquirit Miſſam, perlegit, & ordinat ſignacula ad ea quæ dicturus „ eſt; poſtea lavat manus, dicens orationem: *Da Domine*, &c. Deinde „ præparat calicem (qui debet eſſe vel aureus, vel argenteus, aut ſaltem „ habere cuppam argenteam intus inauratam, & ſimul cum patena itidem „ inaurata, ab Epiſcopo conſecratus) ſuper ejus os ponit purificatorium „ mundum, & ſuper illud patenam cum hoſtia integra, quam leviter extergit, ſi opus eſt, a fragmentis, & eam tegit parva Palla linea, tum Velo ſerico: ſuper Velo ponit Burſam coloris paramentorum, intus habentem Corporale plicatum, quod ex lino tantum eſſe debet, nec ſerico, vel „ auro in medio intextum ſed totum album, & ab Epiſcopo, vel alio habente facultatem, ſimul cum Palla benedictum. Quibus ita diſpoſitis accedit ad paramenta, quæ non debent eſſe lacera aut ſciſſa, ſed integra & „ decenter munda ac pulchra, & ab Epiſcopo item, vel alio facultatem „ habente benedicta, &c. ut infra.

Jam prætermiſſis in præſenti, quæ vel alibi tractavimus, vel nihil aut parum difficultatis habent, graviora proſequemur. His autem initium dabunt generaliora quædam.

Imprimis vero quæritur, an Rubricæ præceptum importent, an ſolum inſtructionem directivam: ſeu, ut brevius loquuntur, an præceptivæ ſint, an duntaxat directivæ.

Not. Rubrica definitur, Regula communis, vel manuductio quædam continens ritus in Miſſarum celebratione ſervandos. Dicitur autem Rubrica, quia ſæpius rubro colore ſcribitur. Ritus autem vel eſſentiales ſunt, qui a Chriſto inſtituti fuere, ut ad ſacrificii ſubſtantiam pertinentes; vel accidentales, qui ad cultum & decentiam ejuſdem ſacrificii ab Eccleſia inſtituti ſunt, & communiter vocantur cæremoniæ, vel melius cærimoniæ. Jam

Triplex eſt potiſſimum de propoſita quæſtione opinio. Prima quam tenent

Fagun-

Fagundez, Tamburinus, Henno, contendit Rubricas Miſſalis non præcipere, ſed conſulere & inſtruere; unde ſequitur, eas per ſe non obligare etiam ſub veniali; per ſe, inquam: in hac enim opinione Rubricæ etiam plures ſub gravi obligant, quatenus proponunt vel id quod pertinet ad ſubſtantiam ſacrificii, vel id quod alias jure canonico graviter præcipitur, puta quod quis pranſus non celebret.

Secunda ſententia, quam tenent Gavantus p.3. tit.2. Marchini Tract.3. p.3. c.6. &c. Rubricas diſtinguit in præceptivas, quæ graviter obligent, & directivas, quæ mera ſint conſilia, manuductiones, & inſtructiones. Ceterum hæc opinio eo pene inutilis eſt, quod nec indicet, nec ſatis indicare poſſit, quæ Rubricæ partes præceptivæ ſint, quæ tantum directivæ.

R. igitur tertiam amplectendo Pauli Mariæ Quarti opinionem, & dico, Rubricas omnes, quæ ritus a Sacerdote in ipſo celebrationis actu ſervandos proponunt, eſſe præceptivas, & ideo ſub gravi obligare, niſi, ut in ceteris legibus, excuſet vel levitas materiæ, vel advertentiæ defectus.

Prob. 1. ex Bulla Pii V. initio Miſſalis appoſita, ubi ſic loquitur ſanctus Pontifex: *Mandantes, & ſtricte omnibus & ſingulis præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ, ut Miſſam juxta ritum, modum & normam in Miſſali præſcriptam, decantent aut legant; neque in Miſſæ celebratione alias cæremonias aut preces addere, vel recitare præſumant:* atqui hæc verba: *Præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ*, non inſtructionem meram, ſed graviſſimam legem important.

Prob. 2. ex Trid. Seſſ.7. Can.13. ubi ſic: *Si quis dixerit approbatos Eccleſiæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut ſine peccato a Miniſtris omitti pro libito, aut in novos alios mutari poſſe, anathema ſit;* quod & confirmat S.Synodus Seſſ.22. de Sacrificio: atqui ſi Rubricæ ſolum conſulerent, poſſent Sacerdotes ritus in iis præſcriptos omittere ſine peccato.

Atque hinc colliges, graviter ex genere ſuo peccare Sacerdotem, qui vel in verbis, vel in actionibus ea quæ per Rubricas præſcripta ſunt, omittit, niſi excuſet materiæ levitas, aut inadvertentia, quæ in aliis rebus a toto vel a gravi excuſat.

Ceterum tametſi, cum de verbis agitur, quæ materia gravis ſit, quæ levis, certa & adæquata regula definiri non poteſt; unde id paſſim prudentis viri arbitrio decernendum relinquitur, tamen receptum eſt eos inter qui plenius punctum iſtud indagavere, pro gravi materia habendam eſſe omiſſionem 1. Confeſſionis quæ de *plano* fit in principio Miſſæ; 2. Epiſtolæ & adhuc magis Evangelii; 3. Offertorii, ſeu hoſtiæ, cum verborum forma qua perficitur; ſeu calicis cum ſua etiam forma; 4. Præfationis. Unde qui ex his unum ſciens & volens prætermiſerit, graviter delinquet; ſecus ſi omiſerit tantum unam aut aliam Collectam, Tractum, Graduale, aut aliquid ejuſdem generis minus præcipuum. Qui tamen tot hujuſmodi verſiculos prætermittit, ut ex iis exurgat materiæ notabilis omiſſio, non erit a gravi immunis; quia hinc reſultat gravis mutilatio, & gravis deformitas. Cenſebitur autem notabilis materia, quæ ad Epiſtolæ nec longioris, nec brevioris quantitatem attinget.

Quod ſpectat ad Canonem, (qui ex probabiliori ſententia incipit ab his verbis: *Te igitur*, &c. ad orationem uſque Dominicam extenditur, non ultra, ut hinc patet, quod B.Gregorius Ep.63. orationem Domini poſt Canonem recitari dicit, & in die Paraſceves prætermittitur Canon, nec tamen prætermittitur prædicta oratio) conſtat multo facilius in ejus lectione mortaliter

taliter peccari. Unde fatentur omnes Doctores lethalis reum fieri, qui vel unam ex orationibus in eo contentis, puta, *Communicantes*, vel, *Hanc igitur*, prætermittat. Imo ſi tot in iiſdem orationibus verba omittantur, ut inde Myſterii per ea repræſentandi ſignificationem deſtrui, vel notabiliter minui contingat, erit ſine dubio negligentia hæc grave peccatum. Extra caſum hunc non videtur lethaliter delinquere, qui quatuor tantum aut quinque verba prætermiſerit. Imo ſi ea omiſerit, quæ in præcipuis Feſtivitatibus Orationi, *Communicantes*, ſuperadduntur, venialiter ſolum delinquet ex communiori opinione.

Sed quid de iis, quæ ab oratione Dominica uſque ad communionem recitari jubentur? Dicendum, hæc, licet non ſint ſtricte partes Canonis, ei tamen penes dignitatem æquiparari. Unde graviter reus fuerit qui omittit 1. Orationem illam; 2. precem quæ ſequitur, nempe *Libera nos*, &c. 3. verba quæ immiſſa in calicem hoſtiæ parte recitari jubentur; 4. totum, *Agnus Dei*, ſecus forte, ſi ſemel tantum aut bis dicat; 5. orationes communioni prævias: quamquam probabile eſt, venialiter tantum peccare, qui primam, in defunctorum Miſſis ſupprimi ſolitam, omiſerit; 6. de *Domine non ſum dignus*, idem videtur eſſe judicium, quod de *Agnus Dei*; 7. precatio, *Quid retribuam*, ante calicis ſumptionem, videtur materia gravis, & ſub gravi obligans.

Quæ communionem ſequuntur, ejuſdem prope conditionis ſunt, ac quæ præcedunt Canonem. An Evangelium S. Joannis ſit pars integrans & gravis non convenit inter Doctores. Affirmat Suareſius, quia licet Evangelii hujus lectio olim non fuerit in uſu, nunc & jam pridem præcepta eſt, non ſecus ac partes aliæ quæ paulatim Miſſæ accreverunt.

Quod pertinet ad omiſſionem rituum qui in actione conſiſtunt, hæc grave, vel leve peccatum erit, prout in ipſo celebrationis actu gravior vel levior cæremonia prætermittetur. Porro ad graves cæremonias refertur, 1. miſtio aquæ cum vino; 2. elevatio Hoſtiæ & calicis poſt conſecrationem; 3. fractio Hoſtiæ, & ejuſdem particulæ miſtio cum ſanguine; 4. purificatio patenæ & calicis: hi enim ritus vel grande continent myſterium, ut tres priores; vel ad vitandam Sacramenti injuriam conducunt, ut purificatio.

An graviter peccet, qui loco vini aquam ſolam in prima purificatione adhibuerit, diſſentiunt Magiſtri noſtri. Negant non pauci, quia id Innocentii III. cap. *Ex parte* 5. *De celebr. Miſſ. Semper Sacerdos vino perfundere debet, poſtquam totum acceperit Euchariſtiæ Sacramentum*, nihil habet quod grave præceptum exprimat. Quin & credit Quarti, abſtemium, qui nihil bibit vini præter modicum illud quod conſecrari neceſſe eſt, nullatenus peccare, ſi calicem aqua ſola purificet, præſertim cum facilis non eſt ad Papam recurſus pro diſpenſatione. Addit idem, eum qui in ſecunda purificatione, & digitorum ablutione, aqua ſola uſus fuerit, probabiliter ab omni etiam veniali culpa eſſe immunem; quia ſic Rubricam, licet de ſe præceptivam, interpretata ſit piorum & doctorum conſuetudo. Optandum foret id ab eo graviori confirmatum auctoritate, quam Tamburini.

Hic obiter notandum ex Pio V. in Epiſt. ad Arch. Tarracon. data die 8. Januarii 1571. 1. docere ut eadem ſaltem pro prima calicis purificatione adhibeatur vini quantitas, quæ ad primas ſpecies ſanguinis adhibita fuit; 2. ſu-

2. ſumendam eſſe ablutionem, qua calicis parte hauſtus eſt pretioſus ſanguis.

Ex his, quæ ad mentem leniorum Theologorum dicta ſunt, colligere eſt, quid de iis ſentiendum ſit Sacerdotibus, qui, ut multitudini brevium Miſſarum ſtudioſæ, Magnatibus potiſſimum, placeant, vix ullam, ut par eſt, cæremoniam exequuntur; tanta balbutiunt celeritate, ut vix ſe ipſos intelligant; verba pene nulla jungunt cum actione ad quam pertinent; dimidiatas genuflexiones, licet corpore ſani, efficiunt; ſigna Crucis efformant, quaſi ut abigant muſcas; patenam & calicem purificant tam feſtine, ut profani panis reliquias excutere videantur; interimque ſine ſcrupulo ad ſacrificium quotidie accedunt.

Quæres an impotentia vel gravis neceſſitas a Miſſæ ritibus excuſet.

R. vel agitur de ritu eſſentiali, vel de accidentali. Rurſum vero vel impotentia, aut neceſſitas prævidetur ante inchoatam ſacrificii celebrationem, vel in decurſu celebrationis.

Si 1. nulla eſt neceſſitas quæ excuſet, etiam inchoata Miſsa, ſed nondum facta conſecratione. Unde Sacerdos qui prævidet futurum, ut vel deſit alterutra ſpecies, vel ut propter vomitum communicare non poſſit, ſiſtere debet, ſi nondum conſecraverit. Si autem facta panis conſecratione, vini defectum advertat, neque hunc ſupplere poſſit, debet proſequi. Idem eſt ſi extunc periculum vomitus ſentiat, forte enim ceſſationem ejus acri & intenſa prece conſequetur: quod ſi non obtineat, recedendum erit ab Altari.

Si 2. regulariter non debet inchoari Miſſa, quando prævidetur impedimentum gravis ritus etiam accidentalis; ut ſi ſciat Sacerdos deeſſe aquam, cum vino miſcendam. Imo ſi bona fide ſacrum inchoaverit, ſtatim ut aquæ defectum animadvertet, debet ab incepto deſiſtere, niſi aliud jubeat gravis ſcandalum vitandi neceſſitas. Qua etiam de cauſa, rariſſime tamen, fieri poteſt, ut quis, cognito etiam ante Miſſam defectu aquæ, celebret; puta quia alioqui violentam criminis ſibi temere impacti ſuſpicionem incurret. Ratio eſt, tum quia poſitivæ leges tanto cum incommodo non obligant; tum quia e duobus malis minus eligendum eſt. Quamquam vix, niſi ſupponatur plebs diabolica, fieri poſſit, ut Sacerdos, qui palam probat ſibi deeſſe aquam, non eo ipſo ſtatim probet, ſibi a celebrando abſtinendum.

Quod ſi levior ſit defectus, ut ſi hoſtia non omnino integra ſit, vel nonnihil habeat maculæ, aut vinum aceſcat, modo adhuc vinum ſit, aut deficiat unum ex luminibus, tunc melius eſt proſequi; imo non dubitem quin cum uno lumine ſacrum inchoari poſſit, ut ſupra dictum eſt.

Dixi initio reſponſionis hujus, Rubricas, *quæ ritus in ipſo celebrationis actu ſervandos proponunt*, eſſe præceptivas: ſatis enim receptum eſt eas, quæ ſpectant agenda vel recitanda ante vel poſt celebrationem ſacrificii, de ſe tantum eſſe directivas. Et vero quis credat ſignaculorum diſpoſitionem, cadere ſub præceptum? Ex iis tamen Rubricis nonnullæ ſunt, quæ leges jure ſancitas continent; & hæ dubio procul ſunt obligatoriæ. Quæ ut melius intelligantur, juvat præcipuas Rubricæ ſuperius relatæ partes expendere.

Quæres itaque 1. an Sacerdos celebrationi confeſſionem præmittere teneatur.

R. affir-

R. affirmat. ſi reus ſit peccati certo vel dubie mortalis. Vide quæ ſupra dixi p.497. & fuſius Tom.I.

Quæres 2. an idem ſtricte teneatur Matutinum recitaſſe cum Laudibus.

R. affirmat. ſecundum id Innocentii IV. Epiſt. ad Epiſc Tuſculan. Can. 11. *Miſſam ante Matutinum ne præſumamus dicere*. An vero ea lex ſub gravi obliget, magna eſt diſceptatio, de qua ſic Gavantus hoc tit. „ Recenſet Barboſa de pot. Epiſc. p.2. alleg.24. n.15. Auctores viginti quos ipſe ſequitur, „ negantes eſſe peccatum mortale celebrare Miſſam ante Matutinum: Et „ ibid. numerat alios decem & novem, quibus addi debet Francol. affirmantes eſſe peccatum mortale, inter quos duo Sancti numerantur, S. Antoninus, & S. Raymundus. Quid facies, pie Lector, in re tam dubia, „ in qua totidem ſunt hinc & inde Auctores, & pro affirmativa ſanctiores. Præterea Innocentius IV. & Pius V. qui collocavit hunc inter defectus graviores, tit. 10. de defectib. num. 1. inter eos nimirum defectus, qui de communi DD. ſententia non accidunt ſine culpa mortali de „ ſuo genere: Ego certe tutiorem, quæ in Rubrica eſt, ſequor libentius ſententiam „. Hæc ille, qui tamen a ſeveriori hac opinione deflexit, ut notat Merati, qui cum prima opinione nonniſi venialem culpam admittit in præſenti; imo nullam, ſi juſta ratio excuſet; puta, ait Habert. ſi inſtet hora celebrandi, & populus aut perſona gravis expectet; vel commodum celebrandi tempus elabatur. Eamdem & nos ſententiam amplexi ſumus Tom. I. ubi de Orat. Sed quid de iis dixerimus, qui venialia hoc in puncto peccata quotidie ingeminant? an non periculoſum eſt, ne proruant in graviora, & fortaſſis ne ex aliquo virtuali contemptu legem impletu facilem tranſgrediantur?

Merat. ſect.4.c.1 de Matut. T.4 p.200.

Ceterum ſi in Choro inverti contingat prædictum ordinem Matutinum inter & Miſſam, multo utique gravius peccabitur: imo & lethaliter peccari poterit ratione ſcandali.

Quæres 3. an oratio ante Miſſam, & Pſalmi quinque in Miſſalibus præſcripti rigoroſe præcipiantur.

Eccli.18. v.23. R. ad 1. affirm. ſi enim animam noſtram *ante orationem* præparari jubent Scripturæ, a fortiori neceſſum eſt ut ante Miſsam pia aliqua meditatione præparetur. Unde a culpa excuſari nullatenus poſsunt, qui a ſtudio, &, quod lugendum magis, a colloquiis inanibus ad tremenda Myſteria impertranſito medio avolant; niſi forte orationi obſtet improviſa neceſſitas, quo in caſu ſatagendum, ut cor rapide & ardenter, etiam in via, ſurſum feratur.

R. ad 2. negat. etſi enim optimi ſemper eſt conſilii, e veſtigio ſequi id omne quod ab Eccleſia propoſitum fuerit; quia ipſis etiam Eccleſiæ conſiliis ſua inhæret benedictio: conſtat tamen ex univerſali etiam timoratorum praxi, orationes prædictas non cadere ſub præceptum: unde in piiſſimis ſodalitatibus poſt meditationem confeſtim ad Altare conſcenditur. Et vero preces illæ proponuntur *pro opportunitate Sacerdotis* dicendæ: id autem præceptum non ſonat.

Quæres 4. quid juris de lotione manuum.

R. non ex vi Rubricæ, quæ in præviis celebrationi ſolum directiva eſt, ſed ex vi juris naturalis, quod Sacramentum, quam reverenter fieri poteſt, tractari jubet, enitendum eſse Sacerdoti ne immunda manu corpus Agni pertractet. Unde qui ſecus faxit, leviter, vel etiam mortaliter, juxta negligentiæ & fetoris ſui gradum, delinquet. Ita Quarti p.2. tit.1. ſect.1. dub.5.

Quæres

Quæres 5. an nihil habeant mali confabulationes in Sacriſtiis, quo præſertim tempore Sacerdotes præparant ſe ad Miſſam, aut ab Altari recentes ſunt.

R. habere dubio procul, idque eo redarguendum ſeverius, quod creſcit in dies. Unde peccant Sacriſtæ, & a fortiori Superiores, qui abuſui tanto mederi negligunt. Quin & id in Sacriſtiis Regularium ſtrictioris obſervantiæ, grave eſſe peccatum contendit. Quarti ibid. dub. 6.

Quæres 6. circa calicem, 1. an materia ejus abſolute ſit aurum vel argentum; 2. an neceſſario debeat eſſe conſecratus, & a quo; 3. an in minime conſecrato quandoque celebrare licitum ſit; 4. an ex hac celebratione maneat conſecratus; 5. quibus modis excidat a conſecratione.

R. ad 1. cum Concilii Triburienſi & Remenſi, c. 44. & 45. *De conſecr.* diſt. 1. *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur: nunc e contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus*. Tamen jam pridem & ſub gravi præceptum eſt, *ut calix Domini cum patena, ſi non auro, omnino ex argento fiat.... Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum calicem habeat. De ære, aut oricalcho non fiat calix; quia ob vini virtutem æruginem parit. Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præſumat Miſſam cantare*; lignum enim ut & lapis, quæ poros habent, ſpecies ebiberent: vitrum autem præ fragilitate, gravibus pateret incommodis. Poteſt tamen pes calicis ex materia viliore, puta ære vel auricalcho conflari, modo cuppa argentea ſit, aut ſaltem ſtannea, ſi aliud non ferat graviſſima locorum paupertas, quæ etiam ab inauranda cuppa excuſare poteſt.

R. ad 2. non poſſe citra peccatum mortale uti quempiam calice non conſecrato: porro conſecrandi facultas de jure ad ſolos Epiſcopos pertinet; nec ab iis ſimplici Presbytero committi poteſt, ſed ſolum a Papa, qui facultatem illam nonnullis Abbatibus indulſit. Ad hos tamen deferendi non ſunt calices ad conſecrationem, niſi conſtet de eorum privilegio, tum pro Eccleſiis ſuis, tum pro alienis: quod ultimum negant plures conceſſum fuiſſe.

R. ad 3. nuſquam in calice necdum conſecrato celebrare licet, extra caſum neceſſitatis extremæ, qui tunc ſolum occurrit, cum quis Altari, niſi celebret, mortem comminatur; modo non in odium fidei, vel deſpectum religionis.

R. ad 4. negat. contra Sanbovium Tom. 2. caſ. 78. & Pontas v. *Calice*, caſ. 3. tum quia quæ ab Eccleſiæ inſtituto pendent, nonniſi per ritum ab Eccleſia præſcriptum effici poſſunt; tum quia Chriſti corpus, etſi dignitatis eſt infinitæ, ad eos ſolum effectus valet, ad quos inſtitutum fuit: inſtitutum porro non fuit in conſecrationem calicis aut patenæ, ſicut nec in benedictionem corporalis, mapparumve; tum quia alioqui conſecraretur calix, ſi quis in eo extra ſacrificium partem reponeret Hoſtiæ; quod eo uſque ridiculum eſt, ut hactenus a nemine aſſertum fuerit. Textus Auguſtini quem objicit Sanbovius: *Nos pleraque inſtrumenta & vaſa ex hujuſmodi materia vel metallo habemus in uſum celebrandorum Sacramentorum; quæ ipſo Miniſterio conſecrata, ſancta dicuntur*, &c. is, inquam, textus nihil probat. Loquitur enim S. Doctor de conſecrandi ritu qui tempore ſuo erat in uſu: vel ergo per *miniſterium* quo vaſa Altaris conſecrata fuiſſe dicit, intelligit actionem ab ipſo corporis Dominici contactu diverſam; & tunc noſter eſt. Vel ipſum hunc contactum intelligit; & tunc nihil ad nos,

Auguſt. in Pſal. 113. *Ser.* 2. *n.* 6.

quia

quia hinc quidem jure poſteriori tenemur nonniſi conſecratis ab Eccleſia vaſis uti; inde vero nullum habemus jus unde tantillum conſtet, obligationem hanc ceſſare, quoties in calice necdum conſecrato celebratum fuerit.

R. ad 5. calix & patena conſecrationem amittunt, 1. per violationem de qua ſuperius; 2. quando notabiliter franguntur, vel immutantur, adeo ut inepta fiant ad ſacrificium, ut ſi in fundo calicis fiat foramen, quantumvis exiguum; aut pes a cuppa ſeparetur per fractionem: quod ultimum addo, quia ſi ſeparatio citra fractionem fiat, ut in pede tornatili, ſubſiſtit conſecratio, eo quod idem moraliter calix perſeveret, neque nova opus ſit junctura artificiali. Et vero Alba, ſi manicas haberet amovibiles, tantumque funiculo ductili conjunctas, ita ut hæ ab illa citra ſciſſuram ſepararentur, haud utique per ſeparationem hanc excideret a conſecratione.

Si calici gibbus contingat, qui ut reſarciatur, calix ab Aurifice in ignem mitti, malleoque percuti debeat, non ideo amittit conſecrationem; quia nec mutatur moraliter; nec ullo ſancitum eſt jure ut tunc denuo conſecretur. Idem eſt ſi ab impiis ad profanos uſus in menſa communi adhibitus fuerit.

Sed quid ſi calix & patena ante conſecrationem deaurata, inaurationem ſuam diuturno uſu amittant, excidentne a conſecratione? Non excident, ſeu inaurationem ſenſim perdant, ut fatetur Silvius cum aliis, ſeu ſimul, quod vix fieri poteſt. Ratio eſt quia licet unctio nonniſi externam vaſis ſuperficiem phyſice attingat, tota tamen ejus mole vere conſecratur. Ita Silveſter, Angelus, & alii paſſim Summiſtæ v. *Calix*. Idem tenet Suarez diſp.81. ſect.7. Layman. Lib.5. Tract. 5. c.6. aliique multo communius contra Paludanum & Silvium, quibus favet Collator Andeg. Horum tamen opinio, ſi cui placuerit ut tutior, per nos non ſtabit quominus teneatur in praxi.

Major eſt difficultas an nova indigeat conſecratione calix, qui de novo inauratur. Affirmant multo communius Theologi; & ex iis plures, qui nobiſcum ſentiunt in caſu præcedenti. Rationem dant, quod calix & patena præcipue conſecrantur propter corporis & ſanguinis Domini contactum; ergo cum ille contactus præcipue fiat in ſuperficie, quæ conſecrata non eſt in caſu propoſito, quia quod additur aurum, nullo modo conſecratum eſt; neceſſum eſt ut illa conſueto ritu per unctionem conſecrentur. Aliud eſt, inquiunt, quando per uſum tollitur inauratio; tunc enim nihil ſuperadditur profani: unde non eſt cur tunc calix, vel patena execretur.

Non deſunt tamen apud Dianam p.2. Tract.1. Miſcel. Reſol.3. qui contrarium ſentiant; eaque opinio, licet nullibi in jure tacta, fundamentum habet in duplici ejuſdem juris principio. Primum extat c.3. *De conſecrat. Altar.* &c. ubi definit Innocentius III. *oleum non conſecratum conſecrato* immiſtum, ex hac ipſa miſtione conſecrari. Secundum habetur in communi Theologorum ſententia, qui ex c.6. eod. tit. Eccleſiam conſecratam, ſi parietes ejus dealbantur, pingantur, aut inaurentur, nedum benedictione nova indigeat, benedictionem ſuam prædictis ornamentis impertiri docent: atqui duo hæc principia, nullo reſiſtente juris principio, aperte probant, auro quo linitur cuppa calicis, accreſere calicis ipſius conſecrationem; neque hunc ſua magis ſpoliari conſecratione propter adjunctam

auri

auri ſubſtantiam, quam ſua priventur parietes Eccleſiæ propter inductam ſibi calicis, picturæ vel auri cruſtam. Et vero in his materiis receptum eſt ut pars major minorem ad ſe trahat; ergo cum calix vere conſecratus ſit, ſitque indubie pars major, neceſſum eſt,ut ſuam auri folliculis benedictionem communicet.

Nec eſt quod dicas cum Quarti ibid. ſect.2. dub.5. principale in hac materia non ex quantitate rei æſtimandum eſſe, ſed ex ejuſdem uſu: uſum porro in id primario cadere, quod proxime tangit corpus & ſanguinem Chriſti. Conſtat enim, rebus bene penſatis, uſum cadere non in ſolam deaurationem, ſed in totam calicis ſubſtantiam, unde fracto vel pede, etſi alioqui ſubſiſtere poſſit uſus calicis in alio pede poſiti, deſinit conſecratio calicis; ergo cum major calicis moles ſemper conſecrata ſit, debet id quod habet, auro tribuere, velut ſubſtantia accidenti. Atque ita ſentit vir clariſſimus & in re Canonica verſatiſſimus P. Gibert Tom. 3. Conſult. 52. ubi & probat, eum qui ſine calice haud conſecrato celebrat, nullas juris pœnas incurrere: neque profecto contrarium evinci poteſt ex cap.3. *De celebr. Miſſar.* Ibi enim qui officio & beneficio privatur, vel potius, privari jubetur Sacerdos, non unius circa ſacrificium criminis reus erat.

Quæres 7. an eadem quoad materiam & conſecrationem ſit ratio Pixidis, ſeu Ciborii, quæ Calicis?

R. 1. non eadem eſt prorſus utriuſque ratio quoad materiam: etſi enim utrumque, ſaltem quoad cuppam argenteum & inauratum eſſe peroptat Eccleſia, minus tamen olim abhorruit illa a pixide ſtannea, quam a ſtanneo calice: nec vero iiſdem unum incommodis patet, quibus aliud.

R. 2. diverſam quoque eſſe utriuſque rationem, quantum ad punctum conſecrationis. Calix enim cum chriſmate conſecratur; qui ritus nullibi quoad pixidem præſcribitur. Imo ſunt plures, qui cum Paludano & Azor. nulla ad pixidem benedictione opus eſſe velint. Alii tamen & melius cum Silvio benedictionem requirunt, 1. quia ex S.Thoma hic q.82. art. 3. *in reverentiam hujus Sacramenti a nulla re contingitur niſi ſacra;* 2. quia ſi corporale, in quo ſacræ ſpecies nonniſi ad modicum tempus quieſcunt, benedici oporteat, pari vel majori ratione benedici debet vaſculum, in quo diu noctuque conſervantur; 3. quia ſi *veſtimenta Eccleſiaſtica quibus Domino miniſtratur, ſacrata debent eſſe*, cap.42. *De conſecrat.* diſt. 1. ergo & vas in quo aſſervatur corpus Chriſti. Unde licet ſpeciale nullum extet in jure præceptum de benedictione pixidis, ſatis tamen ea a paritate rationis colligitur. Atque id ſupponit Rubrica part.2. tit.2. n.3. ubi ſic: *Si* Sacerdos *eſt conſecraturus plures Hoſtias pro communione facienda, quæ ob quantitatem ſuper patena manere non poſſint, locat eas ſuper corporale ante calicem, aut in aliquo calice conſecrato, vel vaſe mundo benedicto.*

Quod de ciborio, idem de circulo, ſeu lunula, quæ corpus Chriſti expoſitum immediate tangit, dici velim: & hanc enim ad minus argenteam eſſe decet, atque benedictam. Sed a quo? ab Epiſcopo, vel ab iis qui corporalia benedicere poſſunt: ita poſt Gavantum Silvius. Unde, inquit, in Rituali quod Pauli V. juſſu editum eſt, benedictio Vaſculi pro Euchariſtia conſervanda, inter benedictiones ab Epiſcopis, aliiſve facultatem habentibus faciendas, repoſita eſt.

Quæres 8. quibus liceat calices aut corporalia in quibus jam celebravit Sacerdos, contingere.

R. ſecluſa Superiorum licentia non poſſe hæc ſine peccato tangi a Laicis, imo nec a Sanctimonialibus, ex cap. 25. diſt. 23. ſed ab iis ſolum, in his ſaltem Regionibus, qui ſacris Ordinibus initiati ſunt. Idem eſt de Purificatoriis ad calicem abſtergendum adhibitis; quæ tamen poſtquam a Diacono vel Subdiacono, prima ablutione, quæ in Eccleſiæ piſcinam projici debet, lota ſunt, ut & Corporalia, ulterius ablui ſicut & refici poſſunt a feminis, maxime vero a virginibus: & quia ſuam retinent benedictionem, quamdiu non ſunt notabiliter fracta, ideo nova poſt lotionem benedictione non egent.

An autem graviter peccent qui ſacra contra jus tangunt, non una eſt opinio. Plerique culpam hic ſolum venialem agnoſcunt, niſi vel contingatur calix, dum in eo eſt ſanguis Chriſti, vel ex contemptu, aut cum gravi ſcandali periculo tangatur. Ita Vaſques, Ledeſma, Layman, Silvius, Collator Andeg. & antea Quarti: qui poſterior vaſa inter benedicta & conſecrata ſic diſtinguit, ut ſolum benedicta tangi permittat, antequam Euchariſtiam continuerint; conſecrata vero unctione chriſmatis, qualia ſunt etiam Aræ, imo & agni cerei, nullatenus tangi permittat, niſi aliud jubeat quædam neceſſitas. Quod autem idem Quarti poſt Suarem diſp. 81. ſect. 8. pag. mihi 1024. permittit, ut extra miniſterium vaſa ſacra, & quæ eis æquiparantur corporalia, ab iis qui ſolis minoribus Ordinibus initiati ſunt contingantur, liberalius conceſſum eſt, & moribus noſtris aperte repugnat. Viget certe in Galliis Canon 28. Concilii I. Bracarenſis, ubi ſic: *Non liceat cuilibet ex Lectoribus ſacra Altaris vaſa aſportare, niſi his qui ab Epiſcopo Subdiaconi fuerint ordinati.*

Quæres 9. quæ ſint Purificatorii conditiones.

R. 1. quoad materiam ſatis eſt ut ad abſtergendum ſeu calicem, ſeu Sacerdotis digitos idoneum ſit. Ceterum haud neceſſe eſt ut benedictum ſit; tum quia id nullo jure, imo nec Rubricis præſcriptum eſt; tum quia nullam ejus benedictionem propriam habent Libri Rituales: & ita docent Theologi ſaniores, cum Suare, Lugo, Silvio, Collat. Andeg. idque in variis hujuſce Regni Diœceſibus uſurpatum vidi.

Ceterum multo decentius eſt ut Purificatoria benedicantur, 1. quia ex S. Thoma ſuperius citato, Sacramentum hoc *a nulla re* contingi debet *niſi ſacra:* & ideo benedicitur Corporale, Ciborium, &c. 2. quia Rubricæ præcipiunt Altaris tobaleas benedici, quæ tamen Euchariſtiam non tangunt; ergo a fortiori Purificatorium, quod ſanguinis reliquias tangere poteſt; 3. quia benedictio hæc utcumque præſcribitur præſcripta linteaminum Altaris benedictione. Porro benedicendum erit eadem benedictione qua linteamina, mutata, ſi ſeorſim benedicatur, voce, *Altare*, ſecundæ orationis, in vocem, *Calicem*. Ita Merati p. 2. tit. 1. pag. 310.

Quæres 10. circa Pallam, quæ ſit ejus neceſſitas, quæ materia, & num hanc oporteat benedici.

R. ad 1. Pallam ſub gravi neceſſariam eſſe: graviter enim peccaret, qui ſacrificii tempore apertum relinqueret calicem, cum juxta Miſſalis leges cooperiri præcipitur.

Le Brun Tom. 1. p. 297. R. ad 2. Pallam pro interiori parte, qua calicem tangit, lineam eſſe debere; prout ſervat Timoratorum conſuetudo; & bene: Palla enim initio erat Corporale ipſum, quod cum ejuſdem ac Altare longitudinis foret, ſuper

by Google

ſuper calicem replicabatur; prout hodieque obſervat ſacer Carthuſienſium Ordo. Quod ad partem exteriorem credideram primo nihil obſtare, quin ea ex auro, vel ſerico, aut per modum retis contexta foret: verum obſtit hæc S. R. Congregationis declaratio an. 1706. die 22. Januar. *In ſacrificio Miſſæ non eſt adhibenda Palla a parte ſuperiori drappo ſerico cooperta.*

R. ad 3. Pallæ benedictionem graviter eſſe præceptam: licet enim eam velut quoddam Corporale minus a majori ſeparari permiſerit Eccleſia, nihil tamen in reliquis circa materiam aut benedictionem immutavit; ergo, ait Quarti, eſt peccatum mortale, vel illam omittere, vel ea uti non benedicta, vel non linea. Et ita docent apud eumdem Suarez, Gavantus, & Vaſquez, qui contrariam ſententiam nequidem habet pro probabili.

Quæres 11. quid de Corporali.

R. 1. Corporale ex gravi ac rigoroſo præcepto neceſſarium eſſe. Ita omnes cum D. Thoma q.83. art.3. ad 7.

R. 2. Corporale lineum eſſe debet, ſecundum id c.46. *De conſec.* diſt.1. *Conſulto omnium ſtatuimus, ut ſacrificium Altaris non in ſerico panno, aut tincto quiſquam celebrare præſumat; ſed in puro linteo ab Epiſcopo conſecrato, terreno ſcilicet lino procreato, atque contexto.* Unde graviter peccaret, qui ſerico Corporali uteretur: quamquam nihil obeſt quin Corporale in extremis partibus auro vel ſerico ornetur. Etſi vero putant aliqui Corporale ex tenui cannabe, vel goſſipio confici poſſe, curandum ſemper ut fiat ex lino, quia ſacri Canones & Rubricæ ſtricte magis de Corporalibus quam de Altaris mappis loquuntur: quin & Rubrica taxative habet, quod *ex lino tantum* fiat.

R. 3. Corporale debet eſſe benedictum, ut patet tum ex cit. cap. Juris, tum ex omnium ſenſu. Hæc autem benedictio, vel ab Epiſcopo fieri debet, vel ab alio facultatem habente, ut in Eccleſiis ſuis habere ſolent Prælati Regulares.

R. 4. Corporale tunc conſecrationem amittit, cum ita ſcinditur, ut nulla ejus pars ſacrificio remaneat idonea, id eſt ampla ſatis ut calicem & patenam decenter contineat. An autem ex ſolo contactu Dominici corporis conſecretur liquet a ſimili ex dictis ubi de Calice.

R. 5. eum qui Corporali notabiliter immundo utitur peccare lethaliter, ob gravem quæ inde contra Sacramentum reſultat irreverentiam. Ita Suarez, Sa, Gavantus & alii paſſim. Qui tamen ipſa pene celebrationis hora advenit in Eccleſiam feſtiva die, & immundo utitur Corporali, ne vel ipſe, vel alii ſacrum omittant, mihi innoxius videtur. Aliud eſt de ipſo Eccleſiæ Paſtore, qui quæ Dominico corpori ſubſternit lintea, convivis ſuis ad menſam exhibere non auſit.

De minori Palla, ſeu Corporali, quo de licentia Clementis VII. utuntur Clerici Regulares, vulgo Theatini, conſule Quarti eod. tit. 1. ſect. 3. dub. 4. ubi contendit extraneos Sacerdotes, qui in Regularium Eccleſiis celebrant, uti non poſſe privilegio iiſdem conceſſo, utpote perſonali. Longe aliud ſentit Merati, & ipſe Regularis Clericus; docetque & ex auctoritate Baronii probat, unicuique licitum eſſe Pallæ hujus minoris uſum amplecti. Vid. eumdem ibid. p.311. & 312.

Quæres 12. an quilibet Sacerdos quælibet ad celebrandum ornamenta induere poſſit.

R. negat. nam 1. Sacerdos celebraturus, ſi Sæcularis ſit, nigra, eaque talari veſte indutus eſſe debet, & id multis in Diœceſibus ſub ſuſpenſionis pœna præcipitur; 2. debet capillitium gerere & tonſuram, juxta leges a ſacris Canonibus impoſitas; 3. ſi per certum tempus in loco celebrare debeat, debet celebrandi licentiam obtinuiſſe, ſi id Diœceſana lege cautum ſit; qua de re neceſſum eſt ut Sacerdotes loci hujus incolas ante omnia interroget; 4. ornamenta quotquot præſcripta ſunt, induere tenetur, Amictum videlicet, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, & Caſulam, ſeu Planetam. Verum hic ſuboritur difficultas multiplex.

Prima eſt an ejuſmodi veſtes pie & religioſe ab Eccleſia inſtitutæ fuerint; 2. an graviter peccet, qui ſine iiſdem celebraverit; 3. an eas antea benedictas fuiſſe oporteat, & a quo; 4. an qui iis induitur, orationes in Miſſali propoſitas recitare debeat; 5. an veſtes ſemel benedictæ, ſemper benedictæ permaneant; 6. quid de iis, cum uſu detritæ ſunt, faciendum. Quæ omnia ut paucis ſolvantur,

Dico 1. pie & religioſe præſcriptum eſt, ut Sacerdos inter ſacra ſacris veſtibus utatur. Ita non ſolum Catholici omnes, ſed Orientales etiam ſchiſmatici, quin & Anglicani, contra Waldenſes, Lutheranos & Calviniſtas.

Ratio eſt, quia licet Chriſtus Euchariſtiam inſtituendo, non alia quam vulgari veſte uſus credatur, & morem hunc ſecuti ſint primævi Paſtores, qui furente perſecutionum æſtu, in veſtitu quaſi peregrino facilius deprehenſi fuiſſent; conſtat tamen, ubi primum reſpirare cœpit Eccleſia, cogitatum fuiſſe de exteriori cæremoniarum apparatu; atque ſenſim effectum, ut ad majeſtatem cultus ſacra omni ex parte a profanis ſecernerentur. Hæc autem agendi ratio fundamentum habuit, tum in ritu Leviticorum Sacerdotum, qui, jubente Deo, certis inter ſacrificia veſtimentis utebantur; tum in facto Regum & Magiſtratuum, qui in actionibus publicis, non conſueto, ſed alio auguſtiore, & ad reverentiam conciliandam idoneo magis utuntur veſtitu. Quod vero his offendatur Calviniana ruſticitas, quid tum, ſi ſapientiſſimis quibuſque jam pene ab initio probata ſint. Probata porro fuiſſe quis in hiſtoria tantum non hoſpes dubitaverit? Euſebius Cæſarienſis Lib. 10.
Hiſtor. c.4. in oratione panegyrica de ædificatione Eccleſiarum, Paulino Ty-
Pag.371. rienſi Epiſcopo dicta, exordium ducit ab hiſce verbis: *Amici & Sacerdotes
Dei, qui ſacra tunica talari induti, & cœleſtis gloriæ corona decorati, divinaque un-*
Tom.3.p. *ctione delibuti*, &c. Hieronymus in c. 44. Ezech. *Religio divina*, inquit, *alte-*
1029. *rum habitum habet in miniſterio; alterum in uſu vitaque communi*. Idem Lib. 1.
contra Pelagianos ſcribit, Clerum omnem in adminiſtratione ſacrificii candidis uti veſtibus: quod & teſtatur Homil. 83. in Matth. Chryſoſtomus.
Theodoretus Lib.2. Hiſtor. c.27. refert Conſtantinum Macario Jeroſolymit.
Pag.111. Antiſtiti *ſacram veſtem aureis filis contextam donaſſe, ut ea indutus divini Ba-
ptiſmi miniſterium perageret*.

Quod ſuaſerat pietas, caverunt Concilia ne impietate ſubrueretur. Concilium Carthaginenſe IV. cui an. 398. interfuere Epiſcopi 214. quos inter
Tom.2. Auguſtinus, Can. 41. præcipit, *Ut Diaconus tempore oblationis tantum vel*
Conc. p. *lectionis alba utatur*. Quis porro Præſulum 214. auctoritatem Lutheri vel
1203. Calvini ſomniis non anteponat.

Ib. To.1. Concilium Laodicenum incertæ ætatis, forteque ann. 364. Can. 22.
p.1511. & 23. ſancit, *quod non oporteat Subdiaconum, Lectores* item *aut Cantores*

Ora-

Orariis tui, & ita legere, vel pſallere. Orarium porro ubi de ſacris Miniſteriis agitur, idem eſt ac Stola: de quo adi Cabaſſ. in Notit. Eccleſ. ſec.2. diſſert.9.

Mitto Concilia Braccarenſe IV. Can.4. & Toletanum IV. cap.40. quorum prius decernit, ut Sacerdos, ſeu ſacrificium oblaturus ſit, ſeu Euchariſtiæ Sacramentum ſumpturus, non aliter accedat, quam Orario penes utrumque humerum circumſeptus; poſterius vero ſtatuit, ut Levita, ſeu Diaconus Orarium in humero ſiniſtro gerat, ut dum concionatur, dextera parte impeditus non ſit. Accedit quod S. Gregorius in Angliam præter ſacra vaſa miſit etiam veſtimenta Sacerdotalia & Clericalia, prout in ejuſdem vita ſcribit Joan. Diaconus Lib.2. c.27. & Beda Lib.1. Hiſtor. c.29.

Confirm. quia, ut loquitur Yvo Carnotenſis Serm. de reb. Eccleſ. *Ornamenta hæc ſunt virtutum inſignia, quibus tanquam Sacramentis utentes admonentur quid debeant appetere, quid vitare*. Scilicet enim in ſenſu morali Amictus, quem Sacerdos velut miles Chriſti ſuper caput imponit, ſalutarem exhibet galeam, qua contra diabolicos incurſus muniri debet. Alba cordis munditiem, totamque adeo Miniſtri juſtitiam indicat, unde totum corpus tegit. Cingulum ex S.Hieron. in Pſalm. 132. continentiam & caſtitatem exprimit, & ideo circa lumbos accingitur, in ſignum refrenandæ concupiſcentiæ. Manipulus denotat compunctionem cordis, unde qui eum brachio ſiniſtro imponit: *Merear*, inquit, *portare Manipulum fletus & doloris*, &c. Stola deſignat tum Evangelicæ legis jugum, tum & quæ ei præſtari debet, potiſſimum a Chriſti Miniſtris, obedientiam, ut id reſarciatur quod in prævaricatione primi parentis amiſſum eſt. Stolam, nec ſine myſterio, apprehendit Sacerdos utraque manu, ut ſummam ſuam in obſequendo alacritatem demonſtret. Demum Caſula, eam, quæ ceteris virtutibus ſupereminet, ipſaſque protegit & illuſtrat, charitatem exhibet.

Præter ſenſus iſtos ſunt & allegorici ſenſus veſtibus ſacris. Sic Amictus velamen quo Chriſti faciem cooperuere milites; Alba veſtem albam qua Redemptor, inſtar ſcenici Regis, ab Herode illuſorie indutus eſt; Cingulum flagella, quibus ambitum eſt corpus ejus; Manipulus funes quibus vinctus fuit; Stola vel ejus alligationem ad columnam, vel totam ipſiu paſſionem, quam Sacerdos in corde ſemper gerere debet; Planeta demum purpuream veſtem eidem Pilati juſſu impoſitam repræſentat. Verum hæc, quæ pietatem modo non emortuam incendere valeant, per tempus proſequi non licet. Interim ſentiet cordatus quiſque quam merito Tridentina Synodus Seſſ.22. Can. 7. ſic definierit: *Si quis dixerit, cæremonias, veſtes & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magis quam officia pietatis, anathema ſit*.

Dico 2. mortaliter delinquit, qui ſine præcipuis veſtibus ſacris celebrat, etiam in caſu gravis neceſſitatis. Ratio petitur tum a communi Doctorum ſenſu, qui in iiſce rebus gravis eſt momenti; tum ex antiqua Eccleſiæ praxi, a qua tuto non receditur; tum ex c.42. de conſecr. diſt.1.

Dixi 1. *ſine præcipuis veſtibus*, quas etiam *majores* vocant, quæque ſunt Alba, Planeta, &, licet nonnulli reclament cum Suare, Stola, quæ a Concilio Braccarenſi III. Can.3. ſevere præcipitur, his verbis: *Qua ergo ratione tempore ſacrificii non aſſumit Orarium?* &c. De eo qui Cingulum ſolum, ſolumve Manipulum omitteret, non una eſt opinio. Alii ut Paludanus, Silveſter, & diſertius Quarti, vir ubique bonus, eum levi

Digitized by Google

ravit S. R. Congregatio die 24. Auguſti ann. 1629. & docet Barboſa de offic. & pot. Epiſcopi part. 2. allegat. 27. n. 44. unde qui aliarum Eccleſiarum ornamenta benedicunt, redargui merentur; idque, ait Collat. Andeg. p. 133. ſi reſcirent Epiſcopi, obſiſterent per pœnas juris.

Dico 4. preces in induendis veſtibus præſcriptæ, etſi propter Rubricam, quæ præceptiva non eſt in præſenti caſu, non cadant ſub præceptum, vix tamen ſine aliquo peccato, negligentiæ v. gr. aut tædii ſpiritualium omitti poſſunt. Quod autem cenſet Navarrus Summ. cap. 25. nu. 23. peccatum hoc mortiferum eſſe, exploditur a ceteris. Imo ſi eadem ornamenta pro Veſperis, aut pro ſalute induantur, nullibi præceptum eſt ut illæ preces recitentur: quamquam id enixe conſultum ſit.

Dico 5. perit veſtium ſacrarum benedictio, quando formam ſub qua conſecratæ ſunt, non retinent, adeo ut jam ad ſacri miniſterii functiones ineptæ ſint.

Hinc 1. definit benedictio Albæ, ſi uſu aut vi manicam ab ea diſſui aut ſeparari contingat. Secus ſi manica cum funiculis aut alio quopiam ſimili jungatur cum corpore, prout a pari colligere eſt ex iis quæ ſupra diximus de calice tornatili. Secus iterum, ſi manica ante omnimodam ſeparationem, aſſuatur, aut reficiatur addita etiam parte non benedicta: hæc enim ut acceſſorium ſequitur naturam principalis.

Hinc 2. juxta probabiliorem ſententiam, Cingulum ſi omnino rumpatur, ita ut neutra quæ remanet pars, ad cingendum idonea ſit, excidit a benedictione. Secus ſi pars altera ſufficiat ad cingendum; & tunc pro majori commoditate poterit ei annecti pars altera. Idem eſt ſi antequam omnino diſrumpatur, vel roboretur nodo, vel filo reſarciatur.

Hinc 3. Stola vel Planeta benedictionem amittunt, cum novis ſimul & ſemel reficiuntur partibus, quæ antiquas ſuperant. Secus ſi vel paulatim reſarciantur; vel duplici conſtent varii coloris parte, quarum unaquæque apta ſit ad ſacrificium: tunc enim ſi hæc ab illa disjungatur, ſervat utraque benedictionem, quia ſervat utraque formam integram. Idem, ait Habert, dicendum, ſi pars interior ſit detrita, exterior vero integra, & viciſſim: ſola enim detrita execrata eſt. *Sed obſervandum*, pergit idem, *hujuſmodi veſtes poſſe eſſe ita laceras, ut etiamſi formam ac proinde benedictionem non amittant, iis tamen uti non liceat*. Et vero quis detrito prorſus panno, Stolam quæ jam ex ſola *duplicatura* conſtat, adhibere auſit?

Sed quid ſi ex Stola fiat Manipulus, aut viciſſim e longiori Manipulo Stola? R. ſi ex Stola plicata, & in ſe immutata fiat Manipulus, id eſt ſi Stola longior aptetur ad uſum Manipuli, haud nova opus eſt benedictione; quia cum ſubſiſtat reapſe forma prior, ſubſiſtit & benedictio, quæ una eſt pro omnibus indumentis ſacerdotalibus. Atque idem eſt ſi longior Manipulus ad uſum Stolæ deſervire poſſit. Si vero recindantur partes Stolæ, ita ut pereat prior ejus forma, perire videtur & benedictio, formæ potiſſimum alligata, quidquid contra ſentiant Azor, Fagundez, & alii quidam. Idem erit ſi Manipulo, ut Stolæ locum gerat, addantur novæ partes non benedictæ, quæ materiam jam benedictam ſuperent. Quin & ſi e pluribus Manipulis benedictis conficiatur Stola, nihil dubitem huic opus eſſe benedictione; ſicut ſi e Cingulis pluribus benedictis, de ſe ad cingendum inhabilibus, Cingulum unum conficiatur neceſſe erit totum benedici.

Dico 6. Veſtes ſacræ, cum uſu detritæ ſunt, & jam ineptæ ad ſacrificium, non poſſunt ad uſus profanos converti, ſecundum id cap. 39. *De conſecrat.* diſt. 1. *Altaris Palla, cathedra, candelabrum & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur, quia non decet ea quæ in ſacrario fuerint, male tractari, ſed incendio univerſa tradantur. Cineres quoque eorum in Baptiſterium inferantur, ubi nullus tranſitum habeat, aut in pariete, aut in foſſis pavimentorum jactentur ne introeuntium pedibus inquinentur*. Vaſa tamen aurea vel argentea, aliave id genus, quæ igne tranſmutantur, in uſus profanos cedere poſſunt, quia moraliter non manent eadem. Unde citatæ mox legi, quoad candelabra metallica uſu contrario derogatum eſt.

Etſi autem ſacræ veſtes ad uſus profanos converti non debent, profanas tamen in uſus ſacros converti nihil vetat: atque id patet tum ex communi Fidelium & Eccleſiarum praxi, quorum alii pretioſa ſua in Caſulas & alia id genus convertenda donant, aliæ recipiunt; tum utcumque ex facto Moyſis, cui ad Veteris Tabernaculi ornatum, & ſanctas Levitarum veſtes viri cum mulieribus armillas & inaures, annullos & dextralia, hyacintum, purpuram, &c. præbuerunt, Exod. 35. tum ex uſu Romanorum Pontificum, quorum alii, ut Marcellus, Lucinæ domum; alii ut Bonifacius IV. celebre Pantheon in Eccleſias conſecravere. Unde quod a Sixto IV. obtinuerant Minores privilegium e profanis ſacra conficiendi, neceſſarium non erat.

An autem ab Eccleſiarum Rectoribus, ſi locorum Statuta non reſiſtant, accipi poſſint Caſulæ vel calices, quibus inſcripta ſint Gentilitia nobilium ſtemmata, controvertitur. Negat Nat. Alexander Lib. 2. de Euch. cap. 7. art. 3. n. 8. & cum eo devoti plures, qui Sacerdotis prædictis inſignibus onuſti, eamdem fere conditionem eſſe dicunt, ac muli. Duo nos ſtatuimus paucis, 1. timendum eſſe ne qui ſtemmata ſua ubique effulgere volunt, ſuam jam mercedem receperint; 2. fieri tamen poſſe ut quis pie inſignia ſua ſacris veſtibus ineſſe velit, ſeu ut ſui ad Altare meminerint Fideles; ſeu ut ſucceſſores ſuos, aut poſteros edoceat, ab iis deinceps faciendum id cujus exemplum reliquerit. Novi ego, ait ſagax Scriptor mox citandus, novi familiam, quæ avorum & proavorum viſibilibus in ſtemmate exemplis admonita, ab annis ducentis ſacram Eccleſiæ ſupellectilem præbet. Habet ſane iſtud in quo ſcribo, S. Firmini Seminarium, D. Caroli Borromæi Caſulam, noſtris olim in ſignum animi bene memoris traditam ab Em. Joanne Caſimiro Cardinali Denhoff: ea porro Borromæis inſignibus decoratur. Quis autem ſancto Mediolanenſium Archipræſule humilior? De hac materia ſolide & moderate diſſerentem adi Roger. Andream de la Paluelle p. 2. Epiſt. 6. pag. 241.

SECTIO NONA.

De ipſo Sacrificii Ritu.

Circa ſacrificii ritum duplex movetur difficultas: Prima generalis, an ritus ille nihil habeat vitioſi; de quo Capite ſequenti rem habebimus cum Lutheranis. Secunda, qualiter ritus ille exerceri debeat: & quia id ſecundum ſe totum proſequi non vacat, potiſſimas ſaltem partes indagare conabimur. Itaque

Quæres

Quæres 1. an Sacerdos dum celebrat, Miniſtrum qui ſibi ſerviat, habere teneatur, & qualem.

R. ad 1. affirmat. idque ſub gravi, niſi gravis quædam neceſſitas excuſet.

Prob. 1. pars, quia conſtituto, ut eſt, ſacrificii ritu, Sacerdos aliquando Fideles aſtantes alloquitur; ergo habere quempiam debet, qui ſibi reſpondeat. Deinde manus abluit atque digitos; ergo præſto eſſe debet, qui ei vinum & aquam miniſtret.

Prob. 2. pars, tum ex cap. *Propoſuit 6. De filiis Presbyt.* ubi Alexander III. *Non enim*, inquit, *ſolus Presbyter Miſſarum ſolemnia .... poteſt ſine Miniſtri ſuffragio celebrare:* quæ verba gratis reſtringerentur ad Miſſam ſolemnem; tum & melius ex praxi & uſu Eccleſiæ, quæ defectum Miniſtri ſemper habuit ut aliquid graviſſimi. Unde id Concilii Nannetenſis apud Yvonem 3. p. cap. 70. *Definivit ſanctum Concilium ut nullus Presbyter ſolus præſumat Miſſam celebrare:* ubi ponderanda vox, *præſumat*.

Prob. 3. pars, quam tenent Lugo diſp. 20. n. 103. Silvius q. 83. art. 5. Habert, & alii Doctores communiter juxta Quarti p. 2. tit. 2. dub. 1. quia ritus Miniſtrum præcipiens, etſi gravis eſt, non ita tamen, ut cujuſcumque neceſſitatis caſum excludat, & cuicumque graviſſimo etiam præcepto prævaleat.

Hinc licet citra Miniſtri opem celebrare, 1. cum id neceſſe eſt ut Sacerdos ſibi vel alii Viaticum adminiſtret; 2. cum alioqui, nec ſine gravi offenſione, plebs Miſſa privabitur. Si tamen ea ceteroqui privandus ſit Sacerdos, *mallem*, ait Silvius, & nos cum ipſo, *dicere eum ab auditione Miſſæ* *Silv. p.*
excuſari, quam conſulere ut ſolus celebraret: quamquam nec celebrantem damnarem; 403.
3. ſi poſt inceptam, ſaltem notabiliter, Miſſam, recedat Miniſter.

Porro nec privatio ſtipendii, niſi forte graviſſima ſupponatur egeſtas Sacerdotis; nec eremum incolendi devotio, ſatis eſſe poſſunt, ut quis celebret ſolus: in hoc enim poſtremo caſu non eſt neceſſitas, ſed voluntas, propter quam non eſt a trito & gravi Eccleſiæ uſu recedendum. Unde tunc opus eſse Pontificia diſpenſatione, quæ vix unquam concederetur.

R. ad 2. *Prohibendum eſt ut nulla femina ad Altare præſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare*. Ita cap. 1. *De cohabitat. Cleric.* &c. atque id merito ſancitum, ne in miniſterio & loco, quæ Angelicam caſtitatem poſtulant, præbeatur tentationi occaſio.

Hinc in caſu neceſſitatis potius ſine Miniſtro celebrandum, quam utendum miniſterio feminæ: poterit tamen hæc e loco diſſito reſpondere celebranti, itaut neque pro vino, aut aqua, neque pro alia quacumque re ad Aram accedat, modo abſit omnis ſcandali periculum; ut abeſse poteſt, ſi plebs paucis ea de re inſtruatur: nam & id pro magna ſacrificii parte faciunt Moniales. Tunc autem Sacerdos ſibi vinum & aquam miniſtrabit, vel a maſculo, ſeu muto, ſeu qui reſpondere neſciat, recipiet, prout factum ſcio in aliquo caſu neceſſitatis, quæ tunc, juxta Lugo, tanta eſse non debet, quanta ut Sacerdos omnino ſolus celebret. Ceterum a teſtibus fide dignis accepi, moris eſse in quibuſdam Belgii fœderati locis, ut Beguinæ Presbytero ſacra facienti miniſtrent, imo nec munus illud ſibi etiam a maſculis auferri patiantur. Male quidem, quia contra leges; ſed non quia abſolute malum ſit, ut tunc in confeſſione dicat Sacerdos: *Et vobis fratres:* qui enim hæc dicit, non ſolum ad viros, ſed ad omnes verba habet; ut cum ait: *Orate fratres*. De his adi Lugo ubi ſtatim.

Unum

Unum hic addiderim, ſatagendum videlicet Presbyteris, ut habiles forment Miniſtros, qui nitide & diſtincte reſpondeant. Plerique enim potiſſimum in pagis, tam fœde balbutiunt, ut nihil niſi ſenſu deſtitutum obmurmurent. Quin & in hoc caſu neceſſum videtur ut ſuppleat Sacerdos, id quod non tam dicitur, quam dilaceratur. Ita colligo ex Quarti.

Quæres 2. an Sacerdoti celebranti neceſſarium ſit Miſſale.

R. eſſe generatim loquendo: quia alioquin luctuoſo & gravi in pluribus deficiendi periculo ſe ſe exponit. Unde ſi ſecus faxit, peccat mortaliter, prout communiter tradunt Doctores cum S. Antonino. Aliud eſt de Tabella ſecretarum, cujus defectus, etſi minus commode, per Miſſale ſuppleri poteſt.

Sed quid, ſi Sacerdos memoria polleat tam felici, ut merito conjiciat, ſe, etiam ſine Libro nihil omiſſurum? Alii hunc a gravi excuſant, præſertim ſi Miſſam defunctorum aut de Beata celebret, & in privato ſacello, non autem coram pluribus, ex quorum ſola præſentia naſci poteſt formido errandi, & qui formidinem proxime ſequitur, error ipſe. Alii gravi eum culpæ ſubjiciunt; tum propter rei gravitatem; tum quia experimento multiplici compertum eſt, firmiorem memoriam hærere in veſtigio, & ad improviſum tenuioris auræ flatum immuteſcere. Ratio hæc tam ſeria mihi videtur, ut ægerrime feram ſi quis a trita vita receſſerit.

Quæres 3. an Sacrum tecto capite facere liceat.

R. non licere, ſecundum id antiqui Canonis, ubique locorum confirmati: *Nullus Epiſcopus, Presbyter aut Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei aſſiſtere: quoniam & Apoſtolus prohibet viros velato capite orare in Eccleſia; & qui temere præſumpſerit, communione privetur*. Ita Zacharias in Concilio Romano an. 743. cap. 13. apud Gratian. cap. 57. *De conſecrat.* diſt. 1. unde qui inter Sacra bireto aut caputio per notabile tempus, etiam ante conſecrationem uteretur, non eſſet a gravi culpa immunis. An idem dicendum ſit de eo qui ſolo pileolo caput tegeret, non omnino convenit inter Theologos; aliis cum Angelo & Armilla, quibus favet Suarez, gravem hic culpam admittentibus; levem aliis cum Bonacina & Quarti propter materiæ levitatem; modo ante conſecrationem aperiatur caput.

Unum dicam, pileoli videlicet uſum, tanti apud Apoſtolicam Sedem eſſe momenti, ut facultas in eo diſpenſandi ſoli Papæ reſervata ſit, prout declaravere Rituum & Epiſcoporum Congregationes; prior quidem die 24. April. 1626. poſterior vero die 2. Januar. 1690. & 17. ejuſd. 1695. Addidit prædicta R. Congregatio die 3. Auguſt. an. 1695. Parochos qui Sacramentum ad infirmos deferunt, pileolo uti non poſſe, neque de die, neque de nocte, *ſub prætextu alicujus infirmitatis, ſine ſpeciali* ejuſdem *Congregationis licentia*. Ex quibus colligit Merati, vetitum eſſe pileoli uſum in Proceſſione SS. Sacramenti, etiamſi quis procul diſtet a Sacramento; quia Chriſtus non minus in eo præſens eſt, quam in Miſſa, nec minus ibi latriæ cultu donandus.

In his Regionibus non modo ſecum, ſed & cum Sacerdotibus ſuis diſpenſant Epiſcopi quoad præſens caput; cum juſta diſpenſationem exigit cauſa. Qua porro ratione pileoli uſum ſibi proprio nutu permittant Sacerdotes nonnulli, hactenus aſſequi non potui. Certe ex dictis liquet, ne Abbates

Digitized by Google

bates quidem, queis plura conceduntur, id quoad Religioſos ſuos poſſe.

Si quis tamen, ait Silvius q. 83. art. 5. *non ordinarie*, *ſed quandoque ſolum* (*extraordinaria videlicet infirmitate*, *vel alia ſubita neceſſitate ita requirente*) *celebraret capite uſque ad Canonem*, *vel pileolo*, *vel Amictu tecto* (quod ultimum Pariſiis hiemali tempore in uſu eſt, communiter uſque ad Secretas) *modo id faceret*, *ubi nullum eſſet ſcandali periculum*, *non auderem ipſum condemnare; quoniam Sedes Apoſtolica non videtur tam ſtricte ſibi reſervare prædictam facultatem*, *ut etiam pro caſu extraordinario ſuperveniente*, *vel pro infirmitate non diuturna velit ejuſmodi velationis modum eſſe prorſus illicitum*. Idem reſolvit Gibert quoad Presbyterum ſubita gravique epiphora correptum; etſi in Diœceſi ubi ille reſidebat, pileoli uſus ſub pœna ſuſpenſionis prohibitus erat. Neque etiam, ajebat, cenſuram incurriſſet, tametſi malum crediddiſſet gravius quam erat. In viro enim pio, neque cutis ſuæ ultra metas ſtudioſo, facile præſumitur bona fides, quæ a peccato excuſet.

Quæres 4. an Sacerdos inceptam Miſſam relinquere omnino poſſit, an ſaltem interrumpere.

R. ad 1. peccat graviſſime, qui ſine cauſa ſufficienti & proportionata Miſſam non perficit; ut conſtat tum ex juribus modo citandis; tum quia hæc agendi ratio reverentiam tantis myſteriis debitam inſigniter lædit. Et vero nullibi excuſatur, qui poſtquam grave cum Rege negotium tractare inceperit, terga vertet, & alio proficiſcetur. Cauſam requiro proportionatam, graviore enim opus eſt, ut quis poſt conſecrationem abſcedat, quam ante.

An autem ſceleris hujus reus cenſuræ ſubjaceat, non convenit. Duplex eſt in corpore Juris Canon, qui lucem hic præferre queat. Prior qui eſt 2. Concilii Tolet. VII. apud Gratian. cap. 16. VII. q. 1. ſic habet: *Nullus abſque proventu patentis moleſtiæ Miniſter vel Sacerdos*, *cum cœperit*, *imperfecta officia præſumat omnino relinquere*. *Si quis hæc temere præſumpſerit*, *excommunicationis ſententiam ſuſtinebit*. Poſterior qui eſt citatæ jam Romanæ Synodi, & habetur cap. 57. *De conſecrat.* diſt. 1. ſic habet: *Cum ingreſſus fuerit Epiſcopus*, *aut Presbyter ad Miſſarum ſolemnia celebranda*, *niſi paſſio aliqua intervenerit*, *nullo modo audeat* ..... *recedere*, *ut ab alio Epiſcopo vel Presbytero Miſſarum ſolemnia ſuppleantur* ..... *Si quis vero præſumpſerit præter quod poſuimus agere*, *a ſacro corpore & ſanguine Domini N. J. C. ſit ſuſpenſus*. Horumce Canonum primus meram excommunicationis comminationem continet, ut legenti conſtat. In ſecundo voces *ſuſpenſus ſit*, idem, juxta plures, ſunt ac *ſuſpendatur*. Reclamant tamen alii cum alteris; nec abſurde. Verum ad nos nihil iſta, quia ſuſpenſio hæc in iis Partibus recepta non eſt, prout olim ex Collatore Andegavenſi animadvertimus Tom. 4. pap. 270. Edit. 3. Pariſ.

At quibus de cauſis a Sacro deſiſtere licet. Plures recenſentur ante conſecrationem: & 1. cum Sacerdos meminit ſe vel jejunum non eſſe, vel gravi peccato obſtrictum, & Confeſſarium accerſere non poteſt; poteſt autem, quia in Sacello v. g. celebrat, citra ſcandalum recedere ab Altari. De his jam ſupra pag. 84. & 122.

2. cum Excommunicatus vitandus, qui nec adhortationibus cedit, nec propelli poteſt, vult ſacrificio intereſſe: de quo vide dicta ubi de Cenſuris.

3. cum

3. cum in ipſa ſacrificii actione violatur Eccleſia *ante Canonem ;* tunc enim dimitti Miſſam jubent Rubricæ part. 3. tit. 10. num. 2. niſi poſſit illico Eccleſia reconciliari, quod ab ipſo Celebrante ſtatim fieri poteſt, ſi Eccleſia tantum ſit benedicta, ut fuſius expendit Quarti part. 2. tit. 3. ſect. 2. dub. 5.

4. cum interdicitur Eccleſia: & tunc recedendum ab Altari, ſi necdum facta ſit conſecratio, aut, ut aliis placet, Canon inceptus: de quo rurſum adi Tract. de Cenſuris.

5. cum Sacerdos Sacrum ſine periculo mortis, aut gravis mali proſequi non poteſt, puta quia imminet hoſtium incurſus, alluvioniſve periculum, aut incendii, vel ruinæ. Et tunc incepto etiam Canone, necdum autem peracta conſecratione, poteſt, imo & debet dimitti Miſſa, ne exponatur Sacramentum. Facta vero conſecratione, debet ſumere Sacerdos vel utramque ſpeciem, ſi utramque conſecravit, vel ſolam panis ſpeciem, ſi hanc tantum conſecraverit, nec ſpeciem vini conſecrari ſinat periculum in mora; & omiſſis ceteris prompta fuga ſibi conſulere. Imo Hoſtiam ſecum in Corporali auferre poteſt, alibi conſumendam, ſi inſtet hoſtis, flamma, &c. Si ne hoc quidem poteſt, exiſtimat probabiliter poſt Toletum Silvius, quod non tenetur ſubire mortem, ſed poſſit diſcedere; quia ſaltem conſulit Miniſtro, qui Sacris conſulere non poteſt. In his porro caſibus, qui animæ tranquillitatem mire perturbant, id intrepide faciendum, quod, mente raptim ad Deum elevata, bona fides dictaverit.

Movent hic aliqui dubium, quid facto opus ſit, ſi quis certo advertat, aut ſaltem dubitet, num rite ordinatus ſit. Reſpondent porro in priori caſu Miſſam dimitti debere, allegato perturbationis prætextu; qui tamen in re tanta non tam prætextus eſt, quam ratio ſolida. In poſteriori vero caſu proſequendam eſſe Miſſam, ſi jam facta ſit conſecratio; quia in dubiis eligendum eſt id quod minus malum fuerit: minus autem malum cenſent proſequi, quam deſiſtere. Si autem necdum facta ſit conſecratio, & nihil ſcandali timeatur, docent a ſacris recedendum. Ita Quarti dub. 7.

R. ad 2. Miſſam ſemel inceptam non poſſe interrumpi ſine peccato lethali, quod tanto futurum eſt gravius, quanto diuturnior, aut inutilior mora interponetur. Ratio eſt, quia Miſſa eſt una quædam actio totalis & integra, cujus partes, ex conſtanti Eccleſiæ doctrina, ſecum invicem connexæ eſſe debent. Unde, ait Silvius q. 83. art. 6. Q. 3. ſi fuerit notabilis interruptio, grave erit peccatum; veluti ſi quis poſtquam Miſſam inchoavit, vel exutis ſacris veſtibus recedat deinceps reverſurus; vel ſacris veſtimentis indutus remanens, ad horas quemdam venientem expectet, & cum is advenerit perficiat. Hæc ille, quæ laxiora videntur in caſu quo quis Miſſam abrumpet, ut quid alienum peragat; ipſa enim per quadrantem unum interruptio, tunc gravis videtur ipſi etiam Quarti.

Ceterum pie aliquando & ſancte Miſſa interrumpi poteſt, ut 1. ſi moribundus Baptiſmo, vel Pœnitentia indigeat; 2. ſi infirmo, qui cetera Sacramenta recipere non potuit, adminiſtranda ſit Extrema-Unctio; 3. ſi Epiſcopus Ordines collaturus ſit, Parochus ſacram habiturus concionem, aut Eccleſiæ Edicta promulgaturus, Superior vota Religionis ex-

ceptu-

cepturus; 4. ſi homini ad necem ab iniquis invaſoribus violenter impetito ſuccurrendum ſit; 5. ſi urgeat exonerandæ alvi neceſſitas; prout ex Navarro docet Sylvius. Addunt aliqui poſſe Miſſam interrumpi ante Offertorium, & a principio, ſeu ab Introitu reſumi, cum admonetur Sacerdos adventare Epiſcopum vel Principem, qui ſacro intereſſe velit. Verum id in praxim reduci nolim, præcipue cum a peccato excuſentur, qui totam Miſſam audire non valent, imo qui totam omittunt inviti.

Sed numquid ſemper proſequenda eſt Miſſa quam quis interrupit? Nequaquam: ſi enim tantæ moræ ſit interruptio, ut jam ad unum morale totum reduci non poſſint disjunctæ partes, Miſſæ proſecutio omittenda erit, etiam facta conſecratione, ſervandumque Sacramentum, ut die ſequenti ab alio vel ab eodem Sacerdote ſumatur. Si autem intra legitimum tempus præſto eſſe poſſit alius Sacerdos qui ſacra perficiat, debebit is perficere. Porro legitimum illud tempus duabus circiter horis concludi videtur: quamquam illud alii ad horæ unius ſpatium reſtringunt; alii prorogant ad tempus omne quod meridiem præcedit: de quo Quarti part. 3. tit. 10. n. 3. ſect. 1. dub. 5.

Quæres 5. an quæ ſecreto recitari jubent Rubricæ, ſubmiſsa voce dicenda ſint, adeo ut Sacerdos ſe quidem audiat, ſed a circumſtantibus non audiatur.

Negant communiter noſtro hoc ævo quicumque in dogmatis novitatem amant: ii enim & in diſciplina novitatem ſectantur. Hos inter primas tenuit an. 1709. Meldenſis Canonicus, nomine Ledieu, qui cum Miſſalis Eccleſiæ hujus editioni præeſset, poſt utriuſque conſecrationis verba ſubjunxit *Amen*, a Miniſtro aut quovis Fideli alta voce pronuntiandum; quod & ad finem ceterarum Canonis orationum præſtiterat. Ne cui vero priſtinis uſibus aſsueto moram faceret id Rubricæ, *ſubmiſſa voce*, hoc ille paucis ſic interpretatus erat, *id eſt, ſine cantu:* & hanc ſuam expoſitionem tueri conatus eſt per Libellum cui titulus: *Lettre ſur les* Amen *du nouveau Miſſel de Meaux*.

Innovationem hanc non tulit Meldenſe Capitulum, ſed publico teſtimonio die 29. Januar. an. 1710. additiones illas ſe inſcio & inconſulto factas eſse declaravit; & quidquid a communi norma recederet, juſſit expungi; prout jam publico die 22. ejuſdem menſis & anni Mandato edixerat Illuſt. Henricus de Thyard. de Biſsy, in Sede Meldenſi, ſicut in ſtudio Religionis, Boſsueti ſucceſsor, & exinde Romana purpura die 29. Maji an. 1715. inſignitus.

Neque hic ſtetit diſceptatio; dum enim Rubricas fuſo Opere cui titulus: *Du ſecret des myſteres*, vindicare nititur Petrus *Le Lorrain*, vulgo *De Vallemont*, graviter vapulat ab Elia Dupin ſæcul. XVIII. Bibl. Eccleſ. gravius vero ab Auctore Libri inſcripti: *Apologie des cèrèmonies de l'Egliſe, expliquèes dans leur ſens naturel & litèral par Dom Claude de Vert.* Operis hujus non Bruxellis, ut habet inſcriptio, ſed Lutetiæ impreſſi, parens fuit Canonicus Lavalleus, nomine Baudouin; ad quem, ut Vallemontii Librum æquo pretio metiamur, remittit nos vir clariſs. D. Goujet in novo ad Dictionarium Morerianum Supplemento v. *Vallemont:* quem nos viciſſim ad ultimam R. P. Le Brun Diſsertationem remittimus, ut æquum de Balduini partu judicium ferat. His hiſtorice prænotatis. *Pag.* 598.

R. quæ

R. quæ ſecreto ſeu ſubmiſſa voce recitari præcipiuntur in Rubricis ; non poſſunt ſine peccato alta voce recitari.

Prob. 1. ex Tridentino Seſſ. 22. cap. 5. ubi ſic: *Cum natura hominum ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia vero elatiore in Miſſa pronuntiarentur, inſtituit*, & Can. 9. *Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe ...... eo quod ſit contra Chriſti inſtitutionem; anathema ſit*: atqui quantumlibet renitantur Adverſarii, iſtud, *ſubmiſſa voce*, non idem eſt ac *ſine cantu*, vel, *voce moderata*, *quæ tamen ab aſtantibus audiatur*, ſed idem ac *plene ſecreto*.

Prob. min. 1. quia id ſancire voluerunt Patres Tridentini, quod temere impetebant Lutherani & Calviniſtæ: atqui redarguebant hi quidem Romanam Eccleſiam, quod verba conſecrationis, & alia non pauca tacite prorſus *quaſi magica* recitaret; non autem quod vel Canonem totum non caneret, vel certas ejus partes eo tono diceret, qui licet ſubmiſſior, ab omnibus audiri poſſet; ergo niſi ventum & aerem verberaverit ſacra Synodus, eos damnavit qui ſecretam certarum Miſſæ partium recitationem carpebant.

2. non aliunde melius reſciri poteſt quæ fuerit mens Concilii, quam ex ejuſdem Hiſtoricis: atqui hi uno ore *ſubmiſſam* Tridentini *vocem* noſtro ſenſu interpretantur. Sic enim loquitur Suavis, ſeu F. Paulus Lib. 6. juxta penultimam verſionem: *Les Proteſtans trouvoient contradictoire de dire, que la Meſſe contient de grandes inſtructions pour le peuple fidele; & puis d'approuver* QU'UNE PARTIE EN SOIT PRONONCÉE TOUT BAS. Pallavicinus vero Lib. 18. cap. 10. nu. 5. *Quod quædam*, inquit, *ſacrificii partes ſubmiſſa voce proferantur, qui ritus ibidem a Concilio comprobatur, non ea ſunt in cauſa quæ comminiſcitur Suavis ...... ſed ſunt revera major illa veneratio, quæ rebus divinis oritur* EX ARCANO, *& major ille pietatis ſenſus, qui excitatur & alitur* A SILENTIO; *unde fit ut qui celebrant & interſunt, poſſint attentius quæ aguntur Myſteria meditari. Hæc autem arcani, ſilentiique decentia in ſacrificiis oſtenditur quoque ex inſtitutione divina in ſua Lege veteri, ubi præſertim in cap. 16. Levit. cum ſolemne ſacrificium thuris deſcribitur, jubetur ſolus Sacerdos ultra velum pergere, ibique precari, non modo non auditus, ſed ne viſus quidem a populo.*

Amelot de la Houſſaie.

3. quia nulli notior eſſe potuit Tridentini Concilii ſenſus, quam Romanæ Eccleſiæ, cujus ad judicium & auctoritatem remittit S. Synodus * pro iis quæ ad Miſſale pertinent: atqui in eodem Miſſali tam aperte explicantur quæ clara vel ſubmiſſa voce recitari debent, ut hic ne cæci quidem cæcutire poſſint. Sic enim loquuntur Miſſalis Rubricæ part. 1. tit. 16. n. 2. *Sacerdos maxime curare debet, ut ea quæ clara voce dicenda ſunt, diſtincte & apposite proferat, non admodum feſtinanter, ut advertere poſſit quæ legit; nec nimis moroſe, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortaſſe in eadem Eccleſia tunc temporis celebrant; neque tam ſubmiſſa ut a circumſtantibus audiri non poſſit, ſed mediocri & gravi, quæ & devotionem moveat, & audientibus ita ſit accommodata, ut quæ leguntur intelligant. Quæ vero ſecrete dicenda ſunt, ita pronuntiet, ut ipſemet ſe audiat,* ET A CIRCUMSTANTIBUS NON AUDIATUR: atqui Rubri-

** Seſſ. 25. de Indice & Miſſali.*

bricam hanc, quæ a Pio V. cujus juſſu edita eſt, non parum commendationis habet, ſuam unanimi calculo fecerunt Concilia quotquot deinceps habita ſunt. *Sacerdos*, ajunt Eccleſiæ Mediolanenſis Acta, *diſtincte Miſſæ partes pronuntiabit; quæ vero ſecrete dicenda ſunt ita leget, ut a circumſtantibus non audiatur*. Idem præſtitere plura in Galliis Concilia, quæ fuſe refert P. Le Brun pag. 26. & ſeq. ubi & contra Apologiſtam Claudii De Vert probat eumdem fuiſſe ſenſum Concilii Remenſis an. 1583. *Part. 4. tit. 1. pag. 626.*

Prob. 2. ſi a Rubrica ſecretam recitationem præcipiente diſcedere liceat, utique quia nova ſit & ritum Antiquitati incognitum inducat: atqui hæc ratio & falſa eſt, &, ſi vera ſupponatur, non concludit.

1. falſa eſt. Si quidem Pontificale Romanum, quod jam ab an. 1485. typis Romanis editum eſt ſub Innocentio VIII. ſic habet fol. 197. *Cetera non ſecreta* Sacerdos *alta & intelligibili voce proferat: Secreta vero & Canonem moroſe & diſtincte ſubmiſſa voce legat*. Ubi ſubmiſſa vox altæ & intelligibili voci opponitur. Idem eodem ſæculo uti rem extra dubium omne poſitam tradebant doctiſſimi quique Scriptores. Sic Vincentius Graner, qui an. 1410. Lypſeenſem Univerſitatem aperturus, de ſacri Canonis expoſitione Tractatum edidit; *Sequitur, oratio ſecreta, quæ ſic vocatur, quia ſecrete & ſub ſilentio & recollecta mente dici debet*, & rurſum: *Item verba Canonis dicuntur ſub ſilentio, propter majorem reverentiam; & ideo non licet ut hæc ſacratiſſima verba audiantur a Laicis*. Idem habet *Sacri Canonis Miſſæ expoſitio* a Gabriele Biel tradita an. 1487. & 1488. His conſonant Miſſalia antiqua quæcumque Rubricas habentia, itaut ne unum quidem adduci poſſit in quo præcipiatur alta Canonis recitatio; prout contra Claudii De Vert Apologiſtam, qui hoc in puncto tot emiſit falſa, quot verba, demonſtravit citatus P. Le Brun pag. 44. & ſeq.

Non alia fuit praxis Ordinum Religioſorum quotquot ab an. 1000. prodierunt. Hi enim ritum celebrandi quem hodieque ſervant (etſi a communi ritu nonnihil diſcrepantem, ut videre eſt apud Carthuſienſes, Dominicanos & Carmelitas) a Diœceſibus in quibus primum fundati ſunt, depromſere: atqui tamen in iiſdem Ordinibus ſemper viguit conſuetudo recitandi ſuppreſſa voce quidquid ſecrete recitari jubetur. Hinc ea lex quæ in Miſſali tum *conventuali*, tum *minorum Altarium* jam ab an. 1254. apud Dominicanos ſancita eſt, non ut nova profecto, ſed ut ubique recepta: *Canonem ſic ſubmiſſe dicat, quod intelligi non poſſit a circumſtantibus*.

Idipſum conſtanter ſervavere Græci, in quorum Liturgiis quædam *ecphonos*, ideſt, alta voce, quædam *myſticos*, ideſt, ſecreto & tacite recitanda imperantur; prout annotaverunt Card. Bona Lib. 2. *Rerum Liturg.* cap. 9. doctiſſ. Renaudotus, & ante eos vir græce peritiſſimus Cabaſillas Expoſ. Liturg. cap. 63. quod autem hodie in iis Liturgiis præſcribitur, ſemper in iiſdem præſcriptum eſt; ergo ritus quem hodiernæ Rubricæ habent, non Pii V. tempore exortus eſt, ſed ab initio viguit. Atque hinc confidenter poſtulabat Brunius, ut e mille Auctoribus, quorum teſtimoniis obruendus dicebatur, objiceretur vel unus e tota retro antiquitate, qui totam Liturgiam alta & intelligibili voce recitandam eſſe declararet. Verum hæc fuſiori ſtylo proſequi nec vacat, nec expedit; cum omnium manibus teratur præcitata ejuſdem Brunii Diſſertatio.

2. Neque etiam a Rubrica diſcedendum foret, etiamſi non ita vetus ſuppo-

ſupponeretur; tum quia & a legitima auctoritate prodiit, & ab univerſis Epiſcopis adoptata eſt; tum quia hanc uti ſanam & æquam habuere viri primi nominis, ut Morinus, Thomaſſinus, Mabillonius, Martene, D. Fleuri, ut videre eſt apud Le Brun: quæro autem an his coram Deo præponi poſſint Claudius De Vert, ejuſque pauculi, ſi cum ceteris conferantur, ſectatores; tum quia alioqui liceret etiamnum vel in fermentato conſecrare, vel Euchariſtiam ſub ſpecie vini porrigere Laicis, vel in Sabbato veſci carnibus: hæc enim omnia olim licita fuere, & legibus, quæ cum primum editæ ſunt, novæ erant, prohibita. Cur ergo hæc non audent Adverſarii: utique, quia ut ſolide Auguſtinus Epiſt. 54. alias 118. *mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt*. Jam vero quæ in clamoſa Canonis recitatione utilitas? hæc una, ut Sacerdos legem Eccleſiæ manifeſtam infringat; ut ſimul celebrantes perturbet; ut iis qui regulas norunt, ſcandalo ſit; ut ruſticis & mulieribus, qui latine neſciunt, in potiſſima Miſſæ parte, attentionem excutiat. Merito igitur Dominicani an. 1569. Cluniacenſes an. 1725. ac Patres S. Mauri an. 1726. vetuere ne quis ſuorum ab iſto Rubricæ ritu diſcederet. Le Brun ibid. pag. 56. & 352.

Objiciuntur quædam, & 1. auctoritas Card. Bona, qui cit. Lib. c.9. fatetur Canonis verba palam olim & aperte recitata fuiſſe; 2. Novella 137. Juſtiniani Imperatoris, qua conſtitutum eſt, ut Miſſa ubique locorum elata voce recitaretur; 3. Canonem ideo ſubmiſſa voce recitari præceptum, ne in laicorum notitiam deveniret; quæ cautio hodie inutilis eſt, cum *Ordinarium Miſſæ*, ut vocant, jam penes ipſos pueros ſit. Verum hæc nihil obſtant.

Non 1. quod ut pateat, ipſa Card. Bona verba referre placet: *Græci, inquit, & alii Orientales verba conſecrationis elata voce pronuntiant, & populus reſpondet, Amen. Dionyſius Alexandrinus de hoc ritu teſtimonium perhibet Epiſt. ad Xiſtum Rom. Pontificem apud Euſeb. Lib. 7. Hiſtor. cap. 9.* Qui gratiarum actionem, *inquit*, frequenter audierit, & qui cum ceteris reſponderit, Amen, &c. *Eumdem morem ſervabat olim Eccleſia Occidentalis: omnes enim audiebant ſanctiſſima & efficaciſſima verba, quibus Chriſti corpus conficitur. Hinc Tertullianus Lib. de Spectaculis cap. 25. in eos invehitur, qui eo ore, quo Amen in ſanctum protulerant, gladiatori teſtimonium reddere non verebantur. Ambroſius Lib. de iis qui initiantur, ait:* Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur; & tu dicis Amen, hoc eſt, Verum eſt. *Alcuinus idem aſſerit, & ex eo Florus Magiſter in expoſitione Miſſæ ..... Poſtea ſtatutum eſt, ut Canon ſubmiſſa voce recitaretur, & ſic deſiit ea conſuetudo ſæculo decimo, ut conjicio, quia poſt Florum, qui nono labente vixit, ejus mentionem non reperi apud ævi poſterioris Scriptores*. Hæc ille, ex quibus ad minimum ſequitur, ritum ſecretæ recitationis ab octingentis circiter annis in uſu eſſe: quæro autem an legem adeo antiquam a privatis corrigi deceat, præſertim cum ipſa lex continuo renititur.

Cap. 9. nu. 54.

Verum ulterius progredior, & contendo deceptum fuiſſe doctiſſimum Cardinalem; atque opinionem ejus nullo, eorum quos adduxit, textu fulciri.

Non Dionyſii Alexandrini, qui præterquam non magis quoad Eccleſiam Latinam pro recitatione publica concluderet, quam pro fermentato pane,

Digitized by Google

pane, ſi ejus uſum apud Græcos ævo ſuo viguiſſe declararet; reipſa nihil dicit, quo publica conſecrationis verborum recitatio adſtruatur. Nam moris quidem erat ut Fideles acclamarent *Amen*: verum non fiebat id ſtatim poſt conſecrationem, ſed poſt *gratiarum actionem*, ut hodieque fit in Eccleſia Latina. Porro id tantum dicit Dionyſius, & nihil ultra; prout ipſi Centuriatores Magdeburgenſes agnovere Centuria 2. cap. 6. p. 85. & Centuria 3. cap. 3. p. 92. Et vero docet Chryſoſtomus Hom. 3. in Epiſt. ad Epheſios, Altare tempore celebrationis ductili velo circumſeptum fuiſſe, itaut ne Miniſtrum quidem conſpicere liceret. Hinc *tremendum* illud *ſilentium*, quod tam nervoſe deſcribit S. Doctor Homil. 17. in Epiſt. ad Hebræos; & cujus vel ipſum nomen publicæ recitationis ideam procul abigit. De his adi non inepte differentem Vallemontium in Tractatu de Myſteriorum ſecreto, part. 3. pag. 136. & ſeq.

Non Tertulliani, qui explicari facile poteſt de *Amen*, quod communionem ſequebatur, aut integrum ſacrificii ritum, prout varias includit orationes, ad quarum clauſulam populus reſpondebat *Amen*.

Non Ambroſii: nam ait equidem S. Doctor, populum in teſtimonium agnitæ donorum tranſubſtantiationis reſpondere *Amen*; ſed non ait *Amen* illud ſtatim poſt prolata conſecrationis verba reſponderi. Imo prædictum *Amen* in ipſo tantum communionis actu reſponſum fuiſſe plura demonſtrant: 1. enim Auctor Librorum de Sacramentis, qui vel Ambroſius eſt, vel Ambroſii mentem exprimere ſolet, nullius *amen* meminit, cum agitur de conſecratione, ſed tantum, cum de Communione ſermo eſt: *Dicit tibi Sacerdos: Corpus Chriſti; & tu dicis, Amen, hoc eſt verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus*. Quin & ex ipſo, quem Card. Bona objicit loco, perſpicuum eſt S. Doctorem de Euchariſtia potiſſimum ut Sacramento diſſerere: *Tu dicis, Amen*, inquit, *hoc eſt verum. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod ſermo ſonat, affectus ſentiat. His igitur Sacramentis paſcit Chriſtus Eccleſiam ſuam*; 2. Ambroſiana quæcumque extant Miſſalia, ſeu manuſcripta, ſeu veteribus typis edita, nullum habent *Amen* niſi pro communione; de quo adi P. Le Brun cit. Diſſert. 15. p. 224. 3. Coævi Ambroſio Patres, *Amen* in ipſo Communionis puncto collocant. *Qua conſcientia*, ait Hieronymus Epiſt. 62. *ad Euchariſtiam Chriſti accedam, & reſpondebo Amen*, &c.

Ambr. l. 4. cap 5. Tom. 2. Pag. 372.

Non Alcuini, ſi tamen ſit is Auctor Librorum de divinis officiis, quod non credimus. * Nimirum vero Pſeudo-Alcuinus cit. Lib. cap. 40. ſic loquitur: *Facto totius Eccleſiæ ſilentio, in quo ceſſante omni ſtrepitu verborum ſola ad Deum dirigitur intentio & devotio cordium, ſociatis ſibi omnium votis & deſideriis, incipit Sacerdos orationem fundere, qua ipſum Myſterium Dominici corporis & ſanguinis conſecratur*. Quæ verba ex Remigio Altiſiodorenſi & Floro deprompta ſunt. Quid porro eſt ingens illud totius Eccleſiæ ſilentium? quid omnimoda hæc ſtrepitus verborum ceſſatio? quid jam ſolum ad Deum directa intentio, niſi ſecreta recitatio verborum

* Rationes negandi ſunt, 1. quia Alcuinus obiit an. 804. & tamen Auctor Lib. de divinis officiis, ubi de Dominica Palmarum loquitur, meminit Hymni *Gloria, laus & bonor*, qui nonniſi circa an. 818. a Theodulpho Aurelianenſi, tunc Andegavi in carceribus detento exaratus eſt; 2. quia idem loquitur de Feſto Sanctorum omnium, qui anno tantum 835. inſtitutus eſt a Gregorio IV. 3. quia Alcuinus natione Anglus erat: auctor vero prædicti Operis ſe e Gallia Braccata ſeu Narbonenſi ortum profitetur cap. de ſingulis veſtibus, &c.

Canonis; quæ, ut pergit Auctor, ideo etiam introducta eſt, *ne verba tam ſacra, & ad tantum myſterium pertinentia*, in omnium notitiam devenirent. Sed de his lege ſolide differentem Brunium Diſſert. 15. art. 3. pag. 101. ubi & ſcite probat, hiſtoriam juniorum Apameæ Paſtorum, de qua inferius, huic Pſeudo-Alcuini loco male aſsutam fuiſse.

Tom 15. Bibliot. PP. pag. 72. B.

Ibid pag. 81. C.

Non Flori Lugdunenſis: is enim de Canonis ingreſſu loquens: *Clamat*, inquit, *Sacerdos cum Eccleſia non voce, ſed corde, dicens:* Te igitur, &c. Et infra: *Hoc ergo*, Amen *ad tanti myſterii conſummationem, ſicut & in omni legitima oratione, reſpondent Fideles, & reſpondendo ſubſcribunt*. Ubi *Amen* reſpondetur a Fidelibus, non poſt conſecrationis verba, ſed poſt conſummationem Myſterii, prout hodieque fit ſecundum Rubricas: dum interim in ipſa myſteriorum ſerie loquitur Sacerdos *non voce, ſed corde*, ſeu, ut alii dicunt, in ſilentio. Vox quippe ſubmiſsa quandoque ſilentium vocatur, ſecundum id Auguſtini Tract. 49. in Joan. nu. 16. *Suppreſſam vocem ſilentium nuncupavit* Scriptura, Joan. 11. 28. ubi hæc leguntur: *Vocavit* Martha *Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt*, &c. quo etiam ſenſu dicitur Judith oraſse *labiorum motu in ſilentio*; ergo ex auctoritatibus a Card. Bona congeſtis nulla eſt quæ pro ipſo probet, multæ contra quæ adverſus ipſum concludant. Sane, ut advertit Merati in Gavantum part. 1. tit. 16. litt. G. ſyſtema Card. Bona vel ex ipſo ſolo Ordine Romano, quem edidit P. Martene Tom. 4. Theſaur. Anecd. confutari poteſt. Is enim Ordo ad ſæculum VII. ſpectat; & tamen in eo præcipitur ſubmiſsa Canonis recitatio.

Tom. 3. part. 2. p. 625 G.

Judith. 13. 6.

Neque 2. nocet objecta Juſtiniani Novella: ut enim advertit Bellarminus Lib. 2. de Miſsa cap. 12. *Reſponderi poſſet imprimis non ad Imperatorem pertinere de ritu ſacrificandi leges ferre; proinde non multum referre quid ille ſanxerit. Sed etiam illud reſpondemus, non eſſe legem illam ſententiæ noſtræ contrariam: ſolum enim ille jubet, ut quæ in Eccleſiis Orientalibus alta voce dici ſolebant, ab omnibus alta voce dicerentur. Erant enim quidam, ut ex illa ipſa Novella colligitur, qui ſubmiſſa voce pronuntiabant ea, quæ ex recepta conſuetudine alta voce pronuntianda erant, ut eo modo ignorantiam ſuam tegerent: qui quidem jure reprehenduntur, tum quod contra morem Eccleſiæ facerent, tum quod ex imperitia legendi id facerent*. Primam hujus ſolutionis partem modeſte approbat Illuſt. Petrus de Marca Lib. 2. Concord. c. 6. *Vereor*, inquit, *ne Juſtinianum damnare cogamur, quod de ſacræ Liturgiæ ritibus Conſtitutionem ediderit, qua myſtica verba conſecrationis Eucharıſtiæ, clara voce, non autem ſubmiſſa*, UT SOLEMNE ERAT, *proferri jubet*, &c.

Interim duo circa illam Juſtiniani legem obſervanda ſunt, 1. eam non ubique locorum acceptam fuiſse; Neſtoriani enim qui ab Imperii finibus ejecti, Syriam, Perſidem, Indias, aliaſque hinc & inde Regiones incoluere, receptam a Proavis legem ſilentii religioſe ſervaverunt. Idem præſtitere Occidentales Eccleſiæ. Quin & in ipſa Græcia multæ Canonis partes ſecreto recitari continuarunt, etſi ad blandiendum Juſtiniano, conſecrationis verba elata voce prolata fuerint; 2. altam hanc conſecrationis recitationem funeſtos fortaſſis ante Juſtiniani mortem effectus pepériſse. Scribit enim Joannes Moſchus Prati ſpirit. cap. 196. juniores quoſdam pecuarios, cum ſacros Miſsæ ritus per jocum & fictionem imitari voluiſsent, itaut eorum alter Sacerdotis, alii vero Miniſtrorum partes

tes

Digitized by Google

tes agerent; ſuper pane & vino pronuntiaſse conſecrationis verba, quæ quia *quibuſdam in locis* alta voce recitabantur, a pueris, qui Altari propius aſtabant, memoriæ fuerant commendata. Cum autem eo deveniſsent ubi panis ad Communionem frangi conſuevit, pluens de cœlo ignis, & petram quæ aræ vices gerebat, & quidquid in ea ſuperpoſitum erat vini & panis, conſumpſit. Unde terrefacti paſtores proni ciderunt in terram; peneque exanimes a parentibus domum reportati fuere. Re comperta loci Epiſcopus infantes illos in Monaſterium miſit, & in ipſo ubi prodigium evenerat loco, Monaſterium extruxit. En ſummam Hiſtoriæ, quam a Gregorio Africanæ Provinciæ Præpoſito, viro ſummæ probitatis Monachorumque & egenorum patre, qui unum ex iiſdem pecuariis Monachum ipſe viderat, didiciſse ſe teſtatur Moſchus. Equidem narrationem hanc anilis fabellæ loco habet Vertii Apologiſta pag. 52. Verum etſi non diffitemur Moſchum plura ſcripſiſse, quæ non ſatis expenderat; at difficile fatebimur, eum in re quam a teſte graviſſimo exceperat, fuiſse deceptum. Atque hinc narrationem ejus, quam, ut obiter dicam, futiliter impugnat Apologiſta, fide dignam judicarunt viri plures magni nominis. Adi Vallemontium part. 1. p. 298. & alibi paſſim, potiſſimum autem part. 3. p. 20. & ſeq.

Neque etiam 3. obeſt quod ſacer Liturgiæ ritus jam omnium manibus teratur. Etſi enim ſecretam Canonis recitationem præcepit Eccleſia, quia verita eſt ne ſparſa in vulgus Religionis noſtræ myſteria vileſcerent; haud tamen hac una de cauſa legem venerandi hujus ſilentii indixit; ſed inſuper, 1. quia per tremendum illud ſilentium admonetur Sacerdos ſibi jam introeundum eſse in ſanctuarium Dei, & cum eo loquendum, prout ipſe loquitur, nempe *in magno ſilentio cordis*, ut ait Auguſtinus in Pſal. 38. n. 20. hinc Auguſtana Synodus an. 1549. poſtquam præcepit ut *ſub elevatione Hoſtiæ Antiphonæ ad hoc Sacramentum pertinentes tantum cantentur*, ſubdit: *Quamquam melius & veteri Eccleſiæ convenientius eſſet præſentiam Dominici corporis in altiſſimo ſilentio proſtratos contemplari*; 2. quia diverſitas tonorum inſtabilem ventoſamque imaginationem ſiſtit & coercet; neque unquam facilius mens ſui compos eſt, quam cum a vocali oratione ad mentalem, & ab hac rurſus ad vocalem pertranſit. Atque id eſt quod docuit Tridentinum citatis ſupra verbis: *Cum natura hominum ea ſit*, &c. Hæ porro rationes quibus plures alias adjungit Brunius part. 1. art. 8. hodieque ſubſiſtunt, ſemperque ſubſiſtent.

Etſi porro vulgandi Canonis morem, qui jam ubique in Galliis inolevit, intactum relinquimus, haud tamen poſsumus inficiari, eum primævis legibus omnino repugnare. Hinc ubi primum publici juris facta eſt verſio Gallica Miſsalis Romani a Joſepho de Voiſin Burdigalenſi, ac Doctore Theologo, eam ſtatim * reprobaverunt, præciſe quia verſio Gallica foret, 1. Epiſcopi ad novitatis hujus examen Pariſiis congregati, qui & encyclica Epiſtola ceteros Regni Præſules adhortati ſunt, ut traductionis hujus propagationi obſiſterent, & ejus cenſuram a Rom. Pontifice efflagitarunt; eo *potiſſimum*, inquiunt *, *quod præter antiquitatis reverentiam, poſtulet ipſa Chriſtianorum rituum ac Myſteriorum dignitas atque majeſtas, ut ea vulgo & quibuſvis obviis non exponantur, ne ipſa ſua frequentia & aſſiduitate vileſcant, ſintque eo magis mira & veneranda, quo rariora: neve apicum, ſyllabarum*

Ann. 1660.

* *7. Decembr.* 1660.

* *Epiſt. 7. Jan.* 1661.

barum aut verborum immutatio, quæ ex ſingulorum idiomatum dialecto & proprietate oritur, ſcandalum aliquod vel offendiculum in rebus fidei ac doctrinæ ponat. Nimirum vero, pergunt cum Hieronymo Epiſt. ad Paulinum, *Cum tractent ſabrilia fabri*, credideris, *ſolam Scripturam artem eſſe, quam ſibi paſſim omnes vendicant, quam garrula anus, quam Sophiſta verboſus* pro libitò interpretantur, *lacerant, docent antequam diſcant*, &c.

2. Alexander VII. necdum accepta Cleri Gallicani Epiſtola. Jam enim a 12. die ejuſdem menſis & anni Conſtitutionem in forma Brevis emiſit, quam hic referre placet.

Alexander VII. *Ad futuram rei memoriam. Ad aures noſtras ingenti cum animi noſtri mœrore pervenit, quod in Regno Galliæ quidam perditionis filii in perniciem animarum novitatibus ſtudentes, & Eccleſiaſticas ſanctiones ac praxim contemnentes, ad eam nuper veſaniam pervenerint, ut Miſſale Romanum Latino idiomate longo tot ſæculorum uſu in Eccleſia probato, conſcriptum, ad Gallicam vulgarem linguam convertere ..... auſi fuerint, & ita ſacroſancti ritus majeſtatem Latinis vocibus comprehenſam dejicere & proterere, ac ſacrorum Myſteriorum dignitatem vulgo exponere temerario conatu tentaverint. Nos .... quemadmodum novitatem iſtam perpetui Eccleſiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, ſeditionis, ſchiſmatis, aliorumque plurium malorum facile productricem abhorremus & deteſtamur; ita Miſſale præfatum Gallico idiomate a quocumque conſcriptum, vel in poſterum alias quomodolibet conſcribendum & evulgandum, motu proprio & ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtris, perpetuo damnamus & interdicimus, ac pro damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus.* Scripſit idem Pontifex ad Gallicanos Epiſcopos Breve die 17. Febr. anni ejuſdem 1661. in quo poſt commendatam æqua gratulatione ipſorum vigilantiam, ait ſe ante acceptas eorum Litteras, ſtatim huic occurriſſe malo *expreſſa Brevis animadverſione.*

3. Sacra Facultas Pariſienſis, quæ ſemel & iterum adverſus prædictam Miſſalis verſionem inſurrexit: primum quidem die 4. Januarii an. 1661. ubi per quatuor Magiſtros, Gallicani Conventus Præſules certiores fieri voluit, *quantum ab ejuſmodi verſionibus abhorreret*: rurſus vero die 1. Aprilis, quo poſt relatas 24. ejuſdem Miſſalis Gallice converſi propoſitiones, declarat in eis, *ut verba ſonant, contineri errores contra ſanam doctrinam de Chriſto, de Spiritu ſancto, de gratia & libero arbitrio, de Sacramentis, præſertim Baptiſmi & Pœnitentiæ; aliiſque capitibus, & multas verſiones ineptas ac falſas, aliquas etiam quæ textu Latino, tum addendo, tum detrahendo inducunt in opiniones olim & recenter condemnatas.* Quæ cenſura die Maji 2. ejuſdem anni confirmata eſt. Unde liquet verſionem Miſſalis, præciſe quia verſionem, a ſacra Facultate primum fuiſſe reprobatam.

Neque hic defuit, quidquid contra innuere videatur Moreriani Supplementi Artifex v. *Voiſin*, auctoritas Regia; ſed bis intervenit; ſemel quidem die 16. Januarii, quo ſuppreſſa eſt ad votum Cleri Verſio prædicta; denuo autem die 4. Aprilis, quo Pontificium Breve in univerſis ditionum ſuarum locis executioni mandari juſſit Rex Chriſtianiſſimus.

Valem. *3. p. 176* Quod autem objicit Elias Dupin, Ordinarium Miſſæ jubente Clero gallice editum eſſe, cum an. 1685. revocatum eſt Edictum Nan-

Nannetenſe; & falſum eſt, & nihil concludit: 1. falſum eſt: quia hæc Gallici Ordinarii promulgatio auctorem habuit Clariſs. Pelliſonium, qui ab hæreſi ad veritatem reverſus, exiſtimavit perennes Proteſtantium adverſus Miſſam calumnias haud melius retundi poſſe, quam per ipſam Liturgiæ verſionem; 2. nihil concludit: quia circumſtantiarum diverſitas efficit, ut quæ certis temporibus ſevere interdicta ſunt, aliis licita & quadantenus neceſſaria fiant. Sic Myſteria Euchariſtiæ propalavit olim S. Juſtinus in Apologia vulgo 2. etſi hæc alto premi ſilentio juberet hujus temporis diſciplina. Interim quis cum Brunio non doleat, adeo nunc vulgata eſſe Miſſæ Ordinaria, ut in plateis veluti quiſquiliæ jaceant, ſolaque citra explicationem ullam perlegantur, quaſi nihil habeant difficultatis, nihil quod a rudioribus, minuſve piis non ſtatim intelligatur.

Nihilo validius eſt quod objectat idem Dupinus, nimirum Liturgiam haud pluris fuiſſe quam Evangelium; quod tamen alta voce ſacris in ædibus legebatur.

Nam 1. ſupponit objectio iſta, Liturgiæ majeſtatem, ſolam fuiſſe cauſam cur hæc ſubmiſſa voce recitaretur: cum tamen ex dictis conſtet, ſilentii legem eo etiam fine indictam fuiſſe, ut Sacerdos quaſi ſibi ſpecialiter redditus, nervos & ſpiritus omnes colligeret, quo tremenda myſteria perſpicaciori mentis oculo contemplaretur; 2. habet Liturgia difficultates multas, quas non habent Evangelii partes in Eccleſiis legi aut cantari conſuetæ; & quæ inſuper ſtatim a Miniſtris verbi explicabantur; cum econtra vix in orationibus publicis tangerentur ea Miſſæ puncta, quæ ad præcipuam ejus partem ſpectant: unde tritum iſtud: *Norunt Fideles*.

Ceterum ſicut primum improbata eſt in Galliis Liturgiæ verſio, ſic & improbata eſt verſio Scripturæ, idque gravibus de cauſis: 1. quia conſtat ſacræ Scripturæ lectionem, quæ ceteroqui ad ſalutem neceſſaria non eſt, plurimis propter tropos, ænigmata, & antilogias apparentes, adeo periculoſam eſſe, ut, teſte Ambroſio in c. 4. Lucæ, *Satanas de Scripturis ipſis divinis ſæpe laqueum Fidelibus paret. Sic enim hæreticos facit, ſic eviſcerat fidem;* quode vide dicta Tom. V. ad 3. Decal. præceptum pag. 710. & ſeq.

2. quia Vvratiſlao Bohemorum Regi, totius gentis ſuæ nomine roganti, ut Sacra apud ſuos Sclavonica lingua celebrari liceret, obſtitit pius ac ſanctus Pontifex Gregorius VII. *Quia vero*, inquit in ſua ad prædictum Principem Epiſtola, *nobilitas tua poſtulavit, quod ſecundum Sclavonicam linguam, apud vos divinum celebrari annueremus Officium, ſcias nos huic petitioni tuæ nequaquam poſſe favere. Ex hoc nempe ſæpe volventibus liquet, non immerito ſacram Scripturam Deo placuiſſe quibuſdam locis eſſe occultam, ne, ſi ad liquidum cunctis pateret, forte vileſceret, & ſubjaceret deſpectui, aut prave intellecta a mediocribus, in errorem induceret.* Conceſſerat quidem ducentis circiter antea annis Joannes VIII. ut Moravi Sclavonica lingua divinum peragerent officium; ſed quia tunc temporis comperta non erant infidarum verſionum pericula; & aliunde genti nuper ad fidem a S. Methodio converſæ nonnihil indulgendum erat. Unde Baronius ad an. 880. num. 20. *Ita*, inquit, *natam recens Eccleſiam lacte nutriens parvulorum* Joannes Papa, *ſperans opera ejus qui linguas infantium facit diſertas ...... fore ut Moravenſis Eccleſia, Matris ex qua genita eſt, lingua*, Latina ſcilicet, *deinceps perfecte locutura eſſet.*

Tom. 10. Conc. p. 134. D.

Baron. Tom. 10. *pag.* 662.

Digitized by Google

Ed. Pariz. T. 1. p. 491. 3. Innocentius III. vir religioſiſſ juxta & eruditus in Epiſt. ad Ciſterciensem Abbatem, ejuſque Collegas, graviſſima Scripturæ in linguam vulgarem converſæ incommoda ſic evolvit & referat: *Significavit nobis venerabilis Frater noſter Metenſis Epiſcopus per ſuas Litteras, quod tam in Diœceſi, quam in Urbe Metenſi, laicorum & mulierum non modica multitudo Gallicæ cuidam traductioni divinorum Librorum intendens, ſecretis conventiculis etiam inter ſe invicem eructare præſumerent, aliorum aſpernantes conſortium, & in faciem redarguentibus Presbyteris reſiſtentes, quorum ſimplicitatem faſtidiunt in ſuæ translationis peritia confidentes.* & infra: *Nuper autem idem Epiſcopus per ſuas nobis Litteras intimavit, quod quidam eorum, quos notabiles prioribus Litteris denotarat, Mandatis recuſant Apoſtolicis obedire; quibuſdam eorum clanculo, quibuſdam vero jam publice obediendum eſſe dicentibus ſoli Deo: ab occultis etiam conventiculis non ceſſantes, officium prædicationis occulte, licet a nullo mittantur, prohibiti etiam, ſibi non metuunt uſurpare; aſpernantes ſibi diſſimiles, & translationi eidem uſque adeo inſiſtentes, ut ſe nec Epiſcopo, nec Metropolitano ſuo, nec Nobis ipſis aſſerant pariturus, ſi eam decrevimus abolendam.* En ergo, ait doctiſſ. Tournelyus, en miras Scripturæ omnibus *Tourn. de Sacr. p. 310.* paſſim propalatæ utilitates; Sacerdotum videlicet ſimplicium deſpectus, clancularia conventicula, ſeditiones, ſchiſmata, & ipſa adverſus primarios Superiores rebellio.

4. quia Regula quarta Indicis Tridentini vetat, ne *ſacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur;* quia *experimento manifeſtum ſit, plus inde ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri:* hæc porro regula, neque privati cujuſpiam, neque Inquiſitionis fœtus eſt, prout male quidam garrierunt; ſed ipſius Concilii juſſu ſancita eſt ab inſignioribus ſcientia & pietate Epiſcopis, qui & probatiores Theologos conſuluere. Aliunde eadem Regula a Pio IV. Sixto V. Clemente VIII. aliiſque Pontificibus comprobata eſt. Eidem religioſe adhæſerunt Concilia Aquenſe ann. 1585. tit. de Libris vetitis, Toloſanum an. 1590. cap. 11. Avenionenſe ann. 1594. Narbonenſe ann. 1609. cap. 3. quibus præiverant complures aliæ Galliarum Synodi, ut Rothomagenſis ann. 1581. Burdigalenſis ann. 1582. Turonenſ. ann. 1583. Bituricenſ. an. 1584. & Arelatenſ. ann. 1585.

5. non alia fuit mens Sacræ Facultatis Pariſienſis, ut ex pluribus ejuſdem cenſuris compertum eſt: 1. enim ann. 1523. propoſitionem, qua Chriſtiani omnes, præcipue vero Clerici, ad Scripturæ ſacræ ſtudium impelli debere perhibebantur, proſcripſit uti ſurculum hæreſis Albigenſium. Et ei quidem judicio, ut obiter dicam, adhæſit Senatus Pariſienſis ann. 1525. in celebri adverſus Lutheri errores Decreto, ubi hæc quæ ad rem noſtram ſpectant, legere eſt: *Et pource que pluſieurs perſonnes, au moyen de ce qu'ils liſent les Livres de la ſainte Ecriture translatès de Latin in François, ſont inventeurs de pluſieurs hèrèſies, ſont des conventicules, diſputent & traitent de la ſoi Catholique, contemnent les Commandemèns & Miniſtres de l'Egliſe, ſe divertiſſant du train commun des vrais Fideles, quant aux Sacremens, prèdications & Service de l'Egliſe, & ſèment grandes erreurs, d'où viennent & pourroient advenir pluſieur ſcandales, maux & inconvèniens a ce Royaume.....* LA DITE COUR *a ordonnè & ordonne à tous ceux qui ont en poſſeſſion les Livres du Cantique, du Pſeautier & Apocalypſe, les Evangiles,*

Digitized by Google

giles, Epitres de S. Paul, & autres Livres du vieil & nouveau Teſtament contenus en la ſainte Bible, qui ont été de nouveau translatés de Latin en François, &c. *qu'ils les apportent dedans huit jours après la publication dudit Arret*.

2. eadem Sacra Facultas an. 1527. in ſequentes quinque Eraſmi Propoſitiones animadvertit.

I. *Sacras Litteras cupiam in omnes verti linguas*.

CENSURA: „ In re ad ſalutem non neceſſaria potius conſulendum „ eſt multorum profectui ipſam (Scripturæ lectionem) interdicendo, „ quam paucorum utilitati, eam permittendo cum gravi multitudinis in- „ commodo: unde & jure damnata eſt hujuſmodi translatio. „

II. *Exclamant, indignum facinus, ſi mulier, vel coriarius, loquatur de ſacris Litteris*.

CENSURA: „ Recte perpenſa multorum hujus temporis impudenti „ temeritate, indignum facinus exiſtimandum eſt, quod idiotæ & ſimpli- „ ces ſuo judicio ſacras Litteras legant in ſuam linguam converſas, & „ de illis diſſerant, aut diſceptantes de earum difficultatibus tractent. „

III. *Me auctore ſacros Libros leget agricola, leget faber, leget latomus*.

CENSURA: „ Teſtantur ſacra eloquia, ſimplices eſſe tanquam par- „ vulos, quibus, auctore Paulo, lacte opus ſit; non enim ſolidam ad- „ huc eſcam ferre ac digerere poſſunt: perfectorum ſiquidem ſolidus eſt „ cibus, eorum qui pro ipſa conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad „ diſcretionem boni & mali. Quapropter non eſt medium aptum hujuſ- „ modi ſimplicibus, quod indiſcriminatim quoſvis ſacros Libros legant „ in linguam vernaculam translatos; ſed convenientiſſimum eis medium „ Eccleſia conſtituit, auditionem verbi Dei, & frequentationem prædi- „ cationum ejus: neque eis obiter interdicit uſum quorumdam ſacrorum „ Librorum, qui cum explicatione convenienti, ædificationi morum ſint „ accommodati, &c. „

IV. *Neque Ezechielis Prophetæ, neque Cantici Canticorum, aut cujuſquam Librorum veteris Teſtamenti lectionem ulli homini interdico*.

CENSURA: „ Cum Sedis Apoſtolicæ Decreto multorum talium Li- „ brorum lectio laicis jam pridem interdicta ſit, & eruditis in lege Do- „ mini apud Hebræos, graviorum Auctorum ſententia, prohibita fuerit „ lectio dictorum Librorum, atque primi capitis Geneſeos ante annum „ ætatis trigeſimum, prædicta propoſitio temerarie & impudenter aſſeri- „ tur; quandoquidem eadem ſubeſt cauſa inhibendi talium Librorum le- „ ctionem, quæ ſuberat quando Decretum Innocentii III. ſuper his con- „ ſtitutum eſt. „

V. *Indecorum, vel potius ridiculum videtur, quod idiotæ & mulierculæ pſittaci exemplo Pſalmos ſuos & precationem immurmurent; cum ipſi quod ſonant, non intelligant*.

CENSURA: „ Hæc propoſitio ſimplices, idiotas, & mulierculas ab „ oratione vocali, juxta ritum & conſuetudinem Eccleſiæ, perperam „ retrahens, ac ſi inutilis ſit, niſi ab eis intelligatur, impia eſt & er- „ ronea, viam præbens errori Bohemorum, qui Officium Eccleſiaſti- „ cum in idiomate vulgari celebrare conati ſunt: alioqui in Lege ve- „ teri indecorum fuiſſet & ridiculum, ſimplicem populum ex Dei in- „

 ſtitu- „

„ ſtituto Cęremonias Legis obſervare, quas non intelligebat; quod aſ-
„ ſerere, eſt in Legem, & ejus latorem Deum, blaſphemum & hæ-
„ reticum. Neque enim per verba orationis ſolum prætendit Eccleſia,
„ ut ſerie verborum illorum erudiamur, ſed ut ejus fini nos confor-
„ mando, veluti ipſius membra, divinas laudes pronuntiemus, debi-
„ tas gratiarum actiones perſolvamus, & nobis neceſſaria imploremus;
„ unde propter talem orantium intentionem, Dei munere affectus in-
„ flammetur, intellectus illuminetur, humana inopia ſublevetur, at-
„ que gratiæ & gloriæ fructus comparetur; quæ certum eſt orantes per
„ tales orationes vocales, quamvis verba non intelligant, prætendere;
„ quemadmodum Legatus, etſi verba domini ſui non capit, illa ta-
„ men juxta mandatum domini ſui referens, gratum impendit obſe-
„ quium & domino, & ei ad quem mittitur. Multæ ſimiliter Pro-
„ phetiæ in Eccleſia cantantur, quæ quamvis a multis cantantibus non
„ intelligantur, plurimum tamen utilis eſt & meritoria earum pronun-
„ tiatio & cantus; divinæ ſiquidem Veritati, quæ illas docuit & reve-
„ lavit, eas cantando, gratum obſequium exhibetur. Per quæ ſane con-
„ ſtat, non in ſola verborum intellectione fructum orationis conſiſtere;
„ perniciosum quoque eſſe errorem exiſtimantium, ſolum ad erudien-
„ dum intellectum fieri orationem vocalem, cum præcipue fiat talis
„ oratio ad inflammandum affectum, ut pio & devoto animo in Deum
„ modis prædictis ſe erigendo, mens reficiatur, & obtinendo quæ pe-
„ tit, ſua intentione non fruſtretur; mereatur etiam intellectus illumi-
„ nationem, quemadmodum & alia utilia aut neceſſaria: qui nimirum
„ fructus longe uberiores ſunt, quam ſola verborum intellectio, quæ
„ abſque exercitatione affectus in Deum, parum affert utilitatis. Quod
„ ſi contingeret Pſalmos in linguam vulgarem traduci, non propterea
„ eorum ſenſum ſimplices & idiotæ plene perciperent. „ Hactenus Pa-
riſienſes Magiſtri.

Iiſdem principiis conſtanter ſtetit Sacra Facultas: unde an. 1560. Gal-
lica Matthæi * a Rupe Biblia rejecit. An. 1567. Gallicam Renati Be-
nedicti verſionem notavit. An. 1609. palam declaravit nuſquam ſibi
probatum fuiſſe ut Biblia vernaculæ linguæ redderentur. An. 1640
egit apud Emin. Card. Richelæum, ne Gallice edita a Jacobo Corbin
ſcripturarum verſio in Regno veno poneretur. An. 1660. verſionem Jo-
ſephi de Voiſin proſcripſit, &c.

* De la Roche.

Idem fuit ſenſus Card. Perronii, Richelæi, Gondiaci, Barberini Rhe-
menſis, ut fuſe & ſolide probat Auctor Tractatus Theologici in 101.
Quenelli Propoſitiones, ad Propoſit. 79. & ſeq. verum de his quæ ad
rem noſtram indirecte tantum pertinent, hactenus plus ſatis. Jam ut
uno verbo concludamus materiam a qua digreſſi ſumus,

Quæritur an graviter peccet, qui vel Canonem alta voce recitat; vel
ſecreto, quæ alta voce recitanda præcipiuntur.

R. ad 1. his Quarti verbis part. 1. tit. 16. dub. 1. *Peccat mortaliter
qui alta voce legit totum Canonem; quia (cum hoc fiat data opera) ſal-
tem videtur velle inducere novum ritum, & difficile poteſt effugi ſcandalum* ex
contemptu ritus Eccleſiaſtici. *Ita Gavantus part. 1. tit. 16. litt. G. & dicit
eſſe communem Doctorum ſententiam. Idem dicendum videtur ſi pars notabi-
lis*

Pag 123 edit. 2.

Digitized by Google

lis ejuſdem Canonis alta voce recitaretur, vel magna & notabilis pars aliarum precum, quæ ſecreto recitari debent, id fiat vel animo inducendi novum ritum, vel cum ſcandalo notabili aliorum.

R. ad 2. ſubmiſſam hanc recitandæ Miſſæ praxim eſſe quidem redarguendam, ut quæ legibus Rubricæ adverſetur, haud tamen excedere venialem culpam, quidquid contra ſentiant Navarrus, & Cajetanus. Ratio eſt, quia modus ille nec gravem irreverentiam præ ſe fert; nec graviter deformis videtur; nec ad ſcandaloſam novi ritus inductionem tendit: cum plures eo tantum recitare ſubmiſſe intelligantur, vel quia infirmam a natura vocem receperint; vel quia vereantur ne alios perturbent; vel quia altius recitando, plurimum defatigentur.

Verum gravius peccat, qui voce recitat tam demiſsa, ut ſe ipſum audire non poſſit. Imo non deſunt, qui cum Caſtro Palao, Valentia, Medina, Suare & aliis apud eumdem Quarti, hancce pronuntiationis ſpeciem tam in Miſſa, quam in Horarum recitatione, non minus invalidam eſſe putant, ac ſi Sacerdos nullo modo pronuntiaret. Aliam alii opinionem communiter ſequuntur cum Navarro cap. 19. de Orat. nu. 88. Azorio & ceteris apud Dianam: eamque nos partem elegimus Tom. 2. ubi de Horis Canonicis. Et vero cum recitatio hæc non ſit pure & ſimpliciter mentalis, neceſſum eſt ut pertineat ad vocalem: hæc autem abſolute ſufficit ad validam cum Miſſæ, tum & Officii recitationem. Quia tamen præcipiunt Rubricæ, ut Sacerdos ſemetipſum audiat, dum recitat ſecreta; qui ſublato etiam obice ſe ſe non audit, venialiter peccat. Imo qui Conſecrationis verba recitat adeo demiſse, ut audire ſe non poſſit, mortalis culpæ reus eſt juxta prædictum Quarti.

Quæres 6. an, quæ, & quando fieri debeat applicatio Miſſæ, ut hæc cuipiam ſpecialiter proſit.

R. ad 1. neceſſario requiri applicationem celebrantis; tum quia ex pluries dictis ſacrificium ſpecies eſt quædam præſtantiſſimæ orationis: oratio autem niſi ſpecialiter applicetur, ſpecialiter non prodeſt; tum quia ut Sacramenta ad operandum determinantur per receptionem, ſic & ſacrificium per oblationem; non per oblationem quatenus reſpicit Deum, cui offertur victima; ergo per oblationem quatenus fit pro homine. Atque hinc Sacerdos in actu Ordinationis accipit poteſtatem offerendi ſacrificium pro vivis & pro defunctis.

Quod ſi Celebrans Miſſam applicet pro incapaci, fructus ex ea ceteroqui proventurus manebit in Theſauro Eccleſiæ. Unde conſulunt Doctores, ut Sacerdos primæ intentioni ſecundam addat conditionalem, puta in hunc modum: Offero Miſſam pro anima Petri, cujus in gratiam recepi ſtipendium; quod ſi capax non eſt, eamdem offero, prout re cognita offerri vellent, qui ſtipem dedere: vel, prout Deo conſulente offerrem, ſeu, prout Deus magis expedire cognoſcit. Etſi enim applicationem divinæ voluntati relictam improbant plures; at eam nemo improbat, quæ fit ſecundum divinam ſcientiam. Atque hæc applicandi ratio tunc potiſſimum inſervire poteſt, cum quis ad plura pro pluribus Sacra obligatur, & dubitat cui ante ceteros applicare debeat.

R. ad 2. præmiſſa, quam olim expoſuimus, diviſione intentionis in actualem, virtualem, & habitualem, non requiri ad ſacrificii appli-

applicationem actualem, vel virtualem, ſed ſufficere habitualem, ſeu mere præteritam, quæ retractata non ſit. Unde qui heri promiſit Titio Miſſam craſtinam, hodie vero promiſſionis immemor, Miſſam facit, reipſa, niſi aliud expreſſe velit, celebrat pro Petro. Quin & toto menſe & anno, ſi id ſemel voluerit, nec animum mutet, pro eodem celebrabit. Ratio eſt, quia applicatio fructus Miſſæ quædam eſt donatio: donatio autem poteſt anticipate fieri. Et ideo ſic contra Vaſquem ſentiunt Suarez, Bonacina, Lugo de Sacramentis diſp.8. ſect.6. n.90. &c. Fatentur tamen iidem conſultum eſſe ut prædicta intentio ſæpius renovetur.

Grave hic exurgit dubium, an applicatio illicita valeat; ſeu, ut loquuntur alii, an applicatio habita præponderet debitæ. Tenetur v. gr. Sacerdos ex juſtitia, quia ſtipendium recepit, aut ex obedientia, quia ſic juſſit Superior, ſacrum facere pro Petro, & tamen facit pro Martha: num valide?

Negant plures, 1. quia vix credi poſſit, traditam a Chriſto fuiſſe Sacerdotibus poteſtatem, merita paſſionis ſuæ inique diſtribuendi; 2. quia illius applicatio prævalere debet, cui incumbit cura ſatisfaciendi Miſſis, quibus gravatur Communitas; alioqui non ſatis auctoritati ejus conſultum fuiſſet: porro Regulari Prælato, de quo ſermo eſt in ſecunda caſus parte, incumbit cura, &c. Unde ei Miſſas per ſubditos celebrandas, iiſdem etiam invitis acceptare licitum eſt; ergo. 3. quia Prælati Regulares vota & ſimiles ſubditorum ſuorum actus irritare poſſunt; ergo & eorum applicationem. Ita Scotus, Gabriel, Armilla, Gavantus & alii apud Dianam de celebrat. Miſsar. p.2. reſol.72.

Probabilior tamen videtur nobis opinio contraria, quam tenent Suarez, Layman, Vaſquez, Garcias & alii plures cum Lugo de Euch. diſp. 19. n.210. Nimirum vero poteſtas Ordinis, niſi concurrat juriſdictio, ut in Pœnitentia, non pendet quoad facti valorem, ab Eccleſiæ vel cujuſcumque Superioris voluntate; unde, velit, nolit Eccleſia, præciſus quis valide conſecrat, ut & valide tingit: atqui applicatio fructus ſacrificii eſt actus Ordinis; ejuſque exercendi poteſtas non ab homine profluit, ſed a Chriſto per Eccleſiam dicente: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro vivis & defunctis*.

Nec nocent quæ objecta ſunt. Non 1. ſicut enim ſubditus valide conſecrat in peccato, licet illicite, ſic & valide fructum applicat, licet contra juſtitiæ & obedientiæ leges.

Non 2. applicatio enim non pendet ex oneribus Superioris, ſed ex Celebrantis voluntate. Neque tamen male conſultum eſt auctoritati Prælatorum; quia poſſunt hi & debent ſubditos ad exolvenda Monaſterii onera, ſuadendo primum, tum & deinceps præcipiendo ac comminando adigere. Quamquam & cavere debent, ne præ avaritia tot congerant Miſſas, ut ſuam ſuorumque pietatem obruant.

Non 3. etſi enim Inferiorum voluntas Superiorum voluntati ſubjacet quoad vota & actus alios in quibus iſti certum a lege dominium habent, non tamen quoad actus Ordinum. Alioqui enim qui contra Prælati voluntatem Ordines recipere tentaret, nihil de facto reciperet; quod licet admittere coactus ſit Anonymus quidam apud Lugo cit. diſp.19. n.212. a ceteris merito rejicitur. Et vero etſi Superior iniquam ſubditi ſui applicationem irritare

ritare poſſet, haud tamen in voluntate ejus novum applicationis actum, voluntati ſuæ conſentaneum efficere valeret; ergo ad ſummum, neutra ſubſiſteret applicatio; non ſubditi, quia ex hypotheſi irritaretur a Superiore; non Superioris, quia penes hominem non eſt, ut in hominem alium voluntatem ſuam inducat.

R. ad 3. applicationem neceſſario fieri debere, vel ante Miſſam, vel in ipſa quidem Miſſa, ſed ante conſecrationem, ut communiter fit in priori *Memento*. Ita Suarez diſp.75. ſect.5. & ii omnes, qui ſacrificii eſſentiam in ſola conſecratione reponunt. Ratio eſt, quia ſacrificium, ut & Sacramenta, operatur quando fit, non autem quando præteriit ſecundum partes ſui eſſentialiter conſtitutivas: atqui ſacrificium non fit, ſeu non exiſtit, niſi tempore conſecrationis, qua ſemel peracta jam tranſiit: ergo tunc operari debet: nec magis a Miniſtro ſuſpendi poteſt ejuſdem effectus, quam ab eodem ſuſpendi poſſit effectus Sacramenti.

At, inquies, non opportune magis fieri poteſt applicatio ſacrificii, quam tempore ab Eccleſia præſcripto: atqui tempus ab Eccleſia, ſaltem pro applicando mortuis ſacrificio, præſcriptum, ſequitur conſecrationem, ut norunt omnes; ergo.

R. neg. min. commemoratio enim mortuorum, quæ fit in *Memento* poſteriori, ab Eccleſia inſtituta non eſt, ut defunctis applicetur ſacrificii fructus ex opere operato, nempe remiſſio pœnarum; ſed ut iiſdem impetrationis fructus per orationem applicetur. Is enim fructus repetita prece ſemper adaugeri poteſt, præſertim quamdiu præſens eſt res oblata.

Hinc cum per ſolutionem incertam debito certo non ſatisfiat, qui ad Miſſam pro Joanne tenetur, nec eo, ſeu ante Miſſam, ſeu in ipſo Miſſæ decurſu, ante conſecrationis verba, intentionem ſuam direxit, novum pro eo ſacrificium offerre tenetur.

CAPUT DECIMUM.

De ſingulis Miſſæ cæremoniis & partibus.

DE ſanctis Eccleſiæ ritibus non idem ſentiunt Calviniſtæ & Lutherani. Nimirum vero Calviniſtæ, etſi cum Duce ſuo * agnoſcunt, cæremonias quibus inter ſacra utuntur Catholici, adeo antiquas eſſe, ut non procul ab Apoſtolorum ætate inceperint, eaſdem tamen, uti fictitium cultum * a S. Paulo reprobatum, & rubiginem Cœnæ Domini, ex humana procacitate natam, explodunt & deteſtantur.

* *Calv. Lib.4.Inſtit.c.17.* §.43.

* *Ib. c.10* §8.

Lutherani e ritibus noſtris quoſdam retinent, quoſdam culpant. Sic, ne pluribus immorer, eos qui ſacram communionem flexis genibus recipiunt, *mere fatuos & ſtolidos* appellat Lutherus Lib. adverſus Regem Angliæ. Sic & ibid. antiquam jejunii naturalis legem abjicit, & Auguſtinum legis hujus aſſertorem, quaſi Sacerdotibus ante communionem, aeris reſpirationem interdicat, proterve deridet, in Lib. de abroganda Miſſa, part.2.

Etſi deliria hæc jam olim confutavimus, ſuamque in ritibus inſtituendis poteſtatem Eccleſiæ aſſeruimus. Tom. IV. ubi de Sacramentis in genere,

Digitized by Google

Bellarm. Lib. 2. de Miſſa c. 14. & ſeq. nere, cap.4. juvat tamen, Bellarmini more & exemplo, potiores Miſſæ cæremonias ſtrictim evolvere. Ex his porro quædam actionem ſacrificii præcedunt, quædam comitantur, & hæ vel in actione, vel in verbis conſiſtunt. De ſingulis ſigillatim diſſeremus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Ritibus qui Miſſam præcedunt.

Ritus Miſſæ prævii, vel ſpectant perſonam, ut veſtes ſacræ; vel locum, ut templa, aræ & vaſa ſancta; vel tempus, ut lex certo tempore, & ante cibum omnem celebrandi.

Veſtes ſacræ. Quod ad veſtes ſacras pertinet, nihil eſt quod in iis merito redarguant Proteſtantes; tum quia & in antiqua Lege, quæ divina eſt, fundamentum habeant; & nullibi in nova prohibeantur; tum quia purioribus Eccleſiæ ſæculis uſurpatæ fuerint, uti ſupra probatum eſt.

Et vero veſtes ſacræ apud nos conſtant Amictu, Alba, Cingulo, &c. hæc autem legitimis de cauſis inſtituta ſunt.

Amictus. Et 1. Amictus, VIII. ut credunt, ſæculo inductus eſt, tum ex decore, ad tegendum collum, quod antea nudum geſtabatur; tum ratione ſanitatis, ut vox divinis laudibus canendis aptior, & a raucedine libera ſervaretur; prout ſcribit Amalarius Lib.2. c.17. His rationibus, quas literales eſſe ac phyſicas confitemur cum Claudio de Vert, acceſſerunt rationes ſymbolicæ, quatenus Eccleſia in id ſemper incubuit, ut Miniſtri ſui, præſertim in ipſo ſacrorum aditu, nihil præ oculis haberent, quo ad Deum, debitamque functionibus ſuis venerationem non revocarentur. Hinc in Miſſa, *Le Brun T. 1. p.42* quam an. 1557. vulgavit Flaccus Illiricus, quamque eruditi nono labente ſæculo in Germania uſitatam fuiſſe volunt, Sacerdos Amictum induturus, ſic precatur: *Humeros meos ac pectus meum Spiritus ſancti gratia protege, Domine*. Alii vero Amictum, quo collum & fauces circumdantur, pro vocis refrenandæ, ſoliſque jam divinis occupandæ ſigno inſpicientes, hanc in ipſius acceptione orationem fundi voluerunt, cum Miſſali Cameracenſi an. 1527. & 1542. *Caſtiget & moderetur vocem meam cuſtodia tua, Deus, ut non delinquam in lingua mea, ſed loqui merear quæ tibi ſunt accepta.* His precibus ſucceſſit ubique nunc recepta oratio: *Impone, Domine, capiti meo galeam ſalutis ad expugnandos omnes diabolicos incurſus*, ſecundum id Apoſtoli Epheſ. 6. 17. *Galeam ſalutis aſſumite.* In his porro omnibus, quid, quæſo, non congruit pietati? Idem eſt de ritu amictum oſculandi *in medio, ubi eſt Crux:* quidni enim Crucem, ſalutaris inſtrumenti ſignum, pluries oſculetur Sacerdos, Crucis myſteria quaſi renovaturus? Quod ſi amictus Cruce careat, ait Merati part.2. tit.1. vel mutetur, vel in eo Crux, ſi fieri commode poteſt, imprimatur pollice. Hic arguit Gavantus eos, qui, præter Rubricam, manu ſimul & amictu ſignant ſe a fronte ad pectus.

Alba. Alba, cui nomen a candore, ſingulare fuit Romanæ Nobilitatis indu- *Pag. 307. col. 2. D.* mentum. Hac veſtis ſpecie *in Cœnobiis Monachorum etiam Laici* induebantur, teſte Lanfranco, Cantuarienſi Archiepiſcopo Epiſt.13. At jam & pridem ju- *Tom. 2. Conc. p. 1203.* ris Eccleſiaſtici pene ubique facta erat: *Diaconus*, ait Concilium Carthaginenſe IV. c.41. *tempore oblationis tantum, vel lectionis, alba utatur.* Uſum

hunc

Digitized by Google

hunc contra Pelagianos (Lib 1.) vindicavit Hieronymus, his quæ Calvini-
ſtas, ſi pudorem noſſent, perſtringerent verbis: *Quæ ſunt, rogo, inimicitiæ* T. 4. p. 1.
contra Deum ... ſi Epiſcopus, Presbyter & Diaconus, & reliquus ordo Eccleſiaſti- 2. p. 502.
cus in adminiſtratione ſacrificiorum candida veſte proceſſerint? Et vero ſi Beatorum F.
ſpiritus veluti *in albis* ambulantes exhibentur, quia Agno in cœleſtibus aſſi-
dent, quidni Miniſtri Altaris, in quo idem Agnus myſtice immolatur, Al-
bis veſtiti incedant, & ipſo indumenti ſui colore munditiam edoceantur,
ſecundum eam, quam tunc temporis recitare debent orationem: *Dealba me,
Domine, & munda cor meum, ut in ſanguine Agni dealbatus, gaudiis perfrui me-
rear ſempiternis*. Ceterum Alba, a Nazianzeno Orat. 3. *poderis* appellatur,
quia defluit ad pedes, quos Græci *podas* vocant; *Tunica* a Rabano; *Linea
Dalmatica* ab Ordine Romano; *Supparus* ab Alcuino, &c.

Cingulum, quo lumbos præcingebant Judæi, ne veſtimenta ſua deflue- Cingulum.
rent, ab Eccleſia invectum eſt, *ne tunica ipſa diffluat, & greſſum impediat*,
ait poſt Bedam Rabanus Maurus Lib. 1. de inſtit. Clericor. c. 17. Verum ul-
tra litteralem hunc uſum progreſſa eſt Eccleſia, voluitque ut Miniſtri ſui,
cum renes præcingunt Cingulo, monerentur, ſibi omni ope atque opera
enitendum, ut omnes cupiditatis motus refrænent, & continentiam ſervent
pro viribus. Hunc Eccleſiæ finem denotat iſthæc, quam fundere jubetur
Sacerdos, oratio, cum præcingit ſe Cingulo: *Præcinge me, Domine, Cingu-
lo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me
virtus continentiæ & caſtitatis*. In his porro quid non pii & religioſi?

Manipulus, quem ex *antiqua Patrum traditione* etiam laici in cœnobiis Manipulus.
gerebant, ex Lanfranco ubi ſupra, nihil aliud in prima ſui origine fuit,
quam ſudarium, quo lachrymæ oculorum, frontis ſudor, ac narium ſor-
des extergerentur, prout animadverterunt Alcuinus, Yvo Carnotenſis,
& Hugo Victorinus Lib. 1. de offic. Eccleſ. cap. 51. Verum hic duplici
ex capite peccavit Claudius de Vert, 1. quod phyſici ſenſus nimius ſe-
ctator, hunc ubicumque deprehendere voluerit, quia certo deprehende-
bat in quibuſdam; de quo vide eximiam Patris le Brun Præfationem
pag. XXIII. & alibi paſſim; 2. quod ubi litteralem ſenſum detexit, hic
myſticas ſignificationes, quaſi vel nihili forent, vel perperam inductæ,
neglexerit. Certe quod primo phyſicis de cauſis inductum eſt, ad mo-
rales poſtmodum aſſumi potuit. Hinc Paſchalis II. qui ann. 1117. diem
clauſit, in Pictavienſi Concilio vetat, *ne quis Monachorum Manipulis* Tom 10.
utatur, niſi ſit Subdiaconus (quod ubique non obtinuit, præſertim vero Conc. p.
Cluniaci, ubi vel infantes, qui Superioris aſſident, Manipulum aliquan- 725. c 5.
do geſtant) quin & trecentis fere ante Paſchalem annis * Rabanus cit. * An. 819
Lib. cap. 18. dixerat: *Quartum Sacerdotis indumentum mappula, ſive mantile
eſt, quod vulgo fanonem vocant*. Et duobus ante Rabanum ſeculis S. Gre-
gorius Magnus in Epiſt. ad Archiepiſcopum Ravennæ, urbis ejuſdem
Clericis Manipuli uſum interdixerat: *Illud autem*, inquit, *quod pro uten-* Tom. 2. p.
dis a Clero veſtro Mappulis ſcripſiſtis, a noſtris Clericis eſt fortiter obviatum., 668.
*dicentibus nulli hoc unquam alii cuilibet Eccleſiæ conceſſum fuiſſe ..... ſed nos
primis Diaconibus veſtris, in obſequio dumtaxat tuo, Mappulis uti permitti-
mus: alio autem tempore, vel alias perſonas hoc agere vehementiſſime prohibe-
mus*. Ex quibus forte dubium fiat, an Manipulus ubique ab initio ad ſo-
lum naturalem uſum aſſumptus ſit. Ut ut eſt, phyſicæ inſtitutionis acceſſit mo-

ralis

Bibliot. ralis ratio. *Mappula*, ait Stephanus, Æduenſis Epiſcopus an.1113. Lib. de
*PP.T.*10. Sacram. Altaris, c.10. *qua ſolent ſiccari ſtillicidia oculorum*, *excitat nos ad vi-*
p. 1875. *gilandum*. Et Innocentius III. anno circiter 1195. Lib.1. Myſter. c.56. *In ſiniſtra manu quædam ponitur Mappula, quæ Manipulus, vel Sudarium appellatur, quo ſudorem mentis abſtergat, & ſoporem cordis excutiat, ut, depulſo tædio vel torpore, bonis operibus invigilet.* Atque id eſt quod ſupplex efflagitat Miniſter, cum Manipulum ſumit: *Merear, Domine, portare Manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris*. Ex quo autem auro & opere phrygio decorati ſunt Manipuli, aliud neceſſe fuit induci ſudarium, ſeu, ut in Statutis ſuis an. 1254. loquebatur Odo de Soliaco, Pariſienſis Epiſcopus, *manutergium, ad tergendum os & nares, ſi neceſſe fuerit*: quod adi Brunium Tom. 1. p. 49. jam pergo inquirere quid in his ſuperſtitioſi, quid a vera pietate alieni animadvertat Kemnitius.

Stola. Stolæ nomen apud profanos Auctores, tam Græcos a quibus fluxit, quam Latinos, a quibus adoptatum eſt, veſtem ad talos uſque demiſſam ſignificat. Eo ſenſu accipi videtur Geneſ.41. & 45. ubi Joſeph a Pharaone ſtola byſſina donatur, & ſtolam duplicem unicuique fratrum ſuorum præ-
Burius bet. Quemadmodum autem Canonici quidam Auguſtiniani pro rochetto,
in Onomaſt. quod olim gerebant integrum, faſcia tantum linea utuntur per modum Scapularis; ſic & Stola, quæ veſtis olim integra erat, in modum inſtitæ jam dudum conſtruitur. Stolam idem eſſe cum Orario plerique volunt: Orarium autem alii deducunt ab ore, quaſi ei mundando per modum ſudarii deſerviret; quod improbat Salmaſius; alii ab ora, quia extrema veſtium pars, Orarium nuncupatur; alii demum ab Oratore, eo quod, ait Alcuinus, *Oratoribus, id eſt, Prædicatoribus concedatur*. Quidquid ſit, Stola dignitatis ſymbolum pluribus abhinc ſæculis evaſit. Unde in Con-
Tom. 7. cilio Moguntino an.813. & in Capitularibus ſtatuitur, *ut Presbyteri ſine in-*
Conc. p *termiſſione utantur Orariis, propter differentiam Sacerdotii dignitatis*. Et Bruno
1219. Signienſis Lib. de veſtimentis Epiſcopalib. *Orarium*, inquit, *jugum ſimul & onus eſt: jugum Sacerdotibus, onus Diaconibus: unde fit ut Sacerdotibus circa collum, & Diaconibus ſuper humeros ponatur: ut enim collo portatur jugum, ſic & humeris onera feruntur*. Paulo alium, ſed tamen vere pium ſenſum exhibet oratio a ſacris Miniſtris Stolam induentibus recitanda: *Redde mihi, Domine, ſtolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis*, &c. De his adi Thomaſſin. Diſcipl. Eccl. Tom. 1. p. 1. L. 2. c. 45. p. 368.

Ceterum Stolam gerunt Diaconi, quia & ipſi oratores eſſe, ſeu verbo inſtare debent: hanc autem a ſiniſtra parte ad dextram gerunt pendentem, quia dextram propter Altaris miniſterium liberam eſſe decet: & ita ſtatuit Concilium Toletan. IV. c. 39. quamquam alicubi olim, præſertim vero in Galiis Stolam, utroque extremo hinc & hinc pendente geſtaverint ſicut Sacerdotes, prout obſervat Brunius Tom. 1. pag. 55.

Caſula. Caſula, ait Rabanus cit. Lib. de Inſtit. Cleric. c. 1. *dicitur vulgo Planeta*
T. 6. *p* 7. *Presbyteri, quia, inſtar parvæ caſæ, totum tegit, & ſignat charitatem*. & rurſus: *Hæc ſupremum omnium indumentorum eſt, & cetera omnia interius per ſuum munimen tegit & ſervat*. Alludit hic Rabanus ad Caſulas veteres, quæ totum revera Sacerdotem a collo ad pedes ita ambibant, ut iis, cum incenſum adolebant, Hoſtiamve elevabant, neceſſe foret eaſdem vel erigere ad utrumque latus, vel fibula cohibere: unde etiam Sacer-

dotis

Digitized by Google

dotis Hoſtiam elevantis Caſulam ſublevabat Miniſter; quod hodieque fit ex cæremonia, cum olim fieret ex neceſſitate.

Non diffitemur, quod notat ſupra Thomaſſinus, Caſulam, Planetam, Dalmaticam, Penulam olim in communi laicorum uſu fuiſſe: ſed non ideo negandum, myſticam eidem ex Eccleſiæ inſtituto ſignificationem acceſſiſſe: unde Planeta jam a VII Eccleſiæ ſæculo inter ſacerdotalia ornamenta recenſetur. *Presbyter*, ait Concilium Toletan.IV. an.633. *e gradu injuſte dejectus.... gradus amiſſos accipiat coram Altari.... Orarium & Planetam*, &c. Unde etiam Stephanus Æduenſis Lib. de Sacram. Altaris, cap. 10. *Caſula undique integra unitatem fidei*, quæ Chriſti Sacerdotum primaria dos eſſe debet, *deſignat*. Morales eas ſignificationes in Presbyteri Ordinatione exprimit Epiſcopus his verbis: *Accipe veſtem ſacerdotalem, per quam charitas deſignatur*. Idipſum precatur & Sacerdos, Planetam induendo: *Domine*, ait, *qui dixiſti: Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve; fac ut iſtud portare ſic valeam, quod conſequar tuam gratiam*. *Pag.369. col.1.* *Tom 5. Conc. p. 1714. c. 28.* *Biblio. PP.T.10. p.1875.*

Ad Caſulam ſacerdotalem accedit Diaconorum Dalmatica, ſic dicta, ait Iſidorus Lib. 19. Origin. quod in Dalmatia primum adinventa ſit. Alcuinus, ſeu Auctor Lib. de divin. Offic. ait *Dalmaticam eſſe veſtimentum in modum Crucis, habens in ſiniſtra parte fimbrias, dextra iis carente, & cum largis manicis*. Eamque Bruno Signienſis ubi ſupra, *magis ad ornatum, quam ad ſignificationem pertinere dicit;* quod Claudio De Vert ſapit ſupra modum. Conſtat tamen, Dalmaticæ uſum, prout ad Eccleſiæ Miniſtros pertinet, perantiquum eſſe; cum in Actis S. Cypriani legamus, eum, dimiſſa tortoribus vulgari veſte qua indutus erat, *Dalmaticam Diaconibus* tradidiſſe, utique quia eorum magis propriam; & de Dalmatica, velut ſacra Diaconorum veſte loquatur VI. ſæculo S. Iſidorus his verbis: *Quaſi non hodie Diaconi Dalmaticis induantur, ſicut Epiſcopi*. *Dalmatica.* *Pag.265. col. 1.* *Tom.2.p. 145.*

Hic obiter notandum, Franciæ Reges, qua die inaugurantur, Dalmaticam geſtare. Simile quid induunt, tum Feſciales, ſeu Caduceatores, cum pacem, bellumque denuntiant; tum & quibuſdam in locis, ut Cenomani, funerei mortuorum in triviis præcones. *Heraults d'Armes*

Etſi ſua ſunt Proteſtantibus Templa (ſi tamen ſua quis merito dicat, quæ Catholicis ſubripuit) non tamen idem apud eos horum uſus, qui apud Catholicos. Neque enim templis utimur duntaxat ad paſcendam verbo Dei & Sacramentis Chriſtianam plebem; & præcipue ad offerendum Deo ſacrificium, & ad collocandas honorifice Martyrum Reliquias: quæ duo horreſcunt Novatores: ſed male. De ſacrificio res abunde patet ex dictis, ubi fuſe oſtenſum eſt, ſua ſemper Chriſtianis fuiſſe Altaria, ſuos & Sacerdotes, ſua proinde ſacrificia. Sed neque major de Reliquiis Martyrum difficultas moveri poteſt. Conſtat nimirum eas jam ab Eccleſiæ incunabulis ſummo ſemper in pretio fuiſſe apud Chriſtianos. Hinc tanta piorum omnium commotio adverſus Vigilantium, Reliquiarum contemptorem. De quo vide Hieronymus Epiſt. 37. alias 75. *Dolet*, inquit, *Vigilantius Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine..... Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantius Imperator, qui ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quos dæmones rugiunt, & illorum ſe ſentire præſentiam confitentur?... Omnes Epiſcopi, non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſi-* *Templa.* *Scripta circa an. 407.*

viliſſimam, & cineres diſſolutos in ſerico & vaſe aureo portaverunt... Male ergo facit Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli, ſecundum nos, oſſa veneranda, ſecundum te, vilem pulviſculum, offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur Altaria. Et non ſolum unius urbis, ſed totius Orbis errant Epiſcopi, qui Vigilantium contemnentes ingrediuntur Baſilicas mortuorum, &c.

Idem, nec minus facunde tradit Chryſoſtomus Hom. 26. in II. Epiſt. ad Cor. quam totam legi & relegi neceſſe ſit. *Sepulcra Sanctorum*, inquit, *regias Aulas ſplendore vincunt.... nam & ille qui purpuram geſtat, ad ſepulcra illa ſe confert, ut ea exoſculetur.... Conſtantinum Magnum filius* ejus *ita demum ingenti bonore ſe affecturum exiſtimavit, ſi eum in Piſcatoris veſtibulo conderet. Quodque Imperatoribus ſunt in Aulis janitores, hoc in ſepulcro Piſcatoribus ſunt Imperatores*, &c.

Tom. 2. Conc. ſ 415. &c. His præiverat Gangrenſe Concilium ſub Silveſtro habitum, in quo Can. 20. iis infligitur anathema, qui cum Euſtathianis, de peſſima Manichæorum colluvie natis, Fidelium ad Martyrum memorias concurſum vituperabant, & quæ in eis fiebant ſacra averſabantur: & hi fuere poſtremorum Novatorum prædeceſſores. Interim noſtro, ut Auguſtini ævo, *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat*.

Vaſa ſacra. Ut primævæ antiquitatis ſunt Templa, ſic & vaſa ſacra. Jam aurea in uſu erant S. Laurentii ætate, id eſt circa ann. 260. uti teſtatur Prudentius in Hymno de S. Levita. Scribit etiam Damaſus S. P. plurimos, Silveſtri tempore, id eſt circa ann. 314. fuiſſe aureos & argenteos calices, patenas, candelabra, & thuribula. Athanaſius Apolog. 2 multa ſcribit de poculo myſtico, quod ſacrificii tempore ab ipſo apud Iſchyram confractum fuiſſe calumniabantur Ariani: idque hinc falſum eſſe demonſtrat, quod Iſchyras ille, cum Presbyter non eſſet, ſacrum apud ſe calicem retinere non potuit: unde colligere eſt cum Bellarmino, ſacros calices, nonniſi ab initiatis tangi, nec ſine ſacrilegio pollui potuiſſe. Gregorius Nazianz. in oratione de ſe ipſo contra Arianos, ſcribit ab iis direpta fuiſſe vaſa ſacra, quæ vel contingere laici prohibentur: ideoque eos comparat Nabuzardano & Balthaſari, quorum alter ſacra Jeroſolymitani Templi vaſa abſtulit, alter impie profanavit.

De cereis & thure ſufficiant quæ diximus Tom. IV. pag. 259. qui plura volent, Bellarminum, & Liturgiarum expoſitores conſulant. Unum hic obſervamus, videlicet Kemnitium, veſtes, vaſa, ornamenta & alia id genus inter res adiaphoras, ac Dei verbo minime contrarias recenſuiſſe: unde cum omnibus notum ſit, Calvinianos Lutheranorum communionem ambire, conſequens eſt Catholicos male a Calvinianis propter horumce uſum redargui.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Miſſæ cæremoniis, quæ in actione conſiſtunt.

CÆremonias illas ad quinque capita revocat Bellarminus Lib. 2. de Miſſa cap. 15. Aliæ enim, inquit, ad Deum referuntur, ut elevatio manuum vel oculorum, adoratio per inclinationem corporis totius, vel

vel genuum curvationem. Aliæ ad ſacrificium, ut Hoſtiæ elevatio; oſtenſio, fractio, commiſtio. Aliæ ad Miniſtrum celebrantem, ut tunſio pectoris, & lotio manuum. Aliæ ad populum, ut ſalutatio & dimiſſio. Aliæ ad modum legendi, ut cantus & inſtrumenta muſica. Præter has ſunt aliæ quædam multis rebus communes, ut ſignum Crucis, aſperſio aquæ, thurificatio, oſculum. Ex his porro ritibus ne unus eſt qui culpari merito poſſit.

Elevatio manuum.

Non elevatio manuum: hæc enim exemplum habet in divinis Literis, ubi Moſes, Salomon, & David elevatis manibus orant. Notum illud Pſal. 141. *Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*: quod & approbat Apoſtolus I. Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus*: nec malum erat antequam eo textu approbaretur.

Exod. 17. *Reg. III. c.* 8.

Elevatio oculorum.

Non oculorum elevatio, quæ Chriſto familiaris fuit, Matth. 14. Marci 6. & 7. Luc. 9. &c. quæque in uſu erat apud veteres Chriſtianos teſte Tertulliano Apologet. c. 30. Etſi autem ſcriptum non eſt, Chriſtum in actione Cœnæ oculos ſuſtuliſſe ad cœlum, id tamen ab eo factum conſtanter aſſerunt Liturgiæ tum S. Jacobi, tum Conſtitutionum Apoſtol. Lib. 8. Succinit Ambroſius Lib. 4. de Sacr. cap. 5.

Pag. 17. B.

Inclinatio.

Non inclinatio corporis, aut genuum curvatio, reverentiæ & humilitatis index: Salomon quippe, Paulus, ac Chriſtus ipſe poſitis genibus oraverunt. Quod autem inclinatio hæc coram Crucifixi imagine fiat, præcipit Liturgia S. Chryſoſtomi.

II. Paral. 6. *Act.* 21. *Luc.* 22.

Elevatio Hoſtiæ.

Non elevatio Hoſtiæ conſecrandæ, quæ fit in Offertorio. Si enim, uti probavimus, ſacrificium viſibile Deo offerre liceat, licet materiam ejus in ſignum oblationis elevare; prout in antiqua Lege mandatum erat, Levit. 8. 9. 10. & alibi pluries.

Oſtenſio Sacramenti.

Non oſtenſio Sacramenti, quæ & in Baſilii ac Chryſoſtomi Liturgiis jubetur, & ad Apoſtolicam traditionem refertur ab eodem Baſilio Lib. de Spiritu Sancto cap. 27.

Fractio Hoſtiæ.

Non fractio Hoſtiæ, ejuſdemque commiſtio; quam jubet Liturgia S. Jacobi, omnium antiquiſſima, quæque in Ordinibus Romanis vetuſtioribus præcipitur.

Percuſſio pectoris.

Non tunſio pectoris, quæ in Miſſa quater iteratur, nempe 1. in confeſſione ad initium ſacrificii; 2. ad verba hæc: *Nobis quoque peccatoribus*; 3. ad *Agnus Dei*; 4. ad *Domine, non ſum dignus*. Is enim ritus & naturalis eſt, præſertim cum de actione omnium ſacerrima, ab homine infirmitatibus circumdato peragenda quæſtio eſt; & in Evangelio exemplum habet; ubi Publicanus orans *pectus ſuum* percutit, Luc. 18.

Lotio manuū.

Non manuum lotio, quæ etiam habetur, tum in Græcorum Liturgiis, tum in Conſtitutionibus Apoſt. Lib. 8. c. 15. tum apud Cyrillum Catech. 5. ubi hæc: *Vidiſti Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti*. Addit S. Doctor, lotionem hanc non adhiberi ad abluendas corporis ſordes; cum Eccleſiam nemo ſordidis manibus ingredi auſit, ſed in ſymbolum puritatis animi, qua pollere debent, qui tanto incumbunt ſacrificio: quod & tradunt Conſtitutiones Apoſtolicæ, ubi ſtatim.

Salutatio populi.

Non ſalutatio populi per verba: *Dominus vobiſcum*; quæ & ex Scripturis deſumpta ſunt, Judicum 6. Ruth. 2. Luc. 1. & in veteribus Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, aliorumque Liturgiis leguntur.

Non populi demiſſio, de qua Cap. ſeq. ſub finem.

Cantus, &c. Non cantus, quem & ipſi Adverſarii retinuere in Templis, ubi inconcinnos, riſuique quam pietati aptiores Maroti hymnos decantant.

Non muſica inſtrumenta, quæ licet delicatam Petri Martyris, ſuorumque bilem moveant, male tamen ad Judaicos ritus referuntur: niſi etiam orare in Templo, genu flectere, tundere pectus, quia a Judæis uſurpata ſint, ad Judæos amandari debeant. Habent certe organa, & alia id genus, ſi ſobrie & graviter adhibeantur, quod rapta ſurſum mente, & tædium minuant, pietatem, quæ in infirmis, id eſt, in pluribus facile langueſcit, renovent atque ſuccendant.

Quod ſpectat ad ritus communes, ii quidem male audiunt apud Pſeudoreformatos, ſed quia traditionis antiquæ imperitos pariter & temere contemptores.

Signum Crucis. 1. enim ſignum Crucis, cæremonia eſt ut omnium communiſſima, ſic & antiquiſſima, ut liquet ex Tertulliano & aliis Patribus, quos adduxit Tom. IV. p. 247. Signat autem Sacerdos, tum ſemeptipſum, tum res oblatas, tum Librum & populum, idque ſecundum antiquiores Liturgias, quæ hujuſmodi conſignationibus plenæ ſunt. Quoniam vero non idem eſt ubique ejuſmodi conſignationum ſenſus, de iis ſeorſum paucula quædam ſuo loco obſervabimus.

Benedictio aquæ. 2. benedictio & aſperſio aquæ, ea potiſſimum, quæ Dominicis diebus ante Miſſæ ſolemnis initium fieri conſuevit, neque recentis eſt inſtituti, cum a S. Baſilio Lib. de Spiritu S. cap. 27. inter Apoſtolicas Traditiones numeretur; neque ſenſus expers eſt, cum ſit expiatio quædam, & ad futurum ſacrificium præparatio. Aquæ enim proprium eſt ut abluat, ſalis autem ut a contagione tueatur; utrumque adhibet & commiſcet Eccleſia, quo ſenſibiliter demonſtret, id unum ſibi eſſe in animo, ut Fideles ſuos mundet, & ab omni tabe defendat. Exorciſat autem Sacerdos aquam & ſalem, id eſt, cum auctoritate imperat, ut creaturæ illæ, quibus dæmon, præ ſuo in creata imperio, ad hominis ruinam abuti poteſt, non tantum nihil eidem noceant; ſed a ſanctificatione *per verbum Dei & orationem*, 1. Timot. 4. 5 recipiant *vim effectricem ſanitatis, morborum expultricem, dæmonum fugatricem, omnium inſidiarum profligatricem, per Chriſtum ſpem noſtram:* ita Conſtitutiones Apoſt. Lib. 8. cap. 29. unde apparet quanta ſit hujuſce ritus antiquitas. *Edit. Coel. T. 1. p. 411.*

Aſpergitur autem Altare, ut ab eo propulſentur phantaſmata diaboli, qui Chriſti Miniſtris, juxta antiquiorum Patrum ſententiam, in ipſo Sanctuario inſidiatur. Aſpergitur Sacerdos, ſeu ab Epiſcopo, ſi quis adſit, ſeu a ſe ipſo, ut gratiarum, quas in aquæ benedictione poſtulavit Eccleſia, non ſecus ac ceteri Fideles, particeps efficiatur. Interim recitatur aliquid Pſalmi *Miſerere*, quia ut gratias prædictas conſequatur Chriſtianus homo, neceſſum eſt ut expreſſos in eodem Pſalmo ſenſus doloris ac pœnitentiæ induat. De his vide Nat. Alexandrum Lib. 2. c. 7. art. 6. *Tom. 1. p. 488.*

De his obiter notandum, Toparchis & Dominis locorum, ſive etiam Eccleſiarum Patronis, aſpergillum porrigi non debere, ut aqua benedicta ſummis digitis delibata frontem intingant, qui ſolis Epiſcopis debitus eſt honos: ſed ipſos poſt Clerum, & ante promiſcuam plebem a Presbytero aſpergi debere. Cum enim Sacerdotes ipſi in Choro præſentes, a Celebran-

brante, & Celebrans ab Epiſcopo, quoties adeſſe illum contingit, aſpergitur, ut effuſionem Spiritus ſancti a Chriſto per Eccleſiæ miniſterium in Fideles omnes fieri ex hoc ritu intelligamus; non poſſunt Toparchæ, ſive Domini ac Dominæ locorum, Patronive Eccleſiarum, velut jus honorificum expetere, ut ſibi aſpergillum porrigatur. Ita ſancitum eſt ab Eccleſiæ Gallicanæ Patribus in Comitiis Generalibus Cleri congregatis, die 18. Novembris, an. 1656. Idemque fuerat antea conſtitutum Edicto Regii Conſiſtorii die 9. Sept. 1639. Senatuſconſulto Toloſano in irritum miſſo, quod pagi cujuſdam Domino, necnon ejus conjugi, ac filiis aquam benedictam cum aſpergillo in manus dari, contra antiquum Eccleſiæ ritum ac morem decreverat. Similes vero controverſias ad Forum Epiſcopale deferri ſtatuit Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XIII. earum cognitione ſæcularibus Judicibus prohibita. Ita & iiſdem verbis cit. Nat. Alexander.

Procès verbal des ann. 1655. & 1656. p. 953.

Idem tradunt Rituale Aletenſe Inſtruct. 2. de aqua benedicta, Catechiſmus Montiſpeſſul. p. 3. ſect. 2. c. 8. de Exorciſmis, §. 10. Concinit nervoſe, ſed & ſapienter, ut ſibi moris eſt, Rogerius Andreas de la Palluele, p. 2. Epiſt. 3. cujus textum Gallice dabo, ut Parochi Doparchas quoſdam, tam addictos fictitiis juribus, quam Latinæ linguæ rudes, leniter tamen & modeſt revincant. Sic ille pag. mihi 226. *C'eſt une prètention injuſte & injurieuſe a l'Egliſe, qu'ont quelques Seigneurs d'obliger leurs Curès de leur prèſenter l'Aſperſoir, pour en prendre avec la main. Trois raiſons doivent les deſabuſer: la premiere, que cette prèſentation de l'Aſperſoir eſt contraire a la pratique univerſelle de l'Egliſe, & a l'uſage de toute l'Antiquitè; la ſeconde, qu'elle dètruit la ſignification myſtèrieuſe de l'Eau bènite, qui n'eſt pas moins vènèrable par les choſes qu'elle nous reprèſente, que par ſa bènèdiction; & enfin la derniere, que ce nouvel uſage produiroit de très-mauvais effets....*

Les Rituels, tant anciens, que nouveaux, preſcrivent aux Curès la maniere de diſtribuer l'Eau bènite par aſperſion. L'Aſſemblèe Gènèrale du Clergè des annèes 1655. & 1656. rèſolut par l'avis des Provinces, que les Curès feroient tous les Dimanches l'Eau bènite, conformèment au Rituel, & qu'après avoir aſperſè l'Autel & tous les Ecclèſiaſtiques ètant au Chœur, ils donneroient par aſperſion de l'Eau bènite aux Seigneurs & Dames de lieux ètans dans leurs banos ordinaires, &c.

Il eſt encore ègalement certain, que la prètention des Seigneurs de recevoir l'Eau bènite par prèſentation de l'Aſperſoir, dètruiroit, ſi elle avoit lieu, la ſignification myſtèrieuſe de l'aſperſion de l'Eau bènite. S. Paul dans le 9. chap. de l'Epitre aux Hebreux a comparè au ſang de J. C. l'aſperſion dont les Juifs ſe ſervoient pour ſe purifier: Si cinis vitulæ aſperſus, &c. *combien donc a plus forte raiſon l'Eau, que le Pretre diſtribue dans nos Egliſes, en eſt-elle une figure plus noble & plus parfaite? Et ainſi, puiſque les Prètres diſtribuent de ſang de J. C. à tous les Laiques, il eſt juſte, que l'Eau bènite qui en eſt la figure, leur ſoit diſtribuèe par leurs mains; & il faut que cette diſtribution ſe faſſe, non pas d'une maniere ſervile & indigne de notre miniſtere; mais d'une maniere qui faſſe connoitre l'autoritè ſpirituelle, que Dieu a donnèe au Pretre ſur toutes les perſonnes Laiques*, &c.

La derniere raiſon de refuſer aux Patrons des Egliſes le droit de prendre l'Eau bènite avec la main, eſt que cela ne peut avoir que de très-mauvais effets: Car du moment que cette nouveautè ſera etablie, tous les Patrons prètendront jour du meme bonneur.

honneur. L'on verra donc, à la honte du Clergè, les Curès, qui reprèſentent J. C. lorſqu'ils ſont dans l'exercice de leurs fonctions, eſſuyer, pendant un quart d'heure, les complimens des Dames & des Gentilshommes, qui ſe trouveront dans le banc du Seigneur. Il faudra que le Miniſtre de J.C. revetu de l'Aube & du Surplis demeure de bout & la tete nue, pour attendre la concluſion de ces complimens, & qu'il tienne l'Aſperſoir en main, juſqu'à ce que Madame ſoit dègantèe. Peut-on voir quelque coſe de plus ridicule? & peut-on autoriſer un ſi mauvais uſage, ſous prètexte qu' il peut arriver a un Curè, par inadvertence de diſtribuer l'Eau bènite trop abondamment a la Dame de la Paroiſſe? Certainement, pour peu qu'elle ait de religion, elle aimera mieux s'expoſer a cette diſgrace, que de renverſer l'ordre de l'Egliſe. Hæc vir eruditus, qui Parochus quidem erat, ſed ſimul Toparcha, Patronus, & Judex.

Thurificatio.

Non eſt porro eadem thuris ratio, quæ luſtralis aquæ. Thus enim cum Fidelibus omnibus, atque etiam defunctis, adoleatur, Dominis & Patronis, poſt Clerum quidem, ſed ante ceteros adoleri debet. Antiquum porro eſſe in Eccleſia thurificationis uſum probat Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag.195. Nec ritui huic ſua deeſt moralis & myſtica ſignificatio. Thus enim adoletur Deo, in ſignum latreutici cultus, ſupremo rerum omnium arbitro debiti; *Altaribus* in honorem Victimæ quæ in iis offertur; *Cruci & Imaginibus* Sanctorum, ut in figuris honorentur archetypa; *Evangeliorum Libro*, in ſpeciem tum venerationis, qua verbum Dei proſequimur, tum boni odoris, quem pietatis ſuæ exemplo ubique diffundere debent Chriſtiani; *oblationibus*, ut teſtemur nobis id unum cordi eſſe, ut ea ſurſum aſcendant coram Deo, quemadmodum vapor incenſi; *Fidelibus*, ut *dirigatur oratio* eorum, *ſicut incenſum in conſpectu Domini;* denique *mortuis* ipſis, *non ut eorum peccata tollantur..... ſed ut omnis immundorum ſpirituum præſentia arceatur*; atque *etiam in ſignum ſocietatis & communionis Sacramentorum, quam nobiſcum, dum vixerunt, habuerunt:* & quia inſuper corpora eorum fuerunt templa Spiritus ſancti, De ſymbolico thuris uſu adi Opus inſcriptum: *Du veritable eſprit de l'Egliſe dans l'uſage de ſes Cèrèmonies, ou rèfutation.... de D. Cl. de Vert*, Auctore Illuſt. nunc Senonenſium Archiepiſcopo.

Durand. Mimat. L. 7. de Offic. mort. c. 25.

Pag 237.

Tom. 1. Præfat. p. 18. & T. 2. p. 513.

Hic animadverti velim eumdem Vertium; cum hæc, in ſui gratiam producit D. Thomæ verba: Adurimus incenſum, *ut per bonum odorem depellatur, ſi quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod poſſet provocare horrorem*, nonnihil S. Doctoris auctoritate abuti: En integrum ejuſdem textum 3. p. q.85. art.5. ad 2. *Dicendum, quod etiam thurificatione non utimur, quaſi cæremoniali præcepto Legis, ſed ſicut Eccleſiæ Statuto. Pertinet autem ad duo, 1. quidem ad reverentiam hujus Sacramenti, ut ſcilicet per bonum odorem*, &c. ut ſtatim; *2. pertinet ad repræſentandum effectum gratiæ, qua, ſicut bono odore, Chriſtus plenus fuit*, &c. *Et ideo thurificato Altari, per quod Chriſtus deſignatur, thurificantur omnes per ordinem.* Ubi non tantum ſecunda ratio moralis eſt, ut per ſe patet, ſed & prima, quæ ad religioſum cultum pertinet, honorem ſcilicet & *reverentiam Sacramenti*.

Oſculum.

Poſtrema cæremonia eſt oſculum: oſculatur enim Sacerdos, tum Altare, idque frequenter, tum Evangelii Librum, tum & ſemel Miniſtrum ſuum, per quem in Clerum omnem, & in populum pacem diffundit. Hæc autem cæremonia in Liturgiis omnibus, ſeu Græcis, ſeu Latinis habetur. Ejus etiam meminere Juſtinus Apolog. 2. ſub finem; Tertullianus Lib. de

Ora-

Oratione c. ult. Cyrillus Catech. 5. ac demum Conſtitutiones Apoſtol. Lib. 8. c. 11. ubi hæc: *Diaconus dicat omnibus: Salutate vos invicem in oſculo ſancto: Et Clerici oſculentur Epiſcopum, Laici viri Laicos, feminæ feminas*. Non una porro eſt ratio oſculi, ſicut nec Crucis: Altare enim & Librum oſculamur in ſignum reverentiæ, fratres autem in ſignum charitatis & pacis. *Ed. Cotel. p. 398*

ARTICULUS TERTIUS.

De Ritibus qui in verbis conſiſtunt.

MIſſam dividit Bellarminus quatuor in partes, quarum prima, quæ Catechumenorum Miſſa dicitur, ab initio ad Offertorium uſque panditur; ſecunda, quæ a Latinis quibuſdam vocatur Canon minor, ab Offertorio, uſque ad Conſecrationem; tertia, quæ & Canon major, a Conſecratione ad uſque Communionem; quarta a Communione uſque ad finem ſe ſe extendit. *Lib. 2. c. 16.*

Ceteris omnibus præit recitatio tum Antiphonæ: *Introibo*, &c. tum Pſalmi 42. *Judica me*. Antiphona genus eſt alternum modulationis; ſeu, ut *ex græco interpretatur* Iſidorus Lib. 6. orig. cap. 19. *vox reciproca, duobus ſcilicet Choris alternatim pſallentibus*. Pſalmus 42. indicat & ſanctitatem Miniſtri, qui, judice Deo a gente non ſancta diſcernatur; & ſanctitatem hanc veritati & luci divinæ totam inniti, quarum ope *in montem ſanctum, & in tabernacula* Domini deduci debeat. Major eſt utriuſque, verſiculi videlicet & Pſalmi antiquitas, quam viſum eſt eruditis pluribus: utrumque enim jam ab an. 800. habent multa Galliæ, Germaniæ & Angliæ Miſsalia. De quo adi P. le Brun Tom. 1. pag. 111. Omittitur Pſalmus *Judica*, &c. in Miſſis defunctorum & tempore paſſionis, propter verba iſthæc: *Quare triſtis es, anima mea?* quæ cum ad lætitiam invitent, cum lugubri Paſſionis mortuorumve Officio parum cohærere videntur. In his nihil habent quod mordeant Novatores, niſi canino dente præditi ſint. *Pſalmus Judica me.*

Aliud eſt de peccatorum confeſſione, quam Sanctis fieri ægre ferunt, ſeu quia longius a nobis diſtent, ut preces noſtras audiant; ſeu quia eos pari cum Deo gradu conſtituamus. At in utroque fœde aberrant: in primo propter rationes Tom. II. expoſitas; in ſecundo, quia a Sanctis præſtolamur, non veniam peccati, quam Dei miſerentis donum eſse cognoſcimus; ſed interceſſionem & preces, quibus offenſum numen iram ſuam avertat a nobis, prout toties a populo ſuo, orante Moyſe, avertit. Interim confitemur *Deo*, quia ipſe eſt qui delet iniquitates plebis ſuæ; *B. M. Virgini*, quia & potentiſſima ſit apud Filium, & refugium peccatorum nuncupari meruerit; *B. Michaeli*, quia is plebis ſanctæ protector ſit, & Princeps ſuper omnes animas ſuſcipiendas: *B. Joanni Baptiſtæ*, quia pœnitentiam in remiſſionem peccatorum prædicavit; *SS. Apoſtolis Petro & Paulo*, quia priori inſigniter traditæ ſunt claves Regni Cœlorum; poſteriori noſtram, nos olim Gentiles & iræ filii, converſionem acceptam referimus; *omnibus Sanctis*, ut multiplicatis interceſsoribus uberiorem propitiationis gratiam a Deo conſequamur; demum *fratribus noſtris*, tum quia ad id hortatur S. Jacobus c. 5. v. 16. tum quia æquum eſt, ut qui Deum, Sanctos, & Eccleſiam offendimus, delictum noſtrum coram omnibus confiteamur. *Confeſſio. Offic. Eccleſ.*

Introitus. Sequitur Introitus, qui ex Antiphona, paſſimque ex Pſalmi verſiculo conſtat cum *Gloria Patri*. Dicitur Introitus, vel quia Miſſæ initium eſt, ac velut ingreſſus; vel quia cantitur a Choro, dum Sacerdos ad altare ingreditur. Originem ejus referunt plures ad Cœleſtinum I. Verum ſeu a Cœleſtino inductus ſit, ſeu ab alio quopiam, nihil eſt quod in ipſo redargui poſſit, cum pene ſemper e divina Scriptura deſumatur, aut pii aliquid contineat. Verſus *Gloria Patri*, Apoſtolicæ eſt Traditionis, ut ex Card. Bona * docet Catechiſmus Montiſpeſſul. ejuſque uſus contra Arianos, perſonarum conſubſtantialitatem negantes, ad calcem Pſalmorum invaluit. Ceterum quid dignum magis & æquum, quam ut Sacerdos a totius Trinitatis gloria & invocatione, in actione omnium ſanctiſſima exordium ducat.

* *Lib. de Pſalmod. c.16. §.6.*

Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon græcæ ſunt voces, quæ idem ſibi volunt ac *Domine miſerere*; quod orationis genus, ut humanæ fragilitati ad lapſum & ruinam pronæ convenit, ſic & perantiquum eſt. *Ego dixi: Domine, miſerere mei*, ait Regius Vates Pſal. 40. *Domine, miſerere noſtri, te enim expectavimus*, ait Iſaias 33. 2. *Audi, Domine, & miſerere*, ait Baruch 3. 2. *Jeſu præceptor, miſerere noſtri*, ajebant Leproſi decem Luc. 17. 13. nec unquam crebro ſatis dicent Chriſtiani. Ideo autem Græcæ eæ voces a Latinis ſervantur, *ut a laudibus Dei unius nec ipſa lingua* nobis *barbara, ſit aliena*: ita Vigilius Tapſenſis apud Auguſtinum in Append. Tom. 2. p. 44. nov. edit. Qui autem *Kyrie eleiſon* a B. Gregorio in Eccleſiam invectum fuiſſe cum Burio exiſtimant, falluntur, ut liquet ex Can. 3. Concilii Valenſis, quod, utpote celebratum ann. 529. Gregorii Magni Pontificatum annis ad minus 60. anteceſſit, ſic ibi: *Quia tam in Sede Apoſtolica, quam etiam per totas Orientales, atque Italicas Provincias dulcis & nimium ſalutaris conſuetudo eſt intromiſſa, ut* Kyrie eleiſon *frequentius cum grandi affectu & compunctione dicatur, placuit etiam nobis, ut in omnibus Eccleſiis noſtris, iſta tam ſancta conſuetudo & ad Matutinum, & ad Miſſas, & ad Veſperas, Deo propitio, intromittatur*. Ceterum *Kyrie* novies dicimus, ut perpetuos Angelorum, qui Choros novem componunt, cantus æmulemur. Ter vero *Kyrie* Patri, ter *Chriſte* Filio, ter rurſus *Kyrie* Spiritui ſancto panditur, ut ne quos coadunat natura, diſcernat cultus.

Gloria in excelſis. Inſtitutionem recitandi inter ſacra Cantici: *Gloria in excelſis* (quem Angelicum Hymnum dicimus, quia prima hæc ejus verba ab Angelis Chriſti nativitatem annuntiantibus pronuntiata fuerint) referunt plerique ad Teleſphorum Papam, qui an. 142. ſedere cœpit: at nimium incerto. Alii auctorem ejus faciunt Hilarium Pictavienſem; nec melius: cum ejus ævo & antea feminæ Hymnum hunc in Oriente memoriter tenerent, ut tradit Athanaſius Lib. de virginitate ſub finem. Unde conjiciunt aliqui, Canticum iſtud ex iis unum fuiſſe, quæ a Chriſtianis in honorem Chriſti cantari conſueviſſe ſcribebat ad Trajanum Plinius junior his verbis: *Carmen quoque Chriſto, quaſi Deo, dicunt ſecum invicem*: illudque, ajunt, forſan indigitat Euſebius Lib. 5. Hiſtor. c. 28. ubi ſic: *Pſalmi quoque, & cantica Fratrum, jam pridem a Fidelibus conſcripta, Chriſtum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo*. Verum hæc haud ſatis aperta ſunt, ut dubium tollant: quapropter ſatius fuerit cum Toletanis Patribus generatim dixiſſe, prima Hymni hujus verba, ad Angelos merito referri; reliqua vero quæ ibi ſequuntur, *Eccleſiaſticos Doctores compoſuiſſe*. Utut eſt,

Concil. Tol. IV c. 13. T. 5. Conc. p. 1710.

Digitized by Google

eſt, nihil habet offenſionis Hymnus iſte: unde & Luthero placuit, ut patet ex Libro ejus de formula Miſſæ.

Hic quædam animadvertenda, 1. Hymnum hunc a Græcis doxologiam majorem vocari, ut diſtinguatur a breviore: *Gloria Patri*; 2. eum olim tunc duntaxat inter Miſſæ ſolemnia decantatum fuiſſe, cum hæc ab Epiſcopo celebrabatur; 3. nunc pluries omitti, ut in Miſſis defunctorum, iiſve, quæ per tempus pœnitentiæ leguntur; item in Miſſis pluribus votivis: de quo adi Rubricas part.1. tit.8.

Hymni recitationem vel cantum ſequitur oſculum Altaris, & Sacerdotis ad populum converſio, cum hac ſalutationis formula, *Dominus vobiſcum*, qua Miniſter & populo bene precatur, & eum ad orationem, cui præire ſolet eadem ſalutatio, tenere invitat. Et quidem 1. Sacerdos antequam populum ſalutet, Altare oſculatur, ut a Chriſto, per Altare figurato, pacem prius recipiat, quam aliis donet. Unde & a quingentis circiter annis medium Aræ communiter deoſculatur, quia lapis ſacer Chriſtum, angularem Eccleſiæ lapidem, melius ac ſpecialius repræſentat. Carthuſienſes tamen, Carmelitæ & Dominicani hodieque antiquum Altaris in angulo deoſculandi morem ſequuntur; 2. Sacerdos ad populum convertitur, quia decet ut ad eos convertamur, quos ſalutamus, niſi obſtet urgentioris alterius officii neceſſitas; 3. precatur ut ſit Dominus cum plebe; ſicque fauſta omnia uno precatur verbo, quia nihil non habet, qui Dominum habet. Etſi autem Braccarenſis Synodi Patribus an.561. Can. 21. *Placuit, ut non aliter Epiſcopi, & aliter Presbyteri populum, ſed uno modo ſalutent, dicentes: Dominus ſit vobiſcum;* mos tamen invaluit, ut Epiſcopi Chriſtianam plebem prima vice his vocibus ſalutent: *Pax vobis*; quod & in Oriente factitant Presbyteri. Utrumque tamen bene precandi genus in idem recidit. Hebræi per hæc verba *Dominus tecum*, vel *vobiſcum* ſalutabant invicem, ut patet ex Libro Judicum c.6. Ruth c.2. Luc.1. Chriſtus verba: *Pax vobis*, pluries adhibuit.

Dominus vobiſcum.

Tom. 2. Conc. p. 840.

Salutationi, ut quæ religioſa ſit ad precandum excitatio, ſuccedit oratio, quæ *Collecta* nuncupatur, ſeu quia ſit ſupra plebem jam collectam; ſeu quia, ut ait Vvalafrid. Strabo, *vota & petitiones populi compendioſa brevitate colligit;* ſeu quia dicitur in Miſsa, cui olim inditum Collectæ nomen, eo quod ad ſacrificii ritum colligeretur, ſeu coadunaretur populus.

Collecta.

Biblioth. PP. T. 15. p. 191. E.

Cum idem ſit Collecta, quod oratio, antiquiſſimus eſſe debet & revera eſt ejuſdem uſus: neque enim alio fine in unum coibant Fideles, quam ut in tota ſacrificii ſerie orarent, ut patet ex Juſtino Apolog. 2. & Tertulliano Apolog. c.39.

Quod ſpectat ad formam Collectæ, Concilium Carthagin. III. c.23. præſcribit, ut oratio in Miſſis recitanda dirigatur ad Patrem: neque ideo tamen non invocantur Filius & Spiritus ſanctus, ſed ſemper in Patre, propter eſſentiæ unitatem intelliguntur, ut docet Tertullianus Lib. de Orat. Et vero prima Canonis verba: *Te igitur clementiſſime Pater*, ad primam Trinitatis perſonam *per Chriſtum* diriguntur: & tamen ſacrificium toti offertur Trinitati, ut probat S. Fulgentius Lib.2. ad Monimum cap. 2. 3. 4. & 5. Imo ex concluſione Collectæ aperte colligitur, Filium & Spiritum S. una cum Patre invocari. Dum enim Filium & Spiritum cum Patre per omnia ſæcula regnare profitemur, tres ſimul perſonas a nobis invocari agnoſcimus.

Digitized by Google

Duplici autem de cauſa Collectas ad Patrem, potius quam ad Trinitatem totam dirigimus, 1. quia ita nos orare docuit Chriſtus, Matth.6. *Pater noſter, qui es in cœlis*; & Joan. 6. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo*, &c. 2. quia debet ſemper oratio concludi per Chriſtum; cum ille ſit mediator & advocatus noſter, cujus in nomine cuncta petimus; porro oratio ad Trinitatem directa minus apte concluderetur *per Filium tuum*, &c. ſic enim Chriſtus Trinitatis Filius effici videretur. Quod ſi omiſſa voce *Filii*, diceremus: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, duplicem Chriſto perſonam utcumque affingeremus; unam enim includeremus in Trinitate quam invocamus, alteram excluderemus, per quam invocamus. His autem incommodis occurrit Eccleſia, cum ad unam perſonam preces ſuas dirigit: eligitur autem perſona Patris, quia ipſe fons eſt & origo Filii & Spiritus ſancti. Sunt tamen Collectæ nonnullæ, quæ ad Filium diriguntur, & his deſinant verbis: *Qui vivis & regnas Deus*, &c. idque ſatis conſulto, ne quis crederet, Patrem ſolum diſerte invocari poſſe. Ita Bellarminus, quem Tournelyi exemplo ſequi gloriamur.

Quæ ad Collectas pertinent, habentur in Rubricis Miſſalis Romani p.1. tit.9. Notat autem hunc in locum Merati, 1. quod ſi contingat ut in ſemiduplicibus, ſimplicibus, & votivis dici debeant quatuor orationes, nulla ſit neceſſitas quintam addendi ad numerum imparem, prout declaravit S. R. Congregatio die 2. Decemb. 1684. 2. ex tribus Collectis, quæ in Miſſa ſemiduplici præcipiuntur, non eſſe omittendam tertiam, puta orationem *A cunctis*, ſi ſecunda oratio ſit de Feſto ſimplici; 3. orationem, quæ *ad libitum* recitanda præcipitur, non poſſe omitti, quando ex ſpeciali Epiſcopi mandato recitanda eſt oratio pro certis neceſſitatibus, puta pro aeris ſerenitate; unde tunc quatuor orationes dici neceſſum eſt; 4. cum recitatur nomen Sancti alicujus, nuſquam addi debere locum de quo eſt idem Sanctus, etſi in Calendario expreſſum ſit: unde RR. PP. Minimi poſt Franciſcum addere non debent, *de Paula*; ſicut nec poſt Joannem, addi debet, *Damaſcenum*: & ſic de *Borromæo Saleſio*, *Nazianzeno*. Addi tamen poſſunt nomina a caſu, ut *Chryſoſtomi*, poſt Joannem; 5. improbari a Guyeto Lib.3. c.29. q.7. eos e Regularibus, qui omiſſo Eccleſiæ Titulari, ſolum Ordinis ſui Patronum nominant; ſed non improbari eos, qui Patronum hunc minime nominant.

Epiſtola. Collectam ſequitur lectio ex Propheta vel Apoſtolo, pro more Gentis ſanctæ, quæ conventus ſuos a Moyſis & Prophetarum lectione auſpicabatur, Act.12. & 15. Veterem eſſe hunc in Eccleſia ritum liquet ex Juſtino Apolog.2. & Tertulliano Apolog.39. ubi ait: *Coimus ad Litterarum Divinarum lectionem*. Fuit olim officium iſtud Lectoris, nunc autem & jam diu *Subdiaconi miniſterium eſt*, ut tradit Remenſe Concilium an.812. Can.4. & ſupponit Synodus Toletana I. an. circiter 388. Can. 4. Id tamen, nec ubique ſtatim, nec ſine ſtupore quodam contigit: *Miror*, ajebat nono ſæculo Amalarius Lib. 2. cap. 11. *qua de re ſumptus uſus in Eccleſia noſtra, ut Subdiaconus frequentiſſime*, non ergo ſemper, *legat Lectionem ad Miſſam, cum hoc non reperiatur ex miniſterio ſibi dato in conſecratione commiſſum, neque ex Litteris Canonicis, neque ex nomine ſuo*. Idem obſervans & anxie inquirunt Micrologus c.8. & Durandus Lib.1. Ration. c.8. hodie porro omnis ea de re tolli debet anxietas: Epiſcopus enim Subdiaconum ordi-

ordinans: *Accipe*, inquit, *Librum Epiſtolarum*, *& habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta*. Quin & certum videtur Meratio hic part. 1. tit. 10. Subdiaconos jam a Gregorii Magni temporibus * in Eccleſia Romana Epiſtolam legiſſe. Ut ut eſt, *Deficiente Subdiacono pro Miſſa ſolemni*, *data neceſſitate permitti poteſt per Superiores*, *ut ſubſtituatur conſtitutus in Minoribus Ordinibus ad cantandam Epiſtolam*, *paratus abſque Manipulo*. Ita S. R. Congregatio die 6. Julii an. 1698. Unde a contrario colligi videtur, non eſſe id paſſim permittendum cuivis etiam non Clerico, prout hodie nec raro fieri conſuevit. * V Epiſt. 44. Gregor. vet. edit.

„ Poſt Epiſtolam dicitur Graduale, quod ſemper dicitur præterquam „ tempore Paſchali, cujus loco tunc dicuntur duo verſus, &c. „ Ita Rubricæ p. 1. tit. 10. Ne otioſe tranſigeretur tempus, quod neceſſario interponendum erat lectionem inter Epiſtolæ & Evangelii, dum ad iſtud cantandum ſe præparabat Diaconus, conſtitutum eſt apud Græcos primum, tum & apud Latinos, ut canerentur verſiculi quidam e Scriptura potiſſimum deſumpti. Horum porro quadruplex eſt genus, Reſponſorium ſcilicet ſeu Graduale, Alleluja, Tractus & Sequentia, ſeu Proſa. Graduale.

Reſponſorium dicitur, quia incipiente uno alii reſpondent, ut ſcribit Rabanus Lib. 2. de Inſt. Cleric. cap. 51. Graduale vero, eo quod, ait idem ibid. Lib. 1. c. 32. *juxta gradus pulpiti cantatur*. Tom. 6. pag. 19.

Tractus ſic *dicitur a trahendo*, *quia tractim*, *& cum aſperitate vocum*, *& prolixitate verborum canitur*: unde temporibus, ſeu pœnitentiæ, ſeu recolendæ Chriſti paſſioni dedicatis, Tractus, ut qui lugubre ſpiret, conſuetudo inolevit. Durand. L.4.c.21.

Alleluja, quod idem eſt ac, *Laudate Dominum*, quamdam animæ hilaritatem exprimit, ſecundum id Tobiæ 13. 22. *Per vicos ejus*, Jeruſalem, *Alleluja cantabitur;* & Apocalypſ. 19. *Audivi quaſi vocem tubæ magnæ ...... & ſicut vocem tonitruorum magnorum dicentium, Alleluja, gaudeamus & exultemus*. Unde tempore potiſſimum Paſchali tam crebra ejus repetitio.

Proſa rythmicis quibuſdam verſibus conſtat: dicitur *ſequentia*, quia vices gerit longæ illius *notarum* multitudinis, quæ olim ſequebantur Alleluja: atque hinc & Proſæ neumata nuncupatæ ſunt. Notkerus S.Galli Monachus Proſarum parens dicitur. Exinde plures & nimio plures, ac parum politæ prodierunt. Harum quatuor tantum ſuperſtites habet Eccleſia Romana, Paſchalem, quæ incipit: *Victimæ*, &c. Pentecoſtinam, *Veni ſancte Spiritus*, quam alii Regi Roberto circa an. 1000. alii & melius, Hermano Contracto circa an. 1040. attribuunt; ſancti Sacramenti: *Lauda Sion*, quam ab Angelico Thoma concinnatam norunt omnes; & mortuorum, *Dies iræ*, quæ Card. Frangipani, vulgo Malabrancæ, Dominicani, fœtus eſt. Hæc, etſi Proſa, utpote lætitiæ Hymnus, defunctorum Miſsæ parum congruit, propter dictionis ſenſum, majeſtatem & numeros aſſervari meruit. Proſa.

In his, dempta ſane ſequentia mortuorum, unum id carpit Lutherus, quod a Catholicis quandoque ſupprimatur Alleluja: iſtud enim a ſuis per ipſum Hebdomadæ ſanctæ tempus decantari præcipit. Sed hic male ut in ceteris, 1. quia ex dictis eſt iſtud lætitiæ canticum: quid porro lætitiæ cum luctu & lacrymis? 2. quia jam a primis temporibus vetitum eſt, ne per Quadrageſimam canatur Alleluja, ut patet ex Concilio Tole-

Digitized by Google

Toletano IV. Can. 10. & Auguſtino, qui in Pſalm. 148. n. 1. & 2. ſic loquitur: *Illud tempus quod eſt ante Paſcha, ſignificat tribulationem in qua modo ſumus: quod vero nunc agimus poſt Paſcha, ſignificat beatitudinem in qua poſtea erimus .... Illud tempus in jejuniis & orationibus exercemus; hoc vero tempus relaxatis jejuniis in laudibus agimus: Hoc eſt enim Alleluja quod cantamus*, & in Pſalm. 106. *Eſt enim Alleluja, & bis Alleluja, quod nobis cantare certo tempore ſolemniter moris eſt, ſecundum Eccleſiæ antiquam Traditionem: Neque enim & hoc ſine Sacramento certis diebus cantamus*. Quis porro antiquæ Traditionis auctoritatem, Lutheri figmentis præferre dubitet?

Evangelium. Finito Graduali, aut Tractu dicitur Evangelium: hujus autem lectionem in Eccleſia perantiquam eſſe conſtat ex Conciliis Laodiceno, cap. 16. Carthaginenſi IV. Can. 84. Valentino Can. 2. præcipiente cum prædictis, *Ut ſacroſancta Evangelia ante munerum illationem in Miſſa Catechumenorum in ordine Lectionum poſt Apoſtolum legantur*. Concinunt Liturgiæ omnes ad unam. Suffragantur Patres, quos inter Hieronymus contra Vigilantium teſtatur, moris fuiſſe per omnes Orientis Eccleſias, ut plena die ad Evangelii lectionem cerei ſuccenderentur. *Tom. 4. Conc. p. 1617. D.*

Porro ante lectionem hanc precatur Deum Diaconus, ut cor ſuum mundet: tum ad Sacerdotem accedens: *Jube*, inquit, *Domne*, *benedicere*. Ideſt, Præcipe tibi ut benedicas me: quo ſenſu id olim *Diaconi* inter Sacra: *Habete*, ſeu tenete *ſilentium*, his ſæpe exprimebant verbis: *Jubete* (vobiſmetipſis nempe) *ſilentium*. Vox *Domnus*, vocis, *Dominus*, quam olim ſoli Deo reſervabant Chriſtiani, diminutiva eſt.

Tum converſus ad partem lævam Sacerdos vel Diaconus, ut legendis attentionem conciliet, annuntiat ea eſſe vel *initium*, vel, ut ſæpius, *ſequentiam* Evangelii. Olim Eccleſiis ad Orientem rite converſis, viris autem ad dextrum latus, feminis vero ad ſiniſtrum poſitis, Diaconus Evangelium lecturus vertebat ſe ad meridiem, ubi ſtabant homines; qui quoniam familiarum capita ſunt, Evangelicas veritates plenius noſſe debent. Hinc queritur Micrologus, quod jam, novum inducendo ritum, *Diacones in ambone, contra Romanum Ordinem ſe vertant ad aquilonem, potiuſque ſe ad partem feminarum, quam maſculorum vertere non vereantur*. Invaluit tamen conſuetudo Evangelium legendi a parte ſiniſtra, quæ vulgo Aquilonem reſpiciebat: invaluit autem ob myſticas rationes, quæ Micrologo ignotæ erant. Fuerunt autem ex duæ potiſſimum, 1. quod pars læva in ſtylo Scripturæ ſignificet peccatores, quos Chriſtus venit vocare; 2. quod per Aquilonis flatum deſignari ſolet peſtilens dæmonis flatus, ſecundum id Jeremiæ 1. 14. *Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ:* porro flatum hunc adverſo verbi Divini flatu diſſipare intendit Miniſter Chriſti. Hinc ea Miſſalis a dextra ad ſiniſtram in Miſſis etiam privatis converſio, quæ alioqui ad Offertorium uſque differri poſset; quo ſolum tempore exigit actio Sacerdotis, ut pars dextra Altaris omnino libera ſit. *De Eccl. obſ. c. 19.*

Quemadmodum autem poſt lectam Epiſtolam reſpondetur *Deo gratias*, quæ olim uſitata erat apud Monachos ſalutandi formula; ſic poſt lectum Evangelium acclamat populus, vel populi nomine Miniſter: *Laus tibi Chriſte:* ut accepti in Scripturis & per Scripturas beneficii gratum ſe & bene memorem exhibeat.

Evan-

Digitized by Google

Evangelii lectionem ſequitur Symbolum, quod eſt fidei profeſſio: & bene, quia fides eſt ex auditu verbi Dei. Symbolum porro quadruplex ſecernitur, Apoſtolicum, quod ab Apoſtolis; Nicænum, quod a Nicæna Synodo generali I. an. 325. Conſtantinopolitanum, quod an. 381. a generali Concilio Conſtantinopolitano I. & vulgo Athanaſianum, quod ab Auctore incerto conditum eſt. Ceteris inter Sacra præfertur Nicænum ſymbolum cum additionibus CP. factis, quia eo potentius impugnantur, Arii, Macedoniique errores. Symbolum.

Nullum ſuppetit decantati inter Miſſarum ſolemnia quinque prioribus Eccleſiæ ſæculis ſymboli monumentum: forteque recitationem ejus in univerſis Fidelium congregationibus prior induxit an. 510. Timotheus, CP. Patriarcha, ut graſſantem Macedonii hæreſim coerceret. Eumdem uſum an. 582. ſanxit Synodus Toletana III. cap. 2. ubi *conſtituit, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, vel Gallæciæ, ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum, Concilii CP. hoc eſt centum & quinquaginta Epiſcoporum, Symbolum fidei recitetur;* quæ conſuetudo ad alias Germaniæ & Galliæ Eccleſias ſubinde promanavit, potiſſimum tempore Caroli Magni. Quia enim tunc late ſerpebat Felicis & Elipandi error, quo naturalis Chriſti *filiatio* convellebatur; ut novis malis nova opponerentur remedia, inſtituta eſt prædicti Symboli lectio, quo idem error penitus jugulatur. Tom. 5. Conc. p. 1009.

Ceterum *Symbolum dicitur in omnibus Dominicis per annum*, propter concurſum populi, qui ſemel ad minus in hebdomada fidem ſuam unanimi concentu profiteri debet: *in tribus Miſſis de Nativitate Domini*, &c. quia ſancta hæc nativitas, ut ſpei noſtræ munimen, ſic fidei noſtræ ſumma eſt: *in omnibus feſtis B. Mariæ*, quia hæc in Symbolo expreſſe nominatur: *in Feſtis duodecim Apoſtolorum;* quia hi fidei radices plantarunt, & ſudore ſuo irrigarunt, &c. Rubric. p. 1. tit. 11.

Offertorium, quod ex quibuſdam Scripturæ verſiculis conſtat, inde ſuum accepit nomen, quod caneretur, dum populus offerret, quæ ad ſacrificii materiam neceſſaria erant, ut ſcribunt VValafrid. Strabo cap. 22. & Micrologus cap. 10. Hæc quidem oblatio tacite & ſine cantu facta eſt uſque ad quartum Eccleſiæ ſæculum: at Auguſtini ævo mos apud Carthaginenſem Eccleſiam invaluit, *ut Hymni ad Altare dicerentur de Pſalmorum Libro, ſive ante oblationem, ſive cum diſtribueretur populo quod fuiſſet oblatum;* prout tradit, & adverſus Hilarum quemdam, moris hujus obtrectatorem, vindicat Auguſtinus Lib. 2. Retract. c. 11. Nunc quia ubique pene deſiit oblatio, præterquam in Mortuorum Miſſis, ubi alicubi hodieque offeruntur panis & vinum; credat forte quiſpiam Offertorium tolli debere: ſed male; tum quia in eo continentur, ſeu orationes, ſeu verba laudum, ſeu pia exhortatio in ordine ad Feſtum quod peragitur; tum quia Chorus, qui, dum offert Sacerdos, Offertorium concinit, imitatur filios Aaron, qui dum is porrigeret *manum ſuam in libatione .... in tubis productilibus ſonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo. Tunc omnis populus ſimul .... amplificaverunt pſallentes in vocibus ſuis*, &c. Eccli. 50. 16. & ſeq. Offertorium. Tom. 1. pag. 45.

Moris porro fuiſſe jam ab Eccleſiæ exordiis, ut populus ad Altare deferret panem & vinum in materiam ſacrificii, conſtat ex Irenæo Lib. 4. c. 34. Juſtino Apolog. 2. Auguſtino, qui in Pſal. 129. n. 7. *Accipit Sacerdos a te*, inquit,

Tom. 4. inquit, *quod pro te offerat*. Unde Concilium Matiſconenſe II. an. 585.
p. 1458. cap. 4. poſtquam in eos inſurrexit, qui *ſacris Altaribus nullam admovent hoſtiam : Propterea*, inquit, *decernimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis quam vini*. Ideo autem deſiit ea materiæ ſacrificii offerendæ conſuetudo, ſæculo circiter decimo, 1. quia ex tunc Sacerdotes ad majorem munditiam panem præparare cœperunt; 2. quia cum Eccleſiæ in dies ditarentur Principum & populorum liberalitate, ſatius viſum eſt ut Parochi quodcumque iſtud onus ſubirent, quam populi, qui jugum iſtud, etſi leve, ægre aliquando ferebant, ut colligere eſt ex cit. Concilio Matiſconenſi.

Supereſt tamen etiamnum apud nos in Miſſa Parochiali ſpecies quædam oblationis, ad quam vehementer adhortatur Concilium Mediolanenſe IV. ſub S. Carolo Borom. part. 2. *Quare*, inquit, *in ſua quiſque Diœceſi, & ſuis, & Concionatorum ſermonibus, & omni alio perſuadendi, cohortandique officio, omnique juris ratione* inſtitutum *illud*, *ubi eſt*, *retineri; ac ubi negligitur, reſtitui ſtudioſe ad ſacrorum Canonum præſcriptum ita curent, ut in Solemnitatibus ſcilicet Domini, diebuſque Dominicis ac Feſtis, item quos coli, aut præcepti, aut conſuetudinis eſt, omnis Chriſtianus aliquid*, prout *pro ſua quiſque pietate, devotioneque maluerit, Deo offerre procuret; idque in Eccleſia, vel Cathedrali, cum ad Miſſæ ſacrificium, quod ſolemniter celebratur; vel in Parochiali, cum a Parocho convenerit. Quo in officio ſervetur, ut, quod antiquæ Eccleſiaſticæ conſuetudinis eſt, primo mares, deinde feminæ offerant.*

Sacerdoti Miſſam celebranti, oblationis accipiendæ cauſa ab Altari paululum ſe removere licet: At inde longe diſcedere, ac per Eccleſiam vagari, eamque quaſi circuire, nullo modo liceat.

Quo gratius autem Deo ſit, quod offerunt, ad id præſtandum accedant Fideles intima animi pietate, ſpirituali hilaritate, ſancta charitate, omnique Chriſtianæ devotionis teſtificatione. Offerentium autem, prout ſanctæ inſtitutionis eſt, commemoratio in Miſſæ ſacrificio fiat.

Ab iis vero oblationes ne accipiantur, ut antiquo etiam Canone vetitum eſt, Concilii Carthagin. IV. *qui inter ſe iniquo animo diſſidentes, inimicitias exercent; qui uſurarii, meretrices, ſacrilegi, raptores, quive alio nomine publice notoricque criminoſi ſunt*, &c.

Præcipiunt inſuper alia ſub eodem S. Archipræſule Concilia, 1. *Ne Patena, cum Oblatio fit, ſed Crux, aut ſacra aliqua imago offerentibus Fidelibus ad oſculum præbeatur;* 2. ne qui oblationes accipiunt, *eo vaſis, aut ſacculi genere pecuniam accipiant, in quo quid quiſque dederit, cerni poſſit; ut Fideles pietate adducti, non pudore quodammodo coacti, eleemoſynam afferant: quæ cum ad ſubſidium Sacerdotum, vel aliorum pauperum, vel Eccleſiarum reparationem & ornatum ſit inſtituta, eam Populus liberaliter præbere debet*. In iſtis tamen ſtandum locorum uſibus.

Oblationem hanc præcedit oblatio Eulogiæ, ſeu panis benedicti, qui in ſignum mutuæ charitatis, imo & quadantenus in vicem communionis inter præſentes diſtribuitur, atque olim mittebatur ad abſentes, ſecundum id Auguſtini Epiſt. 31. alias 34. ad Paulinum: *Panis quem miſimus, uberior benedictio fiet dilectione accipientis veſtræ benignitatis*. Quin & Eucha-

Digitized by Google

Euchariſtiam ipſam non raro ad ſe invicem mittebant Epiſcopi in ſignum communionis, ut alibi obſervavimus.

Offertorium ſtipant orationes quinque, nimirum: *Suſcipe ſancte Pater*: *Offerimus tibi, Domine*: *Veni ſanctificator*: *In ſpiritu humilitatis*, & *Suſcipe ſancta Trinitas*, quas non ante quingentos annos, cum ſcriberet, in Eccleſia Romana lectas fuiſse tradit Bellarminus hic Lib. 2. c. 17. quia tamen, ait, preces illæ nihil continent quod offendat, ab omnibus paulatim receptæ ſunt.

In his tamen redarguit Georgius Major, 1. quod calix, in quo nihil eſt præter vinum, vocetur ſalutaris; 2. quod Sacerdos pro calice oret, non pro ſe; 3. quod in oratione quarta petat idem Sacerdos, ut oblatio a ſe jam facta placeat Deo; ac proinde dubitet an placeat: unde ſequitur eum peccaſſe, ut qui ſine fide & in dubio obtulerit; 4. quod in oratione: *Veni ſanctificator*, dicat præparari ſacrificium, quod tamen jam oblatum ſit. Verum hæc ſi quid arguunt, profecto ſupinam objectoris ſtoliditatem, qui quod ignorat, blaſphemet. Unde paucis cum Bellarmino,

R. ad 1. Non vocamus calicem ſalutarem, ſed *Salutaris*, ideſt, Chriſti, qui calicem hunc offerendum & conſecrandum inſtituit. Quin & calicem liceret ſalutarem nuncupare, quia ordinatur ad conſecrationem, quæ ſalutis fons futura ſit.

R. ad 2. Non oramus pro calice, ſed ut calicis oblatio Deo grata ſit, & qua talis ad eum aſcendat *pro noſtra & totius mundi ſalute*.

R. ad 3. Non dubitat Sacerdos, quin ſacrificium per ſe & ex inſtituto Chriſti, Deo placeat: ſed cum Apoſtolo perſuaſus, ſe, licet nihil ſibi conſcium, non ideo juſtificatum eſse, humilitatis & contritionis ſpiritum efflagitat, ut quod indubie placet ex parte Victimæ ſacrificium, illud etiam placeat ex parte Miniſtri. Neque peccat offerendo ſine fide abſolute certa propriæ dignitatis; quia certitudinem hanc habere non tenetur, ſed ſolum nullam peccati gravis conſcientiam gerere.

R. ad 4. oblatio, quæ tunc efficitur, mera eſt præparatio ad oblationem in qua ſacrificium conſiſtit: unde merito dicitur ſacrificium præparari, cum materia quæ poſtmodum conſecranda eſt, per quamdam oblationem eidem dedicari incipit.

Præter orationes modo recenſitas, eſt & alia, quæ recitatur, cum vinum & aqua funduntur in calicem: *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ*, &c. Aqua cum vino miſcetur in calice, tum ad repræſentationem aquæ quæ e Chriſti latere fluxit; unde præcipiunt Miſſale Ambroſianum & alia plura, ut tunc temporis dicat Sacerdos: *De latere Chriſti exivit ſanguis & aqua*; tum ad repræſentandam unionem populi cum Chriſto: Ut enim Chriſtus per vinum, ſub cujus ſpecie paulo poſt conſtitui debet, ſignificatur, ſic & populus per aquam, ſecundum id Apocal. 17. 15. *Aquæ populi ſunt*. Atque hinc non benedicitur vinum, quia ſanguis Chriſti per illud repræſentatus, non indiget benedictione, fons ipſe benedictionis: ſed benedicitur aqua, quia populus nonniſi per Chriſti & Eccleſiæ benedictionem dignus effici poteſt, qui Chriſto uniatur. Omittitur tamen hæc aquæ benedictio in Miſsa pro defunctis, quia *aqua hoc loco ſignificat populum purgatorii*, qui jam Eccleſiæ juriſdictioni non ſubeſt: aliunde tunc totus in animarum purgantium ſalutem incumbit Sacerdos: unde nec populum in fine Miſsæ benedicit.

Benedictio aquæ.

Gavantus p. 2 tit. 7.

Præ-

Digitized by Google

Præfatio. Præparata ſacrificii materie, lotiſque manibus, ut mage magiſque mundatus Sacerdos Hoſtiam ex omni parte immaculatam offerat, demum commendata Deo per ſecretas orationes oblatione, invitato etiam ad orandum populo, quia jam inſtat tremendi ſacrificii tempus, dicitur Præfatio, quæ quaſi præludium eſt, quo gens ſancta ad eam præparatur atque erigitur actionem, in qua proprie conſiſtit ſacrificium. Et 1. præmittuntur voces, *Per omnia ſæcula ſæculorum*, quæ ad orationes ſecreto recitatas pertinent; & altà voce proferuntur, ut Sacerdos quaſi ab extaſi ſacra erumpens, ignem qui in corde ſuo exarſit, dum tacite tractaret cum Deo, toti populo communicet: atque hinc *Amen* tanto cum ardore acclamatum ab iis, qui ſacro interſunt, ut, teſte Hieronymo, *Amen* illud in Eccleſiis, non ſecus ac tonitru, reſonare audiretur.

2. poſt optatum Conventui cœleſte munimen per verba: *Dominus vobiſcum*, id unum molitur Miniſter ut ejuſdem corda ſurſum erigat. Unde Cyprianus de Orat. Dominic. *Ideo*, inquit, *& Sacerdos, ante orationem Præfatione præmiſſa, parat Fratrum mentes dicendo:* Surſum corda, *ut dum reſpondet plebs:* Habemus ad Dominum, *admoneatur nihil aliud quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem tempore orationis adire patiatur.*

Græci unam toto anno Præfationem habent: Latini plures: unde interrogatus ab Epiſcopis Germaniæ & Galliæ Pelagius II. * quænam & quot authenticæ forent Præfationes, reſpondit eſſe novem, primam de Natali Domini; ſecundam de Epiphania; tertiam de Quadrageſima; quartam de Cruce; quintam de Paſcha; ſextam de Aſcenſione; ſeptimam de Pentecoſte; nonam de Apoſtolis. His decimam, quæ eſt de B.V. Maria, addidit Urbanus II. in Concilio Placentino, circa an. 1080. teſte Gratiano, Can. *Sanctorum* 2. diſt. 70. in parte deciſa.

* *Electus an.* 577.

Sanctus. Finita Præfatione dicitur Canticum: *Sanctus, Sanctus*, &c. quod quidem partim deſumptum eſt ex Angelorum Hymno, quem Iſaias cap. 6. audiviſſe ſe narrat; partim ex Cantico, quod Judæi Chriſto Jeroſolymam ſolemniter introeunti cecinerunt, & habetur in antiquis Liturgiis Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi. Belle S. Ambroſius Lib. 3. de Spiritu S. *Cherubim & Seraphim indefeſſis vicibus laudant & dicunt:* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. *Non ſemel dicunt, ne ſingularitatem perſonæ credas; non bis dicunt, ne Spiritum excludas; non ſanctos dicunt, ne pluralitatem æſtimes, ſed ter repetunt & idem dicunt, ut, etiam in Hymno, Trinitatis diſtinctionem, & Divinitatis intelligas unitatem.*

Ceterum, ait Alcuinus, Deus *Sabaoth, unum eſt ex decem nominibus Dei apud Hebræos, & interpretatur, exercituum, ſive virtutum vel militiarum.* Oſanna vero, Hebræa itidem vox eſt, quam in aliam linguam transferri non poſſe docent Hieronymus Epiſt. 145. vet. edit. & Auguſtinus Lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 11. Plures tamen, teſte Chryſoſtomo Hom. 37. in cap. 21. Oper. imperf. interpretantur, *gloriam*, alii *redemptionem*, alii *ſalvifica*, ſeu, *ſalvum fac*. De quo fuſe & erudite differentem adi Joan. Stephanum Duranti, Toloſani Senatus principem, in Opere, *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Lib. 2. cap. 31. num. 32. Editionis mihi Romanæ p. 408.

Canon. Invocata per Angelicum Hymnum Trinitate, incipitur Canon. Eſt autem in genere Canon, norma, ſeu regula: hic autem ritus in ſacrificii cele-

Digitized by Google

celebratione obſervandus. Non uno a Veteribus nomine appellatus eſt Canon: a Vigilio Papa dictus fuit *Precatio Canonica;* ab Innocentio I. & Auguſtino, ſimpliciter & antonomaſtice *Oratio*, quia in ea quidquid præſtantiſſimum eſt poſtulatur, nimirum Chriſtus ipſe; ab aliis pluribus, *Actio*, *Myſterium ſanctiſſimæ actionis*, *Actio ſacri Myſterii*, &c. Notum illud Valafridi de reb. Eccl. cap. 22. *Actio dicitur ipſe Canon, quia in eo Sacramenta conficiuntur Dominica*. Dictus quoque fuit Canon, *Ordo* & *Legitimum;* quæ vocabula ſatis indicant, ordinem celebrandæ Miſſæ non fuiſſe arbitrarium, ut fabulatur Kemnitius; ſed ab Eccleſia ita præſcriptum, ut qui ſecus facerent, Eccleſiaſticæ legis rei judicarentur.

Objicit equidem Novator, 1. ſancitum a Conciliis Africano Can. 70. & Milevitano Can. 12. ut in Miſſa non dicantur niſi preces, quæ vel a Synodo approbatæ ſint, vel cum prudentioribus viris collatæ, ne quid forte fidei adverſum contineant: quod, inquit, argumento eſt, penes ſingulos fuiſſe, ut preces componerent ad arbitrium, modo cum fidei dogmatis conſentirent; 2. diſcrepare a ſe invicem Liturgias, puta Baſilii, Chryſoſtomi, Gregorii, &c. Sed hæc nihil obſunt.

Non 1. laudati enim Canones, non loquuntur de Canone, ſed de Collectis, quæ variæ ſemper & multiplices fuerunt. Canon enim, licet non idem ubique gentium, adeo ſacer erat, ut *Legitimum*, quod præteriri non poſſit, vocetur ab Optato Milevitano, Lib. 2. contra Parmenian. *Quis dubitat*, inquit n. 12. *vos illud Legitimum in Sacramentorum Myſterio præterire non poſſe. Offerre vos Deo dicitis pro Eccleſia*, &c. *Pag.* 35.

Non 2. neque enim negamus diverſa fuiſſe & etiamnum eſſe apud Græcos, & in certis Latinorum Eccleſiis, Canonis verba: neque, ut mentitur Kemnitius, cogit Eccleſia Romana, ut omnes Miſſæ Romanæ Canonem, velut ad conſecrandam Euchariſtiam omnino neceſſarium ſervent; cum & in ipſa Urbe Roma, & alibi per Italiam, conſentiente Papa, Baſilii vel Chryſoſtomi Liturgiam teneant Græci, Ambroſianam Mediolanenſes; ut & Mozarabicam * Toletani. Sed aſſerimus, 1. ſacrificii celebrandi ritum merito Canonem vocari, quod certus eſſe debeat, & ab iis præſcriptus, qui in Eccleſia legitime præſunt, non autem cujuſcumque arbitrio permiſſus; unde qui ab eodem ſacrilege & proprio nutu diſceſſerunt, Lutheranos merito redarguimus; 2. Canonem ſeu Græcorum, ſeu aliarum Eccleſiarum a noſtro diverſum, nihil habere erroris: cum econtra erroribus ſcateant Lutheranæ, Calvinianæ, Anglicanæ, & aliorum ſæculi XVI. Novatorum Liturgiæ: ſi tamen Liturgiarum nomen ſortiri poſſit, id quo concutitur univerſa Chriſti Religio. De his adi P. le Brun Tom. 4. Diſſert. 13. *Bellarm. L.2.c.18.*

Jam de Canone duo quæruntur, 1. an magnæ ſit antiquitatis; 2. an ab omni errore purus ſit.

R. ad 1. cum Tridentino Seſſ. 22. cap. 4. *Eccleſia Catholica, ut digne reverenterque offerretur (hoc omnium ſanctiſſimum ſacrificium) ſacrum Canonem multis ante ſæculis inſtituit*. At quis Canonem ordinaverit, qua proin ætate fuerit conditus, non eſt facile definitu. Interim duo in præſenti recepta ſunt, 1. Canonem, qua nunc apud nos extat forma, integrum ab Ec-

* Ritus Mozarabicus, qui & Gothicus, in una tantum Cathedralis Toletanæ Capella obſervatur, ſecundum Miſſale quod an. 1500. imprimi curavit Card. Ximenius,

Digitized by Google

Eccleſiæ initio non extitiſſe; quandoquidem conſtet varia eidem a variis Pontificibus identidem addita fuiſſe, uti ſtatim dicemus; 2. Canonem, qualem nunc exhibent Miſſales Libri, ante annum Chriſti 800. in uſu fuiſſe: extat enim in Ordine Romano, quem laudat Amalarius Alcuini Diſcipulus, qui nono ineunte ſæculo floruit. Eumdem verbatim expoſuit Auctor Lib. de divinis Officiis, quem etſi Alcuini non eſſe, ab ejus tamen ævo parum diſtare credimus: porro Ordo Romanus Canonem non inſtituit, ſed eum refert, ut quidpiam in Eccleſia uſitatum: unde fateri neceſse eſt Canonem Ordine Romano antiquiorem eſse.

Tom. 2. Et vero apud Auctorem Librorum de Sacramentis, qui ſi Ambroſii
p. 371. & non ſunt, non ita diu poſt * conſcripti fuere, ea Canonis pars verbis
ſeq. parum immutatis legitur Lib. 4. cap. 5. & 6. *Quam oblationem, tu Deus, in omnibus, quæſumus, benedictam, adſcriptam, ratam*, &c. Hæc quoque: *Qui pridie quam pateretur*. Iſta rurſum: *Unde & memores*. Iſthæc demum: *Supra quæ propitio ac ſereno vultu*, &c. quæ ſunt partes quatuor potiſſimæ Canonis; cum ex his priores duæ conſecrationem proxime præcedant; poſteriores duæ ſequantur. Idem etiam Auctor ibid. cap. 4. aperte meminit primæ orationis Canonis, ubi pro Eccleſia & pro Principe oratur, licet ipſa verba non exprimat. Jam vero Ambroſius, aut quiſquis eſt antiquus prædicti Operis Scriptor, eas Canonis partes non inſtituit, ſed diu ante receptas ſupponit; cum ex iis, utique tanquam e principio incunctanter admiſſo, confirmet, verum eſse in Euchariſtia Chriſti corpus & ſanguinem; ergo ſtat Canonem in primatiis ſui partibus Ambroſiano ſæculo antiquiorem eſse. Unde etiam Auguſtinus Tract. 84. in Joan. orationem pro mortuis recitari conſuetam indigitat, non ut recentem profecto, ſed ut quidpiam toti Eccleſiæ probatum.

His accedit conjectura Bellarmini triplex, 1. nempe nullam in toto Canone mentionem fieri niſi martyrum utriuſque ſexus; quod etiam ob-
Tom. 6. ſervavit Auguſtinus Lib. de ſancta Virginitate cap. 45. atqui rei hujus
p. 364. nulla afferri poteſt ratio, niſi quam reddit Innocentius III. Lib. 3. c. 10. de Myſteriis, Canonem videlicet ante adornatum fuiſſe, quam in Eccleſia publice coli cœperint Sancti Confeſsores. Conſtat enim jam ab Eccleſiæ primordiis cœpiſse Martyres Feſtis publicis coli, erectaſque fuiſse Deo ſub eorum invocatione Baſilicas; Confeſsores vero multo ſerius honorem hunc in Eccleſia obtinuiſse: tametſi certo ſtatui non poteſt novi hujuſce cultus epocha **.

2. veteres diligenter annotaſse, quidquid, pauculum licet, a Pontificibus Romanis additum eſt Canoni. Sic in vita Leonis I. ſcribit Auctor Pontificalis, verba hæc ab eodem Pontifice Canoni fuiſse adjecta: *Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam*; & id, uti notabile quidpiam obſervarunt Strabo cap. 22. & reliqui qui de Miſsa ſcripſerunt. Sic non Strabo tantum, ſed & Beda Lib. 2. Hiſtor. Anglor. c. 1. aliique paſſim, obſervarunt id etiam a B. Gregorio Canoni fuiſse inſertum: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas*: hinc autem colligere eſt, Canonem utroque hoc Pon-

* Obiit Ambroſius, ut & Martinus an. 397. Libros porro de Sacramentis uno circiter poſt ſæculo ſcriptos eſſe credit P. le Brun Tom. 2. p. 27.

** Concilium Moguntinum tempore Caroli Magni habitum an. 813. Can. 36. in Feſtorum Catalogo reponit Feſtivitates S. Martini & S. Remigii; at utraque diu antea potuerat inſtitui.

Pontifice antiquiorem eſse; imo tam intactum hactenus, ut vel minima quæ eidem fieret additio a prima Sede, inſoliti quidpiam videretur.

3. nemini notum fuiſse Canonis conditorem; ſi enim antiqui Scriptores, eos prodidere, qui Canoni nonnulla addiderunt; quanto magis non omiſiſsent eum, qui Canonem totum edidiſset? ergo ſupereſt ut Canon omni memoria ſit antiquior, & ab Apoſtolis, ut alia multa per Traditionis manus ad nos devenerit. Unde Vigilius Papa in Epiſt. ad Euthetum cap. 5. *Canonicæ precis textum ... Deo propitio, ex Apoſtolica Traditione ſuſcepimus*: quibus ſuo modo conſonant hæc S. Baſilii verba Lib. de Spiritu S. cap. 27. *Invocationis verba .... quis Sanctorum ſcripto nobis reliquit? nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus vel Evangeliſta: verum alia quoque ante & poſt dicimus, tanquam multum habentia momenti ad Myſterium; quæ ex Traditione citra ſcriptum accepimus.* Tom. 3. pag. 247. &c.

Ex quibus obiter colliges, Canonem S. Baſilii ævo ſcriptum non fuiſſe: Imo hunc ad ſæculum uſque ſextum diligenter celatum fuiſse, tantumque memoriter recitatum, ſolide probat Brunius Tom. 2. Diſsert. 1.

Ceterum Canonem non unius ſed multorum eſse, qui diverſas diverſis temporibus preces addiderint, uſque ad Gregorium I. cenſet Bellarminus. Neque hinc, ait, reprehendi poteſt. Symbolum enim ab Apoſtolis duodecim, ſuam ſingulis ſententiam adjicientibus compoſitum eſse tradunt S. Leo Epiſt. 13. ad Pulcheriam, & ante Leonem Ruffinus in explicat. Symboli, & Auguſtinus Serm. 115. de Tempore. Quin & idem Symbolum auctum deinde fuit, ſeu diſtinctius explicatum in Conciliis Nicæno & Conſtantinopolitano I. unde tandem prodiit Symbolum illud plenius, quod Conſtantinopolitanum vocatur. Sic etiam, ſi Hieronymo fides, Pſalmorum Liber Auctores multos habet, & tamen Opus unum cenſetur. Denique mirum id & commendandum maxime, quod Canon Miſsæ, etſi non unius Auctoris fœtus eſt, ſic tamen connexas, ſibique cohærentes partes univerſas habet, ut una unius manu editus videatur.

At, inquies cum Kemnitio, ſcribit Gregorius Mag. Lib. 7. Epiſt. 64. nunc Lib. 9. Ep. 12. 1. Apoſtolos ſolam verbis conſecratoriis Orationem Dominicam, dum ſacra conficerent, addidiſse; 2. Canonem a *Scholaſtico* quodam fuiſse compoſitum: illud vero Scholaſtici nomen, privati cujuſpiam hominis fuiſse, liquet ex ejuſdem Gregorii Epiſt. 54. Lib. 2. & 14. Lib. 9. atqui ex utroque evidenter ſequitur, Canonem non conſtare *ex Apoſtolorum Traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum piis inſtitutionibus*, prout audacter docet Synodus Trid. Seſs. 22. cap. 4. *Greg. T. 2. p. 942.*

R. 1. mirum videri, quod Miſsæ noſtræ Canonem, veluti novitium Kemnitius abjiciat, quem anno circiter 590. exaratum eſse docet; dum interim ipſe cum ſuis Canone uteretur vix, ac ne vix quidem, ante ſe ipſum nato *.

R. 2. ad 1. fieri potuiſse ut Apoſtoli ſolam initio Dominicam orationem verbis conſecratoriis in Euchariſtiæ Myſterio adjunxerint, poſtmodum vero iis non pauca addiderint. Et vero orationem pro mortuis inter Sacra recitatam, ex Traditione Apoſtolica deſcendere conſtanter docet

* Martinus Kemnitius natus eſt Britzæ, veteris Marchiæ oppido ſub ann. Chriſti 1522. teſte Melchior Adam pag. 572. porro eodem teſte pag. 126. Lutherus ſuum Cœnæ ritum ann. 1523. edidit.

Chryſoſtomus Hom. 3. in Epiſt. ad Philip. & alibi. Non deſunt tamen, qui difficile ſibi perſuadeant, Apoſtolos ſola Dominica oratione cum conſecrationis forma ad ſacrificii ritum contentos unquam fuiſſe. Et vero Hieronymus, quem in objecto loco Gregorius ſequi videtur, ait quidem Lib. 3. contra Pelagianos, Apoſtolos Dominicam orationem Domini ipſius præcepto ad Euchariſtiæ celebrationem adhibuiſſe; non autem eos ſolam Dominicam orationem adhibuiſſe.

R. ad 2. longe veri magis ſimile eſt, S. Gregorium nomine *Scholaſtici* non aliquem hujus nominis virum, ſed hominem eruditione & facundia perſpicuum indigitaſſe; prout ſæpe factum eſt a Patribus. Sic Hieronymus Lib. de Scriptorib. Eccleſ. ſcribit Serapionem, doctiſſimum virum, ob ingenii elegantiam *Scholaſtici* cognomen adeptum fuiſse. Sic Gennadius in Scriptorum Catalogo vocat Proſperum ſermone *Scholaſticum*, ideſt facundia & eruditione præſtantem: idemque de Alcuino in ſuo pariter Scriptorum Catalogo ait Honorius. Sic, idque multo gravius erit, Gregorius ipſe Lib. 10. Epiſt. 2. vocat Matthæum *Scholaſticum* virum clariſſimum: idque etiam factum ab Auguſtino in Pſal. 44. Quapropter Scholaſticorum nomen inditum olim fuit doctiſſimis quibuſdam Presbyteris, qui Scholæ Chriſtianæ præficiebantur ad erudiendos eos, qui ex Judæis aut Gentilibus ad Eccleſiam veniebant; quales fuere Pantenus, Clemens Alexand. Origenes, &c. Denique etiamnum in quibuſdam Eccleſiis & nomen & dignitas Scholaſtici perſeverat; licet ipſa functio pene ceſsaverit.

Jam ſi apud Gregorium accipiatur *Scholaſtici* nomen pro homine doctiſſimo in univerſum, nihil eſt cur Canonem totum, exceptis Domini verbis, a Scholaſtico quopiam, uno vel multiplici, compoſitum diffiteamur: quia & Petro ipſi, & aliis exinde Pontificibus, Scholaſticorum nomen, nec ſine laude tribui poteſt, neque hoc a Gregorii mente alienum eſt: is enim de Scholaſtico ſuo non loquitur contemptim; ſed duntaxat eum opponit Chriſto ut hominem Deo; ac ſi diceret: Si oratio ab homine compoſita, ſuper oblationem recitatur, quanto plus ſuper eam recitari debet oratio Dominica, quæ Deum habet Auctorem.

Quod ſi Gregorius Scholaſtici nomine certum quemdam intelligat hominem, qui ætate ipſius vixerit ut volunt, ſed non probant, Adverſarii; tunc dicendum erit S. Doctorem non loqui de Canone toto, cum ait *Scholaſtici precem recitari ſuper oblationem;* ſed de extraordinaria quadam oratione, quæ forte non ita pridem inducta foret; quales ſunt tres eæ, quæ poſt *Agnus Dei* dicuntur ante communionem, ideoque etiam ſuper oblatione, ſeu ſuper conſecratis donis recitantur; & quæ, ut ſcribit Micrologus, *non ſunt de Canone* ſtricte ſumpto, neque ex ordinario præſcribuntur, ſed ex Religioſorum uſu invectæ ſunt. Id autem ita eſſe, certum videtur; quia orationes quæ vere Canonem conſtituunt, magna ex parte apud Auctorem Librorum de Sacramentis, & quidem, ut jam uſu communi receptæ inveniuntur: atqui Auctor ille, ſeu Ambroſius ipſe ſit, ſeu quiſpiam ineuntis ſæculi V. Scriptor, uno ad minimum ſæculo Gregorii Epiſtolam præceſſit; ergo fieri non poteſt, ut Canon Miſſæ proprie ſumptus a prædicto Scholaſtico compoſitus fuerit.

Neque hæc explicatio abhorret a verbis S. Gregorii. Scribit enim S. Pontifex, ſibi in culpam verſum eſſe, quod orationem Dominicam ſta-

tim

Digitized by Google

tim poſt Canonem recitari juſſiſſet: additque id a ſe factum, quia ſibi *valde inconveniens viſum eſt, ut precem quam Scholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus; & ipſam traditionem quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper ejus corpus & ſanguinem non diceremus*: his porro verbis indicat Gregorius, ſe non agere de Canone, ſed de orationibus quæ dicebantur poſt Canonem. Unde videtur in uſu fuiſſe tempore ipſius, ut poſt Canonem, ſed ante Communionem, diceretur oratio quæpiam a Scholaſtico compoſita; oratio autem Dominica, nonniſi poſt Communionem recitaretur: hunc porro ordinem mutavit Gregorius, voluitque ut oratio Dominica, quæ alia quacumque præſtantior eſt, ſtatim poſt Canonem, præſente adhuc in Ara corpore Domini diceretur, & poſt eam oratio Scholaſtici. Ex his duabus ſententiis utraque probabilis eſt, & neutra contra nos facit. Hæc Bellarminus ibid. cap. 19.

Jam adſtruendum, nihil eſſe toto in Canone, quod culpari merito poſſit: & ita quidem ſenſiſse aliquando Lutherum ſuadent verba hæc Libri ejus de abroganda Miſsa: *Et quamquam habeam, quod pro ſano ſenſu Canonis dicere poſſim, ut alias feci, tamen nunc non dignabor eum tali honore*. Ibidem ſacrum hunc, orbique univerſo probatum ritum ſcommatibus & jocis, pari ad inſulſitatem blaſphemia, ut ferebat viri indoles, proterve aſpergit: at furore actus impotentiori, ultra proſequitur in putido Libro de abominatione Canonis: hic enim ait *homines audito nomine Canonis ſignare ſe cruce debere, & fugere, ac ſi illis diabolus occurriſſet*. Actum igitur de noſtra omnium ſalute, qui ad Canonis nomen non impaleſcimus, imo hunc, quo poſſumus animi cordiſque ardore proſequimur. Non ita: Mitiores Præceptore ſuo Lutherani abominationibus noſtris indulgent; nec ſuam a noſtra Religionem, tanta, quam multi credant, intercapedine disjungi palam perſuadere conantur. *

Canonem porro vindicaturi ſingulas ejus orationes, quarum tres conſecrationem præcedunt, tres ſequuntur, expendemus.

Prima oratio, quæ incipit: *Te igitur, Clementiſſime Pater*, extenditur uſque ad illud: *Hanc igitur oblationem*, &c. *Memento* enim & *Communicantes*, non orationes diverſæ, ſed prioris orationis partes ſunt, ut patet tum ex unica concluſione: *Per eumdem Dominum noſtrum*, in quam preces eæ omnes deſinunt; tum quia *Communicantes*, ut omnimodæ communionis ſenſum inducat, referri debet tam ad fideles Orthodoxos, pro quibus ſtatim oravit Sacerdos, quam ad Sanctos omnes, quorum *memoriam* continenter veneratur. Ceterum vox hæc: *Infra actionem*, quæ præcedit *Communicantes*, idem eſt ac, *Intra Canonem* (qui, ut ſupra obſervavimus, *actio* plerumque nominatur) prout, *Infra Octavam*, idem eſt ac, *Intra Octavam*. Hæc autem duo verba ante *Communicantes* appoſita ſunt, ut breviter admoneatur Sacerdos, orationem, ſeu potius orationis partem quæ ſequitur, non eodem ſemper modo recitandam eſse; cum quinquies per annum, poſt *Communicantes* addatur ſpeciale aliquid, puta in Nati-

Te igitur.

* Conſulti a Puella Principe VVolfenbutalenſi, Helmeſtadienſis Academiæ Profeſſores, an ipſa Archiduci, exinde Imperatori Carolo VI. nubere poſſet, reſponderunt 28. Aprilis die, an. 1707. id eam poſſe, " quia Eccleſia Romana fundamentales fidei articulos teneat, decalogumque, Symbolum Apoſtolorum, orationem Dominicam, Baptiſmique doctrinam tradat; nec tantum ſit utriuſque Religionis diſcrimen, quant tanto cum æſtu eſſe perhibetur; prout in ſua ad Franciſcum I, Galliæ Regem Epiſtola oſtendit venerandus, idemque doctiſſimus Melanchon. "

vitate Domini: *& diem ſacratiſſimum celebrantes*, &c. De quibus adi Le Brun Tom. 1. p. 426. & ſeq.

Itaque prima hæc oratio continet nomina eorum pro quibus, vel in quorum honorem offertur ſacrificium, ideſt, tum mortalium, qui hodieque in terris militant, tum & Sanctorum qui regnant in Cœlis. Ac primum nominatur Eccleſia, & ſingularis Eccleſiæ Epiſcopus, prout fit in omnibus Liturgiis. Dein pro more in Hiſpaniis ex privilegio, in Gallia vi conſuetudinis ſervato nominantur Reges. Demum oratur *pro omnibus Orthodoxis*, ut quidquid ad Eccleſiam pertinet, cujuſcumque ſit etiam infimi gradus, per Eccleſiæ preces, ejuſque ſacrificii vim adjuvari poſſit. Hæc porro quid non pietati conſonum habent?

Objicit tamen 1. Lutherus, in hac Canonis parte plura eſſe quæ redundent, & ab homine verboſo compoſita ſint. Ad quid enim, ait, ſynonymæ ex voces: *Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia*. Idem eſt de iſtis. *Omnibus orthodoxis, atque Apoſtolicæ fidei cultoribus*. Annon enim idem ſunt Orthodoxi, quod Apoſtolicæ fidei cultores?

R. a Luthero ignorari non debuiſſe, ejuſdem rei repititionem, potiſſimum vocibus diverſis, ad affectum explicandum non parum conducere. Profecto hujuſmodi repetitionibus abundant, non tantum Baſilii, & Chryſoſtomi Liturgiæ, atque Auguſtini Confeſſiones; ſed & ſacri Codices, qui in Pſalmis potiſſimum & Canticis, vix ſemel quid efferunt, quod non iterum, aliis, aut iiſdem terminis repetant. Pſalm. 91. *Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt*. Pſalm. 115. *Ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ*. Pſalmus 118. omnium prolixior, eadem omnibus ferme verſiculis repetit. Lucas cap. 18. cum narraſſet prænuntiatum a Chriſto prope eſſe ut moreretur. *Et ipſi*, inquit, *nihil horum intellexerunt; & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur*. Idem eſt, nec infrequenter, mos Apoſtoli, ut II. Corint. 11. *Hebræi ſunt, & ego; Iſraelitæ ſunt, & ego; ſemen Abrahæ ſunt, & ego*. Erant itaque, Lutheri judicio, verboſi Prophetæ, verboſi Evangeliſtæ, verboſi Apoſtoli. Hæc Bellarminus, cui in his omnibus adhærere nos ſemel & in perpetuum profitemur.

Le Brun Tom. 1. *pag.* 407. *&* 415. Nec tamen, & id cum bona Lutheri venia dictum ſit, ſynonymæ ſunt voces, *dona, munera & ſacrificia*. Dona dicuntur, quæ a Deo ad hominem profluunt; munera quæ ab homine redeunt ad Deum; ab utriſque autem differre ſacrificia conſtat ex dictis. Idem eſt de *Orthodoxis*, & de *Catholicæ fidei cultoribus*. Priores ſanam fidem gerunt; poſteriores eamdem laboribus ſuis promovere ſtudent.

Objicit 2. Panis & vinum ibid. vocantur *ſacrificia ſancta & illibata*, idque ante conſecrationem. Quid porro abſurdum magis? ſi enim ſancta ſunt, cur in eadem oratione petimus ut Deus ea benedicat. Rurſum ſi *ſacrificia* ſint; ergo panem & vinum Deo ſacrificamus.

R. panem & vinum paulo ante conſecrationem recto ſenſu dici poſſe 1. *ſacrificia*, quia jam parata ſunt in ſacrificii materiam: ſiquidem in veteri Lege ovis adhuc vivens ſacrificium dicebatur, & Cyprianus Lib. de opere & eleemoſynis: *Dives*, inquit, *& locuples in Dominicum ſine ſacrificio venis?* *Pag.* 141. 2. *ſancta & illibata*, quia jam priori oblatione divino uſui dedicata ſunt: at quamvis eo modo ſancta ſint, longe tamen ſanctiora fieri debent

debent per converſionem in corpus & ſanguinem Chriſti; & ideo recte petimus, ut ea Deus benedictione ſua ſanctificet, nimirum ut ſic fiant nobis corpus & ſanguis Chriſti, prout in alia oratione infra precamur.

Objicit 3. Eæ voces: *Quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua*, &c. nonniſi ad panem & vinum referri poſſunt; ergo panem & vinum offerimus Deo pro Eccleſia. Neque reſponderi poteſt, illud, *Offerimus*, accipi pro futuro, *Offeremus:* obſtat enim particula demonſtrativa: HÆC *dona*, HÆC *munera*; id enim nos offerre dicimus, quod tunc ad ſenſum demonſtratur.

R. panem recte dici offerri pro Eccleſia, non quod oblatio iſta ſit proprie ſacrificium; ſed quia, ut ſtatim in ſimili dicebamus, eſt dedicatio rei ex qua faciendum eſt ſacrificium. Unde cum dicimus, nos offerre panem Deo pro Eccleſia, ſenſus eſt, nos offerre panem, ex quo per conſecrationem verum Deo pro Eccleſia ſacrificium offerre intendimus. Id autem divinæ Scripturarum locutioni congruit: Siquidem Levit. 4. 5. & 6. jubentur ſinguli quique de populo offerre agnum, vel aliquid ejuſmodi, in ſacrificium pro peccato: neque tamen de populo quiſque ſacrificabat proprie, cum eſſet id ſolius Sacerdotis munus; ergo populus ſacrificium offerebat pro peccato, quatenus ejuſdem ſacrificii materiam, actu præſentem, & demonſtrabilem offerebat; ergo a pari in noſtro caſu. Idque adeo verum eſt, ut Lutherus, qui, cum hilaræ mentis erat, Canonem noſtrum ſano ſenſu dignabatur, eumdem, prout nos, interpretetur in Lib. de Captivit. Babylon. cap. de Euchariſtia.

Objicit 4. verba hæc: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt pro redemptione animarum ſuarum*, his adverſari: *Quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio*. Qui enim Fideles & devoti ſunt, jam redempti ſunt: ſi autem jam redempti, ut quid rurſus offerunt pro redemptione ſua?

R. ſacrificium offerri non pro ea Fidelium redemptione, quæ pretii omnino ſufficientis ad liberandum, tam a malo culpæ, quam pœnæ, ſolutionem importat; hæc enim in Cruce peracta eſt, ſecundum id I. Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus:* At offerri pro redemptione actuali, tum a malo culpæ: in multis enim offendunt etiam fideles & devoti; tum a malo pœnæ, quod ſæpe manet dimiſſa culpa; tum a peccato futuro: nam qui ab eo præſervantur, hos etiam redimi dicit Scriptura: Pſal. 33. *Redimet Dominus animas ſervorum ſuorum, & non delinquent omnes, qui ſperant in eo;* tum denique a corruptione & ærumnis vitæ hujus; quæ redemptionis ſpecies in ultima reſurrectione fiet, ſecundum id Luc. 21. *Levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra*. Ad hæc porro varia redemptionum genera Fideles, per bona opera, præcipue autem Altaris ſacrificium tendere & eniti debent; ergo errat Lutherus neſciens Scripturas.

Objicit 5. Chriſtum inſtituiſſe Cœnam, ut eſſet vivorum communio: atqui verba hæc: *Communicantes, & memoriam venerantes*, &c. mortuos etiam communicantes efficiunt.

R. per *communicantes* deſignari, non eos præciſe, qui Euchariſtiæ participant; ſed eos, qui inter ſe per ſocietatem in corpore Chriſti myſtico conjuncti ſunt: quæ ſocietas, ſeu communio Fideles non tantum conjungit cum viventibus, ſed & cum iis qui pie in Chriſto mortui ſunt. *Aliter enim*, ait Stephanus Æduenſis Lib. de Sacram. Altaris, cap. 13. *nec*

convenienter offerrent Deo, nec vota redderent, niſi digne communicarent; quia extra communionem Fidelium, & venerationem Sanctorum non eſt locus offerendi ſacrificium. Vid. Præſidem Duranti Lib. 2. cap. 35.

Natus en 1502. ... eratus an. 1574.

Objicit 6. Georgius Major, ſtrenuus Lutheri ac Melanchtonis alumnus, phraſim hanc: *Ut accepta habeas & benedicas hæc dona*, male ordinatam eſſe: cum dona prius debeant benedicta eſſe, quam a Deo acceptentur.

R. hominis eſſe ut primum dona offerat, Dei vero ut dona eadem ope conſecrationis benedicat, & in corpus ac ſanguinem Filii ſui tranſmutet; ac proinde merito præire acceptationem benedictioni: poſt benedictionem tamen in re vel in voto petitur acceptio nova, ut ſacrificium non tantum ex parte victimæ placeat, ſed & ex parte offerentis: unde paulo poſt dicitur: *Quam oblationem, tu Deus, in omnibus benedictam .... acceptabilem facere digneris*.

Objicit 7. Zvvinglius, verba hæc *Memento, Domine, famulorum*, &c. Deo injurioſa eſſe; ut quæ Deum, quaſi obliviosus ſit, commonefacere videantur.

R. Zvvinglium ipſum, vel Scripturæ locutiones oblivioni mandaſſe, vel, ſi earum meminerit, Spiritum S. emendare voluiſſe. Quid enim frequentius in ſacro Textu, quam *Memento, Domine*? ut Exodi 32. 13. Deuteron. 9. 27. Judicum 16. 28. Pſalm. 131. 1. Neque ſolum in Scripturis legimus: *Memento, Domine;* ſed quod mirum magis: *Ne obliviſcaris*, vel, *Quare obliviſceris*, ut Pſalm. 9. v. 32. 12. v. 2. 41. v. 50. Hic porro, ut alibi ſæpius, dicitur obliviſci Deus, quando non adjuvat; & contra recordari, quando opem ferre incipit.

Objicit 8. Georgius Major, per ſpeciem hanc correctionis: *Vel qui tibi offerunt*, monſtrari aperte in Canone agi de eleemoſynis, quas ad Altare pro egenis offerebat populus; proinque hæc male nunc ad Euchariſtiæ ſacrificium detorqueri. Idem objicit Kemnitius: at uterque pari ſucceſſu. Itaque

R. hic fieri mentionem non eleemoſynarum, ſed eorum duntaxat, quibus ſacrificium prodeſſe exoptat Miniſter. Horum enim alii abſentes ſunt, aliiſque intenti; & pro his offert Sacerdos; alii præſentes ſunt; & hi, cum mente & corde Sacerdoti ſacrificanti ſe ſe uniant, ſuo modo ſacrificium offerunt. De hoc adi Bellarmin.

Objicit 9. Kemnitius, per verba iſthæc: *Vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis*, ſatis indicari Canonem agere tantum de ſacrificio ſpirituali, quod in laude Dei conſiſtat; quodque ideo ad ſacrificium propitiatorium male a nobis flectatur.

R. Miſſam jure ac merito ſacrificium laudis dici, ſicut & ſacrificium Euchariſticum: quia neque laus major, neque acceptior gratiarum refuſio Patri, quam per Filium victimam pendi poteſt: at nedum hinc ſacrificium noſtrum in laudibus totum hærere inferatur, contrarium inferri neceſſe eſt. Et vero id quod in Canone vocat Eccleſia ſacrificium laudis, continenter petit ut Deus benedicere dignetur, & dilecti Filii ſui corpus efficere.

Objicit 10. idem contra has voces: *Reddunt tibi vota ſua æterno Deo*, &c. moris olim fuiſſe, ut Deo gratiæ rependerentur pro acceptis beneficiis, ſecundum id Pſ. 116. *Vota mea Domino reddam;* nunc autem a Canone referri verba iſthæc ad Miſſas votivas, quæ data pecunia celebrari jubentur.

R. hæc putida totidem eſſe deliri Lutherani figmenta: ſiquidem per *vota* de quibus Canon, intelliguntur non Miſſæ votivæ, ſed pia adſtantis populi deſideria, ejuſdemque oblatio. Unde verba hæc & in Miſſis

omni-

Digitized by Google

omnibus, etiam non votivis, dicuntur, & ab iis etiam qui nihil unquam ſtipendii pro celebranda Miſsa receperunt.

Objicit 11. idem Kemnitius contra iſtud: *Et memoriam venerantes*, in Eccleſia veteri uſum fuiſse prædicandi Martyrum victorias & certamina; nunc autem nobis ſat eſse, ſi in Canone memoriam eorum per nominum recitationem, idque voce ſubmiſsa, renovemus.

R. & id etiam ſtolide objici: Veteres enim non in Liturgia, ſed in lectionibus & concionibus Martyrum geſta prædicabant: utrumque porro hodieque præſtamus. Et vero nulla eſt e veteribus Liturgiis, ſeu Baſilii, ſeu Chryſoſtomi, ſeu alterius cujuſcumque, quæ Martyrum facta celebret: omnes ad unam ſola eorumdem nominum recitatione contentæ ſunt. Quod autem ſubmiſsam Canonis recitationem toties exprobrat Kemnitius, ſummam ejus inſcitiam probat, ut liquet ex ſupra dictis.

Altera Canonis oratio, quæ ab his incipit verbis: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ*, &c. quatuor poſtulat a Deo, 1. ut oblationem noſtram placatus accipiat; 2. ut dies noſtros in ſua pace diſponat; 3. ut ab æterna damnatione nos eripiat; 4. ut nos in Electorum grege numeret. Hanc igitur.

Contra piam hanc Orationem duo objiciunt Novatores, 1. tantam a nobis pani & vino efficaciam tribui, ut per utrumque Fideles ab æterna damnatione erui credamus; quaſi *ad hanc redemptionem nullius ſit momenti mors & paſſio Chriſti*: ita Lutherus; 2. preces, qua vetus Eccleſia Deo offerebat pro impetrandis per Chriſtum beneficiis, transferri a nobis ad *mimicam ſacrificuli repræſentationem panis nondum conſecrati.*, *ut propter illam Deus dies noſtros in ſua pace diſponat*, &c. ita Kemnitius. Verum hæc meræ ſunt calumniæ, non argumenta. Itaque

Ad 1. non orat Sacerdos, ut per panis & vini oblationem ab æterna damnatione liberemur; ſed ut panis & vini oblationem acceptet Deus tanquam futuri ſacrificii materiem, eamque benedicat & ſanctificet, benedictione quadam & ſanctificatione præparatoria ad conſecrationem. Deinde ſubjungit tres alias petitiones ſuperius enumeratas: at non precatur eas per panis vinique oblationem impleri, ſed per Chriſtum Dominum noſtrum.

Ad 2. inclamant ubicumque Novatores veterem Eccleſiam, quam nec a limine ſalutarunt. Utique qui ritum & verba ejus ad amuſſim ſequimur, mirum eſt ſi ab ipſius ſenſu recedamus. Certe in prima, ſecunda & tertia Canonis oratione, de una & eadem prorſus oblatione ſermo eſt: atqui conſtat in tertia oratione per oblationem intelligi ipſam panis conſecrandi oblationem: cum expreſse petamus, *ut fiat nobis corpus & ſanguis Chriſti*; ergo oblatio de qua in hac ſecunda oratione agitur, neque ad eleemoſynam, neque ad gratiarum actionem referri debet, ut Kemnitio ſibimet parum conſtanti placet, ſed ad ſacrificium cujus materia omnimodis præparatur.

Tertiæ Canonis orationi initium faciunt verba hæc: *Quam oblationem tu Deus, in omnibus*, &c. & hæc etiam Novatoribus diſplicet. Itaque Quam oblationem.

Objicit 1. Lutherus, nos quaſi Chriſtum inter & Patrem mediatores, orare Patrem ut Filii ſui corpus benedicat & ſanctificet.

R. oblitum fuiſse Canonis hæreſiarcham, dum hæc ſcriberet: non enim oramus Patrem ut Filii ſui corpus ſanctificet; cum, necdum pera-

ɑa conſecratione, præſens eſſe nequeat: ſed ut panem & vinum ſanɑificet, quo fiant corpus & ſanguis Filii ejus.

Objicit 2. verba hæc: *Benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris*, totidem eſſe *portenta*, quæ, inquit, *neque ego intelligo, neque ſtolidus ille qui ſcripſit.*

R. quæ non intelligit animalis homo Lutherus, ab hominibus Dei, Alcuino, Amalario, Ruperto, Hugone, Innocentio III. Bonaventura & aliis probe intellecta eſſe. De his nos pauca iſta: Precamur oblationem noſtram eſſe *benedictam*, ea benedictionis ſpecie, quam pani & vino impendit Chriſtus ut ea efficeret corpus & ſanguinem ſuum. *Adſcriptam*, ut a Deo acceptetur, cum ea etiam quam facimus noſtri oblatione; *ratam*, ut ea nimirum efficiatur victima, quæ ſtabilis eſt & permanens, nec inſtar victimarum antiquæ Legis pertranſit; utque pariter invariata ſit noſtri oblatio. *Rationabilem;* ut nempe fiat victima, non quales erant Moſaicæ, rationis expertes: ſed quod ante Chriſti tempora inauditum erat, victima ſenſu ac ratione prædita, ſolaque digna quæ cultum Deo dignum perſolvat. *Acceptabilem*, ut quæ indubie placet ex parte doni, placeat etiam & acceptetur ex parte offerentis. De his adi Clariſs. Joan. Steph. Duranti cap. 37. Le Brun, &c.

Unde & memores. Quarta oratio, quæ conſecrationem proxime ſequitur, ab his verbis exordium ducit: *Unde & memores*, & ad illud extenditur: *Memento etiam, Domine*. His enim vocibus præit concluſio: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*. Contra hanc porro

Objicit Lutherus 1. verboſitatem: ad quid enim repetitio hæc: *Hoſtiam puram: Hoſtiam ſanctam: Hoſtiam immaculatam*. Sed male, ut patet tum ex reſponſione ad primam Lutheri objectionem ſupra pag. 868. tum ex Apoſtolo, quem verboſum faciet Lutherus, quia dixerit Rom. 12. *Hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem*, &c. Neque tamen prædictæ voces adjectionem aliæ aliis ſuperfluam habent. Eſt enim Chriſtus, Victima *pura*, quia omnis maculæ expers ſpeciali S. Spiritus operatione productus ſit. Eſt & Victima *ſancta*, quia Deitati totius ſanctitatis principio uniatur ſubſtantialiter. Eſt demum Victima *immaculata*, quia ex hac unione omnimodam ad actualia quæcumque peccata impotentiam contraxerit.

Objicit 2. verba hæc: *Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris*, quaſi per ea Filium Patri reconciliare velimus. Sed rurſum male: neque enim veremur ne non accepta ſit Patri Victima, in qua ſibi complacuit ſemper: ſed ne non placeant manus tum Sacerdotis qui offert, tum & populi qui offert cum Sacerdote. Haud enim ſaluti noſtræ ſatis eſt ut victima per ſe placeat, niſi & placeant qui offerunt. Precamur
Gen 4. 4. itaque ut ſicut *reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*, ita & ad nos, qui victimam longe ſanctiorem, ſanctiuſque tractandam offerimus, reſpicere dignetur. Unde frivolum eſt, quod ſubdit Novator, Catholicos videlicet, his verbis: *Sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui Abel*, &c. non plus tribuere virtutis Chriſto pro ſemetipſis immolato, quam irrationali pecori. Summam enim Chriſti potentiam norunt & profitentur, qui quidquid petunt, per Chriſtum petunt: At ſimul enixe precantur, ut eo pietatis ac devotionis ſenſu ſacrificium offerant, quo ſua obtulere Abel, Abraham & Melchiſedech.

Objicit

Digitized by Google

Objicit 3. mentiri Canonem, in eo quod aſſerit, Melchiſedech *ſacrificaſſe panem & vinum*. At mentitur Lutherus ipſe, cum negat oblatum fuiſſe a Melchiſedecho ſacrificium aliquod. Patet id ex iis quæ ſupra diximus pag. 654. & ſeq.

Objicit 4. contra iſtud: *Jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime Altare tuum* abſurdum eſſe, 1. ut Sacerdos in cœlum deferri petat, id quod paulo poſt conſumpturus ſit; 2. ut Altare quodpiam in cœlo eſſe cogitetur.

Sed nec ceteris melius. Altare enim de quo agitur in præſenti, non craſſe & materialiter intelligendum, ſed ſpirituali modo, prout ſæpe in Apocalypſi 6. 8. 9. & 14. Duplex autem eſt ſenſus hujuſce orationis, quæ, juxta Innocentium III. Lib. 5. Myſter. cap. 6. *tantæ eſt profunditatis*, *ut* eam *nulla acies humani ingenii penetrare poſſit*. In priori ſenſu ſupplex precatur Eccleſia, ut *omnipotens Deus*, quem qua talem in arduis invocamus, jubeat *hæc* dona, ideſt, Victimam præſentem, corpus ſcilicet & ſanguinem Filii ſui, *perferri per manus ſancti Angeli* ſui, ideſt, Chriſti ipſius (qui *magni conſilii Angelus*, ſeu ſimpliciter & antonomaſtice *Angelus* appellatur, quique ſolus dignus eſt, qui dona tanta præſentet, *in ſublime Altare*, ubi tanquam in Throno reſidet divina majeſtas, & vota pro hominibus facta excipit, *perferri*, inquam, ideſt offerri, *ut* nempe *appareat nunc vultui Dei pro nobis*, Hebr. 9. 24. Uno verbo ſic precatur: Ipſe tibi pro nobis offerat ſe, qui ſolus condigne offerre ſe poteſt. In poſteriori autem ſenſu, quem ut faciliorem Chriſtianæ plebi explicare ſufficit, precatur Eccleſia, quæ cum Chriſto ſeſe offert, ut hæc ſui oblatio in cœlum deferatur ab Angelo, qui eo fidelium vota & preces deferre ſolet, ut patet ex Tobiæ 12. & Apocal. 8. De prima expoſitione legatur P. Le Brun ſolide & religioſe diſſerens; de ſecunda, qui ei adhæret Præſes Duranti, cap. 42. n. 10.

Objicit 5. abſurdum eſſe ut Sacerdos, qui ſolus communicaturus eſt, quaſi de multis plurali numero dicat: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione ſumpſerimus*. Sed futiliter: non enim abſolute loquitur Sacerdos de multis, vel de uno; ſed orat, ut quotquot ſumpturi ſunt, ſive unum, ſive plures, ſive hic, ſive alibi, utiliter ſumant.

Objicit 6. Georgius Major, verba hæc: *Panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ*, neceſſario addita fuiſſe ab imperito quopiam & ſuperſtitioſo, qui voces iſtas: *Offerimus de tuis donis ac datis*, quæ citra dubium ad eleemoſynas a populo antiquitus oblatas pertinent, ad Chriſtum tranſtulerit, quaſi is in Miſſa Deo Patri offerretur. At nequaquam felicior eſt diſcipuli argutia, quam Magiſtri. Quæ enim ab imperito quopiam adjecta eſſe ſuſpicatur Georgius, hæc & quoad ſenſum in veteribus Orientalium Liturgiis leguntur; & totidem terminis habentur apud Ambroſium cit. jam pluries Lib. 4. de Sacram. cap. 6. uti in omnibus, Occidentalium ſcilicet, Eccleſiis recepta. Neque vero hæc male cohærent cum iſtis: *De tuis donis ac datis*; iſta enim merito referuntur ad panem & vinum, ex quibus conficitur Euchariſtia, itaut ſenſus ſit: Offerimus tibi hoſtiam puram, panem ſanctum & calicem ſalutis, quem ex creaturis tuis a te datis atque donatis, pane nimirum & vino habemus: ita Innocentius III. Lib. 5. c. 3. de Myſteriis Miſſæ. Sed & omnia ad Euchariſtiam referri nihil vetat, ſive ad Chriſtum ut in

Eucha-

Euchariſtia præſentem. Rectiſſime enim dicitur Chriſtus Dei datum & donum, ſecundum id Iſaiæ: *Filius datus eſt nobis*, & Chriſti ipſius Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum daret*. Et vero Sacramentum & ſacrificium nonne inter Dei data & dona merito cenſentur?

Memento. Quinta oratio eſt: *Memento etiam, Domine*, per quam defunctis refrigerii, luciſque ac pacis locum deprecamur: hæc autem mirum erat ſi Lutheri ſtomachum non moveret. Sed omiſsa nunc Purgatorii controverſia

Objicit 1. Lutherus, precem hanc ſecum pugnare: Hic enim pro iis oramus, qui dormiunt in ſomno pacis, & in Chriſto requieſcunt; & iis tamen locum refrigerii, lucis & pacis precamur: atqui hæc ſecum pugnant. Si enim dormiunt & requieſcunt, ut quid illis refrigerium petimus? ſi pacem habent, ut quid iis pacem optamus?

R. neg. min. apte enim inſtituta eſt oratio hæc, ut iis ſolis conveniret, qui in Purgatorio degunt: hi enim & pacem ac quietem eo ſenſu habent, quod jam certi ſint de futuro æternæ beatitudinis præmio, & liberi a tentationum & concupiſcentiæ bello: eſt tamen unde iis ulterius & refrigerium & pacem deprecemur; quia & flammis torquentur, & quamdiu a divino, quem toti inhiant, conſpectu arcentur, omnimoda pace frui non poſſunt.

Objicit 2. Kemnitius, moris quidem fuiſſe olim ut in Sacris fieret defunctorum memoria, ſed ad imitationem ſolum, & in teſtimonium quod apud Deum vivant; at memoriæ huic acceſſiſſe primo preces, deinde autem ſacrificium: unde paulatim prudens Veterum inſtitutio degeneravit in ſuperſtitionem. Verum totus aberrat Novator, quia totus in Veterum lectione peregrinus eſt. Conſtanter enim in Eccleſia oratum fuiſſe pro requie defunctorum liquet ex Tertulliano, & ceteris Patribus. Unum hic proferemus Dionyſium vulgo Areopagitam, quia unum hunc in præſenti adduxerit Kemnitius. Sic ergo ille Lib. de Eccleſ. Hierarch. c. 7. p. 3. *Accedens venerandus Antiſtes precem ſacram ſuper mortuum peragit.... Precatur oratio illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto, eumque in luce ſtatuat & regione defunctorum.*

Nobis quoque peccatoribus. Sexta oratio, quæ & ultima eſt in Canone proprie dicto, ab his incipit verbis: *Nobis quoque peccatoribus*, & ad Orationem uſque Dominicam extenditur. Enim vero totus Canon his definit verbis: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, quæ Sacerdos alta voce pronuntiat, ut populus totum confirmet, reſpondendo, *Amen*. Quapropter Feria VI. majoris hebdomadæ, quia totus Canon qui pertinet ad conſecrationem, omittitur, nulla e prædictis ſex orationibus legitur, nec dicitur: *Per omnia ſæcula*, &c. ſed poſt manuum lotionem immediate fit tranſitus ad orationem Dominicam.

In hac oratione precatur pro ſe ipſo Sacerdos, ac de meritis ſuis diffiſus, ſibi cum ſanctis Apoſtolis & Martyribus partem efflagitat. Cum autem primo loco recenſeatur Joannes, ſecundo Stephanus, tertio Matthias; inquirunt anxie plurimi, cur denuo repetatur Joannes, qui jam cum aliis Apoſtolis ante conſecrationem nominatus fuerit. Cur item Stephanus Diaconus Matthiæ Apoſtolo præponatur: rurſumque cur Matthias in priori ordine nominatus non fuerit cum Apoſtolis. Ad hæc porro paucis dicimus 1. Joannem qui hoc loco nominatur, non Evangeliſtam eſſe, ſed Baptiſtam, qui etiam Martyr fuit, & aliquo modo Apoſtolus, ſecundum id Joan. 1. *Fuit homo miſſus a Deo*; 2. Stephanum præponi Matthiæ,

Bellarm c. 26.

thiæ, quia Eccleſia eo loci ſervat paſſionis ordinem, non dignitatis; ut autem ante paſſus eſt Joannes quam Stephanus, ſic & ante Stephanus quam Matthias.

Cur autem Matthias non nominetur in Canone ante conſecrationem cum ceteris Apoſtolis, ratio duplex affertur a Bellarmino, 1. quia decebat ut ex Apoſtolis quiſpiam in hac ſecunda Canonis parte nominaretur, ut rectius dici poſſet: *Cum tuis Apoſtolis, & Martyribus:* porro ſatius fuit nominari eum, qui necdum nominatus eſſet; 2. quia S. Matthias non fuit Apoſtolus ante paſſionem Domini; neque in Apoſtolorum ordine recenſetur ab Evangeliſtis. Militat quidem poſtrema hæc ratio contra D. Paulum, qui licet nonniſi poſt paſſionem electus ſit in Apoſtolum, ſuas tamen vices habet in prima Canonis parte. At Pauli privilegium eſt, ut a Petro nunquam disjungatur.

Ceterum hic varios omnium ſtatuum Martyres, atque eos præſertim quos Roma ſpecialiori cultu proſecuta fuit, recenſet Sacerdos: Joannem Bapt. ex ordine Prophetarum; Stephanum ex ordine Diaconorum, Matthiam ex ordine Apoſtolorum, Barnabam ex ordine Diſcipulorum; Ignatium ex ordine Epiſcoporum, Alexandrum ex ordine Romanorum Pontificum; Marcellinum ex ordine Sacerdotum, Petrum Exorciſtam ex ordine Clericorum, Perpetuam & Felicitatem ex ordine perſonarum conjugatarum, Agatham, Luciam, Agnetem ex ordine Virginum. Eſt tamen quod in oratione tam pia redarguat Lutherus. Itaque *Le Brun Tom 1. pag. 522.*

Objicit 1. precari tantum Sacerdotem ut in Sanctorum conſortium admittatur, non autem Chriſti, quaſi eo non indigeat. Rurſum vero eumdem petere duntaxat partem cum Chriſto; qui tamen non partem tantum, ſed totum theſaurum ſuum dare paratus ſit. Verum ut ab hujuſmodi neniis abſtineret Lutherus, ſatis erat ut attenderet, conſortium Sanctorum eſſe conſortium Chriſti; ac proinde reipſa a nobis peti ut in Regno Chriſti ſocietatem habeamus cum Sanctis; non autem in regno diaboli ſocietatem cum Luthero, cujus ſcripta diabolum paſſim inclamant, quique nihil contra Miſſam evomit, quod non didicerit a diabolo.

Quod attinet ad vocabulum *partem*, ſi propterea redarguimur, ante redarguendus erit Apoſtolus, qui per partem cum Sanctis deſcribit omne bonum. Coloſs. 1. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum*. Nec forte immunis erit a cenſura Chriſtus ipſe, qui partem ſecum Petro ſpoponderit Joan. 13. *Niſi lavero te, non habebis partem mecum*. Adde quod hanc orationis partem, quam Lutherus ita reprehendit ac deridet, impenſe laudat Kemnitius pag. 843. *In altera*, inquit, *commemoratione Sanctorum, in Canone verba ſunt pulcherrima: Nobis quoque peccatoribus*, &c. *Hæc abſque dubio fuit formula veteris commemorationis Sanctorum*. Hæc ille, cui, ut vides Lector, bene, prout Diſcipulum decet, cum Magiſtro ſuo convenit.

Objicit 2. verba hæc: *Per quem hæc omnia ſemper bona creas*, quibus ſignificare videmur Chriſtum a nobis creari. Addit Kemnitius ea olim ante conſecrationem dici conſueviſſe, ad eleemoſynas populi commendandas. At hic errant ex æquo Diſcipulus & Magiſter. Nam 1. verba hæc nullibi, ſeu in Liturgiis, ſeu apud ipſarum Expoſitores ante conſecrationem poſita inveniuntur; ſed poſt ipſam, ut apud Alcuinum, & Amalarium Lib. 3. de offic. Eccleſ. cap. 26. eadem verba in Canonis concluſio-

ſionem optime quadrant, nedum quid involvant abſurdi. Strictim namque & breviter omnia Dei circa hoc Myſterium beneficia commemorant, inchoando a prima productione materiæ ex qua illud conficitur. Unde dicimus, 1. Sacramentum iſtud a Deo ratione materiæ per Chriſtum *creari*, quia utique *in ipſo condita ſunt univerſa*, Coloſſ. 1. & *ſine ipſo factum eſt nihil*, Joan. 1. 2. *ſanctificari*, cum per primam oblationem dedicatur ad Sacramentum conficiendum; 3. *vivificari*, cum per conſecrationem mutatur in ipſam ſubſtantiam Chriſti, qui eſt ſalus & vita noſtra; 4. *benedici*, cum omnis benedictionis effectum recipit, ut ſacramentali efficacia caput uniat cum membris; 5. demum *nobis præſtari*, cum datur nobis in cibum & potum, ut ex eo vitam hauriamus.

Ex hac, quæ Veterum eſt, expoſitione, convellitur opinio Claudii de Vert, exiſtimantis verba hæc: *Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, vivificas*, &c. in Canone tantum appoſita eſſe ad benedictionem novorum fructuum, vel agni paſchali tempore oblati. Etſi enim moris fuit quibuſdam in Eccleſiis, ut novi fructus benedicerentur præſente adhuc corpore Chriſti Domini, a quo dimanat omnis benedictio (prout etiam Feria V. majoris hebdomadæ benedicuntur olea ſancta in eodem Miſſæ loco) conſtat nihilominus benedictionem hanc, per aliam prorſus orationem factam eſſe. Interim mirum eſſet, verba novis fructibus benedicendis deſtinata primitus, ſublata eorumdem fructuum benedictione ſemper fuiſſe recitata. Quod autem objicit Banagius, corpus Chriſti ex natura ſua ſanctum non poſſe a Deo ſanctificari, male objicit: cum ſanctificatio de qua ſermo eſt in præſenti, non cadat in corpus Chriſti prout exiſtens, ſed prout vi divina ex elementis extiturum: atque etiam ſanctificari dicatur, non id tantum quod recipit ſanctitatem; ſed & id etiam, quod in ſanctitatis nativæ ſtatu conſtitutum, benedictionis fons & origo efficitur.

De Vert Tom.1.p. xxiv.

Hic obſervandum diſpari omnino ſenſu efformari Crucis ſignum ſuper donis ante & poſt conſecrationem. Ante conſecrationem per ſignum Crucis cœleſtem gratiam impetrare nitimur, idque per merita Chriſti in Cruce paſſi. Poſt conſecrationem, eo tendimus unice, ut Chriſtum crucifixum, tanquam vere præſentem, per oculos fidei intueamur: ſecundum id Pauli Galat.3. *Ante quorum oculos Jeſus Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus*. Adi & meditare Brunium Tom.1. p.488.

Poſt Canonem ſequitur oratio Dominica, eamque excipiunt aliæ nonnullæ, quibus ad communionem præparamur: & ex iis conſtat Miſſæ pars quarta.

Pater noſter. Oratio Dominica, quam Tertullianus Lib. de Orat. pag. 130. appellat *Breviarium totius Evangelii*, quia compendioſe continet, quidquid a Deo, ſive in ordine ad ipſum, ſive in ordine ad proximum, ſive in ordine ad nos efflagitare poſſumus, in omnibus Liturgiis reperitur. Hanc Græci omnes ſimul recitant: ſecus apud Latinos, ubi a Sacerdote omnium nomine perſolvitur, conſonante Chriſtiano Cœtu per *Amen*.

Libera nos. Hanc ſequitur oratio alia, quæ ab his incipit verbis: *Libera nos, quæſumus, Domine, ab omnibus malis*, &c. in iſta Sanctorum interceſſione ſibi ſemper exoſam culpat Kemnitius: utique quia Sancti aures non habeant ſatis longas, ut preces noſtras audire poſſint; quæ concinna eſt & admiranda Calvini argumentatio: quaſi nempe longiori aure indigeant Sancti, ut audiant nos, quam oculo indiguerit longiori Stephanus, ut Chriſtum

Digitized by Google

ſtum a dextris Dei ſedentem in cœlo perſpiceret. Sed de his alibi.

Poſt optatam populo pacem Domini, quod miſericorditer indulget Lutherus, ſequitur brevis oratio: *Hæc commiſtio & conſecratio*, &c. quam idem miſerabiliter exagitat, 1. quia abſonum ſit, ut Chriſti corpus miſceatur ejus ſanguini; cum idem utrobique ſit Chriſtus & indiviſus; 2. quia & abſurdum ſit ut hac commiſtione fieri dicatur *conſecratio*, quæ jam facta ſupponitur; 3. quia commiſtioni huic tribuimus vim conferendi *vitam æternam;* quo admiſſo, ait erudite Lutherus, æternam vitam operi noſtro aſcribimus; cum hæc panis & vini miſtio ſit opus noſtrum. Verum hæc, ſi quo, levi certe negotio diluuntur. Unde **Hæc commiſtio.**

Ad 1. Reſpondet Cl. De Vert, orationem: *Hæc commiſtio*, uſurpatam olim fuiſſe, quando conſecratæ Hoſtiæ pars, aut etiam aliquot ſanguinis pretioſi guttæ, cum vino minime conſecrato miſcebantur, ut vinum illud aliquam inde conſecrationem perciperet; & ſic qui communicabant, ſub utraque ſpecie aliqualiter communicare cenſerentur. Verum etſi conſtat aliquando in uſu fuiſſe, ut prædicta, ſeu partis Hoſtiæ, ſeu etiam vini conſecrati cum vino minime conſecrato commiſtio fieret; conſtat tamen orationem de qua loquimur, non ideo fuiſſe inſtitutam: 1. quia oratio hæc, nunquam niſi a Sacerdote dicta eſt: commiſtio autem corporis aut ſanguinis cum vino fiebat a Diacono; 2. quia commiſtio illa omnimode ſimilis erat ei, quæ etiamnum Feria VI. in Paraſceve peragi conſuevit: porro, ait Durandus Lib.6. Ration. c.77. n.26. *hac die*, Paraſceves, *quando particula Hoſtiæ in calicem mittitur, non dicuntur verba illa*, Fiat commiſtio, *quia ibi de ſanguine mentio fit; ſed in calice ſanguis non eſt, nec hodie conſecratur;* 3. quia eadem oratio ſemper dicta fuit in omnibus Miſſis; & tamen commiſtio corporis Chriſti cum vino raro fiebat, non autem in Miſſis omnibus. Et vero Miſſale Ambroſianum exerte dicit: *Commiſtio conſecrati corporis & ſanguinis:* Trevirenſe vero: *Miſceat corpus Dominico ſanguini.*

Sed quorſum igitur hæc corporis & ſanguinis Dominici commiſtio? R. eam pluribus de cauſis peragi, 1. propter auctoritatem Liturgiarum, & Jacobeæ imprimis, quæ omnium quibus utuntur Græci antiquiſſima eſt; 2. quia moris erat, ut Epiſcopi in ſignum communionis alii ad alios partem Hoſtiæ a ſe conſecratæ mitterent, quæ fermentum, communionis ſcilicet & charitatis, vocabatur: hæc autem pars, cum pro more temporis hujus ſpiſſior foret, & plerumque induruiſſet, indigebat emolliri: unde & qui Euchariſtiam ad Serapionem detulit, juſſus eſt eam humectare; 3. & principaliter ob rationem myſticam, nempe ut ſignificetur glorioſa Chriſti reſurrectio, quæ per ejus ſanguinis cum corpore reunionem peracta eſt. Et vero ad hunc uſque ſacrificii locum, nihil aliud egit Sacerdos, quam ut paſſionem & mortem Chriſti, per conſecrationem corporis ac ſanguinis ejus ſeparatim factam, repræſentaret. Porro refert plurimi ut etiam glorioſa Chriſti reſurrectio repræſentetur; cum ſacrificium Miſſæ renovatio ſit, tum ſacrificii quod ipſe in Cruce moriens obtulit; tum & illius, quod vivens offert in cœlis. Unde Ritus celebrandi Miſſam Mauritii Rothomag. Archiepiſcopi hæc habet: *Per particulam Oblatæ immiſſæ in calicem oſtenditur corpus Chriſti quod reſurrexit a mortuis*. Idem docet Amalarius L.3. de Eccleſ. offic. c.31. Jam ad objectionem Lutheri.

R. ad 1. non intendunt Catholici corpus & ſanguinem in ſpecie pro-

propria commiſcere: id enim ſciunt non poſſe fieri, niſi Chriſtus iterum vulneretur; ſed in ſpecie panis & vini: quemadmodum enim corpus Domini ratione ſpecierum dicitur videri, tangi & frangi, ita & ratione earumdem dici poteſt commiſceri. Commiſcetur autem de facto propter rationem mox aſſignatam.

R. ad 2. 1. non peti a nobis ut nunc fiat conſecratio, ſed ut conſecratio ante facta, fiat nobis ad vitam æternam; 2. conſecrationem hic objective ſumi pro rebus conſecratis, non formaliter pro actu quo res conſecrentur: eo ſenſu B.Laurentius apud Ambroſium Lib.1. de Officiis, c.41. Sixto ſummo Pontifici dicebat: *Experire utrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem*, id eſt, corpus & ſanguinem Chriſti jam conſecrata, ut populis diſtribuantur. Addit Bellarminus, novam aliquo ſenſu fieri tunc temporis conſecrationem, ſeu ſignificationem ſacramentalem, nempe reſurrectionis Chriſti, quæ per illam corporis cum ſanguine commiſtionem adumbratur.

T.2 p 55 A.

R. ad 3. patet ſolutio ex mox dictis: non enim ex ipſa commiſcendi cum ſanguine corporis actione ſalutem & vitam expectamus; ſed ex corpore & ſanguine Chriſti, quæ commiſcentur a nobis, ut poſt adumbratam paſſionem, adumbremus & reſurrectionem, quæ ad juſtificationem noſtram cum ipſa paſſione ſuo modo concurrit, ſecundum id Apoſtoli Rom.4. 25. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*.

Objicit inſuper Kemnitius, commiſtionem, quæ hodieque fit in Eccleſia Romana, a Julio Rom. Pontifice fuiſſe prohibitam Can. *Cum omne 7. De conſecrat.* diſt. 2.

R. errare hic pro invariato ſuo more Kemnitium: neque enim damnat hic Julius, aut quiſquis eſt objecti Canonis auctor, commiſtionem de qua loquimur; ſed aliam prorſus diſſimilem, quam faciebant aliqui, cum Euchariſtiæ Sacramentum populo porrigere volebant. Et vero Micrologus, qui cap.18. miſtionem noſtram, ut antiquiſſimam ac maxime legitimam deſcribit, commiſtionem a Julio reprehenſam reprehendit ipſe cap.19.

Agnus Dei. Commiſtionis ritum ſequitur *Agnus Dei*, quod orationis genus etſi a Sergio Papa inſtitutum eſſe ſcribunt Walafridus Strabo & Micrologus, gratiam tamen coram Luthero nactum eſt.

Subſequuntur tres orationes communioni præviæ: Harum primam amare carpit Novator, ob verba iſthæc: *Ne reſpicias peccata mea, ſed fidem Eccleſiæ tuæ*, per quæ, inquit, ſemeptiſos damnant Sacerdotes, teſtando ſe ſine fide atque inſtar canum Sacramentum hoc pertractare. Addit hinc factum ut Papiſtæ ſentiant, hoc ſacrificium Deo placere ex opere operato, id eſt, ſine bono motu utentis.

Verum turpiter aberrat furibundus Hæreſiarcha. Nam 1. non dicit Sacerdos ſe fidem non habere, ſed tantum ſe habere peccata: poteſt autem quis habere peccata, nec tamen deſtitui fide, aut etiam charitate: alioqui nemo juſtus in oratione Dominica dicere poſſet: *Dimitte nobis peccata noſtra*. Itaque agnoſcit Sacerdos ſe peccatorem eſſe, nec aliud agnoſcere poteſt, niſi ſeipſum ſeducere velit. Agnoſcit inſuper tacite, ſibi haud tantum eſſe fidei, quantum exigeret myſterium iſtud: & ideo precatur ut Deus ſuam minus fidem reſpiciat, quam Eccleſiæ, cujus nomine ſacrificat: At non ideo vel graviter reum, vel omnimode infidelem ſe profitetur; unde nec credit ſibi

pro-

prodeſſe ſacrificium, ſine ullo pietatis motu; cum eo per orationem hanc alias omnes tendat, ut pietatem in ſe accendat atque inflammet. Et vero qui Sacramenta ex opere operato proficere docent Catholici, docent ſimul omnes ad ea præviam requiri fidem & pœnitentiam ex parte ſuſcipientis.

Orationes: *Quod ore ſumpſimus*, &c: *Corpus tuum*, *Domine*, *quod ſumpſi*, non improbat Lutherus: ſed Collectas reprehendit, quia in iis mentio fiat ſacrificii: At eas, ſacrificium aſtruendo, plene vindicavimus.

Miſſæ ritum concludit formula: *Ite*, *Miſſa eſt*, id eſt: Ite, jam dimiſſio conceditur. Idem fit apud Græcos per verba hæc: *In pace Chriſti eamus*. Cur loco, *Ite*, *Miſſa eſt*, quandoque dicatur: *Benedicamus Domino*, alii aliter explicant. Sunt qui exiſtiment, per *Ite*, *Miſſa eſt*, factam eſſe dimiſſionem populi in diebus feſtivis, quibus numeroſior erat populi congregatio; eamdem vero in ferialibus omiſſam eſſe, quia tunc ſoli Eccleſiaſtici ſacro adeſſe ſolebant, quibus non fiebat Miſſa, ſeu dimiſſio, ſed potius exhortatio ad benedicendum Domino, per ceteras, quæ perſolvendæ ſupererant Officii partes. Exinde dimiſſio hæc, quæ lætum quid & ſolemne habet, prætermiſſa eſt in Feriis, potiſſimum autem in Adventu & Quadrageſima, ad deſignandam hujus temporis mœſtitiam. Videtur enim, ait Bellarminus, lugubre quid præ ſe ferre; quod non publica denuntiatur dimiſſio, ſed unuſquiſque per ſe diſcedit. Verum e contrario cenſet Card. Bona Lib.2. cap.20. n.2. dimiſſionem populi tunc olim omiſſam fuiſſe, quando peractis etiam Miſſarum ſolemniis, non ſtatim abibant Fideles, ſed in Eccleſia permanebant, donec recitatis Canonicis precibus, & ſtatione ſoluta, recedere liceret: unde olim in prima noctis Nativitatis Dominicæ Miſſa, non dicebatur: *Ite*, *Miſſa eſt*, quia remanebat populus ad *laudes* audiendas. Addit idem Cardinalis, morem hunc deinceps ad Miſſas minus ſolemnes extenſum fuiſſe.

Poſt orationem: *Placeat tibi ſancta Trinitas*, in qua ſtupide objicit Lutherus a nobis orari pro Chriſto, cum oremus duntaxat, ne quid a nobis in actionem ſanctiſſimam irrepſerit mali; datur benedictio, quæ licet antiqua, non tamen primævæ eſt apud Latinos antiquitatis, nec hactenus in plurimis Galliæ Cathedralibus, aut a Carthuſianis datur. Male tamen opinetur quis eſſentiale quidpiam hujuſmodi Miſſis deeſſe; cum pleræque Sacerdotis in ſacrificii decurſu orationes, totidem ſint benedictiones populi, cui ſuperna dona intus & medullitus precatur idem Sacerdos. De his lege P.Le Brun Tom.1. pag.657.

Poſt benedictionem populo datam legitur, ſeu in cornu Altaris, ſeu, ut Lutetiæ in Miſſis ſolemnibus redeundo in Sacriſtiam, Evangelium S. Joannis: idque ab annis circiter quingentis inductum eſt pietate populorum, qui Evangelium illud, antea vulgo a Sacerdote privatim recitatum, palam recitari optavere tam ardenter, ut de lectione hac paciſcerentur Miſſarum fundatores. Le Brun ibid. p.673.

Et hæc dicta ſint de Confirmationis & Euchariſtiæ Sacramentis, ac de auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio; in quibus exponendis, ſi quid incautis minus ſanum & rectum deprehendatur, pro jam revocato haberi volumus.

F I N I S.

M O-

MONITUM.

Quæ dixeram circà Decretum de Indulgentiis, ſic emendari debent.

NOt. 1. Decretum iſtud, non ab Innocentio XI. ſed a Raymundo Capiſſucci, ſacri Palatii Magiſtro prodiiſſe; 2. inde grandes in Hiſpaniis & Germania concitatos tumultus, quia pridem Decretum lædi videbatur pia Fidelium ſententia de Immaculata B. Virginis Conceptione; 3. conſultum ea de re ab Imperatore Innocentium XI. reſpondiſſe, quod Officium ipſum in ſe proſcriptum non fuiſſet, ſed quæ ei falſo dicebatur annexa dierum centum Indulgentia, &c. 4. addidiſſe eumdem Pontificem, ſibi nunquam in animo fuiſſe, ut Deiparæ cultum imminueret: quod & confeſtim demonſtravit; cum in ceteris quæ deinceps cuderentur ejuſdem Officii editionibus, loco verborum, *Sanctam Conceptionem*, quæ in Oratione habebantur, iſthæc recitari voluerit: *Sanctam & Immaculatam Conceptionem*, 5. his placide & humiliter obſecutum fuiſſe Apoſtolici Palatii Magiſtrum; niſi quod, ait aliquis, ut dignitati ſuæ conſuleret, paucula quædam verba immutari juſſerit; ut: *Domina, exaudi orationem meam*, quorum loco dici voluit: *Domina, protege orationem meam*; ſicut & pro, *Has Horas Canonicas*, dici voluit: *Hæc laudum præconia*: ſicque emendatum Officium, ſi tamen vera eſt hæc emendatio, a Fidelibus omnibus tuto & ſalubriter perſolvi poteſt. Vide tum Opus inſcriptum: *Recueil des Bulles*, poſt Bullam Alexandri VIII. ann. 1661. tum & Librum, cui titulus: *Mèmoires Chronologiques* Tom. 3. pag. 128.

INDEX

INDEX RERUM,

Quæ in Tractatu de Confirmatione continentur.

A

ADulti. Vide *Confirmatio* 4. *Subjectum*. *Unctio*. *Confirmandi*.

Alapa, vide *Ritus*.

Albigenſium ſententia de Confirmatione, 3.

Amentes. An perpetuo amentes confirmari poſſint & debeant, 105. & 108. An idem ſit de amentibus qui aliquando habuere uſum rationis, *ibid*. Quid, ſi poſt gravem peccatum in amentiam inciderint? *ibid*. Vide *Subjectum*.

Ananias. An Epiſcopus fuerit, 75. An Paulo *Confirmationis* Sacramentum contulerit, *ibid*.

Anglicani mitius circa *Confirmationem* quam Lutherani, etſi non catholice ſentiunt, 1. In quo a Catholicis diſcrepant, 2.

Aurelius (Petrus) Lis ejus cum Sirmondo circa canonem 2. Synodi 1. Arauſicanæ, 43. & *ſeq*. An Abbas vulgo Sancyranus auctor ſit Libri cui titulus: *Petrus Aurelius*, *ibid*.

B

BAptiſmus. An ideo ſuos confirmet Eccleſia, quia credat eos cum ſola Baptiſmi gratia ſalvari non poſſe, 111 & 112. An Fideles præter gratiam Baptiſmi nulla alia indigeant, *ibid* & *ſeq*. An baptizati perfecti ſint Chriſtiani & quo ſenſu, 113. Unctio verticis quæ fit in Baptiſmo, non ſupplet *Confirmationem*, 114. & *ſeq*.

Balſamum oleo addi neceſſe eſt, 46. An neceſſitate Sacramenti? *ibid*. & *ſeq*. An Balſamum Indicum adhiberi poſſit, 47. An *Confirmatio* in eo debeat iterari, qui per errorem non Chriſmate, ſed oleo delinitus eſt, *ibid*. & *ſeq*. Quid decreto Eugenii IV. reſpondendum, 51. & *ſeq*. Vide *Oleum*. *Chriſma*. *Unctio*. *Impoſitio*.

C

CHaracter, vide *Effectus* 2.

Caremonia, vide *Ritus*. *Patrinus*. *Confirmandi*.

1. *Chriſma*. Ex quibus conſtat apud Latinos & apud Græcos, 45. Quomodo applicatur, *ibid*. In quo differt Chriſma Græcorum a Chriſmate Latinorum, *ibid* Chriſmatis nomen a Patribus inditum eſt ei etiam unctioni quæ ex oleo puro fieret, 49. An certum ſit in die Cœnæ a Chriſto inſtitutum eſſe Chriſma, 24. Antiqua Eccleſiæ Græcæ praxis ut ad Euchariſtiam accedat nemo niſi unctus Chriſmate, 19. Chriſmatis unctio non eſt mera Baptiſmi cæremonia, 18.

2. An & a quo Chriſma benedictum eſſe debeat ut licet detur Confirmatio, 53. & 54. Vide *Ritus*. An benedictio hæc neceſſaria ſit neceſſitate ſacramenti, *ibid*. & *ſeq* An deputari poſſit ſimplex Sacerdos ad conſecrandum Chriſma, 56. An ſimplicibus Religioſis Chriſmatis conficiendi licentia olim facta fuerit, 57. & *ſeq*. An eadem poteſtas a quolibet Epiſcopo cuilibet diœceſano ſuo Sacerdoti demandari poſſit, *ibid*. & *ſeq*. Chriſma novum quotannis a proprio Epiſcopo accipiendum 126. An Epiſcopi pretium aliquod pro Chriſmate exigere poſſint, 127. Vide *Oleum*. *Balſamum*. *Unctio*. *Ritus*.

Confirmandi. An nomen eorum immutari poſſit, *ibid*. Quid ex parte corporis ab ipſis exigitur, 107. & 111. Quid ex parte animæ, *ibid*. & *ſeq*. Vide *Subjectum*. *Unctio*. *Confirmatio* 4

1. *Confirmatio* quare ſic dicta, 1. Ejus definitio, 1. & 121. Verum eſt novæ Legis Sacramentum, 5 An ipſius exiſtentia ex Scripturis ſacris invicte probetur, *ibid*. An a Chriſto inſtituta fuerit, 22. Chriſtus eſſentiales Confirmationis ritus immediate inſtituit, nec tamen inſtituit omnes quibuſcum eadem hodie confertur, *ibid*. Quo tempore id fecerit, certo definiri non poteſt, 24. & *ſeq*. Præcipuæ quæ circa præſentem materiam prodierunt opiniones confutantur, 25. & *ſeq*. Quænam ſententia probabilior, *ibid*. & *ſeq*. Vide *Miniſter*. *Subjectum*. *Effectus*.

2. Circa Confirmationis materiam proximam variæ Scolaſticorum opiniones, 27. Quænam facit aut recitat Epiſcopus quæ pro materia vel forma haberi poſſint, 26. An impoſitio manus & unctio ſit adæquata & eſſentialis materia Confirmationis, 27. & *ſeq*. Vide *Chriſma*. *Oleum*. *Balſamum*. *Impoſitio*. *Unctio*. *Materia.*

3. Quænam eſt forma Confirmationis, 60. & *ſeq* An eadem verba adhibeant Græci quæ Latini, *ibid*. Oratio quæ præcedit unctionem, & verba quæ eamdem unctionem comitantur, ſunt apud Latinos ſicut & apud Græcos totalis & adæquata Confirmationis forma, 62. & *ſeq*. An verba quæ unctionem comitantur,

Digitized by Google

tur, Confirmationi ſint eſſentialia, 63. & ſeq. 67. & ſeq. An ex priorum Patrum ſilentio contrarium colligi poſſit, 63. & ſeq. An juxta Eugenii IV. Decretum verba hæc, *Signo te ſigno crucis, &c* adæquata ſint forma Confirmationis, 64 Finita oratione unctioni prævia, ritus ſingularis in uſu eſt apud Græcos, *ibid.* Ad validam Confirmationem, neceſſaria non eſt explicita *Trinitatis* mentio, 71. Vide *Unctio. Impoſitio.*

4. Triplex Confirmationis proprietas, 121 An valeat Confirmatio data & ſuſcepta in hæreſi, 95. Pars affirmans longe communior eſt in ſcholis, ipſique adhærendum. 98. & ſeq. Facilis & expedicta nodum ſolvendi ratio paucis aperitur, 104. Confirmatio non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii, 122. ſed neceſſitate duntaxat præcepti tum Eccleſiaſtici, *ibid* tum divini, 123. An qui Confirmationem inculpabiliter omittit, gratiam ipſius ſacramentalem recipere poſſit, 121. An neceſſe ſit ut adulti omnes in periculo mortis Confirmationem ſuſcipiant, 118. & 125. Rei ſunt qui cum Epiſcopi copiam habent, ne paſſum quidem decurrunt ut ab eo confirmentur: & hoc peccatum iteratur quoties eadem recurrit occaſio, 124. An peccent mortaliter, *ibid.* Rei pariter ſunt Parentes qui filios, Domini qui ſervos, &c. non curant ad hoc Sacramentum accedere, *ibid.* An teneantur Epiſcopi conferre Confirmationis Sacramentum, *ibid* Quandonam maxime obligat præceptum Divinum percipiendæ Confirmationis, 125. Quid debent præſtare qui adulto morituro nondum Confirmato opem ferunt, *ibid.* Quo tempore obligat præceptum Confirmationis quatenus Eccleſiaſticum, *ibid.* An obliget cum imminet ſacri virginum velaminis, vel Tonſuræ Clericalis receptio, *ibid.* An ſint irregulares qui omiſſa Confirmatione, Tonſura donantur, *ibid* An fideles moralem adhibere debeant diligentiam ut reſciant ubi danda ſit Confirmatio, & eo ſe conferant, 125. *Proprietates.*

Cornelius ante Baptiſmum Confirmatus fuerat, 105. 120. & ſeq. Vide *Effectus* 2

Cyprianus. Ejus ſermo de Unctione Chriſmatis, 53

D

Diaconus an poſſit eſſe extraordinarius Confirmationis miniſter, 76. V. *Miniſter.*

Duguetus. Singularis ejus opinio de impoſitione manuum, 35. Vide *Impoſitio.*

Dyoniſius (vulgo Areopagita) an auctor Operum quæ ſub ipſius nomine circumferuntur, 70

E

Effectus Confirmationis duplex, *Gratia & Character*, 109 1. Confirmatio gratiam ſanctificantem producit, non quidem primam, ſaltem per ſe, ſed ſecundam, 110. & ſeq. Gratiam primam confert per accidens, juxta S. Thomam, 111. & ſeq. Gratia hujus Sacramenti quæ propria ſit, *ibid.* & ſeq. An hæc gratia conferatur etiam per Euchariſtiam, 112. & ſeq An ejus auxilio indigeant baptizati, *ibid.* & ſeq. An ſit habitus ab habitu baptiſmalis gratiæ ſpecifice diſtinctus, 116. & ſeq Uberior gratia Confirmationis quam Baptiſmi, major tamen aliquo ſenſu efficacia Baptiſmi, *ibid.* Vide *Baptiſmus.* *Gratia*

2 Per Confirmationem character imprimitur, 117 An Baptiſmi characterem præſupponat, 120. An ſi quis bona fide Confirmationem recipiat non baptizatus, neceſſum ſit ut denuo confirmetur, *ibid.* Vide *Confirmatio. Irregularitas. Paulus. Cornelius Novatiani.* *Character.*

Energumeni. An Confirmationis ſint capaces, 105 An confirmari debeant, 108. Vide *Subjectum. Amentes.*

Euchariſtia. An illius proprium ſit vires dare ad fidem Chriſti coram tyrannis profitendam, 112. & ſeq. An apud Græcos nondum Confirmato licitum ſit ad Euchtriſtiam accedere, 19. Vide *Effectus* 1.

Eugenius IV An Balſamum ad neceſſitatem Sacramenti Confirmationis pertinere definierit, 51. & ſeq. Chriſmatis benedicendi facultatem fecit ſimplicibus Religioſis, 56. & ſeq. An hæc verba, *Signo te ſigno Crucis* &c Integram eſſe Confirmationis formam pronunciaverit. 64 Senſus Florentini Decreti de extraordinario Confirmationis miniſtro, 92. & ſeq. An *Eugenius* ſcite Græcorum Sacerdotum confirmandi morem approbaverit, *ibid.* Vide *Balſamum. Confirmatio. Miniſter.*

F

Figura. An in antiqua Lege fuerit aliqua Confirmationis figura, 121.

Florentina (Synodus) ad quinque capita totum Græcos inter & Latinos diſſidium revocavit, 87. Vide *Eugenius.*

G

Græci Confirmationem habent pro vero novæ Legis Sacramento, 18. An præviam unctioni manus impoſitionem adhibeant, 32. An Græci Sacerdotes jure ordinario confirment, 83 & ſeq Vide *Eugenius IV. Gregorius Magnus, Impoſitio manus. Florentina Synodus.*

Gre-

Digitized by Google

Gregorius Magnus. An ejus tempore unctionem adhibuerit Eccleſia Occidentalis, textus difficilis exponitur, 41. & ſeq. An in cauſa Sardorum confirmandi licentiam fecerit ſimplicibus Sacerdotibus, 87. & 90. An propter iſtud factum peccati inſimulandus ſit, 91. & ſeq. An Libri 14 Epiſt. 17. ipſi merito tribuatur, 204. Vide *Miniſter*.

H

HAlenſis. Ejus de inſtitutione Confirmationis opinio falſa eſt, 23. Temeraria & hæreſi favens, *ibid.* An reapſe hæretica? *ibid.*

Hammondus (Profeſſor Oxonienſis) Quid de Confirmatione ſenſit, 2.

I

IMpoſitio manus eſſentialis eſt materia Confirmationis, 27. An ſola adhiberetur tempore Apoſtolorum, 38. Singulari opinio Dugueti de impoſitione manuum. Quænam manus impoſitio eſſentialis Confirmationi, an quæ unctionem præcedit, &c. 31. Quænam in conferenda Confirmatione Græcorum praxis. Quæ Latinorum, 32. Summopere curandum ne quis unctione donetur, niſi prævię manuum impoſitioni fuerit ſubjectus, 33. An valeat Confirmatio poſt recitatam cum impoſitione ſibi annexa orationem, etiamſi Epiſcopus ungeret ſine impoſitione manus, *ibid.* An valeret Confirmatio apud Græcos, etſi forte primam impoſitionem omittant, quia ſecundam adhibent, *ibid.* Exploditur ſententia Sirmondi de inſufficientia ſecundæ manus impoſitionis, 33. & ſeq. An definitum ſit utramque impoſitionem requiri ad validitatem Confirmationis, 34. An neceſſaria ſit impoſitio manus utriuſque, vel dextræ potius quam ſiniſtræ, 38. Per quam impoſitionem manus recipiebantur Novatiani, 28. Vide *Unctio. Balſamum. Oleum. Chriſma. Confirmatio*.

Irregularitas. An iterata Confirmationis adminiſtratio vel ſuſceptio irregularitatem inducat, 121. & ſeq. Vide *Confirmatio*. 4.

M

MEthodius. An æquus Interpres CP. Concilii I. 118. Adſcriptum *Methodio* Opuſculum quod a Goario refertur, adulteratum eſt, 119.

Miniſter (Confirmationis) quotuplex, 72. Quid ordinarius, quid extraordinarius, 72. Quotuplex de eo ſententia, *ibid.*

1. Solus Epiſcopus ex inſtitutione divina ordinarius eſt Confirmationis miniſter, *ibid.* & ſeq. Hæc propoſitio eſt de fide, 72. & ſeq. Convellitur Romana Synodus ann. 72. coacta, 76. In Epiſcopo ad validam Confirmationem nec ſufficit juriſdictio ſine ordine, nec requiritur juriſdictio cum ordine, 90. An Græci Sacerdotes juxta praxim antiquam jure ordinario confirment, 83. & ſeq.

2. Poſſunt ſimplices Presbyteri ex delegata auctoritate Confirmationem valide adminiſtrare, 85. An extent hujuſcemodi diſpenſationis exempla, 86. An Innocentius III. aliquid oppoſitum protulerit, 88. & ſeq. Senſus Decreti Florentini de extraordinario Confirmationis Miniſtro, 92. & ſeq. An de fide ſit Sacerdotem eſſe extraordinarium hujus Sacramenti miniſtrum, 93. Presbyteralis Confirmationis initia, *ibid.* progreſſus, 94. finis. *ibid.* In Presbytero ad validam Confirmationem requiritur ordo ſimul & juriſdictio, 90. Quis Presbytero Confirmandi licentiam impertire poteſt, 93. An Synodus Provincialis pro territorio Provinciæ, & Epiſcopus pro Diœceſi, *ibid.* An hæc delegatio ab Epiſcopo depoſito, vel a non depoſito in aliena Diœceſi committi poſſit, 88. & 90. An Diaconus poſſit eſſe Confirmationis miniſter, 75. Vide *Confirmatio. Chriſma* 2.

N

NOvatiani. Confirmationem e Sacramentorum numero non ſuſtulerunt, 2. An ad Eccleſiam redeuntes reciperentur per manus impoſitionem Ordinariam vel Confirmatoriam, 8. Vide *Valdenſ. VViclefitæ. Huſſitæ. Effectus*, 2.

O

OLeum. An Apoſtoli Oleo & balſamo in Confirmatione uſi ſint, 40. Ad ſubſtantiam Confirmationis requiritur Oleum ex olivis expreſſum, 46. Unde non ſufficit Oleum ex *nucibus amigdaliſve* aut ſimilibus expreſſum, *ibid.* Oleo balſamum addi neceſſe eſt, *ibid.* Qua neceſſitate? 46. & ſeq. Vide *Balſamum. Chriſma. Unctio. Impoſitio*.

P

PArochus. Quædam Parocho ante & poſt Confirmationem præſtanda ſunt, 109. & ſeq. An deceat ut Paſtores catalogum habeant Parochianorum qui Confirmationem ſuſcipiunt, 127. Vide *Subjectum. Ritus. Confirmatio* 4. *Subjectum*.

Patrinus. An in Confirmatione Patrinus poſſit eſſe multiplex, *ibid.* An a Patrino Baptiſmi diſtinctus eſſe debeat, *ibid.* An ſpiritualem cognationem contrahat. 127. An ſub gravi Confirmatus eſſe teneatur, *ibid.* An ſi unus tantum pro maribus omnibus admittatur

tur ab Epiſcopo Patrinus, is cum omnibus Confirmandorum matribus affinitatem contrahat, *ibid.* Quid, *ſi quis filiaſtrum ſuum, vel filiaſtram ſuam tenuerit ad Confirmationem*, 127. An hodie vigeat cæremonia dandi Patrinos Confirmatis, 126. Vide *Ritus*.

R

Ritus. Antiquus eſt ritus Chriſmatis per benedictionem conſecrandi, 126. Qua die hæc benedictio fieri poteſt? *ibid.* Quotuplex in illa benedictione ritus? *ibid.* Quodnam tempus Confirmationi idoneum? 128. Quiſnam locus ſeligendus ad Confirmandum? *ibid.* Quid de ordine & ſitu præſcribitur, 128 Cur Epiſcopus alapa Confirmatum leviter cædit, *ibid.* Antiquitas illius cæremoniæ, *ibid.* Quare pax ab Epiſcopo datur Confirmato, 128. Ritus unctionem ſequentes, *ibid.* Vide *Patrinus*. *Confirmandi*. *Subjectum*. *Parochus*.

S

Sirmondus. Expenditur ejus opinio de inſufficientia manus impoſitionis quæ ab unctione indiſtincta eſt, 33 & *ſeq.* Ejus diſſidium cum Petro Aurelio, 43 & *ſeq.*

Subjectum Confirmationis Capax ſolus eſt & omnis homo baptizatus, 105. & *ſeq.* An Amentes & Energumeni confirmari poſſint, *ibid.* & debeant, 108. An certa ætate ſuſcipienda ſit Confirmatio? 106. & *ſeq.* Varia fuit Eccleſiæ diſciplina, *ibid.* quæ potior? 106 An licitum ſit ſeptimum ætatis annum antevertere ſi juſta cauſa ſubſit, 109. Ad licitam & fructuoſam Confirmationis receptionem quædam neceſſaria ſunt ex parte corporis, 107. Confirmatio, ſi mane, recipienda a jejuniis, *ibid.* Ex parte animæ requiritur prævia ſacramentalis confeſſio, ſi confirmandi mortaliter deliquerint, 107. Aliquid etiam ex mente Eccleſiæ, ultra gratiæ ſtatum requiritur, 107. & *ſeq.* Quando e Parochia in Parochiam decurrendum eſt, quid præſtandum ut juventuti omnis demátur evagandi occaſio, 108

T

Thomas (S.) An putet Balſamum eſſe eſſentiale Confirmationi, 51. & *ſeq.*

Tournelyus circa neceſſitatem manus impoſitionis confirmatoriæ quæ ſit ab unctione diſtincta ſatis ſibi conſtare non videtur, 34. Epiſcopalem Chriſmatis benedictionem ex præcepto duntaxat Eccleſiæ neceſſariam eſſe contendit, 54 In gratiam Confirmationis ab hæreticis collatæ infirma ejus probatio, 100.

Trinitas. An explicita ejus mentio neceſſaria ſit ut valida ſit forma Confirmationis, 71. Vide *Confirmatio* 3.

V

Verticalis (Unctio) An ſupplere poſſit Unctionem Confirmatoriam, 114 & *ſeq.*

Unctio (quæ fit in fronte) eſſentialis eſt materia Confirmationis, 30. An tempore S. Gregorii Magni unctionem omiſerit Occidentalis Eccleſia, 41 & *ſeq* An unctionis neceſſitati præjudicet famoſus Canon 2. Concilii I. Arauſicani, 43 & *ſeq.* Unctio Chriſmatis debet fieri in fronte, 58. Et ad modum crucis, 59. Ad Sacramenti validitatem prius magis neceſſarium quam poſterius, *ib.* & *ſeq.* An tolleretur Sacramentum, ſi Epiſcopus intermedio inſtrumento, non ipſa manu frontem ungeret, 59. Si ſiniſtra potius manu quam dextra, aut digito potius quam pollice uteretur, 60. Qui læva ungeret vel indice, peccaret contra Eccleſiæ Legem, *ibid.* Quid præſtare debet qui abſens fuerit dum fieret prima manus impoſitio, quive deprehenderet unctum ſe fuiſſe oleo ſine balſamo, vel utroque ſed non benedicto, vel benedicto quidem, ſed medio inſtrumento, non autem manu &c. 60 & *ſeq.* Vide *Chriſma*. *Confirmatio*. *Balſamum*. *Oleum*. *Ritus*.

INDEX

INDEX PRACTICUS EUCHARISTIÆ.

A

ABlutio. An graviter peccet, ſeu qui bis una die celebraturus, ablutionem primæ Miſſæ dat Laico, pag 617. ſeu qui loco vini aquam ſolam in prima purificatione adhibuerit, 812. ſeu qui in ſecunda purificatione ſola aqua uſus fuerit, *ibid.* Quædam obſervanda, *ibid.*

Ablutio. An poſſit Sacerdos ex multis quæ audiit peccatis duo ſolum ad arbitrium Dei remittere, 392. *& ſeq.* An muti & ſurdi a nativitate abſolvi debeant, & quando, 469. An Abſolutione indigni ſint mercatores, procuratores, forenſes viri, & qui Parochiam raro frequentant, 765. *& ſeq.* Vide *Miſſa* 1.

Æditui an peccent, cum plurima pro pluribus Miſſis recipiunt ſtipendia, quas prævident nonniſi diu poſt exolvi poſſe, 791. An reſtituere teneantur, qui ſummam accepra minorem pro Miſſarum ſtipendiis tradunt, 790. Vide *Stipendium*.

Agni cerei, an tangi poſſint ab omnibus, 819. Vid. *Vaſa ſacra*.

Alba, Vide *Veſtes ſacræ.*

1. *Altare* an apud Chriſtianos recentis ſit inſtituti, 799. *& ſeq.* Quotuplex ſit, 804. Ejus materia, *ibid. & ſeq.* Ejus neceſſitas, *ibid* Ejus conſecratio, & a quo fieri debeat, 805. Utrum neceſſe ſit ut in Altari recondantur Sanctorum Reliquiæ, *ibid.* Altare conſecratum non eſt, quamvis Sacerdos in illo bona fide conſecraverit, 805. *&* 815. Quibus modis pereat conſecratio Altaris fixi, 806. *& ſeq* vel portatilis, *ibid.* An conſecrationem deperdat Altare, ſi frangitur ſepulchrum illius, 806. *& ſeq.* An polluto vel execrato Altari violetur vel execretur Eccleſia, 807. *& ſeq. &* 800. Vid. *Miſſa*. 7.

2. An & quot mappis inſtructum oporteat eſſe Altare in quo Sacrificium offertut, 807. Mappæ benedictæ ſint, *ibib.* & ex lino confectæ, *ibid.* utrum Sacrificii tempore ſuper Altari collocanda ſit imago Crucifixi, 807. *& ſeq* Etiam expoſito vencrabili Sacramento, *ibid. & ſeq.* An graviter reus ſit qui ſine Cruce in medio Altaris celebraverit, 808. *& ſeq.* Ad Sacrificium lumen requiritur, 809. ita ut ne quidem ad præbendam moribundo Synaxim, licitum ſit circa lumen celebrare, *ibid & ſeq.* Quid, ſi cepta jam Miſſa lumen forte ante conſecrationem extinguatur, *ibid* Quale lumen requiratur, *ibid.* Quotuplex, *ibid.* An grave ſit præceptum, 1. accendendi cereum quem ad Sacramenti elevationem accendi præſcribit Rubrica, *ibid.* 2. ſervandi diu noctuque accenſam lampadem coram Altari ubi quieſcit idem Sacramentum, 810. *& ſeq.* Vide *Miſſa* 7. *Ritus ſacrificii.*

Amictus, vide *Veſtes ſacræ.*

Amylum, an valeat conſecratio in amylo, 369.

Applicatio Miſſæ, vide *Ritus ſacrificii* 2.

Aqua vino conſecrando permiſcenda, 381. *& ſeq.* Non de neceſſitate Sacramenti, 383. Naturalis debet eſſe, 387. In parva quantitate calici infunditur, & quare, 388. *& ſeq.* A quo fieri debeat hæc mixtio, 384. An valeat conſecratio ſi plus aquæ adhibitum fuerit quam vini, 388. *& ſeq.* An de fide ſit aquam in Chriſti ſanguinem converti, 404. *& ſeq.* Vide *Eucharistia* 2.

Aſperſio aquæ luſtralis neque recentis eſt inſtituti, neque ſenſus expers, 850. Toparchis & Dominis locorum aſpergillum porrigi non debet, 851. *& ſeq.* Vide *Thus.*

Aurora. Quid per auroram intelligatur, 793. An peccet qui ante auroram celebrat, &c. Vide *Miſſa* 6.

Azymus panis, vide *Euchariſtia* 2.

B

BAptiſmus. Parochus baptiſmum infantibus etiam peſte infectis largiri tenetur, 458. & in ejus defectum Laici, *ibid.*

C

CÆremoniæ Miſſæ fuse exponuntur & ab inſultibus Hæreticorum vindicantur, 849. *& ſeq* Vide *Ritus. Altare* 2. *Vaſa ſacra. Veſtes ſacræ. Miſſa* 8.

Calix aureus ſit vel argenteus, 815. Exceptio, *ibid.* Calix conſecratus ſit & a quo, *ibid.* An in calice minime conſecrato quandoque celebrare licitum ſit, *ibid.* Ex oblatione Sacrificii calix non ſit conſecratus, 816. Calix & patena quibus modis excidant a conſecratione, *ibid. & ſeq.* Utrum conſecrationem amittant 1. cum notabiliter franguntur, vel immutantur, *ibid.* 2. ſi ab Aurifice in ignem mittantur, *ibid.* 3. ſi ad profanos uſus in menſa communi adhibeantur, *ibid.* 4. ſi inaurationem ſuam diuturno uſu deperdant, *ibid.* 5. ſi de novo inaurentur, *ibid & ſeq* An juris pœnas incurrat qui calice non conſecrato utitur, 817. Vide *Vaſa ſacra.*

Canon Miſſæ an alta voce recitari poſſit, 841. Vide *Ritus* 1.

Capellæ Domeſticæ juxta conſuetudinem noſtram benedicuntur, 797. Quibus conditionibus licitæ ſint, *ibid. & ſeq.* Quædam in Diœceſi Pariſienſi interdictæ, 798. *& ſeq*

Capellanus celebrare tenetur quoties, ubi, & quando præſcribit fundatio, 772. *& ſeq.* Qui in alia Eccleſia præter deſignatam, aut in alio Altari celebravit, an ad novam celebrationem teneatur, *ibid. & ſeq* Qui morbo detentus eſt, an Miſſas omiſſas ſupplere debeat, ſi onus ipſi quotidianæ Miſſæ impoſitum

eſt, 773. & ſeq. Quid facto opus, ſi in loco ad id præfixo celebrari non poſſit, 774. An dies quibus celebrandum eſt, ad nutum mutari poſſint, *ibid.* & *ſeq* Qui Miſſas quindecim ſingulis menſibus celebrare tenetur, an peccet anticipando, 775 Qui ex fundatione vel ſtipendio debet Miſſam feria VI. vel Sabbato an eam compenſare debeat quam die Paraſceves vel Sabbato Sancto non celebravit, *ib* & *ſeq.* Si celebrandi impedimentum proveniat ab Eccleſiæ interdicto, aut ceſſatione a divinis, an Miſſas ſuppleri oporteat, *ibid* Quid, ſi diu perſeveret hujuſmodi impedimentum, *ib.* Vide *Stipendium*.

Caſula. Vide *Veſtes ſacræ*.

Cereorum uſus vindicatus, 524. & 849. Cerei Sacrificii tempore neceſſarii, 809 Vide *Altare* 2.

Ciborium. Vide *Pixis*.

Cingulum. Vide *Veſtes ſacræ*.

Circulus ſeu lunula quæ Corpus Chriſti expoſitum immediate tangit, an ex quavis materia confici poſſit, 817. Ejus benedictio reſervata, 819

Communio quotuplex in jure diſtinguatur, & quid ſibi velint Canones, cum aliquem e Clericis a communione Eccleſiaſtica dejiciunt, 130 & *ſeq.*

Diſpoſitiones Corporis. 1. Ad Communionem tres requiruntur diſpoſitiones ex parte corporis, 472 ſcilicet jejunium, vide *Jejunium*. Modeſtia exterior, 492 & *ſeq.* & munditia corporis, 488. & *ſeq.* In quo ſita ſit illa poſtrema corporis diſpoſitio *ibid* Utrum ab Euchariſtia arceant, 1. Lepra, ſanguinis fluxus, menſtrua infirmitas, & alia id genus 488. & *ſeq.* 2. Nocturna illuſio tum in ſe, tum in cauſa inculpabilis, 489 & *ſeq* Vel orta ex aliquanto in alimentis exceſſu, 490 3. Nocturna pollutio, quando dubium eſt, an ſit in cauſa culpabilis, *ib.* vel quando illuſionis cauſa in nobis præceſſit, *ibid.* 4. Pollutio quam quis extra ſomnum invitus paſſus eſt, *ibid.* 5 Pollutio voluntaria præmiſſa confeſſione, 492 6. Uſus matrimonii vel debitum reddendo, vel exigendo animo duntaxat prolis ſuſcipiendæ. 491. & *ſeq* vel denique ex libidine ſeu voluptate, 492. Quid conſulendum conjugatis, 491

Diſpoſitiones Animæ. 2. Ex parte animæ ad Communionem neceſſaria eſt ſanctitas, 492. An antiqui Patres certorum criminum reis uſum Euchariſtiæ concederent, & quando, 493. & *ſeq.* Satisfactio an neceſſario ab iis præmittenda qui peccatum lethale admiſerunt? 494 & *ſeq* Qui peccati alicujus mortalis ſibi conſcius eſt, ad ſacram menſam ordinarie non accedat niſi præmiſſa confeſſione, 498 & *ſeq.* Lex illa divina eſt & quadantenus naturalis, *ibid.* Quam ſi non obſerves etiam culpabiliter, duplex non committis ſacrilegium, 498. A lege confeſſionis ii eximuntur quibus deeſt copia Confeſſarii, ſi urgeat celebrandi aut communicandi neceſſitas, 499. Deeſt copia Confeſſarii 1. cum is phyſice aut moraliter haberi non poteſt; 2. cum etſi præſens adſit, perinde eſt ac ſi non adeſſet, *ibid.* & *ſeq.* Circa hanc materiam plurima ſcitu digna, *ibid* & *ſeq* An gravis ſit celebrandi aut communicandi neceſſitas omiſſa confeſſione, 1. inſtans mortis periculum, 500. 2. cum Miſſæ celebratio neceſſaria eſt ut moribundo Viaticum detur, *ibid* 3 periculum ſcandali & infamiæ, *ibid.* & *ſeq* 4. cum Sacerdos jam in Altari conſtitutus, mortalis peccati recordatur, 501. An teneretur confiteri dum habetur concio, aut dum prolixius quidpiam cantatur, *ibid.* Si confiteri non poſſit, an actum contritionis ſtatim elicere teneatur, 507. & *ſeq* 5. Si quis in Sacello vel in Eccleſia coram uno aut altero tantum qui notæ ſint diſcretionis celebret, 501. & *ſeq.* 6. cum Sacerdos Miſſam non audiet niſi celebraverit, aut cum annuæ Communionis officium non poterit impleri, aut cum Regularis ſuo deeſſe officio cogetur, vel cum deerunt Sacerdoti alimenta, 502. & *ſeq* 7. Cum incolis deerit Miſſa, aut cum Jubilæi gratiam non conſequetur populus, 503. Utrum Laico gravis ſit communicandi neceſſitas ſi abſque periculo infamiæ a ſacra menſa abſtinere non poſſit, 502. An gravis ſit ipſi infamia, ſi jam exiſtens in ſcamno communionis, hinc recedat, *ibid* Qui inter confitendum peccati alicujus inculpate oblitus eſt, an illud ante communionem aperire debeat, 504. & *ſeq* Qui prætermiſſa ob confeſſarii defectum confeſſione ſacris operatus eſt, *quamprimum* ſub gravi peccato confiteri tenetur, 507. & *ſeq.* An lex Tridentina de confeſſione *quamprimum* facienda obliget 1 Laicos, 2 Sacerdotes qui laicorum inſtar communicant, 3. Sacerdotes ubi receptum non eſt Concilium, 4. Sacerdotes qui ad complendum alterius ſacrificium aſſumuntur, *ibid.* & *ſeq.* Qualem dilationem patiatur vox *quamprimum*, 508. Frequens confeſſio iis etiam qui a lethalibus liberi ſunt, optima ad communionem diſpoſitio, *ibid.* Poteſt aliquando juſtus utiliter communionem differre, aut ea privari ad tempus, *ibid.* & *ſeq.* Præter innocentiam vitæ plures aliæ animi diſpoſitiones requiruntur ad communionem, 511.

3. Immanis peccati reus eſt qui mortalis culpæ conſcius ad Euchariſtiam accedit, *ibid.* Quotupliciter poſſit quis peccati conſcientiam non habere, 513. An ſemper gravius peccet qui cum majoribus peccatis communicat, quam qui cum levioribus, 515. Quis in hujus Sacramenti receptione gravius peccet, an fidelis peccator, an infidelis, vel hæreticus, *ibid.* & *ſeq.* Qui indigne communica- *Indigna Communio.*

Digitized by Google

nicavit, an teneatur ad contritionem antequam ſpecies corrumpantur, 639

Euchariſtiæ neceſſitas. 4. Sacramentum Euchariſtiæ, nec in re, nec in voto ſaltem proprie dicto, neceſſarium eſt neceſſitate medii ad ſalutem, ſive parvulis, ſive adultis, 527. & ſeq. At neceſſarium eſt neceſſitate præcepti divini, 539 An illa lex extendatur etiam ad non baptizatos, *ibid.* Catechumenus qui in exitu vitæ Baptiſmum & Euchariſtiam voluntarie omittit, duo committit peccata, 540. Præceptum divinum ſumendi Euchariſtiam obligat in articulo mortis, 541. & ſeq. Quid per articulum mortis hic intelligatur, 544. Qui in articulo mortis recipiendæ Euchariſtiæ legi non ſatisfecit, an debeat amoto periculo quamprimum communicare, *ibid.* Quid cenſendum de Eccleſiis quæ olim certis in caſibus tam neceſſario Viatico morientes privarunt, 541. & ſeq. Divina eadem lex obligat ſæpius in decurſu vitæ, 540. & ſeq. An pluries, quantum ad divini præcepti obſervantiam ſufficit, recipi cenſeatur Euchariſtia, ſi ſemel tertio vel quarto anno ſumatur, *ib.* Euchariſtiæ receptio eſt etiam neceſſaria neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici: 544. & ſeq. Annuæ communionis præcepto non ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem, 542. & ſeq.

Communio ſub duplici ſpecie. 5. Laici & Clerici non conficientes Euchariſtiam, nulla ad eam ſub utraque ſpecie ſumendam lege obligantur, 579. & ſeq. Calicis uſus ceteris extra Sacerdotes fidelibus ſubtrahi potuit, 576. & ſeq. & 588. Sub una ſpecie totus Chriſtus continetur, 610. & ſeq. Gravibus de cauſis Eccleſia uſum calicis Laicis interdixit, 612. & ſeq. Uſum hunc abſolute reſtituere poteſt, ſed non decet ut reſtituat, *ibid.* & ſeq. Non major ex duplici ſpecie quam ex una percipitur fructus, 613. Quod etſi falſum foret, non expediret ut utraque ſpecies reciperetur ab omnibus, *ib.* & ſeq. An Sacerdos qui ſub utraque ſpecie communicat, totam recipiat Sacramenti gratiam ſumpta dumtaxat ſpecie panis, 615. Quid, ſi Sacerdos ſumpta tantum ſpecie panis moreretur, *ibid.* Aliquando laicis licita eſt ſanguinis ſumptio, 617. An laico in extremis liceret, ſi panem ſacrum deglutire non poſſit, *ib.* & ſeq. An graviter peccet qui bis una die celebraturus, ablutionem primæ Miſſæ dat laico, *ibid.* Vide *Ritus. Sacrificium* 1. *Conſecratio Corporis*, &c.

Frequens Communio. 6. Laudabilior eſt frequens Euchariſtiæ uſus quam rarior, 546. Quotidiana aut frequentiſſima communio minime neceſſaria ad ſalutem. 547. Ad communionem frequentem non ſufficit immunitas a peccato mortali, 555. & ſeq. An Sacerdos tanto ſanctior eſſe debeat, quanto frequentius Euchariſtiam percipit, 562. & ſeq. Certa pro omnibus lege definiri non poteſt an communio frequentior eſſe debeat vel rarior, 563. & ſeq A frequenti communione arcendi, qui peccato veniali adhærent ex affectu, vel modicum Euchariſtiæ percipiendæ deſiderium habent, *ibid.* & ſeq. Decem traduntur regulæ de rariori frequentiorive Euchariſtiæ uſu, 571. & ſeq. Vide *Euchariſtia. Miniſter. Subjectum.*

Concio. An ſatius ſit neglecta Miſſa concionem audire, 763. & ſeq.

Confeſſio ad communionem aliquando neceſſaria, vide *Communio* 2.

Conſecratio Altaris, aut Calicis, vide *Altare. Calix.*

Conſecratio Corporis & Sanguinis Chriſti. Quid futurum fuiſſet, ſi Apoſtoli in triduo mortis Chriſti conſecraſſent, 329. & 434. Utraque ſpecies conſecrari debet, valide tamen una conſecraretur, 396. & ſeq. Nunquam vero licite, 396. Nullam hac de re Eccleſiæ diſpenſationem expectes, *ib.* An novi Sacerdotes una cum Epiſcopo conſecrent, 398. & ſeq. & 448. & 712. Utriuſque ſpeciei conſecratio ad ſacrificium divino jure neceſſaria eſt, 723. Non pertinet ad eſſentiam ſacrificii, 724

Corporale. Ejus neceſſitas, 819. Ejus materia, & benedictio, *ibid.* Quandonam conſecrationem amittat, *ibid.* An ex ſolo contactu Corporis Domini conſecretur, *ib.* Lethaliter peccat, qui corporali notabiliter immundo utitur, 819. Quid de uſu minoris Pallæ qua ex privilegio utuntur PP. Theatini, *ibid.* & ſeq. An extra corporale hoſtiæ valide conſecrari poſſint, 393. & ſeq.

Corpus, vide *Communio* 1.

Creta quam mulieres quædam per modum medicinæ ſorbent, communionem impedit, 41. Vide *Jejunium Euchariſticum.*

Crucifixi imago Sacrificii tempore in Altari collocanda, vide *Altare* 2.

D

D*Efunctus*, vide *Euchariſtia* 3.

Defuncti. Miſſæ de Defunctis quandonam celebrari poſſint ac debeant, 792. An in hujuſmodi Miſſis Euchariſtia diſtribui poſſit, 456. An ſtipendium accipi poſſit pro Miſſa in die Commemorationis Fidelium defunctorum, 739

Diaconus, vide *Miniſter* 1. & 2. *Aqua*.

Diſpoſitiones ad communionem aliæ ex parte corporis requiruntur, 472. aliæ ex parte animæ, 492. Vide *Communio* 1. & 2.

E

E*Ffectus Euchariſtiæ*, vide *Euchariſtia* 7.

Energumeni, vide *Subjectum.*

1. *Euchariſtia* Sacramentum variis nominibus inſignitur, 130. & ſeq. ejus defini-

tio, 133. An is fuerit olim fidelium uſus, 1. ut poſt communionem Euchariſtico liquore tangerent oculos, frontem, &c. 259. 2. ut Euchariſtia tanquam cataplaſmate ad morborum curationem uterentur, *ibid.* & 260. 3. ut fidelium cadavera cum Euchariſtia tumularentur, *ibid.* & 261. 4. ut Hæreticorum damnatio Dominico ſanguine ſubſcriberetur; *ibidem* 5. ut reliquiæ Euchariſtiæ igni traderentur, 260. & 261. Vide præſertim, 457.

Materia. 2. Materia ex qua fit Corpus Chriſti, ſolus panis eſt iſque triticeus, 367 Non poteſt conſecrari Euchariſtia ex pane confecto ex milio, lentibus, fabis, caſtaneis, nucibus, &c. imo nec ex ſpelta, farre, vel hordeo, 369. An ſaltem in caſu neceſſitatis pane filigineo uti liceat, *ibid.* An valeat conſecratio in amylo, *ibid.* Quomodo confici debeat panis Euchariſticus, *ibid* & *ſeq.* Utrum panis triticeus apta ſit materia, 1. ſi admiſtus ſit granis alterius generis, *ibid.* 2. ſi aquæ loco adhibeatur lac, mel, butyrum, &c 370. Irrita eſſet maſſæ crudæ conſecratio, *ibid.* An ſufficienter cocta cenſeatur quæ elixa vel frixa fuerit, vel ſolis calore cocta, *ibid.* Ad validam conſecrationem non refert an panis hujus vel illius figuræ ſit: 370. Ad ſubſtantiam Sacramenti perinde eſt ſive panis azymus ſit ſive fermentatus, *ibid.* Non licet Latino ſi apud Latinos conſecret, fermentatum panem adhibere, ut & Græco azymis uti, ſi apud Græcos conſecret, *ibid.* An idem affirmandum ſit ſi Latinus apud Græcos, aut Græcus apud Latinos iter faciat, *ibid.* & *ſeq.* An Latino liceret fermentato uti, ne populus feſto die Miſſa careat, aut æger Viatico, aut mutilum maneat ſacrificium, 371. Panis azymus aptior eſt quam fermentatus ad ſignificanda Euchariſtiæ Myſteria, *ibid.* & *ſeq.*

Præſentia Materiæ. 3. Solum vinum de vite idonea eſt calicis materia, 379. An idem ſentiendum de muſto, & de vino quod aceſcit, *ibid.* Non facile conſecrandum in vino Hiſpanico, 381. Quid ſi conſecretur vinum gelu conſtrictum, *ibid.* & *ſeq.*

4. Materia conſecranda conſecranti præſens ſit, 389. Nec requiritur, nec ſufficit præſentia phyſica, *ibid.* Requiritur & ſufficit præſentia moralis, 390. Quanta ſufficientem præſentiam impediat diſtantia, *ibid.* & 391. & *ſeq.* Utrum panes quotquot in foro venum expoſiti ſunt, a Presbytero conſecrari poſſint, *ibid.* & 430. Ad moralem materiæ præſentiam non neceſſe eſt ut verba ad eam phyſice perveniant, 390. Quorumdam Sacerdotum conſuetudo improbatur, *ibid.* An materia actu aliquo ſenſu percipi debeat, *ibid.* An Sacerdos cæcus valide & licite conſecrare poſſit, 390. & *ſeq.* Ea de re Sacræ Congregationis reſcriptum ſcitu dignum, 391. & *ſeq.* Cujus ſit cæco Presbytero celebrandi licentiam dare, 391. Utrum materia debeat eſſe obverſa anteriori hominis parti, *ibid.* Si continetur in aliquo corpore aut vaſe quale debeat eſſe illud corpus aut vas ut materia præſens cenſeatur, 391. & *ſeq.*

Determinatio Materiæ. 5. Materia conſecrationis debet aliquo modo per miniſtri intentionem determinari, 391. Non conſecrat, qui ex decem Hoſtiis vult ſolum conſecrare novem, illas nullatenus deſignando, 392. An valeat conſecratio ſi vel Deo vel alii homini facienda relinquatur determinatio. *ibid.* Quid ſi conſecraris pluribus Hoſtiis una non conſecrata admiſceatur, *ib.* Pixis non purificata ad conſecrationem non adhibeatur, 393. Utrum conſecret Sacerdos 1. qui putat unicam eſſe in ſuis manibus hoſtiam cum ſint plures, aut ſex eſſe ſuper corporale hoſtias, quæ tamen plures vel pauciores ſunt numero; 2. ſi hoſtiæ vel inſcio Sacerdote ſuper corporali poſitæ ſint, vel extra corporale advertente quidem ipſo ſed nullatenus cogitante de his rite collocandis, 394 & *ſeq.* nonnullæ vini guttæ extra calicem deprehenduntur, conſecratæ non cenſentur, *ib.* Quid ſentiendum de guttulis quæ intra calicem aliquando a reliquo vino ſeparatæ ſunt, *ibid.*

Forma. 6. Ad conſecrationem certa verba requiruntur, 412. Preces quæ præcedunt apud nos, quæ ſequuntur apud Græcos, eſſentiales non ſunt, 415. & *ſeq.* Solæ iſtæ voces: *Hoc eſt Corpus meum* eſſentialem panis conſecrandi formam conſtituunt, 429. An iſta verba: *Qui pridie quam pateretur &c.* neceſſario pronuntianda ſint ut conſecratio perficiatur, *ibid.* Verba: *Hic eſt ſanguis meus*, vel, *hic eſt Calix ſanguinis mei*, formam calicis adæquate perficiunt, 430. Si unam ex aliis vocibus contigerit prætermitti, an Sacerdos formam ex integro repetere teneatur, 432. Valeret forma, ſi diceretur: *Hoc eſt ſanguis meus &c.* 433. Non valeret, ſi adverbialiter dixeris: *Hic eſt corpus meum, hic eſt ſanguis &c.* vel etiam ſi diceres: *Illud eſt corpus meum*, 434. Quid ſentiendum de ſequentibus: *Meum eſt hoc corpus &c.* an ſublato verbo *eſt* conſecratio perficiatur, *ibid.* Peccaret graviter qui particulam *enim* ex aliquo contemptu omitteret, *ibid.* An conſecraturus eſſet qui pro *hoc eſt corpus meum*, diceret: *Hoc eſt caro mea*, *ibid.* Nulla erit conſecratio ſi Sacerdos dicat: *Hoc eſt corpus Chriſti*, 435. Utrum forma conſecrationis panis ſuum ante habeat effectum, quam proferatur forma calicis, *ibid.* Quomodo pronuntianda ſint verba conſecrationis, *ibid.* Merito redarguuntur qui niſu ridiculo vel nimia præcipitatione verba ſancta proferuntur, 435. Quid facto iis opus ſit qui dubitant an formam ſingulave ejus verba pronuntiaverint, 436.

Effectus. 7. Euchariſtia per ſe & directe non remittit peccata mortalia, 618. ſed indirecte tantum & per accidens, 623. & *ſeq.* Mediate an immediate non ita certum, 626. & *ſeq* An peccati mortalis veniam obtineat, qui nullatenus ejuſdem ſibi conſcius accedit ad Euchariſtiam non præmiſſa contritione vel attritione, 627 & *ſeq.* Euchariſtia directe per ſe & ex opere operato peccata venialia remittit, 628. & *ſeq.* ſed non ſine aliqua attritione virtuali, 629. Quænam actualis diſpoſitio neceſſaria ſit ut per Euchariſtiam gratia augeatur, *ibid* & *ſeq.* Euchariſtia prout etiam eſt Sacramentum pœnam peccatis debitam non remittit *directe ex vi Sacramenti*, 633. Remittit tamen ex conſequenti, 634 A futuris peccatis præſervat, *ibid.* & *ſeq.* Operatur etiam in corpore, 635. Quo ſenſu corpus immortale efficiat, 636. Non prodeſt aliis quam ſumentibus ex opere operato, *ibid.* Prodeſt tamen aliquo modo, 637 Merito proſcriptum eſt Theophili Raynaudi Opuſculum, quo communio pro mortuis facta reprobatur, *ibid* Effectus Euchariſtiæ non producitur, niſi cum ſpecies ex gutture ad ſtomachum trajectæ ſunt, 637. An effectum Euchariſtiæ percipiat 1 qui receptas ore ſpecies etiam invitus expuit, 638. 2. qui tandiu hoſtiam in ore retinet, ut ante corrumpantur ſpecies quam deglutiantur, *ibid.* Vide etiam, 333. 3. qui ſpecies trajectas evomit paulo poſt, *ibid.* An vana ſit obſervatio ſi grandiores formulæ ſumantur, vel major vini copia infundatur in calicem, ut ſpeciebus diutius in ſtomacho permanentibus, uberior gratia producatur, *ibid* & *ſeq.*

Cultus. 8. Cultus Euchariſtiæ ab Eccleſia Catholica præſtitus nihil non habet pii, 521. Feſtum Corporis Chriſti ſapienter inſtitutum, 523. An Euchariſtia paſſim & pro nutu exponi poſſit, *ibid.* Utrum ad reſtinguenda incendia, turbineſque avertendos Corpus Chriſti deportare liceat, 525.

9 Quandonam Corpus Chriſti deſinat eſſe ſub ſpeciebus, 332. An Chriſtus ſub Sacramento eſſe deſineret ſi forte in immunda loca projiceretur, aut roderetur a brutis, *ibid* Quibus uſibus deſtinandum foret dolium vini in quod pretioſi Sanguinis gutta immiſſa fuiſſet, 333. Vide *Communio. Miniſter. Subjectum. Ritus. Viaticum. Species.*

Excommunicatus. An poſſit celebrare ut Viaticum moribundo deferat, 500. Vide *Viaticum.*

Execratio Eccleſiæ quid ſit, 799. & *ſeq.* Vide *Altare* 1. *Miſſa* 7.

F

F*Eſtum Corporis Chriſti*, vide *Euchariſtia* 8
Forma Euchariſtiæ, vide *Euchariſtia* 6.

G

G*Ræci* quibus verbis conſecrent, 430. Vide *Euchariſtia* 6. Non licet Græco azymis uti, ſi apud Græcos conſecret, 370. Vide *Euchariſtia* 2.

I

J*Ejunium* Eccleſiaſticum non ſolvitur per communionem, 259. & 260.

1 *Jejunium* Euchariſticum quo jure præcipiatur, 473. & *ſeq.* Quid exigat, 474. An ſolvatur jejunium 1. ſi aliquid per modum ſalivæ trajiciatur in ſtomachum, v. g. pituita, ſanguis e cerebro, reliquiæ aquæ os abluendo &c. *ibid.* 2. ſi reliquiæ cibi præcedentis diei, de induſtria deglutiantur, *ibid.* 3. ſi aliquid per reſpirationem attrahatur, ut culex, fumus aſſæ carnis &c. 475. 4 ſi trajiciatur in ſtomachum res non comeſtibilis, ut oſſiculum, aurum &c. *ibid.* vel comeſtibilis quidem, ſed non trajiciatur per os ſed nares, ut tabacum, aqua Hungariæ &c. *ibid.* & *ſeq* 5. ſi quis ſanguinem proprium etiam non exceptum per os, ſed ab intus manantem ſponte ſorberet, *ibid.* 6. ſi quis tabaci pulverem naribus ſumat, 476. & *ſeq.* vel tabaci folia mandat ut ex ore eliciat aquas, *ibid.* vel tabaci fumum per os nareſve attrahat, *ibid.* vel fumum tabaci aut carnium inſtrumenti ope ad ſtomachum per fauces voluntarie tranſmittat, 477. Conſilium occaſione tabaci, *ibid* 7. Utrum ſolvatur jejunium Euchariſticum ſi quis invitus aliquid deglutierit, *ibid.* 8 ſi quis lectulum ingrediens, glycyriſſam ori impoſuerit incertus ſe nihil poſt mediam noctem tranſglutiſſe, *ibid.* & *ſeq.* Ut quis jejunus cenſeatur, non eſt neceſſe ut dormierit ex quo comedit vel bibit, *ibid.* Quid fidelibus ſuadendum qui ad ſacram menſam accedere decreverunt, *ibid.* An in lege jejunii detur materiæ parvitas ſive ex parte rei ipſius quæ comederetur, *ibid* & *ſeq.* ſive ex parte temporis, ut ſi quis aliquot tantum minutis poſt mediam noctem aliquid ſumpſerit, 478. & *ſeq.* Quid facto opus ei qui dubitat an jejunus ſit, *ibid.* vide etiam 477. & *ſeq.* Primus horæ pulſus, ubi præſertim unicum eſt horologium, diei ſequentis ac proinde jejunii initium indicat, *ibid.* Nulla lex eſt quæ inter poſtremam comeſtionem & communionem certum poſtulet intervallum, 480

2. An urgeat lex jejunii naturalis 1. quando ineſt vitandæ irreverentiæ neceſſitas. *ibid.* & *ſeq.* 2. cum perficiendum eſt ſacrificium, *ibid.* & 487. ſi miniſter ante conſe-

cra-

Digitized by Google

erationem recordetur ſe aliquid primo mane ſumpſiſſe, 481. 4. ſi ſuperſtites aliquot Hoſtiæ particulas perſpiciat poſt ſumptam ablutionem, *ibid.* vel poſt ſumptum aliquid ab ablutione diverſum, v. g electuaria propter caſum ſubitæ debilitatis, 482. 5. ſi Sacerdos poſt ablutionem grandiores Hoſtiæ particulas ſuperſtites videat, *ibid* vel reliquias quæ non in eodem ſed in præcedenti ſacrificio conſecratæ fuerint, *ib. & ſeq.* 6. ſi ſuperſtites reliquias animadvertat quando ab Altari receſſit, 483. An eadem ſit Hoſtiæ integræ ratio quæ fragmenti, *ibid. & ſeq.* Quis decentior ſit pixidis purificandæ modus, 484.

3. A lege jejunii excuſat neceſſitas vitandi ſcandali, alteriuſve damni notabilis, *ibid.* An hæc regula extendatur ad ſæcularem jam publice ad ſacram menſam admotum, & qui grave ſcandalum vereatur ſi recedat, *ibid.* Excuſat etiam ſumptio Viatici, non ab infirmis tantum, ſed & a bene valentibus damnatis ad mortem, *ibid.* Quædam notanda a parocho qui ad infirmum Eucharistiam deferre debet, *ibid. & ſeq.* Vide *Viaticum*. An ne æger ſine Viatico decedat, licitum ſit Sacerdoti haud jejuno Miſſam celebrare, 485 *& ſeq.* Quid, ſi Sacerdos ex errore quem poſtea detegit, Miſſam Natalis Domini ante undecimam noctis horam inchoet, 487 *& ſeq.* An idem Sacerdos ſi poſt ſumptas ablutiones errorem detegat, duas alias Miſſas poſtridie celebrare poſſit, 488. Quædam de Cardinali quotannis in nocte Nativitatis Domini primam Miſſam in Sacello Pontificio ante mediam noctem celebrante, 487. *& ſeq.* Utrum S. P. in lege jejunii Euchariſtici diſpenſare poſſit, *ibid.* Vide *Communio*.

Index. An pollice aut indice carens aliis digitis Euchariſtiam diſpenſare queat. T 9 461.

Interruptio Miſſæ an & quouſque licita, 827. *& ſeq.* Vide *Ritus* 1.

Jurisdictio an ad Euchariſtiæ diſpenſationem requiratur, 454. Vide *Miniſter* 3.

L

Laici. Poſt traditam Laicis infirmis hoſtiam, an tradi & iis poſſint, ſeu cum ablutione, ſeu paulo poſt, reliquiæ Sacramenti in pixide ſuperſtites, 483. Laicis olim licitum fuit Euchariſtiam domi aſſervare propriiſque manibus ſumere, ſed illa nunc ubique fere inolevit conſuetudo, 452 *& ſeq.* An in extremæ neceſſitatis caſu poſſint laici ſeipſos communicare, aut a laicis aliis Euchariſtiam recipere, 453 *& ſeq.* præſertim ſi de contritionis ſuæ perfectione anxiis deeſſet copia Confeſſarii, 454. An gravis ſit Laico infamia, ſi jam exiſtens in ſcamno communionis hinc recedat, 501. & 484. Vide *Communio* 2. *Jejunium* 2 An Laicis Vaſa ſacra tangere licitum ſit, 439 *& ſeq.* Vide *Vaſa ſacra*. *Miniſter* 2.

Lampas Eccleſiæ. An grave ſit præceptum eam ſervandi diu noctuque accenſam coram Altari ubi quieſcit SS. Sacramentum, 810. *& ſeq.* Vide *Altare* 2.

Latini, Vide *Euchariſtia* 2.

Lumen ad ſacrificium requiritur, 809. Vide *Altare* 2.

Lunula ad Euchariſtiæ expoſitionem deſtinata, vide *Circulus*.

Luſtralis aqua, vide *Aſperſio*.

M

Manipulus, vide *Veſtes ſacræ*.

Mappa, vide *Altare* 2.

Materia Euchariſtiæ, vide *Euchariſtia* 2. 3. 4. 5.

Matrimonii uſus an a communione arceat, 191. *& ſeq.* Vide *Communio* 1.

Matutinum. An celebrationi Miſſæ Sacerdos præmittere teneatur Matutini cum Laudibus recitationem, 814

Meridie, vide *Miſſa* 6.

1. *Miniſter* Euchariſtiæ quis & quotuplex, 436 Solis Sacerdotibus data eſt poteſtas conficiendi Euchariſtiam, 437. *& ſeq* An Diaconi olim jus conſecrandi uſurpaverint, 445. *& ſeq.* An novi Sacerdotes cum Epiſcopo conſecrent, 448. *& ſeq. &* 712. Vide etiam T. 8. 397 *& ſeq.* *Miniſter Conſecrationis.*

2. *Miniſter* ordinarius licitæ diſpenſationis Euchariſtiæ ſolus eſt Epiſcopus & Presbyter, 449. *& ſeq.* Extraordinarius vero & ex licentia Diaconus, 450. Non laici, *ibid.* An poſſet Diaconus imo etiam teneretur, abſente vel impotente Presbytero, Viaticum ad periculoſe ægrotantem deferre, *ibid & ſeq.* An id poſſet etiamſi Sacerdos impotens ipſi inique licentiam denegaret, *ibid. & ſeq.* Quid, ſi Diaconus præſente Presbytero tempore Paſchatis vel jubilæi Euchariſtiam populo juſſus eroget, 451. Quid facto opus, ſi Diaconus in neceſſitatis caſu Viaticum deferat ad Sacerdotem, *ibid. & ſeq.* Clerici Diaconis inferiores ſynaxim nuſquam in Eccleſia diſpenſarunt, ſæpe tamen ipſis imo & Laicis tradita eſt ad alios deferenda, 452. Laicis olim licitum fuit Euchariſtiam domi aſſervare propriiſque manibus ſumere, *ibid.* *& ſeq.* Non poteſt Sacerdos ſibi Euchariſtiam adminiſtrare extra Miſſam, cum alterius Sacerdotis copiam habet, 453. Extra Miſſam poteſt & debet in caſu periculoſæ ægritudinis, etiamſi præſens ſit Diaconus, *ibid.* An idem poſſet etiam extra neceſſitatis caſum, modo abſit ſcandalum, *ibid. & ſeq.* Quod de Sacerdote pro caſu neceſſitatis idem de Diacono probabiliter dicendum, 454 An in extremæ neceſſitatis caſu poſſint Laici ſe ipſos *Miniſter Diſpenſationis.*

ſos

ſos communicare, aut a Laicis Euchariſtiam recipere, *ibid.* & *ſeq.* præſertim ſi de contritionis ſuæ perfectione anxiis deeſſet copia Confeſſarii, *ibid.* Vide *Communio. Subjectum.*

Juriſdictionis neceſſitas. 3. Ad Euchariſtiæ diſpenſationem requiritur juriſdictio, 454. An ſufficientem habeant juriſdictionem 1. Sacerdotes qui ad ſactum faciendum in aliqua Eccleſia admittuntur, *ibid.* 2. Sæculares qui apud Religioſos celebrant, 455. 3. Privilegiati ad Euchariſtiam in Viaticum miniſtrandam, *ibid.* Ad communionem ſine proprii Parochi conſenſu admitti nequeunt 1. infantes qui prima vice ad ſacram Menſam accedunt, *ibid.* 2. ii qui debito Paſchali non ſatisfecerunt, *ibid.* 3. vagi & advenæ qui Paſcha em Euchariſtiam aut Viaticum poſtulant, *ibid.* An in ſacellis privatis diſpenſari poſſit Euchariſtia, *ib.* & *ſeq.*

Communionis Ritus. 4. Quo tempore diſtribui poſſit communio, 456. Quo loco, *ibid.* Quo ritu, 1. intra Miſſarum ſolemnia, 457. 2. extra Miſſam vel in Eccleſia, *ibid.* vel intra domum, *ibid.* & *ſeq.* Quoties Euchariſtiam miniſtrare teneatur Parochus, 458. & *ſeq.* Quibus, an peſte vel alio gravi morbo laborantibus, *ibid.* & *ſeq.* Quænam circumſtantiæ a deferendo peſtiferis Viatico excuſent, 459 Hac de re quid moneat S. Carol. Borom. 460 & *ſeq.* Quid facto opus ſit, 1. ſi in mulieris ſinum decidat Hoſtia, *ibid* & *ſeq* 2. ſi cadat Hoſtia intra Monialium clauſuram, 461. An liceat vel Hoſtiam grandiorem alicui tradere, vel plures ſimul formulas, *ibid.* & *ſeq.* Si deſit minor Hoſtia, an Sacerdos de majore qua utitur ad Sacrificium particulam frangere poſſit ad communionem Laici, 462 Lethaliter peccat qui lethalis peccati conſcius Euchariſtiam adminiſtrat, *ibid* An feria VI. in Paraſceve liceat aliis quam infirmis Euchariſtiam adminiſtrare, 772. Utrum Energumenis, amentibus & peccatoribus deneganda ſit Euchariſtia, vide *Subjectum.* An occulto peccatori porrigi poſſit Hoſtia non conſecrata, 467. Vide *Viaticum Vomitus Sputum.*

Obligationes populi circa Miſſam. 1 *Miſſa* Fideles Miſſæ aliquando intereſſe tenentur, 763 & *ſeq.* Quæ cauſæ ab audienda Miſſa excuſent, *ibid* An ſatius ſit neglecta Miſſa concionem audiri, *ibid* An a peccato immunis ſit, qui ſufficientem omittendæ Miſſæ cauſam habere ſe falſo exiſtimat, *ibid* Debent, ſi poſſunt, Fideles Miſſæ quæ Parochialis dicitur intereſſe, 764 & *ſeq.* an ſi intereſſe nolint, abſolutione ſacramentali privandi, 765 & *ſeq* Fideles religioſo animi corporiſque ritu ſacro intereſſe tenentur, *ibid* & *ſeq* Concilium Turonenſe ann 1585. plurima ſcitu digna ſtatuit circ Miſſæ ſacrificium, 766. & *ſeq*

Sacerdotum obligationes. 2. Laudabilius eſt ſæpe celebrare quam raro, 767. & *ſeq.* Nulla lege præcipitur quotidiana celebratio ſimplicibus Presbyteris, 768. imo nec Parochis, *ibid.* Peccant graviter qui nunquam aut fere nunquam celebrant, *ibid.* & *ſeq.* Paſtores & alii quibus animarum cura incumbit, tenentur ſub gravi per ſe aut per alios Sacrum facere, quoties ipſi adeſſe ſubditi tenentur, 770. & *ſeq.* Non ſufficit ut feſtis diebus celebrent, ſed aliquando ſaltem per hebdomadam id debent præſtare, 771. In Eccleſiis Cathedralibus & Regularibus Miſſa quotidie celebrari debet, 772. In Collegiatis, tametſi dotis fundi magna ex parte perierint, Conventualis Miſſa pro aliis privatis fundationibus exolvi non poteſt, *ib.* Capellanus celebrare tenetur quoties, ubi, & quando præſcribit fundatio, *ibid.* & *ſeq.* Vide *Capellanus.*

Multiplex Miſſa eadem die. 3. Moris olim fuit ut pluries in die Sacrum fieret, 775. & *ſeq.* Id jure novo vetitum eſt, 776. Excipienda Natalis Domini ſolemnitas, *ibid.* Vide *Natalis.* An excipiendus ſit etiam caſus neceſſitatis, 777. & 486. & *ſeq.* Sacerdos qui duplici præeſt Parochiæ, ex Ordinarii licentia duplex poteſt eadem die Sacrum facere, *ibid.* Sed non poteſt in Natali Domini tres in unaquaque Parochia Miſſas celebrare, *ibid.* & *ſeq.* Non licet Sacrum facere feria VI. in Paraſceve, 777. An idem dicendum de feria V. in cœna Domini & Sabbato ſancto, *ibid.* & *ſeq.* An Parochus qui ſolus duplici Eccleſiæ præeſt, debeat in die cœnæ Domini, duas in unaquaque Eccleſia Hoſtias conſecrare, quarum alteram tunc ſumat, alteram poſtridie in unaquaque Eccleſia, 779. An licitum foret Sacerdoti ante hauſtam ablutionem admonito, novam inchoare Miſſam, ut in gratiam infirmi Hoſtiam conſecret, 487. & *ſeq.* & 777. Vide Monitum infra.

Miſſæ privatæ. 4. Licitæ ſunt Miſſæ privatæ in quibus ſolus communicat Sacerdos, 780. & *ſeq.* Quid de uſu Miſſarum ſiccarum, 783. & *ſeq.* An ſaltem ex Epiſcopi licentia vel in navibus vel coram infirmo recitari poſſint, 784. Quandonam Miſſæ votivæ celebrari poſſint ac debeant, 792.

Subjectum Sacrificii Miſſæ. 5. An ſacrificium Miſſæ offerri poſſit 1. pro univerſis fidelibus ſive juſtis ſive peccatoribus, 752. & *ſeq.* 2. pro infantibus & quomodo, *ibid.* 3. pro Cathecumenis & infidelibus, 753. & *ſeq.* 4. pro excommunicatis, hæreticis, & aliis id genus, 754. 5. pro damnatis, *ibid.* & *ſeq.* 6. pro animabus in purgatorio detentis, 758. & *ſeq.* 7. pro Sanctis, & quo ſenſu, 760. & *ſeq.* Vide *Sacrificium.* An ſacrificium Miſſæ offerri poſſit pro ea anima quam Deus voluerit, 392. & *ſeq.*

Hora Miſſæ. 6. Quid per auroram intelligatur, 793. An peccet graviter qui ante auroram celebrat, 794. In his Galliæ partibus Miſſa pluribus ante crepuſculum horis tuto per hiemem celebra-

lebrari poteſt, *ibid.* An a media nocte etiam ſine Epiſcopi licentia Miſſa inchoari poſſit, ſi alioqui moriturus ſit quiſpiam ſine Viatico, *ibid.* Quid per meridiem præciſe intelligatur, *ibid.* An aliquanto poſt Miſſa celebrari poſſit, *ib. & ſeq.* Cauſæ ſacrificium poſt meridiem offerendi, 795.

Locus Sacrificii. 7. Quo in loco Miſſam celebrare liceat, 797. An in Capellis privatis & quando, *ib. & ſeq.* Licet aliquando extra locum ſacrum celebrare, 798. An licitum ſit ſacrificium offerre 1. in navibus, 799. *& ſeq.* 2. in Eccleſia vel execrata, vel violata, vel interdicta, *ibid. & ſeq.* Quandonam execretur locus ſacer, *ibid.* Caſus ſunt in jure minime expreſſi, in quibus Eccleſia licet conſecratione non indigeat, benedictione tamen indigere videatur, 800. *& ſeq.* Quandonam violetur locus ſacer, *ibid. & ſeq.* Quædam notanda, *ibid. & ſeq.* An ſi Sacerdos in Eccleſia violata celebraverit, incurrat pœnam irregularitatis aut ſuſpenſionis, 801. Pium & utile ad Fideles monitum, *ibid.* An Eccleſia execrata vel interdicta perdat immunitatem ſuam, 803. *& ſeq.*

Defectus in Miſſa occurrentes. 8. An graviter peccet qui aliquid omittit, 1. ex iis quæ Canonem Miſſæ præcedunt, 811. *& ſeq.* 2. ex iis quæ in Canone continentur, *ibid. & ſeq.* 3. ex iis quæ Canonem ſubſequuntur, 4. ex iis ritibus qui in actione conſiſtunt, *ibid. & ſeq.* An peccet Sacerdos qui Hoſtiæ fragmenta accurate non colligit, 481. *& ſeq.* An graviter reus ſit, tum is qui loco vini aquam ſolam in prima purificatione adhibuerit, *ibid.* tum ille qui in ſecunda purificatione ſola aqua uſus fuerit, *ibid.* quædam obſervanda, *ibid.* Nonnulli Sacerdotes divina Myſteria irreligioſe tractant, 813 *& ſeq.* An impotentia vel gravis neceſſitas a Miſſæ ritibus excuſet, *ibid. & ſeq* Quid facto opus, 1. ſi Sacerdos prævideat futurum, ut vel deſit alterutra ſpecies, vel ut propter vomitum communicare non poſſit, *ibid.* 2. ſi ſciat deeſſe aquam, *ibid. & ſeq* 3. ſi levior ſit defectus, *ibid.* Utrum celebrationi Miſſæ Sacerdos præmittere teneatur, 1. peccatorum confeſſionem, Vide *Communio* 2. 2. Matutini cum Laudibus recitationem, *ib & ſeq.* 3 orationem cum recitatione quinque pſalmorum qui in Miſſalibus præſcripti ſunt, *ibid. & ſeq.* 4. Lotionem manuum, *ibid.* An licitæ ſint in Sacrario confabulationes, *ibid.* Vide *Altare* 2. *Ritus*.

Miſſale an Sacerdoti celebranti neceſſarium ſit, 826.

Moniales. Quid facto opus ſi dum Monialibus diſtribuitur communio, cadat Hoſtia intra earumdem clauſuram, 461.

Mulieres. Quid agendum, ſi in mulieris ſinum decidat Hoſtia, 461. *& ſeq.* An ab Euchariſtia arceat menſtrua infirmitas, 488. *& ſeq.* Vide *Communio* 1. Iis denegetur Euchariſtia mulieribus quæ indecenter veſtitæ accederent, 492. An aliquando mulieri liceat Sacerdoti celebranti miniſtrare, 826.

Muſica inſtrumenta merito in templis adhibentur, 850.

Muſtum Valet conſecratio muſti, 380.

Muti. Mutis & ſurdis a nativitate conferri poteſt Euchariſtia, 468. Vide *Subjectum*.

N

Natalis dies Domini. Tres Miſſas hac die celebrare licet, 776. Si unica Miſſa celebretur, quænam ſeligi debeat, *ibid.* An triplex pro triplici Miſſa ſtipendium recipi poſſit, 746. Quid ſi Sacerdos ex errore quem poſtea detegit, Miſſam noctis ante undecimam horam inchoet, 487. *& ſeq* Sacerdos qui duplici præeſt Eccleſiæ, non poteſt tres in unaquaque Eccleſia Miſſas celebrare, 777. *& ſeq.* Canonici Lateranenſes nocturnam Natalis Domini Miſſam in ejuſdem feſti pervigilio celebrant, 795.

Navis. An in navibus Miſſam celebrare liceat, 799. *& ſeq.* Vide *Miſſa* 7.

Neomyſta ſeu novi Sacerdotes, an in die Ordinationis ſuæ cum Epiſcopo conſecrent, 448. *& ſeq.* An ipſis communio diſtribui debeat ex præſenti ſacrificio, 712.

O

Offertorium. An poſſint oblatæ poſt offertorium ad populi communionem formulæ licite conſecrari, 462. *& ſeq.*

Omphacium, non eſt apta Calicis materia, 381. Vide *Euchariſtia* 2.

Oratoria privata, vide *Capella domeſtica*.

Ordinarium Miſſæ. De ipſo plura referuntur ſcitu digna, 834. *& ſeq.* Vide *Ritus* 1.

Ordinatio, vide *Neomyſta*.

Ornamenta, vide *Veſtes ſacræ*.

P

Palla neceſſitas, 818. ejus materia & benedictio, *ibid.*

Panis triticeus, vide *Euchariſtia* 2

Paraſceve. Non licet Sacrum facere feria VI. in Paraſceve, 777. An eadem die licitum ſit aliis quam infirmis Euchariſtiam adminiſtrare, *ibid.* Quomodo ſe gerere debeat qui duplici præeſt Parochiæ, 779 An in die Paraſceves verum offeratur ſacrificium, 720. *& ſeq.*

Paſtores quandonam teneantur Sacrum facere, 771 *& ſeq.* Vide *Miſſa* 2. *Miniſter* 3. Quoties & quibus Euchariſtiam diſpenſare debeant, 458. *& ſeq.* Vide *Miniſter* 4. An poſſint ſtipendium pro celebratione Miſſæ

percipere, vide *Stipendium*.

Patena, vide *Calix*.

Peſtis, vide *Miniſter* 4.

Pileoli uſus in Miſſa illicitus, 826. Quis diſpenſare poſſit, 827. *& ſeq.*

Pixidis materia, 817. benedictio, *ibid.* Improbanda eorum praxis qui ſuperſtitibus in pixide particulis conſecratis, hoſtias non conſecratas admiſcent, 393. Decentior pixidis purificandæ modus proponitur, 484 V. *Euchariſtia* 4

Pœnitentia. An Parochus ſubditorum etiam peſtiferorum confeſſiones excipere teneatur, 458. *& ſeq.*

Pollutio nocturna an a communione removeat. v. *Communio* 1.

Præſentia materiæ, vide *Euchariſtia* 4.

Purificatorium. Ejus conditiones, 818. An ejus benedictio præcipiatur, *ibid.*

R

R*Egulares* an poſſint quocumque anni & vitæ tempore Euchariſtiam ſæcularibus adminiſtrare, 454. *& ſeq* Vide *Miniſter* 3.

Reliquiæ Sanctorum ſummo ſemper in pretio fuere apud Chriſtianos, 847. An neceſſariæ ſint ad conſecrationem Altaris, 805 Vide *Altare* 1.

Miſſæ de Requiem, vide *Defuncti*.

1. *Ritus Sacrificii*. Non licet Sacerdoti ſine Miniſtro celebrare, 825. Gravis quædam excuſat neceſſitas, *ibid. & ſeq.* An aliquando mulieri liceat Sacerdoti celebranti miniſtrare, *ibid.* Miniſtri nitide & diſtincte reſpondeant, 826. Miſſalis neceſſitas, *ibid* An Sacrum tecto capite facere liceat, *ibid & ſeq.* Quid de iis qui pileolo uterentur, *ibid* Pileoli uſus a quo concedi poſſit, *ibid. & ſeq.* An Sacerdos inceptam Miſſam relinquere omnino poſſit, 827. An cenſuræ ſubjaceat qui Miſſam aut relinquit aut interrumpit, *ibid. & ſeq.* Pluribus de cauſis a Sacro deſiſtere licet, 428. *& ſeq.* Quid facto opus ſit, ſi quis certo advertat, aut ſalem dubitet, num rite ordinatus ſit, *ibid.* Utrum Miſſa incepta interrumpi poſſit, *ibid. & ſeq.* An ſemper proſequenda ſit Miſſa quam quis interrumpit, 830. *& ſeq.* Nonnulla in ſacrificio Miſſæ ſubmiſſa voce pronuntiari debent, *ibid. & ſeq.* Non ita vetus vulgandi Canonis mos, qui jam ubique in Galliis inolevit, 835. *& ſeq.* Non ſemper in Galliis probata fuit verſio Gallica Scripturæ ſacræ, *ibid.* An graviter peccet qui vel Canonem alta voce recitat, vel ſecreto quæ alta voce recitanda ſunt, 841. *& ſeq.* Qui Conſecrationis verba recitat adeo demiſſe ut audire ſe non poſſit, mortalis culpæ reus eſt, 841. Sacerdos ex ea Hoſtia communicare debet quam conſecravit, non ex alia, 712. Vide *Altare* 2. *Miſſa* 8.

2. Neceſſario requiritur applicatio Miſſæ ut hæc cuipiam ſpecialiter proſit, 841. Quid, ſi Celebrans Miſſam applicet pro incapaci, *ibid. & ſeq.* Actualis vel virtualis applicatio non requiritur, ſufficit habitualis, 842. An valeat applicatio illicita, *ibid. & ſeq.* Quando fieri debeat applicatio Miſſæ, 843.

Rubricæ definitio, 810. An Rubricæ præceptum importent, *ib. & ſeq.*

S

S*Acerdotes* ſoli ſacrificium Miſſæ vere & proprie offerunt, 749. *& ſeq* Simplices Fideles aliquo etiam ſenſu ſacrificium offerunt, 750 *& ſeq.* Vide *Miniſter*. *Miſſa* 2. &c. *Ritus*. *Stipendium*. *Sacrificium*.

Natura Sacrificii. 1 *Sacrificium*. Ejus definitio, 643. Ejus diviſio, 647. *& ſeq.* Euchariſtia eſt veri nominis ſacrificium, 653. *& ſeq.* Sacrificium Miſſæ non conſiſtit in mera mortis Chriſti repræſentatione, aut in ejuſdem commemoratione quæ a reali Chriſti præſentia independens ſit, 685. *& ſeq.* Materia ſacrificii, 703. *& ſeq.* Ratio formalis ſacrificii, 708. *& ſeq.* Utriuſque ſpeciei conſecratio ad ſacrificium jure divino neceſſaria eſt, & non pertinet ad eſſentiam ſacrificii, 724 *& ſeq.* An S. P. diſpenſare poſſit, ut Miſſæ ſacrificium in una tantum ſpecie conficiatur, 726. *& ſeq.*

Effectus Sacrificii. 2. Sacrificium novæ Legis eſt vere propitiatorium, 729. *& ſeq.* Et impetratorium, 732. *& ſeq.* Per ipſum bona etiam temporalia conſequimur, 734. Sacrificium Miſſæ peccatum & peccati pœnas remittit ex opere operato, non tamen eadem ratione, 727. Monitum ad confeſſarios, 739. An Sacrificium vim habeat non tantum ex opere operato, ſed etiam ex opere operantis, 742. An qui accepta ſtipe plures Miſſas in ſtatu peccati mortalis celebravit, parem numerum deinceps refundere teneatur, *ibid. & ſeq.* Vide *Euchariſtia*. *Miſſa*. *Miniſter*. *Communio Ritus*.

Sicca Miſſa, vide *Miſſa* 4.

Signum Crucis, cur ſuper dona tum ante tum poſt Conſecrationem efformetur, 263.

Siligo an ſit materia Euchariſtiæ, 337. *& ſeq.*

Species Euchariſticæ quoto temporis intervallo indigeant ut in ſtomacho corrumpantur, 333. An reipſa communicent devotæ illæ quæ corpus Chriſti tamdiu ſervant in ore, ut hic ſpecies alterari poſſint, *ibid. &* 638. Quis cultus ſpeciebus Euchariſticis exhibendus ſit, 334. & 335. Quid facto opus ſit ſi contigerit infirmum Euchariſtiam evomere, vel in caſu quo ſpecies vel putruerint, vel ex eis generentur vermes, 457. *& ſeq.*

Sputum. An ab eo abſtinendum ſit, ſi extet dubium, an aliqua Hoſtiæ particula gingivis aut palato adhæreat, 334. Quid præſtare

neceſ-

neceſſum ſit, ſi ſputum exigat importuna neceſſitas, *ibid.* & 480.

Stemma gentilitia nobilium. An licitæ ſint caſulæ vel calices quibus inſcripta ſint hujuſmodi inſignia, 824.

Stipendium percipere licitum eſt pro celebratione Miſsæ, 784. *& ſeq.* Sacerdos ſtipendio per legem vel conſuetudinem præfixo contentus ſit, 784. Quid, ſi nihil hac in re conſtitutum ſit a lege vel ab uſu, 786. Poteſt Sacerdos plus quam determinatum ſit recipere ſi gratis offeratur, *ibid.* imo & modeſte exigere ratione laboris extrinſeci, *ibid.* An ſolitum ſtipendium recipere poſſint, 1. Sacerdotes divites, *ibid.* 2. Parochi & alii Beneficiarii, *ibid. &* 746. 3. Qui curam habent animarum, quando diœceſana lege tenentur ad pluries celebrandum in hebdomada, 787. 4. Sacerdotes alii, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii ſeu Capellæ, 788. S. P. pro univerſali Eccleſia, Epiſcopi pro ſua Diœceſi, Prælati Regulares pro ſuis ſubditis Sacrum facere debent, 787. An qui alicubi celebrare tenetur abſque applicatione ſacrificii, ab alio ſtipem recipere poſſit, *ibid.* An qui minora ſtipendia pro pluribus Miſſis accepit, poſſit in unum pinguius ac ſufficiens conjungere, 788. *& ſeq.* Peccat lethaliter qui ex præſcripto Miſſarum numero unam detrahit, *ibid. & ſeq.* Quid, ſi Sacerdote inſcio allata ſint pro Miſſis decem ſtipendia octo, 789. Quid pro ſingulis Miſſis accipi poſſit, quando data eſt pecuniæ ſumma pro Miſſis indeterminate, *ibid. & ſeq.* Non licet Sacerdoti duplicatum pro eadem Miſſa quam uni promiſit ſtipendium percipere, *ibid.* Qui pinguius accepit ſtipendium, an poſſit una parte ſibi reſervata, alteram dare Sacerdoti qui in ejus locum ſacrificium offerat, *ibid.* An id poſſet ſi Sacerdos alter de re tota monitus exceſſum illum liberaliter condonet, 790. An peccent & ad reſtitutionem teneantur 1. Parochi & Beneficiarii pingues, qui per alios exequuntur Miſſas, nec tamen iis ſtipem beneficiis ſuis parem conferunt, *ibid* 2. Æditui qui ſummam accepta minorem pro Miſſarum ſtipendiis tradunt, *ibid. & ſeq.* 3 Sacerdotes qui accepto ſtipendio plures in malo ſtatu celebravere Miſſas, 742. An liceat anticipato tempore Miſſas celebrare pro iis qui ſtipendium poſtea oblaturi ſunt, 791. Quid, ſi prævideat Sacerdos futurum ut a ſe poſtulentur Miſſæ pro defuncto, *ibid. & ſeq.* An licitum ſit Sacerdoti vel Æditúo ſtipendia plurima Miſſarum congerere, quas prævidet nonniſi multo poſt tempore celebrarr poſſe, *ibid.* Quæ mora in præſenti ſufficiat ad lethale peccatum, *ibid & ſeq.* An Miſſa celebranda ſit in ea Eccleſia quam deſignat qui ſtipendium offert, 792. Utrum juſtitiam lædat qui promiſſa gratis Joanni Miſſa, a Petro ſtipendium accipit, 746. *& ſeq.* An is a quo poſtulatur Miſſa de Requiem aut de Spiritu Sancto, peccet ſi aliam legerit, *ibid.* An ſtipendium accipi poſſit pro Miſſa in die Commemorationis Fidelium defunctorum, 793. An peccet qui in die Nativitatis Dominicæ tria pro triplici Sacro ſtipendia percipit, *ib.* An Beneficiarii Miſſas ad minorem numerum reducere poſſint, quando reditus notabiliter imminuti ſunt, *ibid.* Vide *Capellanus*.

Stola, vide *Veſtis ſacra*.

Subdiaconus ſacram Synaxim nuſquam in Eccleſia diſpenſavit, 451. Ipſi licet vaſa ſacra modo vacua ſint contingere, 818.

Subjectum Euchariſtiæ. Capax eſt omnis homo Euchariſtiæ materialiter recipiendæ, *ibid.* Sacramentaliter vero, omnis & ſolus homo baptizatus & viator, 463. Etiam peccator, 464. An dari debeat Euchariſtia, 1. infantibus ante ſeptennium, *ibid. & ſeq.* 2. pueris completo ſeptennio, præſertim ſi ſint in extremo vitæ periculo conſtituti, 465. 3. Energumenis, *ibid. & ſeq.* 4. perpetuo amentibus, 467. *& ſeq.* 5. ſemifatuis ſeu debilem habentibus rationis uſum, *ibid. & ſeq.* 6. amentibus qui lucida habent intervalla, aut qui a rationis uſu in amentiam vel phrænetim incidere, 468. 7. Mutis & ſurdis a nativitate, *ibid. & ſeq.* 8. mutis ſurdis, ſimul & cæcis, 468. 9. peccatoribus occultis, *ibid. & ſequent.* 10. peccatoribus occultis occulte petentibus, quotum peccatum Sacerdos ex ſola confeſſione cognovit, 469. 11. peccatoribus ex juris vel facti notorietate publicis, *ibid.* 12. iis qui poſtquam in peccatis conſenuere, Viaticum inſtante morte poſtulant, 470. *& ſeq.* 13. Reis ultimo ſupplicio damnatis, 471. *& ſeq. &* 541. *& ſeq.* An occulto peccatori porrigi poſſit Hoſtia non conſecrata, 469.

T

T*Abaci* uſus an licitus ſit ante Miſſam, vide *Jejunium* 1.

Thus. Antiquus eſt in Eccleſia thurificationis uſus, 852. Thus non ob cauſas duntaxat naturales, ſed ob Chriſti etiam honorem uſurpatum, *ibid. & ſeq &* 523. *&* 524. Thus Dominis & Patronis poſt Clerum quidem, ſed ante ceteros adoleri debet, 385. *& ſeq.* Vide *Aſperſio*.

Tobalea ſive Mappæ, vide *Altare* 2.

Triticeus Panis, vide *Euchariſtia* 2.

V

V*Aſa ſacra*. Quibus licitum ſit ea contingere, 818 An ſacra vaſa ſine licentia contingere grave ſit peccatum, *ib. & ſeq.* Laico etiam peccatori licet corpus Chriſti in

caſu

Digitized by Google

caſu neceſſitatis tangere, 453. Vide *Miniſter* 2. *Altare* 1. *Calix*. *Corporale*. *Circulus*.

Veſtes ſacræ, Veſtium ſacrarum ſenſus moralis, 821. *& ſeq.* Senſus *Allegoricus*, *ibid.* Mortaliter delinquit qui ſine præcipuis veſtibus ſacris celebrat, etiam in caſu gravis neceſſitatis, *ibid. & ſeq.* An in ejuſdem neceſſitas caſu unum aut alterum ex minus præcipuis ornamentis prætermittere liceat, 822. An qui veſtibus ſacris induitur preces præſcriptas recitare debeat, 823. Veſtium ſacrarum benedictio neceſſaria, *ibid. & ſeq.* a quo fieri debeat, *ibid.* quandonam pereat, *ibid. & ſeq.* Quando Stola vel Planeta duplici conſtant varii coloris parte quarum unaquæque apta ſit ad ſacrificium: tunc etiamſi hæc ab illa disjungatur, ſervat utraque benedictionem, 823. Sed quid, ſi ex Stola fiat Manipulus, aut viciſſim e longiori Manipulo Stola, *ibid. & ſeq.* Aut ſi e pluribus Manipulis benedictis conficiatur Stola, 824. Veſtes ſacræ, cum uſu detritæ ſunt, & jam ineptæ ad ſacrificium, non poſſunt ad uſus profanos converti, *ibid.* Exceptio, *ibid.* Profanas veſtes in uſus ſacros converti nihil vetat, *ibid.* An licitæ ſint caſulæ vel calices quibus inſcripta ſunt gentilitia nobilium ſtemmata, 824.

1. *Viaticum*. An Viatici recipiendi lege teneatur, 1. qui eſt in articulo mortis, 541. 2. qui paulo ante morbum communicavit, 542. 3. qui in exitu vitæ communionem fecit ſacrilegam, *ibid. & ſeq.* 4. qui eadem die communicavit, qua morbo correptus eſt ſtatim moriturus, 544. Quid per articulum mortis hic intelligatur, *ibid.* An qui in prædictis caſibus officio ſuo defuit culpabiliter, teneatur quamprimum communicare, *ibid. & ſeq.*

2. Quid juris, ſi delata ad infirmum Euchariſtia, is in confeſſione fateatur ſe pluries ſacrilege confeſſum, 503. An poſt traditam infirmis Hoſtiam, tradi & iis poſſint, ſeu cum ablutione, ſeu paulo poſt reliquiæ Sacramenti in pixide ſuperſtites, 483. *& ſeq.* Qui periculoſe decumbit poteſt haud jejunus Euchariſtia refici, 484 *& ſeq.* Poſſet denuo ſi poſtquam aliquantulum convaluit, in idem periculum relaberetur, 485. An durante eodem morbo licitum ſit pluries etſi non jejuno Euchariſtiam dare, *ibid. & ſeq.* Quoto intervallo a Viatici receptione diſtare debeat communio ſequens a non jejuno facienda, 485.

3. An ne æger ſine Viatico decedat, Miſſam celebrare licitum ſit Sacerdoti non jejuno, 485. vel Sacerdoti excommunicato, 500. An ſaltem liceret Sacerdoti ante hauſtam ablutionem admonito novam inchoare Miſſam, ut in gratiam infirmi hoſtiam conſecret, 486 *& 777.* Ad præbendam moribundo ſynaxim an celebrare licitum ſit. 1. ſine veſtibus ſacris, 500. *& 822. & ſeq.* 2. ſine Alba, Stolave vel Caſula, *ibid.* 3. ſine uno aut altero ex reliquis ornamentis, *ibid. & ſeq.* 4. citra lumen, 809. *& ſeq* 5. a media nocte, 794 6. diu poſt meridiem, 795. An Latino liceret fermentato uti, ne æger Viatico careat, 371. Vide *Vomitus*.

Vinum, vide *Euchariſtia*, 3. 9. *Sacrificium* 1.

Violatio Eccleſiæ, vide *Miſſa* 7

Vomitus. Quid facto opus eſt, ſi contigerit infirmum Euchariſtiam evomere, 457. Caute arcendi ſunt a communione quibus ineſt importuna tuſſis, vel vomitus periculum, *ibid. & ſeq.* In uno caſu licet ei qui a ſacra menſa recens eſt vomitum ciere, 458. Sacerdos qui ſpecies evomit, nec tenetur nec poteſt novam novæ ſumptionis materiam conſecrare, *ibid.* Vide *Species*. *Sputum*.

Votivæ Miſſæ quandonam celebrari poſſint, 792.

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google